
BIBLIOTECA
ROMA
VITTORIO EMANUELE


G. Appelmans . sculp

PUB. VIRGILII MARONIS

OPERUM

TOMUS TERTIUS,

Continens ſex poſteriores LIBROS

ÆNEIDOS.



LUGD. BATAVORUM,
Apud JACOBUM HACKIUM.
AMSTELODAMI,
Apud ABRAHAMUM WOLFGANG.
Aº. cIↄ Iↄ cLXXX.




P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER SEPTIMUS.



ARGUMENTUM.

Cajetam nutricem suam Æneas sepelit, locumque ipsum ab ejus nomine Cajetam appellat, Inde Circes sedem prætervehitur, secundoque vento ad Tiberis ostia defertur; adversoque flumine subvectus, in Laurentem agrum egreditur. Ibi cum ex Ascanii verbis cognovisset, eam esse terram, fatis sibi debitam: ad Latinum regem, qui ejus tractus regnum obtinebat, centum oratores mittit, qui & suo nomine illi munera offerrent, & urbis condendæ locum peterent. Latinus, legatione benigne audita, præter postulata Laviniam filiam suam, (quam ex Fauni patris sui oraculis, & Augurum responsis externo viro tradere jubebatur) ultro Æneæ conjugem offert. Interim Juno, prosperis Trojanorum rebus offensa, Alecto ad disturbandam pacem ab inferis evocat: quæ primum Amatam, Latini uxorem, deinde ipsum etiam Turnum furiis suis implet: atque inde ad Trojanorum juventutem conversa, quæ tum forte venationi operam dabat, mansuetum illis cervum objicit, Tyrrhei armentarii regii liberis imprimis charum: quem cum Ascanius sagitta vulnerasset, rustici arreptis armis in Trojanos impetum faciunt. Alecto ex superiore loco classicum canit: cadunt in eo tumultu Almon Tyrrhei filius natu maximus, & Galesus agricola regionis totius locupletissimus: qui cum in urbem mortui essent relati, Turnus, & Amata regem Latinum ad bellum suscipiendum injuriamque manu vindicandam extimulant. Verum cum ille & fatorum, & fœderis, nuper cum Trojanis initi, memor, adduci non posset, ut illis bellum indiceret, Juno ipsa belli portas aperuit. Turni auspicio ad bellum sequitur Mezentius, una cum Lauso filio: item Aventinus Herculis ex Rhea filius, Catillus & Coras Tiburtini, fratres, Camilla ex Volscorum gente, mulier fortissima, aliique complures, quorum catalogus ad finem libri recensetur.

Tu quoque litoribus nostris, Æneïa nutrix,
Æternam moriens famam, Caieta, dedisti.


Et

1 TU *quoque litoribus nostris Æneïa nutrix.*] Ut & in principio diximus, in duas partes hoc opus divisum est. Nam primi sex ad imaginem Odysseæ dicti sunt: quos personarum & allocutionum varietate constat esse graviores. Hi autem sex ad imaginem Iliadis dicti sunt, qui in negotiis validiores sunt. Nam & ipse hoc dicit, *Majus opus moveo.* & re vera tragicum opus est, ubi tantum bella tractantur. *Servius.*

Tu quoque.] Sicut Misenus, Palinurus etiam. *Idem.*

Tu quoque.] Viderat apud inferos, quam necessarium esset defunctis sepulchrum. ergo ut pius nutrici illud instituit. Meruerat enim ipsa: quia tam pium, religiosum Romani imperii principem, prudentem, fortemque virum nutrierit. *Tu quoque* repete: inde & optime conjunge: *At pius Æneas ingenti mole sepulchrum Imponit, suaque arma viro remumque tubamque:* deinde remotis iis, quæ de inferis narrantur, sequere: *Tu quoque litoribus nostris, & cætera.* Donatus.

Tu quoque.] Quæ admirandæ memoria



riæ videris supremo officio conjungi meruisti. *Donatus.*

Tu quoque.] Simile exordium illud,

Te quoque magna Pales. ——

Et Columellæ:

Hortorum quoq; te cultus, Silvane, docebo.

Symposii:

Hæc quoque Symposius de carmine lusit inepto. Cerda.

Tu quoque litoribus, &c.] Homerus, primus ille doctrinarum & antiquitatis parens, Opus confecit librorum XLIIX. Et eorum quidem XXIV. Odysseæ titulo, speculum esse voluit βίου θεωρητικοῦ, in persona Ulyssis: totidemque Iliados, titulo πρακτικοῦ, in Achille. At noster Poëta, Latinorum sine exemplo maximus, omnia XII. libris, atque in uno Ænea, complexus est. Quorum quidem sex, qui imaginem Odysseæ possident, hactenus absolvimus; explicaturi deinceps etiam reliquos: qui, ut illi in personarum & allocutionum varietate graviores sunt; ita hi in negotiis validiores, & vere tragici: omnes enim in cædibus positi sunt. Quam variis tamen condimentis unius & ejusdem cibi fastidium levarit Poëta, per suas partes ordine docuit Scaliger lib. 3. cap. 9. Poëtices. *Taubmannus.*

Tu quoque.] Recte hæc particula, quod ad tempus separatum est, hic copulat. medio enim de Inferis tractu sublato, versus hic Miseni exsequiis (Æn. 6. ℣s. 235.) jungitur, facitque integram orationem. Sicut autem ibidem *Misenus* & post (℣s. 381. dictum est.) *Palinurus* nomina fecere promontoriis, in quibus sepulti sunt; ita nutrix Æneæ *Cajeta* huic portui nomen indidit. Alii tamen hunc portum ἀπὸ τοῦ *καίειν* dictum censent, quod classis Trojana casu ibidem sit incensa. Strabo autem à *civitate*: quod Lacones curva appellent *cajeta*. Idem.

Litoribus.] Quod *litus* ubique simplici *t* scripserim, id me movit, quod in antiquioribus codicibus ita scriptum inveni. Et vetera quædam monumenta nomen id unico *t* notatum ostendunt: ut illud apud ædem D. Laurentii in Lucina,

Litore Phocaico pelagi vi examinatas.

Non enim abraduntur, aut transcribuntur marmora veluti codices. Præterea uti per unum *t* scribatur, deposcere videtur analogia. sive à *Lido lidis* forte descendat: quippe quod assidue fluctibus illidatur, sive ut multi volunt, à *Lino.* Nam litus est ex M. Tullii Arbitri sententia, quousque maximus fluctus à mari provenit. Ti. Donatus aliquanto simplicius, ubi aqua maris finitur, ita & finis terræ, quæ litore jungitur: ideoque alibi dixit Virgilius, *Navia sicco litore subductas*, quia est, & udum litus. Sed hoc etiam animadvertendum tris continuos versus vocabulum idem repetere,

Tum se ad Cajetæ recto fert litore portum.

Anchora de prora jacitur, stant litore puppes:

Tu quoque litoribus nostris Æneia nutrix.

Quod siquis tertium hoc nihil facere ad superiora dixerit, quia sit alterius libri principium: videant unum esse corpus totam Æneida, duodecim veluti membris compactum: neque ita ut in Georgicis eterogeneum, quod ibi ostendunt procemia distinctas materias, argumentaque dissimilia dividentia, Agrorum quippe cultum, Arborum naturam, Armentorum curam, Apum studium. At Æneis uno tantum comprehenditur argumento, De rebus ab Ænea gestis, librique ipsi ita invicem colligati sunt, ut verborum etiam structura uniuscujusque finem cum alterius principio connectat. Hinc omnes conticuere: quamprimum audivere Dido poscere ab Ænea, ut ab origine prima ederet insidias Danaum, casusque suorum. Et postquam jam non spes opis ulla dabatur, Resque Asiæ, Priamique gens, superbumque Ilium, & omnis Troja conciderat, Diversa exilia, & desertas quærere terras dis auspicibus coactus est Æneas. Qui ad finem usque tertii libri Fata renarrabat Divom cursusque docebat. At Regina gravi jam-

Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signant.

At

jamdudum saucia cura Vulnus alit venis. Cui dum Iris Junonis jussu dextra crinem secat, omnis & una dilapsus calor, atque in ventos vita recedit: Interea medium Æneas jam classe tenebat Certus iter. Qui Palinuro mox in mare excusso, quum amisso fluitantem errare magistro navem sensisset, animum concussus amici casu, Sic Fatur lacrimans. O nimium cœlo & pelago confise sereno, Nudus in ignota Palinure jacebis harena. Ab Avernis inde quum se ad Cajetæ portum recto litore tulisset, arrepta tellure, dum interim stant litore puppes, Nutrix ejus Cajeta æternam moriens litoribus nostris famam dedit. Atque ita libri reliqui invicem connectuntur. *Pierius.*

Nostris.] Hoc est, Italicis: ut, *Non eadem arboribus pendet vindemia nostris.* Non, ut Donatus ait, in comparationem Oceani navigabilibus. *Servius.*

Nostris.] Italis. ergo ibi est sepulta, ubi ipse cum suis esset regnaturus. Honoratur ergo à loco. *Donatus.*

Æneïa nutrix.] Hanc alii Æneæ, alii Creusæ, alii Ascanii nutricem volunt. Lectum tamen est in Philologis in hoc loco classem Trojanorum casu concrematam. Unde Cajeta dicta est, ἀπὸ τοῦ καίειν. *Servius.*

Æneïa nutrix.] Hujus etiam meminit Ovid. l. 14. Metam. ℣s. 441.

—— urnâque Æneïa nutrix
Condita marmorea, tumulo breve carmen habebat:
Hic me Cajeten notæ pietatis alumnus
Ereptam Argolico, quo debuit igne, cremavit.

sic l. 15. ℣s. 716. *Emmeness.*

2. *Æternam moriens.*] Argumentum à contrario. nam crevit fama, cum deberet morte minui. *Donatus.*

3. *Nunc.*] Etiam his temporibus, quo hæc scribuntur. *Idem.*

Servat.] Tenet, possidet: ut, *Servantem ripas, alta non vidit in herba.* Servius.

Et nunc servat honos sedem tuus.] Nunc etiam, quando hæc scribo, contemplatione honoris tui, quæ Æneæ Imperii Rom. conditoris nutrix fuisti, honos illi loco defertur. Alii per hypallag. exponunt: Sedes servat possidetque honorem, & tumulus nomen tuum. *Sedes* pro sepulchro etiam 6. Æneid. ℣s. 153. *Taubm.*

4. *Hesperia in magna.*] Propter Hispaniæ discretionem. *Servius.*

Si qua est ea gloria.] Secundum Epicureos. Bene autem interest funeri, postquam ab Inferis rediit: sicut interfuit ante quam descenderet, ut medium actum ostenderet. *Idem.*

Si qua est gloria.] Sciebat nihil sentire mortuos, sed ut satis faceret religioni. *Donatus.*

Si qua est ea gloria.] Ex eorum sensu, qui nullum sensum officiorum funebrium ad mortuos pervenire ajunt. Fecerit igitur hoc Æneas, ut religioso in nutricem suam affectui satisfaceret. Porro de quattuor horum versuum dignitate cum simplici, tum figurata, videatur Scalig. l. 4. c. 16. Poët. *Taubm.*

Ossaque nomen signant.] Turneb. l. 21. c. 22. dictum censet, quod sepulchra quædam sint sine nomine ignobilium capitum & ingloriorum. at vero Cajetæ sepulchrum memorabile fuerit posteritati nomenque habuerit. Sic & Ovid. 12. Met.

—— tumulo quoque nomen habenti
Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.

Nisi potius de nominis inscriptione capiendum, quod in tumulo incidebatur. quod non item in vilium & ignobilium hominum bustis fieri solebat. *Idem.*

Ossaque nomen signant.] Salmas. Plin. exercit. p. 1220. Maronem ad Homeri versum allusisse monet,

At pius exsequiis Æneas rite solutis,
Aggere conposito tumuli, postquam alta quiêrunt
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Adspirant auræ in noctem, nec candida cursus
Luna negat: splendet tremulo sub lumine pontus.

Proxi-

Τύμβῳ τε, στήλῃ τε, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

signanterque locutum; nam Græci sepulchrum non tantum *μνῆμα*, sed & *σῆμα* vocant. Homer. Iliad. φ. ϋϛ. 322. *σῆμα τετεύξεται*. sepulcrum igitur vel extitit, vel titulus, qui in Cajetæ monimento olim erat inscriptus, ad tempora Virgilii & ultra, Cajetæ sepulcrum signabat. De titulis sepulcrorum videndus Gutherius de Jure Manium lib. 2. c. 26. Kirchm. l. 3. c. 19. *Emmeneß.*

5. *Exsequiis.*] *Exsequi*, pro funerare, Cic. etiam 1. Tusc. dixit. unde *exsequiæ*. quod multi cadaver ejus, qui efferebatur, sequebantur. ἐντάφια Græcis, *Turneb.* lib. 9. cap. 18. *Taubmannus.*

6. *Aggere conposito t.*] Dictum ex Græcorum consuetudine, qui τάφον χώσαι dicunt. *Exaggerare* autem terram solebant, & quo altius educebatur, eo honorificum magis erat. atque à tumore illo terræ, nomen *tumulis* partum est. Turneb. l. 4. c. 14. *Taubm.*

Aggere conp. t.] Ficinus pereruditus Platonis interpres χῶμα nomina[illegible] *gerem* sepulcri. Cicero *sepulcrum* [illegible] Vide Guther. de jure Manium [illegible] *Emmeneß.*

Quierunt.] Hebrus [illegible] [illegible]git. *Servius.*

7. *Tendit iter velis.*] [illegible] rout vela extensa fuerint, i[illegible] ursus extenditur, in quo [illegible] iter. Nam ait supra, *Flecte* [illegible] Et aliud est *iter velis ten*[illegible] *vela iter.* Et multi [illegible] dictum, multi ni[illegible] constat tamen secund[illegible] quod ait, *Flecte viam* [illegible], hunc proced[illegible] ergit in ipsis veli[illegible]

Tendit iter.] Hic plenam habes constructionem, pro qua simpliciter *tendere*. Vide Sanctii Min. p. 310. *Emm.*

Relinquit.] Non placet *reliquit* tempore præterito, ut codices plerique veteres habent. Nam & *Tendit*, & *aspirant*, præsentia sunt. *Pierius.*

8. *Adspirant auræ in noctem.*] Quia, ut diximus, temporum mutatione ventus vel minuitur vel augetur. *In noctem* autem, circa noctem. Et quotiens tempus exprimitur, accusativum regit ista præpositio. *Servius.*

Adspirant auræ in noctem.] Ad verbum Apollon. 1. Arg. ἐπιπνείουσιν ἀῆται. Sed cur *in noctem*? Erutum hoc ex Philosophia, ut docet Aristotel. l. 2. Meteor. cap. 5. *Nam Sol* (inquit ille) καταπαύει πνεύματα, *compescit flatus*; qui solent excitari nocte adventante: cum enim maceret halitum, facit ut auræ conquiescant. Vide plura in illo. Unde & Plutarchus de Isid. & Osirid. loquens de aëre, νύκτωρ πυκνοῦται, *noctu densatur.* Notat etiam Germ. crebram esse mentionem apud Cæsarem nocturnæ auræ in navigatione. *Cerda.*

9. *Luna negat.*] Liptotes. Nam dicit, large præstat: ut, *Munera nec sperno.* Servius.

Tremulo sub lumine.] Ita enim mobilitas aquæ facit videri. *Idem.*

Tremulo sub lumine.] Perele[illegible] & è proprietate luminis stellar[illegible] li, Lucretius etiam splend[illegible] vocabat *tremorem.*

Dum tremor est clarus [illegible]
dor eorum.

Ita idem *tremulu*[illegible] item *tremorem* [illegible] *ignes*: & *igni*[illegible] [illegible]nicationem. [illegible] motus est, [illegible], moveri.

Ita

Proxima Circææ raduntur litora terræ:
Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos

Aſſi-

Ita Propert.

Armorum radiis picta tremebat aqua.

Sic & Cic. in 2. Conſulatu dixit:

— claro tremulos ardore cometas.

Macrob. lib. 6. cap. 4. Turneb. lib. 6. cap. 6. Giſan. Indice Lucret. *Taubm.*

Splendet, &c.] Sic Horat. l. 2. od. 5.

— Albo ſic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari. Emmeneſſ.

10. *Circææ raduntur litora terræ.*] Ut diximus ſupra, mons iſte antehac inſula fuit. Paludibus enim à continenti ſegregabatur: quas excluſit limus de Albanis montibus fluens. Et dicebatur *Ææus* ab horrore tranſeuntium, quo homines mutabantur in feras. In hoc ſummo oppidum fuit, quod & *Circæum* dictum & *Circæi*. Nam utrumque Livius dicit. *Servius.*

Circææ terræ.] Mela l. 2. c. 5. nominat *domum Circes* aliquando *Circejos*. de quo oppido Liv. l. 2. c. 39. Ea loca ut fugeret Æneas monetur l. 14. Metam. vſ. 247. plura de Circejis terris Cluver. l. 3. ant. Ital. c. 7. & Theophraſtus hiſt. plant. l. 5. c. 9. *Emmeneſſ.*

Raduntur litora.] Verbum nauticum, ut apparet ex hoc loco, & ex l. 3. ubi,

— Projectaque ſaxa Pachyni
Radimus. —

Et ex 5. ubi de nave certantium,

Radit iter lævum interior. —

Itaque Lucretius à mari locutionem accepit, cum ſcripſit lib. 4.

Scilicet expletis [illegible] *tnua raditur oris.*

Flumina etiam [illegible] *dere lit*[illegible] pro ſtringere [illegible] ‑λεῖν di[illegible] & Apoll. li[illegible]

— [illegible]

Itaq[illegible] *radi*[illegible] nt [illegible] quod [illegible]

11. *Dives.*] Non addidit cujus rei, cum ſoleat: ut, *Dives equûm, dives pictaï veſtis & auri.* Servius.

Inacceſſos.] Inacceſſibiles, inaccedendos. Nam Ulyſſes illuc venit. Ergo *inacceſſos*, ad quos nullus debeat accedere: ut, *Aut illaudati neſcit Buſiridis aras:* hoc eſt, illaudabilis. Nam ab Iſocrate conſtat eſſe laudatum. *Idem.*

Solis filia.] Circen Solis filiam etiam facit Heſiodus in Theog. & Cicer. l. 3. de Nat. & ante illos Homer. Odyſſ. 10. Porro Virgiliano hoc loco deceptus Plinius l. 13. c. 16. accipit Homeri verſus, quos jam adhibui de Circe, cum Græcus tamen de Calypſone ſcripſerit. Redeo. Interpres Apollonii. Κίρκην τινὲς μὲ Αἰήτε ἀδελφὴν, τινὲς ϑ θυγατέρα φασὶν εἶναι: *Circen alii Æetæ ſororem faciunt, alii filiam.* Hom. Od. ſororem facit. Adducit deinde prædictus interpres Dionyſium Mileſium, qui ſcribit, Circen vere fuiſſe filiam Æetæ, ac proinde ſororem Medeæ; aſſignatque illi matrem Hecaten filiam Perſei. Hoc veroſimilius. Poëtæ tamen filiam faciunt Solis, fortaſſe, quia magica omnia vim à Sole capiunt. Diodorus l. 5. narrat Solis fuiſſe duos liberos, Æetan, & Perſen, Æetan regnaſſe in Colcho, Perſen in Taurica, utrumque efferum. Ex Perſe ortam Hecaten doctiſſimam maleficiorum, quæ, ſublato Patre, Æetæ nupſit, ex quo genuit filias duas, C[illegible], & Medeam: filium unum Æ[illegible] Hæc ille multis. Homerus ta[illegible] ſen ipſam facit matrem Cir[illegible] ὸς ἐκ πέρσης. De loco, ubi [illegible] ubitavit, quam Poëta, & alii [illegible] inſulam, ait Dionyſ. lib. 4. An[illegible] uiſſe rupem inſtar peninſulæ in [illegible] Tyrrheno. Non multum abeunt [illegible] æ lib. 5. Diodorus ſcribit. Ariſt. περὶ θαυμασίων. meminit montis circa Italiam, quem vocat Circæum, ubi ait naſci venenum mortiferum. *Cerda.*

Assiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,

Arguto

12. *Assiduo.*] In Romano codice, *adsiduo* per *d* scriptum est. Eos vero reprehendit Caper, qui *assedmus* proferre malebant: quod eadem litera *e* in *sedeo* primitivo reperiatur: dici enim *adsideo* notat. unde *adsiduus*. Contra cujus sententiam Fl. Sosipater, *adsiduus*, ait, quidam per *d* scribunt, quasi sit à *sedendo* figuratum, sed errant. Nam quum à Servio Tullio populus in quinque classes divisus esset, ut tributum, prout quisque possideret, inferret: ditiores, qui asses dabant, *assidui* dicti sunt. Et quoniam soli negotiis publicis frequentes aderant, eos qui frequenter adsunt, *assiduos* ab assibus dixerunt. Hinc ait Gellius, *Assiduum* in duodecim tabulis & pro locuplete & facile munus faciente, dictum ab assibus, id est, ære dando, quum id tempora Reipub. postularent, aut à muneris pro familiari copia faciendi assiduitate. Et alibi, *Assiduum* quasi per Antitheton opponit Prolectario. Ex quibus manifestius constat, quid sibi velit M. Tullius, quum in Topicis argumentum ex vi verbi sic assumi posse docet. *Quum lex Ælia Sanctia Assiduo assiduum vindicem esse jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim assiduus,* ait, *Ælius, appellatus est ab asse dando.* Pierius.

Resonat cantu.] Resonare facit. *Serv.*

Cantu.] Scilicet ad leniendum laborem telæ. Noti hac de re versus Ovidiani. Inde Pastor Eclog. 9. quærit cantum ad levandum iter:

Cantantes ut eamus ego hoc te fasce levabo.

Plutarchus adhibet initium musicæ non solum voluptatem, sed etiam dolorem. Hoc idem satis indicat Maximus dissert. 25. ubi ait multos non posse tolerare virtutem nisi τερετίζοντας, ϗ ψάλλοντας, *minurientes, & cantantes.* Vide, quæ jam ego lib. 1. Georg. ad illud,

Interea longum cantu solata laborem
Arguto conjux percurrit pectine telas.

Homerus quoque eandem Circen inducit canentem inter texendum:

Ω̃ φίλοι, ἔνδον γάρ τις ἐποιχομένη μέγαν ἱςὸν
Καλὸν ἀοιδιάει. —

Et de eadem:

Κίρκης δ' ἔνδον ἄκουον ἀειδούσης ὀπὶ καλῇ.

Sic & Claudian. l. 1. Rapt. de Proserpina lanificio occupata ait:

Ipsa domum tenero mulcens Proserpina cantu.

Ammianus *incentiones Circæas* dixit lib. 30. ad signandas incantationes. Horat. epist. 2. lib. 1. Circen vocat meretricem, cui fœminarum generi annexæ, ut plurimum, istæ cantiunculæ. Itaque, sive laboriosam consideres, sive incantatricem, sive meretricem, illi quadrat poëticus cantus. *Cerda.*

Superbis.] Nobilibus, propter antiquam magnitudinem. *Servius.*

13. *Odoratam.*] Pro *odoriferam.* Et hoc ideo, quia usus olei apud majores non fuit, præcipue in Italia. *Servius.*

Urit odoratam.] Vigilans & voce & odorato lumine, ad se incautos attrahere nitebatur. *Donatus.*

Cedrum.] Ut Cedrus tanquam oleo madens, incendia semper insidiis nutrit, ita & voce, id est, cantu insidiatur. *Idem.*

Nocturna in lumina cedrum.] Ex antiqua consuetudine dictum. Ignitabulum enim vel focum in mediis ædibus habebant, in quo tedas urebant luminis causa. Turneb. lib. 4. cap. 14. Et olei usum apud majores non fuisse, præcipue in Italia, monent Interpretes. *Taubmannus.*

Cedrum.] An Cedrus in deliciis fuerit Circes disputat Salmas. Plinian. exercit. p. 951. Cedri in Syria præstantissimæ teste Theophrasto l. 5. Plant. c. 9. *Emmeness.*

14. *Ar-*

Arguto tenuis percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iræque leonum
Vincla recuſantum & ſera ſub nocte rudentum:
Sætigerique ſues, atque in præſepibus urſi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie dea ſæva potentibus herbis
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum.

Quæ

14. *Arguto pectine.*] Garrulo, ſtridulo, ſonanti: ut, *Forte ſub arguta conſederat ilice Daphnis.* Servius.

Arguto tenuis.] Hic verſus fuit à Virg. in Georg. uſurpatus. *Argutum* autem *pectinem* vocare videtur Poëta, ut radium textorium Græci κερκίδα vocant, παρὰ τὸ κρέκειν, à ſtrepitu, quem inter texendum edit, ut ex Eurip. in Electra obſervavi: πρεσϐ. οὐκ ἔστιν εἰ καὶ γῆν κασίγνητος μολὼν κερκίδος ὅτῳ γνοίης ἂν ἐξύφασμα σῆς —— ἠλεκτ. εἰ δ' κἄκρεκον πέπλους, πῶς ἂν τότ' ὢν παῖς, τὸν ταυτ' ἂν ἔχῃ φάρη· ubi κρέκειν πέπλους ἐστὶ κερκίδι ὑφαίνειν. *Germanus.*

Percurrens pectine telas.] Aut manu percurrens: aut ictu pectinis, ut videmus. aut quia apud majores ſtantes texebant: ut hodie linteones videmus. Eſt autem Homeri, qui ait, ἱστὸν ἐποιχομένην. *Servius.*

15. *Gemitus iræque.*] Gemitus iraſcentium leonum: ἓν διὰ δυοῖν. *Idem.*

16. *Sera ſub nocte.*] Quaſi eo tempore, quo naturali libertate uti conſueverunt. *Sub ſera nocte*, per noctem ſeram. *Idem.*

Sera.] Cum omnes hanc ſyllabam producant, quid venit in mentem Tullio ſcribenti in Arat.

Occidit Andromache clarum caput, & ſera piſtrix.

Fortaſſis legendum; *fera.* Cerda.

Rudentum.] Naturaliter *ru* longa eſt. Perſius, *Findor ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.* Syſtolem ergo fecit. *Rudi tus* autem proprie eſt aſinorum clamor: ut *grunnitus*, porcorum: ranarum, *coax*: quæ nomina à ſono vocis conſtat eſſe compoſita. *Servius.*

17. *Sætigerique ſues.*] Ab Lucret. qui lib. 5.

Sætigerique pares ſuibus ſilveſtria membra.

Utitur Maro eodem epitheto lib. 11. & 12. loquens de ſuibus oblatis in ſacrum. *Suum* etiam meminit Nazianz. Carm. 50. attingens hanc fabulam ὅπως καὶ σύεσσιν ἀρήξῃ. *Cerda.*

Præſepibus.] Caveis, ubi aluntur. Non enim re vera præſepia habent. *Servius.*

19. *Dea ſæva.*] Aut per ſe, aut herbis potentibus ſæva. Circe autem ideo Solis fingitur filia, quia clariſſima meretrix fuit: & nihil eſt Sole clarius. Hæc libidine ſua, & blandimentis homines in ferinam vitam ab humana deducebat, ut libidini & voluptatibus operam darent. Unde datus eſt locus fabulæ apertæ. Horatius, *Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors.* Idem.

Potentibus herbis.] Harum origo tota à Circe; nam alioqui Italia benigniſſima terrarum fuit. Plin. lib. 25. cap. 2. *Certe quid non replevere fabulis Colchis Medea, aliæque, in primis Itala Circe, Diis etiam adſcripta? Unde arbitror natum, ut Æſchylus è vetuſtiſſimis in poëtica, refertam Italiam herbarum potentia proderet.* Cerda.

20. *Induerat.*] Silius lib. 2. *cui vultus induta pares*, & 1. Æneid. *pueri puer indue vultus.* Horat. quoque Od. 17. Epod. ad auram Maronis:

Setoſa duris exſuere pellibus
Laborioſi remiges Ulyſſei
Volente Circe membra.

Sed Virgilius ad Homeri auram, qui de Circe Odyſſ. 10. τοὺς αὐτὴ κατέθελξεν: quia

Quæ ne monſtra pii paterentur talia Troës
Delati in portus, neu litora dira ſubirent;
Neptunus ventis inplevit vela ſecundis:
Atque fugam dedit, & præter vada fervida vexit.
Jamque rubeſcebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis:

Cum

quia delinimento quodam dementabat homines, idque *potentibus herbis*, ait Virgilius. Homerus autem ἐπὶ κακὰ φάρμακ' ἔδωκεν, dabat videlicet bibenda venenata pocula. Sic à Maximo Tyrio diſſert. 6. vocatur γυνὴ φαρμακὶς, *mulier venefica.* Ab Ovid. Eleg. 1. lib. 3. de Pont. *vertendis nata figuris.* Cerda.

Induerat in vultus.] Reſpondent hæc phraſi Græcæ apud Platonem, ἐνδύεσθαι εἰς φύσιν τῶν θηρίων. Lucret. lib. 4. *induere ſe in fraudem* dixit. Corrumpebatur autem in illis tantum ſenſus: animus manebat idem: ut notat Servius. *Taubmannus.*

Circe.] Notes hic ab Horatio epiſt. 2. lib. 1. inflecti *Circam.* nam ubi vulgares codices legunt, *& Circes pocula noſti:* antiqui (quos ſequuntur jam docti) exhibent: *& Circæ pocula noſti.* Idem in Symmacho obſervavi epiſt. 47. l. 1. ubi ait, *ſuada Circæ pocula.* Cerda.

In vultus ac terga ferarum.] Corrumpebatur in illis ſenſus. Animus namque idem manebat.

Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς φωνήν τε τρίχας τε
Καὶ δέμας. αὐτὰρ νοῦς ἦν ἔμπεδος, ὡς τὸ πάρος περ. Servius.

In vultus ac terga ferarum.] Veteres quidam codices, *in vultus & terga* legunt. Sed *ac* magis placet: quia magis unit. *Pierius.*

Terga.] Ita Propert. Eleg. 5. lib. 4.
Et ſua nocturno fallere terga lupo.
Cerda.

In vultus ac terga ferarum.] *Ulyſſes in inſulam Æneariam evaſit ad Circen Solis filiam, quæ potione data homines in feras beſtias commutabat, &c.* vide Hygin. fab. 125. *Emmeneſſ.*

21. *Pii paterentur Troës.*] Ergo impii qui pertulerunt. Impii autem propter occiſa Solis armenta. *Servius.*

23. *Neptunus ventis inplevit vela ſ.*] Phyſice autem locutus eſt. Motu enim aquæ ventus creatur, ut videmus in bombis organorum. *Idem.*

Ventis inplevit vela ſecundis.] Eſt hoc quod Plutarchus in Catone dixit non longe ab initio, πλησίστιος φερόμενος. Euripides prius dixerat, ποδὸς πλησιστίους; ut hic *implevit:* ita Orpheus, ἰθείας ἀκάτου πλήρωσεν ἀήτης. *Cerda.*

24. *Præter vada fervida.*] Periculoſa navigantibus, & eſt Tmeſis. *Servius.*

26. *In roſeis fulgebat lutea bigis.*] *Lutea* eſt crocei coloris, ut, *Croceo mutabit vellera luto.* Unde multi jungunt *inroſeis*, id eſt, non rubicundis, ne ſit contrarium. Tamen ſecundum Homerum dictum eſt, qui interdum ῥοδοδάκτυλον, id eſt, roſei coloris digitos habentem, interdum κροκόπεπλον dicit Auroram: id eſt, crocei coloris veſte circundatam. *Idem.*

Aurora in roſeis, &c.] Unde Homero ῥοδοδάκτυλος ἠὼς, & κροκόπεπλος, & χρυσόθρονος eſt. *Taubm.*

Lutea.] Pacuvius in Thyeſte,
Non illic luteis aurora bigis.
Quis ſit hic color jam in Eclogis. Statius 2. Theb. dixit, *auroræ pallore.* Cerda.

Bigis.] Dat hic auroræ bigas, ut & Pacuvius jam adductus; & Val. 2. Arg.
— *Roſeis auroram ſurgere bigis.*
In 6. tamen Æneid. quadrigas aſſignavit,
Hac vice ſermonum roſeis aurora quadrigis
Jam medium æthereo curſu trajecerat axem.

Ab

Cum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ.
Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
Pro-

Ab Theocrito in Hyla aurora dicitur λευκίππος, ab equis splendentibus, quibus vehitur. Lycophron in Alexandro ait auroram vehi Πηγάσου πτεροῖς, *alis Pegasi*. Hom. Odyss. 23.

Ἠῶ πῶλοι ἄγουσι:
Auroram vehunt equi.

Quod videlicet 5. Æneid.

Auroram Phaëtontis equi jam luce vehebant. Cerda.

27. *Cum venti posuere.*] Cum ortu diei quievere. *Posuere* enim, quievere est: sicut contra, *ferre*, flare dicimus. ut, *Fieret vento mora nequa ferenti*, id est, flanti. *Servius.*

Posuere.] Subaudi, vel se, vel flatus. In primum inclino. Sic *præcipitat*, id est, præcipitat se, & alia innumera. Sic etiam Statium explico lib. 5.

Rauca Paretonio decedunt agmina Nilo,
Cum fera ponit hiems.

Id est, ponit se. Nisi quis in Virgilio, & Statio subaudiat, *freta*. Nam Horat. Od. 3. lib. 1. de Noto,

—— *tollere, seu ponere vult freta.*

Sidon. epist. 2. lib. 2. *flabra posuêre.* Noster in 10. Æn.

Tum Zephyri posuêre. ——

Cerda.

Venti posuere.] Id est, cessavere: Scal. l. 4. c. 16. De hac autem forma loquendi dictum ad illud 1. Æn. *Tum prora avertit:* & inprimis ad Plaut. Mil. act. 2. sc. 6. *iræ leniunt.* Vide & Agell. l. 18. c. 12. ita Cic. *terra movet*, pro *movetur*. Taubm.

Posuere.] Sic Ovid. Epist. 7. Heroid. *Jam venti ponent, &c.* Inter verba activa passive sive absolute usurpata Vechnerus l. 1. Hellenol. c. 12. numerat *ponere*. Quem vide. *Emmeness.*

Omnisque repente resedit Flatus.] Omnis, id est, & qui ripæ est, & qui pelagi, qui *altanus* vocatur. *Servius.*

Resedit flatus.] Sic Horat. l. 3. od. 3. *nostrisque ductum seditionibus bellum resedit*, hoc est, quievit. vide Torrent. *Emmeness.*

28. *Luctantur.*] Pari verbo 8. Æn.

—— *remo ut luctamen abesset.*

Cerda.

Tonsæ.] Remi dicti à decutiendis fluctibus: sicut *tonsores* à tondendis & decutiendis capillis. *Servius.*

Tonsæ.] Sunt remi, aut potius imæ remorum partes, quas vocant palmulas. Dicuntur tonsæ, non à tondendis fluctibus, quasi illis, ut ferro, tondeantur, quamvis hoc & Servius, & Festus: sed verius à tundendis fluctibus. Hoc enim aptius ad naturam remi. Græci aut κώπας, aut ἐρετμοὺς vocant; Lycophron σπάθας. Probe itaque *luctantur tonsæ*, apparet enim tanquam luctæ simulacrum inter remos, & aquam. Ea voce usi multi. Lucret. l. 2.

Antennas, proram, malos, tonsasque natantes.

Ennius ad explicandum conamen remigum: *referunt ad pectora tonsas.* Quem ita imitatur Silius lib. 11.

Et simul adductis percussa ad pectora tonsis.

Cerda.

Tonsæ.] Id est, remi. ut enim *remus* à radendo, (Scalig. lib. 4. cap. 16.) ita *tonsæ* à tondendo, id est, distringendo, vel etiam tundendo fluctus. Ennius de gestu remigantium:

Prona petunt: exin referunt ad pectora tonsas.

vide P. Merulam ibid. pag. 405. *Taubmannus.*

29. *Atque hic Æneas ing. &c.*] Sic autem lætus fuit Æneæ adventantis in Italiam ingressus, ut elementa ipsa obsequi, & aves gratulari viderentur. *Donatus.*

Lucum prospicit.] In quo erat fluminis nomen. Diximus enim nunquam sine religione esse lucum à Virgilio positum. *Servius.*

30. *Hunc*

Prospicit. hunc inter fluvio Tiberinus amœno,
Vorticibus rapidis & multa flavus arena,
In mare prorumpit. variæ circumque supraque
Adsuetæ ripis volucres & fluminis alveo
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis, terræque advertere proras
Impe-

30. *Hunc inter.*] Per hunc. Terentius, *Dum rus eo, cœpi egomet mecum inter vias.* Est autem crebra Frontonis elocutio. *Serv.*

Amœno.] Umbroso, silvis circundato. *Idem.*

31. *Vorticibus.*] In Romano codice, in Mediceo, & in plerisque aliis sane quam vetustis passim *verticibus* per *e* scriptum observes. Tametsi Caper, ut alibi diximus, differentiam interjicit. Sed enim Arusianus Messus non alia ratione *vortex* pro *vertex* scribi solitum tradit, quam *volnus*, pro *vulnus.* atque ita quoquo scribatur modo, idem significare. Quid vero contra Plinius, quid Sosipater tradant, in primo dictum eo versu, *Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.* Addam illud ex Quintiliano, ut Arusianum recte sensisse videamus, Quod *Vortices,* & *Vorsus* primo Scipio Africanus in *e* literam secundam vertisse dicitur. *Pier.*

Multa flavus arena.] Epitheton proprium. Et sciendum exitum Tiberini fluminis naturalem non esse, nisi circa Ostiam, ubi prima Æneas castra constituit. Nam aliter non procedit, quod ait: *Murorum in parte sinistra Opposuere aciem: nam dextra cingitur amni.* Postea enim in Laurolavinio castra fecit ingentia, quorum vestigia adhuc videntur. *Servius.*

Flavus arena.] Cur Tiberim hic & 9. Æn. ℣s. 816. *flavum* vocat, cum ob albicantes aquas *Albula* etiam diceretur? Respondent quidam, non tam attendendam vocabuli vim, quam transumptionem existimandam esse. Cum enim homines *flavi* pulchri videantur, ex eo dicunt factum esse, ut *flavum* etiam pulchrum significaret: cum & Hesychius ξανθὸν *flavum* & *pulchrum* interpretetur. Turneb. tamen l. 22. c.7. putat ob arenam ita vocari. *Flavum* Horatius etiam 1.Od.2. & lib.2. Od 3. appellat. *Taubm.*

Flavus arena.] Sic Ovid. l.14. Met. ℣s. 448.

In mare cum flava prorumpit Tibris arena.

vide Nobiliss. Heinsium, qui *flavum* hunc amnem pluri[illegible] docet. *Emmeness.*

32. *Prorumpit.*] Quia *vorticibus,* ideo *prorumpit.* Utraque enim voce apte signatur rapiditas. Sic 1.Æneid. *rapidus vortex.* Et quidem *prorumpit* majestate est plenum, quasi ipse fluvius viam sibi aperiat vel renitente mari. Fluvios, qui cum hac majestate mare adeunt, γενναιοτάτους vocat Maximus differt. 11. *generosissimos.* Nonnus l.22. ἐρεύγεται ἰνδὸς ὑδάτεσσιν. Inest majestas in voce: & de Asopo lib. 27. βαρύδουπος. Quod Poëta de vorticibus, idem Nonn. de eodem Hydaspi βαθυδίνεϊ κόλπῳ. Hac proruptione Poëta significat ostia fluminum, quæ Ovid. 2. Trist. vocat *egressus* loquens de Istro. *Cerda.*

33. *Adsuetæ ripis volucres.*] Bono compendio usus est. *Servius.*

34. *Æthera mulcebant cantu.*] Lenibant. Corporalia enim sunt elementa, ut diximus supra. Non enim mulcetur, nisi quod corporale est. Supra enim ait, *Totamque infusa per artus.* Idem.

Æthera mulcebant cantu.] Lucret. l.4. *Et mundi speciem violare serenam, Aëra mulcentes motu.* Germanus.

35. *Flectere.*] Ita in 5. *flecte viam.* & Ovid.

Imperat, & lætus fluvio ſuccedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit ſtatus, advena claſſem
Cum primum Auſoniis exercitus adpulit oris,

Expe-

& Ovid. in Triſt. *fleximus in lævum curſus.* Cerda.

Sociis.] In codicibus aliquot antiquis, *ſocios* accuſativo caſu legitur: quod minime diſplicet. *Pierius.*

Advertere proras.] Ita 4. Georg.
— *Terris feſtinem advertere proram.*
Dicit vero hoc Poëta ſui memor. Quippe in 2. Creuſa locum iſtum ſignaverat, Italiam prædicens:

Ad terram Heſperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virûm leni fluit agmine Tibris. Cerda.

36. *Succedit.*] Quaſi hoſpitio acceptus Æneas ab fluvio. Nam lib. 4.
Quis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?
Et lib. 3. *parvæ ſuccedimus urbi.* Ad imitationem Virgilii Silius lib. 1. inducit navem Saguntinorum adeuntem Italiam eodem loco, ad quem Trojana claſſis appellit:

Donec Laurentes puppis defertur ad oras,
Qua pater acceptis Anienis ditior undis
In pontum flavo deſcendit gurgite Tibris.

Ait Feſtus, Ænariam dictum locum, quo Æneas claſſem Troja adveniens appulit. Quod Latini *ſuccedere urbi, muro, fluvio*; Græci ad verbum προσομιλεῖν πόλει, τείχει, ποταμῷ. *Idem.*

Nunc age.] Hic eſt ſequentis operis initium. Antedicta enim ex ſuperioribus pendent. *Servius.*

Erato.] Vel pro Calliope, vel pro qualicunque Muſa poſuit ſane. *Idem.*

Nunc age, qui reges, Erato.] Videtur hoc principium deſumptum ex 3. Apoll. εἰ δ' ἄγε νῦν Ἐρατώ, παρ' ἔμ' ἵστασο, καί μοι ἔνισπε· ubi interpres τὴν Ἐρατὼ φασὶν ὄρχησιν εὑρηκέναι, οἱ λόγοι δὲ Ἀπολλώνιος μεμοιρᾶσθαι τὴν Ἐρατὼ φησὶ τῶν ἀφροδίτης ἐργῶν, λέγω δὴ τῶν γαμικῶν, γάμος δ' ἄρα καὶ ὄρχησις ἕπεται. Cujus Apollonii exemplo ne imperite & otioſe Virgilius videatur Erato hic invocaſſe, attendendum forſan eſt, ex Laviniæ nuptiarum procatione & ambitu, tanquam flabello, totum quod canendum Poëta ſuſcipit bellum, exarſiſſe: quamvis auctorem interpres laudet non vulgarem, qui contenderit, nihil intereſſe unam, an omnes Muſas invoces, quia πᾶσαι εἰσαΐουσι μιᾶς ὅτι τοὔνομα λέξεις. Poëta etiam in Epigr. ὅσσαι μοῦσαι καὶ οἷαι, nullas cantandi amoris partes Erato videtur attribuiſſe his verbis, ὕμνοις ἀθανάτων Ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρε. *Germanus.*

Quæ tempora rerum.] Quia, ut diximus ſupra, ſecundum Lucretium, tempora niſi ex rebus colligantur, per ſe nulla ſunt. *Servius.*

Tempora rerum.] Quia tempora, niſi ex rebus colligantur, per ſe nulla ſunt. Lucret. lib. 1.

Tempus item per ſe non eſt: ſed rebus ab ipſis
Conſequitur ſenſus, tranſactum quid ſit in ævo:
Tum quæ res inſtet; quid porro deinde ſequatur, &c. Taubm.

38. *Latio antiquo.*] Quia duo ſunt, vetus & novum: ſicut & in jure lectum eſt. *Servius.*

Fuerit.] In quibuſdam antiquis codicibus, *fuerat* legitur, exacta ſpecie. Sed *fuerit* magis placet. *Pierius.*

39. *Exercitus.*] Στόλον intellige; nam hic de navalibus copiis eſt ſermo. Itaque quæſivit vocem mediam Poëta reſpondentem Græcæ. Nam ſicut στόλος, quæ vox proprie ſignat *copias navales*, tamen etiam aliquando *terreſtres*, ut apud Arr. lib. 4. Sic *exercitus*, qui ſæpiſſime terreſtris eſt, à Poëta pro navali ſumitur. *Cerda.*

Adpu-

rix videris supremo officio conjungi meruisti. *Donatus.*

Tu quoque.] Simile exordium illud,

Te quoque magna Pales. ——

Et Columellæ:

Hortorum quoq; te cultus, Silvane, docebo.

Symposii:

Hæc quoque Symposius de carmine lusit inepto. Cerda.

Tu quoque litoribus, &c.] Homerus, primus ille doctrinarum & antiquitatis parens, Opus confecit librorum XLIIX. Et eorum quidem XXIV. Odysseæ titulo, speculum esse voluit βίȣ ϑεωρητικȣ̃, in persona Ulyssis: totidemque Iliados, titulo πρακτικȣ̃, in Achille. At noster Poëta, Latinorum sine exemplo maximus, omnia XII. libris, atque in uno Ænea, complexus est. Quorum quidem sex, qui imaginem Odysseæ possident, hactenus absolvimus; explicaturi deinceps etiam reliquos: qui, ut illi in personarum & allocutionum varietate graviores sunt; ita hi in negotiis validiores, & vere tragici: omnes enim in cædibus positi sunt. Quam variis tamen condimentis unius & ejusdem cibi fastidium levarit Poëta, per suas partes ordine docuit Scaliger lib. 3. cap. 9. Poëtices. *Taubmannus.*

Tu quoque.] Recte hæc particula, quod ad tempus separatum est, hic copulat. medio enim de Inferis tractu sublato, versus hic Miseni exsequiis (Æn. 6. ℣s. 235.) jungitur, facitque integram orationem. Sicut autem ibidem *Misenus* & post (℣s. 381. dictum est.) *Palinurus* nomina fecere promontoriis, in quibus sepulti sunt; ita nutrix Æneæ *Cajeta* huic portui nomen indidit. Alii tamen hunc portum ἀπὸ τȣ̃ καίειν dictum censent, quod classis Trojana casu ibidem sit incensa. Strabo autem à *civitate*: quod Lacones curva appellent *cajeta*. Idem.

Litoribus.] Quod *litus* ubique simplici *t* scripserim, id me movit, quod in antiquioribus codicibus ita scriptum inveni. Et vetera quædam monumenta nomen id unico *t* notatum ostendunt: ut illud apud ædem D. Laurentii in Lucina,

Litore Phocaico pelagi vi exanimatus.

Non enim abraduntur, aut transcribuntur marmora veluti codices. Præterea uti per unum *t* scribatur, deposcere videtur analogia. sive à *Lido lidis* forte descendat: quippe quod assidue fluctibus illidatur, sive ut multi volunt, à *Lino.* Nam litus est ex M. Tullii Arbitri sententia, quousque maximus fluctus à mari provenit. Ti. Donatus aliquanto simplicius, ubi aqua maris finitur, ita & finis terræ, quæ litore jungitur: ideoque alibi dixit Virgilius, *Navis sicco litore subductas*, quia est, & udum litus. Sed hoc etiam animadvertendum tris continuos versus vocabulum idem repetere,

Tum se ad Cajetæ recto fert litore portum.

Anchora de prora jacitur, stant litore puppes:

Tu quoque litoribus nostris Æneia nutrix.

Quod siquis tertium hoc nihil facere ad superiora dixerit, quia sit alterius libri principium: videant unum esse corpus totam Æneida, duodecim veluti membris compactum: neque ita ut in Georgicis eterogeneum, quod ibi ostendunt prooemia distinctas materias, argumentaque dissimilia dividentia, Agrorum quippe cultum, Arborum naturam, Armentorum curam, Apum studium. At Æneis uno tantum comprehenditur argumento, De rebus ab Ænea gestis, librique ipsi ita invicem colligati sunt, ut verborum etiam structura uniuscujusque finem cum alterius principio connectat. Hinc omnes conticuere: quamprimum audivere Dido poscere ab Ænea, ut ab origine prima ederet insidias Danaum, casusque suorum. Et postquam jam non spes opis ulla dabatur, Resque Asiæ, Priamique gens, superbumque Ilium, & omnis Troja conciderat, Diversa exilia, & desertas quærere terras dis auspicibus coactus est Æneas. Qui ad finem usque tertii libri Fata renarrabat Divom cursusque docebat. At Regina gravi jam-

Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signant.

At

jamdudum saucia cura Vulnus alit venis. Cui dum Iris Junonis jussu dextra crinem secat, omnis & una dilapsus calor, atque in ventos vita recedit: Interea medium Æneas jam classe tenebat Certus iter. Qui Palinuro mox in mare excusso, quum amisso fluitantem errare magistro navem sensisset, animum concussus amici casu, Sic Fatur lacrimans. O nimium cœlo & pelago confise sereno, Nudus in ignota Palinure jacebis harena. Ab Avernis inde quum se ad Cajetæ portum recto litore tulisset, arrepta tellure, dum interim stant litore puppes, Nutrix ejus Cajeta æternam moriens litoribus nostris famam dedit. Atque ita libri reliqui invicem connectuntur. *Pierius.*

Nostris.] Hoc est, Italicis: ut, *Non eadem arboribus pendet vindemia nostris.* Non, ut Donatus ait, in comparationem Oceani navigabilibus. *Servius.*

Nostris.] Italis. ergo ibi est sepulta, ubi ipse cum suis esset regnaturus. Honoratur ergo à loco. *Donatus.*

Æneïa nutrix.] Hanc alii Æneæ, alii Creusæ, alii Ascanii nutricem volunt. Lectum tamen est in Philologis in hoc loco classem Trojanorum casu concrematam. Unde Cajeta dicta est, ἀπὸ τῦ χαίειν. *Servius.*

Æneïa nutrix.] Hujus etiam meminit Ovid. l. 14. Metam. ℣s. 441.

—— *urnâque Æneïa nutrix*
Condita marmorea, tumulo breve carmen habebat:
Hic me Cajeten notæ pietatis alumnus
Ereptam Argolico, quo debuit igne, cremavit.

sic l. 15. ℣s. 716. *Emmeness.*

2. *Æternam moriens.*] Argumentum à contrario. nam crevit fama, cum deberet morte minui. *Donatus.*

3. *Nunc.*] Etiam his temporibus, quo hæc scribuntur. *Idem.*

Servat.] Tenet, possidet: ut, *Servantem ripas, alta non vidit in herba.* Servius.

Et nunc servat honos sedem tuus.] Nunc etiam, quando hæc scribo, contemplatione honoris tui, quæ Æneæ Imperii Rom. conditoris nutrix fuisti, honos illi loco defertur. Alii per hypallag. exponunt: Sedes servat possidetque honorem, & tumulus nomen tuum. *Sedes* pro sepulchro etiam 6. Æneid. ℣s. 153. *Taubm.*

4. *Hesperia in magna.*] Propter Hispaniæ discretionem. *Servius.*

Si qua est ea gloria.] Secundum Epicureos. Bene autem interest funeri, postquam ab Inferis rediit: sicut interfuit ante quam descenderet, ut medium actum ostenderet. *Idem.*

Si qua est gloria.] Sciebat nihil sentire mortuos, sed ut satis faceret religioni. *Donatus.*

Si qua est ea gloria.] Ex eorum sensu, qui nullum sensum officiorum funebrium ad mortuos pervenire ajunt. Fecerit igitur hoc Æneas, ut religioso in nutricem suam affectui satisfaceret. Porro de quattuor horum versuum dignitate cum simplici, tum figurata, videatur Scalig. l. 4. c. 16. Poët. *Taubm.*

Ossaque nomen signant.] Turneb. l. 21. c. 22. dictum censet, quod sepulchra quædam sint sine nomine ignobilium capitum & ingloriorum. at vero Cajetæ sepulchrum memorabile fuerit posteritati nomenque habuerit. Sic & Ovid. 12. Met.

—— *tumulo quoque nomen habenti*
Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.

Nisi potius de nominis inscriptione capiendum, quod in tumulo incidebatur. quod non item in vilium & ignobilium hominum bustis fieri solebat. *Idem.*

Ossaque nomen signant.] Salmas. Plin. exercit. p. 1220. Maronem ad Homeri versum allusisse monet,

At pius exſequiis Æneas rite ſolutis,
Aggere conpoſito tumuli, poſtquam alta quiêrunt
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Adſpirant auræ in noctem, nec candida curſus
Luna negat: ſplendet tremulo ſub lumine pontus.

Proxi-

Τύμβος τε, στήλη τε, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

ſignanterque locutum; nam Græci ſepulchrum non tantum *μνῆμα*, ſed & *σῆμα* vocant. Homer. Iliad. φ. vſ. 322. *σῆμα τετεύξεται.* ſepulcrum igitur vel extitit, vel titulus, qui in Cajetæ monimento olim erat inſcriptus, ad tempora Virgilii & ultra, Cajetæ ſepulcrum ſignabat. De titulis ſepulcrorum videndus Gutherius de Jure Manium lib. 2. c. 26. Kirchm. l. 3. c. 19. *Emmeneſſ.*

5. *Exſequiis.*] *Exſequi*, pro funerare, Cic. etiam 1. Tuſc. dixit. unde *exſequiæ.* quod multi cadaver ejus, qui efferebatur, ſequebantur. *ἐντάφια* Græcis, *Turneb.* lib. 9. cap. 18. *Taubmannus.*

6. *Aggere conpoſito t.*] Dictum ex Græcorum conſuetudine, qui *τάφον χώσαντες* dicunt. *Exaggerare* autem terram ſolebant, & quo altius educebatur, eo honorificum magis erat. atque à tumore illo terræ, nomen *tumulis* partum eſt. Turneb. l. 4. c. 14. *Taubm.*

Aggere conp. t.] Ficinus pereruditus Platonis interpres *χῶμα* nominat *aggerem* ſepulcri. Cicero *ſepulcrum* ipſum. Vide Guther. de jure Manium l. 2. c. 22. *Emmeneſſ.*

Quierunt.] Hebrus *quierant* legit. *Servius.*

7. *Tendit iter velis.*] Quia prout vela extenſa fuerint, ita etiam curſus extenditur, in quo navis eſt iter. Nam ait ſupra, *Flecte viam velis.* Et aliud eſt *iter velis tendere:* aliud *per vela iter.* Et multi dicunt improprie dictum, multi nimium proprie. Conſtat tamen ſecundum illud dictum, quod ait, *Flecte viam velis.* Quod ſi dicimus, bene procedit. Et, *tende viam velis;* ut in ipſis velis ratio ſit viæ. *Idem.*

Tendit iter.] Hic plenam habes conſtructionem, pro qua ſimpliciter *tendere.* Vide Sanctii Min. p. 310. *Emm.*

Relinquit.] Non placet *reliquit* tempore præterito, ut codices plerique veteres habent. Nam & *Tendit*, & *aſpirant*, præſentia ſunt. *Pierius.*

8. *Adſpirant auræ in noctem.*] Quia, ut diximus, temporum mutatione ventus vel minuitur vel augetur. *In noctem* autem, circa noctem. Et quotiens tempus exprimitur, accuſativum regit iſta præpoſitio. *Servius.*

Adſpirant auræ in noctem.] Ad verbum Apollon. 1. Arg. *ἐπιπνείουσιν ἀῆται.* Sed cur *in noctem*? Erutum hoc ex Philoſophia, ut docet Ariſtotel. l. 2. Meteor. cap. 5. *Nam Sol* (inquit ille) *καταπαύει πνεύματα, compeſcit flatus;* qui ſolent excitari nocte adventante: cum enim maceret halitum, facit ut auræ conquieſcant. Vide plura in illo. Unde & Plutarchus de Iſid. & Oſirid. loquens de aëre, *νύκτωρ πυκνοῦται, noctu denſatur.* Notat etiam Germ. crebram eſſe mentionem apud Cæſarem nocturnæ auræ in navigatione. *Cerda.*

9. *Luna negat.*] Liptotes. Nam dicit, large præſtat: ut, *Munera nec ſperno.* Servius.

Tremulo ſub lumine.] Ita enim mobilitas aquæ facit videri. *Idem.*

Tremulo ſub lumine.] Perelegantер & è proprietate luminis ſtellarum tremuli, Lucretius etiam ſplendorem illarum vocabat *tremorem.*

Dum tremor eſt clarus, dum cernitur ardor eorum.

Ita idem *tremulum jubar Solis*, dixit; item *tremorem Solis*, & *tremulos Solis ignes:* & *ignis tremorem*, id eſt, micationem. nam eidem & *tremor* motus eſt, Gr. *τρόμος*; & *tremere*, moveri.

Ita

Proxima Circææ raduntur litora terræ:
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos

Assi-

Ita Propert.

Armorum radiis picta tremebat aqua.

Sic & Cic. in 2. Consulatu dixit:

— claro tremulos ardore cometas.

Macrob. lib. 6. cap. 4. Turneb. lib. 6. cap. 6. Gifan. Indice Lucret. *Taubm.*

Splendet, &c.] Sic Horat. l. 2. od. 5.

— Albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari. Emmenesf.

10. *Circææ raduntur litora terræ.*] Ut diximus supra, mons iste antehac insula fuit. Paludibus enim à continenti segregabatur: quas exclusit limus de Albanis montibus fluens. Et dicebatur *Ææus* ab horrore transeuntium, quo homines mutabantur in feras. In hoc summo oppidum fuit, quod & *Circæum* dictum & *Circæi*. Nam utrumque Livius dicit. *Servius.*

Circææ terræ.] Mela l. 2. c. 5. nominat *domum Circes* aliquando *Circejos*. de quo oppido Liv. l. 2. c. 39. Ea loca ut fugeret Æneas monetur l. 14. Metam. vs. 247. plura de Circejis terris Cluver. l. 3. ant. Ital. c. 7. & Theophrastus hist. plant. l. 5. c. 9. *Emmenesf.*

Raduntur litora.] Verbum nauticum, ut apparet ex hoc loco, & ex l. 3. ubi,

— Projectaque saxa Pachyni
Radimus. —

Et ex 5. ubi de nave certantium,

Radit iter lævum interior. —

Itaque Lucretius à mari locutionem accepit, cum scripsit lib. 4.

Scilicet expletis quoque janua raditur oris.

Flumina etiam dicuntur *radere litora*, pro stringere, Græci σφιγκλεῖν dicunt: & Apoll. lib. 4.

— ποταμοῦ παραμείβετον ὄχθας.

Itaque proprie dicuntur *radi* litora, arenæ, cautes. Omnino quod in 5.

— Stringat sine palmula cautes.

Et quod Horat. Od. 10. lib. 1.

Nimium premendo
Litus iniquum. Cerda.

11. *Dives.*] Non addidit cujus rei, cum soleat: ut, *Dives equûm, dives pictaï vestis & auri.* Servius.

Inaccessos.] Inaccessibiles, inaccedendos. Nam Ulysses illuc venit. Ergo *inaccessos*, ad quos nullus debeat accedere: ut, *Aut illaudati nescit Busiridis aras:* hoc est, illaudabilis. Nam ab Isocrate constat esse laudatum. *Idem.*

Solis filia.] Circen Solis filiam etiam facit Hesiodus in Theog. & Cicer. l. 3. de Nat. & ante illos Homer. Odyss. 10. Porro Virgiliano hoc loco deceptus Plinius l. 13. c. 16. accipit Homeri versus, quos jam adhibui de Circe, cum Græcus tamen de Calypsone scripserit. Redeo. Interpres Apollonii. Κίρκην τινὲς μὲν Αἰήτου ἀδελφὴν, τινὲς δὲ θυγατέρα φασὶν εἶναι: *Circen alii Æetæ sororem faciunt, alii filiam.* Hom. Od. sororem facit. Adducit deinde prædictus interpres Dionysium Milesium, qui scribit, Circen vere fuisse filiam Æetæ, ac proinde sororem Medeæ; assignatque illi matrem Hecaten filiam Persei. Hoc verosimilius. Poëtæ tamen filiam faciunt Solis, fortasse, quia magica omnia vim à Sole capiunt. Diodorus l. 5. narrat Solis fuisse duos liberos, Æetan, & Persen, Æetan regnasse in Colcho, Persen in Taurica, utrumque efferum. Ex Perse ortam Hecaten doctissimam maleficiorum, quæ, sublato Patre, Æetæ nupsit, ex quo genuit filias duas; Circen, & Medeam: filium unum Ægialeum. Hæc ille multis. Homerus tamen Persen ipsam facit matrem Circes: μητρὸς ἐκ Πέρσης. De loco, ubi Circe habitavit, quam Poëta, & alii vocant insulam, ait Dionys. lib. 4. Antiq. fuisse rupem instar peninsulæ in mari Tyrrheno. Non multum abeunt quæ lib. 5. Diodorus scribit. Arist. περὶ θαυμασίων. meminit montis circa Italiam, quem vocat Circæum, ubi ait nasci venenum mortiferum. *Cerda.*

Aſſiduo reſonat cantu, tectiſque ſuperbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,

Arguto

12. *Aſſiduo.*] In Romano codice, *adſiduo* per *d* ſcriptum eſt. Eos vero reprehendit Caper, qui *aſſeduus* proferre malebant: quod eadem litera *e* in *ſedeo* primitivo reperiatur: dici enim *adſideo* notat. unde *adſiduus*. Contra cujus ſententiam Fl. Soſipater, *adſiduus*, ait, quidam per *d* ſcribunt, quaſi ſit à *ſedendo* figuratum, ſed errant. Nam quum à Servio Tullio populus in quinque claſſes diviſus eſſet, ut tributum, prout quiſque poſſideret, inferret: ditiores, qui aſſes dabant, *aſſidui* dicti ſunt. Et quoniam ſoli negotiis publicis frequentes aderant, eos qui frequenter adſunt, *aſſiduos* ab aſſibus dixerunt. Hinc ait Gellius, *Aſſiduum* in duodecim tabulis & pro locuplete & facile munus faciente, dictum ab aſſibus, id eſt, ære dando, quum id tempora Reipub. poſtularent, aut à muneris pro familiari copia faciendi aſſiduitate. Et alibi, *Aſſiduum* quaſi per Antitheton opponit Proletario. Ex quibus manifeſtius conſtat, quid ſibi velit M. Tullius, quum in Topicis argumentum ex vi verbi ſic aſſumi poſſe docet. *Quum lex Ælia Sentia Aſſiduo aſſiduum vindicem eſſe jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim aſſiduus*, ait, *Ælius*, *appellatus eſt ab aſſe dando.* Pierius.

Reſonat cantu.] Reſonare facit. *Serv.*

Cantu.] Scilicet ad leniendum laborem telæ. Noti hac de re verſus Ovidiani. Inde Paſter Eclog. 9. quærit cantum ad levandum iter:

Cantantes ut eamus ego hoc te faſce levabo.

Plutarchus adhibet initium muſicæ non ſolum voluptatem, ſed etiam dolorem. Hoc idem ſatis indicat Maximus diſſert. 25. ubi ait multos non poſſe tolerare virtutem niſi τερετίζοντας, καὶ ψάλλοντας, *minurientes, & cantantes.* Vide, quæ jam ego lib. 1. Georg. ad illud,

Interea longum cantu ſolata laborem
Arguto conjux percurrit pectine telas.

Homerus quoque eandem Circen inducit canentem inter texendum:

Ὦ φίλοι, ἔνδον γάρ τις ἐποιχομένη μέγαν ἱστὸν
Καλὸν ἀοιδιάει. —

Et de eadem:

Κίρκης δ' ἔνδον ἄκουον ἀειδούσης ὀπὶ καλῇ.

Sic & Claudian. l. 1. Rapt. de Proſerpina lanificio occupata ait:

Ipſa domum tenero mulcens Proſerpina cantu.

Ammianus *incentiones Circæas* dixit lib. 30. ad ſignandas incantationes. Horat. epiſt. 2. lib. 1. Circen vocat meretricem, cui fœminarum generi annexæ, ut plurimum, iſtæ cantiunculæ. Itaque, ſive laborioſam conſideres, ſive incantatricem, ſive meretricem, illi quadrat poëticus cantus. *Cerda.*

Superbis.] Nobilibus, propter antiquam magnitudinem. *Servius.*

13. *Odoratam.*] Pro *odoriferam.* Et hoc ideo, quia uſus olei apud majores non fuit, præcipue in Italia. *Servius.*

Urit odoratam.] Vigilans & voce & odorato lumine, ad ſe incautos attrahere nitebatur. *Donatus.*

Cedrum.] Ut Cedrus tanquam oleo madens, incendia ſemper inſidiis nutrit, ita & voce, id eſt, cantu inſidiatur. *Idem.*

Nocturna in lumina cedrum.] Ex antiqua conſuetudine dictum. Ignitabulum enim vel focum in mediis ædibus habebant, in quo tedas urebant luminis cauſa. Turneb. lib. 4. cap. 14. Et olei uſum apud majores non fuiſſe, præcipue in Italia, monent Interpretes. *Taubmannus.*

Cedrum.] An Cedrus in deliciis fuerit Circes diſputat Salmaſ. Plinian. exercit. p. 951. Cedri in Syria præſtantiſſimæ teſte Theophraſto l. 5. Plant. c. 9. *Emmeneſſ.*

14. *Ar-*

Arguto tenuis percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iræque leonum
Vincla recusantum & sera sub nocte rudentum:
Sætigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum.

Quæ

14. *Arguto pectine.*] Garrulo, stridulo, sonanti: ut, *Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.* Servius.

Arguto tenuis.] Hic versus fuit à Virg. in Georg. usurpatus. *Argutum* autem *pectinem* vocare videtur Poëta, ut radium textorium Græci κερκίδα vocant, παρὰ τὸ κρέκειν, à strepitu, quem inter texendum edit, ut ex Eurip. in Electra observavi: πρέσβ. οὐκ ἔστιν εἰ καὶ γῆν κασίγνητος μολὼν κερκίδος ὅτῳ γνοίης ἂν ἐξύφασμα σῆς —— ἠλεκτ. εἰ δὲ κἀνοίκον πέπλους, πῶς ἂν τότ᾽ ὢν παῖς, νῦν ταῦτ᾽ ἂν ἔχῃ φάρη· ubi κρέκειν πέπλους ἐστὶ κερκίδι ὑφαίνειν. *Germanus.*

Percurrens pectine telas.] Aut manu percurrens: aut ictu pectinis, ut videmus. aut quia apud majores stantes texebant: ut hodie linteones videmus. Est autem Homeri, qui ait, ἱστὸν ἐποιχομένην. *Servius.*

15. *Gemitus iræque.*] Gemitus irascentium leonum: ἓν διὰ δυοῖν. *Idem.*

16. *Sera sub nocte.*] Quasi eo tempore, quo naturali libertate uti consueverunt. *Sub sera nocte*, per noctem seram. *Idem.*

Sera.] Cum omnes hanc syllabam producant, quid venit in mentem Tullio scribenti in Arat.

Occidit Andromache clarum caput, & sera pistrix.

Fortassis legendum; *fera.* Cerda.

Rudentum.] Naturaliter *ru* longa est. Persius, *Findor ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.* Systolem ergo fecit. *Ruditus* autem proprie est asinorum clamor: ut *grunnitus*, porcorum: ranarum, *coax*: quæ nomina à sono vocis constat esse composita. *Servius.*

17. *Sætigerique sues.*] Ab Lucret. qui lib. 5.

Sætigerique pares suibus silvestria membra.

Utitur Maro eodem epitheto lib. 11. & 12. loquens de suibus oblatis in sacrum. *Suum* etiam meminit Nazianz. Carm. 50. attingens hanc fabulam ὅπως καὶ σύες ... ἀρήξῃ. *Cerda.*

Præsepibus.] Caveis, ubi aluntur. Non enim re vera præsepia habent. *Servius.*

19. *Dea sæva.*] Aut per se, aut herbis potentibus sæva. Circe autem ideo Solis fingitur filia, quia clarissima meretrix fuit: & nihil est Sole clarius. Hæc libidine sua, & blandimentis homines in ferinam vitam ab humana deducebat, ut libidini & voluptatibus operam darent. Unde datus est locus fabulæ apertæ. Horatius, *Sub domina meretrice fuisset turpis & excors.* Idem.

Potentibus herbis.] Harum origo tota à Circe; nam alioqui Italia benignissima terrarum fuit. Plin. lib. 25. cap. 2. *Certe quid non replevere fabulis Colchis Medea, aliæque, in primis Itala Circe, Diis etiam adscripta? Unde arbitror natum, ut Æschylus è vetustissimis in poëtica, refertam Italiam herbarum potentia proderet.* Cerda.

20. *Induerat.*] Silius lib. 2. *cui vultus induta pares.* & 1. Æneid. *pueri puer indue vultus.* Horat. quoque Od. 17. Epod. ad auram Maronis:

Setosa duris exsuere pellibus
Laboriosi remiges Ulyssei
Volente Circe membra.

Sed Virgilius ad Homeri auram, qui de Circe Odyss. 10. τοὺς αὐτὴ κατέθελξεν:

quia

Quæ ne monstra pii paterentur talia Troës
Delati in portus, neu litora dira subirent;
Neptunus ventis inplevit vela secundis:
Atque fugam dedit, & præter vada fervida vexit.
Jamque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:

Cum

quia delinimento quodam dementabat homines, idque *potentibus herbis*, ait Virgilius. Homerus autem ἐπὶ κακὰ φάρμακ' ἔδωκεν, dabat videlicet bibenda venenata pocula. Sic à Maximo Tyrio dissert. 6. vocatur γυνὴ φαρμακὶς, *mulier venefica*. Ab Ovid. Eleg. 1. lib. 3. de Pont. *vertendis nata figuris*. Cerda.

Induerat in voltus.] Respondent hæc phrasi Græcæ apud Platonem, ἐνδύεσθαι εἰς φύσιν τῶν θηρίων. Lucret. lib. 4. *induere se in fraudem* dixit. Corrumpebatur autem in illis tantum sensus: animus manebat idem: ut notat Servius. *Taubmannus.*

Circe.] Notes hic ab Horatio epist. 2. lib. 1. inflecti *Circam*. nam ubi vulgares codices legunt, *& Circes pocula nosti*: antiqui (quos sequuntur jam docti) exhibent: *& Circæ pocula nosti*. Idem in Symmacho observavi epist. 47. l. 1. ubi ait, *suada Circæ pocula*. Cerda.

In voltus ac terga ferarum.] Corrumpebatur in illis sensus. Animus namque idem manebat.

Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς φωνήν τε ψυχάς τε
Καὶ δέμας. αὐτὰρ νοῦς ἦν ἔμπεδος, ὡς τὸ πάρος περ. *Servius.*

In voltus ac terga ferarum.] Veteres quidam codices, *in voltus & terga* legunt. Sed *ac* magis placet: quia magis unit. *Pierius.*

Terga.] Ita Propert. Eleg. 5. lib. 4.
Et sua nocturno fallere terga lupo.
Cerda.

In voltus ac terga ferarum.] *Ulysses in insulam Ænariam evasit ad Circen Solis filiam, quæ potione data homines in feras bestias commutabat, &c.* vide Hygin. fab. 125. *Emmeness.*

21. *Pii paterentur Troës.*] Ergo impii qui pertulerunt. Impii autem propter occisa Solis armenta. *Servius.*

23. *Neptunus ventis inplevit vela s.*] Physice autem locutus est. Motu enim aquæ ventus creatur, ut videmus in bombis organorum. *Idem.*

Ventis inplevit vela secundis.] Est hoc quod Plutarchus in Catone dixit non longe ab initio, πλησίστιος φερόμενος. Euripides prius dixerat, ποδὸς πλησιστίους; ut hic *implevit*: ita Orpheus, ὀθόνας ἀκάτου πλήρωσεν ἀήτης. *Cerda.*

24. *Præter vada fervida.*] Periculosa navigantibus, & est Tmesis. *Servius.*

26. *In roseis fulgebat lutea bigis.*] *Lutea* est crocei coloris, ut, *Croceo mutabit vellera luto*. Unde multi jungunt *inroseis*, id est, non rubicundis, ne sit contrarium. Tamen secundum Homerum dictum est, qui interdum ῥοδοδάκτυλον, id est, rosei coloris digitos habentem, interdum κροκόπεπλον dicit Auroram: id est, crocei coloris veste circundatam. *Idem.*

Aurora in roseis, &c.] Unde Homero ῥοδοδάκτυλος ἠὼς, & κροκόπεπλος, & χρυσόθρονος est. *Taubm.*

Lutea.] Pacuvius in Thyeste,
Non illic luteis aurora bigis.
Quis sit hic color jam in Eclogis. Statius 2. Theb. dixit, *auroræ pallore*. Cerda.

Bigis.] Dat hic auroræ bigas, ut & Pacuvius jam adductus; & Val. 2. Arg.
— *Roseis auroram surgere bigis.*
In 6. tamen Æneid. quadrigas assignavit,
Hac vice sermonum roseis aurora quadrigis
Jam medium æthereo cursu trajecerat axem.

Ab

Cum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ.
Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
Pro-

Ab Theocrito in Hyla aurora dicitur λευκίππος, ab equis splendentibus, quibus vehitur. Lycophron in Alexandro ait auroram vehi Πηγάσου πτεροῖς, *alis Pegasi*. Hom. Odyss. 23.

Ἠῶ πῶλοι ἄγουσι:
Auroram vehunt equi.

Quod videlicet 5. Æneid.

Auroram Phaëtontis equi jam luce vehebant. Cerda.

27. *Cum venti posuere.*] Cum ortu diei quievere. *Posuere* enim, quievere est: sicut contra, *ferre*, flare dicimus. ut, *Fieret vento mora nequa ferenti*, id est, flanti. *Servius.*

Posuere.] Subaudi, vel se, vel flatus. In primum inclino. Sic *præcipitat*, id est, præcipitat se, & alia innumera. Sic etiam Statium explico lib. 5.

Rauca Paretonio decedunt agmina Nilo,
Cum fera ponit hiems.

Id est, ponit se. Nisi quis in Virgilio, & Statio subaudiat, *freta*. Nam Horat. Od. 3. lib. 1. de Noto,

—— *tollere, seu ponere vult freta.*

Sidon. epist. 2. lib. 2. *flabra posuêre.* Noster in 10. Æn.

Tum Zephyri posuêre. ——

Cerda.

Venti posuere.] Id est, cessavere: Scal. l. 4. c. 16. De hac autem forma loquendi dictum ad illud 1. Æn. *Tum prora avertit*: & inprimis ad Plaut. Mil. act. 2. sc. 6. *iræ leniunt*. Vide & Agell. l. 18. c. 12. ita Cic. *terra movet*, pro *movetur*. Taubm.

Posuere.] Sic Ovid. Epist. 7. Heroid. *Jam venti ponent, &c.* Inter verba activa passive sive absolute usurpata Vechnerus l. 1. Hellenol. c. 12. numerat *ponere*. Quem vide. *Emmeness.*

Omnisque repente resedit Flatus.] Omnis, id est, & qui ripæ est, & qui pelagi, qui *altanus* vocatur. *Servius.*

Resedit flatus.] Sic Horat. l. 3. od. 3. *nostrisque ductum seditionibus bellum resedit*, hoc est, quievit. vide Torrent. *Emmeness.*

28. *Luctantur.*] Pari verbo 8. Æn.

—— *remo ut luctamen abesset.*

Cerda.

Tonsæ.] Remi dicti à decutiendis fluctibus: sicut *tonsores* à tondendis & decutiendis capillis. *Servius.*

Tonsæ.] Sunt remi, aut potius imæ remorum partes, quas vocant palmulas. Dicuntur tonsæ, non à tondendis fluctibus, quasi illis, ut ferro, tondeantur, quamvis hoc & Servius, & Festus: sed verius à tundendis fluctibus. Hoc enim aptius ad naturam remi. Græci aut κώπας, aut ἐρετμοὺς vocant; Lycophron σπάθας. Probe itaque *luctantur tonsæ*, apparet enim tanquam luctæ simulacrum inter remos, & aquam. Ea voce usi multi. Lucret. l. 2.

Antennas, proram, malos, tonsasque natantes.

Ennius ad explicandum conamen remigum: *referunt ad pectora tonsas.* Quem ita imitatur Silius lib. 11.

Et simul adductis percussa ad pectora tonsis.

Cerda.

Tonsæ.] Id est, remi. ut enim *remus* à radendo, (Scalig. lib. 4. cap. 16.) ita *tonsæ* à tondendo, id est, distringendo, vel etiam tundendo fluctus. Ennius de gestu remigantium:

Prona petunt: exin referunt ad pectora tonsas.

vide P. Merulam ibid. pag. 405. *Taubmannus.*

29. *Atque hic Æneas ing. &c.*] Sic autem lætus fuit Æneæ adventantis in Italiam ingressus, ut elementa ipsa obsequi, & aves gratulari viderentur. *Donatus.*

Lucum prospicit.] In quo erat fluminis nomen. Diximus enim nunquam sine religione esse lucum à Virgilio positum. *Servius.*

30. *Hunc*

Prospicit. hunc inter fluvio Tiberinus amœno,
Vorticibus rapidis & multa flavus arena,
In mare prorumpit. variæ circumque supraque
Adsuetæ ripis volucres & fluminis alveo
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis, terræque advertere proras
Impe-

30. *Hunc inter.*] Per hunc. Terentius, *Dum rus eo, cœpi egomet mecum inter vias.* Est autem crebra Frontonis elocutio. *Serv.*

Amœno.] Umbroso, silvis circundato. *Idem.*

31. *Vorticibus.*] In Romano codice, in Mediceo, & in plerisque aliis sane quam vetustis passim *verticibus* per *e* scriptum observes. Tametsi Caper, ut alibi diximus, differentiam interjicit. Sed enim Arusianus Messus non alia ratione *vortex* pro *vertex* scribi solitum tradit, quam *volnus*, pro *vulnus*. atque ita quoquo scribatur modo, idem significare. Quid vero contra Plinius, quid Sosipater tradant, in primo dictum eo versu, *Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.* Addam illud ex Quintiliano, ut Arusianum recte sensisse videamus, Quod *Vortices*, & *Vorsus* primo Scipio Africanus in *e* literam secundam vertisse dicitur. *Pier.*

Multa flavus arena.] Epitheton proprium. Et sciendum exitum Tiberini fluminis naturalem non esse, nisi circa Ostiam, ubi prima Æneas castra constituit. Nam aliter non procedit, quod ait: *Murorum in parte sinistra Opposuere aciem: nam dextra cingitur amni.* Postea enim in Laurolavinio castra fecit ingentia, quorum vestigia adhuc videntur. *Servius.*

Flavus arena.] Cur Tiberim hic & 9. Æn. ℣s. 816. *flavum* vocat, cum ob albicantes aquas *Albula* etiam diceretur? Respondent quidam, non tam attendendam vocabuli vim, quam transsumptionem existimandam esse. Cum enim homines *flavi* pulchri videantur, ex eo dicunt factum esse, ut *flavum* etiam pulchrum significaret: cum & Hesychius ξανθὸν *flavum* & *pulchrum* interpretetur. Turneb. tamen l. 22. c.7. putat ob arenam ita vocari. *Flavum* Horatius etiam 1.Od.2. & lib.2. Od 3. appellat. *Taubm.*

Flavus arena.] Sic Ovid. l.14. Met. ℣s. 448.

In mare cum flava prorumpit Tibris arena.

vide Nobiliss. Heinsium, qui *flavum* hunc amnem pluri[illegible] docet. *Emmeness.*

32. *Prorumpit.*] Quia *vorticibus*, ideo *prorumpit*. Utraque enim voce apte signatur rapiditas. Sic 1.Æneid. *rapidus vortex.* Et quidem *prorumpit* majestate est plenum, quasi ipse fluvius viam sibi aperiat vel renitente mari. Fluvios, qui cum hac majestate mare adeunt, γενναιοτάτους vocat Maximus differt. 11. *generosissimos.* Nonnus l.22. ἐρεύγεται ἴνδος ὑδάσπης. Inest majestas in voce: & de Asopo lib. 27. βαρύδουπος. Quod Poëta de vorticibus, idem Nonn. de eodem Hydaspi βαθυδίνεϊ κόλπῳ. Hac proruptione Poëta significat ostia fluminum, quæ Ovid. 2. Trist. vocat *egressus* loquens de Istro. *Cerda.*

33. *Adsuetæ ripis volucres.*] Bono compendio usus est. *Servius.*

34. *Æthera mulcebant cantu.*] Lenibant. Corporalia enim sunt elementa, ut diximus supra. Non enim mulcetur, nisi quod corporale est. Supra enim ait, *Totamque infusa per artus.* Idem.

Æthera mulcebant cantu.] Lucret. l.4. *Et mundi speciem violare serenam, Aëra mulcentes motu.* Germanus.

35. *Flectere.*] Ita in 5. *flecte viam.* & Ovid.

Imperat, & lætus fluvio ſuccedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit ſtatus, advena claſſem
Cum primum Auſoniis exercitus adpulit oris,

Expe-

& Ovid. in Triſt. *fleximus in lævum curſus.* Cerda.

Sociis.] In codicibus aliquot antiquis, *ſocios* accuſativo caſu legitur: quod minime diſplicet. *Pierius.*

Advertere proras.] Ita 4. Georg.
— *Terris feſtinem advertere proram.*
Dicit vero hoc Poëta ſui memor. Quippe in 2. Creuſa locum iſtum ſignaverat, Italiam prædicens:

Ad terram Heſperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virûm leni fluit agmine Tibris. Cerda.

36. *Succedit.*] Quaſi hoſpitio acceptus Æneas ab fluvio. Nam lib. 4.

Quis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?:

Et lib. 3. *parvæ ſuccedimus urbi.* Ad imitationem Virgilii Silius lib. 1. inducit navem Saguntinorum adeuntem Italiam eodem loco, ad quem Trojana claſſis appellit:

Donec Laurentes puppis defertur ad oras,
Qua pater acceptis Anienis ditior undis
In pontum flavo deſcendit gurgite Tibris.

Ait Feſtus, Ænariam dictum locum, quo Æneas claſſem Troja adveniens appulit. Quod Latini *ſuccedere urbi, muro, fluvio*; Græci ad verbum περιμιγνύναι πόλει, τείχει, ποταμῷ. *Idem.*

Nunc age.] Hic eſt ſequentis operis initium. Antedicta enim ex ſuperioribus pendent. *Servius.*

Erato.] Vel pro Calliope, vel pro qualicunque Muſa poſuit ſane. *Idem.*

Nunc age, qui reges, Erato.] Videtur hoc principium deſumptum ex 3. Apoll. εἰ δ' ἄγε νῦν Ἐρατώ, παρά θ' ἵστασο, καί μοι ἔνισπε· ubi interpres τὴν Ἐρατὼ φασὶν ἀρχὴν εἰρηκέναι, εὐλόγως δὲ Ἀπολλώνιος μεμοιρᾶσθαι τὴν Ἐρατὼ φησὶ τῶν τῆς Ἀφροδίτης ὀργίων, λέγω δὴ τῶν γαμικῶν, γάμος δ' ἄρα καὶ ὄρχησις ἕπεται. Cujus Apollonii exemplo ne imperite & otioſe Virgilius videatur Erato hic invocaſſe, attendendum forſan eſt, ex Laviniæ nuptiarum procatione & ambitu, tanquam flabello, totum quod canendum Poëta ſuſcipit bellum, exarſiſſe: quamvis auctorem interpres laudet non vulgarem, qui contenderit, nihil intereſſe unam, an omnes Muſas invoces, quia πᾶσαι εἰσὶν ἐκ μιᾶς ὅτι τοὔνομα λέξεις. Poëta etiam in Epigr. ὅσαι μοῦσαι καὶ οἷαι, nullas cantandi amoris partes Erato videtur attribuiſſe his verbis, ὕμνοις ἀθανάτων Ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρε. *Germanus.*

Quæ tempora rerum.] Quia, ut diximus ſupra, ſecundum Lucretium, tempora niſi ex rebus colligantur, per ſe nulla ſunt. *Servius.*

Tempora rerum.] Quia tempora, niſi ex rebus colligantur, per ſe nulla ſunt. Lucret. lib. 1.

Tempus item per ſe non eſt: ſed rebus ab ipſis
Conſequitur ſenſus, tranſactum quid ſit in ævo:
Tum quæ res inſtet; quid porro deinde ſequatur, &c. Taubm.

38. *Latio antiquo.*] Quia duo ſunt, vetus & novum: ſicut & in jure lectum eſt. *Servius.*

Fuerit.] In quibuſdam antiquis codicibus, *fuerat* legitur, exacta ſpecie. Sed *fuerit* magis placet. *Pierius.*

39. *Exercitus.*] Στόλον intellige; nam hic de navalibus copiis eſt ſermo. Itaque quæſivit vocem mediam Poëta reſpondentem Græcæ. Nam ſicut στόλος, quæ vox proprie ſignat *copias navales*, tamen etiam aliquando *terreſtres*, ut apud Arr. lib. 4. Sic *exercitus*, qui ſæpiſſime terreſtris eſt, à Poëta pro navali ſumitur. *Cerda.*

Adpu-

Expediam, & primæ revocabo exordia pugnæ.
Tu vatem, tu, diva, mone. dicam horrida bella:
Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. major rerum mihi nascitur ordo:
Majus opus moveo. Rex arva Latinus & urbis
Jam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica
Acci-

Adpulit oris.] Est hoc quod idem Poëta, *quas vento accesserit oras. Libyæ vertuntur ad oras. Cretæis sistet in oris.* & multis aliis. *Cerda.*

40. *Exordia pugnæ.*] Cervi interitum. *Servius.*

41. *Tu vatem, tu, diva, mone.*] De invocatione, quæ in medio fit operis vide Voss. instit. poët. l. 3. c. 4. *Emmen.*

Dicam horrida bella.] Non abit ab hac pollicitatione illa lib. 4. Georg.

Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.

Cerda.

42. *Actos.*] Aut collectos, aut re vera compulsos: quod est verisimile, propter illud, *Longa placidas in pace regebat.* Servius.

Actos in funera reges.] In sua, non in Trojanorum funera. Quum enim animis ferocitate exagitatis, in alienum exitium ruerent, ipsi, Trojanis è diverso certantibus, ceciderunt. *Donatus.*

Manum.] Sic Græci χεῖρα capiunt pro *copiis*. Herodian. lib. 3. δεῖσθαι πολλῶν χειρὸς πλείονος πρὸς βοήθειαν τοῦ τόπου: *egere majoribus copiis ad loci tuitionem.* Eurip. Rhes. πλήρη πεδία πολεμίας χερός: *pleni campi hostilis manus.* Latinos quid numerem? Do unum Ammianum, qui lib. 16. de Juliano Cæsare loquens, ita ait: *Ira exundante substridens, cum erumpere sæpe conatus, paucitate præsentis manus impediretur.* Cerda.

Totamque sub arma coactam.] Collectam: ut, *Tityre coge pecus. Totam* autem Hyperbolicōs dixit. *Servius.*

44. *Major rerum mihi nascitur ordo.*] Claudian. 1. Stil. commutavit ita; *magnum mihi panditur æquor.* Cerda.

45. *Majus opus moveo.*] Tib. *Seu tibi par poterunt, seu, quod spes abnuit, ultra, Sive minus, certeque canent minus, omne movemus Hoc tibi, ne tanto careat mihi nomine charta.* Germanus.

47. *Hunc Fauno, & nympha genitum Laurente Marica Accipimus.*] Quidam deus est Fatuellus: hujus uxor est Fatua. Idem Faunus, & eadem Fauna. Dicti autem sunt *Faunus* & *Fauna* à vaticinando, id est, fando. Unde & *fatuos* dicimus inconsiderate loquentes. Ergo *Fauna* & *Fatua* nomen quasi asperum fugit poëta: & Maricam dicit uxorem fuisse Fauni. Est autem *Marica* dea litoris Minturnensium juxta Lirim fluvium. Horatius, *Et innantem Maricæ litoribus tenuisse Lirim.* Quod si voluerimus accipere uxorem Fauni Maricam, non procedit. Dii enim Topici, id est, locales, ad alias regiones nunquam transeunt. Sed potest dictum esse per poëticam licentiam, *Laurente Marica*: cum sit Minturnensis. Dicunt alii per Maricam, Venerem intelligi debere; cujus fuit sacellum juxta Maricam; in quo erat scriptum ΝΑΟΣ ΤΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ. Sane Hesiodus Latinum Circes & Ulyssis filium dicit: quod & Virgilius tangit dicendo, *Solis avi speciem.* Sed quia temporum ratio non procedit, illud accipiendum est Iginii, qui ait Latinos plures fuisse, ut intelligamus poëtam abuti

Accipimus. Fauno Picus pater: isque parentem
Te, Saturne, refert: tu sanguinis ultimus auctor.
Filius huic fato divûm, prolesque virilis

Nulla

nti (ut solet) nominum similitudine. *Serv.*

Hunc Faum, &c.] De hoc Fauno sic Lactant. l. 1. c. 22. *Ut Pompilius apud Romanos institutor ineptarum religionum fuit: sic ante Pompilium Faunus in Latio. Qui & Saturno avo nefaria sacra constituit, & Picum patrem inter Deos honoravit, & sororem suam Fatuam Faunam, eamque conjugem consecravit.* de hoc uxoris nomine videndus Macrobius l. 1. Saturn. c. 12. & Justinus l. 43. c. 1. ubi de origine nominis, quod *Fauni* & *Fatuæ* appellentur, quia *fatuari* dicuntur, qui inspirari solent. sic & infra hic ℣. 81. *fatidicus* appellatur, cui rem divinam faciebant veteres, teste Horat. plura illic. *Emmeneß.*

Marica.] Id est, Circe. nam Lactant. lib. 1. cap. 21. auctor est, Circen, postquam ab humanis excessit, Maricam Minturnensium numen effectum. Inde Latinus apud Hesiod. Circes F. dicitur. Quod si Servius observasset, tot se ambagibus non induisset: ut notant Turneb. lib. 21. c. 22. & Parrhas. ad Claud. Proserp. p. 176. & Erythræus. *Taubm.*

48. *Accipimus.*] Propter varias opiniones hoc adjecit: ut Salustius, *Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere in initio Trojani.* Servius.

49. *Ultimus auctor.*] Primus: ut *supremum*, summum dicimus, *Prô supreme Iupiter.* Idem.

Ultimus auctor.] Quia primus fuit Latinus, à quo factum est initium narrandi. ergo iste *ultimus*. Ut in scalis, si descendas primus est summus, ultimus qui est imus: si ascendas contra fiet. Sic Cicero in rhetoricis inquit: *Ab ultimo principio hujus præceptionis.* Hinc de Latino ipsum dicere sequentia indicant: quamvis posset credi de Saturno. *Donatus.*

Ultimus.] Id est, primus. ita Catull. Carm. 4. *ultimam originem* dixit. Cicero: *pueritiæ memoriam recordari ultimam.* Idem: *ab ultimo principio*, dixit. Sic Terent. *extremam lineam* amoris vocavit, quæ *prima* etiam dicitur. idque, quoniam, ut Philosophi docent, idem quodammodo est primum & ultimum. *Taubm.*

Ultimus auctor.] Sic Corn. Nep. in vita Attici, c. 1. *Pomponius Atticus ab origine ultima stirpis Romanæ generatus.* id est, primaria. plura de hoc vocabulo Torrent. ad Horat. l. 1. Od. 16. *Emmeneß.*

50. *Filius huic, &c.*] Est hoc, quod de stirpe Gelonis ait Val. lib. 3. c. 2. cujus genus, abolita reliqua stirpe, redactum est ad unicam filiam Harmoniam. Paria ferme Statius 1. Theb. loquens de Adrasto:

Hic sexus melioris inops, sed prole virebat
Feminea, gemino natarum pignore fultus.

Ab Statio Claudian.

Ætnaæ Cereri proles optata virebat.

Iterum eodem lib. Stat.

— Huic primis, & pubescentibus annis
Mira decore pio servabat nata penates.

Cerda.

Fato divûm.] Pro eodem Virgilius sumit *fatum, imperium, jussa, præcepta, mandata, monita*, cum nimirum sermo est de Diis. De fato hic audis. De reliquis subjiciam testimonia. In 5. *Et Jovis imperium.* In 2. Venus ad filium:

— tu ne qua parentis
Jussa time, neu præceptis parere recusa.

In 4. de Jove,

Ipse hæc ferre jubet celeres mandata per auras.

In 6. *An monitu divûm.* His adde *pacem, mentem, numen.* In 10. Venus ad

Nulla fuit, primaque oriens erepta juventa est.
Sola domum & tantas servabat filia sedes;

Jam

ad Jovem, *Si sine pace tua.* In 5. Æneas,
Haud equidem sine mente reor, sine numine d.vûm. Idem.

51. *Primaque oriens erepta juventa est.*] Per transitum tangitur historia. Amata enim duos filios voluntate patris, Æneæ spondentes Laviniam sororem, factione interemit. Unde & *erepta* dixit, quasi per vim: hos alii cœcatos à matre tradunt, postquam, amisso Turno, Lavinia Æneæ juncta est. *Fato* autem dicit voluntate. Nam dii id fantur, quod sentiunt, non ut homines, de quibus lectum est, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere. *Servius.*

Primaque oriens.] Non nascendo, sed moriendo extincta est: & quod magis dolendum, in ea ætate extincta est, unde spes cœperat. *Donatus.*

52. *Sola domum, & tant.*] Ἐπικληρῖτιν virginem significat: non quod orba aut parentibus aut gentilibus esset, sed quam universum jus succedendi, aut tota hereditas respiceret: in qua etiam significatione ἐπίκληρος ab Aristot. in Polit. accipitur: item & 8. Ethic. ἐπίκληροι γυναῖκες ἄρχουσι· & Plutarch. οἱ χρημάτων ἕνεκα λαμβάνοντες ἐπικλήρους, quibus παγκληρεία, παμπησία, hoc est, ἡ πᾶσα κτῆσις, & κληρονομία obvenit, aut obventura est. Vide autem apud Aristot. lib. Pol. 5. *orta bella & seditiones ex nuptiali causa, propter orbas & bene dotatas puellas.* Ut autem hic *matura viro*, Plutarch. in Lycurgo πεπείρους καὶ ὀργώσας παρθένους, maturas & virorum appetentes. Matura autem simpliciter, ut hic, γάμου ὡραία, & ὥριος dicitur. Quod autem hic notat Servius in jure pubertatem non solum ab annis, sed & corporis habitu spectari solitam, ut & supra eo Eclog. loco observavit, *Alter ab undecimo jam tum me ceperat annus*, nescio an Romana omnino jura respexerit, cum marium quidem antiquo jure Romanorum, non item puellarum nuda corpora explorarentur. Quod me movet, ut credam Servium Platonis leges potius respexisse, qui ita lib. De leg. 11. statuit, τὴν δὲ περὶ τῶν γάμων χρόνου συμμετρίας τε καὶ ἀμετρίας ὁ δικαστὴς σκοπῶν κρινέτω, γυμνοὺς μὲν τοὺς ἄρρενας, γυμνὰς δὲ ὀμφαλοῦ μέχρι θεωμένους τὰς θηλείας. Non omittendum item κρόβαλον à Græcis indicium Naturæ in pupis dici, & pilos in loco obscœno. *Germ.*

Domum.] Non hic in vulgari significatione, sed pro bonis, & hereditate. Sic Græcis οἶκος. Nam 1. Odyss. ἔδοντες οἶκον ἐμὸν: *devorantes meam domum*, pro, meas facultates, & bona. Sic 4. Odyss. ἐσθίεται μοι οἶκος. *Cerda.*

Sedes.] Cum hic servare domum, & sedes, sit expectare hereditarium Imperium, non dubium quin *sedes* posuerit pro paterno domicilio. Ita Ovid. 4. Trist. Eleg. 1.

Hic ego sollicite jaceo novus incola sedis.

Inde *sedes figere*, pro acquirere domicilium, Latini dicunt. Et Virg. de Antenore, *sedesque locavit.* Suetonius c. 1. Vitell. cum dixit, *quosdam ex Vitelliis subsedisse Nuceriæ*, nihil aliud dicit, quam ibi Vitellios domicilium fixisse. Ammian. lib. 17. *Sedes alias suscipere* dixit, pro, domicilium commutare. Virgilium imitatur Statius lib. 1. Theb.

— Huic primis, & pubescentibus annis
Mira decore pi. servabat nata penates
Intemerata toris. —

Id est, expectabat paternos penates, & domicilium. Itaque recte quadrat in hunc locum Germani nota, qui ait, Poëtam indicare Virginem ἐπικληρῖτιν, id est, quam jus succedendi, & hereditas tota respiceret; utique ut signetur παγκληρεία, καὶ παμπησία: ad quam rem advocat etiam Aristotelem, & Plutarchum. Vide in illo. Est quidem virgo ἐπίκληρος, quæ nullos habet aut fratres, aut sorores συγκληρονόμους, sed tota illi hereditas cessura est. *Idem.*

53. *Jam*

Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno è Latio totaque petebant
Ausonia: petit ante alios pulcherrimus omnis
Turnus, avis atavisque potens: quem regia conjunx
Adjungi generum miro properabat amore:
Sed variis portenta deûm terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus altis
Sacra comam, multosque metu servata per annos:
Quam

53. *Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.*] Non est iteratum, sed secundum jus dictum: in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas comprobatur. Primum ergo ad habitum: secundum ad annos pertinet. *Servius.*

54. *Multi.*] Et quia unica esset, & quia senis filia, ex quo regnum pro dote veniret. *Donatus.*

Latio.] *Latium* pars est Ausoniæ. Unde dixit primo quod minus est: sic intulit, *Totaque Ausonia.* Servius.

Multi illam magno è Latio.] Eurip. in Iphig. *ταύτης οἱ τὰ πρῶτ' ὀλβισμένοι μνηστῆρες ἦλθον Ἑλλάδος νεανίαι·* & Pind. Pyth. Od. 9. *τὰν μάλα πολλοὶ ἀριστῆες ἀνδρῶν αἴτεον σύγγονοι, πολλοὶ δὲ καὶ ξείνων, ἐπεὶ θαητὸν εἶδος ἔπλετο.* *Petere* autem *procari* esse alibi docet Serv. & Catull. *Non si se Jupiter ipse petat.* Eurip. in Elect. *ταύτην ἐπειδὴ θαλερὸς εἶχ' ἥβης χρόνος, μνηστῆρες ᾔτουν Ἑλλάδος πρῶτοι χθονός·* & Calab. 1. *πολλὰ δ' εὐχετόωντο κατ' οἶκια νοστήσαντες τοίης ἀλόχοιο παραὶ λεχέεσσιν ἰαῦσαι.* Et Hom. Od. δ Penelopen *πολυμνήστην βασίλειαν* vocat, quæ à tot procis ambitetur. *Germanus.*

55. *Petit ante alios pulcherrimus.*] Aut ante alios petit: aut pulcher ante alios. *Servius.*

Ante omnis.] Subaudi *pulcherrimus*: non autem ante omnes petiit. Omnia autem supradicta in laude sunt Æneæ, ne ignobilem, aut sibi imparem ducere videatur: quoniam illam vicini sprevissent. Uterque à Saturno est. Ab illo enim Jupiter, ab Jove Venus, à Venere Æneas. Sic à Saturno Picus, à Pico Faunus, à Fauno Latinus, à Latino hæc. ergo par sanguis, sed virtus in Ænea major. *Donatus.*

Ante alios pulcherrimus.] Hanc constructionem illustrat Sanct. in Minerva p. 107. *Emmeness.*

56. *Avis atavisque potens.*] Id est, majoribus, quos per hæc duo conjuncta vocabula designarunt auctores, ut jam observatum à Torrentio ad Horat. l. 1. od. 1. ℣. 1. *Idem.*

57. *Miro amore.*] Nova intemperantia. *Servius.*

Properabat.] Hom. Od. θ. *οἱ δὲ γάμον ἀρτύουσι.* *Germanus.*

58. *Sed variis.*] Propter apes & incendium & oraculum Fauni. *Servius.*

Portenta.] Signa, quæ sunt media: à portendendo. Nam & bona & mala sunt portenta. *Idem.*

59. *Laurus erat.*] Latinus post mortem fratris Lavini, cum Lavinium amplificaret, ab inventa lauro, *Laurolavinium* id appellavit. *Idem.*

Laurus.] Ponit portenta, quibus connubium Turni prohibebatur. *Don.*

In penetralibus.] *Penetrale* est omnis interior pars domus, licet sit intecta. Unde laurum in penetralibus fuisse non est mirum. *Servius.*

Penetralibus altis.] Hom. Il. χ. *μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο.* *Germanus.*

60. *Metu.*] Religione, quæ nascitur per timorem. *Servius.*

Metu.] *Δέος, οἱονεὶ δεισιδαιμονία.* *Germanus.*

Metu.] Id est, metu religioso, vel reli-

Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus,
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
Hujus apes summum densæ, (mirabile dictu)
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ,
Obsedere apicem; & pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, & partis petere agmen easdem
Partibus ex îsdem, & summa dominarier arce.
Præterea, castis adolet dum altaria tædis,

Et

religione. Sunt enim reciproca. Sic Ter. Heaut. act. 1, 1.

Nam, Nihil esse mihi, relligio est dicere.

Connexa enim sunt *Metus & religio.* unde Statius:

Primus in Orbe deos fecit timor.

Ita Petronius *horrorem* pro religione & reverentia quadam dixit: ut & Lucret. *Horrifice*, pro, venerande. *Taubm.*

61. *Primas cum conderet arces.*] *Primas*, circa laurum supple. Nam jam civitas fuerat. *Servius.*

65. *Stridore.*] De hoc apum stridore, bombo, aut susurro jam ego lib. 4. Georg. ad illud, *stridere apes utero.* Hic adjungo ab Ælian. lib. 10. Var. hist. cap. 20. explicari per cantum: nam loquens de apibus, quæ Platonico ori insederant, *ἐν τοῖς* (inquit) *χείλεσιν αὐτοῦ καθίσασαι ὑπῇδον. Cerda.*

Trans athera.] *Ætherem* pro *aëre* posuit. *Servius.*

Trans athera.] Supra *liquidum ignem* dixit. *Germanus.*

66. *Obsedere apicem.*] Verbum oppugnationis est *obsedēre*, quo usus signate propter bellum futurum. *Servius.*

Per mutua.] Invicem: & est absolutum. Melisus qui de apibus scripsit ait: *Duobus pedibus se tenent: & duobus alias sustinent.* Idem.

Pedibus per mutua nexis, &c.] De hoc prodigio actum l. 4. G. ÿ∫. 257. & Silius Ital. meminit l. 8. ubi etiam notandum verbum *obsidere*, de *bubone* dici:

Obseditque frequens castrorum limina bubo,

Nec densæ trepidis apium se involvere nubes.

Ad quem locum Dausquium consule. *Emmeness.*

68. *Vates.*] Divinus, per quam autem artem non dixit, nec nomen ejus: sed datur intelligi conjecturis eum quibusdam futura dixisse. *Servius.*

69. *Virum.*] Non dixit, cernimus virum veluti præsentem, sed cernimus virum externum adventare. *Donatus.*

Partis petere agmen easdem.] Intelligimus ab inferiori mari apes venisse, unde & Trojani. Partes autem easdem summitates rerum petere dicit, sicut apes apicem lauri per quam advenarum victoria prænuntiatur. *Servius.*

Et partis petere agmen easdem.] In Romano codice, & quibusdam aliis legere est *partis petere agmine*, ut ex comitatu potentem eum subindicet. *Pierius.*

71. *Castis.*] Piis: sciendum Latinum sacrificasse astante Lavinia. *Servius.*

Castis.] Commune sacrorum epithetum. Ita lib. 3.

Hac casti maneant in relligione nepotes.

Val. 1. Arg.

Stat casta cortina domo.

Quicquid enim castum est opponitur scele-

Et juxta genitorem adſtat Lavinia virgo,
Viſa (nefas) longis conprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regaliſque accenſa comas, accenſa coronam
Inſignem gemmis: tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Volcanum ſpargere tectis.
Id vero horrendum ac viſu mirabile ferri.
Namque fore inluſtrem fama fatiſque canebant
Ipſam,

ſcelerato. Inſinuat lib. 6.

Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen.

Cerda.

72. *Et juxta.*] In antiquis aliquot codicibus, *ut juxta genitorem adſtat* legitur, quod non diſplicet: quia ſtructura eſt ita colligata magis, *Adolet dum altaria flammis, Ut juxta genitorem adſtat Lavinia virgo, Viſa (nefas) longis comprendere crinibus ignem.* Pierius.

73. *Nefas.*] Abſoluta parentheſis, eſt autem Hypallage. *Servius.*

Nefas.] Ita locutus Ovidius etiam in re prodigioſa;

—nefas viſu mediis altaribus anguis Exit.—

Uterque nihil aliud ſignificat, quam prodigium ejus eſſe rationis, ut non facile fari queas. *Cerda.*

Conprendere crinibus ignem.] Cum ignis crines comprehendat. *Servius.*

Conprendere ignem, &c.] Cæſar: *flamma ab utroque cornu comprenſa, naves ſunt combuſtæ quinque.* Sic & Eurip. de Glauca pharmacis Medeæ & dolo malo conflagrante, χρυσοῦς δ' ἀμφὶ κρατὶ κείμενος πλόκος θαυμαστὸν ἵει νᾶμα παμφάγου πυρὸς, πέπλοι δὲ λεπτοὶ σῶν τέκνων δωρήματα λευκὴν ἔδαπτον σάρκα τῆς δυσδαίμονος. *Germanus.*

Flamma crepitante.] Ipſe 1. Georg.

—crepitantibus urere flammis.

Lucret. lib. 6. loquens de lauro:

Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.

Trahat fortaſſe aliquis ad bonum Laviniæ omen hanc crepitationem & ſonitum flammarum. Hoc qui velit, adeat quæ jam ego Eclog. 8. ad illud, *fragiles lauros.* Cerda.

76. *Inſignem gemmis.*] Tale illud 1. Æneid.

—& duplicem gemmiſque, auroque coronam.

Sic itaque & corona Laviniæ aurea erat, & auro inſertæ gemmæ. Sicuti in poculo, *pateram gemmis, auroque popoſcit.* Has coronas cum gemmis dici Joanni Chryſoſtomo στεφάνους λιθοκολλήτους Germanus alicubi obſervavit. Claudian. de laudib. Stilicon. loquens de corona Serenæ:

Vile putas donum ſolitam conſurgere gemmis.

Videlicet comam Serenæ. Accipit Virgilium Paſchalius lib. 9. c. 1. de diademate, quod gemmis ornatum. Nam diademata, dici coronas, frequens eſt. *Idem.*

Fumida.] In fumo eſt cauſa lachrymarum & belli. *Servius.*

Tum fum. lum. ful. Invol. ac totis.] Servius, incendium bellicum, inquit, ſignificat: his enim duobus ab augurio diſtat Aſcanii, fumo, & aſperſione flammarum. cujus prodigii fit mentio ſupra lib. 2. ubi & Ser. Ignis autem quo purior eſt, hoc ἀκαπνότερος. Vide & illum ſuperiorem locum lib. præcedente, *Non ille faces, & fumea tædis lumina:* ubi & Servium. Ut autem *Vulcanum* hic pro igne, Eurip. in Oreſt. πῦρ ἀνήφαιστον ἐρωτικὸν vocat. *German.*

77. *Volcanum ſpargere.*] Incendium bellicum ſignificat. His enim duobus hoc ab augurio diſtat Aſcanii: fumo, & aſperſione flammarum. *Servius.*

81. *At*



Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea: nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca mephitim.

Hinc

81. *At rex.*] Non dixit, virginis pater: nam publicus status quam filiæ potior fuit. *Donatus.*

Sollicitus monstris.] Fabric. notat, antiq. Donati exemplar legere; *sollicitus monstrorum.* ut, *securus pelagi: egregius animi.* Taubm.

Fauni.] Faunus ἀπὸ τῆς φωνῆς dictus, quod voce, non signis ostendit futura. *Servius.*

82. *Lucosque.*] In lucis. *Idem.*

Lucosque.] Alludit Horat. l. 1. Od. 4. *nunc & in umbrosis Fauno decet immolare lucis*, &c. & Od. 7. *Tiburni lucus.* Emm.

83. *Sub Albunea.*] In Albunea. *Servius.*

Alta.] Quia est in Tiburtinis altissimis montibus. Et *Albunea* dicta est ab aquæ qualitate, quæ in illo fonte est. Unde etiam nonnulli ipsam Leucotheam volunt. Sciendum sane unum nomen esse fontis & silvæ. *Idem.*

Sub alta Albunea.] *Albunea*, fontis & silvæ nomen: de quo Turneb. l. 30. c. 5. Eadem Tibullo lib. 2. el. 5. vs. 69. *Albuna* dicitur. In eodem Laurentinorum nemore *Oraculum Fauni* erat toti olim Italiæ celebratum. Quibusdam & *Leucothoë* nominatur. *Taubm.*

Albunea.] Hujus mentionem facit inter Sibyllas Lactant. l. 1. c. 6. *Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur, ut Dea, &c.* Hic & nemori & fonti idem nomen inditum videtur. de quo (& quemadmodum noster *sacro fonte sonat*) sic Horat. l. 1. Od. 7. *domus Albuneæ resonantis, & præceps Anio, & Tiburni lucus.* Festa, sacris fontibus dedicata, Varro & Festus *Fontinalia* appellant. Sed supra actum de sacris fontibus *Emmeness.*

84. *Sacro fonte.*] Nullus enim fons non sacer. *Servius.*

Mephitim.] *Mephitis* proprie est terræ putor, qui de aquis nascitur sulphuratis: & est in nemoribus gravior ex densitate silvarum. Alii *Mephitin* deum volunt Leucotheæ connexum: sicut est Veneri Adonis, Dianæ Virbius. Alii *Mephitin* Junonem volunt, quam aërem esse constat. Novimus autem putorem non nisi ex corruptione aëris nasci: sicut etiam bonum odorem de aëre incorrupto: ut sit *Mephitis* dea odoris gravissimi, id est, grave olentis. *Idem.*

Mephitim.] Putor est corruptus. Indicat Persius aquas Albuneæ sulphuratas esse, & inde provenire istum putorem; scribit enim Sat. 3.

Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur,
Gutture sulphureas lente exhalante mephites.

Cum enim flatum crudi stomachi vocet mephitem sulphuream, videtur respicere ad naturam aquæ. Ex Persio Sidon. epist. 13. lib. 3. *Exhalatus è concavo molarum computrescentium mephiticus odor.* Homerus similem exhalationem provenientem ex aquis calidis vocat καπνὸν, *fumum.* Lege illum Iliad. 22. ubi loquitur de fontibus Scamandri. Calab. lib. 1. λευγαλέην ὀδμήν. Ait Servius ex sententia aliquorum, Mephitim esse Deum Leucotheæ connexum, aut Junonem; nam Juno aër est, atqui putor nascitur ex corruptione aëris, ac proinde (ait) Mephitis erit Dea odoris grave olentis. Pertinent ad hanc opinionem numinis verba Taciti lib. 19. *Solum Mephitis templum stetit ante mœnia, loco, seu numine defensum.* Itaque constitutum est numen, quod averteret nocuos halitus. Ait Priscian. lib. 7. duci vocem à Græco μεσίτης, mutatione σ, in φ. Scaliger tamen in Conje-

ctan.

Hinc Italæ gentes, omnisque OEnotria tellus
In dubiis responsa petunt. huc dona sacerdos
Cum tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit;
Multa modis simulacra videt volitantia miris:

ctan. ait esse vocem Etruscam; Etruscos autem ab Syris accepisse: Syrorum vero lingua hac voce significari gravitatem, aut exhalationem & flatum spiritus. *Cerda.*

85. *Hinc Italæ gentes.*] Commendatio oraculi ipsius. *Servius.*

Italæ gentes.] Ergo omnes. *Donatus.*

Oenotria tellus.] Proprie Sabinorum tractus. *Servius.*

86. *In dubiis.*] Ergo majoris meriti erat oraculum. *Donatus.*

Huc dona.] Ponit morem petendi oraculi. *Idem.*

87. *Cum tulit.*]In codicibus aliquot antiquis, *quom tulit*: quod legebatur per q & o, effecit, ut alii postmodum unica dictione scribere cœperint, *contulit*. Sed, enim in antiquioribus codicibus duæ sunt partes, *cum tulit*, sive malis *quum* sive *quom* scribere. *Pierius.*

Sub nocte silenti.] Per noctem silentem. *Servius.*

88. *Incubuit.*]*Incubare* dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda responsa. Unde est, *ille incubat Jovi*, id est, dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere. *Idem.*

Incubuit.] *Incubare* dicuntur, inquit Servius, qui dormiunt ad accipienda responsa. Plaut. in Curcul. *Namque te incubare satius fuerat Jovi, qui tibi auxilio in inveniendo fuit.* Nescio autem an hunc fatidicum incubitum respexerit Propert. hoc versu, *Experior somnum, & de te mihi somnia quæro.* Germ.

Ovium pellibus incubuit.] Apoll. 1. *μαλακοῖς ἐπὶ κώεσιν οἰῶν.* Videtur autem hic morem Maro respexisse Dodonæ silvæ fatidicæ, cujus sacerdotes σελλοὶ ab incubando *χαμαικοῖται* dicebantur: ut videre est apud Sophocl. in Trach. *μαντεῖα καινὰ τοῖς πάλαι ξυνήγορα, ἃ τῶν ὀρείων, καὶ χαμαικοιτῶν ἐγὼ Σελλῶν ἐσελθὼν ἄλσος εἰσεγραψάμην πρὸς τῆς πατρῴας καὶ πολυγλώσσου δρυός.* Qui sacerdotes etiam *χαμευνάδες* & *χαμεῦναι* dicebantur. Vide apud Serv. quid sit *incubare Jovi*. Pelles autem villosas & ovium, & vervecum, quas hieme lectis superponebant, *κώδια* vocabant, ut *ψιάθους*, quas æstate. Hoc autem Maronis, *Ovium pellibus incubuit*, videtur manare ab illo Lycophronis, *δοραῖς δὲ μήλων τύμβον ἐγκοιμωμένοις χρησμοῦ καθ' ὕπνον πᾶσι νημερτῆ φάτιν.* *Idem.*

Pellibus incubuit.] Ad Amphiarai Oraculum alludi putant. Cur autem pellibus, & præsertim arietinis, incubuerint, somnii significationem captantes, docet J. Baptista Pius cap. 10. Annot. Post. item Cælius lib 27 cap. 14. Apud Scythas pellis insccensio, jurisjurandi religionem habebat. *Taubm.*

Somnosque petivit.] Tib. *Non arces, non vallus erat, somnumque petebat Securus varias dux gregis inter oves.* Germ.

Pell. incub. somnosque pet.] Recte Germanus locum adhibet Lycophronis, ad quem operæ pretium est legas Meursii commentarium, ubi dormivisse & cubuisse veteres in deorum templis disces ex Cicerone & Petronio, ut vera responsa consequerentur. Græci *ἐγκοιμᾶσθαι ἐν τῷ ναῷ.* appellant: ut Salmas. de verbo *incubare* p. 430. exerc. Plin. Verba Plauti hæc illustrant Curc. 1. 1. 61. *leno ægrotus incubat in Æsculapii fano.* aliam tamen rationem profert Mercurialis l. 1. art. Gymn. c. 1. *Emmeness.*

89. *Multa modis simulacra.*] Ipse 1. Æn.

— Ora modis attollens pallida miris.

Lucret. lib 6.

— rerum simulacra vagari
Multa modis multis —.

Et varias audit voces, fruiturque deorum
Conloquio, atque imis Acheronta adfatur Avernis.
Hic & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentis,
Atque harum effultus tergo ſtratiſque jacebat
Velleribus. ſubita ex alto vox reddita luco eſt:
Ne pete conubiis natam ſociare Latinis,

O mea

Plautus:

Res nimium miris modis mirabiles.

Intellige per *ſimulacra*, *ſpecies*, *imagines*, τὰ εἴδωλα; & lege, quæ Heral. in lib. 6. Æneid. *Cerda.*

90. *Et varias audit voces.*] Scilicet propter multa ſimulachra. *Servius.*

Et varias audit voces.] Quales ſolitæ audiri in lucis plenæ horroris, & formidinis: ut quam inter alia prodigia ipſe affert 1. Georg.

Vox quoque per lucos vulgo exaudita ſilentes
Ingens; & ſimulacra modis pallentia miris, &c. *Cerda.*

Fruitur.] Paſcitur: quod de rebus tantum bonis dicimus. *Servius.*

91. *Acheronta adfatur Avernis.*] Poteſtates quæ ſunt in Acheronte, ad quem per Avernum venitur. Hoc autem ideo, quia Faunus infernus dicitur deus: & congrue. nam nihil eſt terra inferius, in qua habitat. Hinc eſt, quod cum Horatius inducit nocentem, dicens: *Levis incedas, abeaſque parvis Æquus alumnis.* Idem.

92. *Pater ipſe.*] Aut honoris eſt, aut re vera pater Laviniæ. *Idem.*

Pater ipſe.] Ergo non miſit alterum, ſed ipſe perrexit, ut & patris & regis diligens adhiberet officium: pro mollibus plumis & ornatu regio, non recuſavit pelliceum ſtratum. *Donatus.*

93. *Centum.*] Aut pro qualitate fortunæ: unde & *Rite* dixit. Aut finitum pro infinito poſuit. *Servius.*

Centum lanigeras mactabat rite bidentis.] *Oves* ſubaudiendum monet Sanct. Minerv. p. 329. Quod tamen non perpetuum, nam & de cornigeris hoſtiis dicitur. De bidentibus, utpote diis acceptioribus, diſputantem lege Bochartum l. 2. de ovibus c. 43. & notas ad l. 4. Æn. ℣. 57. *Emmeneſſ.*

94. *Effultus.*] Lege quæ jam 6. Eclog. ad illud,

Ille latus niveum molli fultus hyacintho.

Et hic adjice Lucillium, qui, *pulvino fultus*: & Juvenalem, qui, *fultuſque toro meliore recumbet*. In quibus, & aliis locis nihil eſt aliud *fulcire*, quam ἐρείδειν, ut etiam in Perſ. Sat. 5.

— tibi torta cannabe fulto
Cœna ſit in tranſtro. —

Eſt vero in Poëta ἓν διὰ δυοῖν; *tergo*, *ſtratiſque*, pro *tergis ſtratis*. Cerda.

Tergo.] Pro *tergoribus*, id eſt, coriis. *S.*

Atque harum effultus tergo.] Tametſi non probo lectionem *atque earum* ex codicibus nonnullis antiquis) quæ κατὰ συνίζησιν ſtare poſſet: Fuit tamen adnotandum, quia non uno tantum loco repertum erat. *Pierius.*

95. *Subita vox.*] Propter meritum petentis. *Donatus.*

Vox reddita luco eſt.] Ut divino, ex veterum ſuperſtitione. Sic Alaricus apud Claud. de Bel. Get.

Hortantes his adde Deos, non ſomnia nobis,
Nec volucres, ſed clara palam vox reddita luco eſt.

Ubi & formam retinuit. Sic 3. Æneid. *Vox reddita fertur ad aures*, etiam in re oraculorum. Conſultor enim percontabatur, oraculum *reddebat*, id eſt, reſpondebat: qua notione Catull. de Nupt. Pelei,

Nec miſſas audire queunt, aut reddere voces. Cerda.

Conubiis.] Pro utraque lectione ſtant quæ-

O mea progenies, thalamis neu crede paratis.
Externi veniunt generi, qui ſanguine noſtrum
Nomen in aſtra ferent, quorumque ab ſtirpe nepotes
Omnia ſub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Aſpicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Hæc reſponſa patris Fauni, monituſque ſilenti
Nocte datos, non ipſe ſuo premit ore Latinus:
Sed circum late volitans jam Fama per urbis
Auſonias tulerat; cum Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab aggere claſſem.
Æneas, primique duces, & pulcher Iulus,

Cor-

quædam exemplaria, per ſimplex *n*, & duplex *nn* ſcribi. conſule Dauſq.orth. *E.*

97. *Thalamis neu crede paratis.*] Propter Turnum. *Servius.*

98. *Venient.*] Melius *Veniunt*, ut jam eos venire ſignificet. *Idem.*

Veniunt.] In antiquioribus omnibus exemplaribus, quotquot habui, *venient* legere eſt futuro tempore: quanquam *veniunt* inſtanti tempore magis efficax videtur, & magis interpreti Servio ſatisfacit: niſi quis dicat oracula de futuris eſſe debere. *Pierius.*

Generi.] Plurali uſus eſt pro ſingulari. *Servius.*

99. *Ab ſtirpe.*] *Stirpem* cum de genere dicimus, tantum fœmininum eſt: cum de arbore, & maſculini generis & fœminini invenitur: ut, *Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum.* Contra Horatius, *Stirpeſque raptas, & pecus, & domos.* Idem.

100. *Sub pedibus.*] Sub imperio ſuo ac poteſtate. *Idem.*

Utrumque Oceanum.] Id eſt, mare Eoum & Occiduum. Sic apud Horat. 2. Od. 2. —— *uterque Pœnus Serviat uni.* Turn. lib. 30. c. 5. Amplitudinem imperii Romani arguit, à ſeptentrione in meridiem propagandi. Ea enim latitudo eſt Zodiaci. *Taubm.*

101. *Aſpicit.*] Helenius l. *Reſpicit.* Idem.

102. *Reſponſa.*] Sunt codices antiqui, in quibus *hæc præcepta* ſcriptum eſt. Illud enim præcipiendo dictum fuerat, *Ne pete connubiis natam ſociare Latinis.* monendo vero *externi venient generi*, & quæ ſequuntur. Sed enim Latinus ſuperius *reſponſa* petierat: & hujuſmodi oracula eleganter & uſitate *reſponſa* nuncupantur. *Pierius.*

Monituſque.] Alibi *monita* dixit. Ut, *Carmentis Nymphæ monita, & deus auctor Apollo.* Servius.

103. *Non ipſe ſuo premit ore Latinus.*] Quo à ſe repelleret generos. *Idem.*

104. *Sed circum late volitans.*] Tmeſis eſt circumvolitans. *Idem.*

Circum.] Cum eo quod eſt, *tulerat*, jungendum eſt, ut ſit, *circumtulerat.* D.

106. *Gramineo rip. rel. ab. ag. claſſem.*] Cæſ. Bel. civ. lib. 3. *Neque lignandi, neque aquandi, neque naves ad terram religandi poteſtas fiebat.* Græcis autem λογγῶνες dicuntur ſaxa in portu, de quibus naves religari ſolent: & funem nauticum, quo navis in litore religatur, *πεῖσμα*, & *πρυμνήσιον*, *τὸ ἀπόγειον σχοινίον* Græci vocant. Propert. l. 3. de Pœti naufragio: *Nam tibi nocturnis ad ſaxa ligata procellis Omnia detrito vincula fune cadunt.* Germanus.

Religavit claſſem.] Sic Horat. lib. 1. od. 32. pro *ligare* ſumit. *ſive jactatam religarat udo litore navim.* Græcos id appellare *ἐπ' ἀγκυρῶν ὁρμίζεσθαι* teſtatur ad hunc locum Torrentius. *Emm.*

108. Cor-

Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ:
Inſtituuntque dapes, & adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis, (ſic Juppiter ille monebat)
Et Cereale ſolum pomis agreſtibus augent.
Conſumtis hic forte aliis, ut vertere morſus
Exiguam

108. *Corpora ſub ramis deponunt.*] Ex Lucret. 1. *Hinc feſſæ pecudes per pabula læta Corpora deponunt.* Catul. *Magna progenies Jovis, Quam mater prope Deliam Depoſuit olivam.* Germanus.

Sub ramis.] Pari voluptate Horat. Od. 11. lib. 2. *Cur non ſub alta platano*, &c. Lege reliqua. Pari Ovid. 3. Faſt.

Plebs venit, & virides paſſim disjecta per herbas
Potat. ——

Cerda.

109. *Adorea liba.*] *Ador* proprie eſt genus farris. *Liba* autem, ſunt placentæ de farre, melle & oleo, ſacris aptæ. *Servius.*

Adorea liba.] Quæ mox *Cereale ſolum* appellat: item, *patulas quadras:* item *menſas.* Erant autem menſæ paniciæ, quas Dionyſius *ἰτρία καρπῶ πεποιημένα πυρίνε*, dixit. Turn. l. 30. c. 5. *Tellerbrodt.* Taubm.

Adorea liba.] *Ador farris eſt genus, edor quondam appellatum ab edendo: vel quod aduratur, ut fiat toſtum, unde in ſacrificio mola ſalſa efficitur.* Ad quæ verba Feſti vide Scaligerum. ejus laudem narrat Plinius l. 18. c. 8. trecentos annos uſi ſunt eo Romani, primuſque fuit Latio cibus, ut c. 7. inde *adorea liba*, quæ ex farre illo confecta erant. Sumitur & *adorea*, pro *laude*, juxta Plinium jam citatum c. 3. Ab *adoreus* eſt *adoreoſus* idem quod *glorioſus* ἔνδοξος Græce, ut in vetuſto Gloſſario. *Emmeneſſ.*

Per herbam.] In antiquis pleriſque codicibus, *per herbam* unitatis numero legitur: & ita in veteribus Priſciani codicibus ſcriptum eſt, eo citato verſu, ſed *herbas* legere magis nunc placet eruditis viris. *Pierius.*

110. *Subjiciunt epulis.*] Subponunt in epularum locum. *Servius.*

Ille.] Qui per Harpyjam vaticinatus eſt: ut, *Quæ Phœbo pater omnipotens.* *Idem.*

Ille.] Priſcianus agnoſcit, *Juppiter ille.* Quæ quidem lectio prius erat in codice Mediceo. Ait vero Priſcianus, *ille* demonſtrativum eſt. Terentius in Eunucho, *Viden' tu illum Thais?* Relativum, Virgilius in ſeptimo, *ſic Juppiter ille monebat.* Apud Servium *ipſe* ſcriptum eſt. Sed nihil prohibet, quin *ille* illic etiam eſſe potuerit, & ita legi, *ille* qui per Harpyjam vaticinatus eſt. *Pierius.*

111. *Et Cereale ſolum.*] *Solum* omne dicitur quod aliquid ſuſtinet. Unde de mari ſupra ait: *Subtrahiturque ſolum.* Sic nunc panicias menſas, id eſt, epularum ſuſtentaculum, *ſolum* vocavit. *Servius.*

Cereale ſolum.] Id eſt, ſuſtentaculum epularum. ideo dixit, *ſubjiciunt epulis.* Nam *Solum* dicitur omne id, quod aliquid ſuſtinet. Ovid. 1. Met. *Aſtra tenent cæleſte ſolum.* Notetur autem hic exemplum parſimoniæ militaris: de quo Scal. l. 3. c. 18. Poët. *Taubm.*

Pomis agreſtibus.] Attingit conviviolum illud, quod Græci vocant ἄναιμον, & ἄπυρον. *Cerda.*

112. *Forte aliis.*] Abundat *forte.* Servius.

Conſumtis.] Athen. lib. 3. καταναλίσκω ad eam rem: & Strabo ἀναλίσκω l. 13. loquens de hac ipſa Æneæ hiſtoriæ. Et 3. Æn. *malis abſumere menſas.* Cerda.

Morſus.] In pleriſque veteribus codicibus,

Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris;
Heus! etiam mensas consumimus? inquit Iulus.
Nec plura adludens. ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.

Conti-

dicibus, *morsum* singulari numero scriptum est. Sed parvi hoc momenti. *Pierius.*

114. *Violare.*] Cum allusione ad ritus veterum, quibus mensa omnis habebatur pro re sacra, non solum illæ, in quibus sacrificia peragebantur, & quæ erant pro aris: sed omnes, in quibus dabatur epulis opera. Arnob. lib. 2. *Sacras facitis mensas salinorum apposito, & simulacris Deorum.* Qui legit, quæ Plinius scripsit cap. 2. lib. 28. ab eo loco, *Recedente aliquo ab epulis*, &c. aperte videbit, mensas fuisse veteribus sacratissimas. Sed hoc jam ego fuse lib. 1. Æneid. Itaque apte hic *violo*, ut in re sacra, &, *malæ audaces.* Nam quæ audacia rem sacram violare? *Cerda.*

115. *Fatalis crusti.*] Ad negotium respexit Æneas, cui hic erat finis laborum. *Crustum* autem & *crusta* neutraliter dicimus de his, quæ comedi possunt. Horatius, *Ut pueris olim dant crustula blandi Doctores.* Juvenalis, *Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.* Fœminino autem genere fragmenta dicimus, quæ comesse non possumus: ut, *Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ.* Servius.

Crusti.] Sic legendum codicum omnium arbitrio, non *frusti.* Nihil enim allucet, quo mutem veterem lectionem. Admonet Julius Scal. voces *triticum*, & *panis* non esse è gravitate heroici carminis, ac proinde semper Cererem, & hic crustum usurpatum. Vocat *fatale*, quia in eo sita fata. *Cerda.*

Quadris.] Aut mensis: & est Antonomasia. Nam supra *orbem* dixit. Aut *quadris*, fragmentis accipimus: ut, Juvenalis, *Ut bona summa putes aliena vivere quadra.* Servius.

Quadris.] Quadra proprie ad instrumentum mensarum pertinet, cui cibus incisus & scissus imponitur. ut ℣. 125.

Accisis coget dapibus consumere mensas.

pro *mensis* hic accipi, vult Servius, quæ primum fuerunt quadratæ, & postea rotundæ, ut Ciacconius de Triclinio p. 25. *Emmeness.*

116. *Consumimus.*] In Mediceo codice, & aliquot aliis antiquis *consumpsimus* præterito tempore scriptum est. *Pierius.*

117. *Adludens.*] Aut vacat *ad*: & ludentem significat. Aut certe *Adludens*, ad responsi fidem verba componens. *Servius.*

Adludens.] *Adludere* pro jocari apud Phædr. l. 3. fab. 20. *intempestive qui occupato adluserit.* In eadem notione usurpat Cicero 1. de Orat. ut Turnebus l. 3. c. 5. *Emmeness.*

Laborum finem.] Scilicet maritimorum. Nam in terra multa passurus est: ut ait Sibylla, *Sed terræ graviora manent.* Servius.

118. *Primamque loquentis ab ore Eripuit pater.*] Hoc est, Adhuc loquente Ascanio, intellexit famem, quam fata prædixerant. *Idem.*

119. *Eripuit.*] Quasi è faucibus vocem rapuerit. Ita in omine quoque Spartianus, & Valerius. Ille in Severo: *Sibi omen futuræ felicitatis arripuit.* Hic de Paulo Æmilio lib. 1. c. 5. *Arripuit igitur omen Paulus, eque fortuito dicto quasi spem certam clarissimi triumphi animo præsumpsit.*

Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, ô fidi Trojæ salvete Penates.
Hic domus, hæc patria est. genitor mihi talia, (namque
Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:

Cum

sumpsit. In hac re solemne fuit *omen accipere*. Sed & extra omen verba hæc usitata fuisse satis liquidum ex nota Germani, qui adducit Euripidem, Sophoclem, Platonem, qui usi verbis simillimis in sermone, primus in Hercule, ἁρπάζειν, alter in Ajace, ξυναρπάζειν, tertius in Gorgia, συναρπάζειν ἀλλήλων τὰ λεγόμενα. *Cerda.*

Eripuit pater.] Περιήρπασε φήμην, Hom. Aviditatem notat imponendi finem tot exspectationibus. Quasi eam vocem è faucibus ei rapuerit, nec exspectarit, ut totam eloqueretur: ita protinus se eam vocem agnoscere dixit, & omen accipere. *Omen* enim est, quod ab hominis ore excipitur, quod hic Æneas, qui esset Pontifex & sciens auguriorum, facit. Scal. l. 3. c. 15. Turneb. lib. 30. c. 5. *Taubm.*

Stupefactus.] In codicibus aliquot antiquis, *& stipefactus* habetur, ut, *Obstipuit*, & similia. Sed nos usum sequamur. *Pierius.*

Numine pressit.] Oraculi fide ab Heleno & Anchisa prædicti. *Pressit* autem vocem Ascanii, quo posset ipse numina deprecari. *Servius.*

120. *Fatis mihi debita tellus.*] Bona Periphrasis est, ne *fatalis* diceret: quod est medium, & in precibus nihil ambiguum esse debet. *Idem.*

Salve fatis mihi debita tellus.] Frequentissimum hoc accedentibus ad exoptatum locum. Ulysses accedens ad Ithacam Odyss. 13.

—— κύσεν δὲ ζείδωρον ἄρουραν,
Αὐτίκα δὲ Νύμφῃς ἠρήσατο χεῖρας ἀνασχὼν,
Νύμφαι Νηϊάδες κοῦραι Διὸς, &c.
——*Osculatus est autem almam tellurem,*
Statim autem Nymphis supplicavit sublatis manibus,
Nymphæ Naiades filiæ Jovis, &c.

Ovidius lib. 1. Fast.

Diique petitorum, dixit, salvete locorum,
Tuque novos cœlo terra datura Deos.
Fluminaque & fontes, quibus utitur hospita tellus,
Et nemorum Nymphæ, Naiadumque chori.

Scholiastes Apollonii lib. 2. τοὺς ἐπιδημοῦντας ἔθος ἦν ἐν τῇ ἀλλοδαπῇ θύειν θεοῖς ἐπιχωρίοις, καὶ ἥρωσι. Quibus ait, morem fuisse, ut qui ad locum aliquem accederent, sacrificarent Diis, & Heroibus illius loci. Servus apud Plautum Bacchid.

Herilis patria salve, quam ego biennio
Postquam in Ephesum abii conspicio lubens.

Alter in Sticho:

Salvete Athenæ, quæ nutrices Graciæ.
O terra herilis patria te video lubens.

Catullus:

Salve ô venusta Sirmio, atque hero gaude,
Gaudete vosque Lydiæ lacus undæ, &c.

Hæc lætitia osculo significabatur. Præmisi jam locum Homeri Odyss. 13. & adjicio alterum Odyss. 4. ubi de Agamemnone attingente patriam, καὶ κύει ἁπτόμενος ἣν πατρίδα: *& osculabatur attingens suam patriam.* Non satis osculum, imo adoratio. Euribates apud Senecam Agam.

Delubra, & aras cœlitum, & patrios lares
Post longa fessus spatia, vix credens mihi,
Supplex adoro. —— Cerda.

121. *O fidi Trojæ salvete Penates.*] Æneæ scilicet, non Trojæ: quam nequivere servare. *Servius.*

122. *Hic domus.*] Aut familia: ut, *Ds propriam Tymbræe domum.* Aut ordo est, Hic est patria, hic domus. Ante enim patria est, sic domus. *Idem.*

125. *Acci-*

Cum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas;
Tum sperare domos defessus, ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Hæc erat illa fames; hæc nos suprema manebat
Exitiis positura modum.
Quare agite, &, primo læti cum lumine solis,
Quæ loca, quive habeant homines, ubi mœnia gentis,
Vesti-

125. *Accisis.*] Undique concisis vel consumptis: & hoc est apud nos *ac*, quod apud Græcos ἀμ. Hinc est, *Amsancti valles*, id est, undique sancti. *Idem.*

Accisis.] In codicibus aliquot antiquis, *ambesis* legitur: ut in III. *Ambesas subigat malis absumere mensas.* Servius, *accisis* agnoscit, & particulas *ac*, *ec*, *an*, idem apud nos præstare dicit, quod apud Græcos ἀμ, & crediderim ego, *ambesis* loco hoc ex paraphrasi desumptum esse. *Pierius.*

Accisis.] Ἀμφικόποις. Turneb. l.30. c. 5. opinatur Servium *ancisis* agnoscere: quod sit, *ambustis*. Quidam leg. *Ambesis*. Taubm.

Mensas.] Quæ fiebant ἐκ τῶν σκληροτέρων μερῶν τῶν ἄρτων, ut ait Didymus, id est, e durioribus panis partibus compactum frustum. Vide & Cæl. l.7. c.12. *Idem.*

128. *Hæc erat illa fames.*] Ac si diceret, Hoc fuerat timendum periculum: quod pericula determinat. *Serv.*

Suprema manebat.] In Romano codice *suprema manebant.* Ac de supremo quidem alibi, quibus locis, quibusque marmorum testimoniis aliquando gemino *pp* scribi solitum. Quod vero *manebant* plurali numero scriptum sit, subintelligendum esset, *adversa.* Nam Celeno, quum multa horrenda moneret, supremum hoc addidit, ut gravissimum infortunium. Fuitque semper Æneas super obscena ea fame sollicitus, qua quidem adversa omnia terminanda Helenus pollicetur, futurumque ut sit requies ea certa laborum. Placet & *manebat*, quod esset ea fames *exitiis positura modum.* Nam quo ad labores, *Terra graviora manent.* Pierius.

130. *Lumine solis.*] Pro Sole millies. Ita Lucret. lib. I. *Visuque exortum lumina Solis.* Et Græci passim, φάος ἠελίου. *Cerda.*

131. *Quæ loca, quive, &c.*] Tale illud lib. I. Æneid.

Ut primum lux alma data est, exire, locosque
Explorare novos, quas vento accesserit oras,
Qui teneant, &c. ——

Quæ imitatio sumpta ab Homero Odyss. 6.

Ὤ μοι ἐγώ, τέων αὖτε βροτῶν ἐς γαῖαν ἱκάνω;
Ἦ ῥ' οἵγ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι, οὐδὲ δίκαιοι,
Ἦε φιλόξενοι, καί σφι νόος ἐστὶ θεουδής
Heu mihi, quorumnam hominum ad terram veni?
Anne hic injurii & agrestes, neque justi?
Aut hospitales, & ipsis est mens Deorum reverens?

Pari ingenio idem Ulysses Odyss. 10.

Δὴ τότ' ἐγὼν ἑτάρους προΐειν πεύθεσθαι ἰόντας
Οἵ τινες ἀνέρες εἶεν ἐπὶ χθονὶ σῖτον ἔδοντες.
At tunc ego socios præmisi sciscitatum profectos
Quinam viri essent supra terram pane vescentes. Idem.

Habeant.] Habitent. Hoc enim frequen-

Vestigemus, & à portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Jovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, & vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Inplicat, & Geniumque loci primamque deorum
Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota precatur
Flumina: tum Noctem, noctisque orientia signa,
Idæumque Jovem, Phrygiamque ex ordine matrem,
Invo-

quentativum est, ab eo quod est *habeo*. Servius.

Habeant.] *Habere* pro habitare frequenter in usu, ut Græcis τὸ ἔχειν. Plautus in Prol. Aulul. ℣s. 5. *qui nunc hic habet*. Homer. Iliad. α. ℣s. 18. ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες. Musæus ἔχω γείτονα πόντον. Nob. Heins. ad Ovid. Metam. l. 4. ℣s. 772.

Cujus in introitu geminas habitasse sorores.

ex melior. Cod. reponit *habuisse*. vide Salmasium in Notis ad Tertull. de Pallio p. 249. *Emmeness.*

Ubi mœnia gentis.] Laurolavinium dicit. *Servius.*

133. *Nunc pateras libate Jovi.*] Ab eo quod continet, id quod continetur. *Idem.*

Nunc pateras libate Jovi.] Lactantius hic intellexit Anchisen à filio consecrari. *Anne*, inquit, *potest aliquis dubitare, quomodo religiones eorum sint instituta, cum apud Maronem legat Æneæ verba sociis imperantis, Nunc pateras*, &c. *cui non tantum immortalitatem, verum etiam ventorum tribuit potestatem: Poscamus ventos, atque hæc mea sacra quotannis Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis*. Germanus.

134. *Anchisen genitorem.*] Bene Jovem & Anchisen: qui caussa oraculi fuerunt. *Servius.*

Reponite mensis.] Aut timore verborum Ascanii interrupta renovate: aut *reponite*, frequenter ponite, id est, crebro libate, bibite. *Idem.*

Vina reponite mensis.] *Reponere* verbum esse convivale constat: unde & intra lib. 8. *Jubet sublata reponi Pocula.* Hinc fit ut quidam existimarint *repotia* dicta, quasi *repostia*, hoc est, τὴν μεθεόρτον ἡμέραν, qua apud maritum novum instaurabatur, & veluti reficiebatur potatio. *Germanus.*

135. *Tempora ramo Inplicat.*] Diebus festis ita epulabantur, coronati. *Serv.*

136. *Geniumque loci.*] Apollinem vult intelligi. In tutela enim ejus tota fuerat regio: ut, *Quæ pater inventam primas cum conderet arces, Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus.* Aliter iniquum est, si cum omnes invocet, Apollinem prætermittat: præsertim cum Helenus dixerit, *Aderitque vocatus Apollo*. Id.

Primamque deorum.] Quia ipsa est mater deorum. *Idem.*

Primamque deorum Tellurem.] Recurre ad illud lib. 4. supra: *prima & tellus, & pronuba Juno*. Germanus.

137. *Nymphasque, & adhuc ignotæ precatur flumina.*] Bonum ordinem sequitur. Sic alibi, *Nymphæ Laurentes, Nymphæ genus amnibus unde est*. Servius.

138. *Noctem, noctisque orientia signa.*] Quæ noctem sequuntur: ut Nymphas flumina. Invocat enim sibi conjuncta. *Idem.*

139. *Idæumque Jovem.*] Vide quæ dicta ad l. 4. Georg. ℣s. 152. Sic Hom. Κρονίωνος ἰδαίου. Meminit & Callimachus in Hymno ad Jovem, Ζεῦ σὲ μὲν ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσί φασι γενέσθαι. *Emmen.*

Phrygiamque ex ordine matrem.] Aut contigue, quia Idæum dixerat Jovem: aut certe rite, id est, more solenni. *S.*

140. *Du-*

Invocat, & duplicis Cæloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter cælo clarus ab alto
Intonuit: radiiſque ardentem lucis & auro
Ipſe manu quatiens oſtendit ab æthere nubem.
Diditur hic ſubito Trojana per agmina rumor,
Adveniſſe diem, quo debita mœnia condant.
Certatim inſtaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant.
Poſtera cum prima luſtrabat lampade terras

Orta

140. *Duplicis.*] Duos. *Cælo* autem, Venerem: *Erebo,* Anchiſen. *Idem.*

141. *Cælo clarus ab alto.*] In ſerenitate, quod eſt augurii. Nam ſi cœlo nubilo fuerit, cauſſa eſt. *Idem.*

Clarus.] Fauſtum omen, ſi ſereno & claro cœlo intonaretur. Itaque idem hic dicit per *clarum Jovem*, quod in 9. per *cœlum ſerenum*, cum ait:

Audiit, & cœlo genitor de parte ſerena
Intonuit lævum. —— Cerda.

Clarus intonuit.] Boni ominis augurium, & certiſſimum divinitatis argumentum ſunt tonitrua in puro & innubilo cœlo. ut Horat. 1. Oda. 34. Videatur Turneb. l. 22. c. 20. & Alexand. l. 5. c. 15. *Taubm.*

142. *Radiis & auro.*] Radiis aureis. *Servius.*

Radiis ard. lucis, & auro.] Νεφέλην χρυσίζουσαν, & χρυσοειδῆ. *Germanus.*

Ardentem nubem.] Alii fulmen, nubem ardentem dicunt, ut Lucanus, *Atque ardens aëre ſolo,* quos hoc loco ſecutus eſt. Alii fulmen dicunt aëris ſciſſione ardentem rimam, quos alibi ſequitur dicens, *Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.* Servius.

144. *Diditur.*] In antiquis *diditur,* quo ſæpe utitur Lucretius pro *ſpargitur, diffunditurve,* in aliis *deditur.* Pierius.

Diditur.] Verbum *dido*, eſt diſtribuo. Itaque *rumor diditur*, eſt, rumor ſpargitur. Horat. 2. Sat. lib. 2. *munia didit*, id eſt, partitur. Lucretius lib. 3.
Senſiferos motus quæ didit prima per artus.

Inde in 8. *tua terris didita fama.* Itaque nihil eſt aliud, *rumor diditur,* quam rumor diſtulit. Ita Tacit. 11. Ann. *Didita per provincias fama.* Quod Plutarch. in Anton. & Græci alii, λόγος διῆλθεν: &, πολὺς ἦν λόγος, &, λόγος ἐστί. *Cerda.*

Rumor.] Alciatus lib. 1. Parer. 6. ſic definit: *Rumor is videtur, qui recenter emanavit, & per ora hominum circumfertur.* Quadrat hæc finitio in hunc locum, ubi rumor ſubito conceptus, ac recenter emanans in omnes ſerpit. Inde Stat. 2. Theb. *fuſo rumore*, quo innuit famam primo ſerpentem, qui ſane locus Statii ad imaginem Maronis; ait enim:

Ergo alacres Argi fuſo rumore per urbem
Adveniſſe duci generos. ——

Præclare Ovidius Eleg. 12. Triſt. 3. vocavit *gradum famæ.*

Et fieri famæ parſque graduſque poteſt.

Idem.

145. *Condant.*] In antiquis aliquot codicibus, *condent* habetur futuro tempore modi finitivi. Sed *condant* eodem tempore modi optativi elegantius eſt, & vocale magis. *Pierius.*

146. *Certatim inſtaurant epulas.*] Id eſt, *Et vina reponite menſis.* Servius.

Magno omine.] Cœleſti dicit. Alibi, *Nam te majoribus ire per altum Auſpiciis manifeſta fides.* Idem.

147. *Vina coronant.*] Pro *pateris.* Idem.

148. *Cum prima.*] Vetera aliquot exemplaria *primo* legunt, adverbialiter.

Orta dies; urbem, & finis, & litora gentis
Diversi explorant: hæc fontis stagna Numici,
Hunc Thybrim fluvium, hic fortis habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.

Haud

ter. Sed *prima* lampade multo magis placet. *Pierius.*

150. *Diversi.*] Id est, euntes quisque in diversa, sic in 9. *Diversi circumspiciunt*, id est, in diversa, locutione poëtica. Supra clare posuit, *à portu diversi.* Cerda.

Hæc fontis stagna Numici.] Ista jam ab incolis discuntur. Quod autem ait *stagna*, verum est. Nam Numicus ingens ante fluvius fuit: in quo repertum est cadaver Æneæ & consecratum. post paulatim decrescens, in fontem redactus est: qui & ipse siccatus est sacris interceptis. Vestæ enim libari non nisi de hoc fluvio licebat. *Servius.*

Numici.] *Numicius* Græce νομίκιος teste Dionys. Halic. l. 1. Latii flumen est, super quod situs est Æneas, ut Livius l. 1. c. 2. alludit Ovid. Metam. l. 14. ℣s. 598.

Litus adit Laurens; ubi tectus arundine serpit
In freta flumineis vicina Numicius undis.
Hunc jubet Æneæ, quæcunque obnoxia morti
Abluere, &c. Hinc gens Numicia, in qua oriundus T. Numicius Priscus Cons. de quo Livius l. 2. c. 63. Meminit etiam viæ, quæ à Numicio nomen sortita est, Horat. l. 1. epist. 18.

Brundisium Numici melius via ducat an Appi.

Ejus extat etiam in eodem libro epistol. 6. ad Numicium scripta. *Emm.*

152. *Tum satus Anchisa.*] Quamvis fatis fideret, tamen humanitatis officium putavit ad regem legatos mittere, ne ob superbiam alienos fines invadere videretur: interim non expectato de pace responso urbem designat, tantum spei in fatis reposuerat. *Donatus.*

Ordine ab omni.] Omni qualitate dignitatum: quod apud Romanos in legatione mittenda hodieque servatur. *Servius.*

153. *Oratores.*] Legatos. sic l. 11. ℣s. 103.

Jamq; oratores aderant ex urbe Latini.

Quid tamen sit differentiæ inter legatum & oratorem docet Albert. Gentilis de legationibus l. 1. c. 2. *Emm.*

Augusta ad mœnia.] Augurio consecrata. Hinc paulo post illud est, *Tectum augustum, ingens.* Et nisi in augusto loco consilium senatus habere non poterat. Unde templum Vestæ non fuit augurio consecratum, ne illuc conveniret senatus, ubi erant virgines. Nam hæc fuerat regia Numæ Pompilii. Ad atrium sane Vestæ conveniebatur, quod fuerat à templo remotum. *Servius.*

154. *Ramis velatos Palladis.*] Statius 2. Theb.

—— *ramus manifestat olivæ*
Legatum, causasque via. ——

Ergo, quia pacem petituri, velantur ramis Palladis. Et Sil. lib. 13. ramum olivæ vocat, *pignora pacis.* Sed vide in 8. meminit *paciferæ olivæ.* *Velatos* explicat gestantes velamenta in manibus, quem locum illustro infra in hoc libro, ad illud, *Præferimus manibus vittas.* Cerda.

155. *Donaque ferre viro.*] Ex more receptissimo. Quid enim aptius ad flectendos animos illorum, ad quos destinata legatio? Legati Hispanorum dant Annibali apud Silium lib. 2.

—— Cly-

Haud mora: festinant jussi, rapidisque feruntur
Passibus. ipse humili designat mœnia fossa,
Moliturque locum; primasque in litore sedes,
Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.
Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua

—— *Clipeum sævo fulgore micantem*
Oceani gentes ductori dona ferebant.
Callaica telluris opus galeamque coruscis
Subnixam cristis, vibrant cui vertice coni
Albentes niveæ tremulo nutamine pennæ.

Inde lib. 11. Æneid. Venulus Legatus:

Postquam introgressi, & coram data copia fandi,
Munera præferimus, nomen, patriamq; docemus. Cerda.

157. *Designat mœnia.*] Plenius hoc l. 5. Æneid. vers. 755.

Interea Æneas urbem designat aratro.

Ad quem locum consule Servium. *Designare* Donato ad Ter. Ad. 1. 2. 7. est rem novam facere. *Emmeness.*

Fossa.] Sulco: & sunt ista reciproca. Nam & *Sulcum* ponit pro *fossa*: ut, *Ausim vel tenui vitem committere sulco*, id est, fossa. *Servius.*

158. *Moliturque locum.*] Præparat. *Idem.*

Primasque in litore sedes.] Ideo *Primas*, quia imperium, Lavinium translaturus est. Et sciendum civitatem, quam primo fecit Æneas, Trojam dictam secundum Catonem & Livium: quod ipse dicit, *Nec te Troja capit.* Idem

159. *Castrorum in morem.*] Brevem scilicet. *Idem.*

Pinnis atque aggere cingit.] Muro, in quo pinnæ sunt. & est Synecdoche. *Aggere* autem, Fossa. *Idem.*

Pinnis.] Θριγκοῖς. *Germanus.*

Pinnis.] Hanc vocem propriè hærere in galeis militaribus, atque inde traductam ad muros, docet Varro l. 4. de Lin. Lat. nam de pinnis loquens ita ait: *Ab his, quas insigniti milites habere in galeis solent, & in gladiatoribus Samnites.* Ædificium, cui insunt pinnæ, *περίτειχον* vocat sanctus Propheta Amos cap. 3. *Cerda.*

Aggere.] Intelligit vallum, quod solebat erigi ad labrum fossæ interius. Fiebat ex aggestis cespitibus; ideo signatè Maro *aggere.* Est enim *agger* aggesta terra, unà cum sudibus. Sudes Virgilius omisit, contentus nominasse aggerem. Nominant alii. Ammian. libr. 31. *Vallum sudibus densis, & fossarum altitudine cautius astruebatur.* Itaque & sudibus, & aggesta terra fiebant militaria munimina, præsertim cùm raptim extruerentur. *Idem.*

160. *Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum.*] Hypermetrus versus. *Servius.*

Jamque iter emensi.] Frequenter poëtæ Græci *ἀναμετρεῖν ὁδὸν, κέλευθον, ἅλα*, dicunt. *Germanus.*

Turres ac tecta.] Primo enim altiora ædificia, deinde cum propinquius acceditur, humiliora cernuntur. *Donatus.*

Turres ac tecta Latinorum.] In codicibus nonnullis admodum vetustis, *turris ac tecta Latini* legitur. Servius *Latinorum* hypermetrum agnoscit: quod etiam in Mediceo codice habetur. In plerisque aliis aliena id manu scriptum, priore abrasa lectione. In Porcio *orum* ultimæ duæ syllabæ derasæ sunt. Sed fuit hæc eorum imperitia, qui figurarum id genus in carmine non intelligebant. Porrò Asper Grammaticus, ita *Latinorum* Virgilianum putat, ut versum etiam in suos pedes dividendo, neque syllabam, neque literam ullam deerrare permittat; Exemplaque insuper alia oggerit, quibus Virgilium Hypermetro libenter usum ostendat: est etiam in aliquot antiquis, *turris & tecta*, pro *ac tecta*: quod in aliorum sit arbitrio. *Pierius.*

Latinorum.] Versus hypermeter, cujus extremum in duas in syllabam sequentis, per concretionem. Quos versus

Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri, & primævo flore juventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus:
Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.
Cum prævectus equo longævi regis ad auris
Nuntius ingentis ignota in veste reportat
Advenisse viros. ille intra tecta vocari

Impe-

sus Scaliger libenter appellet δολιχήρους, & ἰσήρους: l. 2. c. 31. *Taubm.*

161. *Muroque subibant.*] Alibi per accusativum: ut, *Æneæ subiit mucronem, ipsumque morantem Sustinuit.* Et hoc secundum naturam est. Nam, *it sub mucronem*, dicimus. Nam per dativum figuratum est. *Servius.*

Muroque.] In Romano codice, *muros* per accusativum est: quod secundum naturam esse ait Servius; *muro* vero per dativum figuratum. *Pierius.*

Muroque subibant.] Hom. Iliad. ο. δύοντο δὲ τεῖχος ἀνάγκῃ. & Od. μ. ὑπήλθετε δῶμ' Ἀΐδαο. *Germanus.*

162. *Pueri, & primævo flore juventus.*] Bene Romanæ militiæ exprimit morem. Nam post pubertatem armis exercebantur: & sexto decimo anno militabant. Quo etiam solo sub custodibus agebant. Nec est contrarium, *Longa populos in pace regebat.* Nam licet in pace essent, exercitium tamen vigebat armorum. *Servius.*

Primævo flore juventus.] Isid. l.9.c.3. refert ad primam tyrocinii ætatem, quæ erat ab anno decimo sexto. *Cerda.*

Ante urbem pueri, &c.] Laudat Virgilium P. Victorius l. 30. var. lect. c.6. quod diligenter exposuerit instituta priscorum Latinorum, & qua disciplina imbuere pueros suos soliti fuerint. Illa quippe institutio finem habebat fortitudinem militarem & scientiam rerum bellicarum. videtur hic attingere tyrocinia Romanorum, teste Turn. 26.c.22. ut ex sequentibus versibus satis liquet. *Emmeness.*

163. *Domitantque in pulvere currus.*] Equos sub curribus. *Servius.*

In pulvere.] Quia ibi melius animalia domantur, ubi difficilior tractus est. *Donatus.*

Currus.] Equos sub curribus. ita 12. *Infrenant alii currûs,* id est, equos. *Scaliger.*

164. *Acris arcus.*] Fortes: & est κατάχρησις, nam acrimonia mentis est. *Servius.*

Lenta.] Mollia. *Idem.*

165. *Ictu.*] Jaculatione. *Idem.*

Ictu.] Non ut sese ferirent invicem, sed ut destinata percuterent. *Donatus.*

166. *Prævectus.*] In codicib. omnibus antiquis quotquot habui, uno exemplo legitur *prævectus.* Quod magis ostendit anticipationem. Est & ubi loco particulæ *quum*, scriptum sit *tum.* Sed hoc ob similitudinem literarum *c* & *t*, quæ eadem pene forma sunt in notis Longobardicis, ut alibi dictum. *Pier.*

167. *Ingentis.*] Ex stupore nuntii laus ostenditur Trojanorum. Et bene novitatis ostendit opinionem. Ingenteis enim esse, quos primum vidimus, opinamur. *Servius.*

Viros ingentis ignota veste.] Nam ex inpræmeditata re, & perturbato animo, putavit se vidisse illos ultra humanam formam. Extollit autem regiam Latini à pulchritudine ædificii, & ab ornatu triumphali, non à pictura fabularum. *Donatus.*

Reportat.] Aut *re* vacat: aut *re* pro *ad* posuit, ut sit *adportat.* Servius.

168. *Intra tecta vocari.*] Dissentit hoc

Imperat, & solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe

hoc loco à Romana consuetudine. Nam legati si quando incogniti venire nuntiarentur, primo quid vellent, ab exploratoribus requirebatur: post ad eos egrediebantur magistratus minores: & tunc demum senatus extra urbem postulata noscebat, & ita, si visum fuisset, admittebantur. Sed hoc prudenter fecit; Latinum namque memorem vult esse responsi, & avidum satis ad externos videndos, per quos promittebatur felicitas. *Idem.*

169. *Solio medius consedit.*] Ut supra diximus, *Solium* est veluti armarium de uno ligno, ad regum tutelam factum. Secundum alios, à soliditate dictum. Secundum Asperum per Antistichon, quod solum unum capit: quasi *sodium* à sedendo. Nam & *sella*, quasi *sedda* dicta est. *Idem.*

Consedit.] Quod regibus, ducibus & judicibus convenit. Phædr. l. 4. fab. 17. *consedit genitor tum Deorum maximus.* & Ovid. l. 13. Metam. ẏſ. 1. *consedere duces.* Ascon. Pædian. *consedit Pompejus ad ærarium.* vide Taubm. l. 1. Æn. ẏſ. 56. ubi etiam de solio, quod majestatem conciliat, quem βασιλικὸν θρόνον appellat Beda de Orthogr. Vide Guther. de jure manium l. 2. c. 21. *Emm.*

170. *Tectum augustum, ingens.*] Domum, quam in palatio diximus ab Augusto factam, per transitum laudat: & quasi in Laurolavinio fuisse commemorat. *Servius.*

Augustum.] Vel quia domus fuit regum, vel quia reges ipsi sibi regnandi auspicia sortiebantur; illic enim potestatem sumebant & fasces erigebant. *Donatus.*

Tectum augustum.] Hanc Regiam deinde nominat templum, unde, credo, in hoc initio *augustum tectum*, templum respiciens. Quæ sint augusta aperit Sueton. in Aug. *Loca religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, augusta dicuntur.* Et Ovid. 1. Fast.

Sacra vocant augusta patres, augusta vocantur
Templa Sacerdotum rite dicata manu.

Huc allusit Cicero 2. Leg. scribens: *Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecrantur manu, quarum omnium Romæ dedicata publice templa sunt.* Et in Orat. pro Domo: *Cum suis dicat se manibus consecrasse, qua tua fuit consecratio?* Ergo in Apul. 4. Flor. nominante, *augusta loca Cytheronis*, cur non capiam templa ibi dicata Apollini? & *augustum* ait cum blandimento ad suum Principem. Quo etiam usus Ovid. 1. Trist. Eleg. 1.

Ignoscant augusta mihi loca, Diique locorum;
Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.

Ceterum ad Maronis Musam Statius 4. Silv.

Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis,
Sed quantæ superos, cœlumque Atlante remisso
Sustentare queant. ——

Tectior fuit in imitando Ovid. 2. Met.

Regia solis erat sublimibus alta columnis.

Et tectissimus Claud. in 6. Cons. Honorii:

——*subnixasque jugis immanibus ædes.*

Cerda.

Tectum augustum &c.] Ἀσύνδετον, & *inconjunctum*: figura laudabilis, de quâ Scal. l. 4. c. 28. & l. 2. c. 32. Domum autem Augusti, in Palatio factam, per transitum laudat. *Taubm.*

Tectum Urbe fuit summa.] Interpretatur ἀκρόπολιν, id est, *arcem.* ut suprà: *Alta Ceraunia*, pro, *Acroceraunia*: Turneb. lib. 30. Hunc autem versum Scal. l. 2. c. 29. ἁπλολόγον vocat: cujus dictio & dimensio & concinnitas simplex ac inelaboratæ similis: cujusmodi & ille Ovidii,

Regia Solis erat sublimibus alta columnis. Idem.

Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis & relligione parentum.
Hic sceptra accipere, & primos attollere fascis
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,
Hæ sacris sedes epulis: hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Quin

171. *Urbe fuit summa.*] Veteres codices nonnulli una cum Mediceo, *summa*, nonnulli *media* legunt. Utrunque placet. Si *Summa*, propter arcem, quæ solita est editiori loco poni: si *Media*, quia domus Regia in medio esse debet, ut de angue in orbem voluto cum domo in medio sita, quod imperatorem significet, in commentis Ægyptiorum habetur. *Pierius.*

172. *Horrendum.*] Venerandum: non quod horroris sit. *Servius.*

Horrendum silvis.] De religione silvarum poëtæ multa. Lucanus in descriptione luci l. 3. ✝ſ. 411.

Arboribus suus horror inest. ——

Ut hoc loco *regia Pici*, sic apud Horat. l. 1. ep. 11. *Crœsi regia Sardis* scilicet *domus*. De specu etiam dicitur, ut apud nostrum lib. 8.

At specus & Caci detecta apparuit ingens
Regia. Emmeness.

173. *Hic sceptra accipere.*] Hoc in palatio fiebat. *Servius.*

Hic sceptra accipere.] In antiquis plerisque codicibus, *hic sceptra adcipere*, hoc est in loco consistentibus. Quanquam placet & *hinc* de loco adverbium, veluti etiam omen erat coronas laureas Cæsaribus triumphaturis, ex eo carpere Laureto, quod in Vejentano Livia post Augusti statim nuptias pangi jusserat: de quo plura Suetonius. Neque vero illud dissimulabo, esse codices veteres, qui *sceptrum* unitatis numero legant: quod aliorum arbitrio relinquimus. *Pierius.*

Primos attollere fascis.] Cui & contrarium, *fasces summittere.* Alludit autem ad Capitolium, moremque Romanorum, apud quos magistratus omnes fascibus insigniri soliti, fasces ex Capitolio rite & more majorum desumebant. Est & ad idem allusio elegans apud Tacit. lib. Ann. 20. ubi inducitur acerrimus belli in Pop. Rom. instinctor concitorque Tullius Valentinus, dissuadente Julio Auspice, & pacis bona dissertante & asserente, subjecta præcedentibus hac clausula: *Quod bello caput? unde jus auspiciumque peteretur? quam, si cuncta provenissent, sedem imperio legerent? Nondum victoria: jam discordia, &c.* In eo siquidem tumultu, potiusque bello justo, Galliarum civitates cum fœderatis, incerto imperio, & æqua æmulatione bellum suscepturæ videbantur, nullo duce, vel imperatore constituto, in cujus verba juraretur. *Germanus.*

174. *Curia templum.*] Quia, ut diximus supra, curia non est nisi in augurato loco. *Servius.*

Hoc illis curia templum.] Legatos cum apud Græcos, tum apud Latinos in templis olim auditos esse, luculenter docet J. Brodæus Miscell. l. 4. c. 17. *Taubm.*

175. *Hæ sacra sedes epulis.*] In Romano codice, *hac* unitatis numero legitur: ut sit, *Hac sedes.* In reliquis plurale est. In Mediceo, *sacræ sedes.* Sed melius *sacris*, ut in Porcio. *Pierius.*

Hæ sacris sedes epulis.] Nam in templo epulum deorum dari solebat apud Romanos: Turn. l. 30. c. 5. *Taubm.*

Ariete cæso.] Hoc sacrificium in janua palatii fiebat festis diebus. *Servius.*

176. *Perpetuis mensis.*] Longis, ad ordinem exæquatis sedentum. Majores enim nostri sedentes epulabantur: quem morem habuerunt à Laconibus & Cretensi-

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua è cedro; Italusque, paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Satur-

tensibus, ut Varro docet in libris de gente populi Romani: in quibus dicit quid à quaque traxerint gente per imitationem. *Servius.*

Perpetuis mensis.] In longum compositis, atque ad ordinem sedentium exæquatis. Constat enim Romanos & alios vetustissimis & heroicis illis temporibus sedentes epulari solitos: postea, ut & Græcos, & omnem fere Orientem hodieque accubuisse. Vide & Cæl. l. 27. c. 25. De ritu accumbendi videatur Lipsius l. 3. Antiq. & l. XIII. ad Tacitum. & P. Ciacconius, & G. Stuckius. *Taubm.*

Perpetuis mensis.] De accubitu veterum legendus Mercur. de art. Gymn. l. 1. c. 11. *Emmeness.*

177. *Veterum.*] Perpetuum epithetum. Tibull.

Sic veteris sedes incoluistis avi.

Alibi:

Ritus ut à prisco traditus extat avo.

Et adhuc:

Quos tulit, à prisco traditus extat avo.

Sed quis nescit fumum imaginum? quis non quæ de atrio, ubi illæ sitæ, ab atricie, & antiquitate? Parco. Quos Virg. *avos veteres*, Silius lib. 8.

——*clarique dein stant ordine patres.*

Cerda.

Ex ordine.] Prout sibi successerant. Sane intelligendum est, ita ut nati fuerant, sic eorum imagines fuisse compositas. *Servius.*

Ex ordine.] Ita ut nati fuerant. *Don.*

178. *Ex cedro.*] Quod lignum non facile consumitur vetustate. Hoc genus ligni tinea nescit: corruptionemque ex antiquitate non sentit. Unde est *cedria*, quæ chartam reservat. Hinc est illud, *Et cedro digna locuti.* Aut *Cedria perunctæ*, quoniam ligna custodita conservat. *Servius.*

Cedro.] Ex Cedro factæ, quia hoc lignum cariem non sentit: vel *Cedria unctæ*, quæ ligna conservat. *Donatus.*

Antiqua è cedro.] In veteribus codicibus, quos legerim, vel *antiqua è cedro* absque *x* litera, quod omnino suavius videtur: vel absque ulla præpositione *antiqua cedro* ut in Mediceo habetur. *Pierius.*

Ex cedro.] Ob æternitatem materiæ, de qua multa ex antiquis observavit Junius de Pict. Vet. l. 3. c. 11. Vide quæ Cerda notavit l. 2. Georg. ✗ [versu] 443. *Emmeness.*

179. *Vitisator.*] Non inventor vitis, sed qui genus vitis demonstravit Italis populis. *Servius.*

Vitisator.] Pro hac sententia clare Ovid. 1. Fast. Nam de Saturno,

—— *Fuscum rate venit ad amnem*
Ante pererrato falcifer orbe Deus.

Ubi falcem Saturno, ut Virgilius attribuit. De imitatione moneatis; Nostrum conjunxisse quæ divisit Lucret. lib. 2.

Tristis item vetulæ vitis sator aqua fatigat.

Est hoc, quod Ovid. 4. Metam. *genialis consitor uvæ.* Macrobius, & Lilius Poëtam rejiciunt ad imitationem Accii: *O Dionyse, pater optime vitisator, Semele genitus Euchie.* Cerda.

Sub imagine falcem.] Aut statuæ exprimit gestum, ut dicat, Ita tenebat falcem, ut eam sub vultu haberet: aut *Sub imagine*, sub theca dicit, quæ falcis est similis. *Servius.*

Curvam servans sub imagine falcem.] *Servans falcem*, hoc est, perpetuam tenens. *Sub imagine*, sic accipiendum: quod sic eam teneret, ut ejus visu semper delectaretur; utpote amator vitium, quarum culturam omnem putatio falcis antevenit. Sub imagine ergo; sub oculis imaginis fixæ tantum. quoniam mox sequitur: *Saturnusque senex.* Ecce patefecit, quid sit, sub imagine servans falcem. sic enim sub imaginis oculis fuit; ut ferentis aspectibus semper esset objecta. *Curvam* cur dixerit, mani-

Saturnusque senex, Janique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant: aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.

Multa-

manifestum est: sic enim formatur. erecta quippe aliam speciem facit. *Donatus.*

Curvam servans sub imagine falcem, Saturnusque senex.] In multis codicibus interpunctio est, quæ si absit sensus manifestior videtur. Missis etiam quæ ex Servio Dan. & Donato proferuntur, verba annecto Servii, quæ in vulgato exstant codice, teste Cl. Gronovio l. 2. Observ. c. 15. *Quare sub imagine falcem? cum imagine enim pictus est Saturnus. Solvitur: aut scil. pro* in *posuit, aut ipsius quoque falcis non veritas, sed imago, vagina quædam falcis putatur.* Ex his ὁ πάνυ hanc probat explanationem, postquam optimorum testimonio docuit *sub* pro *in* sumi. *servans sub imagine falcem,* est, cujus imago & vinitoriæ falcis instar tenet. Fabulam habet Apoll. l. 1. Biblioth. falcem ἅρπην ἀδαμαντίνην à Tellure matre datam esse Saturno. Juvenalis à Saturno sumtam affirmat Sat. 13. ✝︎s. 39.

Sumeret agrestem posito diademate falcem.

Inde Ovid. Saturnum *senem falciferum* appellat l. 1. Fast. ✝︎s. 234.

—— Thuscum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.

Emmeneff.

180. *Saturnusque senex.*] Antiqui reges nomina sibi plerumque vendicabant deorum. Ergo Saturnus rex fuit Italiæ. Nam & supra ait, *Veterum effigies ex ordine avorum.* Iterum infert, *Aliique ab origine reges.* Hinc est quod apud Cretam esse dicitur Jovis sepulchrum. Gabalus etiam Romanus imperator Solem se dici voluit. Nam *Heliogabalus* dictus est. *Servius.*

Janique bifrontis.] Dignum est animadversione, in numismate Adriani exhiberi Janum quadrifrontem, videlicet in partem anteriorem, & posteriorem, in dextram, & sinistram. Quem bifrontem vocant reliqui; Ovidius 14. Metamorph. *Ancipitem Janum* dixit, sicut & Nazianzenus ad Nimesium ἀμφιπρόσωποι, de re tamen alia loquens: Cum allusione ad Janum utrinque oculatum dixit Pers. Sat. 1.

—— quos vivere fas est
Occipiti cæco. ——

quasi nihil admittant, quo debeant optare oculos Jani. *Cerda.*

Janique bifrontis.] Cur Janus διπρόσωπος, videatur Athenæus lib. 15. pag. 692. Edit. Casaub. inprimis Vicent. Cartharius de Imaginib. Deorum. Idem etiam *Quadrifrons* alicubi exhibetur: à quattuor anni temporibus: quemadmodum *biceps* à solertiâ præteritorum & futurorum. *Taubm.*

181. *Vestibulo.*] Hic interdum locus statuarum, qui prope atrium, vel vere ipsum atrium. Juvenal. Sat. 7.

Æmilio dabitur quantum peteret, & melius nos
Egimus: hujus enim stat currus aheneus, alti
Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus, & statua meditatur prælia lusca.

Cerda.

Ab origine.] Pro *Aboriginum reges*: sed est metro prohibitus. *Servius.*

Alii ab origine reges.] Refert se à specialitate ad generalitatem, ut & compendio uteretur, & numerum augeret: in generalitate enim infinita æstimatio est, & plus intelligitur quam veritas habet. *Donatus.*

182. *Martia qui.*] In Romano codice, *Martiaque* legitur, per particulam copulativam, ut cum regibus eos etiam pari propemodum honore decoratos indicet, qui pro patria pugnando vulnera passi fuerint. Sed longe omnino

magni-

Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clipeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat

Suc-

magnificentius id ornamenti regibus ipsis addere. *Pierius.*

Pugnando volnera passi.] Pugnando quasi reges. *Servius.*

Volnera passi.] Ut gloriam ex defensione libertatis ostenderet. *Donatus.*

183. *Sacris in postibus.*] Ubi spolia consecrabantur. *Servius.*

In postibus arma.] Indicia hæc sunt virtutis. *Donatus.*

In postibus arma.] Postes ornabant veteres donis in honorem Deorum suspensis, vel etiam spoliis hostium. Horat. l. 1. epist. 1.

— Vejanius, armis
Herculis ad postem fixis.

Pers. Sat. 6.

— Ac jam postibus arma,
Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia rhenos.

Inde *superbos* nominant postes. Vide ✗. 504. l. 2. Æn. Lips. de Mil. Rom. l. 5. dial. 17. De curribus consecratis diis meminit Schefferus de Re Vehic. l. 1. c. 18. *Emmeness.*

184. *Captivi.*] Pro *captivorum:* nota figura est. *Servius.*

Curvæque secures.] Omnia sine numero posuit, ut plus arbitraremur. *Don.*

185. *Cristæ.*] Galeæ. A parte totum posuit. *Servius.*

Ingentia.] Ut ostendat quanto labore tetracta sint. *Donatus.*

186. *Ereptaque rostra carinis.*] Bene de omni genere præliorum, spolia illic demonstrat fuisse. *Servius.*

Carinis.] Ut appareat etiam navali bello illos vicisse. *Donatus.*

Ereptaque rostra carinis.] Rostra Græci ἐμβόλους vocant, unde προεμβολίδα, προέμβολον, & rostratas naves χαλκεμβόλους, rostris armatas, quibus à victoribus mutilari per injuriam, & ignominiam solebant, quod ἀκρωτηριάζεσθαι dicebant. Herod. In Thal. καὶ τῶν νηῶν καπρίους ἐχουσέων τὰς πρώρας ἠκρωτηρίασαν, καὶ ἀνέθεσαν εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηναίης ἐν Αἰγίνῃ. Unde & rostra, quæ erant in foro Romæ ad Palatinas radices, congesta fuisse, Livius auctor est, & naves Antiatum partim in navalia subductas, partim incensas, rostrisque earum suggestum in foro extructum adornari placuisse. Augustus quoque, devicta Ægypto, quatuor ex rostris columnas ingentes conflavit, imitatus Julium, qui navali certamine victis Pœnis rostratas prius columnas posuerat, ut admonet Serv. supra, Georg. lib. 3. in eum locum, *Navali surgentes ære columnas.* Sed & Homeri interpres in eum locum Il. ι. στεῦται γὰρ νηῶν ἀποκόψειν ἄκρα κόρυμβα, τουτέστι, inquit, ἀκροστόλια· unde & ἀκροστομεῖσθαι pro ἀκρωτηριάζεσθαι. Ut autem supra χαλκεμβόλους νῆας, sic & Æsch. in Pers. αὐτοὶ δ᾽ ἀπ᾽ αὐτῶν ἐμβολαῖς χαλκοστόμοις παίοντο. *Germanus.*

187. *Quirinali lituo.*] *Lituus* est incurvum augurum baculum, quo utebantur ad designanda cœli spatia. Nam manu non licebat. *Quirinalem* autem ex persona sua dixit, qualem postea Quirinus habuit. Nam tunc adhuc non fuerat Romulus. Vel *lituum*, id est, regium baculum, in quo potestas esset dirimendarum litium. *Servius.*

Lituum.] Id est, regium baculum, in quo potestas esset dirimendarum litium. *Donatus.*

Quirinali lituo.] *Lituus*, præterquam quod militare est instrumentum, erat etiam olim augurum, *incurvum, & leviter à summo inflexum bacillum.* Verba

 sunt

Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat
Picus equûm domitor: quem capta cupidine conjunx,
Aurea

sunt Tullii lib. 1. de Divin. Agell. libr. 5. cap. 8. *Lituus virga brevis, in parte, qua robustior est, incurva, qua augures utuntur.* Plutarch. in Romulo loquens de lituo augurali, ἐστὶ δὲ καμπύλη ῥάβδος, ᾗ τὰ πλινθία καθεζόμενοι ἐπ' οἰωνῶν διαγράφειν: *Est incurvus baculus, quo, qui augurabantur sedentes designabant loca.* Cicero lib. 1. de Divin. *Quid lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus?* Et infrà, eundem dat Attio Navio auguri describenti regiones. Apul. 1. Apol. *auguribus lituus.* Ergo Picus, quia augur, cum lituo est. Sed cur lituus dicitur Quirinalis? Audi ibidem Plutarchum: τὰ δ' ἄλλα τὸν Ῥωμύλον διαφερόντως θεοσεβῆ, ἔτι δὲ μαντικὸν ἱστοροῦσι γενέσθαι, καὶ φορεῖν ἐπὶ μαντικῇ τὸ καλούμενον λίτυον: *Mire alioquin Romulum tradunt fuisse religiosum, augurandique peritum, atque ob eam scientiam lituum gestasse.* Cic. adducto loco: *Nempe eo* (lituo) *Romulus regiones direxerit tunc, cum urbem condidit.* Itaque, quia Romulus, qui lituum gestabat, dictus est *Quirinus*, factum ut lituus ab eo dicatur *Quirinalis.* Cerda.

Quirinali lituo.] Dictum per defectionem: pro, Picus Quirinali lituo erat: vel, lituum Q. tenens. neque enim succinctus erat lituo. Tale Cic. *Roscius histrio summâ venustate.* Sic dicimus: *statua grandi capite*, scil. erat. uti curiose disputat Agellius l. 5. c 8. & Turnebus l. 9 c. 10. & l. 28. c. 45. & l. 30. c. 5. & Tremellius sive is potius Franc. Junius sit, ad Genesin cap. 24. ✝ſ. 22. Sic Hom. οἶνον καὶ σῖτον ἔδοντες. Quam ellipsin *analogicam* vocat. quia ex altero membro deprehenditur suppleri aliquid ἀναλόγως oportere. *Lituus* autem baculus erat in manu incurvus, quo augures utebantur ad designanda cæli spacia: quia manu non licebat. Donatus, atque etiam Servius, baculum regium exponunt, in quo potestas esset dirimendarum litium. *Quirinalem* vocat Poeta, ex personâ suâ, qualem scil. Quirinus sive Romulus postea habuit: quem Pico hic tribuit, quod augurum disciplina ab Aboriginibus manasse credita sit, auctore Dionysio. *Taubm.*

Parva] Vel quia trabeæ non extant, aut non magni precii sunt: quia veteres non erant ambitiosi cultus. *Donatus.*

188. *Succinctus trabea.*] Toga est augurum, de cocco & purpura. *Servius.*

Trabea.] *Trabea*, vestis erat, quæ quasdam tanquam discolores pannorum trabes habebat: propriamque fuisse Equitum, non etiam regum, ducum vel augurum, docet contra Grammaticos, Lipsius l. 3. Annal. Taciti. atque inde *Trabeata agmina* dici Equites à Statio. Aliamque à *Palmata & Picta veste* fuisse, docet Turn. l. 28. c. 23. *Parvam* autem vocat, aut vere talem; aut non magni pretii, pro sæculi frugalitate. *Taubmannus.*

Ancile.] Scutum breve. Regnante Numa cœlo hujusmodi scutum lapsum est: & data responsa sunt illic fore summam imperii, ubi illud esset. Quod ne aliquando posset auferri, aut ab hoste cognosci, per Mamurium fabrum multa similia fecerunt: cui & diem consecrarunt, quo pellem virgis feriunt ad artis similitudinem. Dicimus autem *hoc ancile*, & *hæc ancilia.* *Anciliorum* vero usurpavit Horatius; *Anciliorum & nominis & togæ oblitus.* Septem fuerunt paria, quæ imperium Romanum tenent: Acus matris deûm, Quadriga fictilis Vejorum, cineres Orestis, sceptrum Priami, velum Ilionæ, Palladium, ancilia. *Servius.*

189. *Picus equûm domitor.*] Ovid. 14. Met.

Picus in Ausoniis, proles Saturnia, terris
Rex fuit, utilium bello studiosus equorum.

Iterum de eodem:

—— tergumque premebat
Acris equi. —— Cerda.

190. *Au-*

Aurea percussum virga, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divom patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit:
Atque hæc ingressis placido prior edidit ore:

Dicite

190. *Aurea conjunx.*] Nam aliter non stat versus. Et *aurea* per Ironiam dixit. *Conjunx* vero, non quæ erat, sed quæ esse cupiebat: ut, *Quos ego sim totiens jam dedignata maritos.* Fabula talis est: Picum amavit Pomona dea pomorum, & ejus volentis est sortita conjugium. Postea Circe, cum eum amaret, & sperneretur, irata eum in avem picum Martium convertit: nam altera est pica. Hoc autem ideo fingitur, quia augur fuit: & domi habuit picum, per quem futura noscebat: quod pontificales indicant libri. Bene autem huic supra *lituum* dedit: quod est augurum proprium. Nam ancile & trabea communia sunt cum Diali, vel Martiali sacerdotibus. *Serv.*

Conjunx.] Non fuit, sed esse voluit. Talia multa in Poëtis, & in Nostro non pauca. *In* 2. Corœbus dicitur gener Priami, qui tamen nunquam Cassandram duxit, sed voluit ducere. In 9. *Excepêre auræ vulnus*; quod nullum fuit: nam ante ictum detorta hasta, sed Pandarus, qui jaculabatur, ad vulnus Turni hastam destinarat. *Cerda.*

Aurea.] Ironice, quasi intelligat pessima, & indignationem citat, quod talem virum ita tractasset. *Donatus.*

Versumque venenis.] Φαρμακευθέντα. *Taubmannus.*

191. *Fecit avem Circe.*] Fabulam hanc fusius habet Ovid. l. 14. Metam. ℣. 336. & seqq. Græcum est ἀπωρνίθωσε. *Emmeness.*

Sparsitque coloribus alis.] Ovid.

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem, &c.

Eas & Græci à varietate plumarum καταγράφους vocant. *Taubm.*

192. *Tali intus templo divom patriaque Latinus.*] In antiquis nonnullis exemplaribus legere est, *tali intus temploque deum patriaque.* Sed illud, *templo divom*, in pluribus habetur, aut *tali intus divum templo*, ut in Mediceo est. *Pierius.*

Templo divom.] Attingit morem à nemine, quod sciam, animadversum. Excipi Legatos in templis Deorum usitatissimum fuit. Itaque templis pro Regia utebantur. Firmat hunc morem Val. Flac. lib. 4. Arg. apud quem Medea sic loquitur cum Jasone:

—— *Phœbi genitoris ad aras*
Ventum, ait: huc adytis jam se de more paternis
Rex feret; hic proceres audit, populosque precantes
Alloquiis facilis præsens pater admovet æquis.

Apud Silium lib. 1. non longe à fine, Legati Saguntini audiuntur a Romano Consule in templo. Omitto versus, quippe multos. Apud eundem lib. 11. Legati quoque Capuani in templo audiuntur. Hinc etiam illustrabis locum 1. Æneid. ubi Dido audit in templo Junonis Trojanos in Africam appulsos. Postquam hoc scripseram, incidi in Brodæum eandem rem admonentem lib. 4. Miscell. cap. 17. qui & firmat testimonio Demosthenis de falsa legat. objicientis ut crimen Æschini, quod huic mori non paruisset. *Cerda.*

Tali intus templo.] Revertitur à digressione. Porro Græcismus est, *Intus*, pro *In.* ἀντιμερία, adverbium pro præpositione. Græcis frequentior, quam Latinis, loquendi modus. *Hart.*

194. *Placido prior edidit ore.*] Bene *placido.* Legatorum enim fuerat, ut ipsi ante loquerentur. Sic in secundo, *Ultro flens ipse videbat.* Servius.

Dicite Dardanidæ, (neque enim nescimus & urbem
Et genus, auditique advertitis æquore cursum)
Quid petitis? quæ caussa rates, aut cujus egentes
Litus ad Ausonium tot per vada cærula vexit?
Sive errore viæ, seu tempestatibus acti,
(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis;
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos

Saturni

195. *Dicite Dardanidæ.*] Aut ex veste eos Trojanos esse cognoscit, quæ erat proprie gentium singularum. Aut κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus famam, quæ eos venire nuntiaverat, eandem etiam Trojanos esse dixisse. Unde infert, *Auditique advertitis æquore cursus. Dardanidæ* autem, ac si diceret cognati. *S.*

Dicite Dardanidæ.] Primus verba facit, ut facilitatem suam & benevolentiam in eos demonstret. Potuit autem ex veste Latinus, qui multa experientia esset, Trojanos cognoscere: quod non poterant per teneram ætatem illi, qui erant extra portas. *Donatus.*

Neque enim nescimus, &c.] Similis locus lib. 1. Æneid.

Quis genus Æneadum, quis Trojæ nesciat urbem? Cerda.

197. *Quid petitis.*] Confert Macrob. l. 5. c. 8. hunc locum cum Homerico ex Odyss. Sed Scal. l. 5. c. 3. Poët. Quanto, *inquit*, barbara Polyphemi persona inferior est regiâ majestate, tanto versus nostri Græcis illis compositiores. Nam recte primum quæritur; Quare venerint. Deinde ipse mer venatur caussas: *Necessarium, Utile, Fortuitum.* Et signate omnia illa ponuntur; *multa*: &, *patiuntur*: & *alto*: nulla enim spes ibi nisi à Fortuna. *Taubm.*

198. *Vada cærula.*] *Cærulum* est viride cum nigro, ut est mare. *Servius.*

199. *Errore viæ, seu tempestatibus acti.*] Duo quærit. Si voluntate venistis, quid petitis? Si necessitate, tempestas vos an error adduxit? *Idem.*

Errore viæ.] Quia in obscuro cælo, in quo via est navigantibus, ab illa errare possunt: vel vi tempestatis inde abstrahi. *Donatus.*

200. *Qualia multa.*] Ad duo respexit: errorem & necessitatem. *Servius.*

Qualia multa.] Veteres aliquot codices, *Qualia sæpe mari* legunt. Sed *multa* interpretes agnoscunt. *Pierius.*

Qualia multa.] Talis est vocum similium cohærentia Apoll. lib. 2. δούρατος ὠρέξαντο πελωρίου, οἷα τε πολλὰ ῥαισθείσης κεκέδαστο θοοῖς συναρηρότα γόμφοις. Duo autem hi Virgiliani versus videntur manasse ex illis Apollonii lib. 4. οἱ δέ τι τῆς ἢ πόρους μαίεσθ' ἄλλος, οἷά τε πολλὰ ἄνθρωποι χατέουσιν ἐπ' ἀλλοδαπῇ περόωντες. Addam & illud Hom. Od. λ. οὐτασμένος οἷά τε πολλὰ γίνεται ἐν πολέμῳ, ἐπιμὶξ δέ τε μαίνεται ἄρης. *Germanus.*

201. *Portuque sedetis.*] Ante enim pro portu erat illic exitus fluminis. *Serv.*

Portuque sedetis.] Ita Sid. Apollinaris, l. 1. ep. 1. *Mihi jampridem in portu judicii publici sufficientis gloriæ anchora sedet*: ut Joh. Savaro Gallus è MSS. legit. Ibid. ep. 8. *naves sedent*. Id. Carm. 2.

—— portumq; petenti
Tam placido sedeat mihi carminis anchora portu. Taubm.

202. *Ne fugite.*] Ne fugiatis, ne ignoretis. *Servius.*

Ne fugite hospitium.] Non modo concedit, quod sua auctoritate jam sumpserant, quod ripas intrarant, sed ultra id, hospitium offertur: Ex cognatione autem, quæ Trojanis cum Italis est, ostendit eos posse capere omnem fiduciam. *D.*

203. Sa-

Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,
Sponte ſua veteriſque dei ſe more tenentem.

Atque

203. *Saturni gentem.*] Laus generis. *Servius.*

Haud vinclo, nec leg. æquam, Sponte ſua.] Ad aureos Latii incomptoſque mores alludit Maro, quos etiam magna veneratione revolvit Tacit. lib. 3. ubi agitat licentiam & multitudinem legum Romanarum, libidine magis, quam judicio rogatarum, aut in ambitionem, clarorumve virorum exilium, vel exitium tendentium, his fere verbis: *Ea res admonet, ut de principiis juris, & quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum ſit, altius diſſeram. Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna aut coërcitionibus agebant, neque præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exui æqualitas, ac pro modeſtia & pudore, ambitio & vis incidebat, provenêre dominationes, multoſque apud populos æternum manſere, quidam ſtatim, aut poſtquam regum pertæſum, leges maluerunt. Hæ primo rudibus hominum animis ſimplices erant, maximeque fama celebravit Cretenſium, quas Minos, &c.* Germanus.

Haud vinclo, nec legibus æquam.] Prædicat de ætate aurea Saturni fuiſſe homines ſponte virtuti deditos, nulla vi, aut vinclo, nullis carceribus, cogente nemine. Huc refero Maximum diſſ. 20. ubi loquens de Saturni ævo, ait, *βίον ἀπόλεμον, ἀσίδηρον, ἀφύλακτον, εἰρηνικὸν, ἀπραγμάτευτον.* Vides, ut inter reliquas virtutes vocat *ἀφύλακτον*, ut qui nulla egerent cuſtodia, ſed boni eſſent *αὐτομάτως*. Sed ſignatiſſima ſunt Ovidii loca duo: primus libris Faſtorum, & Metamorph. Utrobique enim ſermo eſt de ætate aurea Saturni. In priore loco Janus ita loquitur:

Proque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat,
Nullum erat juſtis reddere jura labor.

In poſteriore Poëta ipſe ita:

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua, ſine lege fidem, rectumque colebat.
Pœna, metuſque aberant: nec verba minantia fixo
Ære ligabantur; nec ſupplex turba timebat
Judicis ora ſui, ſed erant ſine judice tuti.

Hanc ætatem adumbrat Juſtinus loquens de Regibus, qui primi in orbe fuerunt, ſcribit: *Populus nullis legibus tenebatur, arbitria Principum pro legibus erant.* Ut etiam Columella Præfatione ſui operis, cum ait: *Nam ſine cauſidicis olim ſatis felices fuere, futuræque ſunt urbes.* Ubi enim leges, ad quas inviti rapiantur cives, ibi & cauſidici. Itaque hos abeſſe, indicium eſt voluntariæ virtutis. Sed clariſſimè Apoſtolus Paulus veram hanc felicitatem exprimit apud Baſilium Epiſcopum Seleucienſem l. 1. Teclæ. *βίᾳ γὰρ, καὶ φόβῳ ἀρετῆς οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημιουργός· ἐθελοντὰ γὰρ καὶ οὐκ ἀνάγκης, τὰ καλά: Violentia enim, & metus miniſter non eſt capeſſendæ virtutis: voluntaria enim, & non neceſſitate expreſſa, honeſta ſunt.* Cerda.

204. *Sponte ſua, veteriſque dei ſe more tenentem.*] Xenocratis eſt: qui cum primus Philoſophiæ ſcholam aperuiſſet, (quod antea in porticibus Philoſophi tractarent) & interrogatus eſſet, quid præſtare poſſet diſcipulis: Reſpondit, *ut id voluntate facerent, quod alii jure coguntur.* Servius.

Veteris.] Antiqui: ac ſi diceret, aurei ſeculi imagine vivimus. *Idem.*

Tenentem.] Sunt veteres codices, in quibus *Ferentem*, pro *tenentem* ſcriptum invenias. Sed quum ſuperiore verſu facta ſit mentio vinculi & legum, *tenentem* magis placet. *Pierius.*

205. *Fama*

Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetrarit ad urbis,
Threïciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea

205. *Fama est obscurior annis.*] Ac si diceret, nisi esset, jam vos sciretis. *Servius.*

Fama est obscurior annis.] Scaliger ita explicat: *Haud ita multi sunt anni, sed fama pervagata non est.* Est hoc quod Ovidius dixit 6. Fast.

Unde datas habeat vires obscurior ævo
Fama. —— Cerda.

206. *Auruncos ita ferre senes.*] Apud veteres historiæ hoc genus fuit, ut majores natu anteacta posteris indicarent: quod hic indicat locus. Lucanus apertius, cum esset de Antæo narraturus ait, *Cognita per multos docuit rudis incola patres.* Quia adhuc nec annales erant, nec historiæ. *Aurunci* vero, Italiæ populi antiquissimi fuerunt. *Ferre* autem, quasi cum ostentatione jactare. *Servius.*

Auruncos.] Quanquam non sum nescius, quod subjiciam risu à multis excipiendum esse, dicam tamen in codicibus aliquot antiquis *Auricomos* positum ab iis, qui forte, quid sibi vellet *Auruncos*, minus intelligebant. *Pierius.*

Auruncos.] Fuerunt hi populi antiquissimi Italiæ. Non negligenda hic Servii Nota, fuisse apud veteres hoc historiæ genus, ut majores natu anteacta posteris indicarent, ut videlicet facta nullo alio instrumento tantum cognitioni traderentur mortalium. Probat ex Lucano, qui de Antæo loquens,

Cognita per multos docuit rudis incola patres.

Apud Ovid. Eleg. 2. lib. 2. de Pont. senex quidam narrat successum Orestis, ac Pyladæ, uti ab aliis audierat. Circa scribendi rationem video in antiquis legi *Auruncos*, non *Aruncos*. Dionysius quoque, & Tzetzes Αὐρύνκας nominant. *Cerda.*

Ferre.] Quasi cum ostentatione jactare. Fuit autem priscis atque adeo barbaris hodieque solenne, ut majores natures gestas exacte narrarent liberis, qui vice commentariorum essent. *Taubm.*

His ortus ut agris, &c.] Adstruit, inter Trojanos & Italos nullum generis esse discrimen. Nam *Dardanum* in his terris Jove (ex Electra Atlantis filia, & Corythi regis Italiæ uxore) genitum in Phrygiam profectum esse, Iliumque condidisse: inde isse Samothraciam: post à Corytho, sive monte sive oppido, ad cælum inter Deos sublatum esse, &c. Vide Interpp. *Idem.*

207. *Dardanus.*] Juppiter cum Electra Atlantis filia, Corythi regis Italiæ uxore, concubuit. Sed ex Jovis semine natus est Dardanus: ex Corythi Iasius. Dardanus profectus ad Phrygiam, Ilium condidit: Iasius vero Thraciam tenuit, ubi est Samos: quam hic Samothraciam nominavit. Nam Junonis alia est Samos insula. Quanquam civitas Thraciæ, quæ est Cephalenia, Samos dicatur. Unde postea cum responsum esset, *Antiquam exquirite matrem:* & Æneas Italiam peteret, profectus ad Thraciam, Samothracas deos sustulit, & pertulit secum propter originem matris, quod superius plenius dictum est. *Servius.*

Dardanus.] Jam explicat quod proposuerat, cum dixit: *Dicite Dardanidæ.* Donatus.

Idæas Phrygiæ penetrarit ad urbis.] Quia erant Idæ & Cretæ, addidit *Phrygiæ* ad discretionem. *Servius.*

Penetrarit.] In Romano codice, & quibusdam aliis, *penetrarit* legitur: quod melius quadrat, ut *penetrarit* quam *penetravit.* Pierius.

209. *Corytho.*] Oppidum & mons dicti à rege Corinthi, ut putatur à quibusdam,

Aurea nunc solio stellantis regia cæli
Accipit; & numero divorum altaribus addit.
Dixerat. & dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris,
Nec sidus regione viæ litusve fefellit.
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Adferimur pulsi regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis: Jove Dardana pubes
Gaudet

busdam, patre Dardani bis sepulto dicti. *Servius.*

210. *Stellantis cæli.*] Heroice profecto. ita Lucret. l.4. *Cælum stellans* dixit, ubi sereno cælo *stellant*, id est, lucent sidera ac stellæ: Gisan. Sed quomodo in cælo est Dardanus, quem 6. l. apud inferos vidit Æneas? Solvitur: quod ex superstitione gentili tribus tria reddidit: Animam cælo; Corpus terræ; Umbram inferis. *Taubm.*

211. *Addit.*] Auget, adjectione scilicet nominis sui. *Servius.*

Addit.] In nonnullis antiquis codicibus, *addit* legitur: ut alibi, *Decus addite Divis.* Sed enim melius *auget* dicendo numerum. *Pierius.*

212. *Voce secutus.*] Plerunque enim consentimus & taciti. *Servius.*

213. *Rex.*] Conciliatio ab honore, inde à genere. *Servius.*

Rex, genus egregium.] Cum se benevolum ostendisset Latinus, non multum laboravit in texendo exordio Ilioneus, nec tamen penitus omisit. *Donat.*

Genus.] Notetur locutio poëtica pro filio; nam Latinus filius fuit Fauni. Sic de Circe lib. 4. Tibull. *Solis genus.* & infra in hoc lib. de Ænea, *egregium Veneris genus*; & in 6.

Hic genus antiquum Terræ, Titania pubes. Cerda.

Fauni.] Unde hoc cognovit Ilioneus? nempe ex simulachris, quæ erant in vestibulo. Brevissime autem amplectitur quæcunque dixit Latinus, nec potuit in tanta brevitate magis extollere genus Trojanum. *Donatus.*

214. *Succedere terris.*] Ut, *Succedoque oneri.* Servius.

Terris.] Sunt & qui *tectis* legant. Codices tamen emendatiores, *terris* plurimum habent. *Pierius.*

215. *Nec sidus.*] Aspectus siderum. Nam tempestatem supra dixit: nec est bis idem positum. *Servius.*

Nec sidus regione viæ.] Lucret. *Recta regione aversa viaï.* Idem 2. *Sed nihil omnino recta regione viaï Declinare.* Supra Virg. lib. 2. *nota excedo regione viarum.* Germanus.

216. *Urbem adferimur.*] Ad urbem ferimur. *Servius.*

218. *Extremo veniens.*] Id est, primo. Nam alias *Rediens* diceret, non *Veniens.* Idem.

Sol aspiciebat.] Usitatum Poëtis, aliis etiam ad explicandam magnitudinem Imperii alicujus recurrere ad cursum Solis. Dionys. lib. 1. loquens de magnitudine Romæ: ἀνατολὰς, καὶ δύσεις ὅρους ποιησάμενος τῆς δυναστείας: *Terminavit Ortu, & Occasu fines Imperii sui.* Petron.

Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrunque.

Hujus rei testimonia conjunxi plurima lib. 6. loquens de Romanō Imperio. *Cerda.*

219. *Ab Jove principium.*] Plus dixit

Gaudet avo. rex ipse Jovis de gente suprema
Troïus Æneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos; quibus actus uterque
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis;

Audiit,

xit quam Latinus. Ille enim Dardanum ex Italia venisse, hinc utrique generi à Jove principium esse demonstrat: & confirmandæ rei causa, rem sæpius repetit. *Donatus.*

Dardana pubes Gaudet avo.] Generis origine. Nam avus non est Trojanorum Juppiter: sed Æneæ solius per Venerem. *Servius.*

220. *Suprema.*] Ut enumeratione majorum ipse videatur finis, propinquior causa ostenditur Æneas, quia nepos erat Jovis. *Donatus.*

De gente suprema.] Ennius 5. Annal. *de stirpe suprema.* Cerda.

222. *Quanta per Idæos.*] Ad illud respondit: *Auditique advertitis æquore cursum*, id est, non mirum est hæc te audisse, quæ universus orbis agnovit. *Servius.*

Quanta.] Ut commiserationem concitaret, narrandæ erant calamitates, sed removendæ erant moræ, ut quamprimum legationem exponeret. ergo breviter illa tangit. *Donatus.*

Quanta per Idæos, &c.] Virgilium imitatus est Sil. Ital. l. 16. *Quanta per Ausonios populos torrentibus armis Tempestas ruat, &c.* Emmeness.

223. *Tempestas.*] Vis bellorum. *Servius.*

Tempestas.] *Tempestas* vocabulum medium: nam aliquando εὐδία, alias χειμὼν καὶ ζάλη. Virg. *Unde hæc tam clara repente Tempestas?* & idem: *pelagi tot tempestatibus actus.* Jurisconsultus in terra & mari peræque tempestatem accipit l. non exigimus. ff. Si quis cautionibus, his verbis: *Quod diximus ei succurri, etiam ei qui tempestate, aut vi fluminis prohibitus non venit: tempestatem intelligere debemus, sive marina, sive terrestris sit: tempestatemque intelligere debemus, talem, quæ impedimento sit itineri, vel navigationi.* Unde & Plin. *Tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraque similia intelliguntur: quæ cum acciderunt, vis major appellatur. Tempestas* item pro *tempore* simpliciter. *Germanus.*

Actus.] Conlisus. *Servius.*

Uterque.] Tale illud Georg. *utroque ab litore.* Tale, *uterque Sol, utraque domus cœli*, & similia. *Cerda.*

224. *Fatis.*] Per transitum & Trojanos eximit culpa: & Græcorum deterit laudem. *Servius.*

Concurrerit.] In Romano codice, *concurreret* habetur: sive familiari vitio *i* mutarit in *e*: sive, vel tunc auditum dicat, quum res gereretur. Utcunque autem, magis placet *concurrerit* perfecto præterito. *Pierius.*

Orbis.] Sumit pro mundi partibus. Ita tres orbes mundi, erunt tres partes mundi. Propert. Eleg. 16. lib. 2. pro Africa posuit: loquens enim de Antonio fugiente in Africam post bellum Actiacum, *extremo quærere in orbe fugam.* Ita Ovid. lib. 5. Fast.

Seu quis ab Eoo nos impius orbe lacesset.

Id est, ab Asia: nam statim Europam signat,

Seu quis ab Occiduo Sole domandus erit.

Idem in epist. Laodomiæ ad Protesil.

Dum tamen arma geris diverso miles in orbe.

Ipsa erat in Europa, ubi *diversum orbem* sumit pro Asia. Notes ab Ovidio *diversum* dici ad signandam Asiam, atque Europam, quod idem animadverti in Tullio pro Lege Man. ubi loquens de Europa, atque Asia dicit, *in locis disjunctissimis, maximeque diversis.* Cum Plin. dixit cap. 3. lib. 8. *Cetera in nostro orbe*

Audiit, & si quem tellus extrema refuso
Summovet Oceano, & si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui.

Diluvio

orbe cessere luxuriæ, Europam intellexit. *Cerda.*

Orbis.] *Orbis Asiæ*, & *Orbis Europæ*, dicitur, ut à Marcellino *Orbis Eous*, & *Orbis Occiduus*: pro Imperio Orientali & Occidentali: & *Orbis Rom.* pro imperio Rom. Turn. l.30.c.5. De eadem autem re & Catull. Carm.64.

Troja (nefas) commune sepulcrum Asiæ Europæque:
Troja virûm & virtutum omnium acerba cinis. Taubm.

225. *Audiit.*] Tale quid Horatius ad significandam magnitudinem cladis:

—— auditumque Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ.

Statius lib. 1. Theb.

Novit & Arctois si quis de Solibus horret.

Prudent. Apoth.

Novit & Atlantis pridem plaga perfida Mauri.

Est vero hoc quod Propertius dixit Eleg. 10. lib. 2.

Et si qua extremis tellus se subtrahit oris, &c. *Cerda.*

Tellus extrema.] Ut est Britanniæ & omnium insularum Oceani. *Servius.*

Refuso.] Refluo, ut Lucanus indicat. & est hoc Homeri, *αὐτὰρ ἐπεὶ ποταμοῖο λίπε ῥόον ὠκεανοῖο Νηῦς, ἀπὸ δ' ἵκετο κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο.* *Idem.*

Refuso.] *Refusum Oceanum* explicat Turn. refluum, refluentem; ut Homer. *ἄψοῤῥον*, *ἀψόῤῥοον*. Ego capio longe, & late diffusum, atque extentum, ad eum modum, quo Seneca ad Martiam: *Litora in portum recedentia.* & Seneca alter in Thyeste:

In multa dives spatia discedit domus.

Quibus nihil aliud, quam magnitudo explicatur. *Cerda.*

Refuso.] i.e. refluo seu refluente: quem *ἄψοῤῥον*, & *ἀψόῤῥοον* Hom. vocat. q. d. Si quis procul habitat. ut 1. Ecl.

Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Turneb. & Scal. l.4.c.6. *Taubm.*

Audiit & si quem tellus extrema refuso.] Præteribo *audit* unico *i*, quod pro duplici oblongiore nota scribi solitum est. In Romano codice *siquam* legitur fœminino genere, ubi intelligendum esset *terram*, aut *plagam*. Sed enim virili genere melius. *Pierius.*

226. *Summovet*, &c.] Id est, si quis procul habitat. Est hoc quod statim, *si quem dirimit plaga Solis*: & quod de Britannis, *toto divisos orbe*. Itaque *summoveo, dirimo, divido*, in Poëta idem sunt. Propert. Eleg. 10. lib. 4. dixit:

Quæ se summota vindicat ara casa.

Observa obiter idem dictum à Propert. hoc versu, quod à Virg. in 9. de spelunca:

—— tuta lacu nigro nemorumque recessu.

Cerda.

Et si quem extenta plagarum Quatuor.] Audierunt etiam illi qui separantur Zona ea, quæ est in medio quatuor, id est, fervens. Significat autem Antipodas. *Servius.*

227. *Iniqui.*] Intemperati vel ardentis. *Idem.*

Solis iniqui.] Putabant videlicet veteres Zonam quintam, & mediam esse inhabitabilem propter immoderatum calorem. Hanc partem cœli Poëta per *iniquum Solem*, per *mediam plagam* signat. Seneca in Oet. ita:

Et omnis ardens ora, quam torret dies.

Lucan.

Quaque dies medius flagrantibus æstuat horis.

Adverti locum T. Calpurnii, ubi constituens quatuor mundi partes, postremo recurrit ad mediam Zonam, sic enim ait 1. Eclog.

—— quacunque Notum gens ima jacentem,
Erectumque colit Boream: quacunque vel Ortu,
Vel patet Occasu, mediove sub æthere servit. Cerda.

228. *Di-*

Diluvio ex illo tot vasta per æquora vecti
Dîs sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores: nec vestra feretur
Fama

228. *Diluvio ex illo.*] Ex illa vastitate. Alii distinguunt, & mutant sensum: ut sit, Quos dirimit plaga Solis ardentis: ex quo mundus est constitutus: hoc est, ex quo chaos esse desiit. *Servius.*

Diluvio] Non bello: nam ex bello aliquid remanet, ex diluvio vero nihil: nam omnia tollit. *Donatus.*

Tot.] Pro *multa*. Servius.

Tot vasta.] Post calamitatem belli durior casus nos excepit. *Donatus.*

229. *Dîs sedem exiguam patriis.*] Pia & verecunda petitio. *Servius.*

Dîs sedem exiguam.] Facilem & honestam petitionem ostendit. Ex commemoratione autem deorum, etiam hominibus petere videtur: Namque numinibus præbentur sedes cultore neglecto. *Donatus.*

Dîs sedem exiguam.] Pia & verecunda petitio: qua modicum quid; nec sibi; sed diis, concedi postulat; & quidem in litore deserto. Si tamen agendi artem consideramus, latenter etiam pro cultoribus deorum locum petit. *Taubmannus.*

Litusque rogamus innocuum]Non quod nulli noceat: sed cui vindicato nullus possit nocere. Aliter serpentes *innocuos* dicimus. *Servius.*

Litus.] Ut demonstret quod ad homines pertinet, nec difficile, nec onerosum. *Donatus.*

230. *Cunctis undamq; auramq; patentem.*] Ista enim communia sunt. *Serv.*

Cunctis undamque auramque patentem.] Ita vere est. Justinian. lib. 2. Instit. tit. 1. de rerum divisione: *Et quidem naturali jure communia sunt omnia hæc, aër, aqua profluens, & mare, & per hoc litora maris. Nemo igitur ad litus maris accedere prohibetur.* Calaber etiam lib. 1. dixit;

Ξυνὸν δ' ἂν πάντεσσι φάος καὶ νήχυτος ἀήρ:
Communis est lux omnibus, & multifluus aër.

Ovid. 6. Metamorph.

Quid prohibetis aquas; usus communis aquarum est.

Inde gravis illa querela ejusdem Ilionei lib. 1. *hospitio prohibemur arenæ.* Quid autem Poëta velit per *auram patentem*, facile est: quid per *undam patentem*, non ita facile. Puto illum velle significare profluentem undam. Nam Justinian. in adducto testimonio, *aër, aqua profluens*; & Tullius lib. 1. Officiorum in justitiæ præceptis numerat (notavit hoc Germ.) non prohibere aqua profluente. Itaque *aqua patens* Virgilii, & *aqua profluens* juris, eadem est. Sed quid tandem *aqua profluens*? Ait Hotomanus *aquam profluentem* dici ad discrimen illorum fontium, qui privati sunt, & proprii: ad discrimen etiam stagnorum, quæ conclusa in domibus. Cicer. 2. Nat. *Nam ut profluens amnis aut vix, aut nullo modo, conclusa autem aqua facile corrumpitur*, &c. Itaque *patentem* vocat, quæ parabilis facile, & vilis pretii, ut loquitur Plato in Euthyd. his verbis: τὸ γὰρ σπάνιον, ὦ Εὐθύδημε, τίμιον, τὸ δὲ ὕδωρ εὐωνότατον ἄριστον ὄν, ὡς ἔφη Πίνδαρος: *Rarum enim, ô Euthydime, pretiosum; aqua tamen vilißimi est pretii, quamvis optima, ut ait Pindarus.* Ab Horatio etiam Sat. 5. lib. 1. aqua dicitur *vilißima rerum*: à quo Propertius eandem *vilem* vocavit Elegia 15. lib. 3. *Cerda.*

231. *Indecores.*] *Decus decoris, pecus pecoris, nemus nemoris*, o in genitivo correptum est: omnia enim in *us* exeuntia neutra, in genitivo singulari penultimam corripiunt, excepto *pelagus*.

Fama levis, tantique abolescet gratia facti:
Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Æneæ juro, dextramque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus & armis;

Multi

gus, quod Græcum est; unde & *ulceris* dicitur secundum regulam, licet de hoc nomine aliud auctoritati placuerit. *Decor* vero *decoris* facit penultimam in genitivo productam: omnia enim in *or* exeuntia in genitivo producuntur, exceptis v. *arbor*, *marmor*, *memor*, *immemor*, *aquor*: unde quæritur *Indecores*, à quo fit nominativo, ab eo quod est *indecus* non potest venire, quia lectum non est, & quia *decus* neutrum regit genus, non masculinum, restat ut dicatur ab eo quod est *indecor* venire *Indecores*, nam & lectum est. Sed *decor decoris* facit producta penultima, quam Virgilius corripuit. Ergo aut systole est, aut certe dicendum hujus nominativum non inveniri, sicut in multis nominibus fit, quod & melius est, nam systole sine exemplo fieri non debet. Verecunde autem hoc dicit, sua conjunctione etiam ornari Italos. *Servius.*

Non erimus indecores.] Noluit dicere ornabimus regnum, ne sit arrogans. *Donatus.*

232. *Levis.*] Nec pro levi dicimus, quicquid præstiteris. *Idem.*

Abolescet.] Abolebitur: & usus est inchoativa forma, cum opus non esset. *Servius.*

233. *Trojam.*] Id est, Trojanos. *Idem.*

234. *Fata per Ænea juro.*] Quem jam novit Latinus, oraculo scilicet Fauni: per quod audivit, *Externi venient generi.* Idem.

Fata per Ænea juro.] Ita Prop. Eleg. 7. lib. 4.

Juro ego fatorum nulli revocabile carmen.

Cerda.

235. *Sive fide, seu quis bello est expertus, & armis.*] In his enim dextera comprobatur fide & virtute. *Servius.*

Fide.] Laudat fidem, quæ necessaria est in societate regni. *Donatus.*

Bello est expertus.] In Mediceo absque verbo *est* legitur, *sive fide sive quis bello expertus & armis.* In qua lectione Penthimemeris ratione cæsuræ produceretur. *Pierius.*

Sive fide, seu quis bello est expertus & armis.] Vides in hoc versu dextram & fide bonam, & bello acrem. Non ab hoc dissimiles locos Poëtarum Passerat. advocat in Propert. ubi uni eidemque manui diversa attribuuntur. Id Lucanus ad Pisones:

Poculum sumit ea, qua gessit fulmina, dextra.

Ovid. 4. Trist. Eleg. 2.

Vincula fert illa, qua tulit arma, manu.

Claudian.

—— & sensit in uno
Lethalem, placidamque manum. ——

Propert. lib. 2.

Illa, qua vicit, condidit arma, manu.

Et, *qua cuspide vulnus*
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.

Plaut. Pseud.

Manu salutem mittunt benevolentibus,
Eadem malam rem mittunt malevolentibus.

Non puduit viri docti operam transcribere, & in lectione Poëtarum præ mortalibus versatissimi. Utinam aliorum auctorum lucubrationes adjunxisset. Ut vero dextra Æneæ dicitur potens & ferro, & fide: ita Tullius in Orat. pro Dejot. vocat Julii *dextram, non tam in bellis, & in præliis, quam in promissis, & fide firmiorem.* Et Propertius Eleg. 22. lib. 3.

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes.

Sed quidem Virgilium aspirasse ad versus Homericorum Iliad. 2. videtur certum. Ait hic:

Multi nos populi, multæ (ne temne, quod ultro
Præferimus manibus vittas ac verba precantia)
Et petiêre sibi & voluêre adjungere gentes.
Sed nos fata deûm vestras exquirere terras
Imperiis egêre suis. hinc Dardanus ortus
Huc

Ὢ πόποι ἦ δὴ μυρί' Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργε,
Βουλάς τ' ἐξάρχων ἀγαθὰς, πόλεμόν τε κορύσσων:
O Dii certe infinita bona Ulysses fecit,
Consilia incipiens præclara, bellumque instruens.
Cerda.

237. *Vittas.*] Quæ pendebant in ramo religatæ. Alibi, *Et vitta comptos voluit prætendere ramos.* Servius.

Præferimus manibus vittas.] Ita l. 8. ✝︎ſ. 128. & 664.
— cui me Fortuna precari
Et vitta comptos voluit prætendere ramos:
Græcis est τὴν ἱκετηρίαν προτείνειν. quod filo laneo velatum esset caduceum. Historici & Poëtæ *lanam* & *infulas* & *vittas* & *velamenta* seu *velamina*; item *velatam colum* appellant: Græci etiam στέμματα, id est, vellera. Ita Plaut. Amphitr. act. 1, 1. *Orare velatis manibus.* ita XI. Æn. *velati ramis oleæ:* nam ramus oleæ lana involvebatur. ita Livius lib. 1. *Legatus capite velato, (filum lanæ velamen erat) Audi Juppiter, &c.* Qui enim caput cinctum licio laneo habebant, *velati* dicebantur. Videatur Scalig. in Conject. & Turn. lib. 4. c. 15. & l. 5, 7. & l. 8. c. 16. *Taubmannus.*

Ac verba precantia.] In codicibus plerisque veteribus legere est, vel *&*, vel *ac verba precantia*, hypermetro versu. In aliquot vero aliis satis inemendate, *Proferimus manibus vittasque precantia verba.* Nam quum *precantia* omnino legerent, neque hypermetrum agnoscerent, ita carmen interturbare sunt adgressi. Quoniam vero non temere credendum tot in codicibus *precantia* scriptum esse, eam ego lectionem minime rejecerim. Sunt tamen qui *precantum* legunt. Sane vero in colloquiis de pace, *precari verba* dicuntur: ut illud apud Livium libro decimo de secundo bel. Pun. *Itaque infecta pace, ex colloquiis quum se ad suos recepissent, frustra verba precata renuntiant, armis decernendum esse. precata* enim in veteri codice habetur, quod in vulgatis *pacata* substitutum est. *Pierius.*

239. *Sed nos fata.*] Horum insignis mentio in his libris. In 4.
— fatisque datas non respicit urbes.
In 8.
Sed mea me virtus, & sancta oracula Divûm.
In 2. Creüsa:
Ad terram Hesperiam venies, &c. —
In 3.
— antiquam exquirite matrem.
Inde in 4. arva Italiæ dicuntur fatalia. Nihil demum crebrius in tota Æneide. Livius etiam lib. 1. ait, Æneam fuisse profugum, *fatis ducentibus.* Cerda.

240. *Egere.*] In codicibus aliquot antiquis, *cogere* legitur: quod forte *coegere* fuit κατὰ συνίζησιν, ut illud, *Trojæve opulentia deerit.* &, *Vir gregis ipse Caper deerraverat.* Utcunque vero *imperiis egere*, castior mihi lectio videtur. *Pierius.*

Hinc Dardanus ortus Huc repetit, jussisque ingentibus urguet Apollo Tyrrhenum ad Thybrim, & fontis vada sacra Numici.] Quia plerique sunt qui vel nævos ex Romano præsertim codice requirunt, subjicienda ex eo lectio est, quæ mihi minime probatur, *Hinc Dardanus ortus Hunc repetit jussisque ingentibus urguet Apollo Tyrrhenum & Tybrim Et fontis vada sacra Numici.* Idem.

241. *Huc*

Huc repetit, juſſiſque ingentibus urguet Apollo
Tyrrhenum ad Thybrim, & fontis vada ſacra Numici.
Dat tibi prærerea Fortunæ parva prioris
Munera, relliquias Troja ex ardente receptas.
Hoc pater Anchiſes auro libabat ad aras:
Hoc Priami geſtamen erat, cum jura vocatis
More daret populis; ſceptrumque, ſacerque tiaras,
Ilia-

241. *Huc repetit.*] Scilicet Dardanus, id eſt, Æneas, qui & Dardanus, ut diximus ſupra, vocabatur. Et bene non *petit*, ſed *repetit*, quaſi ad ſua. *Servius.*

Huc repetit.] Dardanus ex hac terra ortus eſt: in hanc nos revocat, qui ab eo oriundi ſumus, & nos huic terræ repetit & vindicat. ita Cic. pro Archia: *Chii ſuum vindicant: Salaminii repetunt.* Turn. l. 30. c. 5. Nam parentes in poſteris (ut annotat P. Faber Semeſtr. l. 3. c. 8.) vivere exiſtimantur: quæque illi hodie faciunt, hi facere dicuntur. *Taubm.*

Ingentibus.] Deliis, quæ magna conſtat fuiſſe. *Serv.*

242. *Tyrrhenum ad Thybrim.*] Cur Tyrrhenum? An quia ab Hetruria Latium dirimit? An quia Servius putat referendum hoc nomen ad Tybrim Regem Hetruſcorum? Scribit enim hunc Regem Latium latrociniis infeſtantem, circa hunc fluvium occiſum, à quo & nomen. Alii aliter ſentiunt de hoc nomine. Regem quidem hujus nominis Virg. agnoſcit in 8.

Tum Reges aſperque immani corpore Tybris.

De orthographia nominis varius quoque diſſenſus. *Cerda.*

Dat prætereа.] Quomodo *præterea*, cum nihil prius dederit? ſed ſic conjunge: miſit nos ad te Æneas & *præterea*, id eſt, ultra, ad id quod miſit, dat munera, parva reſpectu prioris fortunæ. *Donatus.*

Fortunæ parva prioris.] Bene medium tenuit. Nam ne laudare videretur, ait *parva*, ne deformare (nam durum eſt aliquid ab infelicibus accipere) ait, *Fortunæ prioris.* Servius.

Fortunæ parva prioris Munera.] Sic & Tacit. lib. 2. Ann. de Maroboduo: *Scripſit Tiberio non ut profugus, aut ſupplex, ſed ex memoria prioris fortunæ; nam multis nationibus clariſſimum quondam regem ad ſe vocantibus, Romanam amicitiam prætuliſſe.* Germanus.

244. *Relliquias Troja ex ard. re.*] Hunc locum illuſtrat Servius Ecl. 2. ℣ſ. 4. *nec tuta valle reperti capreoli.* à difficultate. ſic ille, qui periculoſiſſima aggredi ſuſtinet, dicitur *cibum è flamma petere*, ut Donatus ad Ter. E. 3. 2. 38. munera illa Homerus Od. κ. ℣ſ. 40. nominat κειμήλια. *Emmeneſſ.*

245. *Hoc pater Anchiſes auro libabat ad aras.*] Pateram ſignificat. *Servius.*

Hoc pater.] Nam etſi per ſe non ſint, magna ſunt tamen, quia talium virorum fuerant. *Donatus.*

246. *Hoc Priami geſtamen erat.*] Diadema dicit. Nam ſceptrum dicturus eſt. *Servius.*

Hoc Priami geſt.] De Diademate intelligendum. Candida faſcia eſt, qua regum frons præcingebatur, ταινία λευκή. de diademate dici poteſt nihil, quæ Briſſonius non notaverit de regn. Perſico l. 1. *Emmeneſſ.*

247. *Sacerque tiaras.*] Pileum Phrygium dicit. Et ſciendum hic *tiaras* per uſurpationem dictum. Nam *hæc tiara* dicitur. Melius ergo Juvenalis: *Et Phrygia veſtitur bucca tiara.* Servius.

Tiaras.] Pileus eſt quo Phryges utuntur, cum celebrant ſacra: unde *ſacrum* dixit. *Donatus.*

Tiaras.] Hoc ornamentum capitis, quod

Iliadumque labor vestes.
Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque inmobilis hæret,

Inten-

quod & *τιαρὶς* dicitur & *τιάρα*, erectum soli reges Persarum gestabant, duces vero, cæteræque ab rege illustres personæ inflexum & demissum. Plutarch. *περὶ φιλαδελφ.* de Ariamene & Xerxe de regno post Darii mortem contendentibus: *ξέρξης δὲ παρὼν ἔπραττεν ἅπερ τῷ βασιλεῖ προσήκοντα· ἐλθόντος δὲ τοῦ ἀδελφοῦ, θεὶς τὸ διάδημα, καὶ καταβαλὼν τὴν τιάραν, ἣν φοροῦσιν ὀρθὴν οἱ βασιλεύοντες, ἀπήντησεν αὐτῷ καὶ ἠσπάσατο.* *Germanus.*

Tiaras.] Tegumentum est capitis, quod ortum à Semiramide teste Justino l. 1. c. 2. sed, ut supra monui, nihil proferri posse de diademate, illud affirmandum quoque de tiara. Vide igitur Brissonium de regn. Pers. l. 2. Solerium Sect. 8. de pileo, qui sua prælaudato debet & Bayf. de re Vest. c. 20. de habitu regum, cum jus dicerent, vide Feith. ant. Homer. l. 2. c. 4. Quid Sceptrum sit, dictum l. 1. Æn. ℣. 78. *Emm.*

248. *Iliadumque labor vestes.*] Eadem significatione *πόνος* etiam accipitur: unde & *χρυσοπόνητα φάρεα* Euripidi. Quin & *πόνος* pro vestis squallore apud Sophocl. in Colon. *ἐσθῆτι σὺν τοιᾷδε, τῆς ὁ δυσφιλὴς γέρων γέροντι συγκατῴκηκεν πόνος πλευρὰν μαραίνων.* Et Hom. *πέπλοι παμποίκιλοι ἔργα γυναικῶν.* *Germanus.*

Iliadumque labor vestes.] Solebant matronæ texere vestes suas, ita Augustus *nulla nisi domestica veste usus est, ab uxore, & sorore, & filia neptibusque confecta*, ut Suet. in ejus vita c. 73. ad quem locum consulendus Casaubonus. sic noster l. 4. Æn. ℣ſ. de Læna: *Dives quæ munera Dido Fecerat, & tenui telas discreverat auro.* Nec tantum vestes, quibus, dum viverent utebantur, sed etiam *ἐσθήματα ἐντάφια*, de quibus l. 9. Æn. ℣ſ. 488. —— *aut vulnera lavi Veste tegens: tibi quam noctes festina, diesq; Urgebam, & tela curas solabar inanes.*

plura Feith. antiq. Homer. l. 4. c. 3. *Emmeness.*

249. *Defixa Latinus.*] Vide, quot voces ad eam rem aptæ. Hic est *defixio, obtutus, teneo, immobilitas, hærere, oculorum intentio.* Quid plura potuit? In Homerico Ulysse 3. Iliad. tantum sunt duo. Ait enim: *στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας.* Vides enim stantem, hoc enim ad stuporem facit & figentem in terram oculos. Eadem nota altæ cogitationis in Livio est lib. 9. *Consul demissis in terram oculis, tacitus, ab incertis quidnam esset acturus Legatis recessit.* Et lib. 8. in historia Manlii filium necantis: *Itaque velut emerso ab admiratione animo cum silentio defixi stetissent.* Est hoc, quod in amoribus Lucian. *κάτω κεκυφώς.* De Scipione magno Principe Silius lib. 15.

Has lauri residens juvenis viridante sub umbra
Ædibus extremis volvebat pectore curas.

Sic magnos Principes Æneam, & Achaten cogitabundos infert Maro l. 8.

—— *defixique ora tenebant*
Æneasque Anchisiades, & fidus Achates.

Et Adrastum Stat. lib. 1.

—— *stupet omine tanto*
Defixus senior. ——

Ac Philippum Regem Macedonum Libanius Declam. 15. *ἀλλ' ἐνεθυμήθη πρὸς αὑτόν: cogitabat secum.* Cerda.

250. *Obtutu tenet ora.*] Ordo est: Latinus defixa tenet ora: & *obtutu*, id est, intuitu solo hæret immobilis. *Servius.*

Obtutu.] Notetur locus Apul. lib. 1. Flor. transferentis hanc vocem ad animum: *Arbitrabatur homines non oculorum, sed mentis acie, & animi obtutu considerandos.* Cerda.

Soloque inmobilis hæret.] Philo dixit de homine cogitabundo, *πεπήγασιν αἱ κόραι*, quia videlicet in his hominibus

pupillæ

Intentos volvens oculos. nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameïa tantum,
Quantum in conubio natæ thalamoque moratur:
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa ab sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis: huic progeniem virtute futuram
Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem.
Tandem lætus ait: Dî nostra incepta secundent,

Augu-

pupillæ immotæ sunt. Describit utique Poëta hic Latinum *ἀτενίζοντα, καὶ μὴ παραβλέποντα. Idem.*

251. *Intentos volvens oculos.*] Cogitantis est gestus: sic de Boccho Salustius, *Vultu & oculis pariter atque animo variis.* Servius.

Intentos oculos.] Quod est capientis consilium: nam oculi per diversa vagantes, secum animum trahunt, & à fixa cogitatione abstrahunt. Sed si *intentos*, quomodo *volvens*? quia tacitarum cogitationum est, movere oculos, cum animi æstus per diversa rapiunt: ita quo ierit redieritque animus oculorum signis ostendit. *Donatus.*

Regem picta movet.] Quippe regem, & in purpura Iliadum labor. *Servius.*

254. *Volvit.*] In codicibus aliquot antiquis, *volvens* legitur: quod usque ad verbum *ait* protraheretur: id vero mihi satis nequaquam facit. *Pierius.*

Volvit sub pectore sortem.] Sortem hic usurpavit, ut Græci *κλῆρον*, & *κλήρους*, pro fato, effato, & responsis. Superius siquidem Faunum fatidicum genitorem: & supra, Lycias sortes, *arcanaque fata: Sic fata Deûm rex Sortitur.* Eurip. in Phœn. sub persona Tiresiæ ad filiam, *κλήρους τέ μοι φύλασσε παρθένῳ χερὶ, οὓς ἔλαβον οἰωνίσματ' ὀρνίθων μαθὼν θάκοισιν ἐν ἱεροῖσιν, οὗ μαντεύομαι.* Et Pind. Pyth. Od. 4. *μάντις ὀρνίχεσσι, καὶ κλάροισι θεοπρεπέων ἱεροῖς Μόψος ἄμβασε στρατὸν πρόφρων. Germ.*

255. *Ab sede profectum.*] In antiquis omnibus codicibus *ab sede*, in aliis *à sede*, & in aliquot, *provectum.* sed syllaba repugnante, prima enim in *provehor* longa est, *Provehimur Pelago.* Pier.

Profectum.] *Profecto*, vel *Provecto* (id est, ratiocinando) legendum censet Scottus observ. poët. l.2. c.49. Sed tota errat via, & Pierii sententiæ subscribendum. *Emmeness.*

256. *Portendi.*] Porro tendi, prædici, significari. *Servius.*

Paribus auspiciis.] Pari potestate. & tractum est ex comitiis, ut diximus in quarto. *Servius.*

257. *Huic.*] In Oblongo codice Vaticanæ bibliothecæ, & in Mediceo, *hinc* adverbium scriptum observavi. In reliquis omnibus *huic*: quod apte quadrare videtur, *Hunc portendi generum, Huic futuram progeniem virtute egregiam.* Sed neque inconcinnum est *hinc* legere. *Pierius.*

258. *Quæ viribus occupet orbem.*] Est hoc quod supra:

— quorumque à stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrunque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique, regique videbunt. Cerda.

259. *Tandem.*] Post diuturnam cogitationem. *Donatus.*

Lætus.] Quia repererat felices exitus. *Idem.*

Ait.] Si cum oratione Ilionei conferas, quæ Latinus respondit, brevissime respondet: & brevius adhuc, si cogites negotii gravitatem de deligendo successore, & nuptiis natæ. Quibus re-

bus

Auguriumque suum. dabitur, Trojane, quod optas.
Munera nec sperno. non vobis rege Latino
Divitis uber agri Trojæve opulentia deerit.
Ipse modo Æneas (nostri si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat, sociusve vocari)
Adveniat; voltus neve exhorrescat amicos:
Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Vos

bus quid gravius? Itaque hic quadrant verba Sidonii epist. 1. lib. 1. de Theodorico: *intromissis gentium Legationibus audit plurima, pauca respondet.* Pari Regiæ majestatis decoro in 1. post multa ejusdem Ilionei verba,

Tum breviter Dido vultum demissa profatur. Cerda.

Dî nostra incepta secundent.] Secundum priscam consuetudinem locuturus de publica utilitate, id est, pace, & de regiis nuptiis, facit ante deorum commemorationem, sicut in Catonis orationibus legimus. Hinc est in divinatione Ciceronis, *Si quid ex aliqua vetere oratione, Jovem ego optimum & maximum.* Ipse etiam Virgilius alibi, *Præfatus divos solio rex infit ab alto.* Servius.

Vestra incepta.] Quod magnopere desideramus, compleri optamus. hoc optatum pertinet ad nuptias filiæ, de quibus diutius cogitaverat. *Donatus.*

Dî nostra incepta secundent.] Istiusmode formulas collegit diligenter Brisson. de form. l. 1 Hoc eodem verbo noster utitur l. 4. g. ℣s. 597.

Expediat morbi caussam, eventusque secundet.

& l. 3. Æn. ℣s. 36.

— rite secundarent visus, &c.

id est, prosperarent, ut Non. Marc. l. 2. qui hoc etiam exemplum habet Propertii l. 3.

Jam liquidum nautis aura secundet iter. Emmeness.

260. *Augurium.*] Propter quæ dicta sunt supra. *Servius.*

Trojane.] Nam nomen Ilionei ignorabat. *Donatus.*

Quod optas.] Id est, pax. *Servius.*

Quod optas.] Brevis, sed plenissima promissio. *Donatus.*

261. *Nec sperno.*] Quia dixerat, *Fortunæ parva prioris Munera.* Et est Liptotes, id est, libenter accipio. *Servius.*

Munera nec sperno.] Hinc Ovid. in epist. Helenæ ad Paridem:

Aut ego te potius, quam tua dona sequor.

Atque ea non sperno. — Cerda.

Non vobis rege Latino.] Par illud 4. Georg. ubi Aristæus ad matrem, *te matre relinquo*, videlicet honorem mortalis vitæ. *Idem.*

262. *Uber agri.*] Ubertas. Alibi, *Pecorique & vitibus almis Aptius uber erit.* Et est major petitione promissio. Nam illi tantum litus petierant. *Servius.*

Uber agri.] Pro, ubertas agri. Ita loquutus Symmach. epist. 7. lib. 1. *His quippe mensibus Campania nitet agri ubere, & arbusti honore.* Noster alibi: *& fertilis ubere campus*, id est, fœcunditate. *Cerda.*

264. *Sociusve.*] In Romano codice, & aliquot aliis antiquis, *sociusve* legitur: quod magis placet, quam *sociusque.* Pierius.

266. *Pacis erit.*] Fœderis: ab eo quod sequitur, quod præcedit. *Servius.*

Tyranni.] Græce dixit, id est, regis. Nam apud eos tyranni & regis nulla discretio est: licet apud nos incubator imperii, *tyrannus* dicatur: Sane apud Græcos *hic* & *hæc tyrannus* declinatur. *Idem.*

Tyranni.] Hoc nomen posterioribus sæculis infamatum est: nam reges quoque *tyranni* dicebantur. *Donatus.*

Tyranni.] Aristophan. in nubibus Jovem

Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostræ,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cælo
Monstra sinunt: generos externis adfore ab oris,

Hoc

Jovem vocat θεῶν τύραννον: & in Plut. Διὸς τυραννίδα. Et Isocrat. in laudatione Helenæ, de Theseo dixit τυραννεῖν, & τυραννῶν. quem justissime & præclare ibidem regnasse prædicat, νομίμως καὶ καλῶς. Et in Euagor. τυραννίδα accipit simpliciter pro *Regno*. Ait enim τυραννίδα esse καὶ τῶν θείων ἀγαθῶν, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων μέγιστον, καὶ σεμνότατον. Huc pertinent verba Probi in Miltiade: *Tyrannusque fuerat appellatus, sed justus. Non enim erat vi consequutus, sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem & habentur, & dicuntur Tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quæ libera fuit.* Plutar. in Dione proverbialiter dixit, ἦν δὲ οὐσία μεγάλη τῷ Δίωνι, καὶ σχεδόν τι τυραννικὴ πομπὴ, καὶ κατὰ σκηνὴν περὶ τὴν δίαιταν: *ingentes erant Dioni facultates, tyrannicusque prope domi splendor & instrumentum*, id est, Regius splendor. Dio enim non Tyrannus, imo eversor Tyrannidis in Sicilia. Ex hac itaque antiquorum significatione, & hic Virgilius Æneam *Tyrannum* vocat; ut postea Latinum ipsum; Nam Furia

—— Laurentis tecta Tyranni
Celsa petit.——

Et Valer. Flac in Arg.

Nunc precor ad vestri, quicunque est, ora
Tyranni,

id est, Regis: & Seneca in Oet. de Hercule moriente:

Quis sic triumphans lætus in curru stetit
Victor? quis illo gentibus vultu dedit
Leges Tyrannus? quanta pax obitus tulit?

Postea detorta est vox ad eum, qui enormiter, & injuste dominatur. *Cerda.*

268. *Est mihi nata.*] Male multi arguunt Virgilium, quod Latinum induxit ultro filiam pollicentem. Nec oraculum considerantes, quia Italo dari non poterat, nec Æneæ meritum, quem dicebat rogari. Nam antiquis mos fuit meliores generos rogare. Sic Terentius, *Hac fama impulsus Chremes, ultro ad me venit, unicam gnatam suam.* Hesiodus etiam περὶ γυναικῶν, inducit multas Heroidas optasse nuptias virorum fortium. *Servius.*

Est mihi nata.] Verecunda oblatio & adversus omnem exprobrationem munita: ne forte illud dici posset Terentian. *Aliquid monstri alunt, & quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me.* D.

Est mihi nata.] Sic & Alcinous Nausicaam filiam Ulyssi offert. Od. η. παῖδά τ' ἐμὴν ἐχέμεν, καὶ ἐμὸς γαμβρὸς καλέεσθαι. *Germanus.*

269. *Sortes.*] Modo abusive pro oraculis posuit. Nam non proprie dicuntur *sortes*. hic autem à Fauno oraculum, non *sortes* acceperat. *Servius.*

Sortes.] Cicero loquens de obscuritate oraculorum l. 2. de Divinat. c. 56. *Sors ipsa ad sortes referenda.* & paulo post, *Sors illa edita opulentissimo regi Asiæ*, id est, oraculum. *Emmeness.*

Plurima cælo Monstra sinunt.] Aut per augmentum dixit: aut & alia visa intelligamus. Nam duo, plurima non sunt. *Servius.*

270. *Generos externis adfore ab oris.*] Signate, ut supra, *externa à sede.* Quasi communiat Latinus id, quod objici poterat? videlicet Æneam non esse externum, quia à Dardano Italo. Ait itaque Latinus considerandam non tam generis, quam loci disjunctionem? ita ille oraculum interpretans, quo fuerat pronunciatum, *Externi venient generi*, Ideo itaque, *ab oris, ab sede.* Ceterum, ex perlustrato hoc loco Adrastus apud Stat. 2. Theb.

Sed mihi nec Sparta genitos, nec ab Elide
missos
Jungere fas generos.—— Cerda.

 271. *Hoc*

Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. hunc illum poscere fata
Et reor; & (si quid veri mens augurat) opto.
Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant ter centum nitidi in præsepibus altis.
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.

Aurea

271. *Hoc Latio restare canunt.*]Hoc Italiam manere significant. Nam si dicimus, *hoc mihi restat*, id est, manet me illa res. *Servius.*

272. *Poscere fata.*] Stephanus in lect. Virg. in non nullis codicibus legi *pascere* testatur. Sed non placet. *Emmeness.*

273. *Mens augurat.*] *Auguro* dicimus secundum Plinium, cum præsagio mentis futura colligimus: *Auguror* vero tunc, cum futura veris captamus auguriis. *Servius.*

Augurat.] Dici *auguro* probat Nonius testimoniis Actii, Ennii, Pacuvii, Tullii, Virgilii. Lege illum. Cum sententia Latini optantis aptari Æneæ Deorum fata affine illud Sallust. Jug. *Ubi Marius haruspicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur.* Cerda.

Opto.] Ad laudem Æneæ. *Donatus.*

274. *Numero omni.*] Utrum equorum numero, an legatorum? Sed si de equis trecentis dixit, perite locutus est: nam in legione non nisi trecenti equites erant, quæ tamen legio habebat sex millia virorum. Per quod ostendit unam habuisse legionem Latinum. Item alio loco, *Tercentum scutati omnes Volscente magistro.* Servius.

275. *Stabant terc.*] Notes hic studium veterum in alendis equis, lib. 3. Georg. *Pascit equos.* Hic adjungo Laërtii locum in Empedocle, *οἰκίαι ἱπποτρόφουσαι λαμπραὶ ἦσαν*: *Familiæ, quæ equos alerent, illustres erant.* Spartianus: *Ipsi principes viri equilia sedulo pascebant, unde equos antiquæ, & generosæ notæ, ac nominis, & ad circum, & ad bella haberent.* Cerda.

Nitidi.] Hanc vocem dicit de pinguedine, lib. 1. Georg. *interque nitentia culta.* In 6. Æneid. *nitentes equos* dixit. *Cerda.*

In præsepibus altis.] Multa non propter se, sed propter aliud dicuntur. Nam per *præsepia alta*, equorum magnitudo monstratur. Homerus *βαθύπεπλος ἰλιεῖς*, id est, longas vestes habens. *Serv.*

Præsepibus.] Hæc Homer. Iliad. 8. vocat *κάπας* à verbo *κάπτειν*, quod est, *edere*, itaque *κάπαι* sunt præsepia, in quibus jumenta edunt. Sic *βουκάπαι*, boum præsepia. Inde est ut *καπηλεύω*, *cauponor*, & *καπηλεῖον caupona*, non dicantur à vino, quod male plerique putant, sed à cibo. *Cerda.*

276. *Ordine.*] Pro merito singulorum. *Servius.*

277. *Instratos ostro.*] Stratis purpureis ornatos. *Donatus.*

Instratos.] Non placet quod in plerisque legitur exemplaribus, *instructos*, quum *equos insterni* dicatur, & stragula quæ dorso insternuntur. *Pierius.*

Instratos.] Putat Brisson. lib. 3. de Regno Persico, dictum hoc à Virgilio exemplo Persarum. Nam horum vectatio, quæ prius acris tota, & militaris, versa est in luxum, ac mollitiem. Neque enim tam ornatus gratia, quam ut molliter insiderent, minusque succuterentur, equos stragulis insternere apud eos invaluit. Sic ferme ille. Sed potius credo adumbratum à Romano Poëta morem Romanorum, quibus in bello usus fuit stramentorum. Silius lib. 5. de equo Flaminii Consulis,

Stat sonipes, vexatque ferox humentia frana,

Cancar-

Aurea pectoribus demissa monilia pendent;
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Æneæ currum geminosque jugalis,
Semine ab ætherio, spirantis naribus ignem,

Illo-

Caucasiam instratus virgato corpore tigrim.

Frontinus lib.2.cap.4. in quodam stratagemate: *Agasones lixasque armatos simul ire jussit, jumentorumque magnam partem instratorum centunculis, ut per hoc equitatus species objiceretur.* Dixit vero *instratos*, ut intelligas clitellas ex purpura, aut talia hujusmodi; nam apud antiquos Romanos sellarum usus in equis non fuit. *Cerda.*

Ostro.] Ex decoro Regiæ majestatis. Sic equus Didonis in 4. Stat. *ostroque insignis, & auro.* In Ovid. 6. Metamorph. leges,

Conscendunt in equos, Tyrioque rubentia succo
Terga premunt. ——

De equo Honorii Claudian. Paneg. 4.

Ipse labor, pulvisque decet, confusaque motu
Cæsaries. Vestis radiato murice Solem
Combibit, ingesto crispatur purpura vento.

Silius de equo,

Illum Sidonio fulgentem ardore tapeta.

Livius lib.24. *Cum tibi viro liceat purpura in veste stragulata uti, matremfamilias tuam purpureum amiculum habere non sines; & equus tuus pretiosius instratus erit, quam uxor vestita;* Ita legit Lipsius, non, *lectus tuus.* Idem.

Alipedes.] Putat Ursinus ductum epithetum à Lucret. qui lib.6.

Naribus alipedes ut cervi sæpe putantur.

Idem.

Tapetis.] Tertio declinatur hoc nomen *tapetum tapeti*: ut *templum templi.* Unde est *his tapetis* hoc loco. Item, *hoc tapete, hujus tapetis*, ut *sedile, sedilis.* Unde est, *Qui forte tapetibus altis Extructus.* Declinatur & Græce ὁ τάπης, τάπητος. Unde est, *Pulchrosque tapetas* τοὺς ταπῆτας. *Servius.*

Pictisque tapetis] Pari ambitione Ovid. lib. 8. Metamorph.

Purpureusque albi stratis insignia pictis
Terga premebat equi, spumantiaque ora regebat.

Cerda.

278. *Demissa monilia pendent.*] Suspendenda pronuntiatio est: & ambitus major est. Nam *monilia* non nisi hominum dicimus: quæ nunc ad laudem pro phaleris posuit. *Servius.*

Monilia.] Ornati in formam mulierum. mirum autem benevolentiæ in Trojanos signum. Nam qui pedites venerant, non debebant ad futurum generum nisi equites redire. Æneæ vero mittit bigas, honoris virtutisque causa. *Honoris*, ut curru vectus, ad socerum cum dignitate veniret. *Virtutis*, quia currus & equi instrumenta bellorum sunt: & ne ad generum, potentissimus rex, leve donum mittere videretur, equos mirifice laudat. *Donatus.*

Monilia.] Quidam phaleras intelligunt, quidam δερριστῆρας, sive προσδέραιον ἵππου, ex Hesych. intelligunt. Vide P. Victor. lib.33. cap.12. *Taubmannus.*

279. *Tecti auro.*] Aureis stragulis. De hac autem jucunda simplicitate, qua auctor τὸ *aurum* toties repetit, videatur Scal. lib. 4. cap. 29. *Idem.*

Tecti auro, &c.] De aureis equorum ornamentis Schefferus l.1. de re veh. c. 16. *Emmeness.*

281. *Spirantis naribus ignem.*] Hanc esse notam generosi equi multis aperui lib. 3. Georg. ad illud,

Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Sed Poëta hic signatius, quam ibi: nam cum respectu ad fabulam; equos enim Solis spirare ignem par erat. Ita enim Ovidius, atque Eurip. de equis ejusdem

 Solis.

Illorum de gente, patri quos dædala Circe
Subposita de matre nothos furata creavit.
Talibus Æneadæ donis dictisque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis

Sæva

Solis. Ille lib. 2. Metamorph.

Nec ibi quadrupedes animosos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore, & naribus efflant,
In promptu regere est. ——

Hic in Phœniss.

Ἥλιε θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα.
Sol volvens flamma celeribus equis.

Versus ipse sumptus ex Lucret. qui l. 5.

Et Diomedis equi spirantes naribus ignem.

Cerda.

Spirantis naribus ignem.] Tiberii equum narrat historia ἐκ στόματος πυρ-θηρεύσαι (?) ... *Taubm.*

282. *Patri quos dædala Circe.*] Ingeniosa: & hoc fingit eam fecisse. Tractum autem est de Homero, qui tales equos habuisse inducit Anchisen. Et bene est compositum ad illud, quod supra ait, *Trojave opulentia deerit.* Ut Trojanis nihil de prisca rerum copia abesse videretur. *Gentem* autem abusive dixit de equis, cum *gens* hominum sit. *Servius.*

Dædala.] Vivacissimo ingenio, ut Dædalus fuit. *Donatus.*

Dædala Circe.] Id est, ingeniosa: vel à δαιδάλλειν, id est, artificiose facere, aut variegare, vel ab ingenioso illo Cretensium fabro *Dædalo.* ita Lucret. dicitur *Dædala tellus*, à varietate illa rerum. & *Dædala Minerva*, à varietate artificiorum, Ennio. eidemque Lucret. *Dædala verborum lingua*: &, *Dædala signa polire.* item: *Dædala carmina, &c.* Quoniam autem supra fidem & naturam est, Equos hosce de genere Solis esse, ideo prudenter deæ facinus hoc attribuitur. Vide Scal. l. 3. c. 3. & 4. ubi locum hunc à reprehensione Criticorum vindicat. Quippe eadem ratione potuit Circe suffurari semen equorum, qua Solis esse filia. *Taubm.*

283. *Nothos.*] Materno ignobiles genere. Est autem hoc nomen Græcum. Nam in Latinitate deficit. *Servius.*

Subposita de matre nothos.] Matrem hic suppositam dixit nove, cum subjectos partus dicamus τὰ νόθα καὶ ὑποβολιμαῖα βρέφη, καὶ ὑποβληθέντα καὶ ὑποτιθέντα. *Germanus.*

Furata.] Vide Not. 6. Æn. ✝ſ. 24. *Taubmannus.*

Supposita de matre nothos furata creavit.] Ad hunc locum vide Macr. l. 6. c. 6. *Emmeness.*

284. *Donis dictisque Latini.*] Equis: & pacis nuptiarumque promissione. *Servius.*

Donis.] Propter equos. *Donatus.*

Dictis.] Nam pacem reportant. *Donatus.*

285. *Sublimes in equis.*] Lucret. l. 2. de Cybele: *Sublimem in curru bijugos agitare leones.* Germanus.

286. *Inachiis sese referebat ab Argis.*] Bene *Inachiis.* Non enim una est Argos: fuit enim & in Italia, quam Diomedes condidit: quæ primo Argi, post Argyrippa, post Arpi dicta est. Fuit & in Thessalia. Lucanus, *Ubi nobile quondam, Nunc super Argos erat.* Fuit & haud longe ab Athenis, quod à siti Argos Dipsion dictum est: apud quos magna erat societas inter eos qui uno puteo utebantur. Unde & *fratrias* dixerunt ἀπὸ τοῦ φρέατος, quas tribus vocamus. Et notandum, quod ubi bonus sequitur eventus Trojanos, Juno removetur: & congrue, quasi numen inimicum, quod præsens posset nocere. *Servius.*

287. *An-*

Sæva Jovis conjunx, aurasque invecta tenebat:
Et lætum Ænean, classemque ex æthere longo
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ:
Deseruisse rates. stetit acri fixa dolore.
Tum quassans caput, hæc effundit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, & fatis contraria nostris

Fata

287. *Aurasque invecta tenebat.*] Per elementum suum ibat. *Idem.*

289. *Prospexit.*] Non dubium, quin intelligat Junonem ὑποβλέψασαν δεινὸν καὶ θηριῶδες. est enim ὑποβλέπειν, *graviter, & hostiliter, ac torve intueri.* Ceterum similis fictio est apud Nonnum lib. 22. ubi Juno videns Indos morem Baccho gerentes, omnia turbat, illorum animis impetum immittens. Et lib. 11. Luna ex aëre intuetur odio, & invidia Ampelum exultantem. Similis apud Statium lib. 7. Theb. ubi Bacchus videns exercitum appropinquantem Thebas, altricem domum, ingemit, & conatur omnia disturbare. *Cerda.*

Ab usque.] *Ab usque* & *ad usque* usurpative dicimus. Præpositio enim nec adverbio jungitur, nec præpositioni. *Usque* autem, aut præpositio est, aut adverbium *Servius.*

Ab usque.] Nota, præpositionem etiam jungi præpositioni, ut & adverbio; contra Servium. Sic *Inante*, apud Propert. lib.2,2. *Deprecul*, apud Plaut. Persa act. 4, 2. ut *desub* apud Florum. ita passim, *desubito*, *derepente*, *abusque*: ita *Subpostea quam*, apud Cic. teste Fabricio. *Taubm.*

Ab usque.] Vide Hadrian. Card. de serm. Latino. *Emmeness.*

Moliri.] Pro *ædifico* frequens in hoc vate. Sic supra; *molirique aggere tecta.* In 1. *molirique arcem.* In 3. *classem molimur.* In hoc lib. *moliturque locum*, id est, ædificat, & construit locum. Verum est addi vim. *Cerda.*

290. *Jam fidere terræ.*] Per dativum jungendum, aliter non procedit. Ut, *Fidere nocti.* Servius.

Fidere.] Antiqui plerique codices, *sidere terræ* legunt, ut eo significatu *Considere* sæpe dictum. quod enim proxime futurum videbatur, jam actu esse sibi proponit: ideoque etiam illud eodem modo dictum, *Moliri jam tecta videt.* Priscianus tamen *fidere terræ* agnoscit: perinde ac illud etiam, *Fidere nocti.* Pierius.

291. *Stetit.*] Quod solet esse cogitantum, id est, stare. *Servius.*

Stetit acri fixa dolore.] Tale quid Apollon. ἐπεὶ χόλος αἰνὸς ὄπαζε κύπριδος. *Germanus.*

Stetit.] Non sponte, sed invidia & dolore fixa. Mores fœminarum examinat Scal. l. 3. c. 13. *Taubm.*

292. *Quassans caput.*] Lucret. 2. *Jamque caput quassans grandis suspirat arator.* Et Virg. 12. *Ille caput quassans, non me tua fervida terrent, &c.* Germ.

293. *Heu stirpem.*] Oratio pathetica: cujus initium ab ecphonesi abruptum est. neque etiam convenit indignantes leniter incipere. tota enim stricta sententiarum brevitate, crebrisque figurarum mutationibus, velut inter æstus iracundiæ, fluctuat. Videatur Macrob. lib. 4. cap. 2. *Taubm.*

Fatis.] Voluntatibus. *Servius.*

Fatis contraria.] Qui contrariis fatis nascuntur, immortales inter se inimicitias exercent: confirmat etiam deos fatis agi. dolet igitur Juno, quod debuissent timere fata sua Trojani, & non timuerint: dolet quod superiores semper evaserint: & quicquid excogitare potuerit, vicerint. *Donatus.*

295. *Capti*

Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuere capi? num incensa cremavit
Troja viros? medias acies, mediosque per ignes
Invenêre viam? at (credo) mea numina tandem
Fessa jacent, odiis aut exsaturata quievi.
Quin etiam patria excussos infesta per undas

Ausa

295. *Capti potuere capi.*] Cum felle dictum est. Nam si hoc removeas, erit oxymorum. Dicit autem omnia, quæ contigerunt, non videri contigisse, quia non obfuerunt. *Capti* autem *capi* sic dixit, ut Cicero, *Ut in uberrima Siciliæ parte, Siciliam quæreremus.* Serv.

Num capti potuere capi.] Sic pari ὀξυμώρῳ lusit Lucret. lib. 1. *Ut puerorum ætas improvida ludificetur Labrorum tenus, interea perpotet amarum Absynthi laticem, deceptaque non capiatur.* Et Eurip. in Alcest. eadem figura: κόμιζε πρὸς θεῶν ἀπ' ὀμμάτων γυναῖκα τήνδε, μή μ' ἕλῃς ᾑρημένον· & Catull. *Nequicquam tacitum cubile clamat:* Cic. in Verrem, *Si tacent, satis dicunt.* Germ.

Num capti.] Sic Petron. de Equo Troj. *Ibat juventus capta, dum Trojam capit.* ita Manil. l. 4.

Captus & captis Orbis foret —

V. N. Æn. XI. *sequiturque sequentem.* Taubmannus.

Num capti, &c.] Desumtum hunc locum ex, Ennio Ann. 10. testatur Robert. Tit. loc. Controv. l.8.c.21. Qui similes ex veteribus locutiones congessit & præ cæteris Rittershusium ad Oppian. ✝s. 260. l.1. κυνηγ. παλιγγενεσίαν, vel fortunam Trojæ ægre quamquam tulit Juno, renascebatur tamen ex Trojæ cineribus Roma. Vide Ovid. l. 1. Fast. 523.

Victa tamen vinces eversaque Troja resurges, &c.

Quo genere usurpetur *Stirps* docet Charisius l. 1. inst. Gramm. *Emmeness.*

296. *Medias acies.*] Per gladios & per ignes non extremos, sed medios, quibus nulla possunt esse graviora pericula. *Donatus.*

297. *At (credo) mea numina tandem.*] Nec fatigata destiti, nec satiata requievi. *Servius.*

At (credo) mea numina.] Nec fessa sum odiis, nec quievi saturata. *Donatus.*

At (credo)] Ironice. ἀλλ' οἶμαι, Demosth. qua significatione *Puto* est apud Poëtas. Fabric. rectius legi censet:

— *an, credo, mea numina tandem*
Fessa jacent, odiis aut exsaturata quievi.

Dicit enim se nec fatigatam destitisse, nec satiatam quievisse. *An, credo,* in Ironiis vim habet. *Taubm.*

At (credo) &c.] Sic auctoritate se destitutam queritur l. 1. Æn. ✝s. 39. *Emm.*

298. *Exsaturata.*] In Oblongo illo pervetusto Vaticanæ bibliothecæ codice *exatiata* legitur, præter differentiam, quam Cornelius Fronto ponit, ut *Satiatus* ventris, *Saturatus* animi sit. Contra quem Fl. Sosipater ita, Saturitas in cibo tantum dicitur. In cæteris vero, satietas. Sed Virgilius, *Odiis haud exsaturata quievi*, dixit, superstitiosa nimirum utriusque observatione, quum & *saturo*, & *satio*, *saturitas*, & *satietas* ad omnes sensus pertinere M. Tullii, Sallustii, Columellæ, & aliorum auctorum testimoniis comprobetur, quæ ideo non apposui, quod ea omnibus in promptu esse satis sciebam. *Pierius.*

299. *Patria excussos.*] Satis signate locutus est. *Servius.*

Excussos.] Non dixit, *Exactos*, ut Cicero & Livius: sed *excussos*; in quo mira vis. ita 5. Æn.

— *excussaque pectore Juno est.*

Æn. 9.

Excutiat Teucros vallo.

Scal. l. 4. c. 16. *Taubm.*

300. Obps-

Ausa sequi, & profugis toto me obponere ponto.
Absumtæ in Teucros vires cælique marisque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Thybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem

Inma-

300. *Obponere.*] In antiquis aliquot codicibus, *exponere* habetur, quasi ipsa quoque Juno sese periculis objecerit. Sed *obponere*, quod in pluribus habetur, omnino melius, & conatum adversus Trojanos ingentem ostendit. *Pierius.*

Me obponere ponto.] Plus est, quam si diceret tempestates. *Me* autem per Perissologiam imbres, tonitrua, tempestates. *Servius.*

301. *Absumtæ in Teucros vires.*] Propert. *Dixerat, & pharetræ pondus consumpsit in arcus*: & Catul. *Anxia in assiduos absumens lumina fletus.* Sic Græci ἀναλίσκειν εἰς. Plutarch. in lib. πότερον Ἀθηναῖοι πλέον ἀνηλωκὼς φανεῖται ὁ δῆμος εἰς βάκχας καὶ φοινίσσας, καὶ οἰδίποδας, καὶ ἀντιγόνην, &c. & eodem: ὡς ἁμαρτάνουσι μεγάλα Ἀθηναῖοι τὴν σπουδὴν εἰς τὴν παιδίαν καταναλίσκοντες, τουτέστι στρατευμάτων ἐφόδια καταχορηγοῦντες εἰς τὸ θέατρον. Et Poëta Græcus queritur in se arcum pharetramque Amoris exhaustam & consumptam, εἰς ἑαυτὸν φαρέτραν ἀνηλωμένην ἔρωτος. *Germanus.*

302. *Aut Scylla mihi.*] Bene *Mihi*: ac si diceret, Etiam quæ per suam naturam solent nocere, me rogante, non potuerunt obesse Trojanis. *Servius.*

Vasta.] Sunt quidem antiqui codices, in quibus *dira Charybdis* habeatur. Sed *vasta* longe decentius dictum, idque ex Synepeia Catulli, *Quæ Syrtis, quæ Scylla mihi, quæ vasta Charybdis.* P.

303. *Conduntur Thybridis alveo.*] *Condi* proprie dicuntur, qui sibi statuunt civitatem. *Conduntur* ergo, sedem stabilem locant. Salustius, *Parte conditor orbis terrarum.* Et sunt propria verba, quæ nulla ratione mutantur: nam ut *sacerdotes creari*, *virgines capi* dicimus. *Servius.*

Thybridis alveo.] Non *undis*, sed *alveo* legendum hic, disces ex Nobiliss. Heinsio ad Ovid. l. 15. Metam. ℣s. 624. & Pontano ad Macrobium l. 3. Saturn. c. 1. *Emmeness.*

304. *Securi.*] Emphasis non vulgaris: nam hæc securitas pro contemptu est, ut 1. Æneid. *securus amorum germana*, id est, contemnens. Ovid. ad suum librum 1. Trist.

Denique securus famæ liber ire memento.

Quasi suus liber sit projecti jam pudoris, & profligatæ verecundiæ. *Cerda.*

Pelagi.] Propter illud, *Sed terra graviora manent.* Servius.

Securi pelagi.] Musæus Leandrum ἀφειδήσαντα θαλάσσης. *Germanus.*

Securi pelagi.] 1. Ita & 10. Æn. *securus amorum*, id est, contemptor; secretus ab amorum cura & metu. Scalig. lib. 4. cap. 16. *Taubm.*

Mars perdere gentem.] Bene belli & vastationis quærit exempla in rebus hujusmodi: sicut in primo, naufragii. Pirithous Lapitharum rex cum uxorem duceret, vicinos populos Centauros, etiam sibi cognatos, & deos omnes, excepto Marte, ad convivium convocavit. Unde iratum numen immisit furorem, quo Centauri & Lapithæ in bella venerunt. *Servius.*

Mars perdere gentem.] Ab exemplis iras suas accendit, & ostendit minores deos ad plenum se defendisse. Comparat caussas, delicta, & personas. *Donat.*

Mars perdere gentem.] Ut πάθος augeatur, jungitur argumentum à minore. Pirithous Ixionis F. Lapitharum rex nuptias celebrans, vicinos Centauros & omnes Deos, præter Martem invocat, qui iratus Furorem immisit, qui Centauros cum Lapithis committeret. Ovid. l. 12. Met. Fab. 5. obiter. *Taubm.*

305. *Lapi-*

Inmanem Lapithûm valuit: concessit in iras
Ipse deúm antiquam genitor Calydona Dianæ:
Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?
Ast ego magna Jovis conjunx nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vin-

305. *Lapithûm.*] An voces συγκοπτῶσαι concisæ seu contractę accentu insigniendæ sint disputat in Orthograph. Dausq. c. 9. *Emmeness.*

Concessit.] Ideo dixit, ut ostenderet minora numina, nisi impetraverint, nocere non posse. Statius de Venere, *Infandum natæ concessit honorem.* Servius.

Concessit.] Nota; minora numina, nisi impetraverint, nocere nemini posse. Sensus est: Juppiter concessit Dianæ suas iras in Calydonem effundere: vel; ita ulcisci Calydonem, ut iræ suæ satisfaceret. Est autem *Calydon* civitas Ætoliæ, regia Oenei, qui, cum omnibus diis, excepta Diana, de primitiis sacrificasset, irata dea aprum immisit omnia vastantem, qui tandem à Meleagro interfectus est. Hanc Fab. describit Hom. 1. Iliad. & Ovid. 8. Met. Fab. 5. *Taubm.*

306. *Antiquam genitor Calydona Dianæ.*] OEneus Calydonis rex de primitiis omnibus numinibus sacrificavit excepta Diana: quæ irata aprum immisit: qui cuncta vastabat, donec à Meleagro occideretur. *Servius.*

Calydona Dianæ.] Vide fabulam apri Calydonii lib. 1. Iliad. *Germanus.*

307. *Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente.*] Hæc est vera lectio: sic & sensus procedit, ut uterque ablativus sit. Nam si *Calydona* legas, vitium erit, nec sensus procedet. *Scelus* autem pro *pœna* posuit: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Ut, *Et scelus expendisse merentem.* Servius.

Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem.] Priscianus, ubi non semper copulativas eosdem casus sibi adjungere differit, testimonium hinc citat. Ubi scriptum agnoscat, *quod scelus aut Lapithis tantum aut Calydona merentem.* pro *quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente.* Utrunque tamen melius, accusativo vel ablativo casu quibusdam in codicibus inveniri, ut sit *concessit* verbum. Cui subjiciatur per repetitionem, *Quod scelus, aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem.* vel in modo consequentiæ (ut jam passim legitur) *Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente.* Pierius.

Quod scelus, &c.] Id est, quam sceleris pœnam? ita 2. Æn.

—— *scelus expendisse merentem.*

Ut igitur iras suas accendat Juno, non solum personas, sed & causas sive delicta componit. *Taubm.*

308. *Ast ego.*] Designat stomachum hæc particula. sic l. 1. ꝟs. 45. *Ast ego, quæ divûm, &c.* Ovid. Epist. 12. Heroidum ꝟs. *At tibi Colchorum, &c.* ad quem locum consulendus Nobiliss. Heinsius. idem docet Macrobius l. 4. Saturn. c. 2. *Emmeness.*

309. *Quæ potui infelix.*] Id est, nocens, irata: ut contra, *Sis felix*, id est, propitia: sicut diximus supra. *Servius.*

Potui.] Non placet Canterus l. 2. c. 2. qui locum hunc & alia quæpiam tam Virgilii, quam aliorum explicat, verbi hujus vi adempta, ita ut *Antenor potuit penetrare*, sic tantum, *Antenor penetravit*: & hic, *nil linquere inausum quæ potui*, sit, nihil reliqui inausum. Loca alia vide in eo. Imo vis tota orationis posita in expresso verbo: ibi enim dolet Venus se non posse, quod mortalis Antenor: hic dolet Juno potentiam suam rejecisse in nihilum. *C.*

Nil linquere potui.] Pro, nihil inausum

Vincor ab Ænea. quod si mea numina non sunt
Magna satis; dubitem haud equidem inplorare quod usquam est.
Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

Non

sum reliqui. Elegans verbi *Possum* usus: de quo plurima G. Canterus Nov. Lect. lib. 2. c. 2. *Taubm.*

Linquere potui.] Pro nihil inausum reliqui. de hac locutione vide Torrent. ad Horat. l. 3. od. 3. *posit dare jura*, pro *jura det*. sic noster l. 12. Æn. *quam propter tantos potui perferre labores*. ut monet Sciopp. l. 2. verisim. c. 20. *Emmen.*

Memet.] Multum efficax, ait Scal. ita Catullus:

Conjugis infido consoler memet amore.

Cerda.

In omnia verti.] Sic in 12.

Verte omnes tete in facies. ——

Quis scit, an utroque in loco alluserit Poëta ad naturam Dei Vertumni, qui *formas deus aptus in omnes*? ait Ovid. 14. Metamorph. Vel alludit ad veterem parœmiam ἅπαντα δρᾶν, *omnia facere*, de irrito conatu. Sen. epist. 125. *Quid formam colis? cum omnia feceris, à multis animalibus vinceris.* Martial. lib. 2. Epig. 14.

Omnia cum fecit; sed renuente Deo.

Idem.

310. *Vincor ab Ænea.*] Nomen proprium pro convitio posuit: quasi dicat, ab uno, eodemque vitiosissimo. *Donatus.*

Vincor ab Ænea.] Alibi Maro: *mortali vincor ab hoste*: ut Poëta Græco Epigr. οἴμοι, ὑπὸ θνητοῦ λείπομαι ἀθάνατος. *Germanus.*

Vincor ab Ænea.] Ita in Græco Epigram.

Οἴμοι, ὑπὸ θνητοῦ λείπομαι ἀθάνατος.

Ita Juno eadem apud Sen. in Furent. *De me triumphas*; loquitur de Hercule. Est enim hoc intolerabile, ut & illud nostri alibi: *mortali vincor ab hoste*. Tolerabilius si Dii à Diis: sic Neptunus apud Euripidem non erubescit fateri se superari ab Junone, & Pallade. Oratio tamen ipsa tota est ad αὔξησιν, & incrementum, neque enim Juno victa ab Ænea, sed à fatis, quæ inviolabilia. Explicat hoc ipsa in 1.

—— *mene incepto desistere victam,*
Nec posse Italiam Teucrorum avertere Regem?
Quippe vetor fatis. ——

Huc trahendum illud ejusdem lib.

Ilium in Italiam portans, victosque Penates.

Victi enim dicuntur non tam relatione ad Græcos, quam ad fata, quæ jubebant eos Troja migrare. *Cerda.*

311. *Inplorare quod usquam est.*] Ac si diceret, etiam humilia. Quod autem Juno ubique alieno uti introducitur auxilio, physicum est. Natura enim aëris per se nihil facit, nisi aliena conjunctione, ventorum scilicet, qui creant nubes & pluvias. *Servius.*

312. *Flectere si nequeo superos, &c.*] Eadem vis huic versui, ac trito proverbio, *omnem lapidem movere*. Quod alia forma concepit Plutarch. in Amator. ἀκίνητα κινεῖν, *movere immobilia*: & in vita Dionis, πᾶσαν μηχανὴν αἴρων, *movens omnem machinam*. Alia Oppian. lib. 1. Cyn.

—— ἐρευνᾷ
Πάντα λίθον, &c. ——

Perscrutatur omnem lapidem.

Ab Virgiliana Junone. Junonis ejusdem minæ apud Senecam in Furent. contra Herculem:

Educam, & imo Ditis è Regno extraham
Quidquid relictum est. ——

Et Valer. lib. 3. Arg. ubi Juno eadem, & contra eundem Herculem: *Furias, Ditemque movebo.* Plutonis apud Claudian. lib. 1. Rapt. —— *patefacta cibo*
Tartara, Saturni veteres laxabo catenas.

Et

Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia conjunx.
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus:
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coëant mercede suorum.

San-

Et Magæ apud Lucanum lib. 6.

— tibi pessime mundi
Arbiter immittam ruptis Titana cavernis,
Et subito ferière die.

Et Statii 3. Silv.

Asperaque invitæ perstringam viscera terræ.

Verbum *movebo* dat idem Junoni Valer. Flac. lib. 5. Arg. in re simili:

Verum alios tunc ipsa dolos, alia orsa movebo.

Et Manilius lib. 1. *imumque Acheronta movere.* Cerda.

Flectere si nequeo superos, &c.] Hanc orationem vultu valde irato pronuntiavit Juno, juxta præceptum Horat. de art. Poët. ℣s. 106.

— tristia mæstum
Vultum verba decent, iratum, plena minarum. Emmenesf.

313. *Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis.*] In Mediceo codice ita legitur, *Non dabitur (esto) regnis prohibere Latinis.* forte mutatum ab iis, qui Trimemerim brevem aufugiebant. *Pier.*

315. *Atque moras tantis licet addere rebus.*] Ostendit deos retardare posse fata: non penitus tollere. Ut, *Decemque alios Priamum superesse per annos.* Quæ autem dicit, etiam a Creusa dicta sunt, ut, *Regnumque & regia conjux Parta tibi.* Servius.

At trahere, atque moras, &c.] Nimirum & Eurip. in Herc. ἐν ταῖς ἀναβολαῖς τῶν κακῶν ἔνεστιν ἄκη. Tota autem hujus loci œconomia, & commentum, de Junone Argis redeunte, constat Homeri imitatione ὀδ. ε. Neptunum ab Æthiopia revertentem inducentis, & protinus Ulyssis schediam immissa tempestate conquassantem, eo loco cui initium est: τὸν δ' ἐξ αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων ἐνοσίχθων. Ut autem hic, *At trahere, atque moras: &c.* Neptunus ea iracundia secum ratiocinatur, ut, quamvis Ulysses jam Phæacum terræ propinquaverit, & pene applicuerit, ubi naufrago tutum etiam receptum fata dederint, nihilominus illi facessere negotium constituat: his: καὶ δὴ φαιήκων γαίης σχεδὸν, ἔνθα οἱ αἶσα ἐκφυγέειν μέγα πεῖρας ὀϊζύος ἥ μιν ἱκάνει, ἀλλ' ἔτι μέν μιν φημὶ ἅδην ἐλάαν κακότητος. Atque ut hic paulo ante: *Stetit acri fixa dolore, Tum quassans caput:* Hom. prius: ὁ δ' ἐχώσατο κηρόθι μᾶλλον. κινήσας δὲ κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν. *Germanus.*

316. *At licet amborum.*] Magnum factiosæ inimicitiæ consilium, ut dissiparet populos, cum regum concordiam non posset rumpere. Convertitur autem ad virginem, veluti ipsa cum Ænea aliquid egisset. *Donatus.*

Exscindere.] In Mediceo codice, *excidere* legitur. Sed *exscindere* plus est. *Pierius.*

317. *Coëant.*] Proprie, cum in legibus *coire* dicatur de matrimonio; sic, *matrimonium coire*, & *matrimonio coito*, & talia hujusmodi, quæ suppeditat Brissonius lib. 3. de verb. significat. Sententiam Silius arripuit ad rem suam lib. 2. ubi Juno loquens cum Furia:

Hac mercede Fides constet delapsa per oras.

Volebat scilicet everti consilia Fidei. Ita & lib. 8. Æneid.

— poscant acies, & fœdera rumpant. Cerda.

Mercede.] Eodem plane sensu dixit Cic. 3. Tuscul. *Nam istud nihil dolere non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore.* Quod Achilles Statius translatum ex Crantore jam docuit, qui ante Tullium. τὸ γὰρ ἀνά-

Sanguine Trojano & Rutulo dotabere, virgo:
Et Bellona manet te pronuba. nec face tantum
Cisseïs prægnans ignis enixa jugalis:
Quin idem Veneri partus suus, & Paris alter,
Fune-

ἀναίδην οἱ τῇ τὸ ἐκ ἄνδρ μεγάλων ἐγ[illegible] μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ. τεθνεῶσης γὰρ μὲ σῶμα τοῦτον, ἐνταῦθα δὲ ψυχήν. In his locis *merces* sumitur non vere pro mercede, sed pro malo, & nocumento, at etiam apud Callimach. in hymno Dianæ:

Οὐδὲ γὰρ Ἀτρείδης ὀλίγῳ ἐπεκόμπασε μισθῷ

Neque enim Atrides parva se mercede jactavit.

Id est, non parvo damno. *Cerda.*

318. *Sanguine Trojano & Rutulo dotabere, virgo.*] Ambitiosæ execrationes. *Servius.*

Sanguine Trojano & Rutulo dotabere, virgo.] Ita Orph. Arg. de Medea: ἕδνον ἐνυάλιόν τε δρακοντείων τ' ἀπ' ὀδόντων. Tale quid apud Eurip. in Ione, φερνάς γε πολέμου, καὶ δορὸς λαβὼν γέρας· & Æsch. in Agam. de Helena: λιποῦσα δ' ἀστοῖσιν ἀσπίστορας κλόνους λογχίμους τε καὶ ναυβάτας ὁπλισμούς, ἄγουσά τ' ἀντίφερνον Ἰλίῳ φθοράν· ubi interpres: ἀντίφερνον, ἤγουν, ἀντὶ προικὸς φθορὰν, καὶ ἀπώλειαν κομίσασαν. Vocat idem Ἑλένην δορίγαμβρον ἀμφινεικῆ. *Pronuba* autem Græcis dicitur προμνήστρια, προμνηστρὶς, νυμφοκόμος, νυμφαγωγός. Ut autem *manet te*, sic Græci μένειν sæpe accusativo jungunt. Eurip. Androm. οὐδὲ τοὺς ἀπόντας ἐκ δόμων μείναντες· &, ἦλθον δὲ τὰς σὰς οὐ μένων ἐπιστολάς· & passim. *Germanus.*

219. *Bellona te m. pronuba.*] Προμνήστρια, νυμφοκόμος. Ita Lucan. lib. 8. de Cornelia:

Bis nocui mundo. me pronuba duxit Erinnys. Taubm.

Bellona pronuba.] Crudelitatis scilicet Dea. Pronubæ dicuntur, quæ sunt in obsequio nubentis. *Donatus.*

Nec face tantum.] Tantummodo. *Servius.*

320. *Cisseïs.*] Regina Hecuba secundum Euripidem filia Cissei, quem Ennius, Pacuvius & Virgilius sequuntur. Secundum Homerum filia Dimantis fuit. Hæc se facem parere vidit, & Parin creavit, qui causa fuit incendii. Ergo nunc hoc dicit, *Talis erit Veneri partus suus.* Nam sicut per Parin Troja incensa est, sic per Æneam reliquiæ Trojanorum. Comparatio autem injuriosa. Nam Veneri Hecubam, Parin Æneæ, Helenam Laviniæ comparavit. *Idem.*

Jugales.] Conjugales, matrimonio & sanguine conceptos. *Idem.*

321. *Idem.*] Talis, similis. *Idem.*

Partus suus.] Sic & Ciceroni *Junonis aureus partus*, de Augusto. Græci ita τόκον, & γόνον, & λόχευμα dicunt. *Germanus.*

Et Paris alter.] Victorii face alii hunc locum illustrarunt, quos sequor. Mira contumelia in Æneam, qua vult Juno illum similem fore Paridi delicato, molli, libidinoso; ducta ex Euripide in Troadib. ubi Tragicus hæc dat verba Andromachæ ad Hecubam:

Φεῦ, φεῦ. ἄλλος τις Αἴας, ὡς ἔοικε, δεύτερος
Παιδὸς πέφηνε σῆς. —
Heu, heu: Ajax, ut vides, alter.
Natæ apparuit tuæ. —

Ubi contumeliose Ajax δεύτερος. Eadem contumelia Virg. in 10.

— muris iterum imminet hostis
Nascentis Trojæ, nec non exercitus alter.

Adjungo simili dolore dictum à Philoctete lib. 4. Epig. artificem statuæ suæ esse alterum Ulyssem. Nam videlicet statuarius fecit, ut æterna esset memoria dolorum, quos semel passus est ab Ulysse. Versus sunt:

Ἐχθρὸς ὑπὲρ Δαναοὺς πλάστης ἐμὸς, ἄλλος Ὀδυσσεύς,

Funestæque iterum recidiva in Pergama tædæ.
Hæc ubi dicta dedit, terras horrenda petivit
Luctificam Alecto Dirarum ab sede sororum
Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, & crimina noxia cordi.

Odit

Ὃς ἔμνησέ κακῆς ἀλομβύης τε νόσου.
Plastes meus supra Græcus mihi inimicus fuit, vere Ulysses alter,
Qui mihi in memoriam revocavit dirum ac pestilentem morbum.

Eodem lib. ubi sermo est de statua Medeæ: ἦ τίς Ἰήσων δεύτερος; *nunquid alter est Jason?* Cerda.

322. *Funestæque iterum recidiva in Pergama tædæ.*] Sic tedæ recidivæ. *Serv.*

Recidiva.] *Recidiva Pergama* quidam dici putant, quod bis reciderint: semel ab Hercule, & iterum ab Agamemnone: quæ Euripid. in Troadib. παλιμπτῶ vocarit. Quidam sumptam arbitrantur metaphoram ab arboribus, quæ aliis sectis repullulant; ut hic ea sint *recidiva P.* quæ à reliquiis Trojanorum renoventur: tanquam ἀναφυόμενα, παλιμφυῆ & παλιμπλαστῆ: quæ Serv. 10. Æn. ✝ſ. 57. *renascentia* interpretatur. Sed sic modulus syllabæ τοῦ *cædo* reclamaverit. qua caussâ motus videri possit Ascensius, ut *recidiva* exponeret, iterum casura. Sed tamen doctiores plerique malunt; *post ruinam instaurata.* De quo dictum 4. Æn. ✝ſ. 344. Certe Scalig. ad verſ. Propertii lib. 4. el. 1.

Dicam, Troja, cades: & Troïa Roma resurges;

notat: Canam, inquit, Fortunam & caducæ & recidivæ Trojæ. Canam ἰλίου ἅλωσιν, & adventum Æneæ in Italiam, quæ fuit τροΐας παλιγγενεσία. Sunt tamen qui *redivivu* legant: pro quibus & Propert. videtur facere lib. 4. el. 1.

Arma resurgentis dicam victricia Trojæ.

Certe *redivivum ædificium* est, ex vetusto renovatum. Est enim verbum tectonicum. unde à veteribus magistris *redivivus* vertitur παλίγκυστος. Ita Catull. Carm. 17. *Pontem inredivivum* dixit, qui prolapsus denuo instaurari non posset, auctore Scaligero. Sed vide mihi Notas 4. Æn. ubi accuratiora, & credo etiam veriora, attulimus. *Taubmannus.*

323. *Horrenda.*] Ex causa magnæ iracundiæ vehementer commota. Descriptio autem Alectos ostendit eam esse aptam tanto negotio. *Donatus.*

324. *Luctificam Alecto.*] Græcus accusativus est. Hujus autem declinationis tres tantum casus usurpamus, genitivum, ut *Alectus*; nominativum, & accusativum, ut *Alecto.* Servius.

Luctificam Alecto.] Ἀληκτώ, οἱονεὶ μὴ λήγουσα· unde & sæpe apud Hom. ἄλληκτον πολεμίζειν, ἠδὲ μάχεσθαι. *Germanus.*

Luctificam Alecto.] Apud Ovid. lib. 4. Metamorph. Tisiphonem *Luctus comitatur euntem.* Eadem ibidem affert secum *& scelus & lacrymas.* Alecto apud Claudian. lib. 1. in Ruff. inter alios comites sequitur

—— *scisso mærens velamine Luctus.*

Cerda.

325. *Infernis tenebris.*] Vel hac una re infamis locus. Inde in 6. loquens de inferno *noctem* vocat. Euripid. Hecub. dixit:

Νεκρῶν κευθμῶνα, καὶ σκότου πύλας.
Mortuorum latebram, tenebrarum portas.

Lucret. l. 4. *lucis egens Tartarus.* Ovid. l. 4. Met. *caliginis umbras.* Stat. 1. Theb. *caligantes campos.* Virg. 4. Georg. *Stygiis tenebris.* & in 1. *Styx atra.* Martial. l. 1. *Stygias umbras.* Silius. lib. 12. *infernis nebulis, pallente umbra, noctem profundam.* Inde ipse Pluto Ἅδης Græcis, quod Virg. reddit in 6. *fine Sole domos.* Ovid. in 10. Metamorph. *Umbrarum dominum.* Alii *opertum Deum, opacum, tenebrosum.* Cerda.

327. *Odit*

Odit & ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,
Hanc

327. *Odit & ipse pater Pluton.*] Venerationis est *ipse pater*. Nam Furiæ, Acherontis & Noctis sunt filiæ. *Serv.*

Odit.] Eandem & Claud. *invisum numen* vocat. ita Lucan. l. 9 de Medusa:

Hoc monstrum timuit genitor, ipsæque sorores
Gorgones, &c. Taubm.

Odit & ipse pater Pluton.] Sic & Ditem patrem Cic. De nat. Deor. vocat. *Terrena autem res omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui dives, ut apud Græcos* πλούτων, *quod recidant omnia in terras, & oriantur è terris.* Etymi quoque ejus rationem reddit Lucianus περὶ θυσιῶν, διὰ τὸ πλουτεῖν τοῖς νεκροῖς. Idem & πλουτεὺς, & ᾅδης. Ut autem *Odit & ip. pat. Plut. od. sor.* sic & Hesiod. in Theog. τά τε στυγέουσι θεοί περ, — δεινὸν ἦ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι τοῦτο τέρας. *Germanus.*

Et ipse.] Καὶ αὐτός. ut Hom. Od. κ. de Circe: θεὰ δ' ἐλέαιρε καὶ αὐτή. *Idem.*

Pluton.] Ita & Claudian. 1. Rapt.

Jamque viam Pluton superas molitur ad auras.

Ita in correctissimis, non *Pluto*. Sed Virgilium quidem coëgit ratio metri. *Cerda.*

329. *Atra.*] In veteribus plerisque codicibus, *pullulat ora* figurate positum invenias: quamvis *atra* magis placeat eruditis. Est & illud more quodam suo scriptum in Romano codice, *pollulat atra colobris*. cujus scriptionis rationem alibi retulimus. *Pierius.*

Atra.] Quia mox dicturus *sata Nocte*. Itaque quæ filia est noctis, *atra* est: nam hoc idem Noctis epithetum Noster in 5.

Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat. Cerda.

330. *Quam Juno, &c.*] Ex decoro tantum, *acuit*, *fatur*. Non tenuit Silius lib. 2. ubi Juno inducitur *palmas tendens* ad Tisiphonem. Fœde. Pari fœditate Ovid. lib. 4. Metamorph. nam Juno ad Furias,

Imperium, promissa, preces confundit in unum.

Satis enim *imperium*. Idem.

His acuit verbis.] Irritavit & instigavit ejus insaniam. *Servius.*

Verbis.] In antiquis aliquot codicibus, *dictis* legitur. *Pierius.*

330. *Proprium.*] Aut tibi aptum: aut certe perpetuum, indefessum, usque ad finem perducendum. Et sciendum ideo Furiæ nihil pro præmio dari, quia præstatur hoc ipsum Furiæ, ut bella commoveat, & ut dicatur defendisse Junonem. *Servius.*

Proprium.] Ergo non laborabis, quia nihil peto alienum à te. *Donatus.*

Proprium.] Id est, perpetuum. multis hoc monet Non. Marcell. c. 4. *Emm.*

Da.] Non precatur, sed imperat: ut sit ratio personarum. *Donatus.*

Hunc mihi da, &c.] Ex hoc loco Silius lib. 2. ore Junonis ad Tisiphonem:

Et palmas tendens, hos, inquit, Noctis alumna,
Hos muros impelle manu, populumque ferocem
Dextris sterne tuis, Juno jubet ipsa, &c.

Non dissimilis Plutonis oratio ad Tisiphonem apud Statium lib. 8. Theb.

Sed quid ego hæc ita? Tartareas ulciscere sedes
Tisiphone, & si quando novis asperrima monstris
Triste, insuetum, ingens, quod nondum viderit æther,
Ede nefas, quod mirer ego, invideantque sorores.

Præstat Silio Statius: non enim fero illud

Hanc operam, ne noster honos infractave cedat
Fama loco: neu conubiis ambire Latinum
Æneadæ possint, Italosve obsidere finis.
Tu potes unanimos armare in prœlia fratres,

Atque

illud *palmas tendens.* Neque enim preces istæ sunt appellandæ, quæ indignæ Junone ad Furiam, sed mera imperia. Inde Virg. *Hunc mihi da proprium, &c.* Scio apud August. nominari preces, sed hoc ille ex lata verbi (*do*) significatione, non stricta. Verba ejus lib. 3. de Civit. cap. 13. *Aut fortassis Alecto illa infernalis Furia, jam eis favente Junone, plus in illos habuit licentiæ, quam cum ejus precibus contra Æneam fuerat excitata.* Cerda.

Sata nocte.] Æsch. in Eum. ἐριννῦς νυκτὸς παῖδας, ἄπαιδας, & παρθένους vocat: unde & manavit proverbium, de quo Suidas, ἀεὶ παρθένοι αἱ ἐριννῦς. Euripides autem eadem pene compellatione utitur sub persona Iridis ad Lyssam in Herc. νυκτὸς κελαινῆς ἀνυμέναιε παρθένε· & Sophocl. sub Ajacis persona ad mortem voluntariam se accingentis, καλῶ δ' ἀρωγοὺς τὰς ἀεὶ παρθένους. Recurre ad illud supra: *ferreique Eumenidum thalami.* Germanus.

Sata nocte.] Dissident fabulæ de ortu Furiarum. Omitto: & do tantum quæ pro Virgilio. Lycophron vocat νυκτὸς κόρας, *puellas Noctis.* Æschyl. Eumen. νυκτὸς τέκνα, *Noctis filias.* Sophoc. in Oedip. γῆς τε, καὶ σκότου, quod in idem recidit: nam si filiæ Tenebrarum, certe Noctis. Adjungo Latinos. Ovid. 4. Metamorph. *sorores Nocte genitas.* Stat. 11. Theb. de quapiam: *Erebo sata virgo.* Valer. Flac. 3. Arg. (*horret — quem Nocte satæ, quem turbidus Armipotens.* —

Neque vero dissidet Virgilius ab his, qui illas faciunt filias Terræ, in his est Hesiodus: nam supra Juno *Terras horrenda petivit.* Sic solet Maro unico verbo diversa adjungere, & gratiam carmini. Ut vero hic habes matrem; sic supra patrem, *odit & ipse pater Pluton.* Cerda.

Laborem.] In Romano codice, *laborum* legitur: quippe hunc ex laboribus tuis: sed elocutio non placet. Castior enim lectio *hunc laborem*, id est, *hanc operam*, quod expositive statim subjungit. *Pierius.*

332. *Infracta.*] Aut valde fracta: aut quæ fuit antehac semper infracta. Ut, *Turnus ut infractos adverso Marte Latinos.* Servius.

Cedat fama loco.] Vincatur. Cicero, *Loco ille motus est, cum est ex urbe depulsus.* Idem.

Infractave cedat.] Disce loqui, & conjungere res affines: *infracta, & cedat*, utrumque militare est. De 1. in 12. *Latinos Marte infractos.* in 9. *infractæ ad prælia vires.* De altero in 10.

Cedebant pariter, pariterque ruebant
Victores victique.

In 11. *agmina cedentia.* Scriptorum, & unius in primis Livii finis nullus. *Cerd.*

Cedat loco.] *Loco moti* dicuntur, qui victi sunt, teste Donato. Alludit Ter. Phorm. prol. ✠ſ. 33. *Grex noster motus loco est.* Emmeness.

333. *Ambire Latinum.*] Amplecti circum, retinere: & dictum est non ab ambitu. Nam *ambio ad illum* dicimus, nod *ambio illum.* Servius.

Obsidere.] Explica, domicilium locare, & sedes figere. De qua sedis nota jam supra. Nisi quis recurrat ad arma hostilia: ut dicat Juno, ne sine hostem esse in Italia, & in eam grassari. *Cerda.*

335. *Tu potes unanimos.*] A majore ad minus. *Servius.*

Unanimos.] In antiquis plerisque codicibus, *unanimos* legitur, & *unanimis*, utrumque recte, ex proba Grammaticorum disciplina. *Pierius.*

Tu potes unanimos.] Scilicet & σύζυγοι ἐριννῦς Æschylo notantur. Celebris fuit ara concordiæ fraternæ apud Græcos,

Atque odiis versare domos: tu verbera tectis
Funereasque inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. fecundum concute pectus,
Disjice conpositam pacem, sere crimina belli:
Arma velit, poscatque simul, rapiatque juventus.

Exin

cos, & Agathium Ep. lib. 3. cui βωμὸς ὁμοφροσύνης. Vide Plutarch. περὶ φιλαδέλ. *Germanus.*

Armare in prælia fratres.] 2. Georg. *gaudent perfusi sanguine fratrum.* Claud. 1. in Ruff. ubi de Megæra dicitur:

Non nisi quæsitum cognata sede cruorem,
Illicitumque bibit, patrius quem fuderit ensis,
Quem dedit inter fratres. ——

Sophocl. in Elect. de fratribus διπλῆ φύλοπις, *duplex dissidium.* Cerda.

336. *Versare.*] Vertere. & usus est frequentativo ad vim augendam. *Serv.*

Tu verbera t. &c.] *Verbera* & *faces*, id est, litium motiones & caussas potes alienis tectis immittere. *Taubm.*

337. *Tibi nomina mille.*] Facies: ut, *Et sine nomine corpus.* Mille autem secundum Euripidem: in cujus tragœdia dicit Furias non esse unius potestatis, sed se fortunam, se Nemesin, se fatum, se esse necessitatem. Ita dicit etiam Asper. *Servius.*

Nomina.] Per *nomina* formas ostendit, in quas conversa mutabat, quod poterat vocitari. *Donatus.*

Tibi nomina mille.] Ut inter magna & præcipua numina Alecto collocare Juno videatur, eam πολυώνυμον dixit: ut & Isis μυριώνυμος Græcis & Ægyptiis. *Germanus.*

Tibi nomina mille.] Quot enim facies scelerum, tot ipsi & nomina. In precationibus autem, cujus Numinis potentia magna erat, ejus vires commemorabant, & pro officiis nomina attribuebant, quorum enumeratione dignitas Dei crescere videbatur. Vide Turn. lib. 11. cap. 19. *Taubm.*

338. *Fecundum concute pectus.*] Plenum pectus malitiæ efficacia. *Servius.*

Fecundum.] Nocendi artibus redundans. Sollicita autem in causa sua, sæpius rem commendat. Ordinatum autem consilium est; primo enim fœdus vertendum fuit, ut via pateret ad bellum. *Donatus.*

Fecundum.] Εὔτοκον, πολύτοκον, hic δολοπλόκον, ut &, licet aliquantum diversa significatione, μυθοτόκον κραδίην poëta dixit. *Germanus.*

339. *Disjice.*] In antiquis omnibus codicibus, quotquot legi, *dissice*, s geminato & unico *i* scriptum observavi, & hic, & in aliis locis, ea forte ratione ut concitatius enuntiaretur, quod in *imperiossus*, in *aussus*, in *odiossus* fieri solitum à veteribus ostendimus. *Pier.*

Conpositam pacem.] Quam Latinus dederat. *Servius.*

Sere.] Ut ex satis alia rursus fœcunde pullularent. *Donatus.*

Crimina belli.] Caussas. Ut, *Crimen amor vestrum.* Servius.

Sere crimina belli.] Livius lib. 21. *ex bellis bella serendo.* & lib. 31. *bella ex bellis seri.* Ammian. lib. 21. *studia sevisse discordiarum.* Propertius lib. 3. loquens de Medea, *armigera prælia sevit humo.* Tacitus in Hist. *prælia serere.* Sallust. 1. Hist. *bellum serunt.* Altius quiddam Virgilius; nam non bellum, aut prælium, sed *belli crimina.* Quod vero Virg. *crimina*, Ammian. lib. 15. *tetra venena serens*, ubi de calumniis loquitur. *Cerda.*

340. *Velit.*] Plus *velle* est quam cogi. *velit* primo, deinde poscat, & si non detur, rapiat: nam rapit, qui sine jubentis auctoritate invadit. *Donatus.*

Arma vel. p.] Ὁπλομανεῖ τῷ. *Germ.*

Rapiatque juventus.] In antiquis quibusdam codicibus legere est, *Arma velit poscatque simul Trojana juventus*, quod si admittendum sit, magnitudo rei,

 quam

Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis
Principio Latium, & Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatæ:
Quam super adventu Teucrûm Turnique hymenæis
Femineæ ardentem curæque iræque coquebant.
Huic dea cæruleis unum de crinibus anguem
Conjicit, inque sinum præcordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille inter vestis & levia pectora labsus

Volvi-

quam petit, demonstrabitur, si qui placida nunc pace quiescunt, & quibus jam certa laborum requies promissa est, *Arma velint poscantque simul.* Quanquam posito *velle*, & *poscere*, tumultuantium furorem ostendat, addito *rapiantque.* Nam & antiqua paraphrasis est, contra Trojanos. *Pierius.*

341. *Exin.*] Statim, & est adverbium ordinis. *Servius.*

Exin.] Ex eo momento. *Donatus.*

Exin.] Sonora vox. Scalig. l. 4. c. 16. *Taubmannus.*

Gorgoneis.] Pessimis, sævis: à Gorgone. *Servius.*

Gorgoneis.] Fuit ea forma, qua fingitur Gorgone. *Donatus.*

Gorgoneis ven.] Sævis pessimisque. ita Ovid.

Lumina Gorgoneo sævius angue micant.

Vide Ovid. 4. Met. Fab. 15. *Taubm.*

343. *Tacitum.*] Pro *tacite*; bene autem *obsedit*, quasi quæ insidiabatur. *Servius.*

Tacitum.] Sine strepitu, quoniam in mœrore jacebat, cum audiret filiam dandam Æneæ: vel ipsa tacita, ut facilius nescienti obtemperet. *Donatus.*

Obsedit.] Ita Ovid. in 4. *aditumque obsedit Erinnys*; videlicet ut hostis. Inde infra, *Arte nova speculata locum.* Cerda.

345. *Curæque iræque coquebant.*] Perverso ordine respondit. Nam ira in Trojanos est: cura vero de nuptiis, & primo adventu Teucrorum. *Coquebant* vero, macerabant. *Servius.*

Femineæ.] Vehementissimæ & impatientes. Vide Scal l. 3. c. 13. *Taubm.*

Femineæ ard. cur. ir. coquebant.] Ex Ennio, *curam, &c. Quæ nunc te coquit, & versat sub pectore fixa*: inversa illa Homeri forma, εἴπερ γάρ τε χόλον, καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ· nam Homerus dedit coquendi partes personæ, Maro passioni. Aristot. lib. De morib. δ. ubi de iracundis disputat, & amaris: ἐν αὐτῷ γὰρ πέψαι τὴν ὀργὴν χρόνου δεῖ· εἰσὶ δ' οἱ τοιοῦτοι ἑαυτοῖς ὀχληρότατοι, καὶ τοῖς μάλιστα φίλοις. *Germanus.*

346. *Huic dea.*] Figura perturbata. Namque talis est ordo, Huic dea unum anguem in sinum conjicit, & usque ad intima subdit præcordia, quæ sunt loca cordi vicina, quibus sensus percipitur. *S.*

Unum.] Quia unum ad perditionem præsentium arbitrata est satis esse. *Donatus.*

Anguem.] Injecit partem sui, id est, furoris. *Servius.*

Unum de crinib. anguem.] Catul. Eumenidum vocat capillum anguineum, vertens, ni fallor, epitheton Orphei, qui ἑρπετοῖς ὀφιοπλοκάμους· & Tib. *Impexa feros pro crinibus angues.* Germ.

347. *Sinum.*] *Sinus* dicitur, qui potest aliquid excipere & tenere. *Donat.*

Inque sinum præcordia ad intima subdit.] Eodem fere modo Apuleius de amore loquens l. 2. Metam. *ubi primam sagittam sævi Cupidinis in ima præcordia mea delapsam excepi.* & l. 10. *isti tui oculi ad intima delapsi præcordia.* Emm.

349. *Levia.*] Pulchra. *Servius.*

Levia

Volvitur attactu nullo, fallitque furentem,
Vipeream inſpirans animam. fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ,
Innectitque comas, & membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo ſublabſa veneno
Pertentat ſenſus, atque oſſibus implicat ignem;
Necdum animus toto percepit pectore flammam;
Mollius, & ſolito matrum de more, locuta eſt;
Multa ſuper nata lacrimans Phrygiiſque hymenæis:
Exſulibuſne datur ducenda Lavinia Teucris,

O ge-

Levia pectora labſus.] In quibuſdam antiquis codicibus, *levia corpora labſus* legitur. Sed *pectora* receptum magis *Pierius.*

350. *Attactu nullo.*] Sine morſu, ſine ſenſu. *Servius.*

Volvitur attactu nullo, &c.] Hanc anguium inſinuationem nullo ſenſu corporis Ovid. lib. 4. Metamorph. ita imitans expreſſit his verſibus,

Inooſque ſinus, Athamanteoſque per-
errant,
Inſpirantque graves animos, nec vulnera
membris
Ulla ferunt, mens eſt quæ diros ſentiat
ictus. Cerda.

Fallitque furentem.] Injicit furorem ſine accipientis ſenſu. *Furentem* autem, quod furore teneatur. Nam nondum furebat. *Servius.*

351. *Vipeream animam.*] Pulſa ſcilicet humana. *Donatus.*

Vipeream inſpirans animam.] Ita 4. Georg. de apibus: *venenum morſibus inſpirant.* Cerda.

Fit tortile col. Aur. ing. &c.] Infra lib. 11. *Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ.* Germanus.

352. *Tænia vittæ.*] *Tænia* eſt vittarum extremitas. *Servius.*

Tænia.] Id eſt, vitta. *Donatus.*

354. *Udo ſublabſa veneno.*] Hypallage ſenſus, venenum enim *udum* dixit, quod eſt de udo corpore. Namque ſerpentum uda ſunt corpora, adeo ut quacunt, viam humore deſignent. *Servius.*

Ac dum prima lues udo ſublabſa veneno.] In codicibus aliquot antiquis *a dum* legitur. Miſſum vero facio, *aut ſublapſa veneno:* quod habetur in Romano codice, quum *udo* Servius agnoſcat, cui reliqui veteres codices adſtipulantur. *Pierius.*

355. *Pertentat ſenſus.*] Vox Poëtæ familiaris: Supra, *tremor pertentat equorum Corpora:* & item, *Latonæ pertentant gaudia pectus:* & 5. *blanda viciſſim Gaudia pertentant mentem.* Germanus.

Atque oſſibus implicat ignem.] Noſtrum imitatur Stat. Achill. l. 2.

— totiſque novum bibit oſſibus ignem.
Emmeneſſ.

356. *Percepit.*] In Romano codice, quod minime diſplicet, *toto concepit pectore* legitur. etſi plus eſt, *Percepit.* Pierius.

Necdum animus percepit, &c.] Non dubium, quin ex Catul.

Non prius ex illo flagranti a declinavit
Lumina, quam toto concepit pectore flam-
mam
Funditus, atque imis exarſit tota medul-
lis.
Cerda.

357. *Solito matrum de more locuta eſt.*] Nondum ad plenum furebat. Unde per muliebrem iracundiam miſta aſperitate loquebatur. Nam hoc eſt *matrum de more.* Paulo poſt enim furore quatietur. *Servius.*

359. *Exſulibuſne datur.*] Propter diſſuaſionem figurate loquitur, *exules* vo-

E 4 cans

O genitor? nec te miseret natæque tuique?
Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus alta petens abducta virgine prædo?
At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæamque Helenam Trojanas vexit ad urbes.
Quid tua sancta fides, quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo totiens data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,

Idque

cans eos, qui propria regna repetebant. *Servius.*

Exsulib. datur.] Non fuit utendum principio. nam nec benevolus reddendus erat, qui esset pater: nec attentus, qui de re esset sollicitus: nec docilis, cum causam sciret. Incipit ergo à quæstionibus deformans negotium: & ita agit cum marito, quem revereri oportuit, ut suadere potius, quam reprehendere videatur. Sunt ergo argumenta: Nullus postulat. Pater ingerit. Erit in navi thalamus filiæ, quando datur ei, qui perpetuis erroribus damnatus est. Omnis vita ducetur in fluctibus. Nulla conjugis gratia, nullum decus uxoris, quam pater non tradidit, sed abjecit non amplius visuram. Ergo non propagatio sanguinis, sed orbatio est, & domus nostræ solitudo perpetua. Antea autem gesta exempla sunt perfidiæ ipsorum. Est autem maximum scelus rumpere fidem Turno. Responsa deorum sunt cum maxima cautela consideranda, quia implicita sunt & involuta. *Donatus.*

Ducenda] Abducenda. *Servius.*

Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris.] In antiquis *exsulibus* per *xs* veteribus Grammaticis adsentientibus. Præterea totus versus in nonnullis codicibus antiquis ita legitur, *exsulibus ducenda datur Lavinia Teucris.* In sexto enim dubitatum est, utrum *Lavini* prima correpta poni debeat eo loco *in regna Lavini Dardanidæ venient:* quod nonnulli *Latini* legere malunt. Si quis vero orationem absque *ne* languere dixerit, Poeta ipse tradit Amatam initio mollius locutam esse. Inemendate vero codices aliquot, *exulibus abducenda* legunt: nam collisionem ejusmodi in principio Virgilius non admisisset: qui vel parcissime, vel fere nunquam ea utatur, vel in medio, ubi plus licentiæ esse solet. Sed enim quantum pertinet ad syllabam, in primo, *promissa Lavini mœnia.* Et paulo post, *regnumque ab sede Lavini.* & à Tibullo, *Ante oculos Laurens castrum murusque Lavini est*, prima nimirum brevi positum est. Et apud Asprum Grammaticum antiquo codice, *ducenda Lavinia* legitur. *Pierius.*

362. *Prædo.*] Quasi piratam dicit hominem diu in mari morantem. *Serv.*

Abducta virgine prædo.] *Prædo* hic γαμοκλόπος in Epigr. ut & de Medea Pind. Pyth. Od. 4. κλέψεν τε Μήδειαν σὺν αὐτᾷ τὰν Πελίαο φόνον· & Lycophr. γυναικόκλωπες. *Germanus.*

363. *At non sic Phrygius.*] Legitur & *An non*, sed hoc absolutum est. Si autem *At* legeris, copulativa particula est, ad ornatum solum pertinens. Horatius, *At ô deorum quicquid in cælo regit terras, & humanum genus.* Servius.

At non.] In aliquot codicibus, *an non* habetur. Sed *at* magis placet eruditis. *Pierius.*

366. *Quid consanguineo.*] Filius enim est Veniliæ sororis Amatæ. *Serv.*

367. *Si gener externa petitur de gente Latinis.*] De qualitate transit ad finem. Nam vult Turnum extraneum esse diffinire per callidam argumentationem, quia imperio Latini non subjacet: cum oraculum de Latinis omnibus caverit.

Postea

Idque ſedet, Faunique premunt te juſſa parentis;
Omnem equidem ſceptris terram quæ libera noſtris
Diſſidet externam reor, & ſic dicere divos.
Et Turno, ſi prima domûs repetatur origo,
Inachus Acriſiuſque patres mediæque Mycenæ.
His ubi nequicquam dictis experta, Latinum
Contra ſtare videt, penituſque in viſcera labſum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat;
Tum vero infelix, ingentibus excita monſtris,
Immenſam ſine more furit lymphata per urbem:

Poſtea etiam huic argumento alia ſubvenit argumentatione, Turnum Græcum eſſe ab Acriſio commemorans, per quod duas res agit latenter. Nam dicendo originem conſiderandam, docet & Turnum eſſe ab Inacho Acriſio: & Æneam Latinum eſſe à Dardano. *Servius.*

368. *Premunt te juſſa.*] Urgent, in hoc loco compellunt. *Idem.*

369. *Omnem, &c.*] Per callidam argumentationem definit Turnum eſſe extraneum; quia non ſubjaceat imperio Latini: cum tamen Oraculum de omnibus Latinis caverit. Poſtea & huic occurrit, Turnum Græcum eſſe, ab Acriſio rege Archivorum ortum: & Æneam contra Latinum eſſe, à Dardano. Vide & P. Victor. lib. 26. c. 5. *Taubm.*

372. *Inachus Acriſiuſque patres.*] Danaë Acriſii regis Argivorum filia, poſtquam eſt à Jove vitiata, pater eam intra arcam incluſam præcipitavit in mare: quæ delata ad Italiam, inventa eſt à piſcatore cum Perſeo, quem illic enixa fuerat, & oblata regi, qui eam ſibi fecit uxorem: cum qua etiam Ardeam condidit, à quibus Turnum vult originem ducere. *Servius.*

Inachus.] Hujus ævo floruiſſe Moſen ſcribit Clemens lib. 1. Strom. cap. 10. *Cerda.*

373. *Dictis.*] Hinc *Dictio*, ut Græcis φήμη, pro Oraculo ſumitur. forte quod Oracula etiam λόγια dicantur. Livius l. 8. *Data dictio erat, &c.* Pacuvius:

Flexa, non falſa autumare Dictio Delphis ſolet. Taubm.

374. *Contra ſtare.*] Æſch. in Prom: τυφῶνα θοῦρον, πᾶσιν ὃς ἀντέστη θεοῖς. *Germanus.*

Contra ſtare.] Non dubium, quin repræſentet imaginem rupis ejus, de qua ipſe in 6.

Nec magis incepto vultum ſermone movetur,
Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

Et de eodem Latino in hoc libro:

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit.

Cerda.

377. *Sine more furit.*] Sine exemplo: & hoc jam contra decus eſt regium. *Servius.*

Lymphata.] Percuſſa furore lympharum, ſicut Cerritos à Cerere dicimus. *Id.*

Sine more furit lymph. per urbem.] Epigramm. οἱ ἀνέδην βάκχευεν, ἔτ' ἐς Διόνυσον ἐφοίτα. *Germanus.*

Lymphata.] Antiquis *lymphare* idem quod *Oblucinare* erat, utrumque ἐνθουσιάζειν & furore corripi. Ut enim à luco *Oblucinare* dicebant, quod lucos diis ſacros exiſtimarent, & qui in illis multum verſarentur, deorum occurſu & præſentia furore agitari: ſic eum cui conſpectæ Nymphæ eſſent, νυμφολήπτους vocabant; & *lymphatum*, furioſum, &c. vide & Heinſium ad Silii illud lib. 1.

—— ruit ocius amens,
Lymphato curſu. Taubm.

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur ſpatiis: ſtupet inſcia ſupra
Inpubeſque manus, mirata volubile buxum:

Dant

378. *Turbo.*] Catullus *hoc turben* dicit, ut *hoc carmen.* Hic *turbo*, unde *turbinis* facit. Nam ſi *Turbonis* ſit, erit à proprio nomine genitivus: ut Horatius, *Turbonis in armis.* Servius.

Turbo.] *Turbonem* ait Soſipater Cariſius à Virgilio vocari, qui apud Tibullum *turben* eſt. *Nanque agor ut per plana citus ſola verbere turben.* ut obiter locum etiam apud eum indicemus. eſſe vero qui paſſim, hic *Turben* dici debere putent: quia & homo, & tempeſtas, & buxum eodem poſſint nominativo perhiberi. Sed hoc ſtulte dictum ajunt nonnulli. Nam alii ſic diſtinguunt, ut *Turbo turbonis*, ſi proprium ſit hominis nomen: cujuſmodi apud Cornelium Tacitum invenias. *Turbinis*, ſi procellam voluerimus exprimere: aut in eo, inquit Plinius nominando, qui eſt in luſu puerorum. Sed Cæſar de analogia ſecundo, *Turbonem*, non *Turbinem* etiam in tempeſtate dici debere ait, ut *Caro caronis*, non ut *Homo hominis.* Pierius.

Ceu quond. tort. v. ſ. verb. turbo] Verba & ſententia Epig. l. 3. reſpondere videntur huic loco: οἳ δ' ἄρ' ὑπὸ πληγῆσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες, ἔςρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ. Et Hom. Od. γ. de equis: ὁρμηθέντες ὑπὸ πληγῆσιν ἱμάσθλης. Tibullus quoque lib. 1. Eleg. 5. hanc comparationem mutuatus videtur: *Namque agor ut per plana citus loca verbere turbo, Quem celer aſſueta verſat ab arte puer:* Item Horat. Satyr. lib. 2. Sat. 7. *Duceris, ut nervis alienis mobile lignum:* niſi fortaſſe melius ad νευρόσπαςον referetur, ut docte obſervavit Dion. Lambinus: quod elegantiſſimis verbis circumſcripſit Plato Legum 1. quæ quia Lambini ſententiam firmant, non piguit hic intexere: τόδε ἴσμεν, ὅτι ταῦτα τὰ πάθη ἐν ἡμῖν οἷον νεῦρα ἢ μήρινθοί τινες ἐνοῦσαι. Germanus.

380. *Habena.*] In antiquis aliquot codicibus, *habenis* numero multitudinis. Sed *habena* magis placet. *Pierius.*

Habena.] Alii hanc vocant *ſcuticam.* Græcum Epigram σκυτάλῃσιν: in quo tamen ſunt qui legant, non ὑπὸ σκυτάλαις, ſed ὑπὸ πληγῆσι. Virg. ſtatim, *Dant animos plagæ.* Poëta his omnibus explicat verbum βεμβικίζειν, quod eſt, *in gyrum agitare, & inſtar turbinis puerilis.* Ariſtophan. in Veſp.

Ἡμῶν πρόσθεν βεμβικίζωσιν ἑαυτάς.
Verſent ſe coram nobis inſtar turbinis.

Scholiaſtes rem explicat verbo ςρέφειν. βέμβιξ (inquit) ἀργαλεῖον ὃ μάςιγι ςρέφουσιν οἱ παῖδες: *turbo eſt inſtrumentum, quod verbere vertunt pueri.* Et ſtatim verbo διώκεσθαι. ὃς μάςιγι διωκόμενος ςρέφεται. *Cerda.*

381. *Stupet inſcia ſupra Inpubeſq. manus.*] Sunt qui legant, *ſuper inſcia turbas.* Sed enim in Mediceo, & aliquot aliis antiquis codd. legere eſt, *ſtupet inſcia ſupra Impubeſq; manus:* quanquam & *impubis* recte, quorum neutrum Priſcianus excludit. *Pierius.*

382. *Inpubeſque manus.*] Aut multitudo puerorum: aut à parte totum poſuit, ut pro manu puerum ipſum intelligas. *Servius.*

Buxum.] Ita etiam Perſius Sat. 3. turbinem vocat,

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Ita etiam Statius 7. Teb. Adducam verſus, ut Virgilium illuſtrem, imo explicem. Ait ille ore Bacchi enumerantis artes molles, quas ſciunt bacchantes,

—— *mea tantum prælia norunt;*
Nectere fronde comas, & ad inſpirata rotari

Buxa:

Dant animos plagæ. non curſu ſegnior illo
Per medias urbis agitur populoſque feroces.
Quin etiam in ſilvas, ſimulato numine Bacchi,
Majus adorta nefas, majoremque orſa furorem,
Evolat, & natam frondoſis montibus abdit;
Quo thalamum eripiat Teucris, tædaſque moretur:
Euœ Bacche, fremens, ſolum te virgine dignum
Vociferans. etenim mollis tibi ſumere thyrſos,

Te

Buxa: timent thyrſos nuptarum, & prælia matrum.

Vides ergo ut Virgilius Amatam, quam perpetuo bacchantem inducit, cum buxo rotato comparet, tanquam cum re, bacchantibus cognata. Non dico, *buxa* Statii eſſe turbinem: nam in eo tibiæ ſunt; ſed buxum affine eſſe bacchantibus. *Cerda.*

Volubile buxum.] Pro turbine. Sic apud Ovid. l. 10. Met. ✻ſ. 667. *aurum volubile* pro pomo. *Emmeneſſ.*

385. *Simulato numine Bacchi.*] Talem patiebatur furorem, ut ſperaret ſe Liberi ſacra celebrare. Non enim ipſa ſimulabat, quod eſt ſanorum. Nam & paulo poſt dicturus eſt, *Alecto ſtimulis agit undique Bacchi.* Servius.

In ſilvas ſimulato numine Bacchi.] In codicibus nonnullis pervetuſtis legere eſt, *in ſilvis ſimulato nomine Bacchi.* ut, *Evolat* abſolute ponatur, & in ſilvis res geratur. Sed enim prior lectio mihi caſtior videtur, remque magis augere, numinis vi intercedente, niſi *nomine* eo modo ſcriptum ſit, quo *fonus* in legibus duodecim tabularum. *Pierius.*

Quin etiam in ſilvas.] Similis hiſtoria apud Pauſ. Corinth. μανία ταῖς γυναιξὶν ἐνέπεσεν, ἐκφοιτῶσαι δὲ ἐκ τῆς οἰκιῶν, ἐπλανῶντο ἀνὰ τὴν χώραν. *Invaſit feminas furor, atque egreſſæ domibus, vagabantur per agros.* Cerda.

386. *Majus adorta nefas, majoremque orſa furorem.*] In antiquis quibuſdam exemplaribus, *adorſa* legitur, uti ſuperius etiam obſervatum. Præterea etiam in Romano codice, *majorem exorſa furorem*, abſque particula copulativa habetur. *Pierius.*

388. *Quo.*] Ut. *Servius.*

389. *Euœ.*] Bacchantis vox eſt. *Idem.*

Euœ.] Sunt in *euhoe*, qui unam tantum adſpirationem notent, eamque interjiciant inter ultimas vocales duas. Sunt qui ſtatuant in medio, duabus hinc inde vocalibus adnotatis *evhoe*. Sunt qui etiam dictionem incipiant ab adſpiratione, *hevhoe.* Apud Cariſium una tantum in medio ſita adſpiratione ſcribitur *evhoe.* Sane apud nos *oe* ex *oi* diphthongo Græca factum eſt. Nam quod illi εὐοῖ, nos *evoe* dicimus. Demoſthenes in oratione contra Cteſiphonem, βακχικόν τι ἐπίφθεγμα ἐστὶ τὸ εὐοῖ. quare potius *Euœ* ſpondeum eſſe dicendum. Hor. ſecundo Carminum, *Euœ recenti mens trepidat metu.* Et alibi, *Euœ Bacche precor.* Catullus, *Euœ Bacchantes, Euœ capita inflectentes.* Pierius.

Euœ.] Bacchantium vox, Εὐοῖ. Satiricus:

—— *ſatur eſt, cum dicit Horatius, Evoe.* unde *Evan*, Liberi patris cognomen: & *Evius*, cœtus Bacchicus. Poeta etiam *Evantes* ſupra declinavit, Chariſius tamen *Euhoe* ſcribit: aliqui etiam *Heuhoe.* Quidam etiam *Evohe* τετρασυλλάβως, & cum nota afflatili inter duas ultimas vocales, ſed imperite: ut docet Erythræus. Bacchicum furorem deſcribit etiam Catullus in *Galliambico* Carm. 59. & Columella in *Hortis.* Taubm.

390. *Tibi ſumere thyrſos.*] Sumebant: infinitivi ſunt pro indicativis. *Servius.*

Thyrſos.] *Thyrſus*, haſta aculeata, hedera

Te lustrare choros, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat: Furiisque accensas pectore matres
Idem omnis simul ardor agit, nova quærere tecta:
Deseruêre domos: ventis dant colla comasque.
Ast aliæ tremulis ululatibus æthera conplent,
Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas.

Ipsa

dera vel pampinis vitium implexa, quam in Orgiis Bacchi quatiebant. hinc & Propert. lib. 3. el. 3. *Hæc hederas legit in thyrsos.* inde θυρσοφόροι, & θυρσοπλῆγες, id est, *thyrso percussi*, qui Bacchi furore concitantur. Hinc Lucret. l. 1. dixit, —— *acri*

Percussit thyrso laudis spes magna meum cor. Taubm.

391. *Choros.*] In plerisque veteribus codicibus cum Romano & Mediceo legitur *choros*. non tamen displicet *choro*. Pierius.

Sacrum tibi pascere crinem.] Ita & Græcis τρέφειν κόμην & πλόκαμον. & Bacchus ipse ἀβροκόμης & κισσοκόμης dicitur. inde Tibullus de hoc & Apolline, qui & ipse κουροτρόφος;

Et decet intonsus crinis utrunque deum.

Quod autem Baccho crinem sacrasse & nutrisse dicit; alludit ex antiquorum superstitione ad θρεπτήριον πλόκαμον: ubi diis, quorum tutelæ se mancipabant, pro sospite secundaque valetudine, crines alebant. Vide & Turn. l. 7. c. 14. *Taubm.*

394. *Domos.*] In cod. aliquot antiquis *domus* forma declinationis quartæ, nisi mutatum sit o in u, ut *sacerdus dei Brotontis*, in antiquo marmore in æde sancti Martini in Montibus. *Pierius.*

Ventis dant colla, comasque.] Est hoc, quod 1. Æneid. *dederatque comas diffundere ventis.* Quod Ovid. 1. Metamorph.

Et levis impulsos vero dabat aura capillos.

Quod Val. Flac. *multa spirat coma flexilis aura.* Martialis etiam lib. 10. dixit, capillos redire *jubente vento*: & Horat. Od. lib. 4.

—— *recreare vento*
Sparsum odoratis humerum capillis.

Idem dixit Catul. etiamsi abstinens à vento, eo versiculo,

—— *splendidas quatiunt comas.*

Sed Poëta omnibus certe signatius, allusit quippe ad morem bacchantium, quas hæ feminæ imitabantur; atqui bacchantibus solutæ erant comæ ad notam furoris. *Cerda.*

396. *Pampineas hastas.*] Pampinis tectas. *Servius.*

Pamp. hastas.] Hinc vitis dicitur *mystica* Tibullo l. 3. el. 6. Turneb. l. 29. c. 32. *Taubmannus.*

Incinctæ pellibus.] Nebridarum scilicet. *Servius.*

Pampineasque ger. inc. pell.] Epig. l. 6. κισσῷ τὴν στέρνοις νεβρίδ' ἀναπτομένην. Ut autem *hastas* hic, eodem quoque loco Poëta Græcus, καὶ τὸ δίθυρσον τοῦ το τὸ λογχωτόν. Eurip. in Phœn. οὐδ' ὑπὸ θυρσομανεῖ νεβρίδων μέτα δινεύεις. unde & νεβρίδα φέρειν, de vinolentis, & νεβριδόπεπλος βάκχος. Descripsit & Bacchi solennia & orgia Tac. l. Ann. 11. magno cum toto hoc Maronis loco consensu, his verbis: *At Messalina non alias solutior luxu, adulto Autumno, simulacrum vindemiæ per domum celebrabat, urgeri prela, fluere lacus, & fœminæ pellibus accinctæ assultabant, ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ, ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, juxtaque Silius edera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, strepente circum procaci choro.* Germanus.

Pellibus.] Nebridum scilicet, id est, cervorum sive hinnulorum: alii etiam, damarum: P. Lætus vulpium etiam pellibus bacchantes tectos ait. Vide & Adag. *Nebrida ferre.* Taubm.

397. Pi-

Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet, ac natæ Turnique canit hymenæos,
Sanguineam torquens aciem; torvomque repente
Clamat: Io matres, audite ubi quæque, Latinæ,

Si

397. *Pinum sustinet.*] Facem pineam, sicut in Liberalibus fit. *Servius.*

Pinum.] Ideo Amata pinum gestat, ut quæ caneret nuptias. Celebratissima arbor fuit pinus ad conficiendas faces nuptiales. Virgilius ipse in Ciri,

Pronuba nec castos incendet pinus odores.

Seneca in Med.

— pronubam thalamo feram
Ut ipsa pinum. —

Ibidem in Choro,

Multifidam jam tempus erit succendere pinum.

Ovid. 2. Fast.

Dum tamen hæc fient, viduæ cessate puellæ,
Exoptat puros pinea tæda dies.

Catul. in Carmine Nuptiali: *pineam quate tædam.* Varro lib. 2. de vita Populi Rom. *Cum à nova nupta ignis in face afferetur, de foco ejus sumptus, cum fax ex pino ablata esset, ut eam puer ingenuus afferret.* Idem Varro in Gerunto ἐν διδασκάλῳ. *Mulierem tota Roma, quæ noctu nubere solita, etiamnum pinea fas indicat.* Cerda.

398. *Natæ Turnique canit hymenæos.*] Hic aperte expressit dementiam. Nam cum consecraverit filiam Libero, hymenæum canit ejus & Turni. *Hymenæus* autem, nunc carmen nuptiale dicitur. *Servius.*

399. *Sanguineam torquens aciem.*] Supra de Didone, *Sanguineam volvens aciem.* Germanus.

Sang. torq. aciem.] Est hoc, quod l. 4. *sanguineam volvens aciem.* Indicat torvum intuitum. Græci βλέπειν μανικὸν, atque etiam τραγῳδικόν: nam in tragœdiis torvi, & truculenti oculi. *Cerda.*

Torvum.] Pro *torve.* Servius.

400. *Io.*] Vox clamantis: & est tragicus sermo. *Idem.*

Io matres.] Inde Turnebus, *Io Bacche*, non *Io Bacche* scribit. Nunc tamen Virg. *Evohe Bacche fremens.* Germ.

Io.] Omnes pene affectus continet, dolentes, exultantes, furentes. De primis Ov. 4. Fast. de Proserp. rapta:

Illa quidem clamabat, Io, charissima mater,
Auferor. —

De alteris Dio loquens de militibus in Claudii libertum jocantibus, συμβοήσαντες ἐξαίφνης τοῦτο δὴ τὸ θρυλλούμενον ἰὼ, Σατυρνάλια: *Clamantes statim illud tritum, Io, Saturnalia.* De tertiis Val. Flac. 6. Arg.

Sponte sua strepuere tubæ, Mars sævus ab altis
Hostis, Io, conclamat equis —

In Virgilio possis capere aut primos, aut ultimos. Primos propter illud, *Si qua piis animis*, &c. ultimos propter torvitatem, & aciem sanguineam. *Cerda.*

Io matres, audite ubi quæque, Latinæ.] Sunt qui ex Prisciano legant, *ubi quæque*, atque ita in Mediceo, & antiquis omnibus codicibus Vaticanæ bibliothecæ legere est. Verba vero Prisciani ponere non pigeat, *ò matres audite, ubiquæque Latinæ*, pro *quæcunque.* Potest tamen hic, & ibi pro *ubicunque* accipi. Atque ego crediderim ex hac Prisciani paraphrasi supra dictionem scripta credidisse multos, *ubicunque*, pro *ubiquæque* reponendum esse: atque ita legitima sublata dictione adulterinam insertam. *Pierius.*

Audite, &c.] Par illud Homericum Iliad. 18.

Κλῦτε κασίγνηται Νηρηΐδες, ὄφρ' εὖ πᾶσαι
Εἴδετ' ἀκούουσαι ὅσ' ἐμῷ ἔνι κήδεα θυμῷ:

Audite sorores Nereides, ut bene omnes
Sciatis audientes quanti meo insint dolores animo.

Integrò

Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, si juris materni cura remordet;
Solvite crinalis vittas, capite orgia mecum.
Talem inter silvas, inter deserta ferarum,
Reginam Alecto stimulis agit undique Bacchi.

Post-

Integro Virgilii loco Silius lib. 4. repræsentans querelas Imilces uxoris Annibalis. Lege ab eo loco,

Clamat, Io, conjux quocunque in cardine mundi.

Cerda.

401. *Piis animis.*] Id est, maternis. *Servius.*

403. *Crinalis vittas.*] Quæ solarum matronarum erant. Nam meretricibus non dabantur. *Idem.*

Solvite crinalis vittas.] Nam hic videlicet habitus Baccharum, quod jam supra ex Heliodoro, & aliis firmavi. Hic exhibeo Ovid. lib. 4. Metamorph.

Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas,
Serta comis, manibus frondentes sumere thyrsos,

Et Livius lib. 39. *Matronas Baccharum habitu crinibus paßis cum ardentibus facibus decurrere ad Tyberim.* Nonnum lib. 14. Dionys. de quapiam Baccha,

Πλοχμὸς ἑλιξοέντας ἐπαιθύσσουσα καρήνων:

Comas intortas movens capitis.

Solutas quippe intelligit, ut Catull. *Splendidas quatiunt comas.* Claud. de 4. Cons. Hon. *Crinemque solutæ Mænades.* Cerda.

Vittas.] Hortatur, ut deponat signum matronalis verecundiæ: huic enim usui vittæ serviebant. Ovid. 1. de Art.

Este procul vittæ tenues insigne pudoris.

Idem 2. Metamorph. de virgine Nonacrina,

Vitta coërcuerat neglectos alba capillos.

Valer. lib. 8. Arg.

Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Inde amissa virginitate idem Ovid. de Sylvia sic scribit 3. Fast.

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Videntur autem Poëtæ locuti ex Romano more, quo matronis in usu erant vittæ. Val. Max. cap. 2. lib. 5. *Sanxit Senatus, ut feminis semita viri cederent, confeßus plus salutis in stola, quam in armis fuisse, vetustisque aurium insignibus novum vittæ discrimen adjecit.* Quippe illigatæ comæ pudorem indicant, solutæ licentiam. *Idem.*

Vittas.] Iis discernebantur matronæ honestœ à meretricibus. Quod nos docet Plaut. Mil. Glor. 3. 1. 196. *utiq; eam huc ornatam adducas matronarum modo, capite compto, crines vittasque habeat, aßimuletque se tuam esse uxorem.* vittas sumebant nuptiarum die. Propert. l. 4.

Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo:
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est, nupsi non comitante Deo.

Faciunt tamen commentatores mentionem & virginalium vittarum l. 2. Æn. ℣. 168. *Emmeneß.*

Capite orgia.] De his jam alibi. Hic adnoto, nullum fortasse locum illustriorem esse isto Maroniano ad sciendum, quæ sint orgia. Ait enim, *capite orgia.* Sunt ergo orgia, thyrsus, rami, pelles, & cætera omnia, quibus peragi solita Bacchi festa. Id, ni fallor, indicat hic locus. Hinc traduci vocem ad significanda festa, nihil est mirum. Quia vero hæc vox tota est sacrorum, notabis obiter, inde fortasse dici Græcis ὀργάδα terram illam, quæ sacra Diis est eorumque cultui attributa. Pollux l. 1. ἡ δὲ ἄνετος θεοῖς γῆ, γῆ ἱερὰ καὶ ὀργάς; *Tellus inculta, ac Diis sacra, orgas dicitur.* Innuit quippe in voce ἄνετος eam coli non posse ad usus mortalium. Non enim aliter ζῶα ἄνετα dicuntur sacra Diis animalia. *Cerda.*

406. *Acuisse*

Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini;
Protenus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
Acrisioneis Danaë fundasse colonis,
Præcipiti delata noto. locus Ardea quondam
Dictus avis: & nunc magnum manet Ardea nomen.

Sed

406. *Acuisse furores.*] Ut supra, *Quam Juno his acuit verbis.* Servius.

Acuisse.] Ut supra *stimulis*, ita hic *acuisse*, pari vocabulorum consecutione. Deinde, sicut Juno Furiam *acuit dictis*, ita ipsa furores acuit. Præclare *furores*; nam quid aliud Furia? Homerus, Calaber, & Græci Poëtæ passim εἰσηγεῖν ad rem hanc. *Cerda.*

407. *Consiliumque omnemque domum vertisse Latini.*] Quod habuerat: ut filiam dando Æneæ, bella removeret, quæ significaverat fumus augurii. *Serv.*

Vertisse.] Prætereamus quod in plerisque codicibus est *concilium*. non enim id placet. Legitur etiam *evertisse*. Sed hoc quoque minus proprium. *Pierius.*

Vertisse.] Pari phrasi in 10.
Nosne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur. ——
Utrobique locutionem sumptam à tempestatibus facile tibi persuadebis, si adeas, quæ jam ego lib. 1. Æneid. ad illud, *totumque à sedibus imis.* Indidem sermonem traxit Maximus dissert. 36. ἄνω καὶ κάτω στρεφομένης τῆς γῆς, καὶ τῆς θαλάττης: *sursum, deorsumque conversis terra, & mari.* Ibid. πάντα ἄνω καὶ κάτω ἐπιταράξῃ. *Cerda.*

408. *Fuscis tristis dea toll. alis.*] Μελανόπτερος. & Ep. lib. 3. μελανοπτέρυγας εὐμενίδας. *Germanus.*

Dea.] Ita errore Gentilium dictæ Furiæ, sic infra, *invisum numen*: & in 12. *successum Dea dira negat.* Orpheus in hymno Τισιφόνη τε, καὶ Ἀληκτώ, καὶ δῖα Μέγαιρα. Ovid. 8. Metamorph. vocat *Deas pœnarum.* Valer. 1. Arg. *ultrices Deas.* Claudian. lib. 1. in Ruff.
Hinc dea prosiluit, Phœbique egressa serenos
Infecit vultus. ——
Euripid. Oreste, θεὰς εὐμενίδας dixit, & in Androm. αἱματωπούς, *Deas cruenti aspectus.* Nonnus lib. 31. Megæram θέαιναν. Dinarchus oratione contra Demosthenem, & Æschines contra Timarchum sæpe Furias θεὰς σεμνάς, *severas Deas.* Pausanias Corinth. meminit fani Furiarum. *Cerda.*

Alis.] Ita in 12. *ventosasque addidit alas.* Claudian. de Megæra 1. in Ruff.
Pigraque veloces per Tartara concutit alas.
Euripid. Oreste:
Αἶ, αἶ, δρομάδες ὦ πτεροφόροι.
Heu, heu, pernices ô pennigeræ.
Loquitur de Furiis. *Idem.*

410. *Acrisioneis Danaë.*] Patronymicum est. Nam male putant, *Acrisioneis colonis.* Sola enim venerat, non cum colonis. *Servius.*

Acrisioneis Danaë.] Quæ ad Danaës fabulam pertinent, vide enarrationem interpretis Apollonii in eum locum l. 4. οἷα δὲ καὶ Δανάη πόντῳ ἔνι πήματ' ἀνέτλη πατρὸς ἀτασθαλίῃσι. *Germanus.*

411. *Præcipiti delata noto.*] Intra arcam, ut diximus supra, & ut à plurimis dicitur. *Servius.*

412. *Magnum tenet Ardea nomen.*] Bene allusit. Nam *Ardea*, quasi *ardua* dicta est, id est, magna & nobilis: licet Iginus in Italicis urbibus ab augurio avis, *Ardeam* dictam velit. Illud namque Ovidii in Metamorphosi fabulosum est, incensam ab Hannibale *Ardeam*, in hanc avem esse conversam. Sciendum tamen *Ardeam* per Antiphrasin

Sed Fortuna fuit. tectis hic Turnus in altis
Jam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Alecto torvam faciem & furialia membra
Exuit: in voltus sese transformat anilis,
Et frontem obscænam rugis arat. induit albos

Cum

phrasin dictam, quod brevitate pennarum altius non volat. Lucanus, *Quoque ausa volare, Ardea sublimis pennæ confisa natanti.* Servius.

Locus Ardea quondam.] Antiqui aliquot codices legunt, *locus ardua quondam.* ut non temere dictum à Servio sit, *Bene allusit:* Nam *Ardea*, quasi *ardua* dicta est. Est & pro tenet, *manet ardua nomen* in Mediceo, & aliquot aliis antiquis codicibus. *Pierius.*

Magnum.] Apron. l. *tantum.* Taubm.

Ardea.] Oppidum Italiæ, colonia Mycenarum. Vide Serv. Danielis. Fabulam tractat Ovid. l. 14. Met. Fab. 13. *Idem.*

Ardea.] Teste Salmasio in Plin. exerc. p. 57. derivatur *Ardea* ab ἐρωδιὸς pro quo Siculi ἀρωδιὸς, unde Latinum *ardeus* & *ardea*, ut *merulus* & *merula*, &c. à Danaë condita an sit hæc civitas, disputat Cluver. Ital. Antiq. l. 3. c. 5. *Emm.*

413. *Sed fortuna fuit.*] Id est, ita evenit: ut exponit Scal. l. 4. c. 16. vel, ita Fortuna tulit, ut Turnus quietem carperet. vel dictum, ut illud 2. Æn. *Fuimus Troës*, id est, olim floruimus. *Taubmannus.*

414. *Mediam nigra.*] Codices nonnulli pervetusti legunt, *jam media nigra:* ut utrunque sit noctis epitheton: alterum temporaneum, alterum proprium. In aliis invenio, *jam media nigram.* Sed vulgata lectio magis placet. *Pierius.*

415. *Membra exuit.*] Bene *exuit.* Nam dii cum volunt videri, induunt se corporibus propter mortalium oculos. Nam incorporei sunt. *Servius.*

Furialia membra Exuit: in voltus.] In veteribus aliquot codicibus legere est, *furialia membra exit & in voltus.* In aliquot aliis, quod minus placet, *exuit & voltus* absque *in.* Sed illud mihi adridet, ut figuratum magis, *exit & in voltus.* Quanquam non improbo *exuit*, cujus antitheton subjunctum statim videant, *induit albos cum vitta crinis.* Pierius.

416. *In voltus sese transformat anilis.*] Videtur imitatus illud Homericum lib. 3. Iliad. ubi Venus se in anum convertit, ut Helenam alloquatur:

Γρηῒ δέ μιν εἰκυῖα παλαιγενέϊ προσέειπεν:

Anui autem similis vetulæ ipsam alloquuta est.

Et Virgilium Claudianus 1. in Ruff. ubi Megæra Ruffinum deceptura,

Tunc in canitiem mutatis sponte colubris
Longævum mentita senem, rugisque severas
Persulcata genas, & ficto languida passu
Invadit muros Elysæ. —

Atque etiam Sil. lib. 2. qui de Tisiphone,

Protinus assimulat faciem mutabile monstrum
Tyburnæ, gressumque simul, sonitumq; loquentis.

Nonnus in re simili dixit lib. 10. *νόθον εἶδος ἀθηήτοιο Μεγαίρης: falsam imaginem invisibilis Megæra.* Cerda.

417. *Frontem obscænam.*] Latet in voce diritas omnis. De quo alibi: Certe ab ista obscœnitate non abeunt verba Poëtarum *incesto, polluo, inficio*, & similia. Statius 11. Theb.

Illas ut summo vidit Pater altus Olympo
Incestare diem. —

De Megæra Claudian. lib. 1. in Ruff.

— *hæc terruit Herculis ora,*
Hæc defensoris terrarum polluit arcus:

Et,

— *Phœbique egressa serenos*
Inficit radios. —

Idem.

Rugis arat.] Nota senectutis, à qua ego

Cum vitta crinis: tum ramum innectit olivæ.
Fit Chalybe Junonis anus templique sacerdos;
Et juveni ante oculos his se cum vocibus offert:
Turne, tot incassum fusos patiere labores,

Et

ego aliquando:

Cana ætas rugis, & frontis aratra senilis.

Plaut. Bacchidib. *Persulcat frontem.* Horat. Od. 8. Epod.

Cum sit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem senectus exaret.

Ubi vetus Scoliastes: *Rugis tanquam sulcis proscindat.* Poëta ἀδέσποτος:

Sulcatum rugis corpus, proscissio vultus.

Ovidius plenus est hac locutione, cujus loca jam alii conjunxerunt. Claud. de Eutropio dixit,

Jamque adeo lassata cutis, sulcisque genarum
Corruerat. — Cerda.

Induit.] Bene Junonis sacerdotis personam sumit, ut majore auctoritate loqueretur. Pulchre autem dixit, *exuit* & *induit*, veluti cum vestitus permutationem facimus. Exuimus enim nostrum, & induimus alienum. *Donatus.*

Albos cum vitta.] Id est, etiam vittas albas. *Servius.*

Albos.] Dixit Mimnermnus apud Stob. serm. 115. senectutem imminere capiti, γῆρας ὑπὲρ κεφαλῆς ἐπικρέμαται. Ab canis videlicet, qui hanc habent sedem. *Cerda.*

Cum vitta.] Nihil notius, quam vitta usos, qui sacris operarentur; talem enim se fingit Furia. Sacerdos Vestalis dicitur à Juvenale Sat. 4. *vittata.* Ovid. 5. Metamorph.

— *Cererisque Sacerdos*
Amphycus albenti velatus tempora vitta.

Catul. de Nuptiis Pelei loquens de Parcis, quæ sacræ veteribus:

At roseo niveæ residebant vertice vittæ.

Propertius lib. 4. Eleg. 10.

Talibus Alcides: at talibus alma Sacerdos
Puniceo canas stamine vincta comas.

Idem.

418. *Ramum innectit olivæ.*] Aut coronam accipit: aut ramum illigat vittis. Quod aperte in octavo ostendit, *Et vitta comptos voluit prætendere ramos.* Supra etiam, *Præferimus manibus vittas.* Servius.

Ramum innectit olivæ.] Non refero ad morem supplicum, quem supra aperui; nam hic nulla necessitas: neque ad insigne pacis, de quo loquor in 8. hic enim potius ad bella exhortatur Furia. Tantum inducta olea ex usu, quo illa sacris serviebat, & hic se Furia sacris assimulat inservire. Itaque ad hunc locum illustrandum pertinent, quæ jam dixi lib. 6. ad illud,

Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Similiter Statius lib. 2. Theb. ubi Lajum inducit apparentem dormienti Etheocli sub persona Tiresiæ, dat illi oleam. Adjungam totum locum, quia totus ad Virgilii vestigia:

Tum senior, quæ jussus agit, neu falsa videri
Noctis imago queat, longævi vatis opacos
Tiresiæ vultus, vocemque & vellera nota
Induitur: mansere comæ, propexaque mento
Canicies, pallorque suus, sed falsa cucurrit
Infula per crines, glaucæque innexus olivæ
Vittarum provenit honos, &c. *Cerda.*

419. *Fit Chalybe.*] Sic 5. Æn. *Fit Beroe.* Taubm.

Junonis anus, templique sacerdos.] Ordo, ut Junonis templi anus sacerdos. *Servius.*

421. *Fusos patiere labores?*] Probus de temporum connexione libellum composuit, in quo docet quod cui debeat accommodari: ex quo intelligimus

Et tua Dardaniis transſcribi ſceptra colonis?
Rex tibi conjugium, & quæſitas ſanguine dotes
Abnegat; externuſque in regnum quæritur heres.
I nunc, ingratis offer te, inriſe, periclis:

Tyr-

mus hanc, quam fecit, arduam eſſe connexionem. Nam *Patiere* futuri temporis eſt; *fuſos* vero participium eſt præteritum. Eſt autem ſenſus, Patieris ut tot tui labores fundantur in caſſum, id eſt, in irritum cadant. Et *incaſſum* tractum eſt à retibus, quæ *caſſes* vocantur. *Servius.*

422. *Transſcribi.*] Tradi. Sermo autem hic tractus eſt de pecunia. Nam *ſcribi* eſt dari. Horatius, *Scribe decem Nerio, non eſt ſatis, adde Cicutæ.* *Reſcribi*, reddi. Horatius, *Dictantis quod tu nunquam reſcribere poſſis.* Idem.

Et tua Dardaniis transſcribi, &c.] Imperiumne jam tuis meritis debitum, ad indignos & advenas ſine labore transferetur? Bis itaque intelligendum eſt, *ſceptra tranſcribi.* Quod autem ait, *tot labores*, à qualitate adjecit pondus dictioni: quod ait *tua*, laudis loco accipiendum; *Dardaniis* vero convitio: utpote qui ſua perdidiſſent, & invadere cuperent aliena. *Donatus.*

Transſcribi ſceptra.] Proprie coloni dicuntur *tranſcribi*: quod nominatim in tabellas referebantur. Notat Tuſanus Græcos etiam ita uſurpare *μεταγράφεσθαι*, & *μετατάττεσθαι.* Donatus & Servius cenſent ſermonem derivatum à pecunia, quæ in foro & de menſa alteri acceptum fertur, & ſcribitur. unde *Scribi*, eſt dari: & *Reſcribi*, reddi, apud Horat. 2. Sat. 3. *Scribe decem Nerio.* Videantur & Notæ ad illud 5. Æn. *Tranſcribunt urbi matres.* Taubm.

423. *Rex tibi conjugium, & quæſitas.*] In antiquis aliquot codicibus non habetur *&*, ſed id librarii negligentia. *et* enim eo loco poſitum addit verſui gravitatem. *Pierius.*

424. *Abnegat.*] Cum tantis periculis & uxorem & dotem quæſieris. *Don.*

Quæritur heres.] De jure traxit. Ut non generum, ſed heredem diceret. Nam per coëmptionem facto matrimonio, ſibi invicem ſuccedebant. *Serv.*

Externuſque in regnum.] Dicit omnia, quæ hominem fortem ad prælium, propter regnum, movere poſſint. dat præterea vincendi fiduciam, aſſerendo Junonem affuturam, cui cauſa diſplicebat. Addidit metum, ne ſi cunctaretur, firmatos arctiore fœderis vinculo, ſuperare non poſſet. *Donatus.*

Externuſque in regn. quær. heres.] Servius, de jure traxit, ut non generum, ſed heredem diceret: nam per coëmptionem facto matrimonio, ſibi invicem ſuccedebant. Vide illud ſupra Georg. 1. *generum Tethys emat omnibus undis:* & Budæum in Pandect. & Boëth. 2. Topic. de matrimoniis per coëmptionem, uſum, & confarreationem. *Germanus.*

Heres.] Ex monimentis veterum ſine dipthongo ſcribendum monet Dauſquius, ab *herus* derivari, contendens; quia *heredes* pro *dominis* ſumti. Sunt tamen qui *hæredes* quaſi *αἱροῦντες capientes* dici malint. *Emmeneſſ.*

425. *I nunc, &c.*] Simile illud,

I, ſequere Italiam ventis, pete Regna per undas.

Itaque, ut ibi cum Italia venti, cum Regnis undæ, ita hic cum periculis ingratitudo. Non abit illud Petronii Sat. *Qui paulo ante jactabas vires imperii tui, de tam magna nave ne tabulam quidem naufragus habes. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete.* Cerda.

I nunc, &c.] Formula conceſſionis, quæ plena eſt ſtomachi, & imprecationem non mediocrem teſtatur. Horat. l. 1. Epiſt. 6.

I nunc, argentum & marmor vetus æraque & artem Suſpice.

Ad quem

Tyrrhenas, i, sterne acies: tege pace Latinos.
Hæc adeo tibi me, placida cum nocte jaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia jussit.
Quare age, & armari pubem portisque moveri
Lætus in arma para, & Phrygios, qui flumine pulchro
Consedere, duces, pictasque exure carinas.

Cæle-

Ad quem locum plura Lambinus. *Emmeness.*

426. *Tyrrhenas, i, sterne acies.*] Ut, *I, sequere Italiam ventis.* Sane notum est bello multum potuisse Tyrrhenos, & fuisse præcipue infestos Latinis. Ut, *Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina.* Servius.

I, sterne.] Veteres aliquot codices legunt, *Tyrrhenas & sterne.* Ut, *Testilis & rapido.* Sed *i*, geminatum verbum longe venustius & elegantius. *Pierius.*

427. *Hæc adeo tibi me.*] Addidit auctoritatem, quia scit anui credi difficile. *Adeo* autem, valde scilicet jussit: ut Terent. *Adolescentem adeo nobilem.* Servius.

Tibi.] Contra meritum laborum irrisio. *Tibi*, qui male gesta, possis tua propria fortitudine corrigere. *Tibi*, suscepto jam genero. *Donatus.*

Me.] Sacerdotem suam, templi custodem, cujus fidem nosset. *Idem.*

428. *Ipsa palam fari.*] Habet emphasin *Ipsa*, quasi dicat, quæ omnia potest, tuæ causæ favet. *Idem.*

Ipsa palam, &c.] Invenit Ursin. imitationem Homer. Iliad. 18.

Ἥρη με προέηκε Διὸς κυδρὴ παράκοιτις:

Juno me præmisit Jovis gloriosa uxor.

Cerda.

429. *Quare age.*] Particula hortantis. Sic in 8. *Quare agite ô juvenes.* Catull. in Nupt. Juliæ & Man. *Quare age, huc aditum ferens*, &c. *Idem.*

430. *Lætus.*] Alacer, festinus. Nam lætari non poterat, qui perdebat uxorem. Sic supra in primo, *Vela dabant læti.* Servius.

Lætus.] Vox nata ad omen. Ita apud Statium lib. 12. Theb. in re simili,

Ite alacres, tantæque precor confidite causæ.

Est hoc, quod etiam de Annibale Silius lib. 3.

Nec mora, commotum promissis ditibus agmen
Erigit in collem. —

Dionys. lib. 6. ore Dictatoris Roman. *ἴτε προθύμως ἅπαντες ἐπὶ τὸν ἀγῶνα: ite prompte omnes ad prælium.* Etenim *πρόθυμοι* sunt ita prompti, ut etiam alacres. Sane in vultu ducis lætitia pro omine est militibus. Curtius de Alexandro lib. 4. *Haud alias tam alacrem viderant Regem, & vultu ejus interrito certam spem victoriæ augurabantur.* Darius apud eundem: *Ite alacres, & spe pleni*, &c. *Cerda.*

Phrygios.] Quasi dicat imbelles & inertes. *Donatus.*

Flumine pulchro.] Ut, supra, *Fluvio Tyberinus amœno.* Servius.

431. *Pictas.*] Nam luxuriosos hæc pictura denotat. *Donatus.*

Pictas carinas.] Hunc morem, & elegantiam veterum multa aperiunt. Vates ipse sæpe. Hic ut vides: & in 5. Æneid. *pictas abiete puppes.* in 8. *pictasque innare carinas.* in 4. Georg.

Et circum pictis vehitur sua rura phaselis.

Ovid. in 6. Metamorph.

Ut semel ingressa est pictæ Philomela carinæ.

Lucan. lib. 3.

— *non robore picto*
Ornatas decuit fulgens tutela carinas.

Ab Homero 2. Iliad. naves dicuntur *μιλτοπάρῃοι* à pictura: & Aristides in 2. Platonica naves exhibet inunctas *μιλτω-*

Cælestum vis magna jubet. rex ipse Latinus,
Ni dare conjugium & dicto parere fatetur,
Sentiat, & tandem Turnum experiatur in armis.
Hic juvenis vatem inridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classis invectas Thybridis alveo
Non (ut rere) meas effugit nuntius auris.

Ne

τῷ, *minio.* Valer. 1. Arg. in fabrica primæ navis: *picturæ varios superaddit honores.* Athen. de nave lib. 5. Hiero. *ἡ δὲ ναῦς πᾶσα οἰκείαις γραφαῖς ἐπεπόνητο*: *universa autem navis aptis picturis erat laborata.* Apulejus lib. 4. Florid. *navem extrinsecus eleganter depictam.* Maximus Tyrius dissert. 31. in commendatione navis cujusdam *προσεβέβλητο δὲ ἡ ναῦς πολλὰς μὲν χρόας ἡδίστας ἰδεῖν*: *Accedebant colores, qui navem commendarent varii, ut visu jucundissimi.* Herodotus l. 2. *τὸ δὲ παλαιὸν ἅπασαι αἱ νῆες ἦσαν μιλτηλιφέες*: *veteri instituto naves omnes erant rubrica delibutæ.* Cerd.

432. *Cælestum vis magna jubet.*] Aut per diffinitionem, ipsa Juno est vis deorum: aut per augmentum, suasit primo per se, deinde per Junonem: postremo per omnium vim deorum. *Servius.*

Cælestum vis.] Ergo debet audacius fieri. *Donatus.*

Rex ipse.] Qui te fefellit, cujus imperium tua defensione servasti. *Idem.*

433. *Parere fatetur.*] In codicibus aliquot antiquis *parere jubetur* legere est, quod non ita receptum mihi videtur. *Pierius.*

434. *Sentiat.*] In virtute & minis, ut Ovid. Eleg. 1. lib. 5. Trist.

Nunc te prole tua juvenem Germania sentit.

Et Propert. Eleg. 10. lib. 2.

Sentit & illa tuas postmodo capta manus. Cerda.

Turnum experiatur in armis.] Id est, probet contra se, quem pro se laborantem non probavit. *Servius.*

435. *Hic juvenis vatem inridens.*] Caluit, quia juvenis. Horatius, *Non ego hoc ferrem calidus juventa consule Planco.* Idem.

Juvenis.] Non mirum, si juvenis mulierem & anum, in re bellica contempsit. *Donatus.*

Juvenis vatem inridens.] Nam videlicet, *τὸ νέον ἅπαν ὑψηλόν ἐστι, καὶ θρασύ*: *Sunt omnes juvenes superbi, & audaces*, dixit Metrod. apud Stob. serm. 50. Omnino proni ad irrisionem, & contumeliam. Huic ætati *ἀκόλαστον καὶ ἄλογον* attribuit Plutarch. in Opere de virt. Morali. Signanter Horat. quem in hunc locum advocat Servius:

Non ego hoc ferrem calidus juventa.

Posset & Aristotelem cap. 12. l. 2. Rhet. *διάθερμοί εἰσιν οἱ νέοι*: *juvenes calidi sunt.* Ibidem notans mores juvenum, *ἀδικήματα ἀδικοῦσιν εἰς ὕβριν*, quia nunquam injuriæ illorum sine contumelia. *Cerda.*

Orsa.] Id est, dicta. Scal. lib. 4. c. 16. *Taubmannus.*

436. *Thybridis alveo.*] Romanus codex, Porcius, & aliquot alii veteres legunt, *Tybridis alveo.* Sed *undam* plerique malunt. *Pierius.*

Classis invectas Thybridis alveo.] Hic Turnus per somnum consentanea respondet: ut apud Hom. Od. δ. Penelope eidolo sororis à Pallade immisso, illis versibus, quibus est initium, *τὴν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα περίφρων Πηνελόπεια, ἡδὺ μάλα κνώσσουσ' ἐν ὀνειρείῃσι πύλῃσι.* Non ita dissimili genio est illud Od. α. Telemachi ad matrem Phemii fidicinis cantum inhibentem: *ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σ' αὐτῆς ἔργα κόμιζε, ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε ἔργον ἐποίχεσθαι, μῦθος δ' ἄνδρεσσι μελήσει πᾶσι.* Germanus.

440. Victa

Ne tantos mihi finge metus: nec regia Juno
Inmemor est nostri.
Sed te victa situ verique effœta senectus,
O mater, curis nequicquam exercet, & arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, divûm effigies & templa tueri:
Bella viri pacemque gerant, quis bella gerenda.
Talibus Alecto dictis exarsit in iras.
At juveni oranti subitos tremor occupat artus:
Deriguere oculi: tot Erinnys sibilat hydris,
Tanta-

440. *Victa situ senectus.*] Temporis longinquitate, ex qua nascitur situs. *Servius.*

Verique effœta.] Cassa veritatis. *Id.*

Veri effœta.] Id est, cassa veritatis. Vel, quæ cessavit vera dicere: Scal. l. 4. c. 16. Vel; cui sunt effœtæ & exhaustæ vires ad dicendum, quod verum est. ut innuat illam cœpisse delirare. *Taubmannus.*

441. *O mater.*] Irrisio est, non honor. *Servius.*

O mater.] Irrisio est aperta. *Donat.*

O mater, curis nequicquam exercet.] *Mater* hic in invidiam & contemptum, ut docet Eustathius γέρον, προσφώνησιν Græcis nonnunquam ad venerationem, nonnunquam miserationem, ad contumeliam nonnunquam usurpari; Certe & illud supra, *fortunate senex*, sapere potest προσφώνησιν honoris, nam & γέροντες Homero dicuntur simpliciter honore digni viri, etiam si ætate senectam non attigerint, ut Romanis *patres* interdum. *Germanus.*

442. *Falsa vatem formidine ludit.*] Quia *vatem.* Nam eam defendebant à bellis, si non ætas, saltem religio sacerdotis. *Servius.*

444. *Bella viri.*] Vide Adag. *Bellum Cononi curæ fuerit.* Ita Iliad. ζ. Hector ad Andromachen:

Πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει
Πᾶσιν, ἐμοὶ δὲ μάλιστα — *Taubm.*

Bella viri pacemque, &c.] Talis est Ovidii locus l. 2. Metam. ✠ʃ. 474.

Vel quid nata vide, vel quid sis passa: columque,
I, cape cum calathis, & stamina pollice torque:
Bella relinque viris. Quem imitatus est Claudian l. 1. in Eutrop. ✠ʃ. 271. *Emm.*

Gerant.] In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *gerent* futuro tempore scriptum observavi: quod multo magis placet: quia ex affirmativo modo sententia videtur absolutior. Si *gerant* malueris, sententia diffinitiva est, ex morum consuetudine. *Pierius.*

445. *Exarsit in iras.*] Communis sermo habet, *ardeo illa re.* sed figuratius, *ardeo in illam rem* dicimus: & est specialis Cornelii elocutio. *Serv.*

446. *Oranti.*] Loquenti. Unde etiam *oratores* dicimus. *Idem.*

Subitos.] In antiquis aliquot exemplaribus *subito* adverbium est: sed epitheton receptius, *subitus.* in non nullis *subitos* legas. *Pierius.*

Tremor occupat artus.] Vicinitate scilicet furiæ. Nam tremor furoris est. *Servius.*

Tremor occupat artus.] Il. θ. τρόμος ἔλλαβε φαίδιμα γυῖα. *Germanus.*

447. *Deriguere oculi.*] In Romano cod. & in quibusdam aliis scriptum est *deriguere* per *de* pro *diriguere.* significat vero utcunque legeris *indurruere*, quod est insaniæ signum. Inde apud Plautum in Mene-

Tantaque se facies aperit: tum flammea torquens
Lumina cunctantem & quærentem dicere plura
Reppulit, & geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit, rabidoque hæc addidit ore:
En

Menechmis, interrogat Medicus eum, quem insanum esse credebat, *Solentne tibi unquam oculi duri fieri.* Pierius.

Deriguere oculi.] Sunt hi, quos Maximus Tyr. dissertat. 40. explicans ait, ὥσπερ ἂν εἴ τις ἦν δύναμις ὀφθαλμοῖς ὁρᾷν ἀεὶ, καὶ ἀποτείνειν διηνεκῶς τὴν ὄψιν, καὶ δέχεσθαι τὴν προσβολὴν τοῦ φωτὸς, καὶ μηδὲν αὐτῇ δεῖν καλυπτόντων βλεφάρων. Is videlicet oculus, qui perpetuo aciem intendit, lucemque admittit, nec palpebris connivet. Et dissertat. 35. ὀφθαλμοὶ διηνεκῶς δεδορκότες. Cerda.

Sibilat.] Ita scilicet expressa Furiæ ferocitas, ut apud Ovid. 4. Metamorph.

—— *motæ sonuere colubræ;*
Parsque jacent humeris, pars circum pectora lapsæ
Sibila dant. ——

Stat. 3. Silv. *Furiarum sibila.* & 8. Theb.

—— *acuitque tubas, & sibila miscet*
Tisiphone.

Eadem Tisiphone apud eundem 1. Theb.

—— *fera sibila crines virenti*
Congeminat.

Ubi pulchre *virenti* cum respectu ad colubros. Nonnus libr. 32. dat hoc verbum flagello Megæræ, σύριζεν ἦχος ἱμάσθλης, *sibilabat sonitus flagelli.* & lib. 22. δρακοντοκόμοιο Μεγαίρης. Tisiphone apud Stat. 11. Theb. inducitur cum *adstridentibus hydris.* Idem.

448. *Tantaque se facies aperit.*] Remoto anili vultu, quem finxerat, & quo se induerat. Sic supra de Venere, *Et vera incessu patuit dea.* Servius.

Flammea.] In Romano cod. *fumea.* Sed enim hic *flammea* lectio castior: nisi velimus ad pineam facem adludere, quam intorserit, quæ alibi eodem modo circumscribitur à Virgilio, *Nec Fumea tedis lumina.* Nam & Ovidius, & eum secutus Claudianus fingunt Furias etiam facem gestare. & inferius Virgilius ait, *Sic effata facem juveni conjecit & atro Lumine fumantes fixit sub pectore tedas.* Sed utcunque hæc accipiantur, placet hic de oculis dictum, ut in v1. *Lumina Flammea,* non sine codicum varietate legi diximus. *Pierius.*

450. *Geminos erexit crinibus angues.*] Similes. Nam omnes eam dixit erexisse, non duos. *Servius.*

Geminos.] Id est, similes. nam omnes erexit, non duos. ita Cic. in Vatin. *Consorti quidem in lucris atque furtis, gemino & simillimo nequitiâ,* &c. Idem pro Roscio: *Par est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia.* Varro *geminum* semper capit pro simili: ut, *Gorgones geminæ:* cum earum tres sint. *Taubm.*

Erexit.] Furiis datur quidam furor, qui explicatur per verba *attollendi, erigendi,* & similia. Inde in 6. *Exsurgitque facem attollens.* Ita hic, angues erecti, ut ibi fax sublata. Claudian. l. 1. Ruff. de Alect. *& totos serpentum erexit hiatus.* Valer. lib. 8. Arg. *Furiarum erecta flagello.* Statius 8. Theb. *rectique ante ora cerastæ velavere Deam.* & in 11. de Tisiphone, *Crinalem attollit longo stridore cerastem.* Polyxo irata describitur ab eodem lib. 5. *erecta genas.* De serpentibus Cereris Claud. *levant colla, erecti roseas cristas.* Non abit ab Statio lib. 1. Theb. cerastas, quibus Tisiphone armatur, induci astantes. Ait enim:

Centum illi astantes umbrabant ora cerastæ. Ammian. lib. 17. *Ad indignationem justam Julianus erectus.* Cerda.

451. *Verberaque insonuit.*] Pro verberibus insonuit, id est, per verbera. *S.*

Verberaque insonuit.] Pari furore Erinnys apud Silium lib. 2.

Et dirum insonuit Stygio bis terque flagello.

Iterum:

En ego victa situ, quam veri effœta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit,
(Respice ad hæc) adsum dirarum ab sede sororum:
Bella manu letumque gero.
Sic effata facem juveni conjecit, & atro
Lumine

Iterum:

—— *verbera Erinnys*
Incutit, atque atros insibilat ore timores.

Nonn. lib. 21. μάστιγα dat Megæræ. *Cerda.*

Verberaque insonuit.] Nove dictum: Scal. l.4.c.16. Notetur autem ars poëtæ summa, qui hæc ita descripsit, ut legenti animum & capillos horrescere credideris. *Taubm.*

Rabido ore.] Habitum futuræ orationis ostendit. *Servius.*

Rabido.] In Romano, & paucis aliis, *rabido* legitur per *b.* in quibusdam *rapido* per *p.* Pierius.

Rabido ore.] Apud Ovid. lib. 4. Metamor. Tisiphone affert,

Et scelus, & lacrymas, rabiemque & cædis amorem.

Apud Claudian. 1. in Ruff. una Furiarum,

Quæ nova corrupit nostros clementia mores?
Quo rabies innata perit?

Inde Euripid. Orest. Furias vocat δρακοντώδεις κόρας, *puellas viperinas*, quod non ad serpentes solum, sed ad virus & rabiem earum referri potest. De iisdem statim: εἰ μ' ἐκφοβοῖεν μανιάσι, λυσσήμασι: *si me terrefacient furore, rabie.* Recte itaque apud eundem in Hercule insano leges Rabiem natam Nocte, νυκτὸς ἔκγονον λύσσαν, quia Furiæ quoque, quarum est rabies, nocte quoque sunt satæ. *Cerda.*

452. *En ego victa situ.*] Pejus non potuit objurgare metuentem, quam in illum regerere, quæ protulerat. *Donat.*

En ego victa situ, &c.] Acerba repetitio, quæ rhetorum filiis mimesis appellatur, qualis est l.4. Æn. ℣ſ.377. *Emmeness.*

453. *Falsa formidine.*] In Romano codice, *falso* adverbialiter scriptum est. Sed longe melius, *falsa formidine*, ut objecta per verba eadem eludat. *Pierius.*

454. *Respice.*] Multi hic distinguunt, & superioribus jungunt, ut sit sensus, Respice eam, quam dicis falsa deludi formidine. *Servius.*

Ad hæc adsum.] Id est, ad regum arma, & ad bella. Quomodo ergo dicis quod superflue his inferar rebus, ad quas veni? Alii *respice ad hæc* legunt, ut sit quasi demonstrantis, *Respice, bella & lethum gero.* Idem.

(Respice ad hæc) adsum.] *Ad hæc*; bella, & letum, quæ manu gero. Quidam distinguunt, *Respice: ad hæc adsum &c.* Taubm.

455. *Bella manu letumque.*] Contra illud, *bella viri pacemque gerant.* Donatus.

456. *Facem juveni conjecit.*] Satis considerate facem juveni conjecit, quæ cito exardescit & desinit. Supra vero, Amatæ serpentem injecit: quod in mulieribus semper viget venenum. *Servius.*

Facem juveni conjecit.] Alludit Juvenalis ad hæc Maronis Sat. 7. ℣ſ. 68.

Qualis Rutulum confundat Erynnis
Nam si Virgilio puer, & tolerabile deesset
Hospitium, caderent omnes à crinibus hydri. Emmeness.

Atro Lumine fumantis fixit tædas.] Atri luminis. Ut, *Et pulchra faciat te prole parentem.* Atro autem lumine, furiali, inferno, alias ratione caret. *Servius.*

Atro lumine.] Atrum lumen, ex Eurip. in Troad. reddit Victorius αἴγλαν μέλαιναν. Talis est autem Eurip. versus: ἐν δόμοις δ' ἐμμανὴς σέλας πυρὸς μέλαι-

Lumine fumantis fixit sub pectore tædas.
Olli somnum ingens rumpit pavor: ossaque & artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit; arma toro tectisque requirit.

Sævit

μέλαιναν αἴγλαν ἴσδωκεν παρ᾽ ὕπνῳ. Germanus.

457. *Fumantis tedas.*] Δᾷδας ψολοέσσας. *Idem.*

Sub pectore.] Ubi fellis locus est, id est, iracundiæ. *Servius.*

458. *Olli.*] In Romano codice, & in quibusdam aliis legere est, *Illi ingens somnum rumpit pavor.* Sed vulgata lectio venustior habetur: & *olli* agnitum à Grammaticis. in nonnullis legitur, *rupit.* Pierius.

Olli somnum ingens rumpit pavor.] Similis pavor Etheoclis, excitati à somno, apud Statium 2. Theb.

Illi rupta quies attollit membra, toroque
Erigitur plenus monstris. ——

Tu reliqua. Est hoc quod Hippoc. vocat ἐνύπνιον φοβερὸν libell. de morbo sacro, *horrendum insomnium.* Cerda.

459. *Perfudit toto proruptus.*] Et hic *perfundit* eodem præsenti tempore. Alibi enim adnotavimus rem gestam per præsentis temporis formam enarrari, majoris esse vehementię, nisi putare voluerimus *n* illud in antiquis fuisse accentus notam. Præterea sunt vetusti codices, in quibus *præruptus* legatur: sed *proruptus* omnino melius. *Pierius.*

T. proruptus corpore sudor.] Lacrimæ, omnis fere gravioris commotionis comites: quæ etiam somnianti hic Turno fluunt. Casaub. ad Pers. Sat. 2. *Taubm.*

460. *Fremit.*] Cum clamore deposcit. Bene autem *amens*, quia in thoro requirebat. *Servius.*

Arma amens fremit; arma toro.] Credam Poëtam instituisse vel veteri Poëtæ, qui:

Tela famuli, tela, propere, sequitur me
Thoas.

Vel mori Romano, quo, instante conflictu, inclamabatur, *arma, arma.* Livius lib. 7. *Conclamatum ad arma, concursumque in muros.* Ammianus lib. 27. *Cum undique ad arma conclamaretur.* Eidem mori (ut credi par est) institerunt Ovidius, & Horatius. Prior 14. Metamorph.

Certatimque omnes uno ore arma, arma loquuntur.

Posterior Od. 35. lib. 1.

Ad arma cessantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.

Sicut etiam Statius 7. Theb. *Arma, arma, insani,* &c. & lib. 3. *vociferans arma, arma viri.* Et Silius lib. 4. *Arma viri, rapite arma viri.* Vide vero præcipitantiam versus & sententiarum. Talis ea Eurip. Supplicib. λάζετε, φέρετε, πίμπλε. *Cerda.*

Arma amens fremit; arma.] Illa repetitio habet suam venustatem. Tale est illud Ovidianum l. 11. Met. ℣. 377. *Cuncti coeamus & arma, arma capessamus.* ad quem non pœnitebit consuluisse Nob. Heinsium, qui plura hujusmodi exempla observavit. *Emmeness.*

Toro.] Lib. Æneid. ad illud, *fidum capiti subduxerat ensem*, aperio morem, unde hic locus potest illustrari. Testimoniis ibi adductis adjunge Livium lib. 39. *Ad nutum scorti Consul stricto gladio, qui super caput pendebat,* &c. Et Nonnum lib. 26.

Νήδυμον ὕπνον ἴαυον ἀκοντοφόρων
ἐπὶ λέκτρων:

Profundum somnum dormiebant sagittiferis in lectis.

Atque etiam Theocrit. idyl. 24. ubi Amphitruoni

Ξίφος κλιντῆρος κεδρίνου περὶ πασσάλῳ αἰὲν ἄωρτο.

Gladius pendebat semper ad lectulum ex claro cedrino.

Et Plutarchum in Pelopida, ubi loquens de Alexandro Tyranno Pheræorum, τὸ ξίφος ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς κρεμάμενον.

Sævit amor ferri, & scelerata insania belli:
Ira super, magno veluti cum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aëni,
Exsultantque æstu latices; furit intus aquaï
Fumi-

ξίφον. Dicit gladium ad caput illius fuisse suspensum. In vita Alexandri ait idem Plutarch. habuisse semper hunc ducem sub pulvino gladium. Eundem morem attingit bis, aut ter in vita Catonis Uticensis. *Cerda.*

461. *Scelerata insania belli.*] Nihil enim tam insanum, quam desiderare id, per quod possis perire. *Servius.*

Scelerata insania belli.] Describit multis Græcorum ὁπλομανίαν. Videtur etiam mihi signare hominem, quem Græci vocant ἀρειμάνιον, sive ἀρειμανῆ, idest, *furentem, insanumque bellandi amore.* Quam vocem ita solvit Homerus μαίνετ' δ' ὥστε Ἄρης: *furebat ut Mars.* Nonnus lib. 26. conjunctam adhibuit, ἀρειμανέος μάχηται. Pulchre ait Maximus dissert. 14. τί ἂν ἢ θυμοῦ παροξυντικώτερον πολέμου καὶ ὅπλων; *Quis major iracundiæ fomes est, quam bellum, & arma?* Ad lucem Virgilii Statius lib. 7.

—— *ferus omni pectore sævit*
Martis amor. ——

Ibidem: *ferrique insana voluptas.* Et l. 11. de Polynice contacto à Furia: *Ardet inops animi*, &c. facitque illum, ut percussus est à Furia, non jam cupientem Regna, sed spirantem *& scelus, & cædem.* Sic de Turno, *scelerata insania belli.* Cerda.

462. *Magno veluti.*] Ornatus Poëticus in parabolis, similitudinibusque maxime consistit. *Donatus.*

463. *Virgea.*] De virgis: unde facta est flamma validior. *Servius.*

Costis.] Lateribus. Et bene antiquum respexit morem. nam ollas non suspendebant: sed positis circum circa ignem adhibebant. *Costis* autem, id est, lateribus: ut, *Tardi costas agitator aselli.* Idem.

Aëni.] *Vasis* subaudiendum monet Sanct. Minerv. p. 347. ut *fictilia, Corinthia*, &c. Ad locum quod spectat, plenissimam complectitur descriptionem, qua noster Homero palmam præripuisse videtur, teste Macrob Saturn. l. 5. c. 11. utitur & Silius l. 5. eadem similitudine:
Ut multo accensis fervore exuberat undis,
Clausis ubi exusto liquor indignatur aheno.
Emmeness.

464. *Exultantque æstu latices.*] Q. Serenus ita scripsit;
Igne lapis candens datur exultantibus undis.

Ovid. lib. 7. Metamorph.
Interea calido positum medicamen aheno
Fervet, & exultat, spumisque tumentibus albet.

Hippocr. lib. de flatib. dixit, ἀπὸ τῶν λεβήτων ἀτμὸς ἀνέρχεται πολὺς ἑψομένου τοῦ ὕδατος: *exsultat vapor multus ab aqua cocta in lebetibus.* Nonnus lib. 12:
—— ἀναπτομένοιο δὲ πυρσοῦ
Φοίνιος ὑδατόεντι λέβης ἐπεπάφλαζεν ἀτμῷ:
—— *incenso vero igne*
Rubens lebes aqueo bulliebat vapore.
Cerda.

Furit intus aquaï Fum.] Nec immerito. Nam potest esse & alterius rei amnis. Ut, *Fluvios videt ille cruoris.* Hanc autem Diæresim Tucca & Varus fecerunt. Nam Virgilius sic reliquerat, *Furit intus aquæ amnis*, & *exuberat ut aquæ amnis*: quod satis asperum fuit. Notandum quod in toto Virgilio non reperiuntur, nisi quatuor diæreses: hoc loco, & in tertio: ut, *Aulaï in medio libabant pocula Bacchi*, & in VI. ut *Auraï simplicis ignem*, & in IX. *Dives pictaï vestis & auri.* Servius.

Aquaï.] Sane Servius *aquaï* repositum à Tucca, & Varo asserit, quum Virgilius *aquæ amnis* scriptum reliquisset, ut in vulgatis est Servii commentariis,

Fumidus atque alte ſpumis exuberat amnis:
Nec jam ſe capit unda; volat vapor ater ad auras.

Ergo

riis, quod an ſit fide dignum, alii viderint. Nam Probus Valerius quum Virgilium quattuor locis tantum Diezeuxi uſum ex *a* diphthon. in *a* & *i* aſſeveret, unum ex his recenſet, *furit intus aquaï*. In antiquis vero codicib. omnibus quotquot verſare contigit, *furit intus aquæ vis* ſcriptum animadverti: neque tot codices temere convenire crediderim. Præterea ſi Virgilius uſquam varietatis amator fuit, in hac præcipue comparatione eam affectaſſe videtur. Aquam enim effervescentem dicere cum velit, modis circiter ſenis eandem ſententiam variavit. Mira eloquentiæ vis, & ſermonis copia, ubertaſque facundiæ vere redundantis, dum enuntiatur, *Undantis Aheni, Exultant æſtu latices, Furit intus aquæ vis, Fumidus atque alte ſpumis exhuberat amnis, Nec ſe jam capit unda, volat vapor ater ad auras.* Quocirca quum veteres codices, *aquæ vis* legant: & unum plus membrum in hac varietate, neque id indecorum acquiratur, ſi aliter quam *aquaï* legendum ſit (Valerio enim libenter ſuas partes integras relinquo) eo modo Virgilium crediderim ſcriptum reliquiſſe. Præterea ita habetur in Servii commentariis manu ſcriptis, quæ mihi Petrejus Zancus juvenis utraque lingua optime peritus legenda dedit, quamvis vulgata, *aquæ amnis* habeant. *Pierius.*

Aquaï.] Ita multi legunt, & agnoſcunt diæreſin. In his Cælius c. 6. l. 27. Nonnulla ad hanc rem hic Servius. Et præit ipſe Vates, qui *aulaï, pictaï*. Qui tamen legeret, *aquæ vis*, ut in plerisque veterum exemplaribus, οὐκ ἀτόπως legeret; nam ex Græcorum imitatione. Homerus enim Odyſſ. 13. ἲς ἀνέμοιο, *vis venti*. Et Od. 6. ἲς Τηλεμάχοιο, *vis Telemachi*. Vide illud 4. Æneid. *odora canum vis*. Cerda.

Aquæ vis.] Ita MS. Servius. Sic Hom. ἲς ποταμοῖο· ἲς ἀνέμου. Et hanc lectionem germanam eſſe, contra Tuccam & Varum (qui teſtantur Virgil. ſcripſiſſe, *aquæ amnis*) itemque Probum, Macrobium, Crinitum (lib. 18. cap. 2.) Cælium (lib. 27. cap. 6.) Cornutum, & alios, docent Erythræus & Fabricius: qui quidem Poëtæ judicium omnibus anteponit: & addit: Quod ſi quis contendere vult, illi Pythagoreorum quaſi voce reſpondeo; ποιητὴς ἔγραψε. At cæteri illi leg. *aquai Fumid.* &c. *Taubm.*

Aquaï.] Ad hunc locum vide H. Stephani Virgil. lectiones p. 23 & 24. *Emmeneſſ.*

466. *Nec jam ſe capit unda.*] Melius quam ſi diceret, *Nec jam vas undam capit.* Servius.

Nec jam ſe capit unda.] Lucret. *capiunt irarum pectora fluctus.* Sic & exuberantes cyathos Græci ὑπερφιάλους vocant, qui infuſam humoris nimiam copiam rejectant & reſpuunt, quam capere & continere nequeant: quam vocem ad homines Homerus tranſtulit, quos & *ſuperfluentes* eadem metaphora Catull. dixit. Ovid. Metamorph. 7. *Interea calido poſitum medicamen aheno Fervet, & exultat, ſpumiſque tumentibus albet.* Et Calab. lib. 5. in hoc argumentum de Ajace furente: μέλαν δέ οἱ ἔζεεν ἦτορ εὖτε λέβης ἀλίαστον ἐπ' ἐσχάρῃ Ἡφαίστοιο ῥοιβδηδὸν μαίνηται ὑπαὶ πυρὸς αἰθομένοιο, χοῖρον ἀμφὶ δὲ πᾶσαν ὅτε ξύλα πολλὰ θέρηται ἐννεσίῃς δρηστῆρος ἐπειγομένου ἐνὶ θυμῷ εὐτραφέος σιάλοιο περὶ τρίχας ὥστ' ἀμέρσῃ. Ariſtot. lib. περὶ ζώων, ubi de cordis pulſu agit, & apoſtematum inflammationes ebullitioni & fervori ſimiles facit, hunc effervescentis aheni actum innuere his verbis videtur: ἡ δὲ συμβαίνουσα σφύξις τῆς καρδίας, ἣ ἀεὶ φαίνεται ποιουμένη συνεχῶς, ὁμοία φύμασίν ἐστιν, ἣν ποιοῦνται κίνησιν μετ' ἀλγηδόνος, &c. *Germanus.*

Volat vapor.] Ita Manil. lib. 1. *volucri fumo.* Et Nonnus lib. 23. ἠερόφοιτος καπνός, *fumus aërivagus.* Illuſtrabis ſatis hunc locum his, quæ dicta jam à

me

Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis juvenum, & jubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem:
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Hæc ubi dicta dedit, divosque in vota vocavit;

Certa-me lib. 2. Georg. ad illud, *fumosque volucres.* Hic ad rem Poëtæ pertinent verba Hippocratis lib. de flatibus: ὡς γὰρ ἀπὸ τῶν λεβήτων ἀτμὸς ἀνέρχεται πολὺς ἑψομένου τοῦ ὕδατος: *Quemadmodum enim ab aqua in lebetibus ebulliente vapor copiosus evehitur.* Cerda.

Volat vapor ater, &c.] Fumus & aliæ res celeres carentes animo & fere etiam corpore poëtis dicuntur habere alas, volare, ut observatum hoc à P. Victorio l. var. lect. 26. c. 13. *Emmeness.*

467. *Ergo.*] Id est, quia sic incensus est. *Servius.*

Polluta pace.] Vel sua vel Trojanorum. *Idem.*

Polluta pace.] Aliter enim adversus socerum moveri non debuit. Præterea impellebatur à Furia. *Donatus.*

Polluta.] Cum Latinus dicatur pacem polluisse, quod desponsam Turno destinaverit alteri tradere, non abhorret ab hujus verbi potestate illud Horatii Od. 5. lib. 4.

Nullis polluitur casta domus stupris.

Inde superior illa conquestio Amatæ ad Latinum:

Quid tua sancta Fides, &c.

Cerda.

468. *Indicit.*] Figurate verbum bellicum posuit. *Servius.*

Indicit.] Verbum bellicum signate positum, aliqui notant, probant re nulla. Sed *indictum bellum*, id est, denuntiatum, l. ult. de Legationibus. Brissonius notat lib. 9. de verb. signif. Quis nescit bella indicta Fecialium opera? Quid quod *indicere* est verbum sacrorum, nullum vero bellum apud antiquos, nisi prius nuncupatis votis? Ergo, quia dicturus postea, *Divosque in vota vocavit*, præmittit, *indicit*, ut verbum sacrum. Sic *feriæ indictæ*, id est, *imperativa*, apud Macrob. c. 16. l. 1. Satur. & Virg. lib. 1. *Divûm templis indicit honorem.* Quem in locum lege Servium. *Cerda.*

Primis.] Ductoribus, ut causam scirent. *Donatus.*

Primis juvenum.] Clarum est hic significari scientissimos rei militaris; sed Poëta, ingeniosissimus Augusti adulator, tanquam aliud agens, & poëtice rem tractans, allusit tacite ad principes juventutis, qui facti ex instituto Augusti, ut liquidum ex Tacito lib. 1. Annal. *Genitos Agrippa Cajum, ac Lucium in familiam Cæsarum induxerat, necdum posita puerili prætexta, principes juventutis appellari cupiverat.* De iisdem Cajo, & Lucio extat Augusti nummus apud Goltzium: C. L. CÆSARES. AUGUSTI. F. COSS. DESIG. PRINC. JUVENT. Erant vero *principes juventutis*, qui sequenti ævo dicti sunt Cæsares, nimirum destinati ad successionem Imperii. Et quidem multa in Virgilio simillima alii observarunt; nam sæpissime unius tantum voculæ allusione ad res Augusti celebrandas aspiravit. *Cerda.*

470. *Se satis amb. venire.*] Ita alius P.

— veniam satis omnibus unus.

Ich will allen gewachsen gnug sein. De quo me vide ad Plautum. *Taubm.*

471. *In vota vocavit.*] Quia nuncupatis votis bella sumebant. *Servius.*

Divosque in vota vocavit.] Scilicet ante bellum. Aperte attingit morem Romanum. Apud Polyb. lib. 3. Annibal moturus castra inducitur prius τοῖς θεοῖς ὑπὲρ ἁπάντων εὐξάμενος: *vota faciens Diis pro salute omnium.* Non enim fas exire ad hostem, nisi annuente numine. De Rege quodam Ammianus lib. 21. *Tardante trans Tigridem* Rege,

Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formæ movet atque juventæ;
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus inplet,
Alecto in Teucros Stygiis se concitat alis;
Arte nova speculata locum, quo litore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus.
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Objicit, & noto naris contingit odore,

Ut

Rege, dum moveri permitterent sacra. Et postea de eodem: *Nuntiatur Regem, cum omni manu, quam duxerat, ad propria revertisse, auspiciis dirimentibus.* Cerda.

472. *Certatim.*] Amor maximus, & favor in Turnum ostenditur. *Donatus.*

473. *Hunc decus egregium formæ movet.*] Turni scilicet decus. Nam hoc dicit, alios pulchritudo Turni, alios nobilitas, alios virtus movebat ad bellum. Nam hoc est, *Animis audacibus implet*, id est, fortibus. Quidam hæc ad singulos, qui se in arma hortabantur, referri volunt. *Servius.*

Juventæ.] In codicibus aliquot antiquis, *juventa* legitur. Sed omnino melius *Decus formæ*, & *Decus juventæ* legere. *Pierius.*

Hunc decus, &c.] Forma & ætas plurimum valent ad misericordiam excitandam. Ter. A. 1.5.51.

Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides.

Ad quæ verba videndus Donatus. Recte Apulejus l. 3. Metam. *ut & formæ simul & ætatis contemplatione ad justam indignationem arrecti, pro modo facinoris sæviatis.* Emmeness.

474. *Hunc claris dextera factis.*] In Mediceo codice, *clari facti* scriptum est cum paraphrasi, *Virtutis.* Sed melius videtur, *Claris factis*, ut sit hypallage pro *dextera clara factis.* Pierius.

475. *Rutulos an. au. inplet.*] Vide Nob. Heins. ad hæc Ov. l. 7. M. ✝s. 120.

Minyæ clamoribus implent. Emm.

477. *Arte nova.*] Dolo. *Servius.*

Speculata locum quo litore.] Pronomen pro nomine ponitur, non pro nominibus. Unde nove inter duo nomina, unum pronomen posuit. nam recte *quo loco* diceret. & hoc semel tantum fecit. *Idem.*

Locum quo litore.] Rectius fuisset, *quo loco.* Nove autem inter duo Nomina unum pronomen posuit. Et hoc semel tantum fecisse Virgilium, ait Servius. Sed & paulo ante;

Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem. Fabric.

478. *Insidiis cursuque.*] Cursu agitabat. Nam si *insidiis* circumvenimus, non agitamus. *Servius.*

479. *Canibus rabiem.*] Studium mutavit in rabiem. *Idem.*

Hic sub. can. rab.] Huic simile commentum Statii lib. 7. Theb. ubi Tisiphone in rabiem agit tigres Bacchi, quæ mansuetæ prius. Versus sunt:

Has ubi vipereo tactas ter utrumque flagello
Eumenis in furias, animumque redire priorem
Impulit. —— Cerda.

Cocytia virgo.] Alecto. ✝s. 562.

Cocytique petit sedem. Taubm.

480. *Noto odore.*] Cervino. Solent enim ita instituti. Horatius, *Venaticus ex quo Cervinam catulus pellem latravit in aula.* Servius.

481. Ut

Ut cervum ardentes agerent: quæ prima laborum
Caussa fuit, belloque animos accendit agrestis.
Cervus erat forma præstanti & cornibus ingens,
Tyrrhidæ pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrhusque pater, cui regia parent
Armenta, & lati custodia credita campi.
Adsuetum imperiis soror omni Silvia cura

Molli-

481. *Ut cervum ardentes agerent.*] Hinc Horat. Od. 6. Epod.

Agam per altas aure sublata nives,
Quæcunque præcedit fera. Cerda.

Laborum C. f.] Hoc est, *Et primæ revocabo exordia pugnæ.* Servius.

Laborum.] In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis *laborum* legitur: Eo enim vocabulo Virgilius adversa solet exprimere. Sunt tamen qui probant legend. *malorum.* Pier.

482. *Animos accendit agrestis.*] Plus quam si diceret, *agrestium animos.* Serv.

Animos agrestis.] Excitavit eos primum, qui facilius excitari potuerunt, propter imperitiam & feritatem. *Don.*

483. *Cervus erat, &c.*] Hanc tanti belli caussam, ut nimis levem, vellicat Macrob. l. 5. cap. 17. Qua tamen magis opportuna, magisque artificiosa nullam excogitari potuisse, contra istum accuratissime docuit Jo. Jovian Pontanus in *Antonio*, p. mihi 146. *Taubm.*

Cornibus ingens,] *Ingens* & ad præstantem formam pertinet, & ad magnitudinem cornuum. *Servius.*

Cornibus ingens.] Sic Phædr. l. 1. 13.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua.
Sed de his alio in loco. *Emmeness.*

484. *Thyrridæ pueri.*] Tyrrhi filii: & ut diximus supra, alludit ad nomen. Nam Tyrrhus dictus est pastor, apud quem Lavinia peperit. *Idem.*

Tyrrhusque pater.] Sunt qui *Tyrrhêus* legant, propter productam in patronymico *Tyrrhidæ* penultimam, ut Pelides à Peleo, Tyndarides brevi penultima à Tyndaro, qui Græcis τυνδάρεος, τυνδάρεως, & τυνδάρεως· unde & τυνδαρείδας dixit aliquando Eurip. per ει in penultima. Supra tamen Belidæ nomen Palamedis, à Belo, ut Tyrrhides forsan à Tyrrho. *Germanus.*

485. *Cui regia parent Arm.*] Magistrum hunc pecoris vult fuisse, & saltuarium. Nam hoc est, *Et late custodia credita campi.* Magister autem est pecoris, ad quem omnia pertinent animalia. Cicero, *Nominat hominem, quem magistrum pecoris esse dicebat.* Servius.

Cui regia parent Armenta.] Sophocl. in Tyr. ἐπεστάτει τοῖς βασιλικοῖς ποιμνίοις. Armentarium Latini, Græci ἀγελάρχην. *Germanus.*

Cui regia parent Armenta.] Saltuarii sive ἀγροφύλαξ officium erat conservare fructus, fines custodire, pascere armenta, ut Pignor. de Servis p. 274. multa de Magistro pecoris observavit Bochart. hist. anim. l. 2. c. 44. *E.*

486. *Lati.*] In Romano codice, *lati*, sed familiari vitio. nam *late* adverbium omnino melius judicatur. *Pierius.*

Campi.] Continuatio intelligitur & una planities. Si n. *camporum* diceret, interpositos significaret montis tumulos, &c. *Donatus.*

487. *Adsuetum imperiis, &c.*] Fuit hoc è deliciis veterum, qui cervos tales habebant, mansuetos, qualisque hic cervus describitur à Marone. Illustris est, & lata descriptio Calpurniana Ecl. 6. Sumpsit Calpurnius descriptionem suam non tantùm à Virgilio, sed, ut credi potest, ab Ovid. lib. 10. Metamorph. qui ita de cervo Cyparissi:

Namque sacer Nymphis Carthaa tenentibus arva
Ingens cervus erat, lateque patentibus altas

Ipso

Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille, manum patiens, mensæque adsuetus herili,
Erra-

Ipse suo capiti præbebat cornibus umbras,
Cornua fulgebant auro, demissáque in armos
Pendebant tereti demissa monilia collo.
Bulla super frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur, parilique ætate nitebant
Auribus è geminis circum cava tempora baccæ.

Addit deinde, solitum illum frænari à Cyparisso, in cujus etiam tergo sedebat, quod est argumentum animalis mansuetissimi. Scimus (Paulo Veneto attestante) Meditas populos Tartarorum uti cervis ad sessionem tanquam asinis, aut equis. De Heliogabalo etiam Lampridius: *Processit in publicum & quatuor cervis junctis ingentibus.* Non absimilia Vopiscus de Aureliano. Sunt & notissima, quæ de cerva Sertorii Scriptores tradunt. Tu lege Plutarch. in ejus vita. *Cerda.*

Silvia.] Bonum puellæ rusticæ nomen formavit. *Servius.*

488. *Ornabat cornua.*] Similes blanditias de cervo Cyparissi Ovid.

Tu modo texebas varios per cornua flores,
Nunc eques in tergo residens, huc latus & illuc
Mollia purpureis frænabas ora capistris.

Similes Statius lib. 7. Theb. de tigribus Bacchi, quas ipse Deus vagas dimiserat,

Illas turba Dei, seniorque ex more Sacerdos
Sanguinis oblitas atque Indum gramen olentes
Palmite maturo, variisque ornare corymbis
Curat, & alterno maculas interligat ostro.

De tauro etiam Europæ Ovid. l. 2. Metam. ait illum præbuisse *cornua sertis impedienda novis.* Ampelus puer apud Nonnum lib. 11. Pausanias in Arcadic. cervam exhibet habentem ψέλιον, *torquem.* Vide vero in quo pretio cervus hic Maronis, cum post obitum donatus fuerit rogo, quod testatur Statius 2. Silv. *Cerda.*

489. *Pectebatque ferum.*] Quadrupedem. Ut, *In latus inque feri curvam compagibus alvum*: sic dictæ, quod velocitate pedum ferantur. *Servius.*

Pectebatque.] In codicibus aliquot antiquis, *potabat* legitur: quod non ita venustum videtur: neque adeo cicurationi adcommodatum. *Pierius.*

Ferum.] *Ferus*, & *fera* pro quavis bestia, etiamsi immitis ea non sit. Martial. de formica,

Implicuit tenuem succina gutta feram.

Sic 2. Æneid. de equo Trojano,

In latus, inque feri curvam compagibus alvum.

Itaque, quamvis iret, rediretque, & quamvis esset mansuetus, ferus tamen; nam hæc ejus natura. Justinianus l. 2. Instit. tit. 1. *Cervos quoque quidam ita mansuetos habent, ut in silvam ire, & redire soleant. quorum & ipsorum feram esse naturam nemo negat.* Mitto bestias alias, quæ ita frequentissimo usu. Callimachus de sue, θηρὸς ὀδόντας: & de leone, θηρὸς δέρμα. *Cerda.*

490. *Manum patiens.*] *Patiens illius rei* dicimus. Unde apparet unum *u* caussa metri esse detractum. *Servius.*

Mensæ herili.] Nove dixit. Nam herum non nisi dominum dicimus: nisi forte ideo dixit, quia dat ei humanum sensum. Nam ait paulo post, *Imploranti similis.* Idem.

Manum.] In codicibus aliquot *manuum*, ubi manifesta Synizesis, subtractum tamen *u* alterum plerique malunt: & ita codices emendatiores habent. Quanquam nihil prohibet *Manum* quarto casu inservire participio. *Pierius.*

Ille, manum pat. mens. ads. herili.] Χειροήθης, πρᾷος, ὑποχείριος, καὶ τιθασός.

Errabat silvis; rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iuli
Commovere canes: fluvio cum forte secundo
Deflue-

θακτός. Græci autem catellos, aut animantes domesticas, ὡς τραπεζῆας, τραπεζίας vocant, quod mensis dominorum inhiare soleant, ut Hom. Iliad. ψ. ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν. Ut autem hic Maro *manum patientem* dixit, sic & de aquila Apollonides Epigr. κεῖνε δ' αὐλίδιλω ἐνὶ δώμασι, χειρὶ συνήθης κρέντορ@, ὁ φθόγγον ζῆνα ἐισόμενον. Grammatici autem volunt mansuetum, quasi manui suetum χειροήθη respondere. Quod autem ad illud, *mensæ assuetus herili*, Plutarch. συμπ. ζ. πρόβλ. δ. admonet reges Persarum ὁμοτραπέζους canes habuisse, quod cibatu omnia prope animalia mansuescant. *Germanus.*

Manum pat.] Mansuetus teste Non. Marcello dicitur quasi *manu adsuetus & patiens manuum*. Omnia enim, quæ sunt natura fera, manuum permulsione mitescunt. inde l. 3. Georg. ẏſ. 186. *Equi amare* dicuntur *plausæ cervicis sonitum*. Emmeneſſ.

491. *Errabat silvis.*] Pascebat, ut, *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.* Servius.

Errabat silvis.] Non male hic Victorius capit feram ἄφετον, ita enim appellantur belluæ, quæ vagantur libere sine ullo custode. Talis fuit ea cerva, quam jam exhibui ex Pausania, cui cervæ in torque incisus hic versus,

Νεβρὸς ἑὼν ἑάλων ὅτ' ἐς Ἴλιον ἦν Ἀγαπήνωρ:

Hinnulus excipior solvente Agapenore Trojam.

Inde signate statim, *rursusque ad limina nota*, &c. ἄφετοι enim & sacræ feræ ita libere vagabantur, ut nocte tamen redirent ipsæ ultro ad nota domicilia. De qua re clarus est Livii locus lib. 24. ubi sermo est de gregibus sacris Junoni Laciniæ: *Lucus ibi frequenti silva, & proceris abietis arboribus septus, læta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacrum Deæ pascebatur pecus sine ullo pastore: separatimque egressi cujusque generis greges nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum.* Fortasse ἄφετος, id est, *sacer*, leo ille, de quo Statius 2. Silv.

Quid quod abire domo, rursusque in claustra reverti
Suetus, & à capta tam sponte recedere præda,
Insertasque manus laxo demittere morsu?

Cerda.

492. *Ipse.*] Id est, sua sponte. *Serv.*

493. *Errantem.*] His versibus ponit excusationem Ascanii. *Donatus.*

Rabidæ.] In codicibus aliquot antiquis, *rapidi* virili genere. Sed in Romano, atque in Porcio, significatione, & genere mutato *rabidæ* legitur, quod ideo placet, quia superius rabiem canibus objectam legimus. *Pierius.*

Rabidæ canes.] Certissima est nota in sermone animalium, auctores quippe cum de illis loquuntur, si sermo sit de generositate, sæpissime mares nominat, si de feritate, sæpissime feminas. Ergo hic, ubi feritas, & rabies canum proponitur, voluit genus muliebre, non masculum. Ita 3. Georg. in rabie amoris leæna inducitur catulorum oblita; non leo. Ibidem *pessima tigris*: & *rabidæ tigres*, & *lynces Bacchi variæ*. Iterum, *Scilicet ante omnes furor est insignis equarum*: non equorum. *Cerda.*

Rabidæ canes.] Recte: quia in fæminis plus iracundiæ est. Alii l. *rapidæ*. Taubmannus.

Rabidæ canes.] Fœminino genere usurpari *canes*, quando de re venatica sermo est, notat Torr. ad Hor. l. Epod. od. 2. *multa cane trudit apros, &c.* Emm.

494. *Secundo Deflueret.*] Secundo, id est,

Defluerct, ripaque æstus viridante levaret.
Ipse etiam, eximiæ laudis succensus amore,
Ascanius curvo direxit spicula cornu:
Nec dextræ erranti deus afuit; actaque multo
Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque cruentus
Atque imploranti similis tectum omne replebat.

Silvia

id est, cum aqua. Unde & adverso dicimus, contra aquam. Nam ideo *defluerec* dixit: & *secundo* ideo, quia cursus fluminis post natantem videtur. *Serv.*

Defluerer.] Aliquando hoc verbum fluendi finem significat: ut Horat. Epist. ad Lollium I. *Rusticus exspectat dum defluat amnis.* Consulendus ad hunc poëtam Torrent. l. 1. od. 12. ubi in propria notione hic usurpari monet. *Emmeness.*

495. *Ripaque æstus viridante levaret.*] Missum faciam, quod plerique codices antiqui *lavaret* legunt: quum magis omnino placeat *levaret*. Id minime dissimulaverim, quod in codicibus aliquot manu scriptis invenitur, *Ripaque æstus undante levaret.* nihil enim hoc displicet, quamvis *Viridante* gratius, & lascivius. *Pierius.*

Ripaque æstus vir. lev.] De suo cervo Ovid. lib. 10. Metamorph.

Fessus in herbosa posuit sua corpora terra
Cervus, & arborea frigus ducebat ab umbra. Cerda.

498. *Deus afuit.*] Alecto deum dicit: sicut de Venere, *Descendo, ac ducente deo.* Nam, ut diximus, numina utriusque sexus videntur ideo, quia incorporea sunt, & quod volunt assumunt corpus. Ut autem *deum* dicamus pro dea, non aperte ponitur, sed in subauditione, *Erranti.* Licet enim certum esset feriturum, tamen bene *errantem* dixit, quia non usquequaque semper certus est ictus. Horatius, *Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.* Serv.

Deus.] Id est, eventus, qui humanos actus aut implet, aut deserit. *Donatus.*

Deus.] Id est, Alecto. Sic Ennius in Annalibus de Furiis loquens:

Quos omnes Erebo perhibent, & Nocte creatos.

Tu adi, quæ jam late ego lib. 2. Æn. ad illud, *Descendo, ac ducente Deo*, ubi Venerem intelligens, *Deum* nominat, non Deam. *Cerda.*

Afuit.] Hoc varie reperitur in codicibus antiquis scriptum. Nam *affuit*, & *afuit*, & *adfuit*, & etiam *atfuit* legitur. Vera tamen lectio, & antiqua magis *absfuit* est. *Pierius.*

499. *Perque ilia.*] Hoc *ile* & hæc *ilia* facit. Hinc & Juvenalis, *Vis frater ab ipsis Ilibus?* Nam quod Marullus Mimographus dixit, *Tu Hectorem imitaris: ab Ilio nunquam recedis:* cum de guloso diceret, allusit ad civitatis nomen. Nam *ab ili* debuit dicere. Bene autem ea loca vulnerata dicit, quæ statim mortem afferre non possent, ut domum rediret, & esset caussa bellorum. Nam si statim periret, aut ipse, aut vulneris auctor lateret. *Servius.*

Venit arundo.] Verbo Homeri; nam Iliad. 16.

Πατρόκλου δ' ὑπὲρ ὦμον ἀριστερὸν ἤλυθ' ἀκωκὴ:

Patrocli super humerum sinistrum venit cuspis. Cerda.

500. *Nota.*] Quorum humanitatem diu comprobasset. *Donatus.*

Nota intra tecta.] Græci uno vocabulo ἤθεα dicunt notas sedes, ἀπὸ τοῦ ἔθους. *Germanus.*

501. *Successitque gem. stabulis.*] Supra

Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, & duros conclamat agrestis.
Olli (pestis enim tacitis latet aspera silvis)
Inprovisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis. quod cuique repertum
Riman-

pra Georg. *Tecto assuetus coluber succedere, & umbræ.* Germ.

503. *Silvia prima soror.*] Bene puellæ dat doloris impatientiam. *Servius.*

Palmis percussa lacertos.] Nota doloris, de qua jam ego lib. 5. Æneid. & hic adjungo Ovid. 2. Metamorph.

Pectora nuda meis conabar plangere palmis.

Statium 1. Theb.

—— sævis plangoribus amens
Tecta replet, vacuumque ferens velamine pectus.

Videlicet ad ictus inferendos, ut alibi explico. Idem in 3. de nobili femina,

—— Liventiaque ora
Ungue premens. ——

Nonnus lib. 24. luctum femineum describens:

Τυαλομβίων παλάμῃσιν ἴτυς φοινίσσετο μαζῶν.

Rubebat ambitus mammillarum, quæ percussæ palmis.

De Proserpina Claud. lib. 2.

—— planctuque lacertos
Verberat. ——

De ipsomet luctu idem de 6. Conſ. Hon. *& saucia lividus ora.* Cerda.

504. *Duros conclamat agrestis.*] Aut qui semper duri sunt: aut *duros*, qui cervi interitum non dolebant. *Servius.*

Conclamat.] Verb. militare. *Conclamare vasa: ad arma: furtum* etiam; apud JC. *Taubm.*

505. *Olli.*] Plerique codices antiqui cum Mediceo, legunt *illi.* Sed puto hoc ex paraphrasi emanasse, quæ *olli* vocabulum vetus interpretaretur. *Pierius.*

Pestis.] Furiæ. *Servius.*

Pestis.] Interpretes Furiam capiunt. Displicet vehementer: ego pastores intelligo, qui statim ad Silviæ clamores. Ducit me in hanc mentem tum contextus ipse, tum asperitas, quæ ut fatue de Furia, ita præclare de rusticis, qui duri & asperi. Itaque dicit Poeta, belli pestem latere in silvis, propter virtutem rusticorum: tales enim existimati rustici. Vide quæ jam ego late lib. 2. Georg. ad illud,

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini.

Cerda.

506. *Inprovisi adsunt.*] Ὑποτύπωσις tumultus rustici. De qua re Scalig. l. 1. c. 12. Poët. *Taubm.*

Torre.] Hic torris facit, ut hic fustis. *Servius.*

Obusto.] Exemplaria vetera Palatina, legunt *abusto.* Sunt tamen alia, in quibus *adusto* legere est: sed *Obusto* nulli displicet, ut in Mediceo. *Pierius.*

Hic torre arm. obusto, Stipitis hic gravidi nodis.] Sic in fine l. 11. Æn. *Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis.* Arma rusticis propria sunt torres, stipites, sudes, &c. ut inferius ꝟſ. 523.

—— non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis.

Emmeness.

507. *Gravidi.*] Gravis, propter nodos scilicet. *Servius.*

Repertum Rimanti, telum ira facit.] In omnibus Vaticanæ bibliothecæ codicibus, *repertum est* habetur: & pro *ira facit* in cod. aliquot antiq. *ira fuit* legitur, quod aliorum judicio relinquimus. *Pierius.*

Quod cuique rep.] Est hoc quod Actius in Chrysippo: *Neque quisquam a telis vacuus, sed uti cuique obvium fuerat ferrum, alius saxum, rodum.* Alii legunt, *alius saxa rude, &c.* Sed redeo. Quod Tacitus lib. 1. *Quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerentes.* & 2. *tela ad subitum usum properata.* Quod Plato lib. 5. Polit. ὅ, τι ἑκάστῳ πρόχειρ-

Rimanti, telum ira facit. vocat agmina Tyrrhus,
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta spirans inmane securi.
At sæva è speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua

χεν ὅπλον. Quod Appian. 1. Civil. in re simili τὰ προστυχόντα ξύλα ἁρπάσαντες. Quod Homer. Odyss. 13. ὅ, τι χεῖρας ἵκοιτο. Simile quoque belli agrestis genus agnosces in Dionys. lib. 1. in historia Remi, & Romuli latentium sub pastoritio habitu. Ait enim: *Clamore sublato frequentes impetum in primos fecerunt, eosque circumventos alii jaculis, alii lapidibus, alii telis, ut quodque singulis in manus veniebat, petere cœperunt.* Paria habet Pausanias lib. 4. in bello quopiam: οὐδὲ τὰ ὅπλα ἅπαντα ἀνειλήμβανον, ἀλλὰ ὅτῳ προχειρότατα μάλιστα τύχοι τις ἁρπάζοντες: *Non undique contractis armis, sed eo quisque telo arrepto, quod casus obtulisset.* Sallust. etiam in exercitu Catilinæ: *Pauci militaribus armis instructi: ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos, aut lanceas, alii præacutas sudes portabant.* Bellissime hoc genus militiæ ita attigit Stat. 7. Theb.

— mutant galeas, alienaque cogunt
Ad juga cornipedes, ferus omni pectore sævit
Martis amor. — Cerda.

Repertum.] Qui differentiam statuunt inter *invenire* & *reperire*: hoc dicunt esse laboris & diligentiæ, illud aut quod facili negotio comparatur. vel *invenire* artis esse & industriæ: *reperire* casus & fortunæ. Quod nostri poëtæ congrueret sententiæ. Sed has differentias refutat Robert. Tit. Controv. l. 8. c. 21. *Emmeness.*

508. *Rimanti telum.*] Quod quærens quisque reperit, ira pro telo esse jubet.

— Furor arma ministrat.

Lucanus lib. 3.

Invenit arma furor. Taubm.

Tyrrhus.] In codicibus aliquot antiquis legere est, *Tyrrheus.* eaque de caussa superius in Romano codice scriptum est *Tyrrhedæ.* Sed enim pene ultima *ei* esse deberet: est vero passim in obliquis *Tyrrhei*, ut *Orphei, Ilionei*, eodem codice. *Pierius.*

509. *Quadrifidam.*] Quæ findi partes posset in quatuor. *Servius.*

Quadrifidam.] Pari sensu in Georg. *Quadrifidasque sudes.* Cerda.

Cuneis coactis.] Satis signate *coactis* dixit. Exprimit autem antiquum morem, ut, *Sed primi cuneis scindebant fissile lignum.* Servius.

510. *Inmane spirans.*] De hac locutione Nob. Heinsius videndus ad l. 5. Met. ℣s. 348. *Emmeness.*

511. *At sæva è speculis, &c.*] Totum sequentem locum exploratum Statio lib. 3. Theb. jam vidit Scaliger. Ergo ille,

Prima manu rutilam de vertice Larissæo
Intendit Bellona facem, dextraque trabalem
Hastam intorsu agens, liquido quæ stridula cœlo
Fugit, & adversa celso stetit aggere Dirces.
Mox & castra subit: ferroque auroque coruscis
Mista viris turmale fremit; dat euntibus enses:
Plaudit equos, vocat ad portas; hortamina fortes
Præveniunt, timidisque etiam brevis addita virtus.

Itaque, quod Maro Furiæ, Statius Bellonæ: quod ille signo pastorali, hic hastæ trabali attribuit. Effecta varia sunt. Ut vero Virg. *tempus Dea nacta nocendi*; ita Valer. 3. Arg. *tempus rata Diva nocendi.* Cerda.

E speculis.] In plerisque codicibus manu scriptis, non habetur *è*: sed id male. *Pierius.*

E speculis tempus dea nacta nocendi.] Sic Justinus lib. 8. cap. 1. de Philippo,

Signi-

Ardua tecta petit stabuli; & de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: qua protenus omne
Con-

Siquidem Philippus rex Macedoniæ, veluti è specula quadam libertati omnium insidiatus, &c. & recte *nacta*, quod verbum accommodatum fraudibus & malitiæ. Apulejus l. 10. Metam. *Grandem scelerum materiam nacta*. vide Donatum ad Ter. Hec. 4. 4. 59. *Emmeness.*

512. *De culmine summo.*] Proprie, quia de tectis agrestium loquitur. *Serv.*

Stabuli de culmine.] Signate, & proprie; culmina enim agrestia sunt, dicta quasi à culmo, quod culmis palearum contecta. Ita 1. Eclog.

Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.

Ibidem in re pastoritia,

Et jam summa procul villarum culmina fumant.

Itaque bene hic Servius: *Proprie, quia de tectis agrestium loquitur.* Annecum huic doctrinæ, sumi ab Ovid. 4. Fast. pro fabæ stipula:

Sanguis equi suffimen erit, vitulique favilla:
Tertia res, duræ culmen inane fabæ.

Cerda.

513. *Pastorale canit signum.*] Vocat *signum*, instrumentum, quo conclamatum ad arma. Ita & Julius lib. 3. Civil. *Neque frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent.* Sumpsit fortasse sententiam ab Homero, apud quem contentio lib. 11. Iliad.

—— ἤϋσε θεὰ μέγα τε, δεινόν τε
Ὄρθι' Ἀχαιοῖσιν. ——

—— *Conclamavit Dea altum, horribileque*
Orthium carmen Achivis. ——

Videlicet ad pugnam. Ab utroque, verius à Virgilio, Stat. lib. 1. Theb. inducit Tisiphonem, dantem signum ad bellum:

Ut stetit abrupta qua plurimus arce Cytheron
Occurrit cælo, fera sibila crine virenti
Congeminat signum terris.

Est etiam locus alius Hom. Iliad. 20. per initium non absimilis, ubi Dii clamant, excitantes ad pugnam Græcos, & Trojanos. Sed quod hoc signum pastorale? utique buccina. nam post pauca se explicans Poëta ait,

—— *qua buccina signum*
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolæ. ——

Est enim buccina pastorum inventum. Propert. Eleg. 11. lib. 4.

Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat. ——

Unde idem Propert. Eleg. 1. lib. 4. ubi repræsentat nascentis Romæ primam originem, quæ tota fuit pastorum, ita ait,

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
Centum ille in prato sæpe Senatus erat.

Idem.

Cornuque recurvo.] Quasi definiat buccinam, quæ è cornu, & hoc recurvo. Scio Vegetium diffidere, qui buccinam distinguit à curvo cornu, ita scribens lib. 2. cap. 7. *Tubicines, cornicines, buccinatores, qui vel tuba, vel ære curvo, vel buccina committere prælium solent.* Sed dicamus prisco ævo, quod secutus est Maro, confusa hæc fuisse. Itaque antiquitus buccina, & æs, aut cornu curvum, idem fuit instrumentum, quod etiam satis indicat Ovidius lib. 1. Metamorph.

—— *cava buccina sumitur illi*
Tortilis, in latum quæ turbine crescit ab imo.

Quod instrumentum videtur intellexisse Lucillus apud Nonium verbo *cogere*, cum ait: *Rauco concionem sonitu & curvis cogant cornibus.* Idem.

514. *Tartaream.*] Aut terribilem, aut fortem. *Servius.*

Intendit.] In Romano codice *incendit*, quod non æque placet: pleraque

Contremuit nemus, & silvæ intonuere profundæ.
Audiit & Triviæ longe lacus, audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini:

Et

vero ita immutata sunt in omnibus pene auctoribus: quia ut alias admonuimus, plerisque in libris manu scriptis *c* & *t* eadem pene forma notata reperiuntur. *Pierius.*

515. *Intonuere.*] In Romano codice, & quibusdam aliis antiquis, *silvæ insonuere* legitur. Sed *intonuere* melius. *Idem.*

Triviæ longe lacus.] Est nemus haud longe ab Aricia, in quo lacus est, qui Speculum Dianæ dicitur. Et notandum quia vocem ejus paulatim facit procedere: quod locorum indicat commemoratio. *Servius.*

Triviæ longe lacus.] Id est, Avernos, qui à Latini stabulis esset remotissimus. *Donatus.*

Triviæ lacus.] Non solum nemora & lucos consecratos fuisse Dianæ notavit Turneb. l. 30. c. 27. sed & lacus. Unde *Diana Limnæa* appellata l. 8. apud Strabonem. *Emmeness.*

Audiit.] In antiquis codicibus plerisque *audit* unico *i* utroque loco scriptum est: quod tamen pro duobus pronuntiari debeat, ut antiquo marmore *filis* pro *filiis* scriptum observavimus, & alia quædam hujusmodi. Neque præterierim in Romano codice, & quibusdam aliis, *audit & amnis* legi. Sed omnino magis placet *audiit* dactylus, una dictione. *Pierius.*

517. *Sulfurea Nar albus aqua.*] In via Flaminia est civitas Narnia in montibus posita, quibus subest Nar fluvius, qui Tyberino conjungitur. Ideo dicit *Sulfurea Nar albus aqua.* Quia, dum currit, est sulfurei coloris; dum hauritur, albi: & Sabini lingua sua *Nar* dicunt sulfur. Ergo hunc fluvium ideo dicunt esse *Nar* appellatum, quod odore sulfureo nares contingat: sive quod in modum narium geminos habeat exitus. *Servius.*

Sulfurea.] In Romano codice, *sulpurea* per *p* scribitur: ut alibi etiam *sulpura.* ex quo patet *sulphur* aliquando per *ph* scribi solitum, quum tamen dictio Latina sit: id enim Græce θέειον, & θεάφιον dicitur. *Pierius.*

Nar.] Fluvius, qui Tiberino conjungitur. De quo & Ennius:

Sulphureas posuit spiramina Naris ad undas.

Item Plin. l. 3. cap. 12. *Nar amnis exhaurit illos* (Velinos lacus) *sulphureis aquis.* Taubm.

Sulfurea Nar albus aqua.] Plinius l. 3. c. 12. *Nar sulphureis aquis.* Ennius 6. Annal.

Sulphureas posuit spiramina Naris ad undas.

Servius: *Sabini lingua sua Nar dicunt sulphur.* Claudian. Paneg. Prob. *& Nar vitiatus odore, sulphure.* Auson. eid. *sulphureus Nar.* Sidon. epist. 5. lib. 1: *Naris sulphurea.* Itaque ab aqua sulphurea Nar dicitur albus: sic & Silius l. 9. *Narque albescentibus undis.* Servius hic: *dum currit est sulphurei coloris, dum hauritur albi.* Sic & Tyberinum volunt aliqui dictum Albulam ab sulphure, unde illustratur Statius libro primo Silvar.

Illic sulphureos cupit Albula mergere crines.

Cerda.

Nar.] Amnis nomen, terminus inter Umbriam Sabinumque agrum lævam Tibyris ripam petens, omnium, qui in hunc defluunt, maximus. Vide Cluver. Ant. Ital. l. 2. c. 10. qui masculini generis facit contra Sanctium, qui neutrius esse monet & indeclinabile p. 284. & 300. *Emmeness.*

Fontesque Velini.] Ultra amnem sunt: Ut diximus, vox *furiæ* paulatim pocedit. *Servius.*

Fontesque Velini.] Dictum jam in 6. Virgilianum hemistichium usurpat Florus lib. 1. cap. 14. ubi ait: *Curio Dentato Consule, omnem eum tractum, qua Nar ambit,*

Et trepidæ matres preſſêre ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina ſignum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolæ: necnon & Troïa pubes
Aſcanio auxilium caſtris effundit apertis.

Dire-

ambit, fonteſque Velini, &c. Sed de hac lectione dubito: *Cerda.*

518. *Preſſere ad pectora natos.*] Statius, *Preßitque Palæmona mater.* Item econtra, *Nec natos auſæ deponere matres.* Servius.

Preſſere ad pectora.] Oſtendit maternum affectum. *Donatus.*

Et trepidæ matres preſſere, &c.] Maxima in perturbatione hoc fieri ſolet. Hunc locum Maronis & Euripidis confert Victor. var. lect. l. 26. c. 10. ſed noſtro palmam tribuit. ut hunc locum ex Apollonio tranſtulit Virgilius, ſic Lucanus imitatus eſt Virgilium lib. 1.

Et pavidæ natos preſſere ad pectora matres.

Vide Rutgerſii var. lect. l. 6. c. 9. *Emm.*

519. *Ad vocem.*] Buccinæ. Ut, *Senſit, & ad ſonitum vocis veſtigia torſit.* Nam quicunque ſonus dici *vox* poteſt. *Servius.*

Tum vero ad vocem.] Primo dixit: *Silvia auxilium vocat,* poſtea dixit: *Vocat agmina Tyrrhus,* & venisse aliquos. Tertio, furia bellum finitimis tuba canit, & plurimi venere. *Donatus.*

520. *Concurrunt.*] In veteribus aliquot codicibus, *occurrunt* non ita proprie legitur. Sed dicamne illud, *Curro* verbum eandem olim habuiſſe pronuntiationem, quæ nunc in ore vulgi eſt? *concorrunt* enim in antiquiſſimis codicibus notatum animadverti: ne credamus ſola illa *torvom, divom, ſævom,* & alia hujuſmodi *u* in *o* mutaſſe. *Pier.*

Raptis concurrunt undique telis.] Jam Macrob. conjunxit cum Virgilio Ennium ita ſcribentem lib. 3. Annal.

Poſtquam deſeßi ſunt, ſtant, & ſpargere ſeſe
Haſtis anſatis, concurrunt undique telis.

Cerda.

Raptis concurrunt undique telis.] Sic Philoſtratus 6. 13. ἁρπασάμενοι ξύλα καὶ λίθους, καὶ ὅ τι εἰς χεῖρας ἑκάστῳ ἦλθεν. *Emmeneſſ.*

521. *Indomiti agricolæ.*] Ita Julius lib. 1. belli Civ. *paſtores indomiti.* Poſſis in hoc fervore ruſticorum uſurpare illud Taciti lib. 1. Hiſt. *Nullo tribunorum, centurionumve adhortante, ſibi quiſque dux & inſtigator.* Nec non illud Petron. Sat.

Arma placent miſeris, detritaque commoda luxu
Vulneribus reparantur, inops audacia tuta eſt.

Cerda.

522. *Auxilium caſtris effundit apertis.*] Id eſt, ipſa in auxilium effunditur. *Servius.*

Auxilium caſtris effundit.] Nam in periculo regii pueri non paulatim proceſſum eſt, nec partibus, ſed ſimul omnes. Tuetur autem Trojanos ab invidia; ut non ferant, ſed ut defendant injuriam. *Donatus.*

Caſtris apertis.] Huic loco lucem dat Lazius lib. 4. Comm. cap. 5. cum inter varia caſtrorum nomina ea quoque infert, quæ dicta peculiariter *caſtra aperta,* id eſt, ſub dio, præeunte ad hanc rem Livio lib. 23. *Agrumque Campanum ferro, ignique eſt depopulatus, donec coacti ſunt Campani, nihil admodum viribus ſuis fidentes, egredi portis, & caſtra ante urbem in aperto communire.* Ergo in Poëta, *caſtris apertis,* erit ſubdialibus. Sed non dubium, quin ſimplicius Poëta poſſit explicari, videlicet aperta fuiſſe caſtra ad effundendos milites, ea ratione, qua dicimus, aperto oſtio erupiſſe aliquem. Ita Stat. dixit 2. Theb.

——*denſi ſic agmine facto*
Quinquaginta altis funduntur in ordine portis.

Cerda.

523. *Dire-*

Direxêre acies. non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur sudibusve præustis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
Horrescit strictis seges ensibus, æraque fulgent

Sole

523. *Direxere acies.*] Ordinarunt in latitudine. *Servius.*

Direxere acies.] Sic Apulejus lib. 3. Metam. *dirigitur præliaris acies*, id est, ordinatur. *Emmeness.*

524. *Præustis.*] *Præ* brevis fit propter sequentem vocalem: quod in una parte orationis factum tolerabile est, quia compositus est sermo. *Servius.*

Stipitibus duris agitur sudibusve præustis.] Nonnulli *stypitibus* per *y* prima syllaba scribunt: ut ἀπὸ τῆ στύπυ veniat. idem enim significat. Quidam malunt per *i* Latinum, uti etiam *stipare* per *i*, quamvis στύπον, unde verbum deductum volunt, per *y* scribatur, quæ apud nos in *u* transit; *Stupam* enim dicimus. Est & illud animadversione dignum, quamvis, & hoc κατὰ πάρεργον, apud T. Livium libro primo primæ Decadis desiderari lectionem castam, *Sudem præustam.* Nam ita in codice vetusto legimus, *Ut Fecialis hastam ferratam aut sudem præustam ad fines eorum ferret.* Vulgata enim exemplaria legunt *hastam ferratam, aut sanguineam.* Pierius.

Stipitibus duris, &c.] Simile belli genus repræsentat Livius lib. 34. *Jam castra hostium oppugnabantur, saxisque, & sudibus, & omni genere telorum submovebantur à vallo Romani.* Statius lib. 4. *pineus armat stipes.* Cerda.

Sudibusve præustis.] Ita Propert. lib. 4. el. 1.

Nec rudis infestis miles radiabat in armis.
Miscebant usta prælia nuda sude.

Ammianus lib. 31. *clavas in nostros conjicientes ambustas.* Nam hæc arma barbaris & rudi sæculo usitata. *Taubm.*

525. *Ferro ancipiti.*] Utrinque noxio. Dicit autem aut gladios aut bipennes. *Servius.*

Sed ferro ancipiti.] Ξίφει ἀμφήκει, ἀμφιστόμῳ, ἀμφικόπῳ, ἤγουν ἀμφιτόμῳ, & ἀμφιγύῳ. Theocritus autem in re bellica διακρίνεσθαι dixit, ut alibi docuimus, pro *decernere.* Germanus.

526. *Seges.*] Terra modo: ut, *Quid faciat lætas segetes.* Per *atra* vero, fertilem significat, ut in Georgicis ostenditur. *Servius.*

Horrescit strictis seges ensibus.] Ita in 12.

——*strictisque seges mucronibus horret*
Ferrea.—— Et in 11.
——*tum late ferreus hastis*
Horret ager.——

Et 2. Georg.

——*densisque virûm seges horruit hastis.*

Homerus lib. 13. Iliad.

Ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσι
Horruit autem pugna corruptrix hominum hastis.

Lycophron in Cassand.

——πέφρικαν δ' ὥστε ληΐου γύαι
Αἰχμαῖς ὑποστίλβοντες.——
Horrebant ut arva segetis hastis splendentes.

Ennius apud Macrob.

Sparsis hastis longis campus splendet & horret.

Alibi idem:

Horrescit telis exercitus asper utrinque.

Pulchre quoque Nonnus libr. 22. cristas galearum vocat segetem: nam de duce quodam,

Ἤσχει Βιστονίῳ κορυθαιόλα λήϊα τέμνων,
Telo Bistonio secans segetes, quæ erant in variis galeis.

Videtur mihi Stat. eandem rem repræsentare, cùm dixit lib. 7.

Talis erat campo belli fluitantis imago.

Nam Poëtæ illam spicarum agitationem solent explicare per fluctus. Claud. 2. in Ruff. *seges ferri* dixit. Non hinc abit nota Hesychii, qui Æschylum dixisse

αἰθέρα,

Sole laceſſita, & lucem ſub nubila jactant:
Fluctus uti primo cœpit cum albeſcere vento,

Paul-

ἀθέρα, id eſt, *ariſtam*, ἀντὶ τ' ἐπιδορατίδος, *pro haſtæ cuſpide.* Plutarchus etiam in Catone ἀθέρα dixit pro mucrone gladii. Scio à nonnullis dici, quid peculiarius intelligi ea voce à Plutarcho. *Cerda.*

527. *Sole laceßita.*] Naturale enim eſt, ut metallorum ſplendor plus fulgeat alia luce percuſſus. *Servius.*

Sole laceßita.] Eo modo, quo Lucr. lib. 4. *Fateare neceſſe eſt, Corpora quæ feriant oculos, viſumque laceſſant*: idem lib. eodem: *Hæc loca per voces veniant, auresque laceſſant*: idem: *Hic odor ipſe igitur, nares quæcunque laceßit.* Germ.

Æraque fulgent Sole laceſſita.] Eſt hoc, quod Lucanus dixit:

Ardenteſque acies percuſſis Sole corusco
Conſpexit telis. ——

Actius etiam Epinauſimache,

Ab claſſe ad urbem tendunt, nec quiſquam poteſt
Fulgentium armûm armatus ardorem obtui.

Noſter pari fulgore lib. 11. Æneid. *campique armis ſublimibus ardent.* Quem locum vide. Libr. etiam 2. dixit,

Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno.

Euripid. Phœniſſ. cum recenſet apparatum bellicum multa habet ejuſmodi, ut cum ait: παγχάλκῳ ἅπαν πεδίον ἀστράπτει: *Æneus campus totus fulgurat.* Hippomedon dicitur ἀστερωπὸς, *fulgurans vultu inſtar ſyderis.* Et de Polynice φλεγέθων à fulgore. Iterum,

Ἀμφὶ δὲ πόλιν νέφος
Ἀσπίδων πυκνὸν φλέγει,
Σχῆμα φοινίου μάχης.

Homerus 11. Iliad. χαλκὸς οὐρανὸν εἴσω λάμπετ': *ferrum ad cœlum uſque ſplendebat.* Statius libro duodecimo Theb.

—— *nec pulvere craſſo*
Armorum lux victa perit, ſed in æthera longum
Frangitur, & mediis ardent in nubibus haſtæ.

Et de galea Martis lib. 3. *jubar*: & de ejuſdem clypeo *lux*: & lib. 4. *Solem radiis ignoſcere ferri.* Cerda.

Lucem.] In codicibus aliquot antiquis, *lumen* legitur. Sed *lucem* melius. In aliquot aliis, *lucem ſub lumina* habetur cum paraphraſi ſolis. Sed *nubila* ob antitheton magis receptum eſt. *Pierius.*

528. *Fluctus uti, &c.*] Hanc collocationem dictionum laudat Scal. lib. 4. c. 48. P. ubi de artificioſâ verborum diſpoſitione agit: aitque, Poëtam priores motus paucisyllabis dictionibus ſenſim deduxiſſe ad habitum ipſum, quem longiore deſignarit, *Albeſcere.* Sic 1. Æn. cum etiamnum eſſent in principio navigationis, monoſyllabis egit; *Vix è conſpectu, &c.* Taubm.

Albeſcere.] E rerum natura hoc ſumptum eſt. nam cum increſcente crebreſcenteque vento incipit mare paulum turbari & miſcere, partes ejus, quæ non moventur, albeſcere videntur & vernare. De qua re Ariſtot. Sect. 23. Quæſt. ult. Alioqui cum inhorruit, nigreſcit, unde 5. Æn. ỳſ. 2.

——*fluctuſque atros Aquilone ſecabat.* Turneb. l. 26. c. 28. Porro hanc Comparationem, quam ex Iliad. 4. ſumptam Macrobius l. 5. c. 13. exagitat, magnificam & plenam & nobilem docet Scalig. lib. 5. cap. 3. Uno enim, inquit, tractu proceſſum fluctuationis aptiſſime deſcripſit. Nam ante motum, qui animadverſione dignus ſit, albeſcit maris ſuperficies: criſpata enim fulget. Deinde paulatim ſeſe tollit. tum altiores undæ contumeſcunt. poſtremo ſubvertitur à fundo ipſo, &c. potes &, *primo ponto* (nam ita legit Scal. atque ita eſt in Rom. & Carp. Codd.) interpretari, in littore. Verum ibi ſemper albeſcit: ſemper enim frangitur. *Hæc ille.* Legitur hæc Comp. & 3. G. v. 237. *Idem.*

Vento.] In Romano codice, *ponto* legitur, hoc eſt, prima parte Ponti: ſed magis placet omnino *vento*, quo ſpirante criſ-

Paullatim ſeſe tollit mare, & altius undas
Erigit, inde imo conſurgit ad æthera fundo.
Hic juvenis primam ante aciem ſtridente ſagitta,
Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus, Almo
Sternitur. hæſit enim ſub gutture volnus, & udæ
Vocis iter tenuemque incluſit ſanguine vitam.
Corpora multa virûm circa, ſeniorque Galæſus,

Dum

te criſpantur in ſpumas undæ, & ita albeſcunt. *Pierius.*

529. *Paullatim ſeſe tollit mare.*] Sic bella dixit ſurrexiſſe paulatim, ſicut ventis flantibus ſenſim mare turgeſcit. *Servius.*

Paulatim ſeſe tollit mare.] Vertit, ait Macrob. l. 1. Satur. c. 13. (illud Homeri, πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται). *Cerda.*

531. *Hic juvenis.*] Et puerum & juvenem nonnunquam indiſcrete ponit Virgilius, ut hoc loco. Nam Almonem, quem modo juvenem dicit, paulo poſt ait puerum. Movet autem miſerationem ab ætate, cum dicit *juvenis:* à virtute, quod dicit, *Primam ante aciem*: vulneris etiam crudelitate. *Servius.*

Hic juvenis.] Poſt cædem cervi, tulit ſors, ut maximus natorum Tyrrhi occideretur. Movet autem pathos, & quod Tyrrhi filius, & quod maximus natu, & quod juvenis. *Donatus.*

Hic juvenis, &c.] Nota: *Juvenis* eſt, id eſt, audax: & eſt in *prima acie.* Scalig. lib. 3. cap. 4. *Taubm.*

Stridente ſagitta.] Homer. Iliad. 16. adhibet ὀϊστῶν ῥοῖζον, καὶ δοῦπον ἀκόντων, *ſtridorem ſagittarum, ſonitum jaculorum.* Ibidem, ἔβραχε τεύχεα, *ſonuerunt arma.* Cerda.

532. *Almo.*] Bene ruſtici nomen uſurpavit ex fluvio. *Servius.*

Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus Almo.] Veteres quidam codices verſum ita ſcribunt, *gnatorum Tyrrhei fuerat qui maximus Almo.* dicitur vero *Almo* per o finale, ut *Plato, Solo:* nullum enim nomen Latinum *on* litteris finiri, ait Soſipater. Plinius quædam deſignat uſu recepta, ut *Pluton, Xenophon.* Juniores Grammatici plura recepere. *Pierius.*

533. *Hæſit enim ſub gutture volnus.*] Id eſt, ſagitta. Ut, *Illum ardens infeſto vulnere Pyrrhus.* Servius.

Hæſit enim ſub gutture volnus.] In antiquis aliquot codicibus, *exit* legitur: ubi *Volnus* pro telo ponetur, veluti ſuperius, *Illum infeſto volnere Pyrrhus Inſequitur.* Eſt huic ſimile *tranſabiit coſtas,* de quo ſuo loco dictum. *hæſit* tamen Medicei codicis lectio haud quaquam contemnenda. *Pierius.*

Hæſit enim ſub gutture volnus.] Simile fere mortis genus uſurpatum eſt Homero, apud quem Idomeneus Il. 13. Aſium transfigit, λαιμὸν ὑπ' ἀνθερεῶνα: *ad jugulum ſub mento.* Apud Nonnum lib. 22. cadit quidam in acie, τετυμμένος ἀνθερεῶνα, *ictus in gutture.* Apud Silium lib. 4.

Hæſit barbaricum ſub anhelo gutture telum

Apud eundem lib. 5. Carthaginenſes duo occumbunt *transfixi guttur.* Cerda.

Udæ vocis iter.] Hoc eſt udum iter vocis. Non enim vox uda eſt: ſed per udam arteriarum labitur viam. Unde in febrientibus deficit. *Servius.*

Udæ vocis iter.] Lucret. *liquidum citharæ carmen:* & Tryphiodorus equi Durii ῥάχιν ὑγρὴν dixit, hoc eſt, flexibilem, & circumactilem. Vide quæ ad illum ſuperiorem Bucol. locum obſervata ſunt. *Pinuſque loquentes.* Germanus.

535. *Corpora multa virûm circa.*] Conſtrata ſunt. Rhetorice viles trudit in medium: nobiles vero primo & ultimo commemorat loco. *Servius.*

Seniorque Galæſus.] Pathos ab ætate: item à cauſa, quod pacis medius. Cupiditas

Dum paci medium se offert: justissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, & terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum
Inbuit, & primæ commisit funera pugnæ,

Dese-

piditas pacis ostenditur ex divitiis, quas in bello perdere erat anxius. *Donatus.*

Galæsus.] In Romano codice, & hic, & inferius *Gelæsus* scribitur per *e* prima syllaba, & *æ* diphthongo peneultima. In reliquis *Galesus*. Pierius.

Seniorque Galesus.] Notetur expressio status, fortunarum, ætatis, cum facto viri studiosi, & eventus. Scalig. l. 3. cap 2. *Taubm.*

536. *Dum paci medium se offert.*] Reddit causam, cur senex bellis intererat. *Servius.*

Dum medium paci, &c.] Μεσάζων, μέσιττος, & μεσίτης Græcis dicitur mediator, factor pacis, arbiter, & sequester. *Germanus.*

Dum paci medium se offert.] Lege doctissimum caput Macrobii 4. lib. item Saturn. ubi tractat πάθη, quæ Virgilius movet à causis; & principe loco exemplum hoc adhibet. *Cerda.*

537. *Ditissimus arvis.*] Secundum antiquum morem. Horatius, *Dives antiquo censu.* Servius.

Arvis.] In Mediceo *agris.* Sed *arvis* hic receptum. *Pierius.*

Quinque greges illi balantum.] Gregem etiam dici de bobus, non dubium est, & majoribus animalibus, etiam si hic distinxisse videatur. Certe Homer. Od. μ. ἀγέλας bobus tribuit, πώεα ovibus: ἑπτὰ βοῶν ἀγέλαι, τόσα δ' οἰῶν πώεα καλά. Eumæus subulcus Od. ξ. de Ulyssis heri facultatibus, δώδεκ' ἐν ἠπείρῳ ἀγέλαι, τόσα πώεα οἰῶν, τόσσα συῶν συβόσια, τόσ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν βόσκεσι. qui versus Il. λ. repetuntur sub persona Nestoris. Nec absimile illud Il. υ. ubi Homerus divitias Erichthonii commendat, non ab auri cumulo metallorumve, sed ab armentis & pecore, Ἐριχθόνιον βασιλῆα, ὃς δὴ ἀφνειότατος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων, τοῦ τρισχίλιαι ἵπποι ἕλος κάτα βουκολέοντο θήλειαι πώλοισιν ἀγαλλόμεναι ἀταλοῖσι. Sunt non indocti, qui *reditum*, non *redditum* dici velint, pro censu & proventu annuo, ab his formis poëtis familiaribus: *redeant armenta, gravis are manus, census, & dona.* Germanus.

Quinque greges.] Πολύμηλον sive πολύαρνα describit, & πολυβούτην. vide Æn. 6. vs. 38. Cato interrogatus, quis esset *paterfamilias*: respondit, Eum *qui bene pascit, & bene arat.* Taubm.

538. *Quina redibant Armenta.*] Pro quinque, sicut bina. *Servius.*

539. *Et terram centum vertebat aratris.*] Duo dixit à Catone memorata, qui interrogatus qui esset paterfamilias, respondit eum, qui bene pascit, & bene arat. *Idem.*

540. *Æquo dum Marte.*] Aperta contentione, bello manifesto, nam sic dicimus. *Æquum* autem pro æquali non possumus dicere, cum soli interempti sint Itali. *Idem.*

541. *Promissi dea facta potens.*] Honesta elocutio *Potens promissi.* Promisisse autem eam consensione intelligimus. Nam non promisit. *Idem.*

542. *Inbuit.*] Initiavit. Et bene *Sanguine.* Nam potest bellum & à discordia & à dissensione inchoare. *Idem.*

Sanguine Bellum Inbuit.] Lucret. l. 6. *imbuere* etiam igni tribuit: *Multaq; praterea prius ipso tecta vapore Eminus ardescunt, quam comminus imbuat ignis.* Vide illud supra Buc. *Imbuet agnus.* Ci-

G 5 lab.

Deserit Hesperiam, & cæli convexa per auras
Junonem victrix adfatur voce superba:
En perfecta tibi bello discordia tristi.
Dic, in amicitiam coëant, & fœdera jungant:
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros.
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas,
Finitimas in bella feram rumoribus urbis,

Accen-

lab. lib. 6. τοὶ δ' ἔμπαλιν ὁρμήσαντες αἵματι δεῦον ἄορα μετ' ἀργείοισι θορόντες· & Mosch. πλάνα δῶρα, τὰ γὰρ πυρὶ πάντα βέβαπται. id est, imbuta, & tincta igne. Item Calab. 1. ἰδεύετο δ' αἵματι πολλῷ δεινὸς ἄρης. *Germanus.*

Primæ conmisit funera pugnæ.] Sunt hæc, quæ Statius 3. Th. vocat *semina pugnæ, & primordia belli.* Cerda.

Conmisit funera.] Μάχην συνῆψε. ita Cic. dixit, *prælium committere:* item *ludos, judicium,* pro, inchoare. Ita Varro: *maturo ovo cœnam committit*, i. incipit: ut exponit Non. & Lips. lib. 3. Antiq. *Taubm.*

543. *Et cæli convexa per auras.*] Potest tamen esse Epexegesis *per auras*, id est, cœli convexa. Nec enim aliud sunt *auræ.* Dicit etiam quidam Commentarius *Convectâ* legendum, ut sit *ipsa convecta.* quod difficile in exemplaribus invenitur. *Servius.*

Convexa.] Sunt qui *convecta* legant. Sed in exemplaribus non invenire Servius attestatur. *Pierius.*

Convexa.] Turn. l. 26. c. 28. interpretatur *convecta.* ut 4. G.

Usque coloratis amnis devexus ab Indis: pro, *devectus:* At veteres omnes τὸ *per* bis capiunt. q. d. Alloquitur Junonem per cæli convexa, & per auras. Servius etiam notat, quendam Commentarium dicere legendum *convecta*: scil. Furia Cæterum Gul. Canterus Nov. Lect. lib. 7. c. 18. legit:

—— *cæli convexa peragrans*;

aut, *pererrans,* quod placebat Corn. Valerio. *Taubm.*

544. *Victrix.*] Voti compos. *Serv.*

Adfatur.] Jam cum superbia. Bene autem ei in principio denegavit orationem; quasi ad scelera festinanti: quam modo tribuit post bella jam cœpta. *Idem.*

545. *Bello discordia tristi.*] Juno enim belli poposcerat semina. Hæc ipsa etiam bella perfecit. *Idem.*

Perfecta discordia.] Habuit rationem personarum: nam laus est in Furia, quod, in aliis est vituperatio. *Donatus.*

Bello discordia tristi.] In codicibus aliquot antiquis legitur, *belli discordia tristis.* Sed magis placet *bello tristi.* quo medio discordia perfecta esset. *Pierius.*

546. *Dic, in amicitiam coëant.*] Ac si dicat, Ita bella commovi, ut ne tuo quidem imperio possint in pacem redire. Et hoc est, *Affatur voce superba.* Alii dicunt, Ego inter hos bella commisi: tu vicinos populos fœderibus junge, & partibus favere compelle: quod tamen si vis, ego faciam. ut hinc sit, *Ego si qua super fortuna laborum est, Ipsa regam.* Servius.

Dic.] In codicibus aliquot antiquis legere est, *sic in amicitiam coeant*, ironice. Servius tamen, & alii agnoscunt *dic.* idque late exponunt. *Pierius.*

547. *Quandoquidem.*] In Romano codice legitur, *quando equidem.* Sed *quandoquidem* in aliis omnibus habetur. *Idem.*

548. *Hoc etiam his addam.*] Non solum gloriatur de eo, quod fecit, sed promisit plura facturam. *Donatus.*

Certa voluntas.] Si tua in hoc consentit auctoritas. *Servius.*

550. *In-*

Accendamque animos insani Martis amore:
Undique ut auxilio veniant. spargam arma per agros.
Tum contra Juno: Terrorum & fraudis abunde est.
Stant belli caussæ: pugnatur comminus armis.
Quæ fors prima dedit, sanguis novus inbuit arma.
Talia conubia & talis celebrent hymenæos
Egregium Veneris genus & rex ipse Latinus:

Te

550. *Insani Martis amore.*] Homeri epitheton. *Idem.*

Insani Martis amore.] Stat. 7. Theb. *ferrique insania voluptas.* Cerda.

551. *Spargam arma per agros.*] Meminit sui. Nam supra dixit, *Sere crimina belli.* Servius.

552. *Terrorum & fraudis.*] Terror ex morte tot hominum: fraus vero ex cervi vulneratione. *Idem.*

Abunde est.] In Rom. codice per apostrophen *abundest* legitur, ut *in test.* & hujusmodi pleraque in antiquis marmoribus scribi solita adnotavimus. *Pierius.*

Fraudis abunde est.] Quidni notam Germani subiiciam? Particulam *abunde* cum eodem casu Sueton. in Jul. conjunxit: *Se jam gloriæ potentiæque abunde adeptum.* Idque ad Græcorum imitationem. Nam Aristotel. Eth. τοιέτων ἅλις· Apollon. lib. 2. γαίης ἅλις· Cicero ad Attic. ἅλις σπουδῆς. Sic & ἅδδην. Plato de Rep. & in Charm. τοιέτων ἅδδην. *Cerda.*

553. *Stant belli caussæ.*] Manifestæ sunt: vel placent, ut, *Stat conferre manum.* Servius.

Stant belli caussæ.] Jacta sunt belli fundamenta. Itaque *stant*, hoc loci respondet verbo κεῖται. Hoc potius placet, quam Servianum: *stant, id est, placent, ut, stat conferre manum.* Nam in hoc significato semper sequatur infinitum necesse est. Aut dictum, *stant belli caussæ*, ad eum modum, quo Propert. lib. 3. Eleg. 5. *stant prælia:* & Eleg. 3. *Martis prælia signo stent.* Cerda.

Belli caussæ.] Est hoc, quod Juppiter apud Statium libro tertio Thebaid. *Jam semina pugnæ Ipse dedi.* Idem.

Pugnatur comminus armis.] Quamvis interdum in auctoribus confundantur arma cum telis, tela cum armis: tamen ut plurimum tela sunt, quibus eminus pugnatur, arma, quibus cominus. Itaque studiose utraque vox Maroni adjuncta. *Idem.*

555. *Conubia.*] In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *conjugia* legi. & alibi observatum pro *conubio*, *conjugio* haberi in manu scriptis exemplaribus plerisque. *Pierius.*

556. *Egregium Veneris genus.*] Ironicῶs dictum est: ut alibi, *Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis.* Serv.

Egregium Veneris genus.] Id est, filius. Sic supra Latinus *genus Fauni*, id est, filius: & in 13. *Latonæque genus duplex*, pro Apolline, & Diana: & Horatius pro Prometheo *Iapeti genus*; & millena. *τὸ egregium* ironice. Sic Electra apud Soph. de Ægystho, ὁ κλεινὸς νυμφίος: *præclarus ille sponsus.* Liban. de Philippo Macedone, ore Demosthenis, βέλτιστος. Ibid. καλοί γε οἱ μισθοὶ τῆς εὐνοίας: *pulchra scilicet benevolentiæ merces.* Antigone apud Sophoclem, ἀγαθὸν Κρέοντα. *Cerda.*

Ipse Latinus.] Ac si diceret, quem Æneæ caussa cogor odisse. Unde & Amatæ nulla fit mentio, quæ est Trojanis inimica. Urbanus tamen totum hunc locum per interrogationem vult accipi, *Terrorum & fraudis abunde est? Stant belli caussæ?* Ut quasi per gratulationem non credat, sicut Terentii illud, *Quia plus cupio, minus credo.* Servius.

557. Super

Te super ætherias errare licentius auras,
Haud pater ille velit summi regnator Olympi.
Cede locis. ego, si qua super Fortuna laborum est,
Ipsa regam. talis dederat Saturnia voces.
Illa autem attollit stridentis anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiæ medio sub montibus altis
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,

Am-

557. *Super ætherias.*] Quia dixerat, *cœli convexa per auras.* Idem.

Te super ætherias.] Huc respectum à Claud. 1. in Ruff. ubi loquens Justitia cum Megæra, *non ulterius bacchabere demens.* Desidero judicium Silii lib. 2. ubi Furia, quæ rem gesserat ad gustum Junonis, dicitur *Junoni laudata.* Vide quo imperio Virgilius: *Te super*, &c. *Cede locis*, &c. *Ipsa regam*, &c. Quid enim Regina Deûm laudet vilissimam ministram? *Cerda.*

558. *Pater ille.*] In antiquis omnibus codicibus, *pater ille*, uti etiam mutatum superius pronomen hoc adnotavimus, eo loco, *Sic Juppiter ille monebat.* legunt tamen non nulli *pater ipse.* Pier.

559. *Cede locis, &c.*] Clarus Homeri locus Iliad. 1.

Ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν αὖθις ἀπόστιχε, μή σε νοήσῃ
Ἥρη· ἐμοὶ δέ κε ταῦτα μελήσεται, ὄφρα τελέσσω:
Sed tu quidem nunc rursus recede, ne te videat
Juno: mihi autem hæc erunt curæ, ut perficiam.

Cerda.

Laborum est.] In plerisque codicibus antiquis *est* non habetur. *Pierius.*

561. *Attollit strid. ang.*] Honesta volantis periphrasis. *Servius.*

563. *Est locus Italiæ medio.*] Hunc locum umbilicum Italiæ cosmographi dicunt. Est autem in latere Campaniæ & Apuliæ, ubi Hirpini sunt, & habet aquas sulphureas: ideo graviores, quia ambiuntur silvis. Ideo autem ibi aditus dicitur inferorum, quod gravis odor juxta accedentes necat: adeo ut victimæ circa hunc locum non immolarentur, sed odore perirent ad aquam applicatæ: & hoc erat genus litationis. Sciendum sane Varronem enumerare quot loca in Italia sint hujusmodi. Unde etiam Donatus dicit Lucaniæ esse, qui describitur locus circa fluvium, qui *Calor* vocatur. quod ideo non procedit, quia ait, *Italiæ medio sub montibus altis.* Hoc nisi ad totam Italiam referas, non procedit: ut sit, Est in vallibus Italiæ montuosæ. Nam in hoc loco montes penitus non sunt. *Idem.*

Italiæ medio.] Antiqua omnia exemplaria legunt, *Italiæ medio* absque *in.* Succurrit vero ad hoc ex Solino, quod Varro tradidisse fertur *Italiæ umbilicum in agro Reatino esse.* Pierius.

Est locus Italiæ medio.] Explicui *umbilicum:* nam Amsancti valles in Hirpinis sunt, auctore Plinio lib. 2. c. 93. Atqui Hirpini non longe sunt ab quarta regione Italiæ, de qua regione cum loquitur idem Plinius lib. 3. cap. 12. ubi pervenit ad agrum Reatinum, qui ibi est, ita ait: *In agro Reatino Cutiliæ locum, in quo fluctuet insula, Italiæ umbilicum esse Marcus Varro tradit.* Paria Solinus c. 7. *Cerda.*

564. *Nobilis.*] Notus, quod & sequentia indicant. *Servius.*

Nobilis.] Explicui, *notus.* Nam ita Plautus Rud. *Qui scelere nobiles fieri volunt*, id est, noti. Contra *ignobilis* pro *ignoto.* Idem Plaut. Pseud. *Peregrina facies videtur hominis atque ignobilis.* Actius apud

Amſancti valles. denſis hunc frondibus atrum
Urguet utrimque latus nemoris, medioque fragoſus
Dat ſonitum ſaxis & torto vertice torrens.
Hic ſpecus horrendum ſævi ſpiracula Ditis
Mon-

apud Diomedem: *Ego me Argos referam, nam hic ſum ignobilis.* Demum, quis neſcit nobilitatem dictam à notitia? Atque inde eſt, ut *nobilis* in malam quoque partem capiatur, ſicut Græcis *ἀοίδιμος*, quæ vox ſignat hominem & virtutibus, & vitiis celebrem. *Cerda.*

565. *Amſancti valles.*] Loci *amſancti*, id eſt, omni parte ſancti: quem dicit & ſilvis cinctum, & fragoſum torrente fluvio. *Servius.*

Amſancti.] In Romano codice *amfracti* legitur inemendate. Nam Servius, & alii veteres Grammatici *amſancti* agnoſcunt: cui quidem lectioni Claudianus etiam adſtipulatur. alii *anſancti.* *Pierius.*

Amſancti valles.] *Amſancti* quoque mentionem fecit Cicero in Divin. *Quid enim non videamus quam ſint varia terrarum genera, ex quibus & mortifera quadam pars eſt, ut & Amſancti in Hirpinis, & in Aſia Plutonia, quæ vidimus.* Ut autem Poëta in medio Italię hunc locum conſtituit, ita & coſmographi *umbilicum Italiæ* vocant. Ut Sophocl. in Tyr. Delphos *μεσόμφαλα γᾶς μαντεῖα* vocat: item Æſch. in ἑπτὰ, *ἀπόλλωνος εὖτε λάϊος βία τρὶς εἰπόντος ἐν μεσομφάλοις πυθικοῖς χρηστηρίοις θνάσκοντα*, &c. *Germanus.*

Amſancti valles.] De his vallibus Plinius l. 2. c 93. in Hirpinis Amſancti ad Mephitis ædem, locum quem, qui intravere, moriuntur. Ad hæc verba videndus Salmaſ. Plin. exerc. p. 85. *Emm.*

Medioque fragoſus Dat ſonitum ſaxis, & torto vertice torrens.] In codicibus aliquot antiquis, *fragoſus*, ut cum *ſaxis* jungatur: ſed longe magis placet *Torrens fragoſus ſaxis, & torto vortice.* In antiquis vero aliquot *vertice*: quod uti dictum ſuperius, tantundem eſſe vult Aruſianus. *Pierius.*

Fragoſus Dat ſonitum ſaxis, &c.] Curtius lib. 3. de Marſya flumine: *Ex ſummo cacumine excurrens in ſubjectam petram magno ſtrepitu aquarum cadit.* Auctor Thebaidos: *Hic rapax torrens cadit.* Cerda.

567. *Dat ſonitum.*] Compendioſa deſcriptio, in qua amnem & partem ex qua funditur, & ſonum cadentis aquæ, & cauſam ſoni oſtendit. *Donatus.*

568. *Hic ſpecus horrendum.*] Hoc nomen apud majores trium generum fuit. Ennius fœminino poſuit: Horatius maſculino, *Quæ nemora, aut quos agor in ſpecus?* Virgilius neutro, quod hodie in numero ſingulari tribus tantum utimur caſibus: *Hoc ſpecus, hujus ſpecus, ô ſpecus.* Nam pluralem tantum à genere maſculino habemus in omnibus caſibus. Hinc eſt, *Ipſe in defoſſis ſpecubus.* Quanquam antiqui codices habeant, *Hic ſpecus horrendus.* Servius.

Horrendum ſævi.] In antiquis pleriſque non habetur *&*, dictum vero per appoſitionem *ſævi ſpiracula Ditis*, oſtendit verbum unitatis numero poſitum *Monſtratur* in iiſdem codicibus. Sed enim exemplaria pleraque, *monſtrantur* legunt numero multitudinis. *Pierius.*

Spiracula Ditis.] Aditus, à *ſpirando*, quod ibi hoſtiæ admotæ concidant & moriantur. Antiqui codices *piracula* habent: quæ dicta ſunt ἀπὸ τῶν πειράτων: hoc eſt, à finibus inferorum. *Servius.*

Spiracula ditis.] Eſt hoc, quod in 6. *janua Ditis*: in 4. Georg. *oſtia Ditis.* Quod priùs Ennio uſurpatum in Hecuba, *aperto oſtio alti Acherontis.* Quod Livius libro ſexto; *janua Orci.* Quod Auctor Thebaidos, *Hic ſciſſa tellus faucibus ruptis hiat.* Plinius lib. 2. cap. 93. *Spiracula vocant alii Charoneas ſcrobes, mortiferum ſpiritum exhalantes.* χαρωνίων etiam Strabo meminit lib. 14. & Aret. medi-

Monstratur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit faucis: quis condita Erinnys
Invisum numen terras cælumque levabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Inponit regina manum. ruit omnis in urbem

Pasto-

medicus. ἐν χαρωνίοισιν (ait) αἱ πνίξιες ὀξυταὶ γίγνονται: *Existunt in Charoneis acutissimi flatus.* Fuit etiam Athenis χαρώνιος θύρα. Vide Cælium lib. 17. c.9. & lib.8. cap.16. Sed omnium copiosissimè Virg. qui, *Horrendum specus. Ditis spiracula: Vorago ingens rupto Acheronte. Fauces pestiferæ.* Observes (hoc πάρεργον est) dici à Plauto in Bacchid. domum meretricum *januam Orci.* Sed redeo, & affero similem descriptionem Silii lib. 12.

Hinc vicina palus, fama est, Acherontis ad undas
Pandere iter, cæcas stagnante voragine fauces
Laxat, & horrendos aperit telluris hiatus,
Interdumque novo perturbat lumine manes.

Multis deinde vagatur, vocatque *situm caligantem, domos pressas infernis nebulis, profundam noctem.* Omitto reliqua. *Cerda.*

Vorago.] Acherontis exæstuatio. *Serv.*

Vorago.] Turnebus per ἀποῤῥόγα explicat: nam hæc vorago abrupto Acheronte. Claudian. quoque 2. Rapt. Amsancto voraginem dat:

——flatumque repressit
Amsanctus, tacuit fixo torrente vorago.

Tertullian. voragini in hoc significato dat synonymικῶς ingluviem lib. de pal. *Utinam & Asia secura jam sit de soli ingluvie, utinam & Africa semel voraginem paverit.* Cerda.

570. *Condita Erinnys.*] Recepta: alii *Condit* legunt, & *se* subaudiunt. *Servius.*

Condita Erynnis.] In Mediceo codice, *condit* verbi voce scriptum est. Quam lectionem non ignoravit Servius. *Pier.*

Quis condita Erinnys.] Ita apud Silium lib. 2. *Tum demum ad manes perfecto munere Erinnys*, redit. Et quidem Furia (ut loquar cum Hippocrat. lib. 1. de morb. vulg.) ἐν πᾶσιν ἀσήμοις ἠφανίσθη. nam quot prius editis malis? *Cerda.*

571. *Cælumque levabat.*] Relevabat, recreabat. *Servius.*

Terras cælumque levabat.] In aliquot antiquis codicibus *terram* legere est unitatis numero, & *levavit* præterito tempore, quum tamen imperfectum Servius agnoscat. *Pierius.*

472. *Nec minus interea.*] Id est, interea non minus. *Donatus.*

Extrem. Sat. bello inp. r. m.] Quod superest, perficit. Et est translatio à pictura, quam manus complet, atque ornat extrema. *Servius.*

Extremam manum.] Nam in artibus *extrema manus* est, cum amplius manus non reponitur, quia opus est perfectum. *Donatus.*

573. *Inponit regina manum.*] Locutio ista est in Prudent. Psych. in Senecæ epist. 12. in Quintil. lib. 1. in Boëthio, Petronio, Ausonio, aliis. Est vero sumpta vel ab opificibus ædium, vel à pictoribus. Primum astruo ex Paulo lib. 39. ff. tit. 2. lib. 18. *Qui in conducto solo superficiem imposuit*, id est, qui ædificium struxit ultimam manum illi imponendo, inde illam postea *superficiariam* vocat. Et ex Javoleno lib. 19. ff. tit. 1. leg. 18. *Tegulæ quæ nondum ædificiis impositæ sunt, quamvis tegendi gratia allatæ sunt, in rutis & cæsis habentur.* Vides hoc verbo signari extrema ædificiorum. Alterum satis indicavi ad illud lib. 1. Æneid. *Artificumque manus.* Quæ vox de pictura accipienda. Inde celebratissimum illud Apellis de Protogene, de quo dicebat elogii loco, *nescire*

Paſtorum ex acie numerus, cæſoſque reportant
Almonem puerum fœdatique ora Galæſi:
Inplorantque deos, obteſtanturque Latinum.
Turnus adeſt medioque in crimine cædis & igni
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari,
Stirpem admiſceri Phrygiam; ſe limine pelli.
Tum quorum attonitæ Baccho nemora avia matres
Inſultant thiaſis, (neque enim leve nomen Amatæ)
Undi-

neſcire illum manum de tabula tollere. Et lib. 4. Epig. ubi ſermo eſt de ſtatuis Medeæ, quas Timomachus ἔγραφε, pro eodem ubi ſumitur, χεὶρ Τιμομάχου, & τέχνη Τιμομάχου, id eſt, *manus Timomachi, ars Timomachi.* Cerda.

574. *Reportant.*] Fortaſſe clypeis ex more militari, quem alibi aperio. Et *reportant* ait, quia *cæſos*, eſt enim verbum funebre, de quo jam lib. 4. Georg. ad illud,

Exportant tectis, & triſtia funera ducunt. Idem.

575. *Almonem puerum.*] Supra vocavit *juvenem*, nunc *puerum* ad invidiam, ut etiam quæ ſequuntur de Galeſo. *Idem.*

Fœdati.] Cruentati. *Servius.*

Fœdatique ora Galæſi.] *Fœdati*, αἰκισθέντος. αἰκία enim ὕβρις ἔμπληγος. Iſocrat. κατὰ λοχίτου. νῦν δὲ οὐχ ὑπὲρ τῆς βλάβης, τῆς ἐκ τῶν πληγῶν γενομένης, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς αἰκίας, καὶ τῆς ἀτιμίας ἥκω παρ' αὐτοῦ δίκην ληψόμενος. *Germanus.*

Inplorantque deos.] Ad auxilium & ultionem. *Donatus.*

576. *Obteſtanturque Latinum.*] Propter cædam factam teſtem adhibent: & dicunt, auctores rupti fœderis eſſe Trojanos, cum ipſi pacis jura temerarint. *Serv.*

Obteſtantur.] Invidioſis vocibus lacerant, quod omnia mala per Trojanorum fœdus evenerant. *Donat.*

577. *Medioque in crimine cædis & igni.*] In Romano codice, *igni* legitur, quippe medio. Sed *cædis & ignis* melius. *Pierius.*

Et igni.] In ipſis ſcilicet ſeditionis incendio. *Servius.*

578. *Teucros in regna vocari.*] Subaudis, *Dicit.* Et *Teucros* injurioſe, ac ſi diceret exules & perfidos. *Idem.*

Teucros & ſtirp. Phryg.] Pro convicio poſuit, quaſi dicat, indignos ad maximas dignitates vocari. *Donatus.*

579. *Stirpem admiſc. Phrygiam.*] Ex Græcorum moribus deſumptum, quorum legibus cum peregrinis & hoſpitibus contracta matrimonia inceſta & illegitima habebantur: unde & *μιξέλληνες* è tali prognati contubernio, ut Romanis *Hybridæ.* German.

Se limine pelli.] Explicui, *à pactis nuptiis pelli*, cum alluſione ad morem, quem aperio lib. 9. ad illud, *raptas ſine more Sabinas.* Cerda.

Se limine pelli.] Limen pro amicitia poëtis uſitatum. Juvenal. Sat. 3. ✝ſ. 124. *limine ſummoveor.* Emmeneſſ.

580. *Attonitæ Baccho.*] Veluti Baccho: furia enim agebantur. Et ſic eſt dictum, ut, *At medias inter cædes exultat Amazon.* Servius.

Nemora avia.] Per nemora. *Idem.*

581. *Thiaſis.*] Choreis. *Idem.*

Thiaſis.] Id eſt, choreis. ita 5. Ecl.

—— *thiaſos inducere Baccho.*

Catullus Carm. 59. *Thiaſus* (id eſt, chorus Bacchantium) *repente linguis trepidantibus ululat.* Taubm.

Neque enim leve nomen Amatæ.] Juvenalis, *Quæ non faciet quod principis uxor.* Servius.

582. Mar-

Undique collecti coëunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deûm perverso numine poscunt.
Certatim regis circumstant tecta Latini.
Ille, velut pelagi rupes immota, resistit:
Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,

Quæ

582. *Martemque fatigant.*] Prælium cum clamore deposcunt. *Servius.*

Martemque fatigant.] Id est, exercent. Scalig. l. 4. c. 16. *vel*: prælium cum clamore deposcunt. ut Apul. *fatigare ultionem.* Taubm.

583. *Contra omina.*] Superius de Lavinia. *Servius.*

Contra omina.] Propter apes & incendium. *Donatus.*

Fata deûm.] Propter Fauni oraculum. *Servius.*

Contra fata.] Id est, sententias deorum & Fauni responsa. *Donatus.*

Contra omina bellum.] In antiquis aliquot codicibus omnino legere est, *contra omnia.* quam lectionem agnoscit Servius, quamvis ibi mutilus videatur, interpretesque *auguria* subaudiendum ajunt: sed utcunque illi, *omina* magis placet: & antiquorum exemplarium bona pars ita legendum persuadent. *Pierius.*

584. *Perverso numine.*] Irato. *Serv.*

Perverso numine.] Ita hic *perverso*, pro adverso, ut Plaut. Men. *perversus dies*, id est, adversus & contrarius. Et quid aliud est illud Propert. Eleg. 9. lib. 4.

Et mea perversa sauciat ora manu.

nisi adversante, & oppugnante manu? *Cerda.*

585. *Circumstant.*] Obliti regalis reverentiæ. *Donatus.*

Tecta Latini.] In Mediceo *tecta tyranni* scriptum cum paraphrasi, *Latini*. Dubitarunt forte aliqui nugationem esse Regis Tyranni: atque ideo paraphrasin admisere. Verum hoc ego in medio relinquo. *Pierius.*

Circumstant tecta Latini.] Pari furore Græci apud Stat. 3. Theb. Adrastum Regem fatigant, ait enim:

Irrupere Argos, mæstique ad limina Regis
Bella animis, bella ore fremunt: it clamor ad auras
Quantus Tyrrheni gemitus salis , &c.

Cerda.

586. *Velut pelagi rupes.*] Cum Cicero seditionem fluctibus comparaverit: bene Virgilius eum, qui resistit seditioni, rupem vocavit. *Servius.*

Pelagi.] In antiquis nonnullis codicibus legere est, *pelagi moles*, propterea quod statim subsequitur, *ut pelagi rupes.* Verum hujusmodi repetitio magno cum decoro, & venustate summa facta mihi videtur: & probatiora omnia exemplaria *rupes* habent. Nam de *Mole* statim subjicit, *Quæ sese multis circum latrantibus undis, Mole tenet scopuli nequicquam & spumea circum Saxa fremunt.* Ubi Servius *tenet* distinguendum dicit, ut *scopuli* nominativus sit casus. In antiquis tamen codicibus distinctio est post dictionem *scopuli*, ut legatur, *mole scopuli.* sequitur vero absque *&* in iisdem codicibus vetustis, *nequicquam spumea circum Saxa fremunt.* Sed copulativa ea inserta, multum habet venustatis, & gratiæ. *Pierius.*

Ille velut, &c.] Comparatio talis est & 4. Æn. de Æneæ constantia; & 6. Æn. de Mezentii fortitudine. Vide Scalig. lib. 5. cap. 3. *Taubm.*

587. *Ut pelagi rupes.*] Repetitio elegantiæ & Veneris plena. Eodem modo & Cicero seditionem populi fluctibus comparavit. unde Virgil. recte eum vocat *rupem*, qui seditioni restitit. *Idem.*

588. *Latran-*

Quæ ſeſe, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet: ſcopuli nequicquam & ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique inliſa refunditur alga.
Verum ubi nulla datur cæcum exſuperare poteſtas
Conſilium, & ſævæ nutu Junonis eunt res;
Multa deos auraſque pater teſtatus inanis,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella.
Ipſi has ſacrilego pendetis ſanguine pœnas,
O miſeri. te, Turne, nefas, te triſte manebit
Supplicium; votiſque deos venerabere ſeris.
Nam mihi parta quies, omniſque in limine portus:

Fu-

588. *Latrantibus undis.*] Vetus Poëta *curvo litore latrans unda.* Non minus pulchra tralatione Tert. de Pal. ad cauſidicos tranſtulit, *cauſas elatrare.* Cerd.

589. *Mole tenet.*] Hic diſtinguendum: ut *Scopuli* nominativus pluralis ſit. *Servius.*

590. *Inliſa.*] Variat hæc lectio in codicibus antiquis, aliis *aſperſa*, aliis *infuſa*, aliis aliter legentibus. Sed enim *inliſa* vulgata lectio magis placet. *Pier.*

591. *Cæcum conſilium.*] Fremitus populi bene tale nomen impoſuit. *Serv.*

Exſuperare.] In aliquot antiquis codicibus, *expugnare.* Sed *Exſuperare* in pluribus habetur. *Pierius.*

592. *Eunt res.*] In Ro. codice una dictione legitur, *euntes*, quippe populos. Sed enim *eunt res* longe venuſtius, & figura apud auctores frequentiori dictum videtur. *Idem.*

593. *Deos auraſque.*] Nam omnibus contra ſtantibus, quem alium ſuæ ſententiæ potuit adhibere teſtem. *Don.*

Teſtatus inanis.] In antiquis aliquot codicibus, *teſtatur inanis* legitur. Sed alterum illud magis placet, ut cum verbo *Frangimur* connectatur. *Pierius.*

594. *Frangimur.*] Permanſit in rupis tranſlatione. *Servius.*

Frangimur.] Franguntur commoda noſtri imperii: & ponit ſignata verba in tranſlatione: nam frangitur navis, & fluctibus inſtantibus interit. *Donat.*

Procella.] In antiquis aliquot codicibus, *procellis* eſt numero multitudinis. Sed *procella* ſuavius. *Pierius.*

Ferimurque procella.] Supra: *fruſtra retinacula tendens Fertur equis auriga:* & de Troïlo: *fertur equis.* Germanus.

595. *Sacrilego ſanguine.*] Quia bellum ſumebant contra voluntatem deorum. *Servius.*

596. *O miſeri.*] Dolet errore peccantium. Nullus enim ſciens cadit in foveam ſcelerum. *Donatus.*

597. *Votiſque deos venerabere ſeris.*] Quia religio rigida dicit, ſemel male commiſſa nulla ratione revocari. Horatius, *Dira deteſtatio nulla expiatur victima.* Servius.

598. *Parta quies.*] Scilicet vicinæ mortis beneficio. *Idem.*

Nam mihi parta quies.] Ita ſenex ad filium apud Plaut. Trin. act. 2. ſc. 2.

Mihi quidem ætas acta eſt ferme: tua iſtud refert maxime.

Q. d. Latinus: Mihi mortis vicinæ beneficio quies & ſecuritas omnis in portu atque in promptu eſt: nec ulla re, niſi exſequiis regalibus per bellum privari potero. Vide Adag. *In portu navigare:* &, *Limen ſenecta.* Taubm.

Omniſque.] Nonnulli veteres codices abſque particula *que*, *omnis in limine* legunt. Sed *omniſque* multo melius. *Pier.*

In limine portus.] Securitas omnis in promptu eſt. *Servius.*

Funere felici ſpolior. nec plura locutus
Sepſit ſe tectis, rerumque reliquit habenas.
Mos erat Heſperio in Latio, quem protenus urbes
Albanæ coluêre ſacrum, nunc maxima rerum

Ro-

599. *Funere felici ſpolior.*] Exequiis tantum regalibus careo. *Idem.*

Funere felici ſpolior.] De funere felici ſive regio, quod magnificentius fuit Cenſorio, agit Guther. de Jure Man. l.2. c. 2. *funus* pro *exſequiis* apud Ovid. l. 7. Metam. ℣ſ. 606. *nullis de more feruntur Funeribus.* Emmeneſſ.

600. *Sepſit.*] In Romano codice, *ſæpſit* cum diphthongo, veluti etiam *ſæpta* ſuperius adnotavimus. Ejuſdem enim analogiæ, *Sæpe*, *Sæpes*, & *Sæpio.* Pierius.

601. *Mos erat.*] Varro vult *morem*, communem conſenſum omnium ſimul habitantium, qui inveteratus conſuetudinem facit. *Servius.*

Mos.] Obſervationes, aut legibus, aut aſſenſibus hominum ſunt. *Mos* longo tempore cuſtoditus legem facit, quæ etiam ad poſteros tranſit, ut hic patet. *Donatus.*

Mos erat, &c.] De hoc loco accurate Macrob. lib. 3. cap. 8. item Scalig. lib. 3. cap.17. Poët. Qui cum inconnexus & alicubi ſibi contrarius videatur, Servium mihi vide, qui eum curioſe explicare conatus eſt. *Taubm.*

Heſperio in Latio.] Hoc eſt, in antiquo. Nam, ut in primo diximus, duo Latia fuerunt. Unde non fruſtra *Heſperio* addidit. Quod autem dicit hanc conſuetudinem antiquam fuiſſe, falſum eſt. Nam à Numa Pompilio primo inſtituta eſt: ſed carmini ſuo, ut ſolet, miſcet hiſtoriam. Notandum ſane inconnexum eſſe hunc locum, ſi quis totius libri conſideret textum. Nam ſupra ait, *Longa placidas in pace regebat.* Item dicturus eſt, *Ardet inexcita Auſonia, atque immobilis ante.* & nunc dicit, *Mos erat Heſperio in Latio.* Supra etiam, *Captivi pendent currus.* Item, *Tyrrhenas i ſterne acies.* Quæ ne ſint contraria, accipiamus Italiam primo caluiſſe bellis, medio tempore quieviſſe: & ad antiquum ſtudium nunc reverti, ſicut Romani bello flagravere ſub Romulo, quievere ſub Numa, ſub Tullo Hoſtilio priſtina ſtudia repetiverunt. Hinc eſt quod & ipſe Virgilius ait, *Longa placidas in pace regebat:* non perpetua. Item, *Deſuetaque bello Agmina in arma vocat ſubito, ferrumque retractat.* Nam *retractare*, eſt repetere quod omiſerat. Tale aliquid dicit de genere Syllano Saluſtius. Nam volens oſtendere antiquos majores ejus conſulares fuiſſe, vicinos vero ignaviſſimos, Syllam vero florentiſſimum ait, *Igitur Sylla patriciæ gentis fuit, familia jam extincta majorum ignavia.* Servius.

Heſperio in Latio.] In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *mos erat in Latio Heſperio:* quod non æque placet. *Pier.*

Quem protenus.] Jugiter, deinde. nam nunc temporis eſt adverbium; alibi loci: ut, *Cum protinus utraque tellus Una foret.* Servius.

Urbes Albanæ.] Vide ordinem. Prius Latinum nominat, deinde Albam, poſtremo Romam. Non id ſemel: nam lib. 1. Æn. — *genus unde Latinum, Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ.* Et lib. 5.
— *priſcos docuit celebrare Latinos.*
Et poſt pauca,
— *Albani docuere ſuos, nunc maxima rerum*
Accepit Roma, &c. *Cerda.*

Sacrum.] Quia non pro levi duxerunt, quaſi putarent ſacrilegium committi, niſi eſſet obſervatus. *Donatus.*

602. *Maxima rerum Roma.*] Imperii potita. *Servius.*

Roma.] Magna laus moris cum à principe terrarum populo ſervetur. *Do.*

Maxima rerum Roma.] Horat. Sat. 5.

lib.

Roma colit, cum prima movent in prœlia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum,
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.

Sunt

lib. 1. & Tibull. lib. 2. Eleg. 5. *magnam* vocant Romam. Propertius l. 4. Eleg. 1. & Claudian. Paneg. Olib. *maximam.* Ammianus lib. 16. *Imperii, virtutumque omnium larem.* Ab Basilio Seleuciensi lib. 1. Teclæ, *μεγίστη Ῥώμη, καὶ βασιλίζουσα: maxima, & regnans Roma.* Ac Simocattæ lib. 1. Historiæ Mauricii cap. 1. Romanum nomen dicitur *πολυθρύλλητον τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐπίτιμον, per gentes omnes vulgatissimum, & honoratissimum.* Ea vero fuit Romæ dignitas, ut Proverbii loco dicerent veteres *Roma altera*, cum urbem aliquam vellent eximie laudare, quod ex Salviano, Ausonio, Errico jam astruxit Joannes Sabarus in ep. 11. lib. 1. Sidon. Sed de elogiis Romæ jam fuse in 6. Est autem *maxima rerum*, idem quod, maxima imperiorum: nam *res*, est imperium. *Cerd.*

603. *Movent in prœlia Martem.*] Nam moris fuerat indicto bello, in Martis sacrario ancilia commovere. Unde est in octavo, *utque impulit arma.* Servius.

604. *Sive Getis.*] In honorem Augusti celebrat *bellum Thracium, Dacicum* & *Sarmaticum:* & simul indicat, Imperium Rom. latissime ad Ortum, Septentrionem & Meridiem propagatum fuisse. De quo accuratissime *Lipsius* in Admirandis lib. 1. cap. 2. & 3. *Idem.*

Inferre.] Ad normam Græcorum. Eurip. Hel. *πόλεμον εἰσελαύνειν.* *Cerda.*

Lacrimabile bellum.] Getarum fera gens etiam apud majores fuit. Nam ipsi sunt Mysii, quos Salustius à Lucullo dicit esse superatos. *Servius.*

605. *Hircanisve.*] Gens est dicta à silva Hircania, ubi sunt tigres. *Idem.*

Arabisve parant, seu tendere ad Indos.] Venit ab eo quod est *hic Arabus*; nam ab eo quod est *hic Arabs, ab hoc Arabe Arabibus* facit: sicut *Hiberus.* Unde est in Lucano, *Occurrit Hiberis alter,* & *Hiber.* Nam Horatius dicit, *Ut discet Hiber, Rhodanique potor.* Item lectum est *Æthiopus*, sed tantum *Æthiops* dicimus. *Idem.*

Hircanisve Arabisve.] In Mediceo codice, & plerisque aliis per copulativam *que*, scriptum est *Hircanisque Arabisque.* Advertendum vero, quod à genitivo Græco Ἄραψ Ἄραβος, Latini nominativum *Arabus* faciunt, ut *Elephantus* ab Ἐλέφαντος, ita *Delphinus, Abacus, Titanus:* quanquam & Græco etiam declinatu interim delectemur. Agnoscit Sosipater *Arabs Arabis*, & *Arabus Arabi*, utrunque positum à Virgilio: Cinnamque ait in propemptico Pollionis *Belidis* dixisse, ut Virgilium *Arabis*, atque hæc ex Plinio subjungit, *es* num. plur. finita nominativo, dativo *bus* recipiunt: idque commentatores jubent. Quid ergo si sic declinavit, ut Plautus in Bacchidibus, *Arabus.* & in Penulo, *Murrinus odor Arabus.* Lucillius xxv. *Arabus Artemo.* Denique & C. Cassius in epistola, quam de Dolabella scripsit, *Arabi mirifico animo erga nos fuerunt*, inquit. *Arabs*, Maro, *Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.* Florus ad Hadrianum, *quasi de Arabe, aut Sarmata manubias.* Hæc à magnis viris accepta ideo libenter retuli, ut eorum calumniis obviam irem, qui sæpe incusant me, nimis ad humilia nonnunquam declinare, videantque summos viros hæc eadem non incuriose pertractasse, quæ delicata nostra ætas quodammodo fastidit. *Pierius.*

606. *Auroramque sequi.*] Ingenti ambitu dixit ipsum ortum diei pro populis. *Servius.*

Auroram.] Id est, Orientis populos. Similia huic loco Propert. lib. 2. el. 8.

India, quin, Auguste, tuo dat colla triumpho:

Et

Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione sacræ, & sævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes æternaque ferri

Et domus intactæ te tremit Arabiæ,&c. Vide Turn.lib.6.cap.13.&l.26.c.33. *Taubmannus.*

Parthosque rep.s.] Hoc in honorem Augusti posuit: quo imperante à Parthis repetita sunt signa, quæ Crassus triumvir perdiderat. Qui cum aviditate sua contra auspicia bellum suscepisset, interdicentibus tribunis plebis, captus cum filio est, & necatus infuso in os auro, cujus amore pugnaverat. *Serv.*

Parthosque reposcere signa.] Horat. Od. 15. lib. 4. *Et signa nostro restituit Jovi, Derepta Parthorum superbis Postibus, & vacuum duellis Janum Quirini clausit:* & idem Epist. 2. lib. 1. *Cantabrica bella tulisti Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit.* ad Crassi historiam alludit & Propert. *Vos ô quibus arma Grata magis, Crassi signa referte domum:* & alibi: *Crassos, cladesque piate, Ite, & Romanæ consulite historiæ.* Germ.

Parthosque reposcere signa.] Illustrat Turneb. l.26.c.33. Gaudium ob recepta signa exponit nummus, quem vide apud Augustinum tab.13. num.22. *E.*



607. *Sunt geminæ belli portæ.*] Sacrarium hoc Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum, juxta theatrum Marcelli: quod fuit in duobus brevissimis templis. Duobus autem propter Janum bifrontem. Postea captis Phaleris, civitate Tusciæ, inventum est simulacrum Iani cum frontibus quatuor. Propter quod in foro transitorio constitutum est illis sacrarium aliud, quod novimus hodieque quatuor portas habere. Janum sane apud aliquos quadrifrontem esse non mirum est. Nam alii eum diei dominum volunt, in quo ortus est & occasus. Horatius, *Matutine pater, seu Iane libentius audis.* Alii anni totius, quem in quatuor tempora constat esse divisum. Anni autem esse deum illa res probat, quod ab eo prima pars anni nominatur. Nam ab Jano *Januarius* dicitur. *Servius.*

Sunt geminæ belli portæ.] Plutarch. in lib. De fort. & virt. Rom. ἐκλείσθη μὲν οὖν τότε καὶ τὸ τοῦ ἰανοῦ δίπυλον, &c. Atque adeo Titus Livius, vir Palladis, oleæ, pacisque amans, exultat sibi contigisse post bellum Actiacum videre templum illud claudi. Certe & venerunt in manus meas nomismata cum hac inscriptione: IANVM CLVSIT PACE PRIVS POPVLO ROMANO VBIQVE PARTA: & hoc quoque testimonio: PACE POP. ROM. TERRA MARIQVE PARTA IANVM CLVSIT: quæ omnia ad Neronem referuntur, hanc sibi inter tot scelera de pace laudem injuste vindicantem, tam nitenti desiderio & studio ad pacis gloriam non solum bonis principibus contendentibus, sed & ignavis flagitiosisque φιλειρήνων δόξαν affectantibus. *Germanus.*

608. *Relligione sacræ.*] Tremendæ, execrabiles. Nam & paulo post dicturus est, *Tristesque recludere portas.* Serv.

609. *Centum ærei.*] Numerus, & materiæ qualitas, dat vim. *Donatus.*

Claudunt vectes.] Sunt qui ad effringendas fores, esse vectes, non ad claudendas putant Terentii verbis decepti E.4.7.4. sed & asservandis & muniendis inservire docet Non. Marc. *Emm.*

Ferri robora.] Bene addidit *ferri*. Nam omne

Robora: nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul;

Ipse

omne quod forte est, *robur* vocamus. *Servius.*

Ferri Robora.] Fortasse ex Lucret. l. 2. *Et validi silices, duri robora ferri.* In Homero est Iliad. 8. *σιδήρειαι πύλαι.* in Orpheo, *χαλκήρεις πύλαι.* Cerda.

610. *Janus.*] Quidam Janum *Eanum* dicunt ab eundo, eumque esse Martem & quod apud Romanos plurimum potest, ideo primum in veneratione nominari. Alii *Janum* aërem credunt, & quia vocis genitor habeatur, idcirco mandari ei preces nostras ad deos perferendas. Alii *Janum* mundum accipiunt, cujus caulæ ideo in pace clausæ sunt, quod mundus undique clausus est, belli tempore aperiuntur ad auxilium petendum ut pateant. * Nam quasi mundo ei duas facies dederunt, Orientis & Occidentis, quod jam supra dictum est: alii quatuor, secundum quatuor partes mundi. Alii *Clusivium* dicunt, alii *Patulcium*, quod patendarum portarum habeat potestatem. Idem *Junonius*, inde pulchre Juno portas aperire inducitur. Idem *Quirinus*, unde trabeatum Consulem aperire portas dicunt, eo habitu, quo Quirinus fuit. *Servius.*

Janus.] Additur ad robur portarum Deus, qui bifrons omnia circumspiciat, ne furorum & scelerum insania portæ temere aperiantur. *Donatus.*

611. *Sedet patribus.*] Firma est omnium sententia. *Idem.*

612. *Ipse Quirinali trabea.*] Aut regali, aut qua usus est Romulus intellige: Horatius, *Trabeati jura Quirini.* Suetonius in libro de genere vestium, dicit tria esse genera trabearum. Unum diis sacratum, quod est tantum de purpura. Aliud regum, quod est purpureum: habet tamen album aliquid. Tertium, Augurale de purpura & cocco. *Quirinali* ergo regali. *Servius.*

Cinctuque Gabino.] Gabinus cinctus est toga sic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia revocata hominem cingat. Hoc autem vestimenti genere veteres Latini cum necdum arma haberent præcinctis togis bellabant, unde etiam milites in procinctu esse dicuntur. Hoc rursus utebatur consul bella indicturus, ideo cum Gabii Campaniæ civitas sacris operaretur, bellum subito evenit. Tunc cives cincti togis suis ab aris sunt ad bella profecti, & adepti victoriam. Propter quod omen tali habitu semper utebantur in bellis. Unde hic ortus est mos. *Serv.*

Cinctuque Gabino.] In plerisque codicibus antiquis, inemendate legitur *Sabino*, quum *Gabino* sit omnino legendum: de quo Cinctu, ut obiter locum apud Livium corrigamus, ita habetur in veteri cod. Parrhasiano: *Sacrificium erat statutum in Quirinali colle genti Fabiæ, ad id faciendum C. Fabius Dorso, Gabino cinctu sacra manibus gerens, cum de Capitolio descendisset.* Vulgata exemplaria habent, *Gentis Fabiæ* genitivo casu, & pro *C. Fabius Dorso*, corrupta verba, *Claudius Fab. Dorsum.* Pierius.

Cinctuque Gabino.] Quæ ratio sit cinctus Gabini, à grammaticis & Servio explicatur: de eo Lucanus *Turba minor sequitur ritu succincta Gabino:* & Livius de consule Decio: *Ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit.* Persii quoque interpres de Penatibus: *Habitu Gabino dii Penates formabantur, involuti toga supra humerum sinistrum, & sub dextro.* Germanus.

613. *Insignis reserat stridentia limina consul.*] Is qui prior creatus est: licet similem habeant potestatem. *Servius.*

Insignis.] Servius & Cælius lib. 12.

Ipse vocat pugnas: sequitur tum cetera pubes:
Æreaque adsensu conspirant cornua rauco.
Hoc & tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, tristisque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit
Fœda ministeria, & cæcis se condidit umbris.
Tum regina deûm cælo delabsa morantis
Inpulit ipsa manu portas, & cardine verso

Belli

cap. 8. *Insignem* Consulem hic interpretantur eum quem Cic. *Priorem*, Plinius *Majorem* vocavit: vel quod primo loco renunciatus: vel, quod penes ipsum fasces essent: De quo accurate Cælius. *Taubm.*

614. *Ipse vocat pugnas.*] Tria sunt, ut diximus supra, militiæ genera: Sacramentum, in quo jurat unusquisque miles se non recedere nisi præcepto consulis post completa stipendia, id est, militiæ tempora. Conjuratio, quæ fit in tumultu, id est, Italico bello & Gallico, quando vicinum urbis periculum singulos jurare non patitur: sicut de Fabiis legimus. Evocatio: quod genus nunc tangit. nam ad subitum bellum evocabantur. Unde etiam consul solebat dicere: *Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur.* Servius.

Vocat pugnas.] Dat pugnandi potestatem. *Donatus.*

615. *Adsensu conspirant cornua rauco.*] Nam & tubæ simul inflabantur. *Servius.*

Adsensu conspirant corn. r.] Adi initium lib. 8. ad illud, *rauco strepuerunt cornua cantu.* Delectaberis, Lector, lecto Ammiano, qui sæpe similes strepitus strepit ad Poetam, quam ad scriptorem propior: ut, cum ait lib. 16. *torvum increpantibus tubis*; & lib. 18. *Orientis fortuna periculorum terribiles tubas inflabat.* Cerda.

617. *Tristisque recludere portas.*] Sæpissime Virgilius bella vocat *tristia.* Hinc ergo portæ bellum denuntiantes *tristes.* Idem.

619. *Fœda ministeria.*] Cruenta: more suo. *Servius.*

Cæcis se condidit umbris.] Texuit stamen suum Statius 3. Theb. filo Maroniano, ubi de Sacerdote ita scribit:

Ille nec aspectum vulgi, nec fida Tyranni
Colloquia, aut cœtus procerum perferre, sed atra
Sede tegi, & superum clausus negat acta fatari.

Nisi quis velit adumbratum ab Statio locum alterum Nostri 2. Æneidos, ubi Calchas abditur, neque vult oraculum manifestare: nam statim sequitur,

Te pudor, & curæ retinent per rura Melampu.
Bissenos premit ora dies, populumque, ducesque
Extraxit incertis. —— Cerda.

621. *Regina deûm.*] Quod non decebat. ergo ostenditur pertinax inimicitia. Neque aperuit solum, sed evertit postes à cardine. *Donatus.*

Morantis.] Bella differentes. *Servius.*

622. *Inpulit ipsa manu portas.*] Flexu alio Homer. 21. Il. *ἀνέσαν πύλας.* pulchre: nam remissio & laxatio portarum pro apertione est. Statim, *ἀπῶσαν ὀχῆας*, *dimoverunt obices*, quod Noster majore incremento, *cardine verso.* Homer. iterum Iliad. 24. verbo communi, *ᾤιξε πύλας*: & Eurip. *κλῇθρα χαλάσαντες μοχλοῖς.* Verbum (*ipsa*) *ἐμφατικῶς*, quasi Juno defessa aliorum ministerio, ipsa per se iras exerceat. Itaque huic Deæ convenient illa, quæ ipsa secum loquitur apud Senecam in iris contra Herculem:

Perge

Belli ferratos rupit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia, atque inmobilis ante.
Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis
Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt.
Pars levis clipeos, & spicula lucida tergunt
Arvina pingui, subiguntque in cote securis:

Signa-

Perge ira, perge, & magna meditantem opprime,
Congredere, manibus ipsa jam lacera tuis:
Quid tanta mandas odia? ——
Cerda.

622. *Rupit Saturnia postes.*] Acyrologiam fecit commutando Ennii versum. Nam ille ait, *Belli ferratos postes, portasque refregit.* Servius.

Rupit.] Quasi portas è cardinibus avellerit Juno. Ennius:
Belli, &c.
Contra Martial. lib. 10. *Ad Janum*, pacem optans:
At tu, sancte pater, tanto pro munere gratus
Ferrea perpetua claustra tuere sera.
Taubmannus.

623. *Inexcita.*] Ecce quantum potuit factio Junonis. *Donatus.*

Ardet inexcita Ausonia, &c.] Subitum hunc ardorem ad pugnam, & apparatum quærentium arma æmulatur Statius lib. 7. Theb.
Arma, arma insani: sua quisque ignotaque nullo
More rapit, mutant galeas, alienaque cogunt
Ad juga cornipedes: ferus omni pectore sævit
Martis amor, cædisque nihil flagrantibus obstat.
Præcipitant redimuntque moras. ——
Cerda.

Inmobilis ante.] Non semper, sed antehac. Potest tamen & immobilis à furia. Nam ante gessit bella, sed jure indicta per feciales, per patrem patratum. *Servius.*

625. *Pulverulentus equis.*] Pulvis belli nota. Statius 4. Theb.
Arma, tubas audire calens, & pulvere belli
Sordentem flavere comam.
Frequenter Horatius, ut in istis: *pulvere Troico.* &, *patiens pulveris*; atque alibi. *Cerda.*

626. *Tergent.*] Ab eo quod est *tergeo* venit: & *tergunt*, à *tergo tergis*, quod de usu jam recessit. *Servius.*

Lucida tergunt.] Quamvis codices nonnulli *tergunt* legant, plures tamen & probatiores, *tergent* legunt: & *Tergo tergis* ex usu penitus recessisse Servius adfirmat. *Pierius.*

627. *Arvina.*] Secundum Suetonium in libro de vitiis corporalibus, *Arvina est pingue durum, quod est inter cutem & viscus.* Alii arvinæ nomine laridum dicunt. *Servius.*

Arvina pingui.] In antiquo codice solita mutatione ex *u* digammo, in *b* mutam *arbina* scriptum: est perinde ac *jubentutis*, pro *juventutis*. In antiquis aliquot marmoribus notatum inspicitur,
EX LONGO TEMPORE IVBENTVTIS.
Et ita *Iubentius Celsus*, pro *Iuventius*. Jam vero *bixit*, pro *vixit* sexcenties notatum observavi. Sed illud non prætererim ob vitæ longioris memoriam, quod in æde D. Ceciliæ trans Tiberim legitur,
T. FIFLLENIVS. IANVARIVS
SP. VIBO. FECIT. SIBI. QVI
VIXIT C. ANNIS. LXXXXVIII.
Pierius.

Arvina pingui.] Ut qua quis pinguescat. Cyprianus epist. ad Donat. lib. 2. *Arvina assidui nidoris moles membrorum robusta pinguescit.* Est quippe arvina pingue illud, quod inter cutem & car-

Signaque ferre juvat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magnæ positis incudibus urbes
Tela novant, Atina potens, Tiburque superbum,
Ardea, Crustumerique, & turrigeræ Antemnæ.

Te-

carnem. Variant alii in explicando. Scaliger sevum esse intelligit; nam Glossar. λίπος ἄνευ σαρκὸς, *pinguedo sine carne*. Est vero hæc sevi definitio. Adjicit, vocem esse Siculam: nam Hesych. *ἀρβίνη, κρέας* (melius *στέαρ*) *σικελοί*. Quod Noster per *arvinam*, Seneca in Thyeste loquens de ense, *sordidus pacis vitio quietæ*. Cerda.

Subiguntque in cote secures.] Observat Turneb. lib. 27. cap. 21. artifices illos, qui arma ad nitorem fricabant, tergebantque, dici olim *Samiarios*: nam & in historiis hoc sensu *ferramenta samiata* reperiuntur, quia videlicet creta Samia splendor ferro conciliabatur. Samia quidem vasa in honore olim, & pretio fuisse sciunt omnes. Crinitus quoque lib. 22. cap. 10. *samiata ferramenta*, in Aureliani Augusti epist. de offic. trib. mil. accipit pro mucronatis, & acuminatis in spiculum: & *samium*, idem esse, quod acutum, sicuti *samiare*, acuere. Leo etiam Imperator (citante Stevechio in Vegetium) de apparatu bellico cap. 3. num 50. *Samiatores, id est, qui omnes acies ferreas exacuunt.* Glossar. *ἀκονητὴς*, *samiarius, acutiator*. Sed & Nonius ita ait: *Samium, acutum. Unde & samiare dicimus acuere, quod in Samo hoc genus artis polleat.* Docte itaque Stevechius *samiare* legit in Vegetio loco jam à me adducto. Nec minus docte in Virgilio explicabis *subigunt secures in cote*, id est, samiant. Quid vero etiam, si cotem cum dixit, *cotem Samiam* intellexit, insinuator antiquitatis, non ostentator? In exitu nolui nescires verba illa Aureliani, quæ indicat Crinitus. Ea apud Vopiscum hæc sunt: *Arma tersa sunt, ferramenta samiata, calceamenta fortia.* Hæc sunt profecto, quæ in historiis reperiri, Turnebus notavit. Ex istis lucem do Statio lib. 3. Theb. ubi in belli apparatu ita ait:

— tum fessa putri rubigine tela,
Horrentesque situ gladios in sæva recurvant
Vulnera, & attrito cogunt juvenescere saxo.

Cur enim in hoc saxo non potuit samiationem adumbrare, ut in cote Virgilius? Ita vero multi in Statio legunt, non *mitescere*, ut supra repræsentavi. Ad eandem rem potuit Silius alludere lib. 4. cum ait, *saxoque exasperat ensem*. Ut & Claudian. Paneg. 2. Stil.

Rursum cote novat nigras rubigine falces. Cerda.

629. *Adeo magnæ.*] Valde magnæ, ut Terentius, *Adulescentem adeo nobilem.* Servius.

Quinque adeo.] Numerum & magnitudinem exprimit. *Donatus.*

630. *Atina potens.*] Civitas hæc est juxta Pontinas paludes: dicta *Atina* à morbis, qui Græce ἄται dicuntur, quos paludis vicinitas creat. *Servius.*

Atina potens.] Arguit erroris veterem interpretem Cluver. lib. 3. ant. Ital. cap. 8. Pomptinas quippe paludes longe remotas esse ab hoc oppido. Sita est hæc urbs apud ipsum Apenninum montem in edito, &, ut Silius, in nivoso colle sita. Ille plura. *Emmeness.*

Tiburque superbum.] Aut nobile: aut per transitum tetigit illud, quod cum aliquando à senatu auxilia poscerent Tyburtes sub commemoratione beneficiorum: hoc tantum à senatu responsum acceperunt, *Superbi estis.* Servius.

Tiburque superbum.] Oppidum Latii, hodie *Tivoli*. Describit eam civitatem accuratius Cluver. ant. Ital. l. 3. c. 4. *Emmeness.*

631. *Crustumerique.*] Mutavit. Nam *Crustumerium* dicitur. Cassius Hemina tradidit Siculum quendam nomine

uxo-

Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Umbonum cratis: alii thoracas aënos,
Aut levis ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor: recoquunt patrios fornacibus ensis.

Clas-

uxoris suæ Clytemestræ condidisse Clytemestrum, mox corrupto nomine *Crustumerium* dictum. Alii volunt à crustula panis, quam Trojani coacti fame exedisse dicuntur, appellatam. *Servius.*

Turrigeræ Antemnæ.] Bene muratæ. *Antemnæ* autem dictæ sunt, quod eas amnis præterfluit, quasi ante amnem positæ. *Idem.*

Antemnæ.] De Antemnis consulendus Cluver. l.2. ant. Ital. c.9. *Emm.*

632. *Tegmina tuta, &c.*] Explorato hoc loco Silius lib.4. etiamsi de thorace,

Conseritur tegmen laterum impenetrabile, multas
Passurus dextras, atque irrita vulnera thorax.

Propius est illud Aristoph. in Lysist. qui de galeis loquens, καὶ ταῦτα καλύμματα φέρε περὶ τὴν κεφαλήν: *fer hæc ad caput tegmina.* Cerda.

Cavant capitum.] Referendum ad galeas, dicente Propertio Eleg. 14. lib.3.

Virgineumque cavo protegit ære caput.

Idem.

Salignas Umbonum cratis.] Ut dicit Salustius de Lucanis, *Qui de vimine facta scuta, recentibus detractis coriis, quasi glutino adolescebant.* Servius.

Flectuntque salig. Umbon. cratis.] Theocrast. εἰδ. ιε. ἤδη βαστάζοντι συνεχχίσοισι μίσσα δ᾽ ὕθρα, ἀχθόμενοι σπαλίσσοισι βραχίονας ἰτείνοισιν & Eurip. in Supp. χρίων γε τήνθένδε ἰτέαν λαβὼν χερί. ubi clypeum, non hastam, ut quidam, elegantiores interpretantur, cum sæpe ἰτεαχαλκόνωτον idem poëta appellet, & salicis ipsa materia lentior, fragiliorque sit, quam quæ in hastarum usus accommodari possit. sunt qui velint alludere poëtam ad γέῤῥον, ἀσπίδα περσικὴν ἐκ λύγων. Erasmus autem γέῤῥας *crates vimineas* vertit: & γέῤῥον scutum Persicum. *Saligneus* vero, & *salignus* dicitur. Cato De re rust. *Si lapis non erit, perticis saligneis,* Ovid. *lecto non indignanda saligno.* Ulp. l. vitem: Arb. furt. cæs. *Sed & si quis saligneas virgas instituendi salicti causa defixerit.* Ut autem Latini Grammatici *salicem* à saliendi, hoc est, crescendi celeritate deducunt, quod sive sata, sive terræ impacta, statim surgit: ita & Græci ἰτέας pari forma ἀπὸ τοῦ ἰέναι, τουτέστι ταχέως αὔξεσθαι, derivant. *Germanus.*

633. *Thoracas aënos.*] Quia apud majores loricæ tantum pectora tegebant; ut Statius, *Triplici servantur pectora ferro.* Pectora: nam tergo nullus metus. *Servius.*

634. *Lento ducunt argento.*] Flexili argento ducunt, id est, extendunt. Est autem spondaicus & reciprocus versus. *Idem.*

635. *Vomeris.*] Ecce qualis amentia universorum agrestium fuit, ut instrumenta vitæ profutura in perniciem vitæ verterent. *Donatus.*

Honos.] Valerius Probus in Artium institutis, *Honos* habere ultimam natura longam tradit, hoc loco citato. *Pierius.*

636. *Recoquunt.*] In codicibus aliis *recoquunt*, secunda syllaba per *c*. In Romano *recocunt*, utraque per *c*. Nan superius diximus, referente Velio Longo *q* literam olim à multis exclusam fuisse: neque à Nigidio Figulo unquam in commentariis suis positam, teste Victorino. Præterea diximus placuisse aliis, quoties post *c* sequeretur *u*, semper *q* adnotare, ut *mequm, tequm, sequm*

scri-

Classica jamque sonant: it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit: ille frementis
Ad juga cogit equos; clipeumque, auroque trilicem
Loricam induitur; fidoque accingitur ense.
Pandite nunc Helicona, deæ, cantusque movete,

Qui

scribendum procurarent. Quocirca *reliquoqunt* hi scriberent. *Verius*

637. *Classica jamque sonant.*] Bene posuit amphibologiam. Nam *classicum* dicimus, & tubam ipsam & sonum. *Classicum* autem est flexilis tuba. *Serv.*

Tessera signum.] Symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur: scilicet propter confusionem, ut fuit in exercitu Marii, *Lar deus:* in Syllæ, *Apollo Delphicus:* in Cæsaris, *Venus genitrix.* Idem.

Tessera.] Significat nuncium gerendum significantem bellum. *Donatus.*

It bello tessera.] Symbolum bellicum, (σύνθημα) quod ad pugnam exeuntibus datur: quod aut *vocale* est aut *mutum:* ut in bello Cæsaris erat, *Venus genitrix:* in Marii, *Lar Deus*; in Syllæ, *Apollo Delphicus.* Sillius lib. 5.

— *tacitum dat tessera signum.*

Livius lib. 7. *Cæteris omnibus tesseram dari jubet.* Vide Marc. Donati dilucidat. *Taubmannus.*

It bello tessera.] Tessera est, (teste Vegetio l. 2. c. 7.) præceptum ducis, quo, vel ad aliquod opus, vel ad bellum movetur exercitus. vel, est tabella latiuscula, (ut Lips. Dial. 9. l. 5.) inscripta, quam Græci uno verbo πλατεῖον, & quia è ligno erat, ξυλόφιον appellant. *Tesserarius* dicebatur, qui distribuebat. Vide Stewechium ad Vegetium l. 2. c. 7. & l. 3. c. 5. *Emmeness.*

Signum.] Tres sunt militares res, quæ *signi* nomine efferuntur à Poëta. Tessera, quam hic habes. Deinde vocale instrumentum, ut tuba, buccina, & hanc signum vocavit supra, *pastorale canit signum.* Tertio, vexillum: audis enim in 8. *Ut belli signum.* Habebit Maro subscriptores. De tessera Suet. Nerone cap. 9. *Signum excubanti Tribuno dedit, optimam matrem.* De tubis Livius lib. 30. *Tribunis edicit, ut ubi prætorio dimisso signa concinuissent.* De vexillo an signum quoque dicatur, inane est quærere. Nam quis non ita? Illud non omittendum, Cæsarem lib. 2. Gallic. de pugna subitaria in Nervios, tres has res militares unica periodo inclusisse sub eodem signi nomine, quod diligenter notavit Lipsius lib. 4. de Milit. dial. 12. *Cæsari omnia uno tempore erant agenda: vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret; signum tuba dandum, acies instruenda, milites cohortandi, signum dandum.* Habes vexillum, tubam, tesseram. Nam extremum de hac capiendum, alioquin frigeret sermo. *Cerda.*

638. *Trepidus.*] Festinus: more suo. *Servius.*

639. *Cogit equos.*] Hæc pars apparatus non omissa Silio lib. 4.

— *domitat pars verbere anhelum*
Cornipedem in gyros, saxoque exasperat ensem.

Nec Statio 3. Theb. *Exturbent resides frenos.* Cerda.

Ille frementis Ad juga cogit equos.] Frementes describuntur equi in bellum euntes, ut observavit Bochatt. in multis poëtis. Eum vide Histor. animal. l. 2. c. 8. *Emmeness.*

640. *Loricam induitur.*] Dicimus & *induor illa re*, & *illam rem.* Servius.

Trilicem loricam.] A coagmentatione filorum loricæ bilices, trilices, quadrilices dicuntur. Adi Rob. Tit. controvers. l. 2. c. 18. *Emmeness.*

641. *Pandite nunc.*] Relaturus antiquitatis memoriam invocat Musas: ne sive vera sive falsa referat, culpam habeat: & invocando proponit quid sit narraturus. *Donatus.*

Heli-

Qui bello exciti reges, quæ quemque secutæ
Conplerint campos acies; quibus Itala jam tum
Flo-

Helicona deæ.] Parnassus mons Thessaliæ dividitur in Citheronem Liberi, & Heliconem Apollinis, cujus sunt Musæ. Est autem Homeri versus,

Ἔσπετε νῦν μοὶ μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα,
Ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν,
Οἵτινες ἡγεμόνες Δαναῶν καὶ κοίρανοι ἦσαν. *Servius.*

Helicona.] Quis non jam de hoc monte? Obvia ubique notitia, & undecunque peti potest. Tantum eligo illud Pausaniæ in Bœotic. ὁ δὲ Ἑλικὼν ὀρῶν τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι ἐν τοῖς μάλιστά ἐστιν εὔγεως, καὶ δένδρων ἀνάπλεως: *Helicon montium, qui in Græcia sunt, præstat soli bonitate, & arborum crebritate.* Hæc fortasse causa, cur is Musis sacer. Nam quo illæ ventitarent, nisi ad loca herbida, amœna, καὶ λωτεῦντα, ut Homerus loquitur duodecima Iliade? *Cerda.*

Movete.] Legitur & *monete.* Servius.

Cantusque movete.] Ita supra, *Majus opus moveo.* Et Manil. lib. 1. *Heliconа movere cantibus.* Quod Horat. 2. epist. *verba lyra motura sonum.* Et 3. Car. *moventes animo.* Aliqui legunt, *cantusque monete*, fortasse, quia supra *Tu vatem, tu Diva mone.* Præfero vulgatum *movete.* Sed unde sumpta locutio? Solebant insolentes Poëtæ gloriari, se fontes Musarum hausisse, ut ita suo carmini gloriam, quærerent. De istis Ausonius in Mosella,

— totamque solent haurire Aganippen.

Et de Pollio Statius 2. Silvar.

Altius immensa turbavit Pollius urna.

Qui modesti erant, tantum dicebant, se libasse fontium aquas. Ideo poëma suum idem Ausonius vocat *tenue libamen Musæ.* Pari modestia Persius,

Nec fonte labra prolui Caballino.

Non negat libamina, sed proluviem hanc negat. Ergo Poëta: O deæ pandite Helicona, ubi Musarum fontes, movete cantus tantum leviter ad undam motam: nolo fontem turbetis, nolo imos gurgites; satis mihi summa aqua ad levem motum comitata. Dixi hæc navigans ad auram Casauboni: nam ille nihil de Virgilio. *Cerda.*

642. *Exciti.*] Alias, *acciti.* Sed primum præfero, vel ex imitante Papinio lib. 4. Theb. qui in simili belli apparatu:

Quis numerum ferri, gentesque, & robora dicto
Æquarit mortale sonans? suus excit in arma
Antiquam Tyrintha Deus. —

Et in 7. *Exciverat omnem Aoniam.* Sed & Poëta supra, *Ardet inexcita Ausonia.* Silius quoque ex eadem imitatione, *excierint populos.* Versus jam attuli. Scio Sallustium in Jugurth. dicere, *paucos fama cognitos accire, & ambiendo cogere homines emeritis stipendiis secum proficisci.* Idem

Quæ quemque secutæ Conplerint.] In antiquis plerisque codicibus, *quemque* per *m* & *complerunt.* Sed quia *floruerit* sequitur, placet *complerint.* Taceo *compulerint*: quod alibi legitur inemendate. *Pierius.*

643. *Campos.*] Præclare: campus enim de militari sæpissime. Propert. Eleg. 11. lib. 4. *forti melius concurrere campo.* Et Eleg. 3. lib. 3.

Aut quibus in campis Mariano prælia signo.

Horat. lib. 2. Od. *Exiguis equitare campis.* De Mezentio Noster, *turbidus ingreditur campo.* Sed tenue hoc. *Cerda.*

Quibus Itala jam tum Floruerit.] In antiquis omnibus exemplaribus, legere est, *quibus Itala jam tum Floruerit*: pro *tantum* quod mirifice placet, ut non modo *nunc* dicat Italiam viris florere: verum ab eo *jam* tempore florescere cœpisse. *Pierius.*

644. *Qui-*

Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
Et meministis enim, divæ, & memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemtor divûm Mezentius, agminaque armat.

Fi-

644. *Quibus arserit armis.*] Aut splenduerit: aut amore flagraverit. *Servius.*

645. *Et meministis enim, divæ.*] Celebrat hoc merito Scaliger, & ego alibi exorno. Mater enim Musarum fuit Mnemosyne, id est, Memoria. Habet vero nomen novem literas pro numero filiarum. Est locus apud Maximum Tyrium dissert. 28. ad hanc rem pertinens. Omitto Græca: *Præclarus nihilominus animus, & qui corporis sui hospitem bonum nactus est Deum, etiam hic à tumultu se vendicat, relictoque quantum in se est, corporis consortio, quæ vel vidit ibi, vel audivit, memoria ruminat. Nec aliud est, cur Mnemosynem Musarum matrem esse tradant Poëtarum fabulæ. Nihil enim aliud Musæ sunt illis, quam scientia, chorus videlicet divinus, opusque Jovis, quas producit ordinatque Mnemosyne, Colamus Musas, colamus Mnemosynem.* Ex eadem observatione verbum hoc Musis dedit Tibul. lib. 4.

Non te deficient nostræ memorare Camœnæ. Cerda.

646. *Ad nos vix, &c.*] Scal. l. 4 c. 1. Poët. Idem l. 5. c. 3. de toto hoc loco ita annotat: Illa quoque in 2. Il. Hom.

Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, &c.

tametsi sunt magnifica: tamen horum magnitudinem non attingunt. Nec *ferream* illam *vocem*, quod Hom. fecit, hic optare sibi voluit; sed in rem potius atrocem transtulit in Sexto, de tartareis suppliciis: *Non mihi si lingua*, &c. Cætera vero quanto magnificentius? Nam illud quantum, *bello exciti reges*. Majus & illud,

—— quæ quemque sequutæ
Complerint campos acies.

Et quam jucundum?

Et meministis, &c.

Illud vero trepidum atque humile, *ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν*; quibus adspersit floribus?

Ad nos vix, &c.

ubi tum singula seorsum, tum simul verba omnia sunt consideranda. Id quod toto in Catalogo tibi faciendum est: atque utroque quidem. Quibus in locis tanto excedit Homeri tumultuariam illam narrationem, quanto excedit meam orationem omnium hominum cogitatio. *Hæc ille.* Porro hunc locum, qui expressus è Catalogo navium Homerico, defendit contra Macrob. Pontanus etiam in *Antonio*. Taubmannus.

647. *Primus init bellum.*] Non mirum si sacrilegus & contemptor Divûm contra piam gentem prior arma susceperit. Et scienda est poëtæ affectatio. Nam ablepsiam nefas est dicere. Hic enim aliquos commemorat, quos bello non invenis. Item in sequentibus aliquos invenimus, quorum hic nullam fecit commemorationem. *Servius.*

Primus.] *Primus*, quia asper: *primus* quia contemptor eorum Deorum, quibus auctoribus Æneas ad Italiam venit: & conjugium Laviniæ factum est. *Don.*

Tyrrhenis asper ab oris.] Oriundo Tuscus, non qui nunc de Tuscia venit, quem antea pulsum à civibus constat. *Servius.*

648. *Contemtor divûm Mezentius.*] In antiquis cod. *divom*. Cur vero Divum contemptor habitus sit, caussam ponit Macrobius. Eum quippe Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas diis primitias offerebant. Quod vero *divom* per *u* & *o* in antiquis codicibus habetur, non ignoro esse literatissimos viros, qui scriptionis hujusmodi rationem haud quaquam admittere voluerint,

Filius huic juxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus equûm domitor, debellatorque ferarum,

Du-

rint, quod *divum* ajunt per syncopam, ex dictione *divorum*, *o* & *r* mediis literis expunctis, factum. Sed hoc nihil prohibet, quin veteres illi suo jure facerent, qui terminationem eam, quæ per *uu* geminatum esset, in omnibus formis abhorrebant: quare tam accusativo quam genitivo casu *divom* scriptitabant. ita *evom*, *salvom*, *rivom*: & distinctis syllabis, *suom mareitum*, & sexcenta hujusmodi: quorum exempla ex inscriptionibus passim toto opere disposuimus. Et nos ita sæpe scribendum curavimus, quia sæpissime ita scriptum in antiquis Virgilii cod. offenderamus. & Fab. Quintilianum affirmase videbamus ad tempora usque præceptorum suorum *cervom*, & *servom*, & similia *o* & *o* literis scripta, ea adjecta ratione, quod subjecta sibi vocalis in unum sonum coalescere, & confundi nequiret. *Pierius.*

Contemtor divûm.] Marcus Cato l. 1. Orig. (ut est apud Macrob. lib. 3. Sat. cap. 5.) ait Mezentium Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas Diis primitias offerebant. Et inde ait Macrob. contemptorem Divûm dici a Virgilio, quod Divinos honores sibi exegisset, non (ut videbatur Aspro) quod sine respectu Deorum in homines impius fuisset. Adjicit Macrobius ex eodem Catone verba, quibus Latini metu Mezentii vovebant, hæc scilicet: *Juppiter, si tibi magis cordi est, nos ea tibi dare potius, quam Mezentio, uti nos victores facias.* Statius de Capaneo lib. 3. Theb. *superûm contemptor.* Ajacem inducit Sophocles contemnentem Deorum opem & respuentem auxilium Minervæ. Multis hæc Tragicus. *Cerda.*

Agminaque armat.] Aut eorum, qui eum secuti fuerant: sicut ejus filium. Nec enim credibile est solum fugisse. Nam & Statius dicit, *Vel quos movet exul & hæsit Tristibus aucta fides.* Aut certe eorum quos Turnus dederat. Ut Adrastus Polynici in Statio, qui ait, *Ne parva movens inglorius arma Iret.* Servius.

649. *Filius huic juxta Lausus.*] Codices aliquot antiqui, legunt *filius huic fuerat Lausus.* Aliquot alii, *filius hinc Lausus juxta.* Alii, *huc juxta.* quæ quamvis ita multipliciter legantur, non tamen à vulgata lectione, quæ est *filius huic juxta Lausus* discedendum est. *Pier.*

Pulchrior.] Qui adspirationem in medio ponunt à πολύχειρ deducunt, id est, *fortis*, ut Servius exposuit ℣. 656. Vide luculentius disputantem Dausquium in Orthograph. & quæ dicta l. 2. Georg. ℣. 534. *Emmeness.*

650. *Corpore Turni.*] Imitatione Homeri in catalogo navium: νιρεὺς, ὃς κάλλιϛ ἀνὴρ, &c. Corpus Turni pro Turno, sic & passim βίην ἡρακληείην, κλεινὴν πολυνείκους βίαν, apud Euripides in Phœn. & πριάμοιο δέμας· & apud eundem in Iphig. μήτηρ δ' ὁμαρτεῖ τῆς κλυταιμνήστρης δέμας· sic & OEdipus de Creonte affectati regni suspecto: δρῶντα γάρ νιν ὦ γύναι κακῶς εἴληφα τοὐμὸν σῶμα σὺν τέχνῃ κακῇ· & ibidem. τέθνηκε θεῖον ἰοκάϛης κάρα· & in Colo. σῶμα ἀνικήτου θηρὸς, Pro Cerbero: &, θησέως κάρα. Sic & Horatius phrasi Græca *virtutem Catonis* dixit, pro ipso Catone: & Propert. *scelus Polymnestoris*, pro Polymnestore, lib. 3. *Te scelus accepto Thracis Polymnestoris auro, Nutrit in hospitio non Polydore pio.* Germanus.

651. *Lausus equûm.*] Laudat Lausum à fortitudine, quæ in pulchro corpore rara solet esse. *Donatus.*

Equûm domitor.] Ἱππόδαμος, πλήξιππος, ἱπποχάρμης, ἱπποπόλος, & ἵππων κέντωρ poëtis passim. *Germanicus.*

652. *Agyl-*

Ducit Agyllina nequicquam ex urbe secutos
Mille viros; dignus, patriis qui lætior esset
Imperiis, & cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palma per gramina currum
Victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus: clipeoque insigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus Hydram:
Col-

652. *Agyllina ex urbe.*] De Cerete oppido. *Servius.*

Agyllina.] Nomen oppidi *Agylla*: & sic reponendum in Solino cap.8. non *Agylla*; monuit Delrius ex m. s. In secunda vocali nihil certi video; nam modo *Argylla*, modo *Agilla*. Conditam hanc urbem à Pelasgis scribit Solin. dicto loco; & fuisse olim Lydorum sedem alii adnotarunt. Sed fuit hoc nomen vetustum urbis, nam postea Cære dicta est, & incolæ Cæretani. *Cerda.*

Urbe Agyllina.] Hetruriæ oppidum, quod alio nomine *Cære*, de quo Cluver. ant. Ital. l.2. p.408. & seqq. *Emm.*

Nequicquam.] Quia in prælio periit, nec patrium recepit imperium. *Servius.*

653. *Patriis qui lætior esset Imperiis.*] Dignus qui haberet imperatorem potius, quam exulem patrem. *Idem.*

656. *Pulchro.*] Forti: ut diximus supra. *Idem.*

Hercule pulchro.] Sunt codices, in quibus *Hercule forti* legatur. Observatum vero est alibi Herculi nomen à fortitudine inditum: Nam Alcides ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, hoc est, à robore atque viribus appellatus est. Puto vero ego *forti* loco hoc Servianam esse paraphrasim, qui *Pulchrum* pro *forti* poni dicit. Multum præterea venustatis & decoris est in ea agnominatione: *Satus Hercule Pulchro Pulcher Aventinus.* ut id denique fit, quod Horatius ait, *fortes creantur fortibus.* Est & *ostendit Equos* in aliquot antiquis. Sed longe melius *ostentat.* Pier.

657. *Pulcher Aventinus.*] *Aventinus* mons urbis Romæ est: quem constat ab avibus esse nominatum: quæ de Tyberi ascendentes illic sedebant, ut in octavo legimus, *Dirarum nidis domus opportuna volucrum.* Quidam etiam rex Aboriginum Aventinus nomine, illic & occisus & sepultus est: sicut etiam Albanorum rex Aventinus: cui successit Procas. Varro tamen dicit in gente populi Romani, *Sabinos à Romulo susceptos istum accepisse montem, quem ab Avente fluvio provinciæ suæ appellaverunt Aventinum.* Constat tamen has varias opiniones postea secutas. Nam à principio *Aventinus* dictus est ab Avibus: vel à rege Aboriginum. Unde hunc Herculis filium constat nomen à monte accepisse, non ei præstitisse. *Servius.*

Aventinus.] Lege Macrob. cap. 16. lib. 5. ubi quæpiam de imitatione Virgilii in admiscendis fabulosis narrationibus ad vestigia Homerica. *Cerda.*

Insigne paternum.] Absolute dixit. *Servius.*

Clipeoque insigne paternum.] Virgilianis auspiciis Valer. lib. 6. Arg. inducit Coraxen gestantem in clypeo patris Jovis insigne; nam cum præcesserit, *Scythicis quem Juppiter oris progenuit*, subjungit:

Cuncta phalanx insigne Jovis, cælataque gestat
Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes.

Cerda.

658. *Centum angues.*] Secundum Simonidem, ut diximus supra: nam alii dicunt IX. fuisse. *Servius.*

Centum angues.] Gloriæ causa hydram gestabat: sed ludibrium matris ex hoc apparebat. *Donatus.*

Centum angues, &c.] Locum Euripid.

Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit oras,

Mix-

pid. in Phoeniss. unde hic sumptus, viderunt jam alii. Ait ille:

Ταῖς δ' ἑβδόμαις Ἄδραστος ἐν πύλαισιν ἦν
Ἑκατὸν ἐχίδναις ἀσπίδ' ἐκπληρῶν γραφῇ
Ὕδρας. ——

Adrastus vero erat in septima porta
Implens scutum pictura centum viperarum
Hydræ. ——

Usitatum hoc Barbaris ad ferocitatem ostentandam, & terrorem ingenerandum. Sic ab Homero in thorace Agamemnonis dicuntur esse 11. Iliad. *κυάνεοι δράκοντες τρεῖς*: *tres dracones cærulei*; & postea de scuto ejusdem, *κυάνεος ἐλέλικτο δράκων*: *cæruleus circumvolutus erat draco.* Cui draconi dantur *κεφαλαὶ τρεῖς*, *tria capita.* Plutarchus de Pythiæ oraculo dat scuto Aliarti *ἐπίσημον ὄφιν*. Audi quæ Statius de clypeo Capanei:

Quatuor indomitis Capaneus erepta juvencis
Terga superq; rigens injectu molis ahenæ
Versat onus: squallet triplici ramosa corona
Hydra recens obitu. Pars anguibus aspera vivis
Argento cælata micat, pars arte reperta
Conditur, & fulvo moriens ignescit in auro.

De scuto Hippomedontis formato ad horrorem, idem Statius lib. 4. Theb.

— humeros, & pectora late
Flammeus orbis habet, perfectaque vivit in auro
Nox Danai: sontes Furiarum lampade nigra
Quinquaginta ardent thalami: pater ipse cruentis
In foribus laudatque nefas, atque inspicit enses.

Valer. Flac. lib. 6. de scuto Coraxis:

Insuper auratos collegerat ipse dracones,
Matris Horæ specimen linguisque adversus uterque
Congruit, & tereti serpens dat vulnera gemmæ.

Silius lib. 2. de Terone:

Centum angues idem cœlatum insigne gerebat
In clypeo, & sectis geminam serpentibus hydram. Cerda.

Centum angues, &c.] Fabulam Lernææ serpentis habes apud Palæphatum fab. 39. & Ovid. l. 9. Metam. ℣. 68. ubi Nobiliss. Heinsius hunc Maronis locum restituit & plura notanda de hujus anguis capitibus notavit. *Emmeness.*

659. *Collis Aventini silva.*] In silva collis Aventini. Et dicendo *Aventini*, ostendit antea id esse nominatum. *Servius.*

Collis Aventini silva.] In codicibus aliquot antiquis, *in silva* legitur. Magis vero Virgilianum videtur absque præpositione dictum. *Pierius.*

Rhea sacerdos.] Alludit ad nomen matris Romuli, quæ dicta est Ilia, Rhea, Silvia. *Servius.*

Rhea.] Corripit Naso 4. Fast. *Sæpe Rhea questa est.* Maro Græcos sequitur, qui brevem syllabam faciunt longam addito jota. *Cerda.*

660. *Furtivum.*] Illicite conceptum: quippe à sacerdote. Sic ait alibi, *Et dulcia furta.* Servius.

Furtivum partu sub luminis edidit oras.] Antiqui plerique codices, legunt *fortivo partu*: & *oras*, non *auras*, quanquam exemplaria itidem vetera non desunt, in quibus *ad sublimis edidit auras* legere est. Sed enim *sub luminis edidit oras* magis omnino placet, ut Lucretianum illud sapiat, *Dias in luminis oras.* Nam qui *auras* scripsere, forte secuti sunt eorum superstitionem, qui *Olam*, *Aulam*, *Plostra*, *Plaustra*, & alia eodem modo scribere malebant. Atque ut de mutatione hujusmodi aliquid ulterius referamus, scimus *Oratam* ex

Verrio

Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor,
Geryone exstincto, Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Hiberas.

Pila

Verrio Flacco, teste Festo, *piscis genus à colore auri appellari, quod veteres o pro au ponebant.* Hinc Sergium, quod annulis aureis & gradibus uteretur, *Oratam* appellatum. *Pierius.*

Furtivum.] Soph. in Elect. τὰς τοῖς εὐνὰς ὑποκλεπτομένας: *suffurantes concubitus.* In re simili Homer. λάθρη: & Pindar. κλέπτοισα. Virg. 4. Georg. *Dulcia furta.* Quem locum adi. Spectant hæc ad tenebrasquas amant, qui amant. Interpres Theocriti. δεῖ δὲ τοῖς κλεπτομένοις ἔρωσι σιγῆς καὶ νυκτός: *Furtivi amores indigent silentio & nocte.* Advocatque Menandrum, qui ὦ νύξ, σοὶ γὰρ δεῖ πλεῖστον ἀφροδίτης. *Cerda.*

661. *Mixta.*] Μιγεῖσα Græce dixit. *Servius.*

Mulier.] Compendiose mortalem dixit. Consequens namque fuerat, ut diceret *Mista deo mortalis.* Idem.

Mixta deo mul.] Id est, Herculi Rhea. ita Hom. in Catal. θεὰ βροτῷ εὐνηθεῖσα. idem alibi: θεῷ φιλότητι μιγεῖσα χρυσοπεδίλῳ. ita μίγνυσθαι aliis etiam *coire* est. De congressu autem mortalium cum substantiis divinis disputat Plutarch. in *Numâ.* Taubm.

Laurentia arva.] Laurentum civitas plurimum potuit. Nam omnia vicina loca, ejus imperio subjacuerunt. Unde nunc ait *arva Laurentia*: cum juxta Tyberim armenta Hercules paverit Secundum antiquum situm ante Albam & Romam, Tyberis Laurentini territorii fuit. *Servius.*

662. *Geryone.*] Geryones rex fuit Hispaniæ: qui ideo trimembris fingitur, quia tribus insulis præfuit, quæ adjacent Hispaniæ, Balearicæ minori, & majori, & Ebusæ. Fingitur etiam bicipitem canem habuisse: quia & terrestri & navali certamine plurimum potuit. Hunc Hercules vicit. qui ideo fingitur ad eum olla ærea transvectus, qnod habuit navem fortem, & ære munitam. Hunc Geryonem alii Tartessiorum regem dicunt fuisse, & habuisse armenta pulcherrima, quæ Hercules occiso eo abduxit, de cujus sanguine dicitur arbor nata, quæ Vergiliarum tempore poma in modum cerasi sine ossibus ferat. Sane sciendum declinari *hic Geryones, hujus Geryonæ.* Unde est, *Tergemini nece Geryonæ*: ut *Anchises Anchisæ.* Unde usurpavit Salustius, *Geryonis* dicens. Veniens autem Hercules, in quadam Campaniæ civitate pompam triumphi sui exhibuit:: unde *Pompei* dicitur civitas. Postea juxta Bajas, caulas bubus fecit, & eas sepsit: qui locus *Boaulia* dictus. Nam hodie *Baulæ* vocantur. *Servius.*

Geryone.] Scripsit jam Passerat. hic legendum, *Geryona*, ut & 8. *Tergemini nece Geryonæ*, non Geryonis. Fortasse, quia Lucretius lib. 5. *Quidve tripectora tergemini vis Geryonaï.* Et Plin. lib. 4. cap. 22. *In hac Geryones habitasse à quibusdam existimatur.* Et in Epig. libr. 4. Anthol. γηρυόνην. & alibi, γηρυόνη, qui casus ab γηρυόνης. Itaque vult ille inflectendum nomen per primam Græcorum. Sed recte tamen Germanus admonet lib. 8. Æneid. reperiri in Græcis γηρυονεὺς, γηρυόνης, γηρυών. Cerda.

Tirynthius.] A Tirynthia civitate Argis vicina, in qua nutritus est Hercules. *Servius.*

663. *Tyrrhenoque boves in flumine lavit Hiberas.*] Admiratio, locorum longinquitate. *Idem.*

Boves Hiberas.] In codicibus aliquot antiquis, *Iberos* virili genere legitur. Sed in usu frequentiori est per fœmininum dicere: ut, *Reddidit una boum vocem*: & *Abstractæque boves*, cum & tauros etiam abstraxisset. *Pierius.*

Tyrrhenoque b.] Admiratio, locorum longinquitate. Justinus l. 44. sub finem: *Armenta Geryonis* (Hispani) *quæ illis temporibus solæ opes habebantur, tantæ fama*

Pila manu, sævosque gerunt in bella dolones:
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.

Ipse

ma fuère, ut Herculem ex Asia prædæ magnitudine illexerint. Taubm.

664. *Pila manu.*] *Pilum* proprie est hasta Romana: ut *gesa* Gallorum, *sarissæ* Macedonum. *Servius.*

Pila.] *Pilum* proprie hasta Romanorum, *Spiculum* quoque dictum: ut *Gæsum* Gallorum, *Sarissa* Germanorum. Vide Veget. lib. 1. cap. 20. & ad eund. God. Stewech. in primis Alexandr. l. 6. c. 22. *Taubm.*

Pila.] *Pilum* Romanorum telum esse, notius pæne est, quam ut probare necesse sit. vide 14. dissertationem de telis legionum, quam, præter alias emaculatissimas curas, orbi literato reliquit Vir & genere & eruditione & omni virtutum genere admirabilis R. H. Schelitis. Pili luculentiorem descriptionem memini me tradere l. 1. G. vs. 495. *Emm.*

Dolones.] *Dolo* est flagellum, intra cujus virgam latet pugio. Aut secundum Varronem, *Ingens contus cum ferro brevissimo. Dolones* autem à fallendo dicti sunt, quod decipiant ferro, cum speciem præferant ligni. Et multi volunt per teretes mucrones, *dolones* dici: per veru Sabellum, *pila* significari. *Servius.*

In bella dolones.] Grammatici à *dolo* deducunt *dolones:* quod pugio in corpore teli conditus lateat. Suet. in Claudio, *cum dolone ac venatorio cultro præstolantes.* Et Jurisconsultus l. si ex plagis ad l. Aquil. *Flagello*, inquit, *quod in manu habebat, in quo dolon inerat, vulnerare tabernarium cœperat.* Pollux minimum in navi velum δόλωνα vocat, ut majus ἀκάτιον, maximum ἐπίδρομον. *Germ.*

665. *Et tereti pugnant, &c.*] Explicui integrum versum de uno tantum instrumento. Itaque, non dicit gestari teretem mucronem, & veru: sed veru, cui teres mucro, idque per hendyadem: binæ enim orationes rem unam efficiunt, ut, *pateris libamus & auro*, id est, aureis pateris. Et in hoc ipso tractu legis,

Centum angues, cinctamque gerit serpentibus Hydram.

Ubi sententia est, Hydram esse incinctam centum serpentibus anguineis; ut etiam Persius Sat. 2.

An quia non fibris ovium, Ergennaque jubente?

Id est, jubente Ergenna aruspice consultis fibris ovium. Etenim si teres mucro diversus esset à veru, oporteret indicare, quodnam genus teli: in nemine autem tale quidpiam reperi. Quæ locutio familiaris est Græcis, qui unam tantum orationem duplici sæpe verbo efficiunt, ut cum ait Demosth. orat. 1. in Aphobum: τὴν μὲν τοίνυν προῖκα τοῦτον τὸν τρόπον εἶχε λαβών: *Dotem igitur ad hunc modum acceptam tenuit.* ubi satis, aut εἶχε, aut ἔλαβε. Deinde facit pro explicatione mea Polybii locus hic lib. 6. *Veruta partim crassiora sunt, partim tenuiora, ex firmioribus, quæ teretia sunt, trientalem habent diametrum, quæ quadrata, trientale latus: tenuiora hastilibus modicis assimilantur.* Vides, ut duo genera verutorum constituat, & primum crassius, firmius, teres: ut jam de hoc primo loqui Poëtam existimemus. Ideo Silius lib. 3. *tereti pugnax instare veruto.* Sic enim lego in Silio ad imitationem Virgilii, non, *tenui*, ut in vulgatis. Etenim *veru*, & *verutum* idem, tantum diversa forma, quod jam Lipsius monuit. Sed quare hæc veruta dicuntur Sabella? quia illis usi Sabelli, aut Samnites, qui iidem cum Sabellis. Imo Samnites ipsi dicti ab hoc telo. Festus: *Samnites ab hastis appellati sunt, quas Græci σαύνια appellant, has enim ferre assueti erant.* Indè sunt, qui dicant non debere homines ipsos dici Samnites, sed Saunites. Esse autem *saunion* idem cum veruto jam astruxit idem Lips. nam ubi Livius in classibus armandis *verutum* scribit, Dionysius σαύνιον nominat. Itaque Poëta per *Veru Sabellorum* intelligit saunia Samnitum. Sed placuit La-

Ipse pedes tegumen torquens inmane leonis,
Terribili inpexum sæta cum dentibus albis
Indutus capiti, sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Tum

tinis veruta nominare, *quod veluti veruta habeant præfixa*, ait Festus. Nonnulla ex his, quæ dixit, astruit Plinii locus lib. 3. cap. 12. *Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixere.* Strabo quoque non longe ab exitu: Σαυνίτας, οὓς οἱ Ἕλληνες Σαμνίτας λέγουσι. Cur vero ὑποκοριστικῶς appellati sint Sabelli, ibi Strabo scribit, sed multis, ideo omitto. *Cerda.*

666. *Ipse pedes.*] Ad genus respicit. Nam & Hercules pedes semper incessit, cum equos habuerit nobilissimos. *Serv.*

Tegumen leonis.] Præter hydram etiam leonis pellem, aliud insigne paternum gestabat. *Donatus.*

Tegumen.] Antiqua omnia exemplaria *Tegimen* legunt, vel *Tegumen*, ut etiam in 111. *Consertum tegimen spinis.* Inferius tamen est, *Tegmen habent capiti*, κατὰ συγκοπήν. *Pierius.*

Torquens.] Sustinens. Ut, *Axem humero torquet.* Servius.

Torquens.] Retuli ad cinctionem: vere; nam ipse in 8. Æneid. loquens de Evandro:

Demissa ab læva panthera terga retorquens.

Itaque idem dicit, quod Claudian. 2. in Ruff. *revocat fulvas in pectora pelles.* Nam tortio illa nihil est aliud, quam revocatio ad cinctionem. Eurip. in Herc. furen.

Ξανθὸν κρᾶτ' ἐπινωτίσας
Δεινῷ χάσματι θηρός,
Flavum caput torquens in terga
Terribili rictu feræ.

Stat. lib. 10. *Tigridis exuvias in lævum torquet.* Silius lib. 8. hanc tortionem indicat verbo *obire*, cum ait:

Pectora pellis obit cæsi venatibus ursi.

Hieronym. ad Lætam verbo *volito*; nam de quadam vestis in partem aliam rejectione: *per humeros hyacinthina læna forte volitans.* De cujus loci lectione consule Heral. lib. 7. in Arn. *Cerda.*

667. *Inpexum.*] In codicibus aliquot, *inplexum* legitur, sed *inpexum* magis receptum. *Pierius.*

Terribili inpexum sæta.] Est hoc quod flexu alio dixit Ovid. 2. Fast. *fulvi sætis hirsuta leonis vellera.* Et Noster in 8. Æneid. *pelle leonis.* Ubi villosus leo est cum hirsutie sætarum. Possis etiam per cruditatem efferre; ut infra, *crudus pero.* Apollon. libr. 1. tauri pellem vocat, λάχνῃ μέλαν, *atram lanugine.* Pulchre dixit Quintil. *Judicis tristem, & impexam antiquitatem.* Cerda.

668. *Indutus capiti.*] Circa rem Grammaticam monearis in Virgilio *capiti* non esse dativum, sed vere ablativum: quasi dicat, *indutus capite*; aut, *indutus in capite.* Veteres enim omnes ablativos ita finiebant. Sed de hoc jam late in 6. Eclog. ad illud,

Serta procul capiti tantum delapsa jacebant.

Et aliquid 2. Æneid. ad illud, *Includunt cæco lateri.* Idem.

Indutus capiti.] De terminatione ablativi per *i* multa congessit exempla Sanctius in Min. p. 86. *Emmeness.*

669. *Horridus.*] Tremendus: non revera horribilis. *Servius.*

Herculeoque humeros innexus amictu.] Nam Hercules λεοντῆν gerebat, forma alia λεοντέην. Euripides in Hercule:

Στολῇ τε θηρὸς ἀμφιβάλλεις σὸν κάρα
Λέοντος, ᾗπερ αὐτὸς ἐξωπλίζετο.
Ferique pelle tu leonis induis
Caput, fuit gestamen illud Herculis.

Nota vero *humeros* dici, quasi utrunque etiam humerum leonis pelle indutum habuisset Hercules. Sed contra est Ovid. qui in epist. Deian.

Nempe sub his animam pestis Nemeæ lacertis

Edidit,

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque, acerque Coras, Argiva juventus;
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur.

Ceu

Edidit, unde humerus tegmina lævus habet.

Pro Virgilio est Valer, lib. 8. Arg. qui de Hercule loquens, *aptans humeris, capitique leonem.* Ab hoc amictu dictus Hercules lib. 4. Epig. λεοντόχλαινος: & alibi amictus ipse Νίμειος χλαῖνα, & χλαίνωμα λέοντος. *Cerda.*

670. *Gemini.*] *Geminos* dicit vel simul natos, vel duos, ut alibi: *Gemini à Tenedo.* Donatus.

Gemini fratres.] An quia nati uno partu, & ideo hi duo soli relicto Tiburte venerunt, ut qui majore charitate inter se utpote astricti ejusdem natalitii sorte? An vero *gemini*, id est, duo, in quo sensu frequens quoque hæc vox? ut velis. Ego in primum inclino. Aliam rationem indicat Poëta, cur duo tantum venerint, cum ait, *Tiburtia mœnia linquunt*, quasi aliquo dissidio distracti à fratre, nam *linquunt*, ait: sic 4. Georg. Aristæus cum querimonia, *te matre relinquo honorem, &c.* Ideo etiam *Tiburtia*, quasi dicat, non tam sua, quam fratris, qui contemptis fratribus, à se dedit eponymiam oppido. Sed potes simpliciter capere *linquunt*, sicut Homer. 14. Iliad. ἄστυ λίποντε: *urbem linquentes*, videlicet Juno, & Somnus. *Cerda.*

Tum gemini fratres, &c.] De Græciâ tres fratres venerunt ad Italiam, *Catillus, Coras, & Tiburtus*: ibique civitatem condidere, & fratris majoris nomine *Tybur* appellarunt. Ex iis duo nunc militatum veniunt, fratre domi relicto. Vide Turneb. l. 11. c. 26. & l. 22. c. 3. *Taubmannus.*

Tiburtia mœnia linquunt.] De Græcia tres fratres venerunt ad Italiam: Catillus, Coras, Tybur vel Tyburnus. Hi simul omnes unam fecere civitatem; & eam de fratris majoris nomine *Tybus* appellaverunt: licet & alias fecerint singuli. Nunc ergo dicit duos ad bella venisse, dimisso in civitate ad custodiam Tyburno vel Tyburte. *Servius.*

671. *Tiburti.*] In Romano codice, *Tyburni* legitur, quod non ignoravit Servius. Adverte vero *Tyburtia* per *i* prima syllaba, non per *y* scribi apud Græcos, & ita in plerisque veterum monumentis observavi. Est & ubi legas, *Tiburtia limina.* Sed *Mœnia* omnino agnoscitur ab eruditis: ut ad conditores Fratres fratris adludatur, quorum unus tantum urbi nomen dedit. *Pierius.*

Fratris Tiburti dictam cogn. gent.] Horatius tamen *Tybur* mœnia Catilli vocavit, ut videatur existimasse Tybur à Catillo conditum. Viri docti ex librorum veterum consensu *Tiburni fratris* legunt. *Germanus.*

Tiburti.] Non dubito, quin legendum, ex vetustis codicibus *Tyburni*, non *Tyburti*; etiamsi Turnebus utranque lectionem admittat. Sed certe falsus. Primo, quia in Horatii correctiss. codicib. Od. 7. l. 1. legitur,

Et præceps Anio, & Tyburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis. —

Deinde, quia Statius in Silv. describens Manlii Tyburtinum, ait *illa recubat Tyburnus in umbra.* Tertio, quia Plinius lib. 16. cap. 44. *Tyburno* scribit, sic enim legendum, non *Tyburto*: & Cruquius censet, & Lævinus ita vidisse in codice Plinii manuscripto testatur. *Cerda.*

672. *Catillus.*] Unde mons Catilli, quem *Catelli* dicunt per corruptionem, juxta Tibur. *Servius.*

Catillus.] Per duplex *l* legendum; alterum tamen abjecit Hor. l. 1. od. 18. *Mœnia Catili.* An Tiburis conditor fuerit disputat Torrentius ad supra dictum

Ceu duo nubigenæ cum vertice montis ab alto
Descendunt Centauri; Homolen Othrymque nivalem
Linquentes cursu rapido: dat euntibus ingens
Silva locum, & magno cedunt virgulta fragore.
Nec Prænestinæ fundator defuit urbis,

Vol-

ctum locum. & Cluver. l. 3. Ant. Ital. p. 960. & seqq. *Emmeness.*

(oras.] A cujus nomine est civitas in Italia. *Servius.*

674. *Nubigenæ.*] Νεφεληγενεῖς. *Germ.*

675. *Descendunt Centauri.*] Ex hac comparatione equites eos fuisse intelligimus. Quod tamen dicturus est postea, *Nec non celeresque Latini: Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillæ.* Servius.

Homolen Othrymque nivalem.] Montes Thessaliæ. *Idem.*

Homolen Othrymque nivalem.] Præclare montes Thessaliæ conjungit: nam Thessalia olim sedes Centaurorum, sicut Ossa, Pelius, alii. Inde Homer. 1. Iliad. φηρσὶν ὀρεσκῴοισι, *feris monticolis*, id est Centauris. Et ab Stat. dicuntur 12. Theb. *Ossæi bimembres.* Othryos meminit Ptolemæus lib. 3. τὸ δὲ Ὄθρυος ὄρος, ait ille. Plinius lib. 4. cap. 8. loquens de Thessalia: *Othrys Lapitharum sedes.* Statius 1. Achil. *nubilus Othrys.* Solinus cap. 13. *Pindum, & Othryn agitent, qui Lapitharum originem prosequuntur: Ossam, quos Centaurorum fabulis immorari juvat.* Legendum fortasse in Solino, *stabulis*, cum respectu ad Virgilianum, *Centauri in foribus stabulant.* Redeo. De Omole rarior mentio. Omolium in Magnesia oppidum Plinius constituit lib. 4. cap. 9. Huic voci addi, ut plurimum, aspirationem video. De forma, qua montem vocat *nivalem*, jam 4. Georg. ad illud, *Tanainque nivalem.* Cerda.

676. *Ingens Silva locum, & magno cedunt virgulta fragore.*] Cedit silva, cedunt & virgulta. *Servius.*

677. *Fragore.*] Cum utique à minore ad majus venire debuerit. *Idem.*

Magno cedunt virgulta fragore.] Sophocl. in Antig. ὅσα δένδρων ὑπείκει, κλῶνας ἐκσώζεται. Græci autem κολοσυρτὸν proprie dicunt stipularum strepitum, fascium, vel lignorum, dum trahuntur, excitato pulvere. *Germ.*

678. *Nec Prænestinæ fundator defuit urbis.*] De civitatibus totius orbis multi quidem scripserunt: ad plenum tamen Ptolomæus Græce, Latine Plinius. De Italicis etiam urbibus Iginus plenissime scripsit, & Cato in Originibus. Apud omnes tamen, si diligenter advertas, de auctoribus conditarum urbium dissensio invenitur, adeo ut ne urbis quidem Romæ origo possit diligenter agnosci. Nam Salustius dicit, *Urbem Romam, sicut ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, & cum his Aborigines.* Alii dicunt ab Evandro: secundum quos Virgilius, *Tunc rex Evandrus Romanæ conditor arcis.* Alii à Romulo, ut, *En hujus nate auspiciis illa inclyta Roma.* Si igitur tantæ civitatis certa ratio non apparet, non mirum si in aliarum opinione dubitatur. Unde nec historicos, nec commentatores varia dicentes, imperitiæ condemnare debemus. Nam antiquitas ipsa creavit errorem: & plerique fundant, plerique augent, & ad se transferunt nomina: quam rem etiam non parvum errorem afferre manifestum est. Ut ecce Laurentum à Pico factum est: ut, *Laurentis regia Pici.* Item à Lavinio Latini fratre & *Lavinium* dictum. Item à Latino *Laurentum.* Item à Lavinia *Laurolavinium.* *Præneste* locus est haud longe ab urbe, dictus ἀπὸ τῶν πρίνων, id est, ab ilicibus, quæ illic abundant. Ibi erant Pontifices & dii Indigetes, sicut etiam Romæ. Erant etiam duo fratres, qui divi appellabantur. Horum soror, dum ad focum sederet, desiliens scintilla, ejus uterum percussit: inde

Volcano genitum pecora inter agrestia regem,
Inventumque focis omnis, quem credidit ætas,
Cæculus. hunc legio late comitatur agrestis:
Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, & roscida rivis
Hernica saxa colunt; quos dives Anagnia pascis,
Quos,

inde dicitur concepisse. Postea enixa puerum juxta templum Jovis abjecit: quem virgines aquatum euntes juxta ignem inventum sustulerunt, qui haud longe à fonte erat. Unde Vulcani dictus est filius. *Servius.*

681. *Cæculus.*] Ideo *Cæculus*, quia oculis minoribus fuit: quam rem frequenter efficit fumus. Hic postea collecta multitudine, postquam diu latrocinatus est, Prænestinam civitatem in montibus condidit. Et cum ad ludos vicinos populos invitasset, cœpit eos hortari ut secum habitarent, & pro gloria jactare se filium esse Vulcani. Quod cum illi non crederent, invocato Vulcano ut eum filium comprobaret, omnis illius multitudinis chorus est flamma circundatus. Quo facto commoti omnes simul habitaverunt, & Vulcani filium esse crediderunt. Hinc est, *Omnis quem credidit ætas.* Quasi post dubitationem: & quia sine dubio ætas varia in spectaculis fuit. *Idem.*

682. *Altum Præneste.*] Cato dicit, *Quia is locus montibus præstet, Præneste oppido nomen dedit.* Ergo *altum*, quia in montibus locatum. Dicimus autem & *hoc Præneste: Quique altum Præneste viri.* Et *hæc Prænestis*, unde est, *Cum primam aciem Præneste sub ipsa Stravi.* Idem.

Quique arva Gabinæ Junonis.] Gabii diu in agris morati, tandem Gabios condiderunt. Unde perite *arva* dixit, non *mœnia*. Sane Juno illic religiosissime colitur. Est autem locus haud longe ab Urbe. *Idem.*

Gabinæ Junonis.] Apud Gabios Juno religiosissime colebatur; unde dicta est Gabina, quod Servius notat. Meminit hujus Deæ Silius in 12.

—— *nec amœna retentant*
Algida, nec juxta Junonis tecta Gabinæ.
Ait etiam Lilius lib. 3. reperiri Romæ inscriptionem Junonis Gaviæ, pro Gabinæ, more fortasse Græcorum, quibus, *b*, nostrum sonat, *v.* Cerda.

683. *Gelidumque Anienem.*] *Anio* fluvius haud longe ab Urbe est: sed hic euphoniam secutus est. Nam Ennius *Anionem* dixit juxta regulam. *Servius.*

Anienem.] Fluvius haud longe ab Urbe. Ennius *Anionem* declinavit. Vide Charis. p. 42. *Taubm.*

Anienem.] Celebratissimus est omnium in Tiberim defluentium amnis, de quo Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 711. 712. *Emmeness.*

684. *Hernica saxa colunt.*] Sabinorum lingua, saxa *Hernæ* vocantur. Quidam dux magnus Sabinos de suis locis elicuit, & habitare secum fecit saxosis in montibus. Unde dicta sunt *Hernica loca*, & populi *Hernici*. Servius.

Hernica saxa.] De Hernicis populis Latio veterrimo conterminis & saxis Cluver. l. 3. ant. Ital. c. 6. *Emmeness.*

Dives Anagnia.] Aut fertilis: aut alludit ad historiam. Nam Antonius Augusti sorore contempta, postquam Cleopatram duxit uxorem, monetam ejus nomine in Anagnia civitate jussit feriri. *Servius.*

Dives Anagnia.] Hujus urbis hoc extat elogium in Strab. lib. 5. Α᾿ναγνία πόλις ἀξιόλογος, quasi hæc urbs præstantissima fuerit, & omni commemoratione dignissima. Hanc commemorationem Virgilius aperit vocans divitem, credo ab fertilitate. Aut (putante Servio) sit allusio ad historiam; nam Antonius in hac urbe jussit monetam fieri

Quos, Amaſene pater. non illis omnibus arma,
Nec clipei curruſve ſonant. pars maxima glandes
Liventis plumbi ſpargit: pars ſpicula geſtat
Bina manu, fulvoſque lupi de pelle galeros

Tegmen

cum nomine Cleopatræ, cum hanc duxit contempta Octavia. Sed ego de fertilitate capio ex adjuncto Amaſeni irrigantis agros Anagnienſes, aut (ut vocat Plinius) Anagninos. Juvat Silius lib. 8. qui,

Queis putripinguis ſulcaris Anagnia gleba.

Et lib. 12.

——*frugiferis Cerealis Anagnia glebis.*

Macrobius lib. 5. c. 18. ait, Anagniam fuiſſe nobiliſſimam Hernicorum urbem. Incidit ſuſpicio an legendum in Poëta *paſcis*, ut fiat ſimilis apoſtrophe ad urbem, & fluvium. *Cerda.*

Paſcis.] In nonnullis codicibus, *paſcis* habetur per apoſtrophen, ut conveniat cum ſequenti membro, *Quos Amaſene pater.* alii agnoſcunt *paſcit.* Pier.

685. *Quos, Amaſene pater.*] Aut paſcis: ut ſit Antiptoſis. Nam *Amaſenus* eſt fluvius, qui Anagnienſes agros irrigat. *Servius.*

Quos, Amaſene pater.] De oppido Anagnia Cluverius conſulendus l. 3. p. 981. & de Amaſeno amne eodem p. 1008. *Emmeneſſ.*

Arma.] Scuta. *Servius.*

686. *Nec clipei.*] Scuta majora: dicta ab eo quod celent corpus, ἀπὸ τῦ κλέπτειν. *Idem.*

Nec clipei curruſve ſonant.] In antiquis aliquot codicibus, per *que* copulativam, non per *ve* disjunctivam particulam legitur: *nec clupei curruſque.* Sed *Curruſve* receptum magis. *Pierius.*

687. *Liventis plumbi.*] Plumbeis maſſulis pugnabant. *Donatus.*

Glandes Liventis plumbi.] Sphærulæ bombardicæ ſunt. Ovid. lib. 7. *Contorto verbere glandes.* Olim, ante uſum bombardarum, apparet miſſas fuiſſe fundis. *Hartung.*

Glandes Liventis plumbi ſpargit.] Indicat funditores, etiamſi abſtineat à nomine fundarum. Clare Propertius explicat Eleg. 3. lib. 4.

Plumbea cum tortæ ſparguntur pondera fundæ.

& dubioprocul ad Virgilium alluſit. Lucretius etiam lib. 6. dixit,

——— *plumbea vero*
Glans etiam longo curſu volvenda liqueſcit.

Etenim telum, quod è funda rotabatur, erat glans plumbea. Seneca lib. 2. Nat. Quæſt. c. 56. *Liqueſcit excuſſa glans funda.* Ovid. 2. Metamorph. *Balearica plumbum funda jacit.* Neque tamen ſemper plumbum, ſed interdum lapides. Diodorus de funditoribus Balearibus: *βάλλυσι λίθυς πολὺ μείζυς τῶν ἄλλων: jaciunt lapides multo majores, quam alii.* Imo Iſidor. definiens ita ait: *Funda, quod ex ea fundantur lapides.* Lege in lib. 9. Æneid. ad illud,

Et media adverſi liquefacto tempora plumbo
Diffidit. ———

Dictum *liventis* ex naturali colore hujus metalli, quod lividum. Quod vero Virg. per verbum *ſpargit*, Statius per *pluo*, lib. 8. Theb.

——— *ſtridentia fundæ*
Saxa pluunt. ———

Cerda.

Liventis plumbi.] De quo Lipſius in Poliorcet. l. 4. Dial. 2. & 3. & l. 5. De Militia Rom. Dial. 19. *Taubm.*

688. *Fulvoſque lupi de pelle galeros.*] *Galerus* genus eſt pilei, quod Fronto genere neutro dicit, *hoc galerum.* Serv.

Fulvoſque lupi de pelle galeros.] Galerus genus eſt armaturæ, loco galeæ, ut vult Varro. Putat Junius reſpondere illi, quem Dionyſ. vocat *πῖλον κωνοειδῆ*, quia turbinata figura. Lazius l. 8. c. 14. nominat *pileos hiemales.* Puto itaque duplex

eſſe

Tegmen habent capiti: vestigia nuda sinistri
Instituêre pedis; crudus tegit altera pero.

At

esse discrimen inter galeam, & galerum. Primum, galerus acuminatior, & turbinatior galea. Alterum, galerus erat è pellibus ferarum, cum galea, ut plurimum ex ære. Itaque, quod Herodotus ait lib. 7. Thraces gestasse cassides è pelle vulpina. Quod Strabo lib. 11. Albanos, & Hiberos pugnare galeis ferinis; & quoscunque mihi offeras, qui multi; hos (inquam) omnes possum referre ad galeros. Notat tamen acute Lipsius l. 3. de Milit. Rom. velitem Romanum sæpe è lupo Romana fera, & Romuli nutrice galeas sibi adaptasse, & eo respectum hic à Marone, ut etiam à Propert. Eleg. 11. lib. 4.

Et galea hirsuta compta lupina juba.

atque à Polybio scribente, ubi ait de castrametatione, in hunc modum: *Adornatur præterea viles & simplici casside, cui lupi pellem imponunt.* Itaque non minus auctores isti alludunt ad feram Romani Imperii, quam Virg. lib. 1. Æneid. ubi de Romulo ait, *lupæ fulvo nutricis tegmine lætus.* Sed redeo ad galeros, quos dici etiam cudones, jam alii adnotarunt, ex illo Silii, *caput his cudone ferino stat cautum.* iterum; *cudone comantes disjecit crines.* Cudonem enim recte nominaris pileum coriaceum, sive pellitum. His omnibus directe opponuntur λυκόποδες. Sunt hi, qui habebant amictos pedes lupinis pellibus. Horum meminit Aristophan. in Lysist. ubi vide interpretem. *Cerda.*

Galeros.] De Galero, pileo facto ex pelle, Solerius p. 249. *Emmeness.*

689. *Tegmen habent capiti.*] In plerisque codicibus antiquis, *habent* numero multitudinis notatum est, & quod superius adnotavimus *tegimen*, ut *Regimen.* Eadem proportione hoc quoque loco scriptum inveni *tegimen* per Proceleusmaticum. Sed magis placet eruditis *tegmen* per syncopam. Sicubi enim Proceleusmaticus pes apud Virgilium invenitur, ex iis ille dictionibus constat, quæ vocalium hiatum habeant, vel ut ex figura aliqua syllabæ duæ in unam coire possint, vel ex duabus vocalibus altera consonans fieri, ut in vocabulis, *Parietibus*, & *Ariete*, *i* potest in consonantem solidescere, & in *genua labant*, *u*, ut nonnulli putant, pari modo pro consonante censeri. *Pierius.*

Vestigia nuda sinistri Instituêre pedis.] Atqui ipse est in pugnantibus primus: sed bene nudus est, quia tegitur scuto. Dextrum autem tectum conveniebat esse, quasi ab armis remotum. *Servius.*

690. *Instituêre.*] Aperte ex Lucret. lib. 4.

Qui capite ipse suo instituit vestigia retro.

Bene autem advertit Gifan. dici hoc ex disciplina gladiatorum, atque esse pugilum προβολῶ· sicuti *ponere vestigia.* Cicero enim in 3. in Anton. *Ille autem ex Myrmillone dux, ex gladiatore Imperator, quas fecit strages, ubicunque posuit vestigia?* Inde de equo militari Virgilius, cum primum incipit ingredi gradibus compositis, *vix summa vestigia ponat arena.* Et aperte de re militari Lucretius lib. 3.

Te sequor, ô Grajæ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono pressis vestigia signis.

Ergo Virgilius in re quoque belli *instituere vestigia*, signans certam militum disciplinam, & institutionem in figendis pedibus, in regendis vestigiis. Debes hæc Gifanio: & mihi Philostratum, qui in Heroicis loquens de cursu, militari exercitatione, ait, ἴχνη μεγάλα ἐντετύπωται τοῖς δρόμοις: *magna curriculis impressa vestigia sunt.* Cerda.

Pero.] Rusticum calceamenti fuerat genus. *Servius.*

Crudus teg. alt. pero.] *Crudum peronem* videtur dixisse, ut Apollon. ὠμὰς ἱμάντας πυγμῆς, μύρμηκας· tum etiam *crudum*, quod sit calceus rusticus è crudo corio: πηλοβατὶς, ἀρβύλη, φαικάσιον, καρβατίνη. Græci autem πέζιπεον

At Messapus equûm domitor Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,
Jam pridem resides populos desuetaque bello
Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat.

Hi

militem altero pede nudum, altero armatum vocant: quam vocem Pollux Macedonicam esse vult; unde & socios Philippi πεζετέρους. Alii πεζαίτερον malunt. *Germanus.*

Crudus pero.] Id est, dextrum pedem vestibat calceus rusticus è crudo corio. Rævardus tamen l. 5. c. 8. Var. per *perones* intelligit non rusticos, cum Servio; sed cum Tertulliano *puros calceos*, quibus per nives, glacies imbresque usi sint: immo & *perones* magistratuum gemmis insignitos legi annotat. *Taubmannus.*

Pero.] De hoc rusticorum calceamento vide Balduinum de calceo c. 17. *Emm.*

691. *At Messapus equûm domitor.*] Hic per mare ad Italiam venit. Unde Neptuni dictus est filius: quem invulnerabilem ideo dicit, quia nusquam periit nec in bello. Ignem autem ei nocere non posse propter Neptunum dicit, quia aquarum deus est. Ab hoc Ennius dicit se originem ducere: unde nunc & cantantes inducit ejus socios: & eos comparat cycnis. *Domitor* autem *equorum*, quasi animalium quæ pater invenerat. *Servius.*

Messapus.] *Mesapus* varie scribitur in codicibus antiquis, aliis *ss*, aliis *pp* geminantibus: id quia nondum à veteribus Grammaticis observatum, neque in marmoribus usquam à me lectum est, in medio relinquam. *Pierius.*

At Messapus.] De hoc *Messapo*, qui Græcis *Anthedonius*, vide Turneb. l. 22. c. 3. Ideo autem *Neptuni filius* dicitur; quia per mare in Italiam venit. *Equorum domitor*; quia equum Neptunus invenit. *Ignis ei nocere non potest*: quia parens est aquarum Deus. *invulnerabilis*; quia nusquam periit in bello. Ab hoc *Ennius* originem vult ducere, ut Sillius l. 14. meminit:

Ennius antiqui Mesapi ab origine regis:
unde & *cantantes* inducit ejus socios, eosque *cygnis* comparat. *Taubm.*

692. *Sternere.*] In antiquis aliquot exemplaribus, *nec sistere* legitur. Sed *sternere* malunt omnes. *Pierius.*

693. *Jam pridem, &c.*] Habet cognationem cum hoc versu illud 1. Æn. ubi Cupido,

—— vivo tentat prævertere amore
Jampridem resides animos, desuetaque corda.

Et illud lib. 6.

Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros, & jam desueta triumphis
Agmina. ——

Ut vero Virg. *resides populos* in re belli, ita Horat. Od. 3. lib. 3. *bellum resedit.* Demosthen. in Philip. de his qui otiosi ad bellum, καθημένους, id est, sedentes. *Cerda.*

694. *Agmina in arma voc. sub.*] Respexisse hic Virgilium ad militarem evocationem, non solum interpretes Donatus, & Servius, sed etiam putant Briss. lib. 4. de Form. & Lipsius lib. 1. de milit. Rom. Quod tamen vocari in dubium potest. Itaque in Virgilio subitaria est militia, non evocatio. Livius lib. 3. *Hernici & colonia Antium dare Quinctio subitarios milites, ita tum repentina auxilia vocabant, jussi.* Quid quod Virgilii militia tota est cum tumultu, ac proinde subitaria? idem Livius: *Senatum censere subitarios milites tumultus causa conscriptos, primo quoque tempore dimitti.* Pro illis tamen est, tum *vocat*: tum dici ea agmina *desueta bello*, quod proprium fuit Evocatorum, quod ex Dione apparet lib. 45. dicti enim sic, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατιᾶς ἐπ' αὐτὴν αὖθις ἀνεκλήθησαν, quod

defuncti

Hi Fescenninas acies, æquosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.
Ibant

defuncti militia iterum ad eam revocentur. Sed primum languidum est, cum enim vox signata sit *e voco*, sciret profecto Poëta rem ita disponere, ut signatum verbum poneret. Alterum æque est languidum, nam evocatio nunquam legitur in subitario bello, quale exhibet Virgilius, neque in multis exemplis a Lipsio congestis, tale quid invenias. Neque vero scio, cur statim dici debeat bellum Evocatorum, quod fit à desuetis, cum multa alia desiderentur. *Cerda.*

Ferrumque retractat.] Id est, iterum tractat quod jam tractare desueverat. sic Horat. *Cea retractes munera næniæ.* Emmeness.

695. *Hi Fescenninas acies.*] *Fescennium* oppidum est, ubi nuptialia inventa sunt carmina. Hi autem populi ab Atheniensibus ducunt originem. *Serv.*

Fescenninas] Pulchre milites cantantes exhibiturus è Fescennio advocat, ubi carmina nuptialia inventa, ac proinde joci, cantiones, & omnis παιδικὴ ἀναιδίς. Hoc oppidum ab Argivis ducit Solinus cap. 8. & *Fescennium* nominat. Mirum, cum Plinius cap. 5. l. 3. *Fescenniam* dicat: & huic simia illa hærere soleat. Est & discrimen alterum; nam Fescennium Plinius Etruriæ, Servius Campaniæ attribuit. Sed correctior Servius Danielis adimit hoc, quod pertinet ad Campaniam. *Cerda.*

Fescenninas.] *Fescennium*, vel *Fescennia*, Thusciæ mediterraneæ oppidum, hodie *Civita Castellana.* hinc *carmina*, item *licentia Fescennina*, apud Livium. *Taubmannus.*

Fescenninas.] Hoc oppidum per *a* & *um* terminatur; Dionysio dicitur φασκένιον, sed mendosum putat Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 550. ubi plura de hac urbe. De *Fescenninis versibus*, id est, impudicis, Macrob. l. 2. Saturn. c. 4. *Emm.*

Æquosque Faliscos.] Faliscos Haliscus condidit. Hi autem immutato *H* in *F*, *Falisci* dicti sunt: sicut *febris* dicitur, quæ ante *hebris* dicebatur: *Formiæ*, quæ *Hormiæ* fuerunt, ἀπὸ τῆς ὁρμῆς. Nam posteritas in multis nominibus *F* pro *H* posuit. *Æquos* autem dicit, id est, justos, quia populus Romanus missis decemviris, ab ipsis jura fecialia, & nonnulla supplementa duodecim tabularum accepit, quas ab Atheniensibus habuerant. *Servius.*

Faliscos.] De Faliscis agit Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 538. & 545. docet Soractem esse Faliscorum montem. de his urbium, populorum, montium, &c. nominibus nostrum imitatus canit Sil. Ital. l. 8. *Emmeness.*

696. *Hi Soractis habent arces.*] *Soracte*, qui est mons apud Irpinos haud longe à Flaminia: de quo Horatius, *Vides ut alta stet nive candidum Soracte.* Servius.

Arces.] De hoc in 11. Posuit *arces*, pro montes. Sic de Romanis montibus:
Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Et 4. Georg. *flerunt Rhodopeiæ arces.* Cerda.

Soractis arces.] *Soracte*, mons in Faliscis vicinus Flaminiæ, in quo Apollo colebatur. V. N. Æn. 11. ✝︎ſ. 785. Hor. 1. Od. 9.
Vides, ut alta stet nive candidum Soracte. Taubm.

Flaviniaque arva.] Locus est in Italia Flavinium nomine. *Servius.*

Flavinia arva.] Flavinii oppidi meminit Cluver. Ital. ant. p. 550. *Emm.*

697. *Et Cimini cum monte lacum.*] Et lacus, & mons hoc nomine appellantur. Sane hoc fabula habet: Aliquando Hercules ad hos populos venit, qui cum à singulis provocaretur ad ostendendam virtutem, defixisse dicitur vectem ferreum quo exercebatur: qui cum terræ esset affixus, & à nullo potuisset auferri, eum rogatus sustulit.

 Unde

Ibant æquati numero, regemque canebant:
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni,
Cum sese à pastu referunt, & longa canoros
Dant

Unde immensa vis aquæ secuta est, quæ Ciminum lacum fecit. *Servius.*

Cimini.] Lacus & mons Cimini post Sutrium est, prope Viterbium. Lacus hodie *il Laco di Vico*; Mons etiamnum *Ciminus* vocatur. *Taubm.*

Et Cimini cum m. l.] Ciminus mons est & lacus. Vide Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 560. & de lucis Capenis p. 547. *Emm.*

Lucosque Capenos.] Hos dicit Cato Vejentum condidisse auxilio regis Propertii, qui eos Capenam, cum adolevissent, miserat. Unde & porta *Capena*, quæ juxta Capenos est, nomen accepit. *Servius.*

Lucosque Capenos.] Ab his dicta Capena porta, quæ postea Appia, & nunc sancti Sebastiani. Primum scribit Servius, alterum Frontinus de Aquæ ductibus, tertium Marlianus. *Cerda.*

698. *Æquati numero.*] Digesti in ordinem. Hinc *sæpenumero* scripsi. Hoc est, ordine, congruenter, sicut decebat, rationabiliter. *Servius.*

Ibant æquati numero.] Hom. Il. λ. τῶν δ' ὡς ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων ἀσίῳ ἐν λειμῶνι καΰστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα, ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσι κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών· & Apollon. l. 4. ἢ ὅτε καλὰ νάοντος ἐπ' ὀφρύσι Πακτωλοῖο κύκνοι κινήσωσιν ἑὸν μέλος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν ἑρσήεις βρέμεται, ποταμοῖο δὲ καλὰ ῥέεθρα. Ut autem hic *longa canoros Dant per colla modos*, δολιχαύχενας κύκνους Ep. Gr. ut hic Hom. δουλιχοδείρους· & ut hic *nubem volucrum*, Epigr. lib. 3. ἀλκιμβρύης πλανῶν εἴργον ἄπωθε νέφος· & eodem libro, ὅλον ἀνηρείθμων κεῖνο νέφος γεράνων. Facit autem ad hunc locum Virgilii, superioris illius recognitio lib. 1. Georg. *Varias pelagi volucres, & quæ Asia circum Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri. Asia* autem palus, & pratum *Asium*, in Lydia sunt. Nimirum & Apollonii interpres scribit, principio Lydiam vocatam fuisse Asiam: ἀσία γὰρ τὸ πρότερον ἐκαλεῖτο ἡ λυδία, καὶ ὅμηρος ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, καὶ ἡ κιθάρα ἀσία λέγεται. Quod autem epitheton dat cycnis à raucedine Maro, secundum morem patrium & provinciæ locutum poëtam vult Servius; tanquam in Italia rauciores sint, & habeantur olores ᾠδικώτεροι. *Germanus.*

Regemque canebant.] *Canere* sæpe Latinis quod laudare. Horat. l. Epod. Od. 9. *Galli canentes Cæsarem.* & Plin. *Cato braßicæ miras laudes canit.* Ecl. 6. ℣. 3. *cum canerem reges & prælia* Emmen.

699. *Ceu quondam.*] Harum avium comparatione ostendit hos inertes & deliciosos. *Donatus.*

Ceu quondam.] Vide Scal. lib. 5. cap. 3. Poët. *Taubm.*

Liquida inter nubila.] Pura: sed nihil tam contrarium nubibus: nam liquidæ non sunt, ut in quinto diximus, ubi est, *Liquidis in nubibus arsit arundo.* Unde *nubes* pro aëre accipiamus positas. *Servius.*

700. *Et longa canoros Dant per colla modos.*] Secundum Plinium, qui ait in naturali historia, *cycnos ideo suavius canere, quia colla longa & inflexa habent: & necesse est eluctante voce per longum & flexuosum varias reddere modulationes.* Idem.

Canoros Dant per colla modos.] In locis ab Homero desumtis hunc numerat Macrob. lib. 5. cap. 8. Cygnos cantare suaviter satis circa horam præcipue mortis fabulantur passim poëtæ. Omissis aliis Ovid. epist. 7. Heroid.

Sic ubi fata vocant, udis abjectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Sed merito explodit illam sententiam Ælian. Var. hist. l. 1. c. 14. vide, quæ Cerda ad ℣. 705. notavit. *Emmeness.*

701. Se-

Dant per colla modos, ſonat amnis & Aſia longe
Pulſa palus.
Nec quiſquam æratas acies ex agmine tanto
Miſceri putet: aëriam ſed gurgite ab alto
Urgueri volucrum raucarum ad litora nubem.
Ecce, Sabinorum priſco de ſanguine magnum
Agmen

701. *Sonat amnis & Aſia.*] Cayſtrum dicit, qui cohæret Aſiæ paludi: quam cum ſignificamus, *A* longa eſt: cum ſit brevis ſi provinciam ſignificare voluerimus, quod ſignificatur in Georgicis, ut, *Atque Aſia circum Dulcibus in pratis rimantur prata Cayſtri.* nam cum Aſiam de provincia dicimus, *A* brevis eſt, ut, *Poſtquam res Aſiæ.* Servius.

702. *Pulſa palus.*] Ita Propert. Eleg. 26. lib. 2. *Lerna pulſa repente palus.* Et Tibull. emendante Scaligero:
Exiguus pulſa per vada linter aqua.
Cerda.

704. *Miſceri.*] Silius lib. 12. *Miſcebat primas acies.* Idem.

Gurgite ab alto Urgueri nubem.] Eodem plane ſenſu 1. Georg.
—— *urget ab alto*
Notus. —— Idem.

705. *Volucrum raucarum.*] *Raucum* τῶν μέσων eſt, ſicut *grave olens.* Nam legimus, *Graviter ſpirantis copia Tymbræ.* Sciendum tamen Virgilium ſecundum morem provinciæ ſuæ locutum, in qua bene canentes cycni rauciores vocantur. *Servius.*

Volucrum raucarum.] Non placet Serv. Dicuntur cycni rauci, quia nihil tenue, aut argutum, ſed raucum quid inſonant. Sed nec fortaſſe tale quidpiam: nihil enim canunt, necque in morte. Sed Poeta ſequitur opinionem ita exiſtimantium. Cantum illorum referendum puto ad comploſionem alarum, idque ex Nazianzeno, & Dione Chryſoſtomo. Adjicio nunc Philoſtratum utrique aſſentientem libr. 1. Icon. ubi ait pictum Zephyrum venuſtuli adoleſcentis forma, qui flatum mitteret in cycnos; & addit, καὶ αἱ πτέρυγες ἥπλωνται τοῖς κύκνοις πρὸς τὸ πλήττεσθαι ὑπὸ τῶν ἀνέμων: *Cycnis extenſæ ſunt alæ, ut vento feriantur.* Et loco alio ejuſdem libri, ubi ſermo eſt de Phaëtonte, loquens etiam de cycnis ait: Ζεφύρῳ τε χρῶνται πρὸς τὴν ᾠδὴν ἐλαφρῷ καὶ ἐνοδίῳ, *utentur ad cantum Zephyro levi, atque ad iter congruo.* Ejuſdem eſt opinionis Phile in Jambis ſuis, ita ſcribens de cycnis:

Αἴρεται γὰρ τῶν πτερῶν ἡ πυκνότης,
Νεύρων τάσιν γ' ἔντεχνον ἐκμιμουμένη,
Καὶ πλῆκτρον εὐθὺς ὁ Ζέφυρος ἐπιγίνεται.

Erecta ſurſum namque pennarum ſeges,
Attemperatos callide nervos refert,
Quos Zephyrus impellens velut plectrum ferit.

Hæc ille; tametſi addat ſtatim, illos quoque harmoniam edere τραχήλου βαρβίτῳ, *colli barbito.* Ita quippe ille barbiton colli, ut Virg. *dant per colla modos.* Callimachum ad alas refero, cum ait hym. Apollin. ὁ δὲ κύκνος ἐν ἠέρι καλὸν ἀείδει· *Cycnus modulatur dulciter in aëre.* Simile proditur de cicadis: tantum enim alas commovent, cum edunt argutulum illum ſtrepitum. Sic l. 3. Epigram. cicada ipſa loquens, λιγυρὴν μοῦσαν ἱείσαν ἀπὸ πτερύγων: *immittebam ab alis dulcem cantilenam.* Cerda.

Volucrum nubem.] Græca ratione. ita Epigr. l. 3. legitur νέφος πτανῶν, item γεράνων, pro vi & copia. Ita apud Livium l. 5. *nubes equitum peditumque.* & Stat. *nubes armorum.* Taubm.

706. *Ecce, Sabinorum priſco de ſanguine.*] Uſurpat hoc. Nam Clauſus Sabinorum dux, poſt exactos reges cum quinque millibus clientum & amicorum Romam venit: & ſuſceptus habitandam partem urbis accepit: ex quo *Claudia* & *tri-*

Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens

Per

& *tribus* est & *familia* nominata. *Serv.*

Ecce Sabinorum.] Cum historia, quam attuli in Explicatione, consonant Liviana hæc libr. 1. ubi Publius Decius ita loquitur cum Appio Claudio: *Sabinum advenam principem nobilitatis vestræ seu Ap. Clausum, seu Appium Claudium mavultis, illi antiqui patricii in suum numerum acceperunt.* Nihil clarius ad illustrationem Poëtæ, qui à Clauso nominat Claudiam gentem. Audi eundem l. 4. *Claudiam certe gentem post Reges exactos ex Sabinis non in civitatem modo accepimus, sed etiam in patriciorum numerum.* Ratio hujus mutationis hæc est. Qui Romam commigrabant aliunde, ut Romanis gratiores essent, ac proinde jura civitatis consequerentur, aptabant sua nomina ad formam nominum, quæ erant in urbe, facta aliqua literarum mutatione. Inde Lucumo ille Demarati filius, qui Romam cum Tarquiniis venit, comparato ibi domicilio, dictus est Lucius Tarquinius, non Lucumo. Sic Appius Clausus, vel potius Atta Clausus, mutatus est in Appium Claudium: & mox præcedente tempore iidem Claudii dicti quoque sunt Clodii, quod ait Suetonius; verba postea afferam. Dixi Appium Clausum dicendum Attam; nam ita nominat illum Tacit. lib. 12. Annal. & Livius lib. 2. clare: *Atta Clausus, cui postea Appio Claudio Romæ nomen fuit.* Quin in Vaticano reperiri codice *Attum*, sive *Attium*, jam Lipsius monuit. Credibile itaque in primo loco Livii, quem attuli, legendum esse *At.* non *Ap.* Porro ad vestigia Virgilii, & ab hoc filo historiarum Silius lib. 17.

Hic prisca ducens Clausorum ab origine nomen
Claudia. ——

Et Ovid. in Fast.

Claudia Quincta genus Clauso referebat ab alto.

Cerda.

Prisco de sanguine.] De antiquis Sabinis. *Servius.*

Prisco de sanguine.] Strabo libr. 5. ἐστὶ δὲ καὶ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι, καὶ αὐτόχθονες: *Sabini autem gens est antiquissima, & aborigenes.* Plutarchus colonos fecit Lacedæmoniorum, & huc refert Sabinorum virtutem. Verba ejus: Σαβῖνοι πολλοὶ μὲν ἦσαν, καὶ πολεμικοί, κώμας δὲ ᾤκουν ἀτειχίστους, ὡς προσῆκον αὐτοῖς μέγα φρονεῖν, καὶ μὴ φοβεῖσθαι Λακεδαιμονίων ἀποίκοις οὖσιν: *Sabini gens magna, & bello boni, vicos incolebant sine mœnibus, habebant ingentes animos, ut qui coloni Lacedæmoniorum.* Cur ergo antiquitas Virgiliana non referatur ad hanc originem. *Cerda.*

Magnum agmen.] Propter quinque millia clientum. *Servius.*

708. *Claudia nunc à quo.*] Gentis Claudiæ, à Clauso deductæ, mentionem facit honorificam Tacit. lib. Annal. 12. per multos annos, sine adoptione, suo gentili decore continuæ & nixæ, his verbis, de Claudio imperatore: *His evictus, biennio majorem natu Domitium filio anteponit, habita apud Senatum oratione in eundem, quem à liberto acceperat, modum. Adnotabant periti nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Appio Clauso continuos duravisse.* Germ.

Claudia.] Cum extet in Vate grande hoc Claudiorum elogium in gratiam suorum Principum, placitum audias aliquot ejusdem gentis elogia. Sueton. in Tiber. cap. 2. *Notissimum est Claudios omnes, excepto duntaxat P. Clodio, optimates, assertoresque unicos dignitatis, ac potentiæ patriciorum semper fuisse.* Apud Livium libr. 6. Appius Claudius audit, *Claudiæ genti jam inde ab initio nil antiquius in Rep. patrum majestate fuisse*, quod ipse postea Appius firmat. Rarum est illud quod Tacit. libr. 12. Annal. scribit, ubi sermo est de adoptato Domitio: *Adnotabant periti, nullam*

Per Latium, poſtquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ:

Qui

nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eoſque ab Atta Clauſo continuos duraviſſe. Æſtimetur intervallum Conſulum, & hoc eſſe rarum apparebit. Ab hac fortaſſe ſobolis ubertate Poëta ſignate poſtea, *diffunditur.* Idem Tacit. 4. Ann. *Sanctos, acceptoſque Numinibus Claudios.* Cerda.

Diffunditur.] Hoc per verbum ἀνάγω Philoſtrat. loquens de Evodiano, γένος ἐς Νικήτην ἀνῆγεν. *Idem.*

709. *In partem data Roma Sabinis.*] Hoc de alia traxit hiſtoria. Nam poſt Sabinarum raptum, & factum inter Romulum & Titum Tatium fœdus, recepti in urbem Sabini ſunt: ſed hac lege, ut in omnibus eſſent cives Romani, excepta ſuffragii latione. Nam magiſtratus non creabant. *Servius.*

Poſtquam in partem data Roma Sabinis.] In antiquis aliquot codicibus legere eſt, *poſtquam pars eſt data Roma Sabinis.* Sed *in partem* uſus eſt ſuperius etiam Poëta noſter, *In partem prædamque.* Pierius.

710. *Amiterna cohors.*] De Amiterno oppido. *Servius.*

Amiterna cohors.] Pro oppido Amiterna. Qualis hæc urbs, & an Sabinorum ſit, expedit Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 685. *Emmeneſſ.*

Priſcique Quirites.] Id eſt, Sabini. *Priſci* autem ideo, quia poſt fœdus Tatii & Romuli placuit ut quaſi unus de duobus fieret populus. Unde & Romani *Quirites* dicti ſunt, quod nomen Sabinorum fuerat à civitate Curibus: & Sabini à Romulo *Romani* dicti ſunt. *Servius.*

Amiterna cohors, priſcique Quirites.] Plinius c. 12. l. 3. eodem ordine, quo hic Poëta, *Sabinorum, Amiternini, Curenſes.* Itaque principe loco poſt Sabinos conſtituit Amiterninos, & deinde Curenſes. Atque adeo *priſci Quirites* Virgilii, ſunt *Curenſes* Plinii. Nam Quirites à Curibus, auctore Plutarcho, & omnibus. Cur vero Curenſes vocat priſcos Quirites, rationem ſuppeditat Strabo libr. 5. *Curis, urbs quondam inſignis, nunc autem viculus, è qua exciti ſunt T. Tatius, & Numa Pompilius, qui Romæ regnarunt.* Ergo, *priſci Quirites,* non ſunt Romani, ſed Curenſes, qui ante Romanos, imo à quibus Romani ipſi. *Cerda.*

711. *Ereti manus omnis.*] Oppidum eſt dictum à Junone, id eſt, ἥρας, quæ illic colitur. *Servius.*

Ereti, Mutuſcæ.] In codicibus aliquot antiquis, *Heriti.* Sed omnino ἤρητος Græce ſcribitur. & quamvis ἀπὸ τῆς ἥρας, in honorem cujus poſitum oppidum ajunt, deducatur: nuſquam tamen in Græcis auctoribus adſpirationem obſervavi, parceque in Latinis, & in antiquis Valerii Maximi codicibus, *prope vicinum Sabinæ regionis Eretum,* ſcriptum eſt abſque adſpiratione, quam dictionem nonnulli ita depravarunt, ut *fretum* ſcripſerint. *Mutuſca* quoque varie ſcribitur, ſed inemendate, veluti ſuperius in pleriſque codicibus, *Incoſque Calenos,* pro *Capenos* invenias. *Pierius.*

Ereti manus omnis.] Dictum hoc oppidum ἀπὸ τῆς Ἥρας, à *Junone,* quæ ibi culta, Servius ſcribit. Et Solinus c. 8. *Heretum à Græcis in honorem Heræ. Sic enim Græci Junonem vocant.* Strabo in Sabinis conſtituit: verba ejus, ἦκον τοῦ τῆς σαβίνης κώμης. Nunc vicus parvus. Græci jam Ἔρετον, jam Ἤρετον. Vicum hunc celebrem fuiſſe figlinis jam alii ſcripſerunt; inde *Eretinas mentes,* pro ſtupidas, quaſi argillaceas, & cretaceas, dictas Fulgentius obſervavit ex vetere ſcriptore & ab illo Turneb. c. 10. l. 16. Verba antiqui ſcriptoris ſunt: *Averruncaſſit Diva tam Eretinas hominum mentes.* Hanc Divam, Junonem poſſum explicare, ex dictis initio hujus Notæ.

Simile

Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,

Qui

Simile apud Strabonem lib. 2. *σκαπανέως δίκην*: nam fossor quoque pro stupido, ut & argillaceus. Sic Pers. Sat. 5. *nec cum sis cetera fossor*, id est, stultus: quasi hujuscemodi operarii totius sint eruditionis expertes. Sunt, qui versum Persii ad finem Sat. 1. de Ereto capiant,

Fregerit heminas Ereti Ædiliis iniquas.

Alii *Areti* legunt. *Cerda.*

Ereti.] Oppidi nomen, quod hodie *Monte Rotondo.* positum est haud procul Tiberis ripa in edito colle. Vide Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 667. *Emm.*

Oliviferæque Mutuscæ.] Hæc *Trebia* postea dicta est, quam modo *Tribulam* dicunt: apud quam Hannibal delevit populum Romanum. Lucanus, *Cannarum fuimus Trebiæque juventus.* Serv.

Oliviferæque Mutusca.] Sunt Mutuscæ inter Sabinos, ut clare Plinius l. 3. c. 12. & Ortelius in Indice, & alii. De toto autem Sabinorum tractu ita Strabo libr. 5. *ἅπασα δ' αὐτῶν ἡ γῆ διαφερόντως ἐλαιόφυτός ἐστι, καὶ ἀμπελόφυτος: ager illorum egregie olivetis, & vinetis consitus est.* Sed signate de Mutuscarum voluptatibus, deliciis, blandimentis extat Epigramma Martialis lib. 5.

Humida qua gelidas submittit Trebula valles,
Et viridis cancri mensibus alget ager,
Rura Cleonæo nunquam temerata leone,
Et domus Æolio semper amica Noto,
Te Faustine vocant, longas hic exige messes
Collibus; hibernum jam tibi Tybur erit.

Est videlicet Trebula eadem cum Mutuscis, tantum diversum nomen. Plinius lib. 3. cap. 12. *Trebulani, qui cognominantur Mutuscæi.* Errat vero insigniter *καὶ ἀνοήτως* Servius, cum scribit, hanc Trebulam Mutuscæam esse eam, quæ postea dicta Trebia, ubi Annibal Romanos delevit. Etenim Trebia exitialis Romanis in agro Placentino fuit longe à Sabinis, & bonum Trebula. Sunt qui nominent Mutuscas, & Mutustas. Nunc dici Trevium animadvertit Barbarus in Castig. Plinianis. Sunt qui Mutuescas, & Mutuescanos nominent ex lapidibus. *Cerda.*

Mutusca.] Errorem Servii confundentis oppidum Trebulam & amnem Trebiam, apud quem Hannibal exercitum Romanum memorabili prælio fudit, notavit Cluver. ant. Ital. lib. 2. p. 683. *Emmeness.*

712. *Qui Nomentum urbem.*] Hoc ex sua persona dicit poëta. Nam adhuc civitas Nomentana non fuerat, ut in sexto ait, *Hi tibi Nomentum & Gabios.* Item, *Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.* Servius.

Nomentum.] Numerantur etiam Nomentani à Plinio inter Sabinos lib. 3. cap. 12. Imo ait Strabo l. 5. agrum Sabinum esse, qui à Tyberi usque Nomentum protenditur. Ab hoc Nomentana via, qua scilicet Nomentum itur. *Cerd.*

Nomentum.] Oppidum in Sabinis. hodie *Lamentano.* Distat ab urbe M. P. X. *Taubmannus.*

Nomentum.] Alii Latinis, alii Sabinis adscribunt. Rationem addit Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 666. Meminit etiam noster l. 6. Æn. ℣s. 773. *Emm.*

Rosea rura Velini.] *Velinus* lacus est circa Reate juxta agrum, qui *Rosulanus* vocatur. Varro tamen dicit lacum hunc à quodam consule, in Narran vel Narren fluvium (nam utrunque dicitur) esse diffusum: post quod tanta est ea loca secuta fertilitas, ut etiam perticæ longitudinem altitudo superarit herbarum: quinetiam quantum per diem demptum esset, tantum per noctes crescebat. Quod Virgilius ad suam provinciam transtulit, dicens, *Et quantum longis carpent armenta diebus, Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.* Servius.

Rosea.] Sunt quidem codices, in quibus *roscida* legatur, sed *rosea* agnoscit Servius à loci nomine. legas tamen apud

Qui Tetricæ horrentis rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Forulosque,& flumen Himellæ:
Qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida misit
Nursia,

apud Plinium, *Sabini*, ut quidam existimavere, à religione, & cultu deorum *Sevini* appellati, Velinos incolunt lacus Roscidis collibus, qui dubio procul ad Virgilianum carmen respexisse videtur, Ρ'ῶσ☉ tamen agnoscunt Græci: unde *Rosius*, & *Roseus* gentile nomen. Quare Servius non imperite *rosea* legit. *Pierius.*

Qui Rosea rura Velini.]Velinus lacus, unde dicti Velini, situs est juxta Reate in agro Roseo(Servius Rosulanum vocat) hinc Poëta conjungit *Rosea rura Velini.* Plinius cap. 4. lib. 17. ita scribit: *Cæsar Vopiscus, cum causam apud Censores ageret, campos Roseæ dixit Italiæ summum esse, in quibus perticas pridie relictas gramen operiret.* Est autem lacus Velinus, & campi Rosei, in agro Sabino, ut videas Poëtam nunquam degenerare;omnes enim Clausi Sabini comites ex agro Sabino elicit. Plinius clare libr.3. cap. 12. *Sabini, ut quidam existimavere, à religione & Deorum cultu Sevini appellati, Velinos accolunt lacus Roseis campis.* Sic enim legendus locus Plinii admodum deformatus. Meminere præterea lacus Velini Columella lib. 8. cap. 16. & Tacitus lib. 1. Annal. Prior persequens lacus piscatu nobiles; posterior loquens de conatu Tiberii volentis avertere flumina & lacus, per quos augescit Tyberis. *Cerda.*

713. *Tetricæ horrentis rupes.*]*Tetricus* mons in Piceno asperrimus. Unde tristes homines, *tetricos* dicimus. *Servius.*

Tetricæ horrentis rupes.] Montem hunc Sabinorum & horrore nubium,& rupium asperitate deformem esse, & inde homines dici tetricos, partim Servius,partim alii adnotarunt. Inde est, ut multi in Persio Sat. 6. legant,

Jamne lyra, & Tetrico vivunt tibi pectine chordæ?

non *tetrico*, ut in vulgatis. Silius lib.8. *& à Tetrica comitantur rupe cohortes.* Cerda.

Tetricæ, &c. mont. Severum.] Tetricus mons hodie *monte di S. Giovanni:* Severus *Monte negro* appellatur. de utroque videndus Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 692. *Emmeness.*

Montemque Severum.] Proprium nomen montis est: sicut agri, *Roseus.* Servius.

Montemque Severum.] Adjectivum agnoscit Marcellus cum respectu ad rupes montis Tetrici. Sed Servius,& Erythræus nomen proprium montis, & Erythræus adhuc in Sabinis. Et quidem nomina tam montis Tetrici, quam Severi, qui duo siti in Sabinis, nescio quî congruunt cum ipsis Sabinorum moribus. De quibus ita Livius loquens de Numa: *Suopte ingenio temperatum animum virtutibus fuisse opinor magis, instructumque non tam peregrinis artibus, quam disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit.* Quin Passeratius ait, Furias dictas à Propertio Eleg. 12. l. 4. *turbam severam.* Cerda.

714. *Casperiamque colunt.*] *Casperia* & *Foruli* civitates sunt. *Servius.*

Casperiamque.] Ex antiquis codicibus, omnino *Casperiam* legendum,non *Casperulamque.* Pierius.

Casperiamque.] Oppidum est supra Cures circa fontes amnis Himellæ. *Aspra* vulgari vocabulo dicitur. vide Cluver. Ital. ant. l. 2. p. 676. de Himella, qui fluvius fluit in Tiberim infra Narem, idem p. 607. *Emmeness.*

Forulosque.]In antiquis aliquot codd. *ferulos* habes,sed inemendate. ita *Himillæ*, pro *Himellæ.* Pierius.

Flumen Himellæ.] *Hymella* fluvius est: & dixit *Hymellæ flumen*, ut *Butroti urbem.* Servius.

715. *Qui Tiberim Fabarimque bibunt.*]

Bene

Nursia, & Hortinæ classes, populique Latini:
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen:
Quam

Bene *bibunt*, nam Tyberis in Tuscia oritur: sed transit etiam per Sabinos Unde *bibunt*, non *possident* dixit. Et sciendum Turno dari auxilium à tractu Piceni, Samnii, Campaniæ, & pro parte Apuliæ: omnis vero Tuscia superior & Venetia Æneæ præstat auxilium. *Fabarim* autem quem dicit, etiam ipse per Sabinos transit, & *Farfarus* dicitur. Plautus, *Dissipabo te tanquam folia Farfari.* Ovidius, *Et amœnæ Farfarus umbræ.* Serv.

Fabarimque.] *Faburum* in antiquis aliquot codicibus habetur, sed apud plures *Fabarim*, lectione auctorum consensu comprobata. *Pierius.*

Fabarimque bibunt.] Servii sententiam, quod *Farfarus* etiam appelletur, confirmare videtur nomen, quod hodie ei manet *Farfa.* Vide Cluver. ant. Ital. l. 2. p. 707. Negat hoc Turneb. l. 15. c. 7. Farfari meminit Ovid. l. 14. Metam. ✝ſ. 330.

Narque tulit præceps, & amœnæ Farfarus umbræ.

Quid sit *bibere Tiberim & Fabarim* dictum Ecl. 1. ✝ſ. 63. & Ecl. 10. ✝ſ. 65. *Emmeness.*

Frigida misit Nursia.] Piceni civitas. *Frigida* autem, aut re vera aut certe venenosa, nocens. Gracchi namque ubique in concionibus suis *Nursinos* sceleratos appellaverunt: & scimus amare Virgilium historiarum rem per transitum tangere. *Servius.*

716. *Nursia.*] Plinius lib. 3. c. 12. Nursinos in Sabinis numerat, ut & Ptolemæus in tabula sexta Europæ cap. 1. Nunc vocari Norzan Leander scribit. Sed cur *frigida?* Quia vere frigida, ait Serv. vel quia (ait idem) venenosa, & nocens. Probat. Nam Gracchi in concionibus solebant Nursinos appellare sceleratos. Solet autem Virgilius historias attingere in transitu. Ut hanc Servii Notam capias, adi quæ ego jam late Eclog. 8. ad illud,

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Et Eclog. 9. ad illud;

Heu cadit in quemquam tantum scelus—

Certe in tabula Ptolemæi prope Nursiam montes sunt, in quibus ut plurimum algor, & frigus: ut jam prima Servii explicatio probari queat. Addit vim Silius, qui libr. 8. *nec non habitata pruinis Nursia.* Cerda.

Nursia.] Patria Sertorii. *frigida* dicitur, ut Cluver. l. 2. Ital. ant. p. 691. quia sita est inter Apennini pruinas. *Emmeness.*

Hortinæ classes.] Hortini equites, qui *classes* dicuntur. Unde & eorum tubas *classica* dicimus: & partes populi *classes* vocamus, quas quinq; fuisse legimus. *S.*

Hortinæ classes.] Id est, Hortini Equites: unde & eorum tubæ dicebantur *Classica. Hortanum*, vel *Horti*, oppidum Thusciæ, ab amœnitate hortorum sic dictum. *Taubm.*

Populique Latini.] Qui intererant Albani montis viscerationi. *Servius.*

Populique Latini.] Ait Plin. l. 3. c. 12. *Infra Sabinos Latium est.* Itaque Poëta post Sabinos infert statim Latinos, ut proximos. *Cerda.*

717. *Infaustum interluit Allia nomen.*] *Allia* fluvius haud longe ab urbe est: juxta quem Galli, Brenno duce, decimoquinto calendarum Augustarum die, deleto exercitu, post triduum etiam urbem vastaverunt excepto Capitolio. Sane *Alia* dicitur, cui propter metri necessitatem unum *l* addidit, ut *Allia* diceret, sicut *reliquias* & *relliquias*, unde apparet bene dixisse Lucanum: *Quos Aliæ clades.* Servius.

Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.] Optime *infaustum nomen* cum de Allia est sermo: hic enim fluvius infamiam contraxit, ex quo ad illum Romani fœde fusi fugatique sunt à Gallis. Inde Ovidius in Ibim *gravem* appellat:

Hac

Quàm multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hibernis conditur undis,
Vel cum sole novo densæ torrentur aristæ
Aut Hermi campo aut Lyciæ flaventibus arvis;

Scuta

Hac erat in fastis cui dat gravii Allia nomen.
Et 1. de Arte *flebilem* & Lucanus *damnatam* lib. 7.
Et damnata diu Romanis Allia fastis.
Silius lib. 8. *horrificis sese extulit Allia ripis.* Cicero l. 9. ad Attic. epist. 4. *Majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quam urbis captæ.* Infeliciter certe res omnis gesta Vitellio est, qui *omni divino humanoque jure neglecto Alliensi die Pontificatum maximum cepit.* Verba sunt Suetonii in ejus vita cap. 7. *Cerda.*

Allia infaustum nomen.] *Allia*, fluvius distans ab Urbe Roma ad XI. lapidem, via Salaria: apud quem Romani à Gallis duce Brenno fusi sunt; & Roma inde capta, ad XV. Calend. Sextil. ut tradit Livius lib. 6. Plutarchus in Camillo, ubi multa de inauspicatis Diebus agit, *diem Alliensem* ἀποφράδα ἡμέραν vocat: qui Homero esset χήμαρα δυσώνυμος. Talis erat & Cremerensis, & Cannensis, aliique. Lucanus l. 7.
Cedant feralia nomina Cannæ,
Et damnata diu Romanis Allia fastis.
Taubmannus.

Infaustum Allia nomen.] Cladem Alliensem enarrat Livius l. 5. c. 37. & seqq. Florus l. 1. c. 13. ab Allia flumine nomen habet, quod infra Farfarum est, parvum quidem, at fama apud Romanos seu potius infamia ingens, ut Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 708. per simplex l scribunt, ut & Græci ἀλία ποταμός, ἀλίας ἡμέρα. vide Dausq. *Emmeness.*

718. *Marmore.*] In plerisque codicibus antiquis, pro *marmore*, *litore* scriptum invenias. Sed in Romano, *marmore*, ita in Mediceo, & aliquot aliis. *Pierius.*

719. *Orion.*] Nimbosum sidus, & ortu, & occasu. De occasu hic audis. De ortu 1. Æneid.
Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.
De utroque Aristotel. lib. 2. Meteor. cap. 5. ubi & rationem exhibet: verba ejus: ἀκραῖος δὲ καὶ χαλεπὸς ὁ Ὠρίων εἶναι δοκεῖ καὶ δύνων, καὶ ἐπιτέλλων, διὰ τὸ ἐν μεταβολῇ ὥρας συμβαίνειν τὴν δύσιν, καὶ τὴν ἀνατολὴν, θέρους, ἢ χειμῶνος, καὶ διὰ τὸ μέγεθος τοῦ ἄστρου, ἡμερῶν γίγνεται τὸ πλῆθος: *Orion, & cum oritur, & cum occidit, incertus ac difficilis esse propterea videtur, quod ejus exortus, & occasus, tum, cum tempora evariant, commutanturque, ille æstate, hic hieme accidant. Idque propter sideris magnitudinem durat diebus pluribus.* Cerda.

720. *Vel cum sole novo torrentur aristæ.*] Prima æstatis parte. Nam proprie Sol novus est octavo calendas Januarias: sed tunc non sunt aristæ, quas ab ariditate dictas esse constat. *Servius.*

Sole novo.] Id est, prima æstatis parte. Ita Attici veteres τὸ κέντρον χειμερινὸν vocarunt, νέον ἥλιον, quod inde inciperet computus anni prisci Solaris. *Novum Solem* Statius vocat etiam Kal. Januar. propter novos fasces Consulum. Vide Scalig. De Emendat. Temp. l. 5. p. 12. *Taubm.*

721. *Hermi campo.*] *Hermus* Lydiæ fluvius, qui superfusus campis gignit fertilitatem. Unde arenas aureas fingitur trahere. *Servius.*

Hermi.] Amnis est *in sinu Smyrnæo* secundum Melam l. 1. c. 17. quem locum illustrat Vossius. Hujus etiam meminit Plin. l. 5. c. 29. *A Smyrna Hermus amnis campos facit, & nomini suo adoptat.* Emmeness.

Lyciæ flaventibus arvis.] Fertilis frugum provincia. *Servius.*

Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis,
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica

722. *Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.*] In plerisque antiquis codicibus, scriptum inveni, veluti prius in impressis legebatur, *scuta sonant pulsuque pedum conterrita tellus.* lectionem vero illam *tremit excita tellus,* quam nuper eruditissimi viri publicarunt, in Mediceo, & in Porcio, tantum ex manu scriptis codicibus vidi. *Pierius.*

723. *Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis.*] Hunc Agamemnonis plerique comitem, plerique nothum filium volunt: qui cum venisset ad Italiam audito adventu Æneæ, in bellum ruit, non amore Turni, sed odio hostilitatis antiquæ. Unde ait, *Trojani nominis hostis.* Servius.

723. *Halesus.*] Fuisse hunc conditorem Faliscorum jam Turnebus astruxit lib. 22. cap. 3. ex Ovid. lib. 3. Amor. Eleg. 12.

Argiva est pompa facies Agamemnone caeso,
Et scelus, & patrias fugit Halesus opes.
Jamque pererratis profugus terraque, marique,
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille suos docuit Iunonia sacra Faliscos,
Sint mihi, sint populo semper amica suo.

Quia vero hic ab Argis in Italiam venit, ideo Argolicum vocat Silius lib. 8.

Nec non Argolico dilectum litus Haleso.

Solinus etiam cap. 8. *Ab Haleso Argivo Faliscum.* Cerda.

Curru jungit Halesus equos.] Ita maluit Poëta, quam, *Jungit Halesus equos curru:* id quod plebejus quispiam P. fecisset. Spondeus enim disjunctus à subsequente dictione, quæ Dactylum instituit facere, moram jugandi equos nondum junctos connotat. De qua artificiosa verborum dispositione Scal. l. 4. c. 48. & Pontanus in Actio. Hic autem *Halesus* conditor fuit Faliscorum: ut docet Turneb. l. 22. c. 3. Ovid. 3. Am. el. 12. Et *Agamemnonius* dicitur: sive quod comes, sive filius nothus Agamemnonis fuerit. *Taubm.*

725. *Rapit populos.*] Raptim adducit. Etiam Campaniæ loca commemorat. Nam Massicus mons est vitibus plenus. *Massica* autem dixit, ut *Mænala.* Servius.

Rapit populos.] Silius lib. 8.

Tellius aratas raptabat in agmina turmas.

Iterum loquens de Peligno, *gelidoque rapit Sulmone cohortes.* Et lib. 12.

Raptum iter est, victorque moram non passus eundi.

Tacitus 1. Annalium: *Expeditum exercitum in Chattos rapit.* Cerda.

Vertunt.] Indicat arationem. Plinius lib. 18. cap. 16. *Si evicerint herbæ, remedium unicum est aratio, sæpius vertendo, donec omnes aliæ radices intereant.* Sed de hoc jam in Georgicis. Solent Poëtæ hujusmodi catalogos virorum fortium amplificare simili opum narratione, ut quærant aliquod diverticulum, ne perpetua sit series nominum. Sic Valerius primo Argon.

Proximus huic Butes Attæis dives ab oris,
Innumeras nam claudit apes, longaque superbus
Fuscat nube diem. —

Dicit *nubem* de apibus, ut ante illum Virgilius. Redeo. In hac re multus est Homerus: ut enim Virg. in hoc catalogo ait venisse, qui arant montem Massicum felicem vitibus; ita ille Haliarton in sua recensione vocat ποιήενθ' *herbosam:* & Arnem πολυστάφυλον, *vitiferam:* & de Epidauro, ἀμπελόεντα, *vitibus consitam.* De Orchomeno, πολύμηλον, *pecorosum.* De Pteleo, λεχεποίην,

ποίην,

Massica qui rastris, & quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta

Æquo-

ῥόλλω, herbosum. De Itone, *μητέρα μήλων, matrem ovium.* De Pyrrhaso, *ἀνθεμόεντα, floridam.* Et mille alia. Sic Statius in suo catalogo lib. 7.

Aulida qui, Græcamque serunt, viridesque Plataeas,
Et sulco Peteona domant. ——

Et 12. in simili recensione,

Dives, & Egaleos nemorum, Parnesque benignus
Vitibus, & pingui melior Lycabetos oliva;
Venit atrox Ileus, & olentis arator Hymetti.

Et in 4. ubi similis recensio, *pecorosaque Phyllos.* Iterum:

Qui ripas Lincæe tuas, tua litera multo
Vomere suspendunt. ——

Nonnus lib. 26. in simili ad bellum catalogo ait relictum *εὐάροτον αὔλακα γαίης: bene seminatum sulcum terræ.* Idem.

726. *Massica.*] Vinum Massicum Campaniæ multis est nobile, uni Horatio nobilissimum, adeo crebra in illo mentio hujus vini. Sat. 4. lib. 2.

Massica si cælo suppnas vina sereno.

Od. 1. lib. 1. *veteris pocula Massici.* & Od. 7. lib. 2. *oblivioso Massico*; quia cum hoc vino abeunt molestiæ. Et Od. 21. lib. 3.

Quocunque lectum nomine Massicum
Servas ——

Plautus scen. ult. Pseud.

Credo equidem potesse te scelus Massici montis uberrimos quatuor
Fructus ebibere in una hora. ——

Sed de elogio hujus vini attuli Columellæ verba lib. 2. Georg. ad illud, *& Bacchi Massicus humor.* Ejusdem meminit Virg. lib. 3. Georg. *munera Bacchi Massica.* ubi vult significare vinum excellentissimum *κατ' ἐξοχὴν.* Porro Massicum eundem esse cum monte Gauro, & tantum diversa nomina Abraham. asseverat. *Idem.*

727. *Aurunci misere patres.*] Isti Græce *Ausones* nominantur. *Servius.*

Aurunci.] Plin. lib. 3. cap. 5. Auruncos numerat inter populos Latii. Quin hos esse antiquissimos Ausones & Servius scribit & ex Isacio in Lycophronem astruit Abraham. Ortel. Inde Virg. diserte *patres* nominat, vel, ut legunt alii, *Arunci misere senes.* Cum hac vetustate alludunt verba Ammiani, qui de illis, uti antiquissimis, ita loquitur l. 30. *Auruncorum, Sicanorumque jamdiu leges ignotas, cum Evandri matre abhinc sæculis obrutas multis.* Et de Auruncis loquens Livius lib. 8. significate ait, *mœnia antiqua eorum.* Dignum est quod sciatur etymon Auruncorum, qui sic dicti tanquam Averrunci. Antiqui enim & *auruncare*, & *averruncare* pro eodem dixerunt: inde Auruncus Deus, sive Averruncus est, qui Græcis *θεὸς ἀποτρόπαιος, malorum aversor.* Habuit autem hæc gens id nominis, quasi *ἀποσπασθέντες*, id est, *avulsi, & aversi à suis sedibus*, quia errones & *πλάνητες.* De hoc latius Scaliger in Festum. *Cerda.*

Sidicinaque juxta Æquora.] Ab oppido quod *Sidicinum* dicitur. *Servius.*

Sidicina.] Sidicinum in Campania ponit Plin. lib. 3. cap. 5. Alio nomine Teanum. Ait enim: *Teanum Sidicinum cognomine.* Strabo quoque *σιδικινῶν* meminit; & Horat. epist. 1. lib. 1. *cras ferramenta Teanum Tolletis fabri,* &c. Et Teani fluminis in hoc tractu Orosius lib. 5. cap. 18. Credo Poëtam posuisse in carmine Sidicinos post Auruncos, memorem historiarum. Fuit enim acre bellum inter Auruncos, & Sidicinos, quod Livius scribit lib. 8. ab eo loco: *Inter Sidicinos, Auruncosque bellum ortum*, &c. Subit mentem, an Sidicini dicti sint, quasi seditiosi. Nescio an aliquis probaturus sit conjecturam, cui certe favet tum Livii locus lib. 8. *Toties jam Sidicini, aut ipsi moverant bellum, aut moventibus auxilium tulerant, aut causa armorum fuerant*; tum quæ de

 aliis

Ibant æquati numero, regemque canebant:
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni,
Cum ſeſe à paſtu referunt, & longa canoros
Dant

Unde immenſa vis aquæ ſecuta eſt, quæ Ciminum lacum fecit. *Servius.*

Cimini.] Lacus & mons Cimini poſt Sutrium eſt, prope Viterbium. Lacus hodie *il Laco di Vico*; Mons etiamnum *Ciminus* vocatur. *Taubm.*

Et Cimini cum m. l.] Ciminus mons eſt & lacus. Vide Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 560. & de lucis Capenis p. 547. *Emm.*

Lucoſque Capenos.] Hos dicit Cato Vejentum condidiſſe auxilio regis Propertii, qui eos Capenam, cum adoleviſſent, miſerat. Unde & porta *Capena*, quæ juxta Capenos eſt, nomen accepit. *Servius.*

Lucoſque Capenos.] Ab his dicta Capena porta, quæ poſtea Appia, & nunc ſancti Sebaſtiani. Primum ſcribit Servius, alterum Frontinus de Aquæ ductibus, tertium Marlianus. *Cerda.*

698. *Æquati numero.*] Digeſti in ordinem. Hinc *ſæpenumero* ſcripſi. Hoc eſt, ordine, congruenter, ſicut decebat, rationabiliter. *Servius.*

Ibant æquati numero.] Hom. Il. λ. τῶν δ' ὡς ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων ἀσίῳ ἐν λειμῶνι καΰστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα, ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσι κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών· & Apollon. l. 4. ἢ ὅτε καλὰ νάοντος ἐπ' ὀφρύσι πακτωλοῖο κύκνοι κινήσωσιν ἑὸν μέλος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν ἑρσήεις βρέμεται, ποταμοῖο δὲ καλὰ ῥέεθρα. Ut autem hic *longa canoros Dant per colla modos*, δολιχαύχενας κύκνους Ep. Gr. ut hic Hom. δουλιχοδείρους· & ut hic *nubem volucrum*, Epigr. lib. 3. ἀλκιμένης πλανῶν εἶργον ἄπωθε νέφος· & eodem libro, ὅλον ἀνηρίθμων κεῖνο νέφος γεράνων. Facit autem ad hunc locum Virgilii, ſuperioris illius recognitio lib. 1. Georg. *Varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.* *Aſia* autem palus, & pratum *Aſium*, in Lydia ſunt. Nimirum & Apollonii interpres ſcribit, principio Lydiam vocatam fuiſſe Aſiam: ἀσία γὰρ τὸ πρότερον ἐκαλεῖτο ἡ λυδία, καὶ ὅμηρος ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, καὶ ἡ κιθάρα ἀσία λέγεται. Quod autem epitheton dat cycnis à raucedine Maro, ſecundum morem patrium & provinciæ locutum poëtam vult Servius; tanquam in Italia rauciores ſint, & habeantur olores ᾠδικώτεροι. *Germanus.*

Regemque canebant.] *Canere* ſæpe Latinis quod laudare. Horat. l. Epod. Od. 9. *Galli canentes Cæſarem.* & Plin. *Cato braſſicæ miras laudes canit.* Ecl. 6. ℣ſ. 3. *cum canerem reges & prælia* Emmen.

699. *Ceu quondam.*] Harum avium comparatione oſtendit hos inertes & delicioſos. *Donatus.*

Ceu quondam.] Vide Scal. lib. 5. cap. 3. Poët. *Taubm.*

Liquida inter nubila.] Pura: ſed nihil tam contrarium nubibus: nam liquidæ non ſunt, ut in quinto diximus, ubi eſt, *Liquidis in nubibus arſit arundo.* Unde *nubes* pro aëre accipiamus poſitas. *Servius.*

700. *Et longa canoros Dant per colla modos.*] Secundum Plinium, qui ait in naturali hiſtoria, *cycnos ideo ſuavius canere, quia colla longa & inflexa habent: & neceſſe eſt eluctante voce per longum & flexuoſum varias reddere modulationes.* Idem.

Canoros Dant per colla modos.] In locis ab Homero deſumtis hunc numerat Macrob. lib. 5. cap. 8. Cygnos cantare ſuaviter ſatis circa horam præcipue mortis fabulantur paſſim poëtæ. Omiſſis aliis Ovid. epiſt. 7. Heroid.

Sic ubi fata vocant, udis abjectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Sed merito explodit illam ſententiam Ælian. Var. hiſt. l. 1. c. 14. vide, quæ Cerda ad ℣ſ. 705. notavit. *Emmeneſſ.*

701. Sa-

Dant per colla modos, ſonat amnis & Aſia longe
Pulſa palus.
Nec quiſquam æratas acies ex agmine tanto
Miſceri putet: aëriam ſed gurgite ab alto
Urgueri volucrum raucarum ad litora nubem.
Ecce, Sabinorum priſco de ſanguine magnum
Agmen

701. *Sonat amnis & Aſia.*] Cayſtrum dicit, qui cohæret Aſiæ paludi: quam cum ſignificamus, *A* longa eſt: cum ſit brevis ſi provinciam ſignificare voluerimus, quod ſignificatur in Georgicis, ut, *Atque Aſia circum Dulcibus in pratis rimantur prata Cayſtri.* nam cum Aſiam de provincia dicimus, *A* brevis eſt, ut, *Poſtquam res Aſiæ.* Servius.

702. *Pulſa palus.*] Ita Propert. Eleg. 26. lib. 2. *Lernæ pulſa repente palus.* Et Tibull. emendante Scaligero:
Exiguum pulſa per vada linter aqua.
Cerda.

704. *Miſceri.*] Silius lib. 12. *Miſcebat primas acies.* Idem.

Gurgite ab alto Urgueri nubem.] Eodem plane ſenſu 1. Georg.
—— *urget ab alto*
Notus. —— Idem.

705. *Volucrum raucarum.*] *Raucum* τ̃ μύσων eſt, ficut *grave olens.* Nam legimus, *Graviter ſpirantis copia Tymbræ.* Sciendum tamen Virgilium ſecundum morem provinciæ ſuæ locutum, in qua bene canentes cycni rauciores vocantur. *Servius.*

Volucrum raucarum.] Non placet Serv. Dicuntur cycni rauci, quia nihil tenue, aut argutum, ſed raucum quid inſonant. Sed nec fortaſſe tale quidpiam: nihil enim canunt, neeque in morte. Sed Poeta ſequitur opinionem ita exiſtimantium. Cantum illorum referendum puto ad comploſionem alarum, idque ex Nazianzeno, & Dione Chryſoſtomo. Adjicio nunc Philoſtratum utrique aſſentientem libr. 1. Icon. ubi ait pictum Zephyrum venuſtuli adoleſcentis forma, qui flatum mitteret in cycnos; & addit, καὶ αἱ πτέρυγες ἥπλωνται τοῖς κύκνοις πρὸς τὸ πλήττεσθαι ὑπὸ τοῦ ἀνέμου: *Cycnis extenſæ ſunt alæ, ut vento feriantur.* Et loco alio ejuſdem libri, ubi ſermo eſt de Phaëtonte, loquens etiam de cycnis ait: Ζεφύρῳ τε χρήσονται πρὸς τὴν ᾠδὴν ἐλαφρῷ καὶ ἐνοδίῳ, *utentur ad cantum Zephyro levi, atque ad iter congruo.* Ejuſdem eſt opinionis Phile in Jambis ſuis, ita ſcribens de cycnis:

Ἀνίσταται γὰρ τῶν πτερῶν ἡ πυκνότης,
Νεύρων τάξιν γ' ἔντεχνον ἐκμιμουμένη,
Καὶ πλῆκτρον εὐθὺς ὁ Ζέφυρος ἐμπίπτεται.

Erecta ſurſum namque pennarum ſeges,
Attemperatos callide nervos refert,
Quos Zephyrus impellens velut plectrum ferit.

Hæc ille; tametſi addat ſtatim, illos quoque harmoniam edere τραχήλου βαρβίτῳ, *colli barbito.* Ita quippe ille barbiton colli, ut Virg. *dant per colla modos.* Callimachum ad alas refero, cum ait hym. Apollin. εὖ κύκνος ἐν ἠέρι καλὸν ἀείδει· *Cycnus modulatur dulciter in aëre.* Simile proditur de cicadis: tantum enim alas commovent, cum edunt argutulum illum ſtrepitum. Sic l. 3. Epigram. cicada ipſa loquens, λιγυρὰν μοῦσαν ἵειν ἀπὸ πτερύγων: *immittebam ab alis dulcem cantilenam.* Cerda.

Volucrum nubem.] Græca ratione. ita Epigr. l. 3. legitur νέφος πτηνῶν, item γεράνων, pro vi & copia. Ita apud Livium l. 5. *nubes equitum peditumque.* & Stat. *nubes armorum.* Taubm.

706. *Ecce, Sabinorum priſco de ſanguine.*] Uſurpat hoc. Nam Clauſus Sabinorum dux, poſt exactos reges cum quinque millibus clientum & amicorum Romam venit: & ſuſceptus habitandam partem urbis accepit: ex quo *Claudia & tri-*

Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens

Per

& *tribus* est & *familia* nominata. *Serv.*

Ecce Sabinorum.] Cum historia, quam attuli in Explicatione, consonant Liviana hæc libr. 1. ubi Publius Decius ita loquitur cum Appio Claudio: *Sabinum advenam principem nobilitatis vestræ seu Ap. Clausum, seu Appium Claudium mavultis, illi antiqui patricii in suum numerum acceperunt.* Nihil clarius ad illustrationem Poetæ, qui à Clauso nominat Claudiam gentem. Audi eundem l. 4. *Claudiam certe gentem post Reges exactos ex Sabinis non in civitatem modo accepimus, sed etiam in patriciorum numerum.* Ratio hujus mutationis hæc est. Qui Romam commigrabant aliunde, ut Romanis gratiores essent, ac proinde jura civitatis consequerentur, aptabant sua nomina ad formam nominum, quæ erant in urbe, facta aliqua literarum mutatione. Inde Lucumo ille Demarati filius, qui Romam cum Tarquiniis venit, comparato ibi domicilio, dictus est Lucius Tarquinius, non Lucumo. Sic Appius Clausus, vel potius Atta Clausus, mutatus est in Appium Claudium: & mox præcedente tempore iidem Claudii dicti quoque sunt Clodii, quod ait Suetonius; verba postea afferam. Dixi Appium Clausum dicendum Attam; nam ita nominat illum Tacit. lib. 12. Annal. & Livius lib. 2. clare: *Atta Clausus, cui postea Appio Claudio Romæ nomen fuit.* Quin in Vaticano reperiri codice *Attum*, sive *Attium*, jam Lipsius monuit. Credibile itaque in primo loco Livii, quem attuli, legendum esse *At.* non *Ap.* Porro ad vestigia Virgilii, & ab hoc filo historiarum Silius lib. 17.

Hic prisca ducens Clausorum ab origine nomen
Claudia. ——

Et Ovid. in Fast.

Claudia Quincta genus Clauso referebat ab alto.

Cerda.

Prisco de sanguine.] De antiquis Sabinis. *Servius.*

Prisco de sanguine.] Strabo libr. 5. ἐστὶ δὲ καὶ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι, καὶ αὐτόχθονες: *Sabini autem gens est antiquissima, & aborigenes.* Plutarchus colonos fecit Lacedæmoniorum, & huc refert Sabinorum virtutem. Verba ejus: Σαβῖνοι πολλοὶ μὲν ἦσαν, καὶ πολεμικοί, κώμας δὲ ᾤκουν ἀτειχίστους, ὡς προσῆκον αὐτοῖς μέγα φρονεῖν, καὶ μὴ φοβεῖσθαι Λακεδαιμονίων ἀποίκοις οὖσιν: *Sabini gens magna, & bello boni, vicos incolebant sine mœnibus, habebant ingentes animos, ut qui coloni Lacedæmoniorum.* Cur ergo antiquitas Virgiliana non referatur ad hanc originem. *Cerda.*

Magnum agmen.] Propter quinque millia clientum. *Servius.*

708. *Claudia nunc à quo.*] Gentis Claudiæ, à Clauso deductæ, mentionem facit honorificam Tacit. lib. Annal. 12. per multos annos, sine adoptione, suo gentili decore continuæ & nixæ, his verbis, de Claudio imperatore: *His evictus, biennio majorem natu Domitium filio anteponit, habita apud Senatum oratione in eundem, quem à liberto acceperat, modum. Adnotabant periti nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Appio Clauso continuos duravisse.* Germ.

Claudia.] Cum extet in Vate grande hoc Claudiorum elogium in gratiam suorum Principum, placitum audias aliquot ejusdem gentis elogia. Sueton. in Tiber. cap. 2. *Notissimum est Claudios omnes, excepto duntaxat P. Clodio, optimates, assertoresque unicos dignitatis, ac potentiæ patriciorum semper fuisse.* Apud Livium libr. 6. Appius Claudius audit, *Claudiæ genti jam inde ab initio nil antiquius in Rep. patrum majestate fuisse*, quod ipse postea Appius firmat. Rarum est illud quod Tacit. libr. 12. Annal. scribit, ubi sermo est de adoptato Domitio: *Adnotabant periti,*

nullam

Per Latium, poſtquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ:
Qui

nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eoſque ab Atta Clauſo continuos duraviſſe. Æſtimetur intervallum Conſulum, & hoc eſſe rarum apparebit. Ab hac fortaſſe ſobolis ubertate Poëta ſignate poſtea, *diffunditur.* Idem Tacit. 4. Ann. *Sanctos, acceptoſque Numinibus Claudios.* Cerda.

Diffunditur.] Hoc per verbum ἀνάγω Philoſtrat. loquens de Evodiano, γένος ἐς Νικήτην ἀνῆγε. *Idem.*

709. *In partem data Roma Sabinis.*] Hoc de alia traxit hiſtoria. Nam poſt Sabinarum raptum, & factum inter Romulum & Titum Tatium fœdus, recepti in urbem Sabini ſunt: ſed hac lege, ut in omnibus eſſent cives Romani, excepta ſuffragii latione. Nam magiſtratus non creabant. *Servius.*

Poſtquam in partem data Roma Sabinis.] In antiquis aliquot codicibus legere eſt, *poſtquam pars eſt data Roma Sabinis.* Sed *in partem* uſus eſt ſuperius etiam Poëta noſter, *In partem prædamque.* Pierius.

710. *Amiterna cohors.*] De Amiterno oppido. *Servius.*

Amiterna cohors.] Pro oppido Amiterna. Qualis hæc urbs, & an Sabinorum ſit, expedit Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 685. *Emmeneſſ.*

Priſcique Quirites.] Id eſt, Sabini. *Priſci* autem ideo, quia poſt fœdus Tatii & Romuli placuit ut quaſi unus de duobus fieret populus. Unde & Romani *Quirites* dicti ſunt, quod nomen Sabinorum fuerat à civitate Curibus: & Sabini à Romulo *Romani* dicti ſunt. *Servius.*

Amiterna cohors, priſcique Quirites.] Plinius c. 12. l. 3. eodem ordine, quo hic Poëta, *Sabinorum, Amiternini, Curenſes.* Itaque principe loco poſt Sabinos conſtituit Amiterninos, & deinde Curenſes. Atque adeo *priſci Quirites* Virgilii, ſunt *Curenſes* Plinii. Nam Quirites à Curibus, auctore Plutarcho, & omnibus. Cur vero Curenſes vocat priſcos Quirites, rationem ſuppeditat Strabo libr. 5. *Curis, urbs quondam inſignis, nunc autem viculus, è qua exciti ſunt T. Tatius, & Numa Pompilius, qui Romæ regnarunt.* Ergo, *priſci Quirites,* non ſunt Romani, ſed Curenſes, qui ante Romanos, imo à quibus Romani ipſi. *Cerda.*

711. *Ereti manus omnis.*] Oppidum eſt dictum à Junone, id eſt, ἥρας, quæ illic colitur. *Servius.*

Ereti, Mutuſcæ.] In codicibus aliquot antiquis, *Heriti.* Sed omnino ἤρητος Græce ſcribitur. & quamvis ἀπὸ τῆς ἥρας, in honorem cujus poſitum oppidum ajunt, deducatur: nuſquam tamen in Græcis auctoribus adſpirationem obſervavi, parceque in Latinis, & in antiquis Valerii Maximi codicibus, *prope vicinum Sabinæ regionis Eretum,* ſcriptum eſt abſque adſpiratione, quam dictionem nonnulli ita depravarunt, ut *fretum* ſcripſerint. *Mutuſcæ* quoque varie ſcribitur, ſed inemendate, veluti ſuperius in pleriſque codicibus, *Lucoſque Calenos,* pro *Capenos* invenias. *Pierius.*

Ereti manus omnis.] Dictum hoc oppidum ἀπὸ τῆς Ἥρας, *à Junone,* quæ ibi culta, Servius ſcribit. Et Solinus c. 8. *Heretum à Græcis in honorem Heræ. Sic enim Græci Junonem vocant.* Strabo in Sabinis conſtituit: verba ejus, ἤρητον τῆς σαβίνης κώμης. Nunc vicus parvus. Græci jam Ἔρετον, jam Ἤρετον. Vicum hunc celebrem fuiſſe figlinis jam alii ſcripſerunt; inde *Eretinas mentes*, pro ſtupidas, quaſi argillaceas, & cretaceas, dictas Fulgentius obſervavit ex vetere ſcriptore & ab illo Turneb. c. 10. l. 16. Verba antiqui ſcriptoris ſunt: *Averruncaſſit Diva tam Eretinas hominum mentes.* Hanc Divam, Junonem poſſum explicare, ex dictis initio hujus Notæ. Simile

Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,

Qui

Simile apud Strabonem lib. 2. *σκαπτωνίας δίκην*: nam fossor quoque pro stupido, ut & argillaceus. Sic Pers. Sat. 5. *nec cum sis cetera fossor*, id est, stultus: quasi hujuscemodi operarii totius sint eruditionis expertes. Sunt, qui versum Persii ad finem Sat. 1. de Ereto capiant,

Fregerit heminas Ereti Ædiliis iniquas.

Alii *Areti* legunt. *Cerda.*

Ereti.] Oppidi nomen, quod hodie *Monte Rotondo.* positum est haud procul Tiberis ripa in edito colle. Vide Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 667. *Emm.*

Oliviferæque Mutuscæ.] Hæc *Trebia* postea dicta est, quam modo *Tribulam* dicunt: apud quam Hannibal delevit populum Romanum. Lucanus, *Cannarum fuimus Trebiæque juventus.* Serv.

Oliviferæque Mutuscæ.] Sunt Mutuscæ inter Sabinos, ut clare Plinius l. 3. c. 12. & Ortelius in Indice, & alii. De toto autem Sabinorum tractu ita Strabo libr. 5. *ἅπασα δ' αὐτῶν ἡ γῆ διαφερόντως ἐλαιόφυτός ἐστι, καὶ ἀμπελόφυτος*: *ager illorum egregie olivetis, & vinetis consitus est.* Sed signate de Mutuscarum voluptatibus, deliciis, blandimentis extat Epigramma Martialis lib. 5.

Humida qua gelidas submittit Trebula valles,
Et viridis cancri mensibus alget ager,
Rura Cleonæo nunquam temerata leone,
Et domus Æolio semper amica Noto,
Te Faustine vocant, longas hic exige messes
Collibus; hibernum jam tibi Tybur erit.

Est videlicet Trebula eadem cum Mutuscis, tantum diversum nomen. Plinius lib. 3. cap. 12. *Trebulani, qui cognominantur Mutuscæi.* Errat vero insigniter καὶ ἀνοήτως Servius, cum scribit, hanc Trebulam Mutuscæam esse eam, quæ postea dicta Trebia, ubi Annibal Romanos delevit. Etenim Trebia exitialis Romanis in agro Placentino fuit longe à Sabinis, & horum Trebula. Sunt qui nominent Mutuscas, & Mutustas. Nunc dici Trevium animadvertit Barbarus in Castig. Plinianis. Sunt qui Mutuescas, & Mutuescanos nominent ex lapidibus. *Cerda.*

Mutuscæ.] Errorem Servii confundentis oppidum Trebulam & amnem Trebiam, apud quem Hannibal exercitum Romanum memorabili prælio fudit, notavit Cluver. ant. Ital. lib. 2. p. 683. *Emmeness.*

712. *Qui Nomentum urbem.*] Hoc ex sua persona dicit poëta. Nam adhuc civitas Nomentana non fuerat, ut in sexto ait, *Hi tibi Nomentum & Gabios.* Item, *Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.* Servius.

Nomentum.] Numerantur etiam Nomentani à Plinio inter Sabinos lib. 3. cap. 12. Imo ait Strabo l. 5. agrum Sabinum esse, qui à Tyberi usque Nomentum protenditur. Ab hoc Nomentana via, qua scilicet Nomentum itur. *Cerd.*

Nomentum.] Oppidum in Sabinis. hodie *Lamentano.* Distat ab urbe M. P. X. *Taubmannus.*

Nomentum.] Alii Latinis, alii Sabinis adscribunt. Rationem addit Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 666. Meminit etiam noster l. 6. Æn. ¶s. 773. *Emm.*

Rosea rura Velini.] *Velinus* lacus est circa Reate juxta agrum, qui *Rosulanus* vocatur. Varro tamen dicit lacum hunc à quodam consule, in Narran vel Narren fluvium (nam utrunque dicitur) esse diffusum: post quod tanta est ea loca secuta fertilitas, ut etiam perticæ longitudinem altitudo superarit herbarum: quinetiam quantum per diem demptum esset, tantum per noctes crescebat. Quod Virgilius ad suam provinciam transtulit, dicens, *Et quantum longis carpent armenta diebus, Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.* Servius.

Rosea.] Sunt quidem codices, in quibus *roscida* legatur, sed *rosea* agnoscit Servius à loci nomine. legas tamen

apud

Qui Tetricæ horrentis rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Foruloſque, & flumen Himellæ:
Qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida misit
Nursia,

apud Plinium, *Sabini*, ut quidam exiſtimavere, à religione, & cultu deorum *Sevini* appellati, Velinos incolunt lacus Roſcidis collibus, qui dubio procul ad Virgilianum carmen reſpexiſſe videtur, Ῥῶσ☉ tamen agnoſcunt Græci: unde *Roſius*, & *Roſeus* gentile nomen. Quare Servius non imperite *roſea* legit. *Pierius.*

Qui Roſea rura Velini.] Velinus lacus, unde dicti Velini, ſitus eſt juxta Reate in agro Roſeo (Servius Roſulanum vocat) hinc Poëta conjungit *Roſea rura Velini.* Plinius cap. 4. lib. 17. ita ſcribit: *Cæſar Vopiſcus, cum cauſam apud Cenſores ageret, campos Roſeæ dixit Italiæ ſummum eſſe, in quibus perticas pridie relictas gramen operiret.* Eſt autem lacus Velinus, & campi Roſei, in agro Sabino, ut videas Poëtam nunquam degenerare; omnes enim Clauſi Sabini comites ex agro Sabino elicit. Plinius clare libr. 3. cap. 12. *Sabini, ut quidam exiſtimavere, à religione & Deorum cultu Sevini appellati, Velinos accolunt lacus Roſeis campis.* Sic enim legendus locus Plinii admodum deformatus. Meminere præterea lacus Velini Columella lib. 8. cap. 16. & Tacitus lib. 1. Annal. Prior perſequens lacus piſcatu nobiles; poſterior loquens de conatu Tiberii volentis avertere flumina & lacus, per quos augeſcit Tyberis. *Cerda.*

713. *Tetricæ horrentis rupes.*] *Tetricus* mons in Piceno aſperrimus. Unde triſtes homines, *tetricos* dicimus. *Servius.*

Tetricæ horrentis rupes.] Montem hunc Sabinorum & horrore nubium, & rupium aſperitate deformem eſſe, & inde homines dici tetricos, partim Servius, partim alii adnotarunt. Inde eſt, ut multi in Perſio Sat. 6. legant,

Jame lyra, & Tetrico vivunt tibi pectine chordæ?

non *tetrico*, ut in vulgatis. Silius lib. 8. *& à Tetrica comitantur rupe cohortes.* Cerda.

Tetricæ, &c. mont. Severum.] Tetricus mons hodie *monte di S. Giovanni:* Severus *Monte negro* appellatur. de utroque videndus Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 692. *Emmeneſſ.*

Montemque Severum.] Proprium nomen montis eſt: ſicut agri, *Roſeus.* Servius.

Montemque Severum.] Adjectivum agnoſcit Marcellus cum reſpectu ad rupes montis Tetrici. Sed Servius, & Erythræus nomen proprium montis, & Erythræus adhuc in Sabinis. Et quidem nomina tam montis Tetrici, quam Severi, qui duo ſiti in Sabinis, neſcio qui congruunt cum ipſis Sabinorum moribus. De quibus ita Livius loquens de Numa: *Suopte ingenio temperatum animum virtutibus fuiſſe opinor magis, instructumque non tam peregrinis artibus, quam diſciplina tetrica ac triſti veterum Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit.* Quin Paſſeratius ait, Furias dictas à Propertio Eleg. 12. l. 4. *turbam ſeveram.* Cerda.

714. *Caſperiamque colunt.*] *Caſperia* & *Foruli* civitates ſunt. *Servius.*

Caſperiamque.] Ex antiquis codicibus, omnino *Caſperiam* legendum, non *Caſperulamque.* Pierius.

Caſperiamque.] Oppidum eſt ſupra Cures circa fontes amnis Himellæ. *Aſpra* vulgari vocabulo dicitur. vide Cluver. Ital. ant. l. 2. p. 676. de Himella, qui fluvius fluit in Tiberim infra Narem, idem p. 607. *Emmeneſſ.*

Foruloſque.] In antiquis aliquot codd. *ferulos* habes, ſed inemendate. ita *Himillæ*, pro *Himellæ.* Pierius.

Flumen Himellæ.] *Hymella* fluvius eſt: & dixit *Hymellæ flumen*, ut *Butroti urbem.* Servius.

715. *Qui Tiberim Fabarimque bibunt.*] Bene

Nursia, & Hortinæ classes, populique Latini:
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen:

Quam

Bene *bibunt*, nam Tyberis in Tuscia oritur: sed transit etiam per Sabinos Unde *bibunt*, non *possident* dixit. Et sciendum Turno dari auxilium à tractu Piceni, Samnii, Campaniæ, & pro parte Apuliæ: omnis vero Tuscia superior & Venetia Æneæ præstat auxilium. *Fabarim* autem quem dicit, etiam ipse per Sabinos transit, & *Farfarus* dicitur. Plautus, *Dissipabo te tanquam folia Farfari*. Ovidius, *Et amœnæ Farfarus umbræ*. Serv.

Fabarimque.] *Faburum* in antiquis aliquot codicibus habetur, sed apud plures *Fabarim*, lectione auctorum consensu comprobata. *Pierius*,

Fabarimque bibunt.] Servii sententiam, quod *Farfarus* etiam appelletur, confirmare videtur nomen, quod hodie ei manet *Farfa*. Vide Cluver. ant. Ital. l. 2. p. 707. Negat hoc Turneb. l. 15. c. 7. Farfari meminit Ovid. l. 14. Metam. ỷſ. 330.

Narque tulit præceps, & amœnæ Farfarus umbræ.

Quid sit *bibere Tiberim & Fabarim* dictum Ecl. 1. ỷſ. 63. & Ecl. 10. ỷſ. 65. *Emmeness.*

Frigida misit Nursia.] Piceni civitas. *Frigida* autem, aut re vera aut certe venenosa, nocens. Gracchi namque ubique in concionibus suis *Nursinos* sceleratos appellaverunt: & scimus amare Virgilium historiarum rem per transitum tangere. *Servius.*

716. *Nursia.*] Plinius lib. 3. c. 12. Nursinos in Sabinis numerat, ut & Ptolemæus in tabula sexta Europæ cap. 1. Nunc vocari Norzan Leander scribit. Sed cur *frigida?* Quia vere frigida, ait Serv. vel quia (ait idem) venenosa, & nocens. Probat. Nam Gracchi in concionibus solebant Nursinos appellare sceleratos. Solet autem Virgilius historias attingere in transitu. Ut hanc Servii Notam capias, adi quæ ego jam late Eclog. 8. ad illud,

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Et Eclog. 9. ad illud;

Heu cadit in quemquam tantum scelus——

Certe in tabula Ptolemæi prope Nursiam montes sunt, in quibus ut plurimum algor, & frigus: ut jam prima Servii explicatio probari queat. Addit vim Silius, qui libr. 8. *nec non habitata pruinis Nursia*. Cerda.

Nursia.] Patria Sertorii. *frigida* dicitur, ut Cluver. l. 2. Ital. ant. p. 691. quia sita est inter Apennini pruinas. *Emmeness.*

Hortinæ classes.] Hortini equites, qui *classes* dicuntur. Unde & eorum tubas *classica* dicimus: & partes populi *classes* vocamus, quas quinq; fuisse legimus. *S.*

Hortinæ classes.] Id est, Hortini Equites: unde & eorum tubæ dicebantur *Classica*. *Hortanum*, vel *Horti*, oppidum Thusciæ, ab amœnitate hortorum sic dictum. *Taubm.*

Populique Latini.] Qui intererant Albani montis viscerationi. *Servius.*

Populique Latini.] Ait Plin. l 3. c. 12. *Infra Sabinos Latium est.* Itaque Poëta post Sabinos infert statim Latinos, ut proximos. *Cerda.*

717. *Infaustum interluit Allia nomen.*] *Allia* fluvius haud longe ab urbe est: juxta quem Galli, Brenno duce, decimoquinto calendarum Augustarum die, deleto exercitu, post triduum etiam urbem vastaverunt excepto Capitolio. Sane *Alia* dicitur, cui propter metri necessitatem unum *l* addidit, ut *Allia* diceret, sicut *reliquias* & *relliquias*, unde apparet bene dixisse Lucanum: *Quos Aliæ clades.* Servius.

Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.] Optime *infaustum nomen* cum de Allia est sermo: hic enim fluvius infamiam contraxit, ex quo ad illum Romani fœde fusi fugatique sunt à Gallis. Inde Ovidius in Ibim *gravem* appellat:

Hae

Quàm multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hibernis conditur undis;
Vel cum sole novo densæ torrentur aristæ,
Aut Hermi campo aut Lyciæ flaventibus arvis;

Scuta

Hæc erat in fastis cui dat gravis Allia nomen.

Et 1. de Arte *flebilem* & Lucanus *damnatam* lib. 7.

Et damnata diu Romanis Allia fastis.

Silius lib. 8. *horrificis sese extulit Allia ripis.* Cicero l. 9. ad Attic. epist. 4. *Majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quam urbis captæ.* Infeliciter certe res omnis gesta Vitellio est, qui *omni divino humanoque jure neglecto Alliensi die Pontificatum maximum cepit.* Verba sunt Suetonii in ejus vita cap. 7. *Cerda.*

Allia infaustum nomen.] *Allia*, fluvius distans ab Urbe Roma ad XI. lapidem, via Salaria: apud quem Romani à Gallis duce Brenno fusi sunt, & Roma inde capta, ad XV. Calend. Sextil. ut tradit Livius lib. 6. Plutarchus in Camillo, ubi multa de inauspicatis Diebus agit, *diem Alliensem* ἀποφράδα ἡμέραν vocat: qui Homero esset ἦμαρ δυσώνυμον. Talis erat & Cremerensis, & Cannensis, aliique. Lucanus l. 7.

Cedant feralia nomina Cannæ,
Et damnata diu Romanis Allia fastis.

Taubmannus.

Infaustum Allia nomen.] Cladem Alliensem enarrat Livius l. 5. c. 37. & seqq. Florus l. 1. c. 13. ab Allia flumine nomen habet, quod infra Farfarum est, parvum quidem, at fama apud Romanos seu potius infamia ingens, ut Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 708. per simplex l scribunt, ut & Græci ἀλία ποταμὸς, ἀλίας ἡμέρα. vide Dausq. *Emmeness.*

718. *Marmore.*] In plerisque codicibus antiquis, pro *marmore*, *litore* scriptum invenias. Sed in Romano, *marmore*, ita in Mediceo, & aliquot aliis. *Pierius.*

719. *Orion.*] Nimbosum sidus, & ortu, & occasu. De occasu hic audis. De ortu 1. Æneid.

Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.

De utroque Aristotel. lib. 2. Meteor. cap. 5. ubi & rationem exhibet: verba ejus: ἀκραῖος δ' ἐστὶ καὶ χαλεπὸς ὁ Ὠρίων εἶναι δοκεῖ καὶ δύνων, καὶ ἐπιτέλλων, διὰ τὸ ἐν μεταβολῇ ὥρας συμβαίνειν τὴν δύσιν, καὶ τὴν ἀνατολὴν, θέρους, ἢ χειμῶνος, καὶ διὰ τὸ μέγεθος τοῦ ἄστρου, ἡμερῶν γίγνεται τὸ πλῆθος: *Orion, & cum oritur, & cum occidit, incertus ac difficilis esse propterea videtur, quod ejus exortus, & occasus, tum, cum tempora evariant, commutanturque, ille æstate, hic hieme accidant. Idque propter sideris magnitudinem durat diebus pluribus.* Cerda.

720. *Vel cum sole novo torrentur aristæ.*] Prima æstatis parte. Nam proprie Sol novus est octavo calendas Januarias: sed tunc non sunt aristæ, quas ab ariditate dictas esse constat. *Servius.*

Sole novo.] Id est, prima æstatis parte. Ita Attici veteres τὸ κέντρον χειμερινὸν vocarunt, νέον ἔτος, quod inde inciperet computus anni prisci Solaris. *Novum Solem* Statius vocat etiam Kal. Januar. propter novos fasces Consulum. Vide Scalig. De Emendat. Temp. l. 5. p. 12. *Taubm.*

721. *Hermi campo.*] *Hermus* Lydiæ fluvius, qui superfusus campis gignit fertilitatem. Unde arenas aureas fingitur trahere. *Servius.*

Hermi.] Amnis est *in sinu Smyrnæo* secundum Melam l. 1. c. 17. quem locum illustrat Vossius. Hujus etiam meminit Plin. l. 5. c. 29. *A Smyrna Hermus amnis campos facit, & nomini suo adoptat.* Emmeness.

Lyciæ flaventibus arvis.] Fertilis frugum provincia. *Servius.*

Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis,
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho

722. *Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.*] In plerisque antiquis codicibus, scriptum inveni, veluti prius in impressis legebatur, *scuta sonant pulsuque pedum conterrita tellus.* lectionem vero illam *tremit excita tellus*, quam nuper eruditissimi viri publicarunt, in Mediceo, & in Porcio, tantum ex manu scriptis codicibus vidi. *Pierius.*

723. *Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis.*] Hunc Agamemnonis plerique comitem, plerique nothum filium volunt: qui cum venisset ad Italiam audito adventu Æneæ, in bellum ruit, non amore Turni, sed odio hostilitatis antiquæ. Unde ait, *Trojani nominis hostis.* Servius.

724. *Halesus.*] Fuisse hunc conditorem Faliscorum jam Turnebus astruxit lib. 22. cap. 3. ex Ovid. lib. 3. Amor. Eleg. 12.

Argiva est pompa facies Agamemnone caeso,
Et scelus, & patrias fugit Halesus opes.
Jamque pererratis profugus terraque, marique,
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille suos docuit Junonia sacra Faliscos,
Sint mihi, sint populo semper amica suo.

Quia vero hic ab Argis in Italiam venit, ideo Argolicum vocat Silius lib. 8.

Nec non Argolico dilectum litus Haleso.

Solinus etiam cap. 8. *Ab Haleso Argivo Faliscum.* Cerda.

Curru jungit Halesus equos.] Ita maluit Poëta, quam, *Jungit Halesus equos curru*: id quod plebejus quispiam P. fecisset. Spondeus enim disjunctus à subsequente dictione, quæ Dactylum instituit facere, moram jugandi equos nondum junctos connotat. De qua artificiosa verborum dispositione Scal. l. 4. c. 48. & Pontanus in Actio. Hic autem *Halesus* conditor fuit Faliscorum: ut docet Turneb. l. 22. c. 3. Ovid. 3. Am. el. 12. Et *Agamemnonius* dicitur: sive quod comes, sive filius nothus Agamemnonis fuerit. *Taubm.*

725. *Rapit populos.*] Raptim adducit. Etiam Campaniæ loca commemorat. Nam Massicus mons est vitibus plenus. *Massica* autem dixit, ut *Mænala.* Servius.

Rapit populos.] Silius lib. 8.

Tellius aratas raptabat in agmina turmas.

Iterum loquens de Peligno, *gelidoque rapit Sulmone cohortes.* Et lib. 12.

Raptum iter est, victorque moram non passus eundi.

Tacitus 1. Annalium: *Expeditum exercitum in Chattos rapit.* Cerda.

Vertunt.] Indicat arationem. Plinius lib. 18. cap. 16. *Si evicerint herbæ, remedium unicum est aratio, sæpius vertendo, donec omnes aliæ radices intereant.* Sed de hoc jam in Georgicis. Solent Poëtæ hujusmodi catalogos virorum fortium amplificare simili opum narratione, ut quærant aliquod diverticulum, ne perpetua sit series nominum. Sic Valerius primo Argon.

Proximus huic Butes Attæis dives ab oris,
Innumeras nam claudit apes, longaque superbus
Fuscat nube diem. —

Dicit *nubem* de apibus, ut ante illum Virgilius. Redeo. In hac re multus est Homerus: ut enim Virg. in hoc catalogo ait venisse, qui arant montem Massicum felicem vitibus; ita ille Haliarton in sua recensione vocat ποιήενθ' *herbosum*: & Arnem πολυστάφυλον, *vitiferam*: & de Epidauro, ἀμπελόεντα, *vitibus consitam.* De Orchomeno, πολύμηλον, *pecorosum.* De Pteleo, λεχεποίην,

Massica qui rastris, & quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta
Æquo-

πολλω, herbosum. De Itone, *μητέρα μήλων, matrem ovium.* De Pyrrhaso, *ἀνθεμόεντα, floridam.* Et mille alia. Sic Statius in suo catalogo lib. 7.

Aulida qui, Græcamque ferunt, viridesque Plateas;
Et sulco Peteona domant. —

Et 12. in simili recensione,

Dives, & Egaleos nemorum, Parnesque benignus
Vitibus, & pingui melior Lycabetos oliva;
Venit atrox Ileus, & olentis arator Hymetti.

Et in 4. ubi similis recensio, *pecorosaque Phyllos.* Iterum:

Qui ripas Lincææ tuas, tua litora multo
Vomere suspendunt. —

Nonnus lib. 26. in simili ad bellum catalogo ait relictum *εὔσπορον αὔλακα γαίης: bene seminatum sulcum terræ.* Idem.

726. *Massica.*] Vinum Massicum Campaniæ multis est nobile, uni Horatio nobilissimum, adeo crebra in illo mentio hujus vini. Sat. 4. lib. 2.

Massica si cœlo supponas vina sereno.

Od. 1. lib. 1. *veteris pocula Massici.* & Od. 7. lib. 2. *oblivioso Massico;* quia cum hoc vino abeunt molestiæ. Et Od. 21. lib. 3.

Quocunque lectum nomine Massicum
Servas —

Plautus scen. ult. Pseud.

Credo equidem potesse te scelus Massici
montis uberrimos quatuor
Fructus ebibere in una hora. —

Sed de elogio hujus vini attuli Columellæ verba lib. 2. Georg. ad illud, *& Bacchi Massicus humor.* Ejusdem meminit Virg. lib. 3. Georg. *munera Bacchi Massica.* ubi vult significare vinum excellentissimum *κατ' ἐξοχὴν.* Porro Massicum eundem esse cum monte Gauro, & tantum diversa nomina Abraham. asseverat. *Idem.*

727. *Aurunci misere patres.*] Isti Græce *Ausones* nominantur. *Servius.*

Aurunci.] Plin. lib. 3. cap. 5. Auruncos numerat inter populos Latii. Quin hos esse antiquissimos Ausones & Servius scribit & ex Isacio in Lycophronem astruit Abraham. Ortel. Inde Virg. diserte *patres* nominat, vel, ut legunt alii, *Arunci misere senes.* Cum hac vetustate alludunt verba Ammiani, qui de illis, uti antiquissimis, ita loquitur l. 30. *Auruncorum, Sicanorumque jamdiu leges ignotas, cum Evandri matre abhinc sæculis obrutas multis.* Et de Auruncis loquens Livius lib. 8. signate ait, *mœnia antiqua eorum.* Dignum est quod sciatur etymon Auruncorum, qui sic dicti tanquam Averrunci. Antiqui enim & *auruncare,* & *averruncare* pro eodem dixerunt: inde Auruncus Deus, sive Averruncus est, qui Græcis *θεὸς ἀποτρόπαιος, malorum aversor.* Habuit autem hæc gens id nominis, quasi *ἀποσπασθέντες,* id est, *avulsi, & aversi à suis sedibus,* quia errones & *πλάνητες.* De hoc latius Scaliger in Festum. *Cerda.*

Sidicinaque juxta Æquora.] Ab oppido quod *Sidicinum* dicitur. *Servius.*

Sidicina.] Sidicinum in Campania ponit Plin. lib. 3. cap. 5. Alio nomine Teanum. Ait enim: *Teanum Sidicinum cognomine.* Strabo quoque *σιδικινῶ* meminit; & Horat. epist. 1. lib. 1. *cras ferramenta Teanum Tolletis fabri,* &c. Et Teani fluminis in hoc tractu Orosius lib. 5. cap. 18. Credo Poëtam posuisse in carmine Sidicinos post Auruncos, memorem historiarum. Fuit enim acre bellum inter Auruncos, & Sidicinos, quod Livius scribit lib. 8. ab eo loco: *Inter Sidicinos, Auruncosque bellum ortum,* &c. Subit mentem, an Sidicini dicti sint, quasi seditiosi. Nescio an aliquis probaturus sit conjecturam, cui certe favet tum Livii locus lib. 8. *Toties jam Sidicini, aut ipsi moverant bellum, aut moventibus auxilium tulerant, aut causa armorum fuerant;* tum quæ de aliis

Æquora, quique Cales linquunt, amnisque vadosi
Accola Volturni, pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manus. teretes sunt aclydes illis
Tela:

aliis populis non absimilia, ut quæ nuper de Auruncis, & quæ antea de Tetricis: & de urbe quam Θαλάμας vocat Pausanias lib. 3. à susceptis ibi liberis à Tyndareo. Hoc enim etymon ab scriptore colligo. *Cerda.*

728. *Æquora.*] Codices aliqui *æquora* non *litore*. Utrunque ad variandam poësin. Nam qui de Auruncis dixerat, *collibus altis*, de Sidicinis proximis, *litora*, aut *æquora*, cum clara oppositione ad colles. Silius lib. 12. *arva* nominat:

Tum Sidicina legunt pernicibus arva maniplis. Idem.

Cales linquunt.] Civitas est Campaniæ. Nam in Flaminia est, quæ *Cale* dicitur. Est & in Gallia hoc nomine, quam Salustius captam à Perpenna commemorat. *Servius.*

Cales.] Urbs quoque Campaniæ. Coloniam nominat Vellejus priore volumine, quam ait deductam Sp. Posthumio, & Veturio Calvino Coss. Hanc etiam urbem infert ex memoria historiarum fidelis Vates. Hæc enim urbs & proxima est Sidicino, & inter utranque stricta amicitiæ fœdera. Itaque quemadmodum urbs utraque in Romam olim conspiravit; sic nunc utraque in Æneam. Amat enim Virgilius similes historias in excursu indicare. Vide Livium ab eo loco lib. 8. *Insequens annus L. Papyrio Crasso, Cæsone Duellio Coss. Ausonum magis novo, quam magno bello fuit insignis. Ea gens Cales urbem incolebat, Sidicinis finitimis arma conjunxerat.* Hujus urbis nomen ad Calain refert Silius l. 8. his versib.

Nec cadit studio vicinus sanguine miles,
Quem genuere Cales, non parvæ conditor urbis,
Ut fama est, Calais Boreæ, quem rapta per auras
Orithyia vago Geticis nutrivit in antris.

Ex Silio habes *Cales* in Virgilio esse numeri multitudinis. Sed idem Silius in singulari libro 12. ubi ait:

Threiciamque Calem, vestras à nomine nati
Orithyia domos. — Cerda.

Cales.]. De hoc oppido, sive vico, *Cagli* dicto, Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 617. cujus meminit Horat. l. 4. Od 12. *Vinum Calibus pressum.* Emmeness.

Amnisque vadosi Accola Volturni.] Fluvius juxta Cumas cadit in mare. *Serv.*

Volturni.] Amnis Campaniæ vulgo accolis *Volturno* & *Volterno* dictus, de quo Cluver. ant. Ital. lib. 4. p. 1093. non tantum amnem, sed & oppidum ejus nomine statuit in Campania Mela l. 2. c. 4. Plin. l. 3. c. 5. & Strab. l. 5. *Emmeness.*

729. *Saticulus asper.*] Populus Campaniæ asper moribus. *Servius.*

Saticulus asper.] A Colonia *Saticula*, quæ à non nullis & *Satricula* appellatur. An in Campania, an in Samnio, non convenit. Adi disputantem hac de re fusius Cluver. ant. Ital. l. 4. p. 1183. *Emmeness.*

730. *Oscorumq; manus.*] Capuenses dicit, qui ante *Osci* appellati sunt, quod illic plurimi abundavere serpentes. *Servius.*

Oscorumque.] Male in quibusdam antiquis codicibus, *Tuscorum* est. Pier.

Oscorumque manus.] Qui ante dicti fuerunt *Opici*, postea autem *Opsci*, vel *Obsci*, unde *Osci*; inter Ausonas numerandos putat Cluver. lib. 3. ant. Ital. p. 1059. ubi etiam de Osca lingua. *Emmeness.*

Aclydes illis tela.] *Aclydes* sunt tela quædam antiqua, adeo ut nec usquam commemorentur in bello. Legitur tamen quod sint clavæ cubito semis factæ, eminentibus hinc & hinc acuminibus quibusdam: quæ ita in hostem jaciuntur religatæ loro vel lino, ut peractis vulneribus possint redire. Putatur

Tela: sed hæc lento mos est aptare flagello.
Lævas cætra tegit; falcati comminus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
OEbale: quem generasse Telon Sebethide nympha
Fer-

tur tamen esse teli genus, quod per flagellum in immensum jaci potest. *Servius.*

Aclydes.] *Aclydas* quidem teli genus, commentatores tradunt: de quo tamen nemo certum asseverat. in quodam vero antiquo codice legimus *Acides*; quod apud Græcos, & telum, & cuspidem significare manifestum est. Forte tamen aliquis erit, qui de *Aclyde* certius aliquid in medium ferat. Nobis enim ad plurima hujusmodi perquirenda otium non fuit. *Pierius.*

Aclydes.] Quidam hæc tela dicta putant, quasi *ἀκίδες*, à Cuspide: Turnebus, quasi *ἀγκυλίδες*, cum & *ἀγκύλαι* Græcis *jacula* sint: & credit fuisse ansata vel amentata: & *lentum flagellum* exponit amentum loreum, quo tela alligata revocari poterant à jactu. Vide lib. 30. c. 21. Sillius:

Aclydis usus erat.

Marcellus Donatus P. Comes, l. Dilucidat. putat *aclydes* fuisse claves ferreas, cujusmodi & patrum nostrorum memoria in usu fuerint, acuminibus quibusdam circa caput circummunitas, ad cassides præsertim contundendas, & disrumpendas loricas, &c. *Taubm.*

731. *Aptare flagello.*] Quo sensu? An ut summis virgis arborum flagellisque insertæ fuerint, non duris robustisque stipitibus? An *flagellum* hic, lorum & amentum? An denique loris revinctas fuisse; sic, ut missæ recipi possent & redire? *Lipsius* etiam hic hæret: quem vide lib. 4. Dial. 4. Poliorcet. *Idem.*

732. *Lævas cætra tegit.*] Scutum loreum, quo utuntur Afri & Hispani. *Servius.*

Lævas cætra tegit.] In aliquot antiquis codicibus, *lævas* numero multitudinis. Sed & *lævam* unitatis numero reperitur. *cetra* quoque varie scribitur in vetustis exemplaribus. Nam & *catra*, & *scetra* reperitur: sed melius ex Livio *cetra.* unde *Cetrati milites.* Pierius.

Falcati comminus enses.] Affectavit varietatem. Nam consequens fuerat, *Dextras armant gladii falcati.* Falcatus autem ensis est *harpe*, qua usus est Lucanus, *Harpen alterius monstri jam cæde rubentem.* Servius.

Falcati enses.] Sunt enses curvi: *ἅρπαι* Græcis: qualem Perseo tribuunt Poëtæ: qui etiam *falces* vocantur. inde *Falcarii* apud Cic. in 1. Catil. Turneb. l. 26. c. 28. Lucanus:

Harpen alterius monstri jam cæde rubentem. Taubm.

733. *Indictus.*] Ἀμνημόνευτος, supra. ab indico, *indicti honores templis.* Germanus.

734. *OEbale.*] *OEbalus* filius est Telonis & Nymphæ Sebethidis. Hæc autem est juxta Neapolim. Sed Telon diu regnavit apud Capreas insulam contra Neapolim sitam. Filius vero ejus patriis non contentus imperiis, transiit ad Campaniam, & multis populis subjugatis suum dilatavit imperium. *Serv.*

Sebethide.] Sebethi amnis cursus est inter montem Vesuvium, & Neapolim. Ideo Columella cum Neapoli conjunxit in suo horto:

Doctaque Parthenope Sebethide rosida lympha.

Et Statius 1. Silvar. illius meminit in mentione Neapolis, his versibus:

At te nascentem gremio mea prima recepit
Parthenope, dulcisque solo tu gloria nostro
Reptasti: nitidum consurgat ad æthera tellus
Eubois, & pulchra tumeat Sebethos alumna.

Fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret
Jam senior: patriis sed non & filius arvis
Contentus, late jam tum ditione premebat
Sarrastis populos, & quæ rigat æquora Sarnus,
Quique Rufras Batulumque tenent, atque arva Celennę,

Et

Inde quoque arrepta occasio celebrandi hujus fluminis Sincero Sannazaro, utpote Neapolitano, qui vir poëtica laude floruit præ mortalibus sui ævi. Sed quid sui ævi? Quid si Neapoli majorem gloriam Sannazarus attulit, quam Statius Papinius? non erit iniquus censor, qui hoc censeat. *Cerda.*

Sebethide nympha.] A *Sebetho* amne, qui inter *Vesevum* montem & *Neapolim* decurrens *Fiume de la Maddalena* nuncupatur. & inde Fons, qui vicatim per Neapolim labitur, omnes fere usus civibus præstans, populariter *Fornello.* Taubmannus.

735. *Teleboum Capreas cum regna teneret.*] Cum teneret Capreas regna Teleboum. Nam *Teleboæ* Caprearum sunt populi, quos Telon suo regebat imperio: quidam dicunt *Capreas* à Capreo, qui in illis regionibus potens fuit, nominatas. *Servius.*

Teleboum Capreas cum regna teneret.] Capreæ insulæ nomen. eas Telebois habitatas fuisse docet ex Tacito Cluver. l. 4. Ital. ant. p. 1168. hanc insulam in deliciis habuit Tiberius, ut ex Suetonio discimus. *Emmeness.*

736. *Sed non &c.*] In antiquis aliquot codicibus, *sed non jam* legitur. *Pierius.*

Patriis sed non & filius arvis Contentus.] Quis nescit, quæ de Alexandro Scriptores, cui Philippi patris Regnum visum angustum? *Cerda.*

737. *Premebat.*] Vis indicatur, & credo hoc verbum duci à jure, l. 38. ff. t. 1. l. 2. *ut premeret, atque oneraret libertinas personas.* Et quidem forense esse verbum satis indicat Budæus, qui *καταμαρτυρῶ σου* reddit, *premo te meo testimonio:* & sic accipit illud Demosthenis: ὃς αὐτὸς ἑαυτοῦ καταμεμαρτύρηκε. Inde & in codicibus legas, *priusquam accusati se criminis, quo premuntur, exuerint.* Idem.

738. *Sarrastis populos.*] Populi Campaniæ sunt à Sarno fluvio. Conon in eo libro, quem de Italia scripsit, quosdam Pelasgos aliosque ex Peloponneso convenas ad eum locum Italiæ venisse dicit, cui nullum antea nomen fuerit, & flumini, quem incolerent, Sarno nomen imposuisse ex appellatione patrii fluminis, & se *Sarrastes* appellasse: hi inter multa oppida Nuceriam condiderunt. *Servius.*

Sarrastis populos.] Versum Virgilii ita reddit Silius lib. 8.

Sarrastes etiam populos totasque videres
Sarni mitis opes. ——

Vocat Sarnum *mitem*, quia hic fluvius non præceps, sed placidus, & utilis irrigandis agris; inde Poëta, *& quæ rigat æquora Sarnus.* Quia fluit plano agro. Et Strabo lib. 5. de Vesuvio, qui Sarno imminet, *ἀγροῖς περιεχόμενος παγκάλοις, amœnissimis agris circumdatus.* Pari nota Plinius c. 5. l. 3. *spectante monte Vesuvio, alluente vero Sarno amne ager Nucerinus.* Rigat videlicet Sarnus agrum Nucerinum. Et quidem Nuceriam iidem Sarrastæ condidere, quod Servius testificatur. Statius quoque l. 1. Silvar. voluptatem indicat eo versu,

Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni. Cerda.

Sarnus.] Vide Cluver. ant. Ital. p. 1156. *Emmeness.*

739. *Rufras Batulumque tenent.*] Castella Campaniæ à Samnitibus condita. *Servius.*

Batulumque tenent atque ar. Cel.] In Romano codice, *Batalum*, & *Celemnae*, pro *Celennæ* legitur. utrunque inemendate. *Pierius.*

Rufras

Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ:
Teutonico ritu soliti torquere cateias:

Teg-

Rufras Batulumque.] Ait Serv. esse duo castella Campaniæ à Samnitibus condita. De Rufis scribit Erythr. fuisse oppidum in Campania, & nunc sine vestigiis. Quid vero si à Virgilio Silius, vel contra corrigendus? Ait enim Silius lib. 8. *Qui Batulum, Mutrasque colunt.* Cerda.

Arva Celennæ.] Junonis locus Campaniæ est, *Celemne* locus sacer Junoni. *Servius.*

Celennæ.] Agnoscit Serv. locum in Campania, cui nomen Celennæ, & sacrum Junoni. Quid si colonia Apamiensium? est enim Apamea urbs Asiæ sita ad ostia Marsiæ fluminis, quam urbem Celennas vocari tradit Plin. cap. 29. lib. 5. *Cerda.*

740. *Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ.*] Multi Nolam volunt intelligi: & dicunt iratum Virgilium nomen ejus mutasse propter sibi negatum hospitium: & ita aperte noluisse dicere, sed ostendere per periphrasin. Nam illic Punica mala nascuntur, ut nunc *Bella* pro *Nola* posuerit. Alii volunt accipi, ut sit Synalœpha, & legatur *mœnia Abellæ.* Quidam hanc civitatem à rege Murano conditam *Mœram* nomine vocatam ferunt, sed Græcos primo eam incoluisse, quæ ab nucibus abellanis *Abella* nomen accepit. Alii quod imbelle vulgus & otiosum ibi fuerit, ideo *Abellam* appellatam: hujus cives cum loca circa Capuam possiderent, orto tumultu interiisse, aliosque fugientes Mœranum abiisse, & ejus incolis servisse, quod imbelliores fuerint, *Abellanos* dictos. *Servius.*

Despectant mœnia Abellæ.] Antiqui omnes codices, quotquot habui, *mœnia Bellæ* legunt: quod vero & *Abellæ* legi possit rationem videris apud Servium, tum etiam apud Strabonem *Abella* legitur, ubi has hoc ordine ponit urbes, τῆς δὲ λατίνης ὁδοῦ καὶ ἔτι σεέσσυλα, καὶ ἀτέλλα, καὶ νῶλα, καὶ νυκερία, καὶ ἀχέρραι, καὶ ἀβέλλα. *Pierius.*

Abellæ.] Est & montis nomen, & oppidi & torrentis, in Samnitibus. Oppidum in monte situm populos despectat. Mons ipse tempestatis intemperie horridus, quasi ἄελλα dictus, &c. Etiam Erythr. mavult *Abellæ*, vel *Avellæ:* unde sint *Avellanæ nuces.* aitque apud *Nolam* hodieque urbem dici *Avellam.* Taubmannus.

Abellæ.] Municipium & colonia, de qua fusius agit Cluver. l. 4. Ital. ant. p. 1185. *Emmeness.*

741. *Cateias.*] Tela Gallica. Unde & *Teutonicum ritum* dixit. *Cateiam* quidam asserunt teli genus esse tale quale aclydes sunt, ex materia quam maxime lenta, cubiti longitudine, tota fere clavis ferreis illigata, quam in hostem jaculantes, lineis, quibus eam adnexuerant, reciprocam faciebant. *Cateiæ* autem lingua Theothisca hastæ dicuntur. *Servius.*

Torquere cateias.] Quia in plerisque codicibus *i* litera longiori forma notata est, supraque aliarum fastigia alte producta, factum est ut in Romano codice, & quibusdam aliis, *catelas*, inde *catellas* notatum fuerit: Illud enim *i* longum, *l* literam, qua nunc scribentes utimur, esse crediderunt. Quod ideo dictum volui, quia Longobardica manus sæpe fallat in *i* literæ scriptione, nisi hoc adverteris. *Pierius.*

Teutonico ritu soliti torquere cateias.] Non fero Servium, & alios, qui dicunt dici *ritu Teutonico*, pro Gallico. Quasi non sciret Poëta aliter rem afferre. Illas interpretationes, quæ Maroni dant angustam venam, semper respuo. Mali Poëtæ coguntur, boni liberi sunt. Nam esto, cateiæ Gallorum sint; cur non & Teutonum? unde enim probabunt esse illorum, non horum; præcipue in tam exigua mentione cateiarum? Quid quod Donatus nihil de Gallis agnoscit, & tantum Teutonas assumit? Sed jam ad auctores, qui de hoc

Tegmina quis capitum raptus de subere cortex:
Æratæque micant peltæ, micat æreus ensis.
Et te montosæ misere in prœlia Nersæ,
Ufens, insignem fama & felicibus armis:
Horrida præcipue cui gens, adsuetaque multo
Venatu nemorum, duris Æquicula glebis
Arma-

telo. Val. Flac. 6. Arg.
Et puer è primo torquens temone cateias.
Silius libr. 3. *panda manus est armata cateia.* Nulla alia, quod sciam, mentio. Inde suspecta esse possunt, quæ de hoc telo Isidorus, & alii. Unde enim sciunt illa? *quæ jacta quidem non longe propter gravitatem evolat, sed quo pervenit, vi nimia perfringit.* Verba sunt Isidori. Neque intelligo, quæ in illo sequuntur, *quod si ab artifice mittatur, rursum redit ad eum qui misit.* Nam cur non etiam redibit, si mittatur ab alio quam ab artifice? Ego facile credo hæc Isidori esse deformata, non minus, quam superiora ejusdem: *Cateia, quam Horatius caiam dicit.* Quibus jam mederi curarunt & Lipsius, & Grial. Prior ita: *Cateia, quam Dorcatio cavam dicit.* Posterior vero: *Cateia, quam Lucilius cælum dicit.* Vide, ut uterque suam astruat conjecturam. Ex ultimis Isidori verbis istis, *Hispani, & Galli Teutonos vocant,* videlicet cateias, recte conjicit Grial. (nam hic Lipsium alitercorrigentem non moror) esse fortasse quos Hispani dicunt *chucos*, aut *chucones*. Ceterum qua forma Noster *Teutonico ritu*, ex Juvenal. Sat. 10. *Teutonico curru.* & Propertius Eleg. 3. lib. 3. *Teutonicas opes.* Cerda.

Ritu.] Id est, more, modo. Valer. libr. 4. Argon. (*ritu.*
Cum subito Arcadio sonuit cava fistula
Videlicet, eo modo, quo solent Arcades, cœpit Mercurius modulari. *Idem.*

Cateias.] Erant hastæ angusto & brevi ferro Germanorum & Gallorum. Alex. l. 6. c. 22. & Servius Dan. quem mihi vide. *Taubm.*

742. *Raptus de subere cortex.*] Bene *Raptus*: id est, raptim sublatus: quia recens suberis cortex in quamvis formam tota flectitur facilitate. *Servius.*

743. *Micat æreus ensis.*] Livius l. 4. *hostis urgere scutis, micare gladiis.* Sen. epist. 109. *etiamsi circa me gladii micarent.* Cerda.

744. *Montosæ Nersæ.*] Civitas in montibus posita. *Servius.*

Montosæ.] Non *montuosæ*: eam siquidem vocem ut barbaram docti explaudunt. *Germanus.*

Nersæ.] In Romano codice, *Nyrsæ* per *y* scribitur, ut *Cymarum*, pro *Cumarum*. Sunt & plerique codices, in quibus *Nersæ* per *e* scriptum est. Sed *Nursæ* receptum. *Pierius.*

Nersæ.] Dubitatur an sit in Æquiculis. Vide Cluver. l. 2. p. 785. *Emm.*

745. *Insignem fama.*] Bene *fama*, quia occidetur: ut, *Ufentemque, Gyas cadit, & Tolumnius augur.* Servius.

Insignem.] Ab hoc elogio statim ab initio 8. Æneid. *ductores primi Messapus, & Ufens.* Cerda.

746. *Horrida præcipue cui gens.*] Æquicolam gentem dicit, & morum & vitæ qualitate præduram. Sane aliud pendet ex alio. Ideo erant horridi, quia venabantur, quia habebant duras glebas, id est, infertiles. Nam molles, feraces sunt: ut in Georgicis docet, *Et cui putre solum, namque hoc imitatur arando.* Servius.

747. *Æquicula.*] In plerisque veteribus codicibus, *Æquicula* pene ultima per *u* notata est pro *Æquicola.* Nam ea terminatio, quæ est in *ola* plerunque per *u* scribi animadverti, ut *epistula*, quod non in veteribus tantum codicibus, verum etiam in antiquis monumentis non semel observavi. *Pierius.*

Æqui-

Armati terram exercent, semperque recentis
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.
Quin & Marruvia venit de gente sacerdos,

Fronde

Æquicula.] Alii efferunt per ultimam vocalem *Æquiculas*. Horum meminit Plinius cap. 12. lib. 3. Hos Livius *Æquos* nominat. Alii *Æquanos*. Illud de *duris glebis*, Silius lib. 8. reddit, *rastrisque domant Æquicula rura*. Quia dura gleba, ideo domanda. *Cerd.*

748. *Armati terram exercent.*]Credo allusum à poëta ad veteres historias. Ita enim sępe à Romanis pugnatum est cum Æquis, ita sæpe illi rebellarunt, ut pene necessario cum armis esse deberent, etiam in cultu agrorum. Apud Liv. l. 3. fœdus rumpunt, quod ictum erat priore anno: & lib. 4. post impetratas inducias annorum octo, non multo post bellum iterum parant. Cum etiam l. 5. ita deleantur, & ea cæde, *qualis ubi ira magis, quam virtute res geritur*, ait Scriptor, tamen lib. 6. iterum bellum moliuntur, & vincuntur à Camillo. Demum cum lib. 9. illorum oppida unum & quadraginta capiantur, diruantur, incendantur, ita ut *nomen Æquorum prope ad internecionem deletum* esset, quis crederet, post hanc cladem illos arma capturos? tamen ecce lib. 10. denuo rebellant, *cum præter animos feroces* (ait Livius) *nihil ex antiqua fortuna haberent*. Inde jure optimo idem Scriptor lib. 9. vocat illos *veteres hostes*. & lib. 4. dicit quotannis illos bellum capessere: *Æquorum* (ait) *jam velut anniversariis armis assueverat civitas*. Quid ergo mirum si semper in armis essent etiam in labore agrorum? Nec mihi dubium, quin ad illorum ingenium respectum sit à Virgilio. *Idem.*

749. *Et vivere rapto.*] Qui Livium legat, clare sciet Virgilium loquutum ex ingenita rapacitate Æquorum. Assueverunt enim rapinis, direptionibus, populationibus. Apud illum Æqui l. 3. Hernicorum fines depopulantur, perguntque infesti in agros Romanos. Ibidem diripiunt agrum Latinum, Lanuvinum, Tusculanum, tanquam nimbus in loca omnia effusi. Sed signatissima sunt verba ejusdem scriptoris hæc eodem l. 3. *Fortuna Volscis Æquisq; prædonum potius mentem, quam hostium dedit.* iterum: *Fabio, ut Antium legiones duceret, datum; Cornelio, ut Romæ præsidio esset, ne qua pars hostium, qui Æquis mos erat, ad populandum veniret.* Jure ergo Poëta de illis,

Convectare juvat prædas, & vivere rapto.

Idem.

750. *Quin & Marruvia venit de gente sacerdos.*]Medea quando relictis Colchis Jasonem secuta est, dicitur ad Italiam pervenisse: & populos quosdam circa Fucinum ingentem lacum habitantes, qui *Marrubii* appellabantur, quasi circa mare habitantes, propter paludis magnitudinem, docuit remedia contra serpentes. Quanquam alii *Marrubios* à rege dictos velint. Hi ergo populi Medeam *Angitiam* nominaverunt ab eo quod ejus carminibus serpentes angerent. Ab his nunc Umbronem venisse dicit non regem, sed ducem. Sunt autem isti Marsorum populi. *Servius.*

Marruvia.] Veteres pene omnes codices, *Marubia* legunt per *b* mutam. Romanus tamen, *Marula* habet. Stephanus in iis, quæ compilavit ex Hermolao Bizantino μααρδβαν, sed in Sabinis ponit: verum auctor ille adeo passim corruptus est, ut parce admodum ei sit adhibenda fides. *Pierius.*

Marruvia.] Plinius lib. 3, 12. hos inter Marsos numerat, aitque Marsos à Circes filio ortos: ob idque affuisse illis ingenitam vim contra venena & serpentes: lib. 7, c. 2. Quin & *Angitios* putant nuncupatos: quod obluctantes angerent serpentes. Vide Cælium lib. 6. cap. 16. & Servium. *Taubm.*

Marruvia.] Caput Marsorum statuit oppidum Marruvium Cluv. l. 3. p. 769.

Fronde super galeam & felici comtus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
Vipereo generi & graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, & morsus arte levabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Evaluit; neque eum juvere in volnera cantus

Somni-

qui utramque lectionem inveniri docet. *Emmeness.*

751. *Fronde super galeam, &c.*] Frondibus comptus festæ olivæ. *Servius.*

Comtus oliva.] Nam ut Vates, ita & sacerdotes coronati & infulati erant: Turn. l. 19. cap. 3. Servius exponit; *Comptus frondibus festa olivæ.* Hic tamen sacerdos pugnans non inducitur. *Taubmannus.*

752. *Archippi.*] Oppidi Marsorum Archippi meminit Plinius lib. 3. cap. 12. & Solin. c. 8. Quod certe non abludit à Rege Marsorum Archippo. Itaque apparet ex cognitione harum historiarum, Poëtam hunc vocasse Archippum. Non placet in Solinum Camers, qui tam in Solino, quam in Plinio *Alchippen* vult legi, non *Archippen.* Ego puto in utroque legendum *Archippen:* & quidem in correcto Dalecampii Pliniano codice *Archippen*, est, & in nonnullis Solini ita legi Camers ipse attestatur. *Cerda.*

Archippi.] Fuisse circa lacum Fucinum hoc oppidum constat, ex Virgilio, Plinio, Solino, ad quem consule Salmas. Plin. exercit. p. 59. qua autem parte, quia haustum est, nemo facile divinaverit. Vide Cluver. Ital. ant. l. 2. p. 771. *Emmeness.*

Missu.] Credo allusum à Poëta ad Romanos Legatos in bello, & poëtice *missum* dixisse. *Cerda.*

Fortissimus Umbro.] Quidni à gente trahat Maro attributum? Elogium Appiani de Marsis lib. 1. Civil. est hoc, ἐςὶ γὰρ τὸ ἔθνος πολεμικώτατον, *est enim natio bellicosissima.* Idem.

753. *Vipereo generi.*] Terrenis serpentibus. *Servius.*

Vipereo, &c.] Totum hunc locum imitatur Silius lib. 8.

Hæc bellare acies norant, ac Marsica pubes,
Et bellare manu, & chelydris cantare soporem,
Vipereumque herbis hebetare, & carmine dentem.
Æetæ prolem Angitiam mala gramina primam
Monstravisse ferunt, tactuque domare venena. Cerda.

Graviter spirantibus hydris.] Aquæ serpentibus * *Graviter* autem *spirantibus*, solo nocentibus flatu. Lucanus, *Ante venena nocent.* Servius.

754. *Spargere.*] Conficere, ut Cicero, *Et spargere venena didicerunt.* Id.

Manu.] Nam in veneficiis non tantum est carmini locus, sed etiam *manui*, id est, iis, quæ fiunt manus opera: ut cum adhibentur herbæ, medicamenta, etiam quædam interdum vincula. Ita Plaut. Amph. act. 2, 1.

Nescio quid mali est malâ objectum manu, id est, nescio quis ejus mentem excantavit. Turn. l. 4. c. 15. *Taubm.*

755. *Arte levabat.*] Leviores esse faciebat, ut, *Nostrumque leves quæcunque laborem.* *Medicor illam rem* & *illi rei*: sicut *modulor.* Servius.

756. *Sed non Dard.*] Ita 9. Æneid. *Sed non augurio potuit depellere pestem:* Ita 12. Æneid.

— cadit ipse Tolumnius augur.
Taubmannus.

757. *Evaluit.*] Efficacius, quàm, *valuit.* Scal. l. 4. c. 16. *Idem.*

In volnera.] Antiqui plerique codices,

Somniferi, & Marsis quæsitæ montibus herbæ.
Te nemus Anguitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.

Ibat

ces, *in vulnere* legunt ablativo casu, dum vulneraretur. Idem tamen significat, *in vulnera*. Pierius.

758. *Marsis.*] Marsorum virtus in serpentes cui non nota? Ideo Poëta Umbroni, ut Marso, hanc communicat. Potentiam Marsorum ad Circen confert Plinius cap. 2. lib. 7. *Simile & in Italia Marsorum genus durat, quos à Circes filio ortos servant, & ideo inesse his vim naturalem eam.* Eadem ferme scribit lib. 25. cap. 2. ubi de Circæis ait, *esse domitores serpentium*, videlicet *durante in Marsis à filio ejus* (Circes) *orta gente.* & cap. 8. *Gentem Marsorum serpentibus illæsam esse nihil mirum. A Circes filio hi genus ducunt, & de avita potentia deberi sibi sciunt servitium venenorum, ideo venena contemnunt.* Firmicus (citat hunc Cælius cap. 16. lib. 6.) lib. 4. Matheseos, *Marsos, qui aspides venari consueverunt.* Agellius cap. 11. lib. 16. *Vi quadam genitali datum, ut serpentium virulentarum domitores sint, & incantationibus, herbarumque succis faciant medelarum miracula.* Cerda.

Quæsitæ montibus.] Habetur in Mediceo per *in*. Sed in antiquis plerisque aliis exemplaribus legitur, *quæsitæ montibus* absque *in*. leve hoc fortasse videbitur multis, sed iis, qui sese stilo exercere gaudent, pensitatione non injucundum. *Pierius.*

759. *Te nemus, &c.*] Hæc laudat Scal. lib. 3. cap. 2. & lib. 4. cap. 29. & lib. 5. cap. 16. *Taubm.*

Anguitiæ.] Antiqua aliquot exemplaria, *Argitiæ* legunt. Sed *Angitiæ* melius ex Solino, ut etiam habetur in codice Porcio. *Pierius.*

Anguitiæ.] Quæ hæc, explicat Solinus cap. 8. *Caius Cælius Æëtæ tres filias, Angitiam, Medeam, & Circen fuisse dicit. Circen Circæos insedisse montes carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem. Angitiam vicina Fucino occupavisse, ibique salubri scientia adversus morbos resistentem, cum desisset intus hominem vivere, Deam habitam. Medeam, &c.* Et Silius:

Æëtæ prolem Angitiam mala gramina primam
Monstravisse ferunt. —

Servius tamen hoc nomen ad Medeam refert, non ad sororem, verba ejus: *Hi ergo populi* (Marsi) *Medeam Angitiam nominaverunt, ab eo, quod ejus carminibus serpentes angerent.* Notat etiam Cælius in adducto loco, ipsosmet Marsos dictos Angitios, quod obluctantes angerent serpentes. *Cerda.*

Fucinus.] Hunc lacum in Lucania ponit Vibius, sed errare eum docet Cluver. l. 2. ant. Ital. p. 771. in Marsis esse testis est & Maro satis luculentus. *E.*

Vitrea unda F.] Id est, aqua pellucida clarus. Horat. 3. Od. 13.

O fons Blandusiæ splendidior vitro.

Taubmannus.

760. *Liquidi flevere lacus.*] Etiam alii. *Servius.*

Te liquidi flevere lacus.] Moschus in Bione:

Καὶ ποταμοὶ κλαίοιτε τὸν ἱμερόεντα
Βίωνα:

Deflete fluvii mitem Bionem.

Fracast. lib. 2. Syphil. ita dulcissime:

Te ripæ flevêre Athesis, te voce vocare
Auditæ per noctem umbræ, manesque Catulli,
Et patrios mulcere nova dulcedine lucos.

Sed & Statius lib. 10. Theb. non minus dulciter:

Te nemus Oebalium, te lubrica ripa Lacænæ
Virginis, & falso gurges cantatus olore
Flevit, Amyclæis Triviæ lugebere Nymphis. Et lib. 12.
Arcada, quem geminæ pariter flevêre cohortes. Valer. Arg. lib. 4.
Flevit Amymone, flerunt Messenidês undæ. Cerda.

761. Ibat

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriæ lucis, Hymettia circum
Litora,

761. *Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello Virbius.*] Theseus mortua Hippolyte Phædram Minois & Pasiphaës filiam superduxit Hippolyto. Qui cum illam de stupro interpellantem contempsisset, falso delatus ad patrem est, quod ei vim voluisset inferre. Ille Ægeum patrem rogavit, ut se ulcisceretur: qui agitanti currus Hippolyto, immisit focam: qua equi territi eum traxerunt. Tunc Diana ejus castitate commota, revocavit eum in vitam per Æsculapium, filium Apollinis & Coronidis, qui natus erat exsecto matris ventre, ideo quod cum Apollo audisset à Corvo ejus custode eam adulterium committere, iratus Coronidem, maturo jam partu, confixit sagittis. Corvum vero nigrum fecit ex albo: & exsecto ventre Coronidis produxit Æsculapium, qui factus est medicinæ peritus. Hunc postea Juppiter propter revocatum Hippolytum interemit. Unde Apollo iratus Cyclopas fabricatores fulminum confixit sagittis: ob quam rem à Jove jussus est Admeti regis novem annis apud Amfrisum armenta pascere divinitate deposita. Sed Diana Hippolytum revocatum ab inferis in Aritia Nymphæ commendavit Ægeriæ: & eum *Virbium*, quasi bis virum jussit vocari: cujus nunc filium cognominem dicit in bellum venire: adeo omnia ista fabulosa sunt. Nam cum castus ubique inductus sit, & qui semper solus habitaverit, habuisse tamen fingitur filium. Re vera autem, & ut supra diximus, *Virbius* est numen conjunctum Dianæ, ut matri deûm Attis, Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis. *Servius.*

762. *Virbius.*] Παλίμψυχος, παλίμβιος. *Germanus.*

Virbius.] *Virbius* Aritiæ & Virbii filius, qui antea *Hippolytus.* Fabulam narrat etiam Diodorus, & Ovid. 15. Met. Fab. 45. inprimis Euripid. in Hippolyto. Vide etiam Servium. *Taubm.*

Quem mater Aricia misit.] Civitas juxta Albam. *Mater* autem propter Augustum dicit, qui fuerat ex Aricina matre progenitus: ac si diceret, quæ tanti auctor est generis. *Servius.*

Aricia.] Sæpius dictum in Romano cod. familiarem esse mutationem ex *i* in *e*, ut in veterum aliquot monumentis, *neglegentia.* In nummis *Mauretania* & alia pleraque. Ita hoc loco & *Verbius*, & *Aretia* scriptum est. sed *Verbius* non in hoc auctore tantum, sed in aliis quoque per *e* scriptum observavi; per *i* vero scribi debere ostendit analogia: quoniam, ut apud Adamantium est, eum virum bis factum esse memorant. Cavet vero auctor is, ne *Virvius* litera media per *v* digammon scribatur: quoniam *bis* numerus per *b* mutam notetur, quum tamen eo loco, quod superius attigimus *Favium*, non *Fabium*, contra nostri temporis usum præcipiat scribi. Quantum vero pertinet ad urbem, in Strabonis codicibus ἀρίτια μετὰ τὸ ἄλβανον per ἰῶτα scriptum, quum ἀρήτιον τῆς τυῤῥηνικῆς χώρας per ἦτα scribatur. Non præteribo vero loco hoc, quod ad literæ mutationem attinet, observasse Quintilianum, ut *sibe* à Messala, ita *quase* scriptum in multorum libris, comperisseque se ex Pediano T. Livium ita his usum, qui & ipse eum sequebatur: quæ nos (ait ille) *i* litera finimus. Quid vero illud apud Verrium, qui Scipionem Africanum Pauli F. *rederguisse* per *e* literam enuntiasse dicit? Contra vero *pertisum* per *i*, cujus meminit Lucillius, cum ait, Quo facetior videar & scire plus quam cæteri, *pertisum* hominem, non *pertesum* dicens, ferum natura genus. *Pierius.*

763. *Egeriæ lucis.*] Nympha in Aricino nemore, quam amicam suam Numa

Litora, pinguis ubi & placabilis ara Dianæ.
Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercæ

Occi-

ma esse fingebat, ad firmandam legum suarum auctoritatem. *Servius.*

Egeriæ lucis.] Probe. Nam Egeria putata est habitasse in lucis, & fuisse lucorum Dea. Plutarchus loquens de Numa: Ὁ δὲ Νουμᾶς ἐκλιπὼν τὰς ἐν ἄστει διατριβὰς, ἀγραυλεῖν τὰ πολλὰ, καὶ πλανᾶσθαι μόνος ἤθελεν, ἐν ἄλσεσι θεῶν, καὶ λειμῶσιν ἱεροῖς, καὶ τόποις ἐρήμοις ποιούμενος τὴν δίαιταν: *Numa autem relicta urbana vita, rusticari sæpe, & errare solus voluit, egitque vitam in lucis Deorum, in sacris pratorum amœnitatibus, & in desertis locis, ac recessibus.* Post quæ verba statim subjicit vulgatam famam de congressu Numæ cum Egeria in desertis locis: cum qua simulavit nocturnos congressus (ait Livius) ut hoc miraculi commento melius in animos descenderet. *Cerda.*

Hymettia.] In Romano codice, legere est *Humentia circum Litora:* sed malunt omnes *Hymetia* ab Atticæ monte. Sed id quoque observandum est apud Græcos geminato τ scribi ὑμήττιος, nomenque observant τὸ υ natura producere. *Pierius.*

Hymettia circum litora.] Sunt qui *Hymettia* legant, pro *Humentia.* verum hæc lectio nulla ratione defendi posse videtur, ut me opportunissime admonuit D. Giphanius: nisi Hippolytum prætexamus Atticæ suæ memorem Atheniense quoque nomen Hymetti montis novo & mutato solo dedisse, ut supra veteres factitasse docuimus in Georg. ubi de Galeso egimus. Mavult tamen idem Giphan. doctique omnes παμψηφεὶ *humentia* retinere, etiamsi ex affinitate & quadam hujus loci cognatione cum sequente illo, *Eductum Martis luco Simethia circum Flumina, pinguis ubi & placabilis ara Palici*, per vocum ὁμοφωνίαν *Simethia* non ridicule legi posse utrobique videatur. *Germ.*

764. *Pinguis ubi & placabilis ara Dianæ.*] *Pinguis* frequenti sacrificio: *placabilis* autem, ac si diceret, non qualis antè fuit, vel illic vel apud Tauros humano gaudens cruore: quam historiam plene in secundo invenies, cum Iphigeniæ incidit commemoratio. *Servius.*

Pinguis.] Respicit Græcorum πίονα, & sacra, quæ illi vocant πίονα, καὶ παχύνημα. Quippe ab luculenta, & frequenti victimarum mactatione, aræ dicuntur pingues, sicuti aguæ ipsæ, & victimæ πίονες. *Cerda.*

Placabilis.] Forsan non amplius humano sanguine gaudentis, ut quæ, auctore Euripide, θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις, aut eo loco sacrificia & humanas victimas non poscentis. Hic autem versus ex Ennio est, cujus, *pinguis ubi & placabilis ara Palici.* Scilicet & Græci πίονα τινα. *Germanus.*

765. *Arte novercæ Occiderit.*] Bene vim sceleris expressit sola novercæ commemoratione. *Servius.*

Arte novercæ.] Βουλεύμασι μητρυιᾶς. Vide Eurip. in Hippol. *Germ.*

Postquam arte novercæ Occiderit.] Quis ignorat amorem Phædræ erga Hippolytum privignum, & hujus obitum? Omitto. Lege Muretum lib. 1. Var. c. 12. ubi conjungit similia novercarum exempla plura, de quibus & nos aliqua in Eclog. Sed inter omnes novercas, una Phædra decantatur tragicis Euripidi, Senecæ, aliis, ut dirissima omnium. Illam, non aliam, Poëta ἀδήλως in exemplum proponit lib. 1. quem & vertam:

Μητρυιαὶ προγόνοισιν ἀεὶ κακὸν, οὐδὲ φιλοῦσαι
Σώζουσιν. Φαίδραν γνῶθι καὶ Ἱππόλυτον.

Qualis dent miseris privignis fata novercæ
Scire cupis? noscas Phædram & Hippolytum.

Est *arte novercæ*, dolo novercæ. τῇ τέχνῃ.

Nam

Occiderit, patriasque explerit sanguine pœnas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Ætheria & superas cæli venisse sub auras,
Pæoniis revocatum herbis & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit in undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedi-

Nam ut Græcis τέχνη est *dolus*, ita Latinis *ars*. Cerda.

767. *Turbatis distractus equis.*] Negabant hoc Trœcenii apud Pausan. in Corinthiac. Nam de illis, & Hippolyto loquens ita ait: ἀποθανεῖν δ᾽ αὐτὸν οὐκ ἐθέλουσιν συρέντα ὑπὸ τῶν ἵππων: *Ajunt illum ab equis tractum non obiisse.* Adducit argumentum, οὐδὲ τὸν τάφον ἀποφαίνουσιν εἰδότες, *nam nullo loco illius sepulcrum extat.* Imo de illo, τὸν δ᾽ ἐν οὐρανῷ θεώμενον ἡνίοχον τοῦτον εἶναι νομίζουσιν ἐκεῖνον Ἱππόλυτον: *Veruntamen eum raptum ad cœlum putant, & eum esse Hippolytum dicunt, qui auriga nunc est.* Inde lucem capit Ovidius 6. Fast. ubi loquens de Ophiucho:

Surgit homo juvenis stellis afflatus avitis,
Et gemino nexas porrigit angue manus.
Notus amor Phædræ, nota est injuria Thesei,
Devovit natum credulus ille suum.

Verum est, induci ab Ovid. ab equis raptatum, etiamsi in cœlo constituat. Sed discrepantiæ istæ in fabulis usitatæ. *Idem.*

769. *Pæoniis revocatum herbis.*] Aut medicinalibus: à Pæone medico deorum, qui *Pæan* secundum Doricos dicitur: secundum rationem, *Pæon.* Aut re vera herbam Pæoniam dicit, cujus Creta ferax est. *Servius.*

Pæoniis revocat. herb.] Sic & Plutarch. in opusc. παιονίοις λόγου φαρμάκοις. Æschyl. tamen in Agam. ὅτῳ δὲ καὶ δεῖ φαρμάκων παιωνίων, diversa scripturæ ratione. *Germanus.*

Amore Dianæ.] Amore, id est, cura. *Servius.*

770. *Umbris infernis.*] His opponit *vitæ lumina.* Quæ oppositio facit, ut hic nequeat ferri lectio illa, *limina vitæ.* Quamvis aliis locis debeat agnosci. Poetæ enim *vitæ limina*, & *vitæ oras* libenter usurpant. *Cerda.*

772. *Medicinæ talis & artis.*] Quæ etiam fata dissolveret. *Servius.*

773. *Phœbigenam.*] Sic legit Probus. Alii legunt *Pænigenam*, matre Pœna genitum. *Servius.*

Phœbigenam.] De natalibus Æsculapii locus est satis longus in Corinthiac. Pausaniæ. Lege. De lectione Poetæ notat Lilius 7. Synt. videri interpretem Statii 3. Theb. legere *pœnigenam*, quasi per pœnam matris natum. Nam ejus matrem Coronidem Apollo sagittis suis peremit, quod cum Ischy concubuisset. Tractat Pindarus late hanc fabulam Od. 3. Pyth. & attingit Apollonius lib. 4. Alia ratio est in Servio. Ait enim: *Pœnigenam, Pœna matre genitum.* Mihi placita vulgaris lectio. *Cerda.*

In undas.] In antiquis codicibus alibi *ad undas*, alibi *in undas* legitur. *Pier.*

774. *Secretis recondit Sedibus.*] Idem cautus in Rhea Jovis matre, quæ ablatum filium crudeli Saturno, κόλποισιν ἐνικάτθετο Κρήτης, ait Oppian. lib. 3. Cyneg. *finibus Cretæ commisit*, ut videlicet ibi esset tutus Juppiter. Idem cautus in Cerere apud Claud. lib. 1. Rap. quæ timens raptus futuros:

Com-

Sedibus, & nymphæ Egeriæ nemorique relegat:
Solus ubi in ſilvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, verſoque ubi nomine Virbius eſſet.
Unde etiam templo Triviæ lucisque ſacratis
Cornipedes arcentur equi; quod litore currum

Et

Commendat Siculis furtim ſua pignora terris. Cerda.

775. *Relegat.*] Commendat ab aliis ſegregatum. *Servius.*

Nemorique relegat.] Ut quo ſemper delectatus Hippolytus, imo & ubi cultus. Pauſ. in Corinthiac. Ἱππολύτῳ δὲ τῷ Θησέως τέμενός τε ἐπιφανέστατον ἀνεῖται, καὶ ναὸς ἐν αὐτῷ, καὶ ἄγαλμά ἐστιν ἀρχαῖον: *Hippolyto Theſei filio lucus eximia pulchritudine dedicatus eſt, cum templo, & priſci operis ſimulacro.* Et ibi Regem fuiſſe ibidem adnotat Pauſ. ait enim hiſtoriam narrans, ἐβασίλευσε. Ovid. 6. Faſt.

Lucus eum nemoriſque ſui Dictinna receſſu
Celat: Aricino Virbius ille lacu eſt.

Et Statius loquens de Diana Aricina lib. 3. Silv.

Jamque dies aderat profugis cum Regibus altum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multa
Conſcius Hippolyti ſplendet lacus. ——

Porro lacus hujus, qui in Aricino nemore, meminit quoque Ovid. lib. 14. Metamorph.

Quaque colunt Scythicæ ſtagnum nemorale Dianæ.

Ex Ovidio, & Statio habes, nemus, ubi incluſus eſt Hippolytus, eſſe Aricinum. In quo nemore ille filium habuit, qui nunc ad Latinum bellum contra Æneam, unde ſupra, *quem mater Aricia miſit.* Cerda.

776. *Solus.*] In ſolis locis. Nam ſolus quomodo, qui filium dicitur ſuſcepiſſe? *Servius.*

Ignobilis.] Non vilis, ſed ignotus: quanquam poſſit etiam ad illud referri, quod dicunt quibuſdam artibus hominum vitam ultra fata protendi: ita tamen ut ſolam habeant vitæ imaginationem; videntur enim omnia facere, nec faciunt. *Idem.*

Ævum.] *Ævum* eſt ætas perpetua, hujus neque initium, neque extremum naſcitur, ſed hoc modo *ævum* ætatem Hippolyti poſuit. Veteres *ævum* etiam deorum vitam dicebant, nam & *Virbius* inter deos colitur. *Virbium* autem quidam Solem putant eſſe, cujus ſimulachrum non eſt fas attingere, propter quod nec Sol tangitur. *Idem.*

Ignobilis ævum Exigeret.] Eurip. in Iphig. ὃς ἀκίνδυνον βίον ἐξεπέρασε, ἀγνὼς, ἀκλεὴς, hoc eſt, ἄγνωστος, ἀγνώριστος· & Hom. Od. λ. de Telemacho: ἀλλὰ ἕκηλος Τηλέμαχος τεμένη νέμεται. *Germanus.*

777. *Verſoque ubi nomine.*] De re facto: ut, *Oeſtrum Graii vertêre vocantes.* Servius.

Verſoque.] Plerique codices antiqui abſque particula *que*, legunt *verſo ubi*. in qua dictione eruditioribus auribus judicandum relinquo, quam venuſtius ſit legere, *ſolus ubi in ſilvis Italis ignobilis ævum Exigeret verſo ubi nomine Virbius eſſet.* Poſſe vero verſum ita nulla colliſione conſiſtere oſtendit, quod ſuperius legimus, *Antiqua è cedro Italuſque paterque Sabinus.* & hujuſmodi pleraque apud hunc eundem poëtam. *Pier.*

778. *Unde etiam Triviæ templo.*] Exponit τὸ αἴτιον. Nam Callimachus ſcripſit αἴτια: in quibus etiam hoc commemorat. *Servius.*

Templo Triviæ.] Plures antiqui codices habent, *Templo Triviæ.* Alii, *Triviæ templo:* quod eorum curæ commendamus, qui ſpondeum duobus dactylis interjectum addere carmini majeſtatem agnoſcunt. *Pierius.*

779. *Cornipedes.*] Ita in 6. *cornipedum equorum.* Et Statius lib. 4.

Corni-

Et juvenem monſtris pavidi effudere marinis.
Filius ardentis haud ſecius æquore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.

Cui

Cornipedem trepidos ſuetum prævertere cervos. Cerda.

Arcentur equi.] Quoniam apud quaſdam gentes ad aram equo ſedere permittebatur. *Servius.*

Arcentur.] Neque hoc ſolum, ſed tanquam auctores mali viginti equos Hippolytus mactandos dedicavit Æſculapio, quod tradit Pauſan. Corinth. *Cerda.*

Quod litore.] In codicibus aliquot antiquis, *quo litore* legitur. Neque obſtat Hippolytum in Attica, non in his regionibus fuiſſe dilaceratum, quando Poëtis ea conceſſa licentia, ut & fabulas, & hiſtorias nonnunquam ex commodo ſuo pervertant. placet tamen *quod*, ut ſit redditio cauſſæ. *Pierius.*

780. *Monſtris m.*] Ægeus enim agitanti currum Hippolyto, rogatu patris Theſei, immiſit phocas, quibus equi territi eum diſtraxerunt. *Taubm.*

Pavidi effudere.] Græci *pavidum equum* ψοφοδεῆ vocant. Sunt qui *ſternacem* dictum putant à Marone, non quod, ut ceſpitator, ſed ut conſternari & terreri facile ſolitus, ſeſſorem excutiat. Grammatici tamen malunt à *ſternendo ſternacem* deducere: ut ὀρθοπλῆγα, ἀναχαιτίζοντα, καὶ ἐκτραχηλίζοντα. *Germanus.*

781. *Filius.*] Hujus Virbii. *Taubm.*

Haud ſecius.] Non ſegnius patre. Dicit autem tantæ eum fuiſſe audaciæ, ut nec paternæ mortis terreretur exemplo. *Servius.*

Secius.] In antiquis pleriſque codicibus, *ſegnius* legitur. quam lectionem Servius agnoſcit, quum dicit, non *ſegnius patre*. Pierius.

783. *Præſtanti corpore.*] Laus creberrima magnorum ducum. Quia videlicet corpus primum omnium oculis ſubjicitur, ac proinde ſtatim ad illius ſpeciem animum effingimus, quando *omnis noſtra vis* (ait Saluſt. in procem.) *in animo & corpore ſita eſt.* Cum itaque triplex ſit militaris ſtatura; media, exilis, procera; extremam hanc videtur Poeta innuere. Hæc ab Spartiano in Hadrian. vocatur *prolixa*, à Suetonio *eminens*, à Livio *eximia.* Lege Godeſcal. in libr. 1. Veg. cap. 5. & Sabarum in epiſt. 2. l. 1. Sidon. ubi ſermo eſt de ſtatura Regis Theodorici. De Trajano Plinius Paneg. & cum illo loquens: *tu ſola corporis proceritate elatior aliis, & excelſior, non de patientia noſtra quendam triumphum, ſed de ſuperbia Principum egiſti.* Dicit hoc, quia priores Principes advehebantur humeris hominum. Hanc in Menelao agnoſcit Hom. lib. 3. Iliad. qui ſtantibus aliis, ipſe ὑπείρεχεν εὐρέας ὤμους, *eminebat latis humeris:* & in Agamemnone, nam vocat illum ἄνδρα πελώριον: & in Ajace, de quo, ἔξοχος Ἀργείων κεφαλήν. De Pyrrho Romanorum hoſte ferunt hiſtoriæ dicere ſolitum delectori ſuo: *Grandes elige, ego fortes reddam.* Hanc videtur agnoſcere Claudian. in Germanis; cum ait Paneg. 1. Stilicon. *Hic Rhodani procera cohors.* De quibus & Julius lib. 1. Gall. *ingenti magnitudine corporum Germanos.* Hanc Ammian. lib. 14. in Imperatore Gallo: *forma conſpicuus bona, decente filo corporis, membrorumque recta compage.* Cerda.

784. *Vertitur.*] Id eſt, agit. *Servius.*

Et toto vertice ſupra eſt.] Statius, *Et toto deſpectat corpore bellum.* Idem.

Toto vertice ſupra eſt.] Τὸ περιμήκης Euripidi. ut ſuis ſcil. eſſet admirabilis, & hoſtibus formidoloſus. Ita Statius:

— *& toto deſpectat corpore bellum.*

Repe-

Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignis.
Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,

Quam

Repetitur 9. & 11. Æn. Hunc autem locum contra Macrob. acerrime defendit Pontanus in Antonio, pag. 150. item Scaliger l. 5. c 3. Poët. *Taubm.*

785. *Cui triplici &c.*] Galeam dixit eam, quam Gr. τρυφάλειαν vel τριλοφίαν vocant, quasi τρίφαλον, quæ habet tres conos & lophos, tresque cristas, veluti jubas. Hoc autem *trium cristarum insigne* non ex Hom. sed novitium esse, atque ex Æschylo & Aristoph. sumptum docet Turnebus lib. 28. cap. 16. Veteres variis rebus in galea usos, vel ad horrorem, vel ad ornatum, multis docent Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20. & Godesc. Stewechius ad Veget. l. 1. cap. 20. Atque hinc morem istum fluxisse putant, quo etiamnum hodie *Insignia familiarum* exornata atque distincta videmus: cum galeis insident leones, lupi, cervi, canes, aquilæ, vultures, dracones, & aliarum bestiarum sive capita sive cornua, sive pedes: quæ tamen, quasi minus Christiana sint, improbat Lud. Vives, in suis Symbolis. *Taubmannus.*

786. *Ætnæos efflantem faucibus ignis.*] Nimios: quantos habet Ætna. *Ser.*

Ætnæos efflantem faucibus ignis.] Comparata hæc ad horrorem. Ita de Chonodomario Ammian. libr. 6. *vertici flammeus torulus aptabatur.* Et de Turno eodem Virgilius,

—— *tremunt sub vertice cristæ*
Sanguineæ, clypeoque micantia fulgura mittunt.

Et de Æneæ galea,

Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma
Funditur, & vastos umbo vomit aureus ignes.

De Diomede Hom. 5. Iliad.

Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε, καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ.
Lucebat ei ex galeaque, & scuto indefessus ignis.

De eodem Ausonius in Periocha,

—— *vomit aurea flammas*
Cassis, & undantem clypeus defulgurat ignem.

De Chimæra ipsa Hesiod. Theogon.

Ἡ δὲ Χίμαιραν ἔτικτε πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ,
Δεινήν τε, μεγάλην τε, ποδώκεά τε, κρατερήν τε.
Chimæram peperit spirantem ignem indomitum,
Terribilem, magnam, celerem, fortem.

Sed redeo ad galeas. Silius lib. 5. de Flaminio, *Lux galeæ.* lib. 10. *galea exhorrescere flammas.* & lib. 9.

—— *summaque in casside largus*
Undantes volvit flammas ad sidera vertex.

Statius lib. 4. Theb.

Flumine cristatum galeæ jubar. ——

Ab hoc horrore Apollon. lib. 2. galeas vocat δεινὸν λαμπομένας, *horribiliter micantes.* Sed & in genere universa arma sic exornantur à Poëtis. De scuto Annibalis Silius lib. 4. *radiantem tegminis orbem.* &, *magno percussit lumine campos.* iterum: *spargentem flammas clypeum.* Cerda.

Ætnæos, &c.] Id est, nimios, quantos habet Ætna: vel certe *Chimæra* mons ille in Lycia ignivomus. Similem locum è Sillio confert Scalig. l. 5. c. 16. Arma autem Turno attribuit Argiva: ut significet Argivum fuisse; ut & duces, qui ipsum sequuntur. ut ꝟ. 795. *Taubm.*

787. *Tam magis illa fremens, & trist. eff. fl. Quam magis eff. cr. s. p.*] Legitur in arte, quod *tam, magis, maxime, minus, minime*, positivo tantum jungantur: quod tamen tunc observatur, si ponantur ad augmentum istæ particulæ: tunc enim vitiosam faciunt elocutionem. Cæterum si ad exæquationem positæ sint, possunt vel comparativo, vel superlativo, vel pro his gradibus ipsæ inter se jungi. Hinc ergo est, *Tam*

Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At levem clipeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam sætis obsita, jam bos,
Argumentum ingens, & custos virginis Argus,

Cæla-

magis illa fremens & tristibus effera flammis, Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ. Non enim ad prælationem positæ sunt, sed ad exæquationem. Majores enim nostri vitia non in dicto, sed in significatione esse voluerunt. Hinc est in Sallustio, *Ita quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est.* Nam & hic exæquatio est, non comparatio. *Servius.*

Tam magis Quam magis.] Sic & Lucret. lib. 1. *Et quam quæque magis cohibet res intus inane, Tam magis his rebus penitus tentata labascit.* Supra autem Georg. 3. alteram, ut docuimus, relativorum particulam omisit: *Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra, Læta magis pressis manabunt flumina mammis.* Germanus.

Tam magis, &c.] Aliter disposuit has particulas Plautus Pœn.

Quam magis aspecto, tam magis est nimbata. Et Asin.

Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.

Ex Lucretio, Terentio, aliis plura alii congesserunt. *Cerda.*

789. *At levem clipeum.*] Hanc clypei descriptionem cum aliis aliorum Poëtarum comparans Scaliger, judicat in Virgilio meram esse operam, in aliis meram ostentationem. Ut in Stat. 6. Theb. — *pater ordine juncto*

Levus, arundineæ recubansque sub aggere ripæ

Cernitur, emissæque indulgens Inachus urnæ

Io post tergum, jam prona dolorque parentis

Spectat inoccidnis stellatum visibus Argum

Et in Sil. de scuto Flamminii lib. 5.

Tum clypeum quatit, aspersum quem cædibus olim

Celticus ornarat cruor: humentique sub antro

Ceu fœtum lupa permulcens puerilia membra

Ingentem Assaraci cælo nutribat alumnum.

Hos, & similes descriptores cum lego, audire videor pueros balbutientes si conferantur cum vegeta virtute Virgilii. *Idem.*

Io Auro insignibat.] Hæc Inachi filia Argivorum fluminis fuit. Hanc amavit Jupiter: & dum cum ea esset, Juno supervenit. Timens ille ne deprehenderetur, Ionem mutavit in vaccam: & eam poscenti dedit Junoni, ne pellicem confiteretur: cui Juno Argum oculatum omnibus membris Aristonidis filium custodem apposuit. Quem cum Jupiter per Mercurium interemisset, Juno eum in pavonem mutavit: Ioni vero immisit œstrum, quo diu exagitata ad Ægyptum venit, & Jovis voluntate in Isin mutata colique cœpta est. *Servius.*

790. *Insignibat.*] Signo suo clarum esse faciebat, sita pictura insignem faciebat. *Idem.*

Jam sætis obsita, &c.] Fortasse ex Theocrito εἰδ. 19.

Ἐν μὲν ἔην χρυσοῖο τετυγμένα Ἰνάχω Ἰὼ
Ἐισέτι πόρτις ἐοῖσα, φυὰν δ' οὐκ εἶχε γυναικός:

Inerat enim ex auro facta Inachi filia Io
Adhuc vitula, neque formam habebat feminæ. Cerda.

791. *Argumentum ingens.*] Aut fabula, ut Cicero, *Argumenta erant in valvis.* Aut re vera argumentum, quo se Græcum probare cupiebat. Hoc enim etiam Amata superius dixit, *Inachus Acrisiusque patres, mediæque Micenæ.* Servius.

Argumentum.] Hanc vocem in sermone

Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmi-

mone picturæ etiam usurpat Apulejus lib. 5. correctoribus Lipsio, & Colvio: *Mirus prorsum magnæ artis homo, qui magnæ artis subtilitate tantum efferavit argumentum.* Alii legunt, *effigiavit argentum*, non credo inepte. Sed ego profero locum Tullii 6. Verr. *argumenta erant in valvis.* & Propert. qui Eleg. 7. lib. 3.

Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ. Cerda.

Argumentum.] Id est, ingeniosum artificium. Cic. in Verr. *Ex ebore diligentissime perfecta argumenta erant in valvis*, id est, emblemata. Propert. l. 3.

Argumenta magis sunt Mentoris addita forma.

Aut revera argumentum, quo se Græcum probare cupiebat. quod & Amata dixerat. *Taubm.*

Argumentum.] Quintil. l. 5. c. 16. enarrans hujus vocabuli notiones hæc refert: *Quo apparet omnem ad scribendum destinatam materiam ita appellari: Nec mirum, cum id quoque inter opifices vulgatum sit: unde Virgilio: argumentum ingens*, &c. argumentum de picturis dici ostendit Junius l. 2. *Emmeness.*

Custos.] Ne reverti posset in formam priorem. *Servius.*

Custos virg. Argus.] Græcis ἄργος ὁ πανόπτης, πολυωπός. Ab eo autem Argos nomen duxisse docet Eustath. in eum Il. β. locum, διάκτορον ἀργειφόντῃ, quæ postea Peloponesus dicta est à Pelope. Epig. lib. 7. εἰς πολύγλωον βουκόλον ἰναχίης. Hunc & πανόπτην vocat Eurip. quo etiam insignitum clypeum Hippomedontis regis narrat: eundem & μυριωπὸν Æsch. in Prom. & πανόπτην βουκόλον in Suppl. *Germ.*

792. *Pater Inachus.*] Pater non tantum ipsius Jovis: sed auctor originis Turni. *Servius.*

Urna.] Fluviorum insigne. Statius 2. Theb. — *pater ipse bicornis*

In lævum prona nixus sedet Inachus urna.

Et de Ismeno in 9. *demissaque volvitur urna.* De Inacho, & Ius fabula, & ejus metamorphosi, nihil hic expecta. De Hermo Claud. 2. Rap. *undantem declinat prodigus urnam.* & de Rheno 1. in Ruff. *projecta torpuit urna.* Eandem dat Eridano in 6. Cons. Hon. *Cerda.*

Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.] Fluviorum Dii depinguntur simul cum urna, qua flumina effundere videbantur. Augustini consule Numismata tab. 4. Numm. 8. & 16. *Emm.*





793. *Insequitur nimbus peditum.*] Homer. Iliad. 4. νέφος εἵπετο πεζῶν: *nubes peditum sequebatur.* Silius lib. 12. *telorum nimbum* dixit, & lib. 6. *nubes Laconum.* Et Claud. de laudibus Serenæ: *si belli nubes ingrueret.* Cerda.

Clipeata.] Aliqui hic legunt *pilata agmina*, in his Joann. Passerat. in Comment.

Agmina densantur campis, Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti scuta Labici:

Qui

ment. ad Tibul. lib. 4. voluntque allusum ad illud Varronis: *duo sunt genera agminum, quadratum, quod immistis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit considere: alterum pilatum, quod sine jumentis incedit; sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittitur.* Sempronius quoque ita scribit: *sive pilatim, sive passim iter facere volebant.* Citant hæc fragmenta Passerat. & Scal. uterque in Tibullum. Sed fragmenta hæc jam viderunt lucem apud Serv. Pet. Danielis in 12. Æneid. ad illud,

—— *pilataque plenis*
Agmina se fundunt portis. ——

Cerda.

794. *Totis Agmina densantur campis.*] Qui oculis poterant subjacere. *Densentur* autem, *denseo, denses* dicimus, aliter non. *Servius.*

Densantur.] In antiquis codicibus, & *densantur*, & *densentur* observavi: utrumque recte, ex usu veterum. *Pierius.*

Densantur.] Hic forte melius *densentur*; ita nonnulli codices: de quo jam in Georg. Et Ennius 8. Annal.

Densentur campis horrentia tela virorum.

Sic apud Catul. de Nupt. Jul. & Manl. *Tardat ingenuus pudor.* ubi alii, *tardet.* Et Nævius apud Nonium, *dicebo*, pro *dicam*, à verbo *diceo, dices.* Sic & *nubes*, pro *nubis.* Cerda.

Densantur.] MSS. & Aldus, *densentur.* Et signate notat Servius, *Denseo, es*, dici: non aliter: Docentque idem Gifanius & Lamb. non solum in Ovidio, Horat. Lucretio, Sallustio, sed & Virgilio, *densere*, non *densare*, scriptum esse, aut scribi debere. Lucret. lib. 1.

—— *quia se condenseat aër.*

Horat. 4. Od. 28.

Mixta senum ac juvenum densentur funera.

Æneid. —— *unanimes densete catervas.* G. 1. —— *obtenta densentur nocte tenebræ, &c.*

Taubmannus.

Argivaque pubes.] Et hoc ad generis, ut supra diximus, pertinet probationem: quod eum sequebantur Argivi. *Servius.*

795. *Aurunca.*] Fabricius pertendit scribend. *Arunca:* vel, ut in MSS. *Arrunca, &c.* Taubm.

Veteresque Sicani.] Bene *Veteres:* nam ubi nunc Roma est, ibi fuerunt Sicani: quos postea pepulerunt Aborigines. *Servius.*

796. *Sacranæ acies.*] Dicunt quendam Corybantem venisse ad Italiam & tenuisse loca, quæ nunc vicina sunt. Ex eo populos ducentes originem, *Sacranos* appellatos. Nam sacrati sunt Matri deûm Corybantes. Alii *Sacranas acies* Ardearum volunt, qui aliquando cum pestilentia laborarent, ver sacrum voverunt. Unde *Sacrani* dicti sunt. *Servius.*

Sacranæ acies.] Possum putare Sacranos esse, qui insulam Sacram, alio nomine Hieram incolebant, quæ insula sita juxta Siciliam. Vide Abrahamum in Indice. Cum vero olim coloni multi ex Hispania in Siciliam migrarint, quid si à Sacranis Hispaniæ Sacra, aut Hiera? Etenim Sacranam oppidum Hispaniæ Plinius agnoscit cap. 1. lib. 3. *Cerda.*

Sacranæ acies.] Alii legunt *Gauranæ*, alii *Sarranæ.* Vide Pontanum ad Macrob. l. 5. Saturn. c. 15. & Brisson. de Form. l. 1. qui à vere sacro dictos *Sacranos* putat. *Emmeness.*

Picti scuta Labici.] Glaucus Minois filius venit ad Italiam, & cum sibi imperium posceret, nec acciperet, ideo quod nihil præstabat, sicut ejus pater præstiterat: zonam eis transmittendo, cum antehac discincti essent, ostendit scutum, à quo & ipse *Labicus* dictus est: & ex

Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere collis,
Circæumque jugum; quis Juppiter Anxurus arvis
Præ-

& ex eo populi, ἀπὸ τῆς λαβῆς, quam Latine *ansam* vocamus. *Picti* autem *scuta*, id est, in bello frequenter probati. Nam apud majores virorum fortium picta erant scuta: econtra inertium & tyronum pura erant. Unde est, *Parmaque inglorius alba*, id est, non picta. *Servius.*

Picti scuta Labici.] Sic dicti ab ansis scutorum, quas λαβὰς appellant, unde etiam *Labicani* non *Lavicani* vocantur. Vide Dausq. & Scalig. animadv. ad Euseb. p. 175. *Emmeness.*

797. *Qui saltus, Tiberine, tuos.*] Non originem, ut diximus supra. *Servius.*

Sacrumque Num. L. a.] Aut jam tunc *sacrum*, aut Prolepsis est. Nam consecratus est Numicus postquam inventum est illic cadaver Æneæ. *Idem.*

Sacrumque Numici.] Ἀναχρονισμός. nam sacratus demum est hic fluvius postquam Æneæ cadaver illic inventum est. *Taubm.*

798. *Litus arant.*] Litus fluminis: ut, *Viridique in litore conspicitur sus.* Servius.

Rutulosque exercent vomere collis.] Ex perlustrato hoc loco Statius lib. 4. Theb.

—— *it Doricus ordo sub armis,*
Qui ripas, Lincæe, tuas, tua litora multo
Vomere suspendunt. ——

Manilius lib. 1. dixit, *exercita frugibus arva.* Cerda.

799. *Circæumque jugum.*] Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Jupiter, qui *Anxurus* dicebatur, quasi ἄνευ ξυροῦ, id est, sine novacula: quia barbam nunquam rasisset; & Juno virgo, quæ *Feronia* dicebatur. Est autem fons in Campania juxta Tarracinam, quæ aliquando *Anxiris* est dicta. *Servius.*

Circæumque jugum.] Promontorium est Latinorum in Italia, Ptolomæo. Mela vocat Circes domum, ut ex illo adducit Ortelius; potuisset addere & Solinum cap. 8. Inde Circæi populi, de quibus magna mentio apud unum Livium, præsertim lib. 1. & 7. & Plinium cap. 5. lib. 3. Nescio an apte Germanus proferat Aristotelis locum περὶ θαυμ. ἀκουσμ. verba Aristotelis sunt. λέγεται δὲ περὶ Ἰταλίαν ἐν τῷ Κιρκαίῳ ὄρει φάρμακόν τι φύεσθαι θανάσιμον: *Fertur in Circæo monte circa Italiam nasci venenum mortiferum.* Nam Virgilius videtur capiendus de loco, qui in Italia, non extra. Et cum promontorium in Latio agnoscat, ut dixi, Ptolomæus, ut ex illo notat Ortelius, de hoc sensu procedit. *Cerda.*

Quis Juppiter Anxurus arvis Præsidet.] In antiquioribus sane *Jupiter* unico *p* habetur. In Romano, & aliquot aliis *Anxirus*. In aliis plerisque, *Anxyris* per *y*, ut Græce scribitur. Et *Anxiris* per *i* Latinum iis, qui Græce nesciebant. *Pierius.*

Juppiter Anxurus, &c.] Colebatur, inquit Servius, circa Circæum jugum & Campaniæ tractum puer Jupiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἄνευ ξυροῦ, quia barbam nunquam rasisset, & Juno virgo, quæ Feronia dicebatur. Ab aliis autem Jupiter ipse πολιεὺς colebatur: unde Athenis διϊπόλια instituta, quæ & λάσπια, & ipse διϊπολιώδης apud Aristophan. ab aliis ζεὺς πολιεὺς dictus: quanquam Aristot. lib. de Mundo, ἀπὸ τῆς πόλεως ὀνομάζεσθαι, sit auctor. Fortasse in Suppl. Æsch. ad πολιὸν δία alludit, ζῆνα μέγαν σεβόντων, τὸν ξένιον δ' ὑπέρτατον ὃς πολιῷ νόμῳ αἶσαν ὀρθοῖ. Pervenit ad me Jovis Anxuri simulacrum cum hoc argumento & specie, ut imberbis, & pene ephebus, solioque subnixus, altera manu pateram teneat, altera sceptrum, cum hac inscriptione, quæ simulacri oras ambituumque ab una parte percurrit: *Jovis Anxur.* à reliqua, *C. Vibius. C. F. C.* Quod mihi simulacrum respondere videtur

Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco:
Qua Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter vallis, atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,

Agmen

deturalteri, quod & Jovi dicatum est, sub imagine expressa insidentis pueri tergo Amaltheæ capræ, & cornu ejus sinistra comprehendentis, cum hoc elogio, *Jovi crescenti.* Refert autem facie altera nomisma solam capram sine sessore, hoc circumjectam titulo, *Jovi conserv. aug.* Germanus.

800. *Et viridi gaudens Feronia luco.*] Non vacat quod addidit *viridi.* Nam cum aliquando hujus fontis lucus fortuito arsisset incendio; & vellent incolæ exinde transferre simulacra, subito reviruit. *Servius.*

Feronia.] Græcis quoque φερώνια nemoris dea, à ferendis fructibus, aliis εὐτόφορος, aliis φιλοστέφανος, φερσεφόνη, aliis. *Germanus.*

Feronia.] Meminit Horat. l. 1. Sat. 5.

Ora manusque tua lavimus Feronia lympha.

Ad quem locum vide Torrentium. *Emmeness.*

801. *Qua Saturæ jacet atra palus.*] Secundum hanc lectionem revera Saturam paludem intelligimus, sed alii *Asturæ* legunt: quod si est, *paludem* pro flumine posuit. Nam haud longe à Tarracina oppidum est Astura, & ejusdem cognominis fluvius. *Servius.*

Saturæ palus.] Cælius lib. 19. c. 25. docet, hanc paludem etiam *Pontinam* dictam, & olim XXIV. urbium fuisse capacem locum: in eoque agro, testibus Livio, Floro & Agellio, memorabilem pugnam inter Val. Corvinum & Gallum factum esse. *Taubm.*

802. *Quærit iter vallis.*] Satis figuratis verbis expressit flumen angustum. Contra de Tyberino ait, *In mare prorumpit.* Servius.

Conditur.] Aliqui legunt, *volvitur,* nam de amne Horat. epist. 2. lib. 1.

Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.

Et Od. 14. lib. 4. *volvitur Aufidus.* & Od. 1. lib. 4. *aquas volubiles.* De Asopo Nonnus lib. 27. ἴχνος ἑλίσσων, *vestigium volvens.* Sed retinenda vulgaris lectio: nam tametsi omnes fere id enuntient per verba motus, ut cum Herodotus l. 1. dixit, de hac re loquens, ἐσβάλλει, & ἐξίει, & ἐκδιδοῖ, & simillimis alii: tamen & verbum *conde* cum motu, etiam in Latio est. Cæsar enim lib. 1. Gall. *condi in silvas* dixit. Sed cesso. *Cerda.*

Ufens.] Conjunxit Poëta loca inter se vicina, ut apparet ex verbis Plinii cap. 5. lib. 3. *A Circæis palus Pontina est; dein flumen Ufens, supra quod Tarracina oppidum, lingua Volscorum Anxur dictum.* Sic itaque Poëta jungit jugum Circæum, Saturam, id est, paludem Pontinam, Ufentem fluvium, Anxurem, id est, Tarracinam. Ait Servius, signari angustiam fluminis; nam *iter quærit,* & *conditur in mare,* cum contra de Tyberino, *in mare prorumpit,* quo fastus fluminis indicatur. De hoc amne Claudian. Paneg. Prob. *tardatusque suis erroribus Ufens.* Cur *tardatus erroribus?* quia *quærit iter per valles.* Utrque enim tam Virgil. quam Claudian. indicat varios flexus hujus amnis. Quia vero *per imas valles,* ideo *gelidus,* id est, cum algore. *Idem.*

Ufens.] Fabric. docet, perpetuo scriptum esse *Oufens.* Taubm.

803. *Hos super advenit Volsca de gente Camilla.*] Prudenter post impletam commemorationem virorum, transit ad fœminas. Ita enim & de Trojanis legitur, qui ultimum Amazonum auxilium postulaverunt. Quæ res ab Homero prætermissa est. Sane jam præsagium est infelicitatis futuræ, quod inter ipsa principia armantur & fœminæ. *Servius.*

Volsca

Agmen agens equitum, & florentis ære catervas,
Bellatrix. non illa colo calathisve Minervæ
Femi-

Volsca de gente.] De Priverno Volscorum oppido, ut, *Privernum antiqua Metabus cum excederet urbe.* Idem.

104. *Agmen agens.*] Nam agmen ab agendo. Tacit. I. Ann. *aguntque in primo agmine.* Cerda.

Florentis ære catervas.] Ennius & Lucretius *florens* dicunt omne quod nitidum est: hoc est secutus Virgilius. Aliter Acyrologia est. Lucretius, *Florebat navibus pontus.* Servius.

Florentis ære.] Potius, quam *fulgentes.* Scal. lib. 4. c. 16. Sed tamen 8. Æn. ℣s. 594. dixit, *fulgentes ære.* Ennius, ut & Lucret. auctore Servio, dixerunt *florens* omne, quod nitidum. Ita hic lib. 5.

Tum mare velivolum florebat navibus pandis. lib. 4.
— lumina lucernarum florentia flammis.

Ita Cato; *mare velis florere videres.* Statius:

— florentes lumine postes.

Vide Scalig. ad Manil. p. 471. Nov. Edit. & Not. 2. Georg. ℣s. 6. *Taubm.*

805. *Calathisve Minervæ.*] Minerva & armorum dea est, & lanificii: sed Camilla animum ad arma sola contulit. *Servius.*

Non illa colo calathisve Minervæ.] Lanificium significari arbitror, ut illo libro VIII. *Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva.* Turneb. lib. XI. cap. 22. Lanificium Romanis, inquit Lipsius Elect. lib. I. cap. 17. impensæ curæ. Docent nuptiæ, in quibus sponsæ colus præferebatur cum lana: cingulum erat è lana, postes velati lana, omnia videlicet signa & indicia matronis operæ futuræ. *Pontan.*

Non illa colo calathisve Minerva, &c.] Locus Apollonii lib. I. Arg. ubi loquens de Lemniis feminis,

Τῇσι δὲ βουκολίαι τε βοῶν, χάλκειά τε δύνειν
Τεύχεα, πυροφόρους τε διατμήξασθαι ἀρούρας
Ῥηΐτερον πάσῃσιν Ἀθηναίης πέλεν ἔργων,
Οἷς αἰεὶ τὸ πάροιθεν ὁμίλεον. —
Quibus cura boum, æreaque induere
Arma, fertilesque scindere terras,
Gratius omnibus Minervæ erat studiis,
Quibus semper antea incumbebant.

Huic Musæ etiam Silius instituit lib. 2. exornans suam poësin,

Hæc ignara viri, vacuoque assueta cubili,
Venatu, & silvis primos assueverat annos:
Non calathis mollita manus, operatave fuso.
Dictynnam, & saltus, & anhelum impellere planta
Cornipedem, ac stravisse feras immitis amabat.

De magna illa viragine Tecla Basil. Seleuciens. lib. I. πάρει δὲ ἱστὸν καὶ ἠλακάτην ἠχολασμένην. & alibi: ἱστῷ δὲ μᾶλλον, καὶ ἠλακάτῃ προσκαθῆσθαι, ἃ καὶ μόνα γυναιξὶν, ὡς εἰπεῖν, ἡ φύσις ἀπένειμεν. *Sed telæ potius, coloque adsidere, quæ sola munera, ut ita dicam, mulieribus natura attribuit.* Plutarch. de Virtutib. mulier. ἐν ἱστοῖς ἡσυχίαν ἄγουσα. Inde ergo Camillæ laus, quæ non contenta donatis à natura sexui femineo, aspiravit ad laudes virorum. Trojanæ feminæ apud Calab. lib. I.

Ἀλλήλας ὄτρυνον, ἀπόπροθι δ' εἴρια θέντο,
Καὶ ταλάρους, ἀλεγεινὰ δ' ἐπ' ἔντεα χεῖρας ἴαλλον,
Se mutuo concitant, longe lanas abjiciunt,
Et calathos, & ad sæva arma adjiciunt manus. Cerda.

Calathis.] Hi in opere lanificii. Ovid. epist.

Rasilibus calathis imposuisse manum.

Aristoph. Lysist. vocat καλαθίσκον: idem alii. *Idem.*

Calathisve Minervæ.] *Minerva* hic pro lanificio ponitur: apud Arnob. pro filo etiam legitur. At enim 8. Æn.

Femineas adsueta manus, sed prœlia virgo
Dura pati, cursuque pedum prævertere ventos:
Illa vel intactæ segetis per summa volaret

Gra-

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva,
est tenui pretio, quod & *Minerval* dicitur: ut quidem Serv. exponit. quanquam & hic lanificium non valde quæstuosum *Minervam* interpretatur Turneb. lib. 11. cap. 22. A calathis autem & operibus, ἐργάνη *Minerva* dicta est, quæ ἔργα ubique dici, notat Pimpont. *Taubmannus.*

807. *Cursuq; pedum.*] Bene *Pedum* adjecit, ne per equum ejus gloria minueretur: quod ei objicitur: *Quid tam egregium, si fœmina forti Fidis equo?* Servius.

Cursuque pedum prævertere ventos.] Theocritus Eclog. 8. πρόσθε θέειν ἀνέμων: *ante ventos currere.* Callimach. hymno in Delum, ἀνέμοισιν ἐρίζειν: *contendere ventis.* Homer. Iliad. 10. θέειν ἀνέμοισιν ὁμοῖοι: *currere ventis similes.* Rursum Callimach. hymno in Dian. θάσσονας αὐράων: *auris velociores.* De equis Neoptolemi Calaber l. 8. ἶσον δ' ἀνέμοισι φέροντο: *sequuntur cum ventis pariter.* Nonnus lib. 28. dat cuidam cursori ποδήνεμα γούνατα, *genua quibus ventosi pedes:* & lib. 22. de Baccho ait, ἴκελος αὔραις, *similis ventis.* Manil. lib. 5.

Vixque rotis levibus summum contingere campum
Vincentem pedibus ventos. —

Non abit [illegible] hyperbole illa Statii libr. 1.

Ilic[illegible] *lapsisque citatior astris.*

E[illegible]

[illegible] *cyn*[illegible]

[illegible] ὁ καὶ πτε-[illegible] *& alatam* [illegible] *num prævertit* [illegible] de Lada omnes [illegible] nius variis locis, [illegible] 20. & quæ de Sci-[illegible]

— *sæpe alite planta*
Ilia perfossum, campi per aperta volantem
Ipse pedes prævertit equum. —

De filio Atalantæ Statius lib. 6.

Narratur cervas pedes inter aperta Lycæi
Tollere, & omissum cursu deprendere telum. Cerda.

Prævertere ventos.] Euripides quoque *Achillem* vocat ἰσάνεμον, & λαιψηροδρόμον. Et *Ladas* quidam Alex. M. cursor tanta pedum velocitate memoratur, ut vestigia ejus in arena non apparerent. Porro de *Cursoribus* admiranda collegit Lipsius Epist. Centur. Ad Italos & Hispanos, LIX. *Taubm.*

808. *Illa vel, &c.*] Sunt, qui hæc quattuor Carmina Virgilii non esse pertendunt: quæ tamen Quintil. l. 8. c. 6. citat: atque ex Homeri Iliad. XX. mutuata, post Macrob. Scaliger etiam notat lib. 5. c. 3. quæ digna sunt, ut agnoscantur. *Idem.*

Illa vel intactæ segetis, &c.] Calpurn. Eclog. 4.

— *viridi sic exultavit in arvo,*
Tangeret ut fragiles, sed non curvaret aristas.

Homer lib. 20. Iliad.

Ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων.
Per summum asphodeli fructum currebant, neque frangebant.

Ab Homero Hesiodus, loquens de Iphiclo,

Ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέεν, οὐδὲ κατέκλα,
Ἀλλ' ἐπὶ πυραμίνων ἀθέρων δρομάασκε πόδεσσι:
Per summum fructum antherici currebat, neque frangebat,
Sed per triticeas aristas currebat pedibus.

Sed Dio Chrysost. Orat. 33. loquens de equis Trojanis, ait ita fuisse veloces, ὥστ' ἐπ' ἄκρων θεῖν τῶν σταχύων: *ut currerent*

Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas;
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeris nec tingueret æquore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa juventus,
Turbaque miratur matrum, & prospectat euntem
Attonitis inhians animis: ut regius ostro

Velet

rent per summa spicarum. Pessime autem illi, quibus censendi jus est, amputant à Virgilio hos quatuor versus. Ad vestigia porro Virgilii Statius sua lib. 6.

— vix campus euntem
Sentit, & exilis plantis intervenit aër,
Raraque non fracto vestigia pulvere pendent.

Rem hanc ita expressit Soph. in Ant. κοῦφον ἐξάρας πόδα: *levem attollens pedem.* Statius iterum eodem lib. *alto per gramina sulco*, dixit ad rem eandem. *Cerda.*

809. *Aristas.*] *Aristæ* sunt primæ spicæ partes, ab eo, quod primæ arescant, dictæ. *Servius.*

810. *Fluctu suspensa tumenti.*] In aliquot veteribus codicibus, legere est, *fluctus tumentis*, quod minime placet. Non sum vero nescius, esse aliquos usque adeo naris supra modum emunctæ, ut quum quatuor illos versus legunt,

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas;
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingueret æquore plantas.

adulterinos eos judicent: ut qui à Virgiliana gravitate videantur alieni. Sed valeant tam severi Critici, quando in exemplaribus omnibus antiquis ea carmina reperiuntur: neque hyperbolica ea lascivia indecora est, præsertim in virgine laudanda, quum toleretur in Apollonio, in Polyphemi agilitate describenda, unde locum Poëta noster mutuatus est; cujus versus non apposui, quia sunt jam omnibus in promptu. *Pierius.*

811. *Tingueret.*] Mergeret: ut, *Tingat equos.* Servius.

812. *Juventus, Turbaque miratur matrum.*] Ante, ornatum ejus: post, arma dicturus est. Unde hysteroproteron in respondendo esse voluerunt: ut ornatum matres, viri vero arma mirentur. Sed melior sensus est, si, sicut dictum est, accipiamus. Ea enim sexus uterque miratur, quæ sunt posita contra opinionem, ut mirentur fœminæ arma in muliere, viri ornatum in bellatrice. *Servius.*

813. *Turbaque miratur.*] Ducit ali Homero Odyss. 2. Ursinus:

— τὸν δ' ἄρα πάντες
Λαοὶ ἐπερχόμενον θηεῦντο.

Ego ab Calab. lib. 1. qui simili plane ratione Penthesileam inducit adventantem ad Trojanum bellum:

— ἀμφὶ δὲ Τρῶες
Πάντοθεν ἐσσύμενοι, μέγ' ἐθάμβεον, εὖτ' ἐσίδοντε
Ἄρεος ἀκαμάτοιο βαθυκνήμιδα θύγατρα:

— Trojani vero circum
Undique irruentes, admirantur plurimum,
Ut viderunt invicti Martis filiam cum altis tibialibus,

Cerda.

814. *Inhians.*] Stupore quodam in ore patefacto. *Servius.*

Attonitis inhians animis.] Velut ἐμβροντήτοις. Sic & absolute, ni fallor, Lucr. lib. 1. *Pascit amore avidos inhians in te dea visus*; ita ut *Pascit visus in te*, accipiamus ut Maro: *Pascitur in magna silva, &c.* Non autem inhians in te: cum prædæ & prædam inhiare dicamus, non in præda: & absolute alibi Maro

 dixerit,

Velet honos levis humeros, ut fibula crinem
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

dixerit, *tenuit inhians tria Cerberus ora.* Germanus.

815. *Velet honos levis humeros.*] Poëtice luxuriat; nihil enim aliud dicit, quam tegi humeros regia purpura, quæ in summo honore. Sed docet te loqui extra vulgus. Apollon. lib. 1. inducit Venerem pari ferme modo indutam, nam ἐκ ὤμου, *ab humero* pergebat vestis, πῆχυν ἐπὶ σκαιόν, *usque ad lævum cubitum.* Cerda.

Fibula crinem, &c.] Usum fibularum in feminis aperit Ælianus lib. 1. Var. hist. c. 18. τῶν δὲ χιτώνων τὰ περὶ τοὺς ὤμους ἄχρι τῶν χειρῶν οὐ συνέρραπτον, ἀλλὰ περόναις χρυσαῖς καὶ ἀργυραῖς συνεῖχον καταλάμβανον: *Tunicarum eam partem, quæ est ab humeris usque ad manus, non consuebant, sed continuis fibulis aureis, & argenteis constringebant.* Sed latius patuit ejus usus, videlicet ad continendum omnem fluxum: nam Claud. 2. Eutrop.

Carbaseos induta sinus post terga reductas
Uberibus propior mordebat fibula vestes.

Inde Nonnus lib. 32. fibulam vocat κληῖδα χιτῶνος, *clavem vestis.* De Atalanta Ovid. 8. Metamorph.

Rasilis huic summam mordebat fibula vestem.

Ergo Maro illas capiti attribuit, ut indicet frænatas esse comas, quod Claudianus lib. 3. Rap. dixit,

—— libertatemque comarum
Injecta voluit tandem frenare corona.

Sed Camilla Virgiliana comas frænat fibula. Credo autem Græcorum ἄμπυκα respondere Virgilianæ fibulæ. Dictus ἄμπυξ, teste Eustathio, παρὰ τὸ ἀμπέχειν τὰς τρίχας *à cohibendis crinibus.* Sic Pallas & Diana ab Statio l. 2. Theb. inducuntur cum flavo nodo in vertice. Sic sponsa apud Claudian. de 6. Cons. Hon. *Substringitque comas gemmis.* Et Juno apud Nonn. lib. 32. πλοκίδην κόμην, *comam implexam.* Lucan. de Phœbade lib. 5. *stringit vitta comas.* Idem.

816. *Lyciam pharetram.*] Quasi Lyciam. Ut legimus, *Cretenses sagittas.* Servius.

Lyciam ut gerat ipsa pharetram.] Sunt antiqui codices, ubi *ferat* scriptum est. Sunt qui *gerat* magis proprium velint, & alterum illud ex paraphrasi adjectum esse. Est & *ipsa* pronomen, pro *illa* in antiquioribus exemplaribus: verum alterum hoc receptius. *Pierius.*

Ipsa.] Et hoc in laude est, quod arma sua ipsa portarit, & quidem tantæ molis: nempe pharetram, & hastam myrteam præfixo ferro graviorem, qua pastores solent pugnare. Videatur & Turnebus lib. 23. cap. 22. *Taubm.*

817. *Pastoralem præfixa cuspide myrtum.*] Quia hac pugnare pastores solent. *Servius.*

Myrtum.] Non hastam myrteam, sed ipsam myrtum. Statius, *Lernæam jacit ille trabem.* Idem.

P. VIR-




G. Appelmans. sculpsit

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS
LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

Belli signum Turnus Laurenti arce proponit, Latiique totius finitimarumque urbium sibi auxilia adjungit. Venulus quoque Argos ad Diomedem mittitur, ut eum periculi similitudine ad belli societatem impellat. Quibus rebus permotus Æneas, copiarumque suarum paucitati diffidens, Tyberini monitu, adverso flumine in ea loca subvehitur, in quibus postea Roma condita fuit: Euandrique regis, qui ex Arcadia profugus, in Palatino monte oppidum nomine Pallanteum condiderat, auxilium implorat. Euander Æneam, adventus ejus causa cognita, benigne hospitio excipit: sacrisque Herculis, quibus tum intentus erat, adhibitum, caussam ritusque sacrificii edocet, locaque ejus tractus nobiliora, obiter hospiti recenset. Postridie Æneas, equitum quadringentorum subsidio adjutus (quibus præerat Pallas, unicus Euandri filius) partem copiarum secundo flumine ad suos remittit: ipse cum reliquis Agyllam florentissimam Tyrrhenorum civitatem petit: cui cum Mezentio, quem ob intolerandam crudelitatem regno expulerat, internecivæ odia intercedebant. Interim Vulcanus uxoris blanditiis adductus, privigno suo arma fabricatur: eademque à Venere ad Æneam deferuntur: qui armorum pulchritudine delectatus, cum cætera omnia, tum clypeum inprimis, qui res à posteritate sua strenue gerendas habebat depictas, studiose admiratur.

UT belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu,

Utque

1. *UT belli signum, &c.*] Quemadmodum Poëta libro VII. Æneam suum, auspiciis divinis & blandientibus elementis omnibus, ad *Italiam* duxit; quam & descripsit, & *catalogum* copiarum Turni recensuit: ita deinceps persequitur, quantis animis atque apparatu in bellum utrimque itum fuerit: præcipue quid Æneas, paucitati copiarum suarum diffidens, consilii ceperit: & quo pacto in somnis à Tiberino rem suam edoctus sit: neque auxiliis solum humanis, sed armis etiam divinis ornatus processerit. Inprimis autem admirabile est *Clypei* illud (ut P. loquitur) *non enarrabile textum.* Et alioquin hic liber varietate rerum, elegantia & eruditione certat cum reliquis, præcipue ob digressiones illas in historias, & Orationes summo artificio compositas. Porro, quemadmodum Græcia, sub Agamemnone, in Trojæ exscidium conjurabat in Aulide: ita hic sub Turno Latium conjurat in Trojanorum reliquias. *Taubm.*

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce.] Apud majores nostros tria erant militiæ genera in bellis gerendis. Nam aut legitima erat militia, aut conjuratio, aut evocatio. Legitima erat militia eorum, qui singuli jurabant pro republica se esse facturos: nec discedere nisi completis stipendiis, id est, militiæ temporibus, & *sacramentum* vocabatur, ut Æn. 2. *Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.* Aut certe si esset tumultus, id est, bellum Italicum vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus: quia singulos interrogare non vacabat: qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quod

Utque acris concussit equos, utque inpulit arma;

Extem-

quod pedites evocabat, & unum ceruleum, quod erat equitum, (nam ceruleus color maris est, à cujus deo equum constat inventum) dicebat, *Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur.* & qui convenissent, simul jurabant, & dicebatur ista militia *conjuratio.* Alii album & roseum vexilla tradunt, & roseum bellorum, album comitiorum signum fuisse. Fiebat etiam evocatio. Nam ad diversa loca diversi propter cogendos mittebantur exercitus. Modo ergo duo sunt genera militiæ, *conjuratio* & *evocatio*, quippe in tumultu. Sane incongruum non est, quod signum belli, id est, vexilli elevationem Turno dat, aut quia de rege Latino dixerat supra, *Rerumque reliquit habenas.* Aut quia Turnus furore succensus maluit ipse efficere quam jubere, ut omnes abrumpat moras: Aut quia, sicut dictum est, Latinus, cui soli imperandi hoc jus erat, abstinuerat, & nemo illo abstinente parebat. Turnus ergo ideo hujusmodi officium arripuit, quia etsi ipse non imperabat, tamen prohiberi non poterat. *Belli* autem *signum* generaliter dixit (nam multa sunt) sed vexillum significat, quod est tractum à veli diminutione, ut *velum, vexillum.* Servius.

Ut belli signum, &c.] Vexillum imperatores habebant penes se in tabernaculo: & qui delectum olim habebant, in arce ponebant: cum prælium etiam erat committendum proponebatur tollebaturque vexillum, ut in lib. de bello Alexandrino: *Quod ubi conspexit, celeriter vela subduci, demitti antennas jubet, & milites armari, & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quæ primæ naves sequebantur, idem ut facerent significabat.* Cæsar lib. 2. de Bello Gallico: *Cæsari omnia uno tempore erant agenda, vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret, signum tuba dandum.* Vexillo igitur pugnandi dabatur signum, & in repentino tumultu prælii inopinati, ad arma concurrendi. Tollebat & signum, quod vexillum erat, qui rapide celeriterque milites contrahebat, ut hoc loco. Tollitur etiam signum ad præsidium comparandum & spem ostendendam confirmandosque animos: Cicero pro Marcello: *Et his omnibus ad bene de omni Rep. sperandum, quasi signum aliquod sustulisti.* Turnebus.

Ab arce.] Quoniam vexillum in arce poni solebat, quod esset specimen imperati exercitus. *Servius.*

Turnus.] Namque Latinus sepserat se tectis, rerumque reliquerat habenas, supra l. 7. *Farnab.*

2. *Strepuerunt cornua.*] Quæ simul sonabant: ut, *Æreaque adsensu conspirant cornua rauco.* Servius.

Et rauco strepuerunt, &c.] Similes strepitus, & plane tragicos habes in Lucret. libro secundo:

—Raucisono mirantur cornua cantu.

Et in Silio lib. 13. aspirante ad Virg.

Insonuere tubæ passim, clamorque virorum,
Tinnitusque simul litui, raucoque tumultu
Cornua, & in membris concussa furentibus arma.

Pari fremitu Hom. 10. Iliad.

Αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὅμαδόν τ' ἀνθρώπων. *Cerda.*

3. *Utque acris concussit equos.*] Hoc ad equites pertinet. Et utrum hoc epitheton equorum perpetuum est, an dum concutiuntur? *Servius.*

Concussit.] Pro cursu excitavit. *Farn.*

Utq; inpulit arma.] Hoc ad pedites. Est autem sacrorum. nam is, qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus, primo ancilia commovebat, post hastam simulacri ipsius, dicens, *Mars vigila.* Quidam sane suos equos & sua arma, de Turno tradunt: scilicet, ut cæteris esset exemplum. *Servius.*

Utque inpulit arma.] Sæpius dictum est præpositionem *in* subsequente *p* in plerisque codicibus antiquis, in *m* minime

Extemplo turbati animi: simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, sævitque juventus
Effera. ductores primi Messapus & Ufens,

Con-

nime mutari; id quod non in Virgilianis tantum exemplaribus est, verum etiam in Horatianis, Cæsarianis, Ammiani Marcellini historiis, & aliis auctoribus, qui vel Longobardicis, vel ejus generis literis notati sunt. In illis enim Tineis præpositiones fere omnes in dictionibus incolumes habentur, ut hoc loco, *inpulit* per *n*. Neque nescius sum Grammaticos adversus hanc scriptionis rationem reclamare: quod illius literæ sonus ante *p* non nisi *m* sonare possit, quum necessarium sit, post eam particulam enuntiatam, statim occludere labia secunda syllaba *impu.* Sed esto vi naturæ, *m* sonus ipsius literæ ante *p* pronuntiatæ: quid obstat, ut & si aliter enuntiatur, non tamen integra scribi possit, quum alia pleraque sint, quæ aliter scribimus, aliter pronuntiamus, ut observat Velius Longus. Ac ne Græcorum sermonem in testimonium adducamus, qui *t* quum scribunt ante *n*: *d* tamen pronuntiant, literæ illius remollita duritie. iidem γ ante γ, κ, χ, ξ, notant. Sed enim litteræ, quæ est *n*, pro γ scripto sonum exprimunt. Noluimus nos eos superstitiosius imitari, ideoque *Angelus* non *Aggelus* scribi mus, *Ancora* non *Agcyra*, *Anchises* non *Agchises*, *Phalanx* non *Phalagx*. ea enim sic Græce scribuntur, ἄγγελος, ἄγκυρα, ἀγχίσης, φάλαγξ. Sed *m* tamen aliquando quum scripsimus, alterius literæ sonum pronuntiamus, ut Quintiliano & Velio Longo testibus apparet, In *Multum ille*, & *Illum ego*. Quare me nihil offenderit, siquis in *n* etiam eandem esse rationem asseruerit, & *in* præpositionem scribendo incolumem servaverit, pronuntiationis vero leges naturæ concesserit. *Pierius.*

4. *Extemplo.*] Aut subito, aut re vera ex ipso templo, id est, post divina arma commota. *Servius.*

Extemplo turbati animi.] Sic apud Val. Flacc. lib. 6. ubi Mars impulit, & concussit currus:

Protinus è castris fugit sopor, excita tela,
Turbati coïere duces. ——

Docet observantissime Godesc. quæ particulæ sequantur post *ut*, ad rem subitam explicandam. Videlicet; *Ut, extemplo. Ut, statim. Ut, continuo. Ut, confestim. Ut, repente. Ut, postea. Ut, protinus.* Vide, ut firmet bonis auctoribus. *Cerda.*

Simul.] *Simul* & *omne* dicit: id est, uno tempore, omnibus in unum coëuntibus. *Donatus.*

Tumultu trepido.] Festino: more suo: Non enim timere poterant, qui pericula vincebant. *Servius.*

5. *Conjurat.*] Notandum de re bona conjurationem dici posse. Ergo *conjuratio* τῶν μέσων est. *Idem.*

Conjurat.] Conjuratio autem totius Latii, & tumultus, id est, timor multus, & concitatio tot populorum ad laudes Æneæ pertinent. Inservit etiam Æneæ hic tumultus: ne peregrinus in hospites, & socius in fœderatos impius videatur, si primus bellum moveat. *Donatus.*

Conjurat.] Sic Statius lib. 1. Achill.

—— *video jam mille carinis*
Ionium, Ægæumque premi: nec sufficit, omnis
Quod plaga Grajugenum tumidis conjurat Atridis.

Emmeneß.

Juventus effera.] Efferata per Furiam; ut, *arma velit poscatque simul.* Servius.

6. *Primi.*] Utrum ordine, an dignitate? *Idem.*

Messapus & Ufens.] Bona electio personarum ad delectum habendum: unus eques bonus, id est, Messapus mittitur: alter pedes egregius. *Idem.*

7. Con-

Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco:
Qua Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter vallis, atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,

Agmen

detur alteri, quod & Jovi dicatum est, sub imagine expressa insidentis pueri tergo Amaltheæ capræ, & cornu ejus sinistra comprehendentis, cum hoc elogio, *Jovi crescenti.* Refert autem facie altera nomisma solam capram sine sessore, hoc circumjectam titulo, *Jovi conserv. aug.* Germanus.

800. *Et viridi gaudens Feronia luco.*] Non vacat quod addidit *viridi.* Nam cum aliquando hujus fontis lucus fortuito arsisset incendio; & vellent incolæ exinde transferre simulacra, subito reviruit. *Servius.*

Feronia.] Græcis quoque φερώνια nemoris dea, à ferendis fructibus, aliis αὐτόφορος, aliis φιλοστέφανος, φερσεφόνη, aliis. *Germanus.*

Feronia.] Meminit Horat. l. 1. Sat. 5.

Ora manusque tua lavimus Feronia lympha.

Ad quem locum vide Torrentium. *Emmeness.*

801. *Qua Saturæ jacet atra palus.*] Secundum hanc lectionem revera Saturam paludem intelligimus, sed alii *Asturæ* legunt: quod si est, *paludem* pro flumine posuit. Nam haud longe à Tarracina oppidum est Astura, & ejusdem cognominis fluvius. *Servius.*

Saturæ palus.] Cælius lib. 19. c. 25. docet, hanc paludem etiam *Pontinam* dictam, & olim XXIV. urbium fuisse capacem locum: in eoque agro, testibus Livio, Floro & Agellio, memorabilem pugnam inter Val. Corvinum & Gallum factum esse. *Taubm.*

802. *Quærit iter vallis.*] Satis figuratis verbis expressit flumen angustum. Contra de Tyberino ait, *In mare prorumpit.* Servius.

Conditur.] Aliqui legunt, *volvitur,* nam de amne Horat. epist. 2. lib. 1.

Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.

Et Od. 14. lib. 4. *volvitur Aufidus.* & Od. 1. lib. 4. *aquas volubiles.* De Asopo Nonnus lib. 27. ἴχνος ἑλίσσων, *vestigium volvens.* Sed retinenda vulgaris lectio: nam tametsi omnes fere id enuntient per verba motus, ut cum Herodotus l. 1. dixit, de hac re loquens, ἐσβάλλει, & ἐξίει, & ἐκδιδοῖ, & simillimis alii: tamen & verbum *condo* cum motu, etiam in Latio est. Cæsar enim lib. 1. Gall. *condi in silvas* dixit. Sed cesso. *Cerda.*

Ufens.] Conjunxit Poëta loca inter se vicina, ut apparet ex verbis Plinii cap. 5. lib. 3. *A Circæis palus Pontina est; dein flumen Ufens, supra quod Tarracina oppidum, lingua Volscorum Anxur dictum.* Sic itaque Poëta jungit jugum Circæum, Saturam, id est, paludem Pontinam, Ufentem fluvium, Anxurem, id est, Tarracinam. Ait Servius, signari angustiam fluminis; nam *iter quærit,* & *conditur in mare,* cum contra de Tyberino, *in mare prorumpit,* quo fastus fluminis indicatur. De hoc amne Claudian. Paneg. Prob. *tardatusque suis erroribus Ufens.* Cur *tardatus erroribus?* quia *quærit iter per valles.* Uterque enim tam Virgil. quam Claudian. indicat varios flexus hujus amnis. Quia vero *per imas valles,* ideo *gelidus,* id est, cum algore. *Idem.*

Ufens.] Fabric. docet, perpetuo scriptum esse *Oufens.* Taubm.

803. *Hos super advenit Volsca de gente Camilla.*] Prudenter post impletam commemorationem virorum, transit ad fœminas. Ita enim & de Trojanis legitur, qui ultimum Amazonum auxilium postulaverunt. Quæ res ab Homero prætermissa est. Sane jam præsagium est infelicitatis futuræ, quod inter ipsa principia armantur & fœminæ. *Servius.*

Volsca

Agmen agens equitum, & florentis ære catervas,
Bellatrix. non illa colo calathisve Minervæ
Femi-

Volsca de gente.] De Priverno Volscorum oppido, ut, *Privernum antiqua Metabus cum excederet urbe.* Idem.

104. *Agmen agens.*] Nam agmen ab agendo. Tacit. 1. Ann. *aguntque in primo agmine.* Cerda.

Florentis ære catervas.] Ennius & Lucretius *florens* dicunt omne quod nitidum est: hoc est secutus Virgilius. Aliter Acyrologia est. Lucretius, *Florebat navibus pontus.* Servius.

Florentis ære.] Potius, quam *fulgentes.* Scal. lib.4.c.16. Sed tamen 8.Æn. ℣. 594. dixit, *fulgentes ære.* Ennius, ut & Lucret. auctore Servio, dixerunt *florens* omne, quod nitidum. Ita hic lib. 5.

Tum mare velivolum florebat navibus pandis. lib. 4.

— *lumina lucernarum florentia flammis.*

Ita Cato; *mare velis florere videres.* Statius:

— *florentes lumine postes.*

Vide Scalig. ad Manil. p. 471. Nov. Edit. & Not. 2. Georg. ℣. 6. *Taubm.*

805. *Calathisve Minervæ.*] Minerva & armorum dea est, & lanificii: sed Camilla animum ad arma sola contulit. *Servius.*

Non illa colo calathisve Minervæ.] Lanificium significari arbitror, ut illo libro VIII. *Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva.* Turneb. lib. XI. cap. 22. Lanificium Romanis, inquit Lipsius Elect. lib. 1. cap. 17. impensæ curæ. Docent nuptiæ, in quibus sponsæ colus præferebatur cum lana: cingulum erat è lana, postes velati lana, omnia videlicet signa & indicia matronis operæ futuræ. *Pontan.*

Non illa colo calathisve Minervæ, &c.] Locus Apollonii lib. 1. Arg. ubi loquens de Lemniis feminis,

Τῇσι δὲ βουκόλιαι τε βοῶν, χάλκειά τε δύνειν
Τεύχεα, πυροφόρους τε διατμήξασθαι ἀρούρας
Ῥηΐτερον πάσῃσιν Ἀθηναίης πέλεν ἔργων,
Οἷς αἰεὶ τὸ πάροιθεν ὁμίλεον. —
Quibus cura boum, æreaque induere
Arma, fertilesque scindere terras,
Gratius omnibus Minervæ erat studiis,
Quibus semper antea incumbebant.

Huic Musæ etiam Silius institit lib. 2. exornans suam poësin,

Hæc ignara viri, vacuoque assueta cubili,
Venatu, & silvis primos assueverat annos:
Non calathis mollita manus, operatave fuso.
Dictynnam, & saltus, & anhelum impellere planta
Cornipedem, ac stravisse feras immitis amabat.

De magna illa viragine Tecla Basil. Seleuciens. lib. 1. περὶ δὲ ἱστὸν καὶ ἠλακάτην ἠσχολασμένην. & alibi: ἱστῷ δὲ μᾶλλον, καὶ ἠλακάτῃ προσκαθῆσθαι, ἃ καὶ μόνα γυναιξὶν, ὡς εἰπεῖν, ἡ φύσις ἀπένειμεν. *Sed telæ potius, coloque adsidere, quæ sola munera, ut ita dicam, mulieribus natura attribuit.* Plutarch. de Virtutib. mulier. ἐν ἱστοῖς ἡσυχίαν ἄγουσα. Inde ergo Camillæ laus, quæ non contenta donatis à natura sexui femineo, aspiravit ad laudes virorum. Trojanæ feminæ apud Calab. lib. 1.

Ἀλλήλας ὄτρυνον, ἀπόπροθι δ᾽ εἴρια θέντο,
Καὶ ταλάρους, ἀλεγεινὰ δ᾽ ἐπ᾽ ἔντεα χεῖρας ἴαλλον,
Se mutuo concitant, longe lanas abjiciunt,
Et calathos, & ad sæva arma adjiciunt manus. Cerda.

Calathis.] Hi in opere lanificii. Ovid. epist.

Rasilibus calathis imposuisse manum.

Aristoph. Lysist. vocat καλαθίσκον: idem alii. *Idem.*

Calathisve Minervæ.] *Minerva* hic pro lanificio ponitur: apud Arnob. pro filo etiam legitur. At enim 8. Æn.

Femineas adsueta manus, sed prœlia virgo
Dura pati, cursuque pedum prævertere ventos:
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gra-

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva,

est tenui pretio, quod & *Minerval* dicitur: ut quidem Serv. exponit. quanquam & hic lanificium non valde quæstuosum *Minervam* interpretatur Turneb. lib. 11. cap. 22. A calathis autem & operibus, ἐργάνη *Minerva* dicta est, quæ ἔργα ubique dici, notat Pimpont. *Taubmannus.*

807. *Cursuq; pedum.*] Bene *Pedum* adjecit, ne per equum ejus gloria minueretur: quod ei objicitur: *Quid tam egregium, si fœmina forti Fidis equo?* Servius.

Cursuque pedum prævertere ventos.] Theocritus Eclog. 8. πρόσθε θέειν ἀνέμων: *ante ventos currere.* Callimach. hymno in Delum, ἀνέμοισιν ἐρίζειν: *contendere ventis.* Homer. Iliad. 10. θέειν ἀνέμοισιν ὁμοιοι: *currere ventis similes.* Rursum Callimach. hymno in Dian. θάσσονας αἰγλάων: *auris velociores.* De equis Neoptolemi Calaber l. 8. ἶσον δ' ἀνέμοισι φέροντο: *sequuntur cum ventis pariter.* Nonnus lib. 28. dat cuidam cursori ποδηνέμια γούνατα, *genua quibus ventosi pedes:* & lib. 22. de Baccho ait, ἴκελος αὔραις, *similis ventis.* Manil. lib. 5.

Vixque rotis levibus summum contingere campum
Vincentem pedibus ventos. —

Non abit ab hac hyperbole illa Statii libr. 1.

Ilicet igne Jovis, lapsisque citatior astris.

Et lib. 3.

— *non ocyus alti*
In terras cadit ira Jovis. —

Nec illa Pind. ειδ. Pyth. θεὸς ὃ καὶ πτερόεντ' αἰετὸν κίχε, καὶ θαλασσαῖον παραμείβεται δελφῖνα: *Deus, qui & alatam aquilam assequitur & marinum prævertit delphina.* Nota sunt quæ de Lada omnes scribunt: & quæ Plinius variis locis, præsertim lib. 7. cap. 20. & quæ de Scipione Silius lib. 8.

— *sæpe alite planta*
Ilia perfossum, campi per aperta volantem
Ipse pedes prævertit equum. —

De filio Atalantæ Statius lib. 6.

Narratur cervas pedes inter aperta Lycæi
Tollere, & omissum cursu deprendere telum. Cerda.

Prævertere ventos.] Euripides quoque *Achillem* vocat ἰσάνεμον, & λαιψηροδρόμον. Et *Ladas* quidam Alex. M. cursor tanta pedum velocitate memoratur, ut vestigia ejus in arena non apparerent. Porrò de *Cursoribus* admiranda collegit Lipsius Epist. Centur. Ad Italos & Hispanos, LIX. *Taubm.*

808. *Illa vel, &c.*] Sunt, qui hæc quattuor Carmina Virgilii non esse pertendunt: quæ tamen Quintil. l. 8. c. 6. citat: atque ex Homeri Iliad. XX. mutuata, post Macrob. Scaliger etiam notat lib. 5. c. 3. quæ digna sunt, ut agnoscantur. *Idem.*

Illa vel intactæ segetis, &c.] Calpurn. Eclog. 4.

— *viridi sic exultavit in arvo,*
Tangeret ut fragiles, sed non curvaret aristas.

Homer lib. 20. Iliad.

Ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων.
Per summum asphodeli fructum currebant, neque frangebant.

Ab Homero Hesiodus, loquens de Iphiclo,

Ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέεν, οὐδὲ κατέκλα,
Ἀλλ' ἐπὶ πυραμίνων ἀθέρων δρομάασκε πόδεσσι:
Per summum fructum antherici currebat, neque frangebat,
Sed per triticeas aristas currebat pedibus.

Sed Dio Chrysost. Orat. 33. loquens de equis Trojanis, ait ita fuisse veloces, ὥστ' ἐπ' ἄκρων θέειν τῶν σταχύων: *ut currerent*

Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas;
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeris nec tingueret æquore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa juventus,
Turbaque miratur matrum, & prospectat euntem
Attonitis inhians animis: ut regius ostro

Velet

rent per summa spicarum. Pessime autem illi, quibus censendi jus est, amputant à Virgilio hos quatuor versus. Ad vestigia porro Virgilii Statius sua lib. 6.

—— vix campus euntem
Sentit, & exilis plantis intervenit aër,
Raraque non fracto vestigia pulvere pendent.

Rem hanc ita expressit Soph. in Ant. κοῦφον ἐξάρας πόδα: *levem attollens pedem.* Statius iterum eodem lib. *alto per gramina sulco*, dixit ad rem eandem. *Cerda.*

809. *Aristas.*] *Aristæ* sunt primæ spicæ partes, ab eo, quod primæ arescant, dictæ. *Servius.*

810. *Fluctu suspensa tumenti.*] In aliquot veteribus codicibus, legere est, *fluctus tumentis*, quod minime placet. Non sum vero nescius, esse aliquos usque adeo naris supra modum emunctæ, ut quum quatuor illos versus legunt,

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas;
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingueret æquore plantas.

adulterinos eos judicent: ut qui à Virgiliana gravitate videantur alieni. Sed valeant tam severi Critici, quando in exemplaribus omnibus antiquis ea carmina reperiuntur: neque hyperbolica ea lascivia indecora est, præsertim in virgine laudanda, quum toleretur in Apollonio, in Polyphemi agilitate describenda, unde locum Poëta noster mutuatus est; cujus versus non apposui, quia sunt jam omnibus in promptu. *Pierius.*

811. *Tingueret.*] Mergeret: ut, *Tingat equos.* Servius.

812. *Juventus, Turbaque miratur matrum.*] Ante, ornatum ejus: post, arma dicturus est. Unde hysteroproteron in respondendo esse voluerunt: ut ornatum matres, viri vero arma mirentur. Sed melior sensus est, si, sicut dictum est, accipiamus. Ea enim sexus uterque miratur, quæ sunt posita contra opinionem, ut mirentur fœminæ arma in muliere, viri ornatum in bellatrice. *Servius.*

813. *Turbaque miratur.*] Ducit ali Homero Odyss. 2. Ursinus:

—— ἀμφὶ δ' ἄρα πάντες
Λαοὶ ἐπερχόμενοι θηεῦντο.

Ego ab Calab. lib. 1. qui simili plane ratione Penthesileam inducit adventantem ad Trojanum bellum:

—— ἀμφὶ δὲ Τρῶες
Πάντοθεν ἐσσύμενοι, μέγ' ἐθάμβεον, εὖτ' ἐσίδοντο
Ἄρεος ἀκαμάτοιο βαθυκνήμιδα θύγατρα:

—— Trojani vero circum
Undique irruentes, admirantur plurimum,
Ut viderunt invicti Martis filiam cum altis tibialibus,

Cerda.

814. *Inhians.*] Stupore quodam in ore patefacto. *Servius.*

Attonitis inhians animis.] Velut ἐμβροντήτοις. Sic & absolute, ni fallor, Lucr. lib. 1. *Pascit amore avidos inhians in te dea visus*; ita ut *Pascit visus in te*, accipiamus ut Maro: *Pascitur in magna silva, &c.* Non autem inhians in te: cum prædæ & prædam inhiare dicamus, non in præda: & absolute alibi Maro

L 5 dixerit,

815 Velet honos levis humeros, ut fibula crinem
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

dixerit, *tenuit inhians tria Cerberus ora.* Germanus.

815. *Velet honos levis humeros.*] Poëtice luxuriat; nihil enim aliud dicit, quam tegi humeros regia purpura, quæ in summo honore. Sed docet te loqui extra vulgus. Apollon. lib. 1. inducit Venerem pari ferme modo indutam, nam ἐκ ὤμου, *ab humero* pergebat vestis, πῆχυν ἐπὶ σκαιὸν, *usque ad lævum cubitum.* Cerda.

Fibula crinem, &c.] Usum fibularum in feminis aperit Ælianus lib. 1. Var. hist. c. 18. τὸ δὲ χιτώνων τὰ περὶ τοὺς ὤμους ἄχρι τῶν χειρῶν οὐ συνέρραπτον, ἀλλὰ περόναις χρυσαῖς καὶ ἀργυραῖς συνεχέσι κατελάμβανον: *Tunicarum eam partem, quæ est ab humeris usque ad manus, non consuebant, sed continuis fibulis aureis, & argenteis constringebant.* Sed latius patuit ejus usus, videlicet ad continendum omnem fluxum: nam Claud. 2. Eutrop.

Carbaseos induta sinus post terga reductas
Uberibus propior mordebat fibula vestes.

Inde Nonnus lib. 32. fibulam vocat κληῖδα χιτῶνος, *clavem vestis.* De Atalanta Ovid. 8. Metamorph.

Rasilis huic summam mordebat fibula vestem.

Ergo Maro illas capiti attribuit, ut indicet frænatas esse comas, quod Claudianus lib. 3. Rap. dixit,

—— libertatemque comarum
Injecta voluit tandem frænare corona.

Sed Camilla Virgiliana comas frænat fibula. Credo autem Græcorum ἄμπυκα respondere Virgilianæ fibulæ. Dictus ἄμπυξ, teste Eustathio, παρὰ τὸ ἀμπέχειν τὰς τρίχας *à cohibendis crinibus.* Sic Pallas & Diana ab Statio l. 2. Theb. inducuntur cum flavo nodo in vertice. Sic sponsa apud Claudian. de 6. Cons. Hon. *Substringitque comas gemmis.* Et Juno apud Nonn. lib. 32. πλοκίδα κόμην, *comam implexam.* Lucan. de Phœbade lib. 5. *stringit vitta comas.* Idem.

816. *Lyciam pharetram.*] Quasi Lyciam. Ut legimus, *Cretenses sagittas.* Servius.

Lyciam ut gerat ipsa pharetram.] Sunt antiqui codices, ubi *ferat* scriptum est. Sunt qui *gerat* magis proprium velint, & alterum illud ex paraphrasi adjectum esse. Est & *ipsa* pronomen, pro *illa* in antiquioribus exemplaribus: verum alterum hoc receptius. *Pierius.*

Ipsa.] Et hoc in laude est, quod arma sua ipsa portarit, & quidem tantæ molis: nempe pharetram, & hastam myrteam præfixo ferro graviorem, qua pastores solent pugnare. Videatur & Turnebus lib. 23. cap. 22. *Taubm.*

817. *Pastoralem præfixa cuspide myrtum.*] Quia hac pugnare pastores solent. *Servius.*

Myrtum.] Non hastam myrteam, sed ipsam myrtum. Statius, *Lernæam jacit ille trabem.* Idem.

P. VIR-




G. Appelmans. sculpsit

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS
LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

Belli signum Turnus Laurenti arce proponit, Latiique totius finitimarumque urbium sibi auxilia adjungit. Venulus quoque Argos ad Diomedem mittitur, ut eum periculi similitudine ad belli societatem impellat. Quibus rebus permotus Æneas, copiarumque suarum paucitati diffidens, Tyberini monitu, adverso flumine in ea loca subvehitur, in quibus postea Roma condita fuit: Euandrique regis, qui ex Arcadia profugus, in Palatino monte oppidum nomine Pallanteum condiderat, auxilium implorat. Euander Ænean, adventus ejus causa cognita, benigne hospitio excipit: sacrisque Herculis, quibus tum intentus erat, adhibitum, caussam ritusque sacrificii edocet, locaque ejus tractus nobiliora, obiter hospiti recenset. Postridie Æneas, equitum quadringentorum subsidio adjutus (quibus praeerat Pallas, unicus Euandri filius) partem copiarum secundo flumine ad suos remittit: ipse cum reliquis Agyllam florentissimam Tyrrhenorum civitatem petit: cui cum Mezentio, quem ob intolerandam crudelitatem regno expulerat, interneciva odia intercedebant. Interim Vulcanus uxoris blanditiis adductus, privigno suo arma fabricatur: eademque à Venere ad Æneam deferuntur: qui armorum pulchritudine delectatus, cum cætera omnia, tum clypeum inprimis, qui res à posteritate sua strenue gerendas habebat depictas, studiose admiratur.

UT belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu,

Utque

1. UT *belli signum, &c.*] Quemadmodum Poëta libro VII. Æneam suum, auspiciis divinis & blandientibus elementis omnibus, ad *Italiam* duxit; quam & descripsit, & *catalogum* copiarum Turni recensuit: ita deinceps persequitur, quantis animis atque apparatu in bellum utrimque itum fuerit: præcipue quid Æneas, paucitati copiarum suarum diffidens, consilii ceperit: & quo pacto in somnis à Tiberino rem suam edoctus sit: neque auxiliis solum humanis, sed armis etiam divinis ornatus processerit. Inprimis autem admirabile est *Clypei* illud (ut P. loquitur) *non enarrabile textum.* Et alioquin hic liber varietate rerum, elegantia & eruditione certat cum reliquis, præcipue ob digressiones illas in historias, & Orationes summo artificio compositas. Porro, quemadmodum Græcia, sub Agamemnone, in Trojæ exscidium conjurabat in Aulide: ita hic sub Turno Latium conjurat in Trojanorum reliquias. *Taubm.*

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce.] Apud majores nostros tria erant militiæ genera in bellis gerendis. Nam aut legitima erat militia, aut conjuratio, aut evocatio. Legitima erat militia eorum, qui singuli jurabant pro republica se esse facturos: nec discedere nisi completis stipendiis, id est, militiæ temporibus, & *sacramentum* vocabatur, ut Æn. 2. *Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.* Aut certe si esset tumultus, id est, bellum Italicum vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus: quia singulos interrogare non vacabat: qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quod

Utque acris concussit equos, utque inpulit arma;

Extem-

quod pedites evocabat, & unum ceruleum, quod erat equitum, (nam ceruleus color maris est, à cujus deo equum constat inventum) dicebat, *Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur.* & qui convenissent, simul jurabant, & dicebatur ista militia *conjuratio.* Alii album & roseum vexilla tradunt, & roseum bellorum, album comitiorum signum fuisse. Fiebat etiam evocatio. Nam ad diversa loca diversi propter cogendos mittebantur exercitus. Modo ergo duo sunt genera militiæ, *conjuratio* & *evocatio*, quippe in tumultu. Sane incongruum non est, quod signum belli, id est, vexilli elevationem Turno dat, aut quia de rege Latino dixerat supra, *Rerumque reliquit habenas.* Aut quia Turnus furore succensus maluit ipse efficere quam jubere, ut omnes abrumpat moras: Aut quia, sicut dictum est, Latinus, cui soli imperandi hoc jus erat, abstinuerat, & nemo illo abstinente parebat. Turnus ergo ideo hujusmodi officium arripuit, quia etsi ipse non imperabat, tamen prohiberi non poterat. *Belli* autem *signum* generaliter dixit (nam multa sunt) sed vexillum significat, quod est tractum à veli diminutione, ut *velum, vexillum.* Servius.

Ut belli signum, &c.] Vexillum imperatores habebant penes se in tabernaculo: & qui delectum olim habebant, in arce ponebant: cum prælium etiam erat committendum proponebatur tollebaturque vexillum, ut in lib. de bello Alexandrino: *Quod ubi conspexit, celeriter vela subduci, demitti antennas jubet, & milites armari, & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quæ primæ naves sequebantur, idem ut facerent significabat.* Cæsar lib. 2. de Bello Gallico: *Cæsari omnia uno tempore erant agenda, vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret, signum tuba dandum.* Vexillo igitur pugnandi dabatur signum, & in repentino tumultu prælii inopinati, ad arma concurrendi. Tollebat & signum, quod vexillum erat, qui rapide celeriterque milites contrahebat, ut hoc loco. Tollitur etiam signum ad præsidium comparandum & spem ostendendam confirmandosque animos: Cicero pro Marcello: *Et his omnibus ad bene de omni Rep. sperandum, quasi signum aliquod sustulisti.* Turnebus.

Ab arce.] Quoniam vexillum in arce poni solebat, quod esset specimen imperati exercitus. *Servius.*

Turnus.] Namque Latinus sepserat se tectis, rerumque reliquerat habenas, supra l. 7. *Farnab.*

2. *Strepuerunt cornua.*] Quæ simul sonabant: ut, *Æreaque adsensu conspirant cornua rauco.* Servius.

Et rauco strepuerunt, &c.] Similes strepitus, & plane tragicos habes in Lucret. libro secundo:

—*Raucisono mirantur cornua cantu.*

Et in Silio lib. 13. aspirante ad Virg.

Insonuere tubæ passim, clamorque virorum,
Tinnitusque simul litui, raucoque tumultu
Cornua, & in membris concussa furentibus arma.

Pari fremitu Hom. 10. Iliad.

Αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὅμαδόν τ' ἀνθρώπων. *Cerda.*

3. *Utque acris concussit equos.*] Hoc ad equites pertinet. Et utrum hoc epitheton equorum perpetuum est, an dum concutiuntur? *Servius.*

Concussit.] Pro cursu excitavit. *Farn.*

Utq; inpulit arma.] Hoc ad pedites. Est autem sacrorum. nam is, qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus, primo ancilia commovebat, post hastam simulacri ipsius, dicens, *Mars vigila.* Quidam sane suos equos & sua arma, de Turno tradunt: scilicet, ut cæteris esset exemplum. *Servius.*

Utque inpulit arma.] Sæpius dictum est præpositionem *in* subsequente *p* in plerisque codicibus antiquis, in *m* minime

Extemplo turbati animi: simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, sævitque juventus
Effera. ductores primi Messapus & Ufens,

Con-

nime mutari; id quod non in Virgilianis tantum exemplaribus est, verum etiam in Horatianis, Cæsarianis, Ammiani Marcellini historiis, & aliis auctoribus, qui vel Longobardicis, vel ejus generis literis notati sunt. In illis enim Tineis præpositiones fere omnes in dictionibus incolumes habentur, ut hoc loco, *inpulit* per *n*. Neque nescius sum Grammaticos adversus hanc scriptionis rationem reclamare: quod illius literæ sonus ante *p* non nisi *m* sonare possit, quum necessarium sit, post eam particulam enuntiatam, statim occludere labia secunda syllaba *impu*. Sed esto vi naturæ, *m* sonus ipsius literæ ante *p* pronuntiatæ: quid obstat, ut & si aliter enuntiatur, non tamen integra scribi possit, quum alia pleraque sint, quæ aliter scribimus, aliter pronuntiamus, ut observat Velius Longus. Ac ne Græcorum sermonem in testimonium adducamus, qui *t* quum scribunt ante *n*: *d* tamen pronuntiant, literæ illius remollita duritie. iidem γ ante γ, κ, χ, ξ, notant. Sed enim litteræ, quæ est *n*, pro γ scripto sonum exprimunt. Noluimus nos eos superstitiosius imitari, ideoque *Angelus* non *Aggelus* scribimus, *Ancora* non *Agcyra*, *Anchises* non *Agchises*, *Phalanx* non *Phalagx*, ea enim sic Græce scribuntur, ἄγγελος, ἄγκυρα, ἀγχίσης, φάλαγξ. Sed *m* tamen aliquando quum scripsimus, alterius literæ sonum pronuntiamus, ut Quintiliano & Velio Longo testibus apparet, In *Multum ille*, & *Illum ego*. Quare me nihil offenderit, si quis in *n* etiam eandem esse rationem asseruerit, & *in* præpositionem scribendo incolumem servaverit, pronuntiationis vero leges naturæ concesserit. *Pierius*.

4. *Extemplo.*] Aut subito, aut re vera ex ipso templo, id est, post divina arma commota. *Servius*.

Extemplo turbati animi.] Sic apud Val. Flacc. lib. 6. ubi Mars impulit, & concussit currus:

Protinus è castris fugit sopor, excita tela,
Turbati coiëre duces. ——

Docet observantissime Godesc. quæ particulæ sequantur post *ut*, ad rem subitam explicandam. Videlicet; *Ut, extemplo. Ut, statim. Ut, continuo. Ut, confestim. Ut, repente. Ut, postea. Ut, protinus.* Vide, ut firmet bonis auctoribus. *Cerda.*

Simul.] *Simul* & *omne* dicit: id est, uno tempore, omnibus in unum coëuntibus. *Donatus.*

Tumultu trepido.] Festino: more suo: Non enim timere poterant, qui pericula vincebant. *Servius.*

5. *Conjurat.*] Notandum de re bona conjurationem dici posse. Ergo *conjuratio* τῶν μέσων est. *Idem.*

Conjurat.] Conjuratio autem totius Latii, & tumultus, id est, timor multus, & concitatio tot populorum ad laudes Æneæ pertinent. Inservit etiam Æneæ hic tumultus: ne peregrinus in hospites, & socius in fœderatos impius videatur, si primus bellum moveat. *Donatus.*

Conjurat.] Sic Statius lib. 1. Achill.

—— *video jam mille carinis*
Ionium, Ægæumque premi: nec sufficit, omnis
Quod plaga Grajugenum tumidis conjurat Atridis.

Emmeness.

Juventus effera.] Efferata per Furiam; ut, *arma velit poscatque simul.* Servius.

6. *Primi.*] Utrum ordine, an dignitate? *Idem.*

Messapus & Ufens.] Bona electio personarum ad delectum habendum: unus eques bonus, id est, Messapus mittitur: alter pedes egregius. *Idem.*

7. Con-

Contemtorque deûm Mezentius, undique cogunt
Auxilia, & latos vastant cultoribus agros.
Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem,

Qui

7. *Contemtorque deûm Mezentius.*] Quis enim justius, quam sacrilegus, contra pios & præpararet bellum & gereret? *Servius.*

Contemtor deûm Mezent.] Magna laus Æneæ, ut Mezentius contemtor divûm aliquando invenerit, quem timeret. *Donatus.*

Contemtorque deûm Mezentius.] Qui sibi divinos honores, & primitias offerri imperavit. *Farnab.*

Cogunt.] Non congregant, sed vi cogunt timidiores. In qua re etiam ipsi duces timorem suum ostendunt. *Donat.*

Cogunt.] Συνάγουσι, συναθροίζουσι, id est, in unum colligunt: ut quidem Nonius exponit: contra Donatus; invitos urgent. *Taubm.*

8. *Vastant cultoribus agros.*] Abducendo cultores, vastos & desertos efficiunt. Salustius in Jugurtha, *Vastus ab natura & humano cultu.* alibi, *Quippe vasta Italia rapinis, fuga, cædibus,* hoc est, hominibus deserta. *Servius.*

Vastant.] Vacuos faciunt abducendo cultores, ita ✝s. 571.

—— viduasset civibus urbem:

Scalig. lib. 4. cap. 16. Atque hoc est, quod ait Veget. lib. 1. cap. 3. *Ex agris præcipue, supplendum esse robur exercitus: armisque aptiorem esse rusticam plebem, quæ sub divo & in laboribus enutritur.* Vide & Lipsii Politic. lib. 5. cap. 12. *Taubmannus.*

Vastant cultoribus agros.] Quemadmodum Virgilius hoc loco agros cultoribus vastari dicit propter militiam; sic Statio pascua dicuntur vacuari propter eandem lib. 3. Achilleid.

Dat bello pedites Ætolus, & asper Acarnan
Argos agit turmas. vacuantur pascua ditis
Arcadiæ. Emmeness.

9. *Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem.*] Diomedes postquam reperit ira Veneris à se vulneratæ, uxorem apud Argos cum Cillabaro, ut Lucilius, vel Cometa, ut plerique tradunt, turpiter vivere, noluit reverti ad patriam, vel, ut dicitur, ab adulteris proturbatus, sed tenuit partes Apuliæ: & edomita omni montis Gargani multitudine, in eodem tractu civitates plurimas condidit. Nam & Beneventum & Æquumtuticum ipse condidit, & Arpos, quæ & Argiripa dicitur, ad quam nunc Venulus mittitur: non Arpinum, quam constat esse Campaniæ: unde Cicero Arpinas. Sane sciendum Apuliam uno dictam vocabulo: sed hujus partem, quam Diomedes tenuit, Messapiam & Peucetiam à duobus fratribus dictam, qui illic imperarent. Item, Dauniam à Dauno rege Apuliæ. A quo hunc Diomedem quidam hospitio receptum dicunt. Sane artificiose ad Diomedem mittitur, movenda est enim indignatio & metus Diomedi, ut subveniat Latinis contra Trojanos, vel ut eum quasi civis citius posset adducere. *Serv.*

Mittitur & magni.] Magnum signum timoris, ut etiam ab externis auxilium petant. *Donatus.*

Venulus.] Hunc fuisse constat Argivum. Nam Tybur est, ut ille indicat locus, *Prædam Tyburti ex agmine raptam, Portat ovans.* Hunc alii Lavini imperasse olim tradunt. *Servius.*

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem, &c.] Hujus legationis meminit Ovidius, lib. 14. Metam. ✝s. 457.

At Venulus magnam profugi Diomedis ad urbem
Venerat. ille quidem sub Iapyge maxima Dauno
Mœnia condiderat: dotaliaque arva tenebat.
Sed Venulus Turni postquam mandata peregit,
Auxiliumque petit, vires Ætolius heros
Excusat, &c. Emmeness.

10. Con-

Qui petat auxilium, & Latio consistere Teucros,
Advectum Ænean classi, victosque Penatis
Inferre, & fatis regem se dicere posci,
Edoceat, multasque viro se adjungere gentis
Dardanio, & late Latio increbescere nomen.
Quid struat his cœptis, quem, si Fortuna sequatur,
Eventum pugnæ cupiat, manifestius ipsi,

Quam

10. *Consistere.*] Jam esse conditos, id est, fundasse civitatem. Plus est enim *consistere*, quam *venisse*. Servius.

11. *Advectum Ænean.*] Quasi quem antea vicerat, ne desperet de victoria. *Donatus.*

Classi.] Ita frequenter veteres, non in hac sola, sed in aliis vocibus. Sic *segeti*, pro, segete: *capiti*, pro, capite: *ruri*, pro, rure: *vesperi*, pro, vespere: *Carthagini* in Plauto, pro, Carthagine. Sed de hac inprimis voce jam Achilles Statius. Nam Sisenna apud Nonium, *perpetua classi*. Catull.

Namque ferunt olim classi cum mœnia Divæ.

Idem:

Per medium classi barbara navis Athon. Cerda.

Victosque Penatis.] Ut major sit indignatio, & amat Poëta quotiens adversum Trojanos poscuntur auxilia, Penatibus victorum crimen adscribere, ut apud Æolum, *Ilium in Italiam portans victosque Penates*. Servius.

12. *Inferre.*] Hic invidiam facit: ut, *Inferretque deos Latio*; proprie enim inferuntur Penates. *Idem.*

Regem se dicere posci.] Unde illud est, *Expectate solo Laurentum.* Et dicendo *Posci*, agit subtiliter. Nam si non venit errore, sed fato: omnem sibi ubique est vindicaturus Italiam, sine dubio & Diomedis imperium. *Idem.*

Regem se posci.] Quasi dicat, mentitur in hac re. *Donatus.*

13. *Multasque viro se adjungere gentis Dardanio.*] Hic metum injicit, & bene non *Æneæ* dixit, sed *viro Dardanio*: ut non sit mirum si sequebantur hominem sibi cognatione sociatum. Ut, *Hinc Dardanus ortus Huc repetit.* Servius.

Multasque, &c.] Adjungit hæc vera, ut etiam falsa credantur. Vult igitur inferre timorem Diomedi, ut vel sua caussa pellat Æneam: sed non tantum terrorem ut desperet de victoria, si properabit. Est autem in singulis repetendum, *edoceat*. Donatus.

14. *Dardanio.*] Bene ita: non, *Æneæ*. ut minus sit mirum, si sequatur hominem sibi cognatione sociatum. Unde lib. 3.

Hesperia quibus idem Dardanus auctor.
Ibid.
Hinc Dardanus ortus.

Et hoc nomen admonere etiam debuit Diomedem veteris odii in bello Trojano. *Taubmannus.*

15. *Quid struat his cœptis.*] Cum hæc etiam cœperit. Et participialiter dixit, ab eo quod est incipio, *cœptus* facit. Hinc est *cœptis*. Servius.

Quem, si Fortuna sequatur.] Eventum pugnæ cupiat. Si eum fortuna comitetur, quem finem suæ velit esse victoriæ, ipsum melius nosse qui jam antiquus est hostis. Ergo *quem* acute pronunciandum, ut sit ordo, quem eventum pugnæ cupiat fortuna sequatur. *Idem.*

16. *Eventum pugnæ cupiat.*] In aliquot antiquis codicibus, *cupiet* legitur: sed longe venustius *cupiat*. Pierius.

Manifestius ipsi.] Vult autem intelligi Æneam etiam contra Diomedem bella gesturum: non tantum propter præsens imperium, sed & caussa hostilitatis antiquæ. *Servius.*

Manifestius ipsi, &c.] Ut qui Trojanos prius propiusque noverat. *Farnab.*

Quam Turno regi, aut regi apparere Latino.
Talia per Latium: quæ Laomedontius heros
Cuncta videns magno curarum fluctuat æstu:
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partisque rapit varias, perque omnia versat.
Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen aënis

Sole

17. *Quam Turno regi.*] Rutulorum duci, aut cui jus ad regnum Laurenti. *Farn.*

18. *Talia per Latium.*] *Gerebantur* subaudis. & est formosa Ellipsis. *Serv.*

Laomedontius heros.] Virtute & calliditate Laomedonti respondens. *Don.*

Laomedontius heros.] Æneas. *Farnab.*

19. *Cuncta videns.*] Mente pertractans. Nam non videbat. *Servius.*

Cuncta videns.] Id est, nihil ex iis quæ hostes agerent illum latuit. *Donat.*

Curarum fluctuat æstu.] His verbis futuram præoccupat comparationem, quæ est Apollonii de verbo ad verbum. *Serv.*

Curarum æstu] Propter exiguas copias suas, & tantos hostiles apparatus. *Donatus.*

Fluctuat æstu.] Utrumque verbum de mari est. *Servius.*

Curarum fluctuat æstu.] Pulchre Sil. lib. 8. *undantes dolores.* Lucret. 6.
Volvere curarum tristes in pectore fluctus.
Petron. *in hoc dictorum æstu motus incedo.* Statius 5. Theb.

—— *vario sic turbidus æstu*
Angitur. —— Valer. 5. Arg.
Præcipue Æsonidem varios incerta per æstus
Mens rapit undantem curis, ac multa novantem. Catull.
—— *magnis curarum fluctuat undis.*

Apul. lib. 4. *In cogitationis salo fluctuare.* Ammian. lib. 15. *In æstu mentis ancipiti.* Latini proculdubio à Græcis, qui pari energia. Oppian. 5. Hal. νοὸς δ' οἱ ἠΰτε κῦμα ἑλεῖται. *torquetur ei animus, tanquam fluctus.* Sophoc. in Electra, & de illa σαλεύει, *fluctuat.* Herodian. de Commodo, κυμαίνουσαν οὖν ἔχων τοσαύταις φροντίσι τὴν ψυχήν. *Habens animum tantis curis fluctuantem.* Joan. Chrysostom. hom. de Patient. κύματα τῶν λογισμῶν. Sic vicissim tranquillum animum dicunt ἀκύμαντον, & ἀμύμονα, ut qui careat fluctibus curarum. Ad eum modum, quo dixit Synes. l. de Insomn. σχολάζουσα τῷ κατακλυσμοῦ τῶν ἀγοραίων αἰσθήσεων: *Anima vacans forensium curarum diluvio.* Cerda.

20. *Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc.*] Vel quod suis copiis bellum Itali adversus eum parabant, vel quod à Diomede vetere hoste suo auxilia postulabant. *Servius.*

Celerem.] Ad corporis comparationem, quod tardum est, ut, *Iterumque ad tarda reverti Corpora.* Servius.

21. *Perque omnia versat.*] Sic in 4. de Didone, *partes animum versabat in omnes.* Synes. lib. de Insomn. οὐδὲν γὰρ οὕτως ὥσπερ πνεῦμα εὐτράπελον. *Nihil tam est versatile quam spiritus.* Homero satis fuit 1. Iliad. διάνδιχα μερμήριξεν. Isocrati, δόξαν παραλλάττουσαν, ut Virg. in 4. *alternanti.* Philo dixit, τῆς διανοίας ἀμφικλινῶς ἐχούσης, καὶ αὖ ταλαντευομένης. *variante animo, atque in utranque partem vicissim propendente.* Æschines, ἀπόρως διακεῖσθαι. Græci omnes ἀπορεῖν, καὶ διαπορεῖν. *Cerda.*

22. *Sicut aquæ, &c.*] Illustro hanc comparationem aliis, qui similem in suis carminibus. Incipio ab Apollonio, à quo Virg. sed cum victoria. Ille itaque 3. Arg.

Ἠελίου ὥς τίς τε δόμοις ἐνιπάλλεται αἴγλη
Ὕδατος ἐξανιοῦσα. τὸ δὴ νέον ἠὲ λέβητι,
Ἠέ που ἐν γαυλῷ κέχυται. ἡ δ' ἔνθα, καὶ ἔνθα
Ὠκείῃ στροφάλιγγι τινάσσεται ἀΐσσουσα.

Solis

Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ,
Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.

Nox

Solis veluti aliquis in ædibus resultat splendor
Ex aqua exiliens quæ modo aut in lebete,
Vel certe in situla infusa, huc, illucque
Celeri conversione commovetur impulsa.

De Annibale Silius lib. 7.

Nulla vacant incepta dolis, simul omnia versat,
Miscetque exacuens varia ad conamina mentem.
Sicut aquæ splendor radiatus lampade Solis
Dissultat per tecta, vaga sub imagine vibrans
Luminis, & tremula laquearia verberat umbræ.

Non multum abit Claud. in descriptione orientis diei lib. 2. Rapt.

Impulit Ionios præmisso lumine fluctus,
Nondum pura dies, tremulis vibratur in undis
Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.

Credo habuit ante oculos Ovidium ita scribentem,

Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum celsa spargit in æde jubar.

Valer. lib. 13. Arg. dixit,

Stagna vaga sic luce micant, ubi Cynthia cœlo
Prospicit, aut medii transit rota candida Phœbi.

De re Virgilii Sidon. epist. 10. lib. 2.

Intus lux micat, atque bracteatum
Sol sic sollicitatur ad lacunar,
Fulvo ut concolor erret in metallo,
Distinctum vario nitore marmor
Percurrit cameram, solum, fenestras.

Lucret. lib. 6. non adhibet comparationem, sed repræsentat idem cum reliquis, ita canens:

Præterea Solis radiis jactatur aquai
Humor, & in lucem tremulo rarescit ab æstu.

Idem.

Tremulum lumen.] Ennius in Menalippa:

Lumine sic tremulo terra, & cava cærula candent.

Et Lucret. lib. 4.

Jamq; rubrum tremulis jubar ignibus.——

Et lib. 5.

——*tremulum jubar hæsitat ignis.*

Vide quæ fuse lib. 7. ad illud:

——*splendet tremulo sub lumine pontus.*

Præclare Sidon. epist. 2. lib. 2. de radio Solis, *radio peregrinante.* Nam tametsi ille de cursu Solis loquatur, sed trahi huc potest. *Idem.*

23. *Sole repercussum.*] Aut vacat *re*, aut bene *repercussum*: quia primo aquam ferit, inde postea tendit ad tecta. *Serv.*

Radiantis imagine Lunæ.] Negant omnes Physici lumen lunæ aliud ex se reddere: & vituperatur hoc dicto Virgilius; quod tamen tolerabile est, quia non lunam, sed imaginem dixit lunæ, quam à Sole lumen accipere manifestum est. An ideo *radiantis*, ut quoniam Luna lumen de Sole mutuatur, idem videatur etiam ipsa efficere quæ de Sole procedit. *Idem.*

Imagine lunæ.] Lumen in laquearibus intelligit, lunæ imaginem exceptam, atque repercussam inquit Jul. Scal. l. 5. Poëtic. c. 6. *Farnabius.*

25. *Laquearia.*] Multi *lacunaria* legunt: nam *lacus* dicitur. Unde est in Horatio, *Nec mea renidet in domo lacunar.* Non enim à *laqueis* dicitur, sed ab eo quod sunt lacus. *Servius.*

Summique ferit laquearia tecti.] Miror Servium eos non neglexisse, qui *lacunaria* legunt: quum vel ex Horatii exemplo, quod apposuit, syllabæ repugnantiam viderit, etsi multi polysyllaborum regulam usurpant. *Pierius.*

Laquearia.] Sic dicuntur summa ædium à variis laqueis & scalpturis, quibus polita esse solent, ut de cœlo dixit Manil. lib. 1.

 Hac

Nox erat; & terras animalia fessa per omnis
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat;
Cum pater in ripa gelidique sub ætheris axe
Æneas tristi turbatus pectora bello
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.

Huic

Hæc igitur texunt æquali sidera tractu
Ignibus in varias cœlum laqueantia formas.

Non contemnendi tamen, qui ajunt, *lacum* præter vulgarem significationem, esse etiam trabem planam in ædificiis, unde Lucill. *resultant ædesque, lacusque.* Ergo à *lacu lacunar*, *lacunare*, *lacunarium*: & per antistœchon *laquear*, *laqueare*. Juvat hanc sententiam verbum rusticum, *ablaqueo*, quod non à *laqueis*, sed à *lacubus*: est enim *ablaqueare*, tanquam *ablacunare*, lacunas videlicet & fossas facere ad caudices arborum. Inde *ablaqueatæ vites* in Plin. & aliis. Ergo, si huic extremæ sententiæ adhærendum sit, in quam inclino; non tam *lacus*, aut *laqueare*, aut *lacunar* in ædibus erit trabs illa plana, ut Grammatici explicant; quam cava illa, quæ in tectis apparent, nos *bovedas* dicimus. Hoc enim magis consentaneum cum lacu, & ablaqueo. Lacus etiam in re simili. Sidonius meminit epistola secunda libr. ubi loquitur de cœnatione, quæ erat in triclinio. *Cerda.*

26. *Alituum.*] Pro *alitum*: sed metri caussa, ut diximus supra, addidit syllabam. *Servius.*

Alituum.] Deflexit paululum à Lucret. lib. 4. *alituum genus, atque ferarum.* Noluit hoc ultimum, quia non omnes feræ noctu dormiunt, imo multæ tunc exeunt à latebris prædam facturæ. Alius imitator incogitanter *ferarum* diceret, quia sic Lucret. Stat. 1. Silv. non contentus est, nisi tria adjungeret, ut sciamus illum explorasse Lucretium, & Virgilium. Versus est:

Alituum, pecudumque mihi, durique ferarum
Non renuère greges. ——

Et 5. Silv.

—— *tacet omne pecus, volucresque, feræque.*

Seneca Rhetor. Controv. 16. ait, Virgilium expressisse in melius versus hos Varronis,

Desierant latrare canes, urbesque silebant,
Omnia noctis erant placida composita quiete.

Vidè & longam descriptionem Apollon. lib. 3. ab eo versu:

Νὺξ μὲ ἔπειτ' ἐπὶ γαῖαν ἄγεν κνέφας, &c.

Ceterum Latini Poëtæ *alituum*, pro, *alitum*, imitatione Græcorum. Qui Homerum libarunt, sciunt esse in eo φαάνθεν, pro φάνθεν: ἀντιόωσαν, pro ἀντιῶσαν: ἐῶ, pro ῷ: ὄρωρε, pro ὦρε: συγέησι, pro συγῇ: ἄατον, pro ἄτον: ἀταρτηρὸς, pro ἀτηρὸς: πελαγὼν, pro παγὼν: ἠγερέθοντα, pro ἠγορῶντα: ἕεδνα, pro ἕδνα. & millena. *Cerda.*

28. *Pater.*] *Pater*, hic dignitatis nomen est; sæpius tamen divinitatis. Vide quæ diximus supra ad 4. Georgic. ℣s. 369. *Emmeness.*

Sub ætheris axe.] Id est, sub aëre. *Servius.*

Gelidique sub ætheris axe.] Est hoc, quod Horat. *sub Jove frigido*; quod omnes, *sub dio*, ὕπαιθρον. *Cerda.*

29. *Turbatus pectora.*] Sic supra l. 1. Æn. ℣s. 228. *Lacrimis oculos suffusa nitentis.* ad quem locum vid. Servius. Plura vero hujus constructionis exempla si quis desiderat, adeat Vechner. l. 1. Hellenolex. c. 5. in fine. *Emmeness.*

30. *Seramque dedit per membra quietem.*] Tardam: quippe in bellicis curis. *Seram* autem pro *sero* adverbium temporis in nomen deflexum. *Dedit* autem mire dixit, hoc est, indulsit quietem corpori suo. *Servius.*

Seram-

Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amœno
Populeas inter senior se attollere frondis
Visus. eum tenuis glauco velabat amictu
Car-

Seramque dedit per membra quietem.] Stat. 3. Theb. de Thydeo:
— animosaque pectora laxet
Sera quies. —
Nam dux & Princeps esse debet vigil, & sero somnum capere. Ita de Adrasto idem Stat. lib. 8.
— sed agit miseranda potestas
Invigilare malis. —
Et de Annibale Sil. lib. 12.
— vigil ille, nec ullam
Ad requiem facilis. —
Eundem Polyb. lib. 3. inducit vigilantem ὅλη τῇ νυκτὶ, *tota nocte.* Laudatur Julianus Cæsar ab Ammian. lib. 26. quod exsurgeret, cum versabatur in bello, *nocte dimidiata.* Cerda.

31. *Huic deus ipse loci.*] Cum ipse fluvius Tyberinus sit, quid ita intulit deus fluvio? Tyberinus enim deus genius loci. *Servius.*

Tiberinus.] Bene *Tiberinus*, quia supra dixerat *deus.* Nam in sacris Tyberinus, in Cœmolexia *Tyberis*, in poëmate *Tybris* vocatur. *Idem.*

32. *Populeas, &c.*] Similis attollentis se fluminis imago placita Statio, credo ex perlustrato Virgilii loco, apud quem Vulturnus lib. 4. Silv.
Crinem mollibus impeditus ulmis
Vulturnus levat ora.
Et Ismenus lib. 9. Theb.
— levat aspera musco
Colla, gravemque gelu crinem, cecidit(que) soluta
Pinus adulta manu, demissaque volvitur urna.
Ut etiam Claudiano de 6. Cons. Hon. ubi de Eridano:
— ille caput placidis sublime fluentis
Extulit, & totis lucem spargentia ripis
Aurea roranti micuerunt cornua vultu.
Ibidem de aliis animalibus,
— frondentibus humida ripis
Colla levant pulcher Ticinus, & Addua visu . . .
Cærulus, & velox Athesis. —
Et de Tyberino Paneg. Olib.
— illicet herbis
Pallentes thalamos, & structa cubilia musco
Deserit, atque domum Nymphis commendat herilem.
Apud Sil. quoque lib. 4. Juno apparet Annibali sub forma Thrasimeni lacus,
Et madidæ frontis crines circumdata fronde
Populea. —
Ausonius de Mosella,
Exeris auratæ Taurinæ frontis honorem.
Cerda.

Senior.] Atqui ubique eum flavum dixit: sed *senior*, aut propter spumas dictum est: aut ad reverentiam pertinet. Sic Lucanus urbe Roma adhuc florente, *Turrigero canos effundens vertice crines.* Servius.

Visus se attollere.] Huc aspiravit Statius 4. Theb.
Amnis adhuc imis vix truncam attollere frontem
Ausus aquis. —
Et Val. 4. Arg. ubi de Hyla,
Ecce puer summa se tollere visus ab unda.
Cerda.

33. *Tenuis glauco velabat amictu Carbasus, & crinis umbrosa tegebat arundo.*] Fluvialem aquam purificationi aptam latenter ostendit in tantum, ut etiam harundinibus, quæ fluminum germina esse non dubium est, purificatio rite celebretur. Ideo inventa occasione poëta ab harundinibus tectum fluvium inducit, ut doceat hoc etiam harundinibus in purificatione quod per aquam impleri posse, sicut in sacris traditur. Ideo & ubique fluminibus harundinem dat, ut lib. x. *Velatus harundine glauca Mincius.* & lib. 11. Georg. *Ripis fluvialis harundo.* Quod autem ait, *tenuis glauco velabat amictu Carbasus,* docet quædam sacra pure à linteatis debere

Carbasus, & crinis umbrosa tegebat arundo.
Tum sic adfari, & curas his demere dictis:
O sate gente deûm, Trojanam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, æternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis;

Hic

bere fieri. *Carbasus* autem genus lini est: *Linum* vero, ut ait Plinius, *melius inrigatione fluminum quam pluvia nascitur.* Ideo & vestis linea fluminibus tanquam propria datur. *Servius.*

Tenuis glauco velabat amictu.] *Glaucus* & *ceruleus* color tribuitur fluvialibus & marinis Diis, ut Virgilius hoc loco. Paterculus: *cum ceruleatus & nudus caputque redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus, Glaucum saltasset in convivio.* nam *ceruleatum* dicit ceruleo indutum amictu. sic, quia vitreus color glauco & ceruleo proximus est, *Circe* dicitur *vitrea* Horatio l. 1. od. 17. pro aquarum accola & maritima, & tanquam aquarum nympha, cum aquarum color vitreus sit, & nymphæ apud Maron. lanificium exerceant, Georg. 4.

Carpebant hyali saturo fucata colore.

id est, vitri. *Turnebus.*

34. *Carbasus.*] Genus est lini, κάρπασον Græcis: quod Pausanias lib. 1. negat igne consumi. E carbaso autem texebantur & tenuissima vela: Turn. l. 24. 40. De toto hoc loco vide & Servium. Nonius: *Carbasus, pallium quo fluvii amiciuntur.* Taubm.

Carbasus.] Vestis carbasina, glauca, fluvio concolor. *Farnab.*

35. *Tum sic adfari.*] Subaudis *visus.* Servius.

Curas his demere dictis.] Habitum futuræ orationis ostendit. *Idem.*

36. *O sate gente deûm.*] Alibi, *Deûm certissima proles*, & *sate sanguine divûm.* Sane interdum hæc epitheta non vacant, sed vim hortandi obtinent. *Idem.*

O sate.] Metaphora hæc venustissima, & usitatissima. Sophoc. Ajace: σπέρμα Λαρτίου πατρός. Pind. Od. 6. Olymp. de Hercule: σεμνὸν θάλος Ἀλκαϊδᾶν. & Od. 9. σπέρμα μέγιστον. Philostrat. Imag. ἄρσεν σπέρμα. Hom. 2. Il. ὄζος Ἄρηος. Plutar. Porciam Catonis Uticensis filiam vocat εὐγενῆ χώραν ἐκτεκνώσασθαι, *terram fertilem ad liberos procreandos.* Superiora sunt, *semen, germen, ramus.* Cerda.

Gente deûm.] Ita sæpe Æneam suum nobilitet ἔπος hujus Heroëm; ut, cum ait, *Deûm gens, Ænea. Deûm certissima proles*, & sæpe alias. Homer. de suis Heroibus: ἴκελος θεῷ, θεοειδὴς, θεογενὴς, διογενὴς, θεοείκελος, ἀντίθεος, διοτρεφὴς, ἰσόθεος, δῖος, θεῖος, θεοῖς ἐναλίγκιος, & alia hujusmodi. *Idem.*

Urbem qui revehis nobis.] Ut, *Ilium in Italiam portans: urbem* ergo pro civibus posuit. *Servius.*

Revehis.] Propter Dardanum. *Idem.*

Urbem qui revehis.] Ita Ilioneus l. 7. supr. *Hinc Dardanus ortus huc repetit.* Farnabius.

37. *Æternaque Pergama servas.*] Pro *servas & aeterna facis*, id est, efficis ut æterna sint. *Servius.*

38. *Exspectate solo Laurenti.*] Dat adfectum etiam locis. Ut, *Ipsa te, Tityre, pinus, Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.* Idem.

Exspectate solo Laurenti.] In antiquis aliquot codicibus, *exspectate*: quamvis nonnulli adimant *s*, quum opperiri significat. *Pierius.*

Exspectate.] Hæc lectio firmat illam lib. 6. *tuaque expectata parenti Vicit iter durum pietas.* Ubi tamen aliqui, *spectata*, non male ad eum modum, quo *explorata fides*, dixit Stat. 3. Silv. Ceterum huic excursui similis ille Electræ apud Soph. ubi illa anxie expectat fratrem Orestem, δεῖς εὔφρονι βήματι μολόντα τήνδε γᾶν, *venturum in patriam terram felici Deorum cursu.* Neque dispari affectu Antiphila apud Terent. Heauton.

Hic tibi certa domus, certi (ne absiste) Penates:
Neu belli terrere minis. tumor omnis & iræ
Concessere deûm.

Jam-

tont. Act. 2. sc. 4.
O mi expectate Clinia, salve. Cerda.

39. *Hic tibi certa domus.*] Quod superius ab Apolline poposcerat, hoc nunc indicat Tyberis. ut, *Da propriam Tymbraee domum, da mœnia fessis.* Serv.

Ne absiste.] Inemendate legitur *adsiste*, in plerisque codicibus etiam antiquis: quum *absiste* dubio procul sit legendum. Ait enim Tyberinus, Tametsi tantus bellorum motus insurgit, ne tamen animum desponde, sed quod instat, audacter exequere. *Pierius.*

40. *Tumor omnis & iræ Concessere deum.*] Quidam *concessere*, pro *discessere* accipiunt. Alii ita tradunt, qui nondum concesserunt, sed utiliter dissimulant; sed aliqua hemistichia in Virgilio tam sunt sensu imminuta, quam verbis, ut ecce hoc loco. Namque non possumus intelligere quievisse omnem tumorem & iram deorum, cum & adhuc inimica sit Juno: & ad Trojanorum perniciem addantur alia numina, ut Furia, aut Juturna. Unde mire quidam conclusit hunc versum dicens, *Concessere deûm profugis nova mœnia Teucris.* *Concessere* ergo indulserunt vel cesserunt, id est, permiserunt; ut, *Nec si muneribus certes concedat Iolas*, id est, permittat, indulgeat; & *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.* Quod si ita acceperimus, ut dicat Teucros constituere civitatem, nec ea numina, quæ irata sunt, vetant, nihil erit contrarium. Nam & ipsa Juno hoc dicit: *Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis: Atque immota manet fatis Lavinia conjux.* Hic autem sensus, etiamsi detrahas subauditionem, potest accipi à superioribus: ut sit, *Tumor omnis, & iræ Concessere deûm*, ut, *Hic tibi certa domus, certique penates.* Servius.

Tumor omnis & ira Concessere deûm.] In veteribus omnibus codicibus quotquot habui, *tumor* legitur, quod physice dictum esset. Effusa enim bile jecur intumescit, inde oritur excandescentia. Unde apud Horat. *Ve meum fervens difficili bile tumet jecur.* Et alibi Virgilius, *Tumida ex ira tunc corda residunt.* Deque Meleagro apud Ovidium est, *Tumida frendens Mavortius ira.* Neque tamen displicet *timor*, quia Juno ea tot, quæ eventura erant, metuens, veterisque memor belli, tantas exciverat turbas. In timore præterea tumor est, ut Cornelius Fronto tradit, ut in metu motus animi, in formidine interdum ratio, in pavore nil non puerile. *Pier.*

Tumor omnis & iræ.] Salmasius hic non *timor*, quod Pierio non displicet, sed *tumor* legit; & loci hujus auctoritate hanc vocem restituit Julio Capitolino in Pertinace c. 11. *Sed quum Tausius quidam unus è Tungris, in iram & tumorem milites loquendo adduxisset, hastam in pectus Pertinacis objecit.* Quo loco ante illum legebatur *timorem*; sed ut recte ibidem Vir summus: *nunquam ira cum timore.* Emmeness.

41. *Concessere deum.*] Vide, ut explicui. Nam Servii nugas non fero: & quis feret assutelam illam? Ejus argumento facile occurras; nam Virg. non dixit, cessasse iras omnium Deorum: & ad ejus sententiam satis est, Jovem, & alios commutatos: de quo tamen in 2. *ferus omnia Juppiter Argos Transtulit.* Hic igitur Deus jam mitis. Sic Neptunus, qui fundamenta Trojæ quassavit, postea se mitem Trojanis in naufragio præbet; & in 5. etiam favet naviganti Æneæ ad preces Veneris. Cum enim alius hemistichium suppleverit, nescio cur *mire* factum dicat Servius? De imitatione breviter. Huic loco hæsit Silius lib. 8. ubi Anna apparet Annibali, excitatque ad bellum. Lege ab eo loco,

Omnis jam placata tibi manet ira Deorum, &c.

Jamque tibi, ne vana putes hæc fingere somnum,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit;
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
[Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:]
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis

Asca-

Et postea ipse Annibal,

— placavimus iras
Cælicolûm, redeunt Divi.

Inde apud eundem Paulus obtestatur Varronem temere ruentem ad bellum, hunc in modum:

— cladi parce obvius ire,
Dum transit Divûm furor, & consumitur ira
Fortunæ. — Cerda.

42. *Jamque tibi, ne vana putes hæc fingere somnum.*] In Romano codice, *nec vana putes* legitur, quod minime displicet. Sed & *ne* recte. *Pierius.*

Ne vana putes.] Quia solent multi in somnis decipi, dat signum quo cognoscat hoc somnium verum esse. *Donatus.*

43. *Litoreis ingens, &c.*] Licet possimus etiam de fluvio *litus* dicere: ponit tamen discretionem, ut hic, *Sub ilicibus.* Paulo post, *Viridique in litore conspicitur sus.* Hanc autem porcam, ut diximus supra, secum habuere Trojani, quam amissam in Campania invenerunt cum fœtu circa Laurentem agrum: quam ideo Æneas immolavit Junoni, quia ipsa dicitur Terra. Ut est, *conjugis in gremium lætæ descendit.* Scimus autem hoc animal inimicum esse frugibus: ut caprum vitibus, qui Libero immolatur. Alii de ea sue dicunt, habuisse eam Trojanos, & ubi primum generasset, ibi certam spem sedis concepisse. Alii in litore Laurenti inventam, quam secutos Trojanos in eum montem pervenisse, ubi postea Alba à colore porcæ, longa à positione, sit condita. Sane & *litoreis* & *litoralibus* dicitur. Servius.

Litoreis ingens, &c.] Heleni idem vaticinium iisdem verbis prolatum habes lib. 3. *Farnab.*

44 *Triginta, &c.*] Apto hic verba Varron. de Re Rust. *Parere tot oportet porcos, quot mammas habeat: si minus pariat, fructuariam idoneam non esse; si plures pariat, esse portentum. In quo illud antiquissimum fuisse scribitur, quod sus Lavinii Æneæ triginta porcos peperit albos. Itaque, quod portenderit factum* XXX. *annum, ut Lavinienses condiderint oppidum Albam. Hujus suis, ac porcorum etiam & nunc vestigia apparent.* Juvenal. Sat. 12. de hac sue,

— lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.

Meminit ejusdem & Tertul. lib. 1. contra Marcion. *Cerda.*

Triginta capitum, &c.] Porcelli 30. signant annos totidem, quibus exactis, Ascanius conditurus erat urbem, à sue alba dictam *Albam:*

Et stabit Alba potens, albæ suis omine dicta.

Propert. lib. 4. El. 1. *Farnab.*

Enixa jacebit.] Participio utens tangit historiam. *Servius.*

45. *Solo recubans.*] *Solo* videtur abundare. *Servius.*

Solo.] Non abundat vox, ô Servi, ut tibi placitum; imo necessaria est, ut notetur solum urbis condendæ. *Cerda.*

47. *Ex quo.*] Qua ratiocinatione. *Servius.*

Redeuntibus annis.] Ex Lucret. lib. 1. *Quinetiam multis solis redeuntibus annis:* ubi docuit Lambinus expressam à poëta vim Græcæ vocis ἐνιαυτὸς, tanquam in se rediens. Quod & supra apertius Georg. lib. 2. significavit Maro: *Atque in se sua per vestigia volvitur annus.* Germ.

49. Haud

Aſcanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. nunc qua ratione, quod inſtat,
Expedias victor, paucis (adverte) docebo.
Arcades his oris, genus à Pallante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui ſigna ſecuti,
Delegere locum, & poſuere in montibus urbem
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.

Hi

49. *Haud incerta cano.*] Ab Plin. l. 3. c. 5. Tybris dicitur *vates, ac monitor religioſus.* Loquitur de inundationibus, quibus ſemper futurum aliquid nuntiabatur. *Cerda.*

Quod inſtat.] Quod ſolum ex laboribus reſtat. Cura enim Æneæ præſentis ſuerat neceſſitatis. *Servius.*

51. *Arcades his oris, genus à Pallante profectum.*] Euander Arcas fuit, nepos Pallantis regis Arcadiæ. Hic patrem ſuum occidit ſuadente matre Nicoſtrata (quæ etiam *Carmentis* dicta eſt, quia carminibus vaticinabatur.) Alii ipſam Nicoſtratam, matrem Euandri, cum eſſet centum decem annorum, à filio peremptam tradunt. Conſtat autem Arcadas plurimum vixiſſe, in tantum, ut quidam uſque ad trecentos annos vivendo pervenerint. Ipſe autem Euander dimiſſa provincia ſua exilio, non ſponte, compulſus venit ad Italiam, & pulſis Aboriginibus tenuit loca, in quibus nunc Roma eſt, & modicum oppidum fundavit in monte Pallatino, ſicut ait Varro, *Nonne Arcades exules confugerunt in Palatium duce Euandro?* Hic autem mons Pallatinus ſecundum Virgilium, à Pallante avo Euandri eſt dictus: ſecundum Varronem & alios, à filia Euandri Pallantia ab Hercule vitiata, & poſtea illic ſepulta. Alii à Pallante, qui de filia Euandri natus, & ibi ſepultus eſt immaturæ ætatis. Alii à filio Euandri, qui poſt mortem patris ſeditione occiſus eſt. Alii à balatu *Ballanteum* volunt dictum. Et exinde per Antiſtoichon, id eſt, mutata litera *Pallanteum* dictum. Sed ſi à balatu hoc nomen venerit, *pa* longa eſt: ſicut eam Martialis ponit plerumque. Si autem à Pallante, *pa* brevis eſt, ut eam ponit ubique Virgilius ſecundum ſuam opinionem. *Servius.*

Arcades.] Brevitate utitur, ne tædio afficiat Æneam. Genus enim dicit & nomen & urbem, & ſpem dat auxilii ab iis, qui & ipſi hoſtes ſint & peregrini, quos jure oderint Latini. *Donatus.*

Genus à Pallante profectum.] Profectum ad has oras genus à Pallante, non à Pallante profectum. *Servius.*

52. *Qui regem Euandrum, qui ſigna.*] Id eſt, qui regis Euandri ſigna ſecuti; ut, *Sanguine placaſtis ventos & virgine caſa,* pro ſanguine virginis caſæ. *Idem.*

53. *In montibus.*] Ut diximus ſupra, eſt in minoribus illis collibus. An pro monte, an inter montes? *Idem.*

Poſuere in montibus urbem.] Pari forma Sil. lib. 12. *ſedes poſuêre.* Et Horat. epiſt. 10. lib. 1.

Ponendæque domo quærenda eſt area primum.

Sic 6. Æneid. *poſuit templa.* Et Juven. Sat. 12. *pono altaria.* Hi omnes pro ædifico. Ait vero *in montibus*, quia urbs Roma ſita in ſeptem arcibus, ac proinde urbs quoque Euandri, quæ, juxta Pauſaniam, pars Romæ. *Cerda.*

53. *Pallantis proavi.*] Confundit nomina, ut plerunque ſolet. Nam avus fuit: ſic & illud dixit, *Luco tunc forte parentis Pilumni Turnus.* Et alibi, *Pilumnuſque illi quartus pater.* A quibuſdam tamen hic Pallas, auctor Euandrii generis, Egeii filius fuiſſe dicitur, qui à fratre Theſeo Athenis regno pulſus, ad Arcadiam venit, & ibi regnum tenuit, &

 hoc

Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina:
Hos castris adhibe socios, & fœdere junge.
Ipse ego te ripis & recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea; primisque cadentibus astris
Juno-

hoc poëta quasi Romanis dicit, nam ad Æneam non pertinet. *Servius.*

Proavi.] Imo *avi.* nam Euander Arcas nepos erat Pallantis Arcadiæ regis. *Taubmannus.*

Pallanteum.] Cecidisse in hac voce *l* alterum cum *n* ævo politiore testis mihi est locupletissimus, & instar mille scriptorum Dionysius Halycarnasseus lib. 1. Παλάντιον, ὡς ἀπὸ τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ σφῶν μητροπόλεως· νῦν μέντοι Παλάτιον ὑπὸ Ῥωμαίων λέγεται συγχέαντος τοῦ χρόνου τὴν ἀκρίβειαν, καὶ παρέχει πολλοῖς ἀτόπων ἐτυμολογιῶν ἀφορμάς. *Palantium quasi à sua in Arcadia metropoli: nunc tamen Palatium à Romanis dicitur, temporis lapsu confusa scriptionis accuratione, præbuitque hoc multis absurdarum occasionem etymologiarum.* Absurdas illas apud Festum invenies. Expressim Dionysius: Χρόνῳ δὲ ὕστερον μετέπεσε τὸ ὄνομα ἐν ἀναιρέσει γραμμάτων τοῦ τε Α, καὶ τοῦ Ν. *Procedente tempore excidit ea vox, sublatis literis L, & N.* Dausquius.

55. *Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina.*] *Ducunt*, aut gerunt, aut in longum trahunt. Et bene præstandorum auxiliorum exprimit caussam, ne magis Turno, quasi Græco favere credantur. *Servius.*

Hi bellum assidue ducunt.] *Ducunt* non *gerunt* dixit, ut ostendat belli continentiam, & usitatum exercitium belli cum vicina gente, ut Græci ἀσκεῖν πόλεμον, & ἄγειν hoc est, πολεμοτροφεῖν, quod accedit ad illud Æschyli καπηλεύειν πόλεμον, ad quod alludens, Ennius, *Non cauponantes bellum, sed belligerantes*: Hom. ἄπρηκτον πόλεμον πολεμίζειν. *Germanus.*

56. *Fœdera junge.*] Legitur & *Fœdere junge.* Servius.

57. *Ipse ego.*] Pollicetur homini ignaro viam se ostensurum. *Donatus.*

Recto flumine ducam.] Non ad naturam alvei referendum est; nam ait, *& longos superant flexus*, sed recto fluminis itinere, quia non sunt erraturi: & sic dixit, ut, *Tunc se ad Cajetæ recto fert litore portum.* Hoc est, à litore non recedens. Sic ergo & nunc *Ducam*, à litore fluvii non recedentem significat. Est & alia expositio, ut *recto flumine*, edomito, frenato, & in tranquillitatem redacto intelligamus: quod etiam fecit; ut, *Mitis ut in morem stagni placidæque paludis.* Ut sit *Recto* Præteriti temporis participium, ab eo quod est *rego.* Servius.

Recto flumine.] Alii legunt *tecto*, silva scilicet & arboribus, quia Tibris flexuosus. *Farnab.*

58. *Adversum remis superes subvectus ut amnem.*] In codicibus aliquot, mutato numero *adversum superes remis.* Sed concursus ille syllabarum *sum*, *su*, *res*, *re*, molestam præ se fert asperitatem. In aliquibus autem manu scriptis versus hic non habetur. *Pierius.*

Adversum.] Polyb. lib. 3. Hist. ποιησάμενοι τὴν πορείαν ἐναντίοι τῷ ῥεύματι παρὰ τὸν ποταμόν. Itaque, quod nos *adverso flumine*, ille ἐναντίοι τῷ ῥεύματι. Ibidem præclare alio flexu, τῆς τοῦ ῥεύματος βίας, & ideo statim pari consecutione, βιάζεσθαι πρὸς τὸ ῥεῦμα, quod Virg. *subvectus.* Cerda.

Subvectus.] Sidon. epist. 5. l. 1. *per ostia adversa subvectus.* Tacit. 2. Annal. *Nilo subvehebatur.* Idem.

Subvectus.] Livius l. 4. dec. 3. *Flumine adverso subvectum.* Taubm.

59. *Surge age, nate dea.*] In Romano codice, & quibusdam aliis non habetur *age.* In nonnullis altera manu super-

60 Junoni fer rite preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis. mihi victor honorem
Persolves. ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Cæru-

peradditum, quum antea legeretur, *surge ô nate dea*. Sed omnino *surge age* magis placet. Missum facio *gnate deûm*, quod & ipsum in veteri habetur codice. *Pierius.*

Primis.] Proprium cadentibus astris, cum primum nox occiderit, & dictum juxta vulgarem opinionem, tanquam oriente die occidant astra. *Servius.*

Primisque cadentibus astris.] Dictum jam lib. 2. Æneid. Sed quid, *primis astris?* Placeat scholion Servii. Id est, primum cadentibus, cum primum nox occiderit. Sed ego hic morem aperio, quem Poëta attingit: ad quem audiendus interpres Apollon. τοῖς μὲν ἂν καταχθονίοις περὶ τὰς ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζομεν, τοῖς δ᾽ οὐρανίοις ὑπὸ τὴν ἕω τοῦ ἀνατέλλοντος θύομεν: *Mortuis circa occasum Solis parentamus, cœlestibus autem auroræ tempore sub exortum Solis sacrificamus.* Ergo, quia Junoni res sacra fieri præcipitur, ideo *cadentibus astris*. Inde postea,

Surgit, & ætherii spectans orientia Solis
Lumina. —— Cerda.

60. *Junoni fer rite preces.*] Sicut etiam Helenus monuit. Et sic *fer preces*, quemadmodum *sacra ferri* dicimus. *Servius.*

Junoni.] Matutinum tempus congruum sacrificiis ostendit. Docet potentum iras, supplicando potius, quam repugnando superari. *Donatus.*

Junoni fer rite preces.] Eodem consilio adhibetur præceptum à Tybri, quo ab Heleno in 3. vide. Est vero *ferre preces*, quod in 6. *fundere preces*. Et *ferri* dicuntur preces, quia res sacræ. Sic ferre Diis thura, solemnia, piacula. Seges exemplorum, tum in Brisson. tum in Heraldo ad lib. 7. Arnob. *Cerda.*

61. *Supplicibus supera votis.*] In Romano quidem codice, *votis* legitur. Sed in plerisque aliis, *donis*: ut idem repetatur, quod in 111. præceptum ab Heleno fuerat. Tametsi Ti. Donatus *votis* agnoscit utroque loco. *Pierius.*

Victor honorem Persolves.] Bene ei adimit bellicam curam, promittendo voti fore compotem. *Servius.*

Victor.] Beneficiorum meorum ex voto compos. *Taubm.*

62. *Ego sum.*] Non arroganter, sed necessario laudat suum officium. *Donatus.*

Ego sum, pleno quem flumine cernis.] In codicibus aliquot antiquis legere est: *ego sum, quem pleno gurgite cernis.* Sed altera lectio magis omnino recepta. *Pier.*

Pleno flumine.] Arroganter: ut & de Ismeno Stat. lib. 9. Theb.

Jamque super ripas utroque exstantior ibat
Margine. ——

Quod in 3. dixerat, *magnoque in aggere ripas.* Et de Vulturno 4. Sil. *Et ripas habitare nescientem.* Hujusmodi fluvii πλημμύροι dicuntur ab Simocatt. c. 17. l. 7. De Tyberi, sed in tempestate Plin. lib. 8. epist. 17. *Alveum excessit, ripis alte superfunditur, innatat campis.* Est hoc, quod de Lyco amne Curt. lib. 3. *Majore vi, ac mole agentem undas.* Hom. 5. Iliad. πλήθοντι ποταμῷ. Plutarch. in Alexand. in Alexand. plenum fluvium vocat μετέωρον. *Cerda.*

63. *Stringentem ripas.*] Radentem, imminuentem; nam hoc est Tyberini fluminis proprium, adeo ut ab antiquis *Rumon* dictus sit, quasi ripas ruminans & exedens. in sacris etiam *Serra* dicebatur. Unde ait nunc, *Et pinguia culta secantem*: in aliqua etiam urbis parte *Terentum* dicitur, eo quod ripas terat. Alii *Stringentem* juxta veterem morem dictum intelligunt. *Stringere* enim significare dicunt, tactu modico prætere-
ire:

Cæruleus Thybris, cælo gratissimus amnis.
65 Hic mihi magna domus celsis caput urbibus exit.
Dixit, deinde lacu fluvius se condidit alto,
Ima petens. nox Ænean somnusque reliquit.

Surgit,

ire: ut ipse ait in x. *Magno strinxit de corpore Turni.* Servius.

64. *Caeruleus Thybris.*] Altus, profundus. *Idem.*

Caelo gratissimus.] Pro his qui in cœlo sunt. *Idem.*

Cælo.] Sic δόμοις, pro τοῖς ζῶσιν ἐν τῷ δόμῳ, dictum ab Æschylo in Agam. Ursinus notat, eo versu,

Δόμοις δ' ταῦτα, καὶ Κλυταιμνήστρα μέλειν ἐικός:

Par est, hanc rem curæ esse domibus & Clytæmnestræ.

Ergo *cælo*, pro *cælestibus*. Cerda.

65. *Hic mihi magna domus.*] Scilicet circa exitum suum: quamvis enim alibi ortus, hunc tamen locum incolo. Alii Romam dicunt Tyberini esse domicilium, hinc dixisse *magnam domum.* Alii ostia dicunt ab hoc, quod nos, cum per diversa discurrerimus officia, in domum nostram nos recipimus, ibique requiescimus; ut idem hic cum per reliqua spatia discurrerit, recipiat se per ostia in mare. Alii *domum*, non Romam significare, quæ adhuc non erat, sed regionem illam, ut ostendat sibi eam demum electam, quæ ad totam gloriam perventura sit. *Servius.*

Domus.] De aquis. Sic & 4. Georg.

Jamque domum mirans genitricis, & humida Regna.

Et I. Æneid. *Nympharum domus.* Prop. Eleg. 20. lib. I.

Grata domus Nymphis humida Thymiasin. Cerda.

Celsis caput urbibus exit.] De Thuscia, quam illis multum constat floruisse temporibus. Nam & Lucumones reges habebat, & maximam Italiæ superaverat partem. *Servius.*

Caput urbibus.] Romam vocat Liv. lib. 21. *Arcem & caput Italiæ.* Majore incremento Noster, ac nullo termino, præfert urbibus omnibus: nam de omnibus intelligendus. Dionys. Afer. περ. Romam vocat μέγαν οἶκον ἀνάκτων, & μητέρα πασάων πολίων: *magnam domum Regum, matrem omnium urbium.* Sil. lib. I.

—— magnanimis Romam caput urbibus alte Exerere. ——

Auson. Mosell. *Caput rerum, Romam.* Sidon. epist. 6. l. I. *Domicilium legum, gymnasium literarum, curiam dignitatum, verticem mundi.* Cum illa matris appellatione, qua Dionys. illam afficit, congruunt versus isti Corippi lib. I.

Addidit antiquam tendentem brachia Romam;
Exerto, & nudam gestantem pectore mammam,
Altricem Imperii, libertatisque parentem.

Claud. quoque Paneg. 3. Stil. *matrem* vocat. *Cerda.*

66. *Lacu fluvius.*] Abutitur lacus nomine, ut mox, *Quo te cumque lacus*; fluvius autem hic ipse scilicet deus alvei. *Servius.*

Lacu.] Antrum vocat Claudianus 3. Rapt. apud quem Juppiter fluvios *humentibus invocat antris.* Et de eodem Tyberi Sil. lib. 8. *sacro se conjugis antro Condidit.* Cerda.

67. *Nox Ænean somnusque reliquit.*] Ut, *et fessos cum sole reliquit*, & cito, *Orientia solis Lumina.* Pro orientis solis lumina. *Servius.*

Nox Ænean somnusque reliquit.] In antiquis aliquot exemplaribus, *relinquit* per instans, ut conveniat cum *surgit.* Pierius.

Nox Ænean somnusque reliquit.] Homer. 2. Iliad. ἐμὲ δ' γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκεν. *dimisit me dulcis somnus.* Euripid. Orest. ἔβαλεν ἐξ ὕπνου. Ibidem, quæ excitant à somno dixit μεθαγνύσκουσι ὕπνου.

Græci

Surgit, &, ætherii ſpectans orientia ſolis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Suſtulit, ac talis effundit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes nymphæ, genus amnibus unde eſt,
Tuque,

Græci alii, ἐξυπνίζειν, διυπνίζειν, διεγερθῆναι. In Platone 8. Polit. eſt ἀπώσασθαι ὕπνον, cui confine διεγρέσθαι, & ἀποσείσασθαι. Quæ verba reddit Stat. 2. Theb. per *ſomnos excuſſit.* Quod verbi etiam eſt in Calpurnio, & Q. Sereno, atque aliis. Sed Virg. ideo *reliquit*, quia de placido ſomno: nam *excuſſio* de turbato, & formidoloſo. Ideo minus probandus Ennius, qui in gravi ſomno dixit,

Vix ægrotum corde meo me ſomnu reliquit.

Cum enim premimur dormientes, excutere ſomnum volumus: omnino ἀπώσασθαι, ἀποσείσασθαι, διεγρέσθαι. Ut vero Virg. *nox reliquit*; ita Eurip. in Herc. νὺξ ἔχει βλέφαρα. *nox habet palpebras*, pro, dormit. *Cerda.*

68. *Spectans orientia ſolis Lumina.*] Viguit hic mos inter Gentiles, cujus etiam fit mentio 12. Æneid.

Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem.

Hunc precum ritum aliunde indicamus. Valer. 3. Argon.

Imperat hic alte Phœbi ſurgentis ad orbem
Ferre manus, totiſque ſimul procumbere campis.

Tertull. Apolog. *Deinde ſuſpicio Solem nos adorare, quod innotuerit ad Orientis regionem precari: ſed & plerique veſtrum affectatione aliquando & cœleſtia adorandi ad Solis ortum labia vibratis.* Latin. Pacat. Paneg. Theodoſ. *Nam, ut divinis rebus operantes, in eam cœli plagam ora convertimus, à qua lucis exordium eſt: ſic ego*, &c. Apul. lib. 2. *Tunc Orientem obverſus, & incrementa Solis auguſti tacitus imprecatus.* Dio apud Plutarch. in vita, inducitur ἀνατέλλοντι τῷ ἡλίῳ προσευξάμενος, *orientem Solem adorans.* Mos hic originem traxit ab eo, quod Vitruvius ſcribit lib. 4. cap. 5. his verbis: *Ædes autem ſacræ Deorum immortalium ad regiones, quas ſpectare debent, ſic erunt conſtituendæ; uti ſi nulla ratio impedierit, liberaque fuerit poteſtas, ædis ſignum, quod erit in cella collocatum, ſpectet ad veſpertinam cœli regionem; uti, qui adierint ad aram immolantes, aut ſacrificia facientes, ſpectent ad partem cœli orientis, & ſimulacrum, quod erit in æde: & ita vota ſuſcipientes contueantur ædem, & orientem cœli.* Itaque, quia qui in templis vota faciebant, converſi ad ſimulacra erant, ac proinde ad orientem Solem, idque ex ædium poſitione; factum, ut mos idem uſurparetur etiam extra templa. *Cerda.*

69. *Undam de flumine palmis Suſtulit.*] Quia dicitur nox etiam ſolo ſomno polluere. Unde eſt, *Et noctem flumine purgat.* Servius.

Cavis undam de flumine palmis Suſtulit.] In antiquis aliquot codicibus, *ſuſtinet* legitur. Et quod ſubſequitur, *talis effundit*, præſenti tempore, quod in vulgatis *effudit* habetur. *Pierius.*

71. *Nymphæ.*] Hic diſtinguendum, ut generalitatem ſequatur ſpecialitas: ut in Georgicis, *Mater, Cyrene mater.* Nam vitioſum eſt poſt ſpeciem genus inferre. *Servius.*

Nymphæ.] Poteſt ſic diſtingui: *Nymphæ Laurentes*, quoniam ipſæ in tempore fuerant neceſſariæ: deinde pone, *Nymphæ genus amnibus unde eſt.* Poſſumus etiam intelligere eſſe duplicationem. Tertia diſtinctio eſt, ut dicas, *Nymphæ*: ut generaliter proferatur. deinde ad ſpeciem redeat & dicat, *Laurentes Nymphæ*, quæ erant præferendæ. *Donatus.*

Nymphæ Laurentes.] Ex Callimacho in Hym. in Del. νύμφαι Θεσσαλίδες ποταμοῦ γένος, εἴπατε πατρί. *Germanus.*

Genus amnibus unde eſt.] Quidam hic hypal-

Tuque, ô Thybri tuo genitor cum flumine ſancto,
Accipite Æneam, & tandem arcete periclis.
Quo te cumque lacus miſerantem incommoda noſtra
Fonte

hypallagen putant; ut ſit Nymphæ quæ ab amnibus genus habetis. Sane cum *Unde* hodie ad locum referamus, veteres etiam perſonis adplicabant, ita ut ad omne genus & ad omnem numerum referrent, ut hoc loco genus fœmininum & pluralem numerum poſuit, cum alibi maſculinum & ſingularem poſuerit, *genus unde Latinum*, quod plenius in initio primi libri Æneidos dictum eſt. *Servius.*

72. *Tuque, ô genitor cum flumine.*] Sic enim vocatur in precibus, *Adeſto, Tyberine, cum tuis undis.* Tyberim vero alii à rege Aboriginum dictum volunt, qui juxta dimicans interemptus eſt. Alii ab eo rege, quem Glaucus Minois filius in Italia interemit. Alii, inter quos & Livius, ab Albanorum rege, qui in eum cecidit. *Idem.*

Tuque, ô Thybri tuo genitor cum flumine ſancto.] *Tu ô Genitor*, diſtinguendum eſſet ex antiquis codicibus, in pronomen & adverbium vocandi. Corripereturque *tu*, ob ſubſequentem vocalem: quod non ideo appoſui, quia lectionem hujuſmodi probarem: ſed, ut codicum tantum varietatem indicarem. Quidam, ut in pleriſque aliis locis, *que* particulam inſeruere. Hinc plerique codices habent, *tuque ô Tybri, tuque ô genitor.* tam imperite quam abſurde. Perinde ac etiam *xancto* pro *ſancto* ſcripſere. Nam *ſ* etiam ſimplex in *x* mutare quorundam mos fuit, ut habetur in veterum monumentis, *Caßius xecundus.* & alia quædam hujuſmodi. *Pierius.*

Tuque, ô Thybri tuo gen.] Ita Servius & plerique Codd. veteres: quod & Fabricius notat. Et quia ἀναφορὰ ἐκφωνητικὴ vehementior eſt, ideo lectio etiam probior. Formula autem invocandi erat: *Adeſto Tiberine cum tuis undis.* Vulgati: *Tuque ô Tybri, tuo gen.* Quidam vett. etiam: *Tuque ô Tybri, tuque ô gen.* male. *Taubm.*

Genitor.] Honoris cauſa, vel quia ſubit, quod ut pater conſuluerat. *Donatus.*

Cum flumine.] Nihil eſt aliud, *Tybris cum flumine*, quam Tybris ipſe, aut flumen ipſum: Ita Silius lib. 8.

Sed pater ingenti medios illabitur amne
Albula. ——

Et lib. 9.

—— *Eridanus captivo defluit alveo.*

Cerda.

73. *Accipite Ænean.*] Sapit verſum Soph. Elect.

Δέξασθέ μ' εὐτυχοῦντα ταῖς ὁδοῖς:
Accipite me læto ſucceſſu per haſce vias.

Et Virgilium Statius 4. Theb. ubi precatio fit ad fluvium:

—— *bellis modo lætus ovantes*
Accipias, feßiſque libens iterum hoſpita pandas
Flumina, defenſaſque velis agnoſcere turmas.

Bacchus apud Nonn. libr. 11. loquens cum fluvio, ἠβητῆρα δέχεσθε; *juvenem accipito*; qui videlicet juvenis natatui ſe committebat. Idem Nonn. lib. 10.

Δέξο με καὶ σὺ θάλασσα, μετὰ χθόνα δέχνυσο Νηρεῦ
Χειρὶ φιλοξείνῳ. ——
Accipe me, & tu mare, accipe me Nereu poſt terram
Manu benigna, hoſpitali. ——

Pari guſtu Propert. Eleg. 8. lib. 1.

Accipiat placidis Oricos æquoribus.

Idem.

Arcete periclis.] Hypallage, pro à me prohibete pericula. *Servius.*

74. *Quo te cumque lacus miſerantem incommoda noſtra Fonte tenet.*] In Romano codice, *tenent* legitur, ut *Lacus* ſit pluralis numeri. Non enim adhuc proprium Fontem aut Lacum novit. *Pier.*

Quo te cumque lacus tenet.] Lacus eſt quoddam latentis adhuc aquæ receptaculum: & dictus lacus quaſi lacuna: ex qua erumpens aqua efficit fontem: qui cum

Fonte tenet, quocumque solo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.
Adsis ô tantum, & propius tua numina firmes.

Sic

cum fluere cœpit, alveum facit. Unde tria ista dixit: lacum, fontem, alveum. Hoc enim est, *Quocunque solo pulcherrimus exis*. Quanquam multi hoc versu superfusionem ejus velint significari. ideo autem hoc dixit Æneas, quia audierat, *Hic mihi magna domus celsis caput urbibus exit*. Servius.

Quo te cumque lacus.] Hoc ergo numini spondet. Ubicunque te invenero, sive ex fonte nascentem, sive in stagno collectum, sive fluentem per liberos exitus; venerabor te pro meritis tuis, & semper offeram vota. *Donat.*

75. *Quocunque solo pulc. exis.*] De Enipeo Hom. Od. λ. ὃς πολὺ κάλλιστος ποταμῶν ἐπὶ γαῖαν ἵησι. Et hæ laudes, quamvis compendiosæ, sapere mihi videntur versus hos, qui apud Dionysium Afrum laudes ejusdem fluvii continent. Θύβρις ἑλισσόμενος καθαρὸν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει, Θύβρις ἐϋρρείτης ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων, Θύβρις, ὃς ἱμερτὴν ἀνατέμνεται ἄνδιχα ῥώμην, ῥώμην τιμήεσσαν ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων. Ut autem hic *corniger*um, sic supra, *taurino cornua vultu*, de fluvio. *Germanus.*

76. *Semper honore meo.*] Amphiboliam facit. Satis autem pie Æneas pollicetur, cum Tyberis verecunde poposcerit. Ait namque, *Mihi victor honorem Persolves.*. Servius.

Semper.] *Semper* duplicatum, plenam præstitorum memoriam significat. *Don.*

Semper honore meo, &c.] Fluvio quippe tantarum rerum monitori promittuntur sacra. Apud Sil. lib. 3.

Placatur meritis monitor Cyllenius aris.

Scilicet ab Annibale, qui etiamsi aliis sacra fecit, uni imprimis Mercurio, qui sibi indicaverat exitum Italici belli. Est etiam par Virgil. locus ejusdem Sil. l. 4.

At Pœnus multo fluvium veneratus honore,
Gramineas undis stravit socialibus aras.

Versum Virgilii mutavit Claudian. Paneg. Olibr. flexu isto,

Semper honoratus nostris celebrabitur undis
Iste dies. —— Cerda.

Semper celebrabere donis.] In plerisque codicibus antiquis, *venerabere* specie Latino sermoni insolita. *celebrabere* autem omnino melius. *Pierius.*

77. *Corniger.*] Flumina ideo cum cornibus pinguntur, sive quod mugitum boum imitatur murmur undarum: sive quod plerunque in cornuum similitudine curvatas cernimus ripas. *Servius.*

Hesperidum fluvius regnator aquarum.] Bene addidit *Hesperidum*, id est, Italicarum. Nam Eridanus rex est fluminum Hesperiæ, ut, *Fluviorum rex Eridanus*. *Fluvius* vero, vocativus antiquus est, quia apud majores in omni forma similis erat nominativo. Sed modo aliter est in secunda tantum forma. namque si proprium fuerit nomen, & *i* ante *us* habuerit, *us* perdita facit vocativum: ut *Terentius*, *Terenti*, nullo excepto. si autem appellativum sit, in *E* mittit si vocativum, ut *pius pie*, *fluvius fluvie*: excepto *filius*, nam *fili* facit. Plerumque tamen poëtæ euphoniæ caussa antiquitatem sequuntur. *Idem.*

Regnator.] Ut ostendat omnibus fluminibus potiorem. *Donatus.*

Regnator.] Vulgo aliis est *Rex.* ita 2. Æn. *Regnatorem Asiæ.* Quam vocis dignitatem Scal. notat l. 4. 16. *Taubm.*

78. *Adsis ô tantum, & propius.*] In Romano codice, & in Mediceo, *adsis ô tantum* legitur. In aliquot aliis, *adsis & tandem propius.* Sed omnino venustius est, *ô tandem.* Pierius.

Et propius.] Legitur & *Proprius.* Et si pro-

Sic memorat, geminasque legit de classe biremis,
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum,
Candida per silvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conspicitur sus:
Quam pius Æneas tibi enim, tibi, maxima Juno,
Mactat

si *proprius*, familiarius: stabilius significat: ut, *Et propius res aspice nostras.* Si autem *propius*, citius significat. Cicero in Verrinis, *Nec eo quicquam est propius factum, quam ut illud exemplum de Adriano Syracusas referretur.* Et hoc est melius. nam statim est porca conspecta, & Æneas non dubitavit de fide oraculi, sed exposcit celeritatem. *Serv.*

Adsis ô tantum.] De hac formula videndus Brisson. Produco imitatorem Sil. lib. 4.

Adsis, ô, firmesque tua, Pater, alitis omen. Cerda.

Tua numina.] Tua oracula & promissa. *Servius.*

Tua numina.] Contendit enixe Mellerus in suis Spicilegiis legendum *omina*, ex veterum more satis trito, qui omina firmari poscebant: & nihil putat obstare hiatum versus. Nam Virg. ipse, *Credimus, an qui amant.* Agnosco formam, nec muto versum. Dicuntur enim Dii tueri, firmare, vindicare, sancire sua numina. De quo alibi. *Cerd.*

79. *Geminas.*] Pro duas. *Servius.*

Geminasque leg. de cl. biremis.] Notat Turneb. l. 24. Advers. c. 40. Poëtam posteriora tempora respexisse: necdum enim Æneæ sæcula talia invenisse navigia, quæ sequentia exhibuerint. *Germanus.*

80. *Remigioque aptat.*] Id est, ad remigium, officium remigantium, alibi pro turba remigantium: ut, *Remigium supplet.* Servius.

Socios simul instruit armis.] *Socios* appellat classiarios istos seu epibatas. *Pontanus.*

81. *Monstrum.*] Quia & subito & cum triginta porcellis est visa. *Servius.*

Monstrum.] Id est, quod est contra rationem naturæ. *Donatus.*

Monstrum.] Propria usus voce à monstrando, & prædivinando: ut & portentum à portendendo. Videatur Cic. de Divin. *Cerda.*

82. *Fœtu concolor albo.*] Expedita locutio. *Servius.*

83. *Procubuit.*] Sen. epist. 65. ita extulit flexu alio: *Fœtus suos non distinguunt feræ, & se in alimentum pariter omnium sternunt.* Cerda.

Viridique in litore.] Fluviali scilicet. *Servius.*

Viridique in litore.] Id est, fluminis: nam in 3.

Cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus.

Nec novum dari litora fluminibus, ut & ripas mari. Mitto rem tritam. *Cerda.*

Conspicitur sus.] Horatius, *Et amica luto sus.* Sciendum tamen hoc esse vitiosum monosyllabo finiri versum, nisi forte ipso monosyllabo minora explicentur animalia. Ut, *Parturient montes nascetur ridiculus mus.* Gratiores enim versus isti sunt secundum Lucilium. *Servius.*

84. *Pius Æneas.*] Oportunum epitheton, quoniam rem divinam facit. *Idem.*

Tibi enim.] Vacat *enim* & tantum ad ornatum pertinet. integrum est ergo *tibi*, ut ex iteratione crescat augmentum. Terentius, *O Mysis Mysis.* Idem.

Maxima Juno.] Quæsitum est quæ sit Juno maxima. Nam ut diximus, variæ sunt ejus potestates: ut Curetis, Lucina, Matrona, Regina. & dicunt Theologi ipsam esse matrem deûm,

quæ

Mactat ſacra ferens, & cum grege ſiſtit ad aram.
Thybris ea fluvium, quam longa eſt, nocte tumentem
Leniit, & tacita refluens ita ſubſtitit unda,
Mitis ut in morem ſtagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abeſſet.
Ergo iter inceptum celerant rumore ſecundo:
Labi-

quæ Terra dicitur. Unde etiam porca ei ſacrificatur. Ergo perite elegit epitheton, ut *maximam* diceret. *Serv.*

85. *Mactat ſacra.*] Mactatio poſt immolationem eſt: unde bono uſus eſt compendio. Sane hyſteroproteron eſt in hoc verſu: Primum enim eſt, *Cum grege ſiſtit ad aram*: & ſic *mactat*, id eſt, auget, perficit. Sed ſciendum ſacrum proprie eſſe, quod ad deos pertinet, & hic breviter factum ſacrificium dixit. *Idem.*

Mactat.] Prius ſiſtit, deinde mactat. Ergo ordo eſt, Quam Æneas tibi ad aras cum grege ſiſtit, & cum grege mactat: ut intelligatur etiam fœtus mactaſſe. *Donatus.*

Mactat.] Verba iſta, *mactat*, *ferens ſacra*, *ſiſtit*, ſacrorum ſunt, & Briſſonio jam obſervata. *Cerda.*

Cum grege.] Ambitioſe Poëta triginta filios *gregem* dixit. *Servius.*

86. *Fluvium.*] Hic fluvium ipſum aquæ curſu lenitum accipiendum eſt. *Id.*

Quam longa eſt, nocte.] In quantum longa eſt. Ut, *Nunc hiemem inter ſe luxu quam longa fovere.* Idem.

Quam longa eſt, nocte.] In codicibus aliquot antiquis, non habetur *eſt*, ſed enim figuratam illam priorem lectionem agnoſcit Servius. *Pierius.*

Tumentem Leniit.] Hom. Od. ι. ὅς δ' αὐτίκα παῦσεν ἑὸν ῥόον, ἔσχε δὲ κῦμα, πρόσθε δέ οἱ ποίησε γαλήνην, τὸν δ' ἐσάωσε ἐς ποταμοῦ προχοάς. *Germanus.*

87. *Leniit, & tacita.*] In Romano codice, more ſuo *lenit* unico *i*, quod vel oblonga figura ſcribi debet, ut pro duobus accipiatur, ſicuti *memor beneficI.* vel ſpondeus eſt κατὰ συναίρεσιν. Sed magis placet *leniit* dactylus. *Pierius.*

Refluens.] Velut in alveum ſuum recurrens, ut Æneas contra undas pergens deſcendentis celeritate propemodum uteretur. *Servius.*

88. *Mitis.*] Vel ad Tyberim, vel ad ſtagnum referes. *Idem.*

Mitis.] Et mente & flumine, propter navigationem. *Donatus.*

89. *Æquor aquis.*] Ipſius æqualitatem, nam & poſt ait, *Placido æquore.* Servius.

Sterneret æquor aquis.] Sæpe Hom. & Apollon. ἐστόρεσε πόντον, & ἐστρωσε, pro eo, quod eſt γαλήνην ἐποίησε· ut ſupra admonuimus. *Germanus.*

Remo ut luctamen abeſſet.] Nam alibi, *luctantur marmore tonſæ.* Et Claudianus 1. Paneg. Stilicon.

Stagna reluctantes quaterent Saturnia remi.

Deſcribit utique Poëta milites οὐ ῥοθιάζοντας, & qui nullo eſſent πιτύλῳ, & nullo ῥοθίῳ κώπη, ut loquitur Ariſtid. Orat. πρὸς τοὺς αἰγυπτ. Ovid. 4. Triſt. Eleg. 5. ab Noſtro *luctamen* dedit remis; ut etiam Auſon. in Moſella. *Cerda.*

90. *Ergo iter inceptum celerant.*] In plerisque codicibus antiquis, *peragunt* legitur. Utrumque placet, ſed melius *celerant*. In Mediceo, *celebrant*, quod cum eo quadraret, quod ſequitur, *rumore ſecundo.* Quod vero ajunt interpretes *Rumore ſecundo*, id eſt, bona fama, nihil ad Virgilianam ſententiam facere videtur. Nam *rumor* hic pro plauſu ponitur. *Pierius.*

Celerant.] Alii. *celebrant.* Taubm.

Rumore ſecundo.] Hoc eſt bona fama, cum neminem læderent. Aut certe dicit ante eos veniſſe quam fama nuntia-

Labitur uncta vadis abies: mirantur & undæ,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virûm fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur
Arbori-

ret esse venturos. Aut *rumore* pro *Rumone* posuit. Nam, ut supra diximus, Rumon dictus est, unde & ficus ruminalis ad quam ejecti sunt Remus & Romulus: quæ fuit ubi nunc est Lupercal in circo, hac enim labebatur Tyberis, antequam Vertumnus factis sacrificiis averteretur. Quamvis ficum ruminalem alii à Romulo velint dictam, quasi Romularem. Alii à lacte infantibus dato. Nam pars gutturis *ruma* dicitur. Ergo si fuerit *Rumone secundo*, favente fluvio intelligimus. *Servius.*

Rumore secundo.] Ego existimo Maronem dicere Trojanos lenitate fluminis, & monstro albæ scrophæ exhilaratos, lætis & secundis ominibus & acclamationibus iter inceptum urgere; *rumorem* enim sic vocat hic, & omnia significat, ut apud veterem poëtam: *Solvere imperat secundo rumore adversaque avi.* Turnebus.

Rumore secundo.] Accipio plausum nautarum, ad eum modum, quo lib. 3.

Nauticus exoritur vario certamine clamor.

Ut & Sil. lib. 11.

Nauticus implebat resonantia litora clamor.

Sic illud Ennii lib. 7. Annal. *populi rumore secundo*, accipio, læto populi plausu, & favore. Ita & illud Suevi apud Macrob. 6. Satur. cap. 1. *Redeunt, referuntque petita rumore secundo.* Et veterem Poëtam apud Tull. 1. Divin. *Solvere imperat secundo rumore, adversaque avi.* Quæ verba clare notant celeusma nauticum. Hæc simplex, & vera, ut puto, explicatio. *Cerda.*

91. *Labitur uncta vadis abies.*] Descendentis celeritate prope conscendit. Statius de disco, *Simulisque cadenti Crescit in adversum.* Servius.

Labitur uncta vadis abies.] In codicibus aliquot antiquis, *uda* non *uncta* legitur. Sed *uncta* magis proprium, quo epitheto alias etiam Poëta usus est ad pingendas naves, *Natat uncta carina.* Quod vero subjunxit, *Undas & nemus mirari*, secundum Pythagoræ disciplinam dictum, qui putabat omnia, spiritum vegetationis habentia, posse mirari. *Pierius.*

Uncta.] Forte idem apud Græcos μέλαινα, quod interpres Homer. Il. β. exponit, pice oblita, seu picata. *Hart.*

Mirantur & undæ.] Laus Trojanorum per phantasiam quandam ex undarum vel nemoris admiratione veniens. *Servius.*

92. *Insuetum.*] Hypallagen agnosco: fluvio enim insuetæ erant naves illæ, & arma. *Cerda.*

Fulgentia.] Ita Apollon. 1. Arg. in navigatione Argon.

Στράπτε δ' ὑπ' ἠελίῳ φλογὶ εἴκελα νηὸς ἰούσης
Τεύχεα. ——

Fulgebant vero à Sole instar ignis, nave cunte,
Arma. Idem.

93. *Pictas carin.*] V. N. 5. Æn. vs. 663. *Taubm.*

94. *Noctemque diemque fatigant.*] Ut, *Silvasque fatigant*, pro ipsi fatigantur. An deest *se*, ut sit fatigant se: an *diem fatigant*, pro occupant & consumunt? *Servius.*

95. *Superant flexus.*] *Superant*, transeunt, ut *Fontem superare Timavi.* Et hic ostendit non esse alveum fluminis rectum. Quia Tyberim libri Augurum colubrum locuntur, tanquam flexuosum. *Idem.*

Variisque teguntur Arboribus.] Hoc est, *Hunc inter fluvio Tyberinus amœno.* Id.

96. Se-

Arboribus, viridisque secant placido æquore silvas.
Sol medium cœli conscenderat igneus orbem,
Cum muros arcemque procul, ac rara domorum
Tecta vident; quæ nunc Romana potentia cælo
Æquavit: tum res inopes Euandrus habebat.

Ocias

96. *Secant placido æquore silvas.*] Ostendit adeo perspicuam fuisse naturam fluminis, ut in eo apparerent imagines nemorum, quas Trojanæ naves secabant. Terentianus, *Natura sic est fluminis, ut obvias imagines nemorum receptet in lucem suam.* Serv.

Secant silvas.] Ut Virg. *secari silvas* dixit, quia una cum undis viderentur secari, ita Sen. epist. 113. ex correctione Ios. Scal. *versoque vado remigant hortos.* Sed de loco Sen. vide Lips. *Cerda.*

97. *Sol medium cæli conscenderat igneus orbem.*] Alterius scilicet diei. *Servius.*

Sol medium, &c.] Ad verbum Hom. lib. 8. Iliad.

— ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει.

Repetit 8. Odyss. Stat. 5. Theb.

Sol operum medius summo librabat Olympo.

Claud. 3. Rapt.

Sed postquam medio Sol altior astitit orbe.

Sumpsit fortasse Claud. ab Sophoc. qui Antig.

— ἐν αἰθέρι
Μέσῳ κατέστη λαμπρὸς ἡλίου κύκλος.
— *in æthere*
Medio adstitit splendidus Solis orbis.

Valer. 3. Arg.

Jam summas cœli Phœbus candentior arcus
Vicerat, & longas medius revocaverat umbras.

Accepit Valerius ab Ovid. qui 14. Met.

— *cæli medio cum plurimus orbe*
Sol erat, & minimas à vertice fecerat umbras.

Pulchre Nazian. Carm. 50.

Η πυρόεν βάλλοντος ὑπὲρ κρατὸς ἠελίοιο.

Quia videlicet tunc est Sol supra hominum capita. *Cerda.*

98. *Cum muros arcemque procul.*] Palatinum vidit: nec situm præsentem considerare debemus. Tunc enim nullis obstantibus ædificiis & Tyberi per Lupercal (ut diximus) fluente, facile mons poterat videri Palatinus. *Servius.*

Cum muros arcemque procul, ac rara domorum.] In Oblongo codice perveteri, & quibusdam aliis, *arces* legitur numero multitudinis, ut referatur ad colles septem, vel ad illud, *Septemque una sibi muro circumdedit arces.* Nam *rara domorum Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cælo Æquavit.* Est autem pro *& rara*, in Romano codice, & in Mediceo, *ac.* Pierius.

99. *Cælo æquavit.*] Pro ad cœlum extulit. *Servius.*

Quæ nunc Romana potentia, &c.] Ab hoc loco Stat. 3. Silv.

Nec mora jam Latii montes, veteresque Penates
Euandri, quos mole nova Pater inclytus urbis
Excolit, & summis æquat Germanicus astris.

Et 2. Æneid. *æquataque machina cælo.* In Græco Epig. πρὸς ὄλυμπον ἐμηχάνατο κολοσσόν. Silius lib. 11. miro incremento, *saxa impellentia cælum.* Loquitur scilicet de Alpibus, & de iisdem in 1. *& saxa minantia cælo.* Sed hæc obvia in Poëtis. *Cerda.*

100. *Euandrus habebat.*] In Romano, & in Mediceo, *Euandrus.* Nam *Euander*, vocativi casus esse volunt, pro *Euandre*, κατὰ μετάθεσιν. Reliqui tamen codices *Euander* habent nominativo casu. Voluntque alii *Euandre* in vocativo fieri κατὰ μετάθεσιν, ut illud, *Nam tibi Tymbre caput*; quod agnoscit Probus. Sosipater tamen Carisius ita scribit, *Alexander, Teucer dici debet: Sed & Alexandrus, & Teucrus dici possunt*, ut Vir

Ocius advertunt proras, urbique propinquant.
Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno divisque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filius una,

Una

ut Virgilius, Teucrus & Euandrus, secundum illam scilicet rationem, qua nomina Græca in os *exeuntia, Latine in* us *exire Aurelio placet.* Contra quam regulam à Græcis ἀγρὸς, idem à nobis *Ager* dicitur. Ideoque, ut in his, & cæteris consuetudo sequenda est. Sed enim super hoc latius habetur libro tertio, eo versu *Teucrus Rhæteas.* Pierius.

102. *Forte die sollemnem illo.*] Εὐσυμβόλως, id est, bono omine victori deo Trojanis venientibus sacra celebrabantur. Bona etiam usus est œconomia. *Servius.*

Forte die sollemnem illo.] In Romano codice, *solemne* genere neutro legitur, quod minime placet. *Pierius.*

103. *Amphitryoniadæ magno divisque ferebat.*] Amphitryo rex Thebanorum fuit, cujus uxorem Alcmenam Jupiter adamavit, & dum vir ejus Oëcalios civitatem oppugnat de trinoctio facta una nocte cum ea concubuit, post duos edidit filios, unum de Jove, id est, Herculem, alterum de marito qui Iphitus appellatus est. Ergo adsumpsit epitheton & satis perite ait, *divisque ferebat.* Nam cuivis deo sacrificaretur, necesse erat post ipsum reliquos invocari. *Servius.*

Magno.] Apparet hoc fuisse epithetum proprium Herculis. Sic infra, *Maximus ultor.* Arnob. etiam lib. 1. *Nonne ipsum Herculem magnum?* Magnitudo enim Herculei corporis celebrata omnibus, ut etiam animi. *Cerda.*

Divisque ferebat.] Quidam sic intelligunt: Ergo & Hercules de divis est, ut est illud schema, *Cœumque Iapetumque creat, sævumque Typhœa, Et conjuratos cælum rescindere fratres:* ergo & superiores tres conjurati, &, *Niveamque Paron sparsasque per æquor Cycladas*, ergo & illa è Cycladis. *Servius.*

Ferebat.] Verbum sacrum. Plaut. Asin. *Tum si coronas, serta, unguenta jusseris Ancillam ferre Veneri, aut Cupidini.* Cerda.

104. *Ante urbem.*] Secundum antiquum situm. Tunc enim brevis civitas fuerat. *Servius.*

Ante urbem.] Ut sacra sæpe intra urbem, ita sæpe extra urbem, & in agris, ex religione. Sed de unis sacris Herculis extra urbem locus est insignis in Orat. Demosth. de Falsa Legat. ubi, cum dixerit coactos fuisse Athenienses alterius oratione, Ἡράκλεια ἐντὸς θύειν τείχους, εἰρήνης οὔσης, *Herculis sacra intra mœnia facere, cum pax esset*, postea subjicit, ὃ καὶ θαυμάζω, εἰ μηδὲ τοὺς θεοὺς καθ᾽ ὃ πάτριον ἦν, τιμᾶσθαι ποιήσαντα, τοῦτον ἀτιμώρητον ἀφήσετε: *id quod miror, si eum, per quem Deos patrio ritu colere non licuit, impune dimittetis.* Hinc colligo, non illum erraturum, qui Euandri sacra referat ad Græcum ritum. Notat vero senior Scal. l. 3. Poët. c. 26. fieri sacra à Virg. Herculi extra muros, *quia fuit pene semper peregrinus.* Scaligero accinit observatio mea ex Plutar. ἐν ῥωμ. ubi ait, pueros juraturos per Herculem εἰς ὕπαιθρον προϊέναι, *exire sub dium.* Et ratio, quia hic Deus, οὐκ ἐπιχώριος, ἀλλὰ πόῤῥωθεν ξένος, *non indigena, sed hospes & peregrinus.* Cerd.

Luco.] *Lucum* Scal. l. 3. c. 89. dictum ait, quod sacrificiorum frequentia *luceat.* Taubm.

Pallas huic filius.] Pro, cum hoc. *Serv.*

Pallas huic filius una.] Quod in veteribus aliquot codicibus, *Pallans* scriptum inveniatur, non est præter alicujus ætatis consuetudinem. Nam præter ea, quæ alibi retulimus, in antiquis inscriptionibus observata, Romæ apud Marium Melinum magnæ celebritatis Patricium, hospitem olim meum officiosissi-

Una omnes juvenum primi, pauperque senatus
Tura dabant; tepidusque cruor fumabat ad aras.

Ut

ciosissimum, in antiquissimi monumenti titulo, vidi *Pallans* per *n* scriptum. Est vero cippus is pulcherrime elaboratus opere Corinthio, omnium, quæ ad hanc diem viderim, lascivissimo, cujus inscriptionis verba singula in hunc modum habent,

VOLVSIAE
ARBVSCVLAE
PALLANS Q. N.
A. PRVM.
CONTVBERNALI
CARISSIMAE ET SIBI.

In cujus basi est

PERMISSV DEC.

Alibi etiam nomen id hoc pacto scriptum in veterum monumentis observavi, præsertimque *ll* duplicato, quod jam plerique non illiterati viri simplici *l* scribere cœperunt. Sed enim non sum nescius veteres inscriptiones hujusmodi plerunque variare, literamque ipsam *n*, non modo superaddi solitam, verum etiam, ubi ex analogiæ ratione sit adscribenda, plerumque rejici, ut alibi factum in nominibus, *infas*, & *clemes* ostendimus. Sed quamvis ita veteres scriptitaverint; Probus tamen Valerius nomen hoc in *as* terminari tradit. Et hunc locum citat, ut *as* longum ostendat. Qui si *ans* per *n* & *s* agnovisset, non hoc usus esset testimonio. Alibique errare eos dicit, qui putant *Pallantis* genitivum à recto *Pallans*, per *n* literam: & *Palladis* à *Pallas*, absque *n* deduci: quas voces accentu tantum distingui monstrat, quum *Pallas* Dea, sit oxytonon: *Pallans*, heros, paroxytonon. De terminatione vero eorum nominum, quæ sunt *infas*, & *clemes*, satis est libro primo dictum. Hujusmodi vero generis est etiam *prægnans*, quod per *as* absque *n* in antiquissimo codice Terentiano scriptum in Ecyra legi eo loco,

Nam abducta à vobis prægnas fuerat filia.

Sane apud Sosipatrum Carisium, ubi utrum *partium*, an *partum* genitivo plurali à *pars partis*, dicendum sit, quæritur, Plinii verba referuntur, dicentis, consuetudinem jam *partium* proferre cœpisse, ut *prægnatium*, & *optimatium*: ubi videtur etiam *prægnas prægnatis*, ut *optimas optimatis*, a Plinio agnitum. Illud pro corollario addere visum est, quod in eodem codice Terentiano, qui est in bibliotheca Vaticana, qui subsequitur versus post eum, quem paulo ante citabamus, *Neque fuisse prægnantem unquam ante hanc scivi diem.* absque dictione *prægnantem*, notatus est, ut ita legatur,

Nam abducta à vobis prægnas fuerat filia.
Neque fuisse unquam ante hanc scivi diem.

Quam lectionem ex peritis nonnulli plurimum approbarunt. Sed enim animadvertendum, non esse locum Pyrrhichio in senario versu, nisi bis absque synalœpha scandere voluerimus, primo loco Tribrachym statuentes, in hunc modum: *Neque fu. iss' un. quam an. te hanc. scivi. diem.* Verum hæc in medio relinquere consilium est, quæ sola sibi longum orationis apparatum exposcerent, tam multa apud eum quoque auctorem sunt injuria temporum labefactata. *Pierius.*

105. *Juvenum primi, pauperque senatus.*] Totam ostendit ætatem, & præmisit *juvenis*: nam per *senatum*, seniores significavit. *Pauper* autem, aut ad numerum retulit (centum enim sub Romulo fuerunt) aut revera *Pauper*, per quod Romani imperii ostenditur parsimonia pro laude tunc habita. Et libri veterum tradunt à majoribus sacrificando parcimoniam observatam esse. *Servius.*

Pauper senatus.] Et numero & opibus intellige. *Donatus.*

106. *Tura dabant.*] *Dabant*, verbo sacro-

Ut celsas videre rates, atque inter opacum
Adlabi nemus, & tacitis incumbere remis;
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis. audax quos rumpere Pallas

Sacra

sacrorum usus est. Nam dici solebat in sacris, *Da quod debes de manu dextra aris.* Servius.

Tura dabant.] Explicat Brif. lib. 1. quid sit *thura dare*, videlicet, quod Arnob. *ante ipsa numinum signa altaribus injicere*; quod Ovid. *thura focis imponere*; quod Plin. cap 14. lib. 12. *aris ingerere.* Cerda.

Tepidusque cruor.] Frustra quidam cruorem pecorum, sanguinem hominum volunt. Nam Juvenalis ait, *Sanguis Iret, & à magno cervix ferienda magistro.* Virgilius, *Atque atros siccabat veste cruores.* Servius.

107. *Celsas videre rates.*]Quia dixit, *Geminasque legit de classe biremes.* Idem.

Inter opacum Adlabi nemus.]Hoc est, Per nemus: ut, *Hunc inter fluvio Tyberinus amœno.* Et est honesta elocutio, ut si dicas, Inter cœnam locuturus sum, id est, per cœnam. *Idem.*

108. *Adlabi nemus, & tacitis incumbere remis.*] In Romano codice, & aliquot aliis, *tacitos* legitur, quippe *viros.* non tamen displicet *tacitis remis.* Pierius.

Tacitis incumbere remis.] Pro ipsi taciti, id est, sine celeusmate. *Servius.*

Tacitis incumbere remis.] Hic dictum *tacitis remis*, ut lib. 10. *tacitis subremigat undis.* Quia videlicet adlapsus potius fuit, quam remigatio in amne placidissimo, nullo remorum luctamine. Itaque hoc est, quod Stat. lib. 8. *ratis conticuit per fluctus.* & lib. 4. *tacitas undas.* ibid. *pigra vado Langia tacente.* & 12. *tacent sine litore fluctus.* Quod Aristid. in Ægyptiaca de aquis, ἀτρεμεῖ, σιγᾷ. Quod Nonn. loquens de Nymphis lib. 22.

Σιγαλέοις ἑλικηδὸν ἐμυκήσαντο ῥεέθροις,
Taciturnis volutim sonabant fluctibus.

Allusum à Virg. ad Hom. 8. Iliad. μὰν ἀσπουδί γε νεῶν ἐπιβαῖεν ἕκηλοι. ubi ἀσπουδὶ, & ἕκηλοι indicant rem Virgilii. Nam Hector ibi loquens eo est animo, ut putet abituros Græcos nullo navium strepitu, ut solent, qui insidias per aquas struunt, quarum exemplum habes in Ammian. lib. 18. ubi loquitur de Juliano Cæsare, ad cujus imperium milites *decurrere jubentur per flumen adeo taciti, ut etiam remi suspenderentur, ne Barbaros sonitus excitaret undarum.* Cerda.

110. *Consurgunt mensis.*] Quidam mensas proprie deorum tradunt, nam & ideo subjunctum, *Quos rumpere Pallas sacra vetat.* Ne interruptione sacrificii (*rumpere* enim pro interrumpere posuit) piaculum committeretur. Unde etiam Helenus, *Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum, Hostilis facies occurrat, & omina turbet.* Denique cum ludi Circenses Apollini celebrarentur, ut Hannibal nuntiatus est circa portam Collinam urbi ingruere; omnes raptis armis concurrerunt. Reversi postea cum piaculum formidarent, invenerunt saltantem in circo senem quendam: qui, cum interrogatus, dixisset se non interrupisse saltationem, dictum est hoc proverbium: *salva res est, saltat senex. Audacem* autem dicit ubique Virgilius, quotiens vult ostendere virtutem sine fortuna. Vnde etiam Turnum audacem vocat. *Servius.*

Consurgunt mensis.] Videtur hæc vox fuisse solemnis ad hanc rem, vel ex uno Catullo, qui in Nupt. Carmine, mensarum mentione non facta, tantum, *vesper adest juvenes, consurgite*, id est, à mensis. *Cerda.*

Consurgunt mensis.] Convivia olim rem sacram comitabantur: ad quæ adhibebantur tantum carissimi. De quo ad Plau-

Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipſe;
Et procul è tumulo, Juvenes, quæ cauſſa ſubegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum

ad Plautum Milite act. 3. 1. *Taubm.*

Audax.] Non temerarius, ſed propria virtute confidens. *Donatus.*

Audax.] Scalig. l. 3. c. 26. Poët. Aſpice, mihi, inquit juvenem, & fortem, & religioſum, & acrem. *Vetat ſacra rumpere.* Deinde, *rapit telum*, non *ſumit.* mox, *volat*; ipſe, non alius ejus juſſu. *Taubm.*

Rumpere ſacra vetat.] Nam ſacra, quavis ex cauſſa, interrumpere, piaculum erat, ne repentino quidem in urbem hoſtium incurſu nunciato. Vide Plut. in Numa & libr. De Superſtit. *Taubm.*

112. *Et procul.*] Cum aſſiduum bellum gererent cum gente Latina, non mirum ſi anxie cuncta exploraret. *Don.*

Juvenes, quæ cauſſa ſubegit.] Succincta & plena interrogatio: cui per ſingula reſpondit Æneas. *Servius.*

O Juvenes.] Oratio neceſſariis in tanto metu interrogationibus plena. *Donatus.*

Quæ cauſſa ſubegit Ignotas tentare vias?] In antiquis aliquot exemplaribus, *quæ cura* legitur. Sed *cauſſa* magis placet. Ea enim ab Ænea refertur, eo verſu, *Quos illi bello profugos egere ſuperbo.* Pierius.

113. *Ignotas tentare vias?*] Ideo *ignotas*, quia videt eos eſſe peregrinos, & bene breviter, ſed frequentius interrogationibus eos urget, ut *State viri: quæ cauſſa viæ, quive eſtis, in armis?* Serv.

Quo tenditis?] Quia ex deflexu videbat illos velle deſcendere. *Donatus.*

114. *Qui genus?*] Quo genere, & bona elocutio. *Servius.*

Qui genus?] In antiquis aliquot codicibus, *qui genus* non ineleganter poſitum. In aliquot aliis *quis genus.* quod aliis diligentius examinandum relinquo. *Pierius.*

Qui genus?] Verſus pene Hom. Od. 1.

Τίς· πόθεν εἰς ἀνδρῶν· πόθι τοι πόλις· ἠδὲ τοκῆες.

Ut etiam Odyſſ. 3.

Ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα,

Quem verſum repetit Odyſſ. 9. & alias ſæpe. Odyſſ. etiam 7.

Τίς· πόθεν εἰς ἀνδρῶν, τίς τοι τάδ' εἵματ' ἔδωκεν.

His locis etiam inſtitit Euripid. in Cyclop. ubi Polyphemus magna cura Græcos examinat:

Θέλω δ' ἐρέσθαι· πόθεν ἐπλεύσατ' ὦ ξένοι·
Ποδαποί· τίς ὑμᾶς ἐξεπαίδευσεν πόλις·

Et in Hel. Ἀτὰρ τίς εἶ· πόθεν· τίνος. & in Rheſ. τίς· ἢ πόθεν· ἢ ποίας πάτρας. Hæc nolui reddere, ut quæ eandem contineant ſententiam cum Virgiliana. Ut vero Hom. & Eurip. paria multa loca de re eadem: ita & Virg. Nam etiam in 1.

Sed vos, qui tandem? quibus aut veniſtis ab oris? Iterum:
Quis te, nate Dea, per tanta pericula caſus, &c. Et in 6.
Sed te qui vivum caſus age, fare, &c.

Cerda.

Unde domo?] De qua civitate? *Serv.*

Unde domo?] Arripuit Horat. 7. epiſt. lib. 1. *Quære, & refer, unde domo? quis?* Sil. lib. 10. *Ingentia bella Cluſina venere domo.* Sueton. cap. 2. Vitell. *Vitellius domo Nuceria.* Plaut. Pœn. *domo Carthaginienſi.* Virg. 7. *Qui Cerete domo.* In his omnibus patriam intellige, ſedeſque cujuſque, & domicilium. Sil. l. 3. *Alpina domo*, quaſi in Alpibus fuerit domicilium. Sed præclarum eſt Sidonii teſtimonium epiſt. 11. lib. 1. *Cæterum ſi requiſiſſes, qui genus? unde domo? non eminentius, quam municipaliter natus, &c.*

Tum pater Æneas puppi ſic fatur ab alta,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ:
Trojugenas ac tela vides inimica Latinis;
Quos illi bello profugos egere ſuperbo.
Euandrum petimus. ferte hæc, & dicite lectos
Dardaniæ veniſſe duces, ſocia arma rogantis.
Obſtupuit tanto percuſſus nomine Pallas:

Egre-

&c. ubi domum explicat per municipium. *Cerda.*

An arma?] Tropum fecit metri cauſſa. Nam conſequens erat, ut cum dicit *pacem* ſubjungat bellum. *Servius.*

115. *Puppi ſic fatur ab alta.*] Sic intelligendum, ut ſimul dicat & faciat. *Idem.*

116. *Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.*] Ne moram faceret in reſponſione, quoniam Pallas prius de pace quæſierat, & ideo mox ſignum pacis oſtendit, ut cætera Pallas ſecurus audiret. *Idem.*

Paciferæ olivæ.] Pacis nota data huic arbori. Ovid 6. Metamorph. *oleis pacalibus.* & 1. de Pont. Eleg. 1. *pacatæ ramus olivæ.* Inde Virg. in 6. illam Numæ attribuit Regi pacifico. Silius l. 13. ejus ramum vocat, *pacis pignora.* Prudent. περ. στεφ. *pacis honorem.* Valerius quinto Argon. *frondemque imbellis olivæ.* & libro quarto, *virgam paciferam.* Tertullianus de Coron. *mitem.* Stat. l. 12. *ramis inſontis olivæ.* & 2. Theb. *pacem præfatur oliva.* Polyb. l. 3. cum quoſpiam induxerit Barbaros cum ramis oleæ, adjicit, τοῦτο γὰρ σχεδὸν πᾶσι τοῖς βαρβάροις ἐστὶ σύνθημα φιλίας, καθάπερ τὸ κηρυκεῖον τοῖς Ἕλλησιν. *Eſt hoc fere apud omnes Barbaros amicitiæ ſignum, ut inter Græcos caduceum.* Cerda.

117. *Trojugenas ac tela.*] Breviter ſingulis quæſitis reſpondit, & *Trojugenas*, ad *Qui genus* referendum. *Servius.*

Tela vides inimica Latinis.] Bona conciliatio. Nam audierat, ut *Hi bellum aſſidue ducunt cum gente Latina.* Ergo *tela inimica* ad illud pertinet, *Pacemne huc fertis, an arma?* Idem.

118. *Quos illi bello profugos.*] Sicut & vos. Et movet conciliationem etiam ex ſimilitudine fortunæ. *Idem.*

Profugos.] Ut oſtendat juxta peregrinos immites. *Donatus.*

Superbo.] Injuſto. *Servius.*

Superbo.] Quia injuſtum. *Donatus.*

119. *Euandrum petimus.*] Hoc ad *Quo tenditis*, pertinet. *Servius.*

Ferte hæc.] Hoc ad ramum pertinet. *Dicite* ad verba. Et *ferte* vobiſcum, & *dicite* καθ' αὐτό. *Idem.*

Dicite.] Quia non ſolus in tanto tumultu venerat Pallas. *Donatus.*

120. *Dardaniæ veniſſe duces.*] In Romano codice, & aliquot aliis, *duces* legitur, in nonnullis *viros.* In pleriſque vero codicibus, vel hæc vel illa dictio abraſa diſcernitur. Sed enim *duces* omnino magnificentius eſt. *Pierius.*

Dicite lectos Dardaniæ veniſſe duces.] Et ad meritum ejus pertinet, qui fuerat rogandus, & ad terrorem, ſi contrariis votis exciperentur. Et extolli debet *Dardaniæ*, quia loco laudis eſt poſitum. *Donatus.*

Socia arma rogantes.] Hoc ad illud pertinet, *quæ cauſſa ſubegit. Rogantes* autem ad id pertinet, quod à Sibylla dictum fuerat, *Quas gentes Italûm, aut quas non oraveris urbes.* Servius.

121. *Obſtupuit tanto percuſſus nomine Pallas.*] Ne repetam amplius *obſtipuit*, eo me vertam, quod *percuſſus* in antiquis codicibus habetur, à *percutio.* Quod vero iſti *Percellere*, unde *Perculſus*, ad animum tantum ſpectare dicunt, apud Ovidium quinto Metamorphoſeos legas,

Stipite qui media poſitus fumabat in ara

Per-

Egredere ô, quicumque es, ait, coramque parentem
Adloquere, ac nostris succede penatibus hospes.
Excepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.
Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.

Tum

Percutit. quod quidem nulli non videatur ad corpus pertinere. *Pierius.*

Tanto percussus nomine.] Dardani scilicet commemoratione. *Tanto* autem, id est magnitudine nominis. *Servius.*

122. *Egredere ô, quicumque es.*] In Romano codice, sententia non profertur per dissolutum. Sed conjungitur cum *Obstipuit*, copulativa particula adjecta, hoc pacto, *& gradere ô, quicumque es, ait.* Sed enim *egredere* video magis eruditis placere. *Pierius.*

Egredere ô, quicumque es, &c.] Notetur summa civilitas, atque adeo humanitas Pallantis in ignotum. Summam etiam modestiam bene nato bene instituto que adolescenti attribuit Poeta: qui patri respondendi munus reliquit. Sed videatur Scal. l. 3. c. 19. *De Moribus.* Taubmannus.

Quicumque es.] Hoc ad nomen Æneæ pertinet. Nam esse Trojanos audierat. *Servius.*

Quicumque.] Ad hominem non ad originem referas. *Donatus.*

Coramque parentem Adloquere.] Codices plerique veteres *parente* legunt ablativo casu, ut sit *coram parente.* Sed mihi magis placet *parentem adloquere*, ut est in Romano codice, & aliis optimis. *Pierius.*

Coramque parentem Adloquere.] Optime summum judicium servat parenti & regi. *Donatus.*

123. *Nostris succede penatibus hospes.*] Mire sine patris auctoritate nihil confirmat, & tamen *hospitem* appellat. *Servius.*

124. *Excepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.*] In plerisque codicibus antiquis, *excepitque manu dextraque*: & pro *amplexus*, sunt codices, in quibus *implexus* legitur: quæ lectio cum *dextra* ablativo conveniret. Sed enim *amplexus* plures fautores habet. *Pierius.*

Dextramque amplexus inhæsit.] Ostendit virum & virtutis & hospitalitatis amatorem. *Servius.*

Dextramq; amplexus, &c.] Nam dextra fidei nota, quem morem pene ad satietatem inculcat Maro. Ter in hoc lib. bis in 4. semel in 3. & in 6. & sæpe alibi. Interpres Aristoph. ad verba hæc ἐν νεφέλ. τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιὰν, ita ait. ἔθος ἦν ἐπὶ πίστει, καὶ συνθήκαις βεβαίαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις. *Mos fuit, dextras invicem dare fidei, & fœderibus firmandis.* Tull. Philip. 11. *Dextræ, quæ fidei testes esse solebant.* Medea apud Sen.

Fidemque supplex præsidis dextra petii. Cerda.

Inhæsit.] Quid si signatissimo hoc verbo alludit ad morem, quem Tacit. explicat lib. 12. Annal. his verbis: *Mos est Regibus, quoties in societatem coëant, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque perstringere?* Eadem lux dari Homero potest 6. Iliad. ἐν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρὶ, *illique in manum hæsit.* & Apollonio lib. 1. Arg. χεῖρα δὲ χειρὶ ἄκρην ἀμφιβαλὼν, *manui inserens summam manum.* & aliis. Observa etiam hanc manus inhæsionem factam ex more hospitalitatis, quam rem jam late Stuchius lib. 1. Antiq. Conv. quem adeas. *Idem.*

125. *Subeunt luco, fluviumque relinquunt.*] Hypallage in sensu: Et hic *subeunt* juxta veteres dativo junxit, cum alibi juxta usum præsentem accusativo junxerit, ut *Æneæ subiit mucronem*, sicut & *succede* veteres dativo junxerunt, quod significat penitus ingredere, ut hoc loco, *Ac nostris succede penatibus hospes.* Salustius tamen, ut dictum est, accusativo junxit. *Servius.*

Tum regem Æneas dictis adfatur amicis :
Optume Grajugenûm, cui me Fortuna precari,
Et vitta comtos voluit prætendere ramos;

Non

126. *Dictisque adfatur amicis.*] Est hoc, quod Plut. in Lucullo προσεῖπον ἀλλήλους φιλοφρόνως. *Cerda.*

127. *Optume Grajugenûm.*] Quantum ad Æneam pertinet, Græci neque boni neque meliores sunt. Ergo *optime Grajugenûm* superlativus est pro positivo. Nam *optimus malorum*, non possumus dicere. Superlativus enim suo tantum jungitur generi. Sic ergo dixit, ut Homerus, δικαιότατος Κενταύρων, id est, *justissimus Centaurorum*, pro justus. Et est rhetorica persuasio, nam principium ex utriusque persona sumpsit. *Optume Grajugenum* ad Euandrum pertinet. *Cui me fortuna precari*, ad Ænean, qui se fatetur supplicem venire : Sed quia ignotus est, & ostendere vult quod impetrare debet, ait, *Dardanus Iliacæ primus pater urbis & auctor :* Contra quos auxilium petat, *Gens eadem, quæ te.* Quid ipsi etiam sit utile à quo beneficium postulatur, *Nos si pellant nihil abfore credunt :* dicit enim nos pellimur, sed vos servietis postremi ; ipsam proposuit *Accipe daque fidem.* ad ultimum possumus reddere beneficium : *Sunt nobis fortia bello pectora*, nam utrum posset is, à quo petebatur, omisit, quia manifestum erat posse, & ignotus à demonstratione personæ suæ incipere debebat. *Servius.*

Optume Grajugenûm.] Notat Gifan. Conl. ad Lucret. pro *Graigenis*, & *Troigenis*, dici, *Grajugenas*, & *Trojugenas*, ad eum modum, quo *dissupare*, *carnufex*, *optumus :* nam aliter per *i*, dicendum esset, ut *primigenus*, *ventigenus*, *Pœnigenus*, *Phœbigenus*. Quæ in hunc locum Serv. scribit de re Grammatica, falsa sunt. Vocem, *optime*, retuli in explicatione ad virtutem animi : possit, qui velit, ad militarem, ad eum modum, quo Homerus sæpe ἀγαθὸν βοὴν Μενέλεων. & 4. Iliad. ἐσθλὸν ἐνὶ προμάχοισι, loquens de Echepolo, *bonum inter antesignanos*, id est, fortem. Utique, quod ipse sæpe ταλασίφρονα, ταλάφρονα, καρτερόν. Atque ita postea reddens Euander vicem Æneæ, ait : *ut te fortissime Teucrûm.* Hanc explicationem inf. agnoscit Servius. *Cerda.*

Cui me Fortuna precari.] Servavit τὸ πρέπον dicendo *fortuna*. *Et cui me precari*, antiquum est : Nam modo, *quem precari* dicimus. Terentius, *Credo qui mihi sic oret.* Item, *Facite, ut vobis decet.* Sallust. *Locum editiorem quam victoribus decebat.* & est Græcum ut εὔχεσθ' Ἀπόλλωνι. Sane veteres & *precor illi*, pro *precor pro illo* dicebant ; Plautus in Amphitryone, *Noli pessimo precari*, hoc est, pro pessimo noli precari : aut hyperbaton est, hoc modo : tibi me fortuna vitta comptos voluit prætendere ramos & precari. *Servius.*

128. *Vitta comtos ramos.*] Ut in pacis petitione ramus olivæ cum vittis offeratur, partim fabulæ, partim naturæ efficit ratio. Nam cum de nomine Athenarum Neptunus & Minerva contenderent : & jussisset Jupiter, ut illius nomine diceretur civitas, qui munus melius obtulisset hominibus : equum Neptunus, Minerva olivam protulit, & statim vicit. Unde cum ejus ramus alicui offertur, indicat eum esse meliorem. Hinc illud proverbium, *Herbam do :* id est, cedo victoriam. Quod Varro in antiquarum libris ponit, *Cum in agonibus herbam in modum palmæ dat aliquis ei, cum quo contendere non cupit ; & fatetur esse meliorem.* Vittas autem habet ramus olivæ ideo, ut inertiam & imbecillitatem offerentis ostendat. Scimus enim oves, unde lana, è qua vittæ, egere alieno semper auxilio. Aut quia & lana in tutela Minervæ sit, quæ pacis bellique sit cultrix, aut quia mite & quietum animal est ovis, cujus quietem habere debent, qui in fœdus & amicitiam coëunt. Quæritur autem quid dixerit

Non equidem extimui, Danaûm quod ductor & Arcas,
Quodque ab stirpe fores geminis conjunctus Atridis:
Sed mea me virtus & sancta oracula divom,
Cognatique patres, tua terris didita fama,

Con-

xerit *comptos*, sed ut crines comi dicimus cum nectuntur, ita & hic etiam ramos compros & illigatos intellige, ut ipse, *Tum ramum innectit olivæ:* Ergo quod illic *innectit*, hic *comptos* dixit. *Servius*.

Et vitta comtos, &c.] Erat habitus supplicum, *rami oleæ compti vittis*, id est, ornati, innexi, illigati. Æschyl. in Suppl. exhibet λευκοστεφεῖς νεοδρέπτους κλάδους: *ramos recens decerptos coronatos albo*, id est, ramos oleæ lana obvolutos. Vel, explicatore Plut. in Thes. κλάδος ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας ἐρίῳ λευκῷ κατεστεμμένος: *ramus sacræ oleæ redimitus lana alba.* Ex his itaque Plutarchi verbis explicandi omnes, quoties hanc rem attingunt non plene. Ut cum Appian. in Hispan. tantum dicit ἱκετηρίας. & Euripid. ἱκέσιοι κλάδοι. & Sophocl. Oedip. ἱκτηρίους κλάδους. Hi omnes, & reliqui, quos mihi exhibeas, capiendi de olea, & lana illi obvoluta. *Cerda*.

Voluit.] Hinc eum laudat quod tantus eum vir rogare compellitur. *Servius*.

129. *Danaûm quod ductor & Arcas.*] Nec quod multitudinem haberes extimui: nec quod esses Arcas: ut illuc hoc tendat, *Geminis conjunctus Atridis*, id est, Agamemnoni & Menelao cognatione conjunctus. Et hoc ad laudem Euandri pertinet: qui qualitate morum non timeri meruit. *Idem*.

130. *Fores.*] Pro fuisses. & notandum *Fores* de præterito. *Idem*.

Geminis conjunctus Atridis.] *Geminos* hic duos, aliter *gemini* uno partu editi. Quæritur sane unde Euander Atridis genere fuerit conjunctus, & quamvis Hesiodus dicat qualiter conjunctus sit Euander: tamen quidam ajunt Thestii filias Ledam & Hypermnestram fuisse, Ledæ & Tyndarei filias Clytemnestram, Helenam & Tymandram fuisse, quam duxit uxorem Socenius * Arcas cujus filius Euander. Clytemestram & Helenam notum est Agamemnoni & Menelao junctas fuisse. Alii ita tradunt Steropes & Atlantis filios OEnomaum & Majam fuisse, OEnomai Ippodamiam filiam, unde Atreus natus, at Majæ filius Mercurius, ex quo Arcades, de quibus Euander, quod Accius in Atreo plenius refert. Alii ita narrant, Atlas complures habuit filios, sed de Lino Pelopen genuit, is Atreum, Atreus Agamemnonem & Menelaum, Mercurius deinde est Nicostratæ pater, quæ fuit mater Euandri, Mercurium Maja filia Atlantis genuit: Sic Euander Atridis conjunctus est, Trojanis autem sic jungitur, ex Electra Atlantis filia, & Jove Dardanus nascitur, ejus filius Erichthonius, ex eo Assaracus, ex illo Capis, ex illo Anchises, ex illo Æneas. *Idem*.

131. *Mea me virtus.*] Hæc arrogatio ad honorem Euandri pertinet, & sane paulo adrogantius videretur virtutem suam laudasse, nisi deorum oracula & facta conjungeret: deinde ut Euandro blandiretur; *Tua*, inquit, *terris didita fama*, & ut in audientis mente remaneret, in ultimo addidit, *Et fatis egere volentem*, sed hic singula distinguenda, ut major sit enumeratio. *Idem*.

Sancta oracula divom.] Tyberis scilicet, vel Apollinis, ut *Via prima salutis; Quod minime reris Grajâ pandetur ab urbe*. Idem.

132. *Cognatique patres.*] Insinuatio Rhetorica à genealogia, & cognatione, cujus reverentia Δία ὁμόγνιον & γενέθλιον genti, laribus, & familiis præfecit: ut passim apud Pindarum. *Germanus*.

Didita fama.] Divulgata: ut *Didi-*

tur

Conjunxere tibi, & fatis egere volentem.
Dardanus Iliacæ primus pater urbis & auctor,
Electra (ut Graii perhibent) Atlantide cretus,
Advehitur Teucros: Electram maxumus Atlas
Edidit,

tur hic subito Trojana per agmina rumor. Servius.

Didita fama.] Præteribo quod in antiquis aliquot codicibus *debita* legitur, quum *didita* in emendatioribus habeatur: quod Servius etiam agnoscit in codicibus emendatis: dumque exponit *didita* divulgata. ut illud, *Diditur interea Trojana per agmina murmur.* Lucretianum id quidem verbum, & in hoc significato ab utroque horum sæpissime positum. *Pierius.*

Didita fama.] Ut supra, *diditur rumor:* Lucr. 2. *Dum facile in venas cibus omnis diditur:* vox frequens Lucretio. Et Tacit. lib. Ann. 11. *Clarum ex eo, dedita per provincias fama, parare iter ad Germanicos exercitus:* ubi omnino, *didita fama*, legendum ex hoc Maronis loco. *Germanus.*

Didita fama.] Quamvis Turnebus hoc loco, ut etiam apud Tacitum l. 11. legat *dedita*; nullum dubium tamen, quin legendum sit *didita*, quod & Servius agnoscit, dum exponit: *divulgata.* Et Pierius ita in codicibus emendatioribus haberi fatetur. Glossæ quoque Latino-Gr. *dide* exponunt: διαδὸς, μέριζε. & Glossæ Isidori: *Diditum, percrebatum, divulgatum.* Emmeness.

133. *Fatis egere volentem.*] Id est, quod voluntatis fuerat, egit necessitas fati. *Servius.*

Volentem.] Videtur alludere ad *voluntarium militem*; ut Eurip. in Helen. ἑκοῦσι ἄρξας: *imperans volentibus:* & infra οὐδὲν πρὸς βίαν στρατηλατῶν. *ducens copias non per vim.* Cerda.

134. *Dardanus Iliacæ primus pater urbis & auctor, &c.*] Dardanus ex Jove, & Electra Atlantis filia genitus, de Italia forte abire compulsus, agros Troicos petit, ibique Dardanum oppidum in regione Dardania collocavit. Sane hic reddit quod ait supra, *Cognatique patres.* Sed sciendum Atlantes tres fuisse: unum Maurum, qui est maximus: alterum Italum, patrem Electræ: unde natus est Dardanus: tertium Arcadicum, patrem Majæ, unde natus est Mercurius. Sed nunc ex nominum similitudine facit errorem: & dicit Electram & Majam filias fuisse Atlantis maximi. Nec præter rationem ait, &, *maximus:* &, *Idem Atlas generat.* nam & ipse habuit etiam horum nominum filias, id est Electram & Majam. *Serv.*

135. *Ut Graji perhibent.*] Id est, ut vestræ continent literæ: firmius enim est, quod ipsorum testimonio infertur. *Idem.*

Ut Graji perhibent.] Ut hoc tuorum testimonio probem. *Donatus.*

Electra Atlantide cretus.] Apoll. l. 1. ἔκελσαν νῆσον ἐς Ἠλέκτρης Ἀτλαντίδος. ubi interpres, τὴν Σαμοθράκην λέγει. ἐκεῖ δὲ ᾤκει Ἠλέκτρα ἡ Ἄτλαντος, καὶ ὠνομάζετο ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων στρατηγὶς, ἣν φησιν Ἑλλάνικος Ἠλεκτρυώνην καλεῖσθαι. ἐγέννησε δὲ τρεῖς παῖδας, Δάρδανον τὸν εἰς Τροίαν κατοικήσαντα, ὃν καὶ Πολυάρχου φασὶ λέγεσθαι ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων· καὶ Ἠετίωνα, ὃν καὶ Ἰασίωνα ὀνομάζουσι, καὶ φασὶ κεραυνωθῆναι αὐτὸν ὑβρίζοντα ἄγαλμα τῆς Δήμητρος· τρίτην ἔχειν Ἁρμονίαν, ἣν ἠγάγετο Κάδμος, καὶ ἀπὸ τῆς μητρὸς αὐτῆς Ἠλεκτρίδας πύλας τῆς Θήβης ὀνομάσαι —— Ἀθλίων δέ φησιν ὅτι Διὸς καὶ Ἠλέκτρας ἐγένετο Ἰασίων, καὶ Δάρδανος. *Germanus.*

136. *Advehitur Teucros.*] Et homines & regionem significat. Sane prolepsis est, nam post Dardanum Teucri appellati sunt. *Servius.*

Maxumus Atlas.] In Romano codice, *maxumus Atlans.* de cujus scriptionis ratione pleraque diximus in primo Æneidos. Succurrit vero nunc marmor

Edidit, ætherios humero qui sustinet orbis.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenæ gelido conceptum vertice fudit.

At

simili ratione inscriptum, quod elegantia ingenia subjectum hic non aspernabuntur.

ASPRENA NS CALPURNIUS TORQUATUS PATRI SUO.

Fuisse enim in hujuscemodi nomine veram lectionem *Asprenas* apud antiquiores, fatentur omnes. Tum in æde Divæ Ceciliæ trans Tyberim, *Asprenatis Cæsiani* legitur absque *n* obliquo casu. *Pierius.*

138. *Mercurius pater est.*] Mercurius Jovis & Majæ, quæ est una de Pleiadibus, filius, auctor eloquentiæ & liræ, internuntius deorum. Iste etiam palæstræ inventor, hoc modo esse narratur: Choricus rex quidam Arcadiæ filios habuit Plexippum & Enetum & Palæstram filiam: Sed juvenes cum casu inter se haberent certamen, impressione & nisu corporum invenerunt luctamina, qui cum hoc patre præsente facerent, & illa re nova delectaretur, ex ea re ludus factus est, quam rem Palæstra soror juvenum, Mercurio amanti se prodidit, qui cum rem novam vidisset, pleniorem de industria artem homines docuit: hoc seni juvenes à sorore proditum nuntiant, ille iratus est potius filiis, quod non tanquam furem Mercurium insequerentur, quem cum illi in monte dormientem invenissent, manus ei amputaverunt: unde & ipse Cyllenius & mons dicuntur. Namque Græce κυλλὸς, aliqua mutilatos parte corporis dicunt, unde etiam hermas vocamus, quosdam stimulos in modum signorum sine manibus: Mercurius vero Jovi conquestus Choricum evisceratum in folliculum redigi fecit, amatam vero suam Palæstram remuneratus, omne luctamen, quod corpore conficitur, palæstram vocari fecit. Alii Mercurium quasi medicurrium à Latinis dictum volunt, quod inter cœlum & inferos semper incurrat: hic etiam mercimonii deus est. Quidam hunc in petaso & in pedibus pinnas habere volunt propter orationis, cujus auctor est, velocitatem: Caduceum illi ideo adsignatur, quod fide media hostes in amicitiam conducat, quæ virga ideo serpentibus inligata est, ut sicut illi obliti veneni sui in se coëunt, ita hostes contemptis & depositis inimicitiis in amicitiam revertantur. *Servius.*

Candida Majæ.] Splendidior enim est Maja inter Pleiadas, quæ est una de Atlantibus, id est Pleiadibus. Non ergo *candida*, pulchra, ut *candida Dido.* Meminit autem Majam Atlantidem esse, ut, *Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur*, &, *multi ante occasum Majæ cœpere*, cum vellet per Majam etiam cæteras Atlantis filias intelligi. *Idem.*

Candida Maja.] Id est, pulchra, ut, *candida Dido.* Nescio enim cur Serv. obsistat huic explicationi. Vel locutus Poëta cum respectu ad Pleiadas; nam Maja est una Pleiadum, & ceteris splendidior. Vel demum *candida* est πότνια *veneranda* (explicatoribus Parrhas. in Claudian. & Erythræo in Indice) nam Aratus πότνια Μαῖα dixit. *Cerda.*

139. *Cyllenæ.*] Mons est Arcadiæ, ubi Maja Mercurium est enixa. *Fudit* autem non injuriose dictum est. Ut in Pisonem, *Qui te belluam ex utero, non hominem fudit.* Sed celeritatem parientis ostendit: quod infantibus dicitur omen fellicitatis adferre. Spectat etiam ad rationem physicam. Nam celer est ubique Mercurius, ut diximus supra. Ideo dicit eum etiam in ortu fuisse velocem. *Servius.*

Cyllenæ gelido conceptum vertice fudit.] In antiquis codicibus, partim *Cyllene*, partim *Cyllenæ* legitur. Et *conceptum vertice* absque *in*, quod non placet. *Pierius.*

Fudit.] Pari verbo Arnob. lib. 3. *Caduceatum*

At Maiam, auditis si quicquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, cæli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: me me ipse, meumque
Objeci

duceator ille Cyllenius in algido fusus monte. & lib. 1. *Mercurius utero fusus Majæ.* Ad quæ loca Herald. similia aliorum. Nam Lactant. cap. 17. lib. 3. *Locus in quo quisque est fusus ex utero.* Et Zeno Veronens. *Communi cum pecudibus lege fundimur à natura.* Arnob. quoque l. 3. *Jovem ex femina effusum alvo.* De natalitio Mercurii in promptu est Hesiodus Theog.

Ζηνὶ δ᾽ ἄρ᾽ Ἀτλαντὶς Μαίη τέκε φαί-
δῖμον Ἑρμῆν.

Jovi Atlantis Maja peperit illustrem
Mercurium. Cerda.

140. *Auditis si quicquam credimus, Atlas.*] In codicibus aliquot antiquis, *si cuiquam credimus, Atlans* legitur. Sed *quidquam* magis placet. Et *Atlas* absque *n* scribi dictum. *Pierius.*

141. *Idem Atlas.*] Ne similitudine nominis falso id usurpare videretur. *Donatus.*

142. *Genus amborum.*] Aut meum aut tuum, aut Trojanorum & Arcadum, ergo *amborum*, potest utrorumque accipi. *Servius.*

Sanguine ab uno.] Scil. Atlantis. nam Electra genuit Dardanum, Maja Mercurium: & Dardanus Trojanis dedit principium, Mercurius Arcadibus. *Taubmannus.*

143. *Neque prima per artem Tentamenta tui pepigi.*] Cum nullo ante pactus sum, ut te, aut per artem aliquam, aut per legatos probarem: sed intrepidum me tibi commisi. *Servius.*

Neque prima per artem, &c.] Nec sententiam tuam aliqua artis calliditate elicui. *Donatus.*

Neque prima per artem Tentamenta.] Credo allusisse Maronem ad bolidum demissiones aut specilla chirurgica, quibus artifices vulnera explorant; aut etiam ad instrumenta quibus putearii & aquileges terræ naturam periclitantur, eam figentes, & depactis præacutis ferreis, ferratisve obeliscis, qualitates ejus experiuntur: tuente hanc meam opinionem verbo ipso *pangere*, quod est πηγνύειν & figere: ita ut Æneas dicat, nulla se προπαρασκευῇ uti voluisse, antequam in colloquium veniret cum Euandro, nec ulla ejus tentamenta, *βασάνους* pepigisse: id est, nullis eum specillis defigere; hoc est explorare voluisse, sed sincere & recta eum aggredi. Quamvis sint, qui *Pangere tentamenta* accipiant, pro componere & struere; ut pangere versus & vites. *Germanus.*

144. *Tentamenta pepigi.*] Experimenta pactus sum: Nam geminus est hic præteritus ab eo quod est *paciscor*: facit enim & *pepigi* & *pactus sum*, sicut *placeo* & *placitus sum*. *Pago* enim, unde multi venire volunt *pepigi*, nusquam est lectum. Et altera est expositio, non tentavi te quibusdam pactionibus, quibus crederem tuto ad te venturum, ut hæc fuerit ars tentantis, aut non legatos, tale est quemadmodum in oratione ab alio in aliud initium transitur, ut, *Me me adsum qui feci.* Et non respondetur propositis, ergo illud refertur: Non legatos misi, aut tale aliquid, quod sententiam compleat. *Servius.*

Tentamenta tui pepigi.] In antiquis plerisque codicibus, *temptamenta* per *mp* legitur: quam scribendi rationem, præter omnium fere codicum antiquorum congeriem, in aliquot etiam marmorum inscriptionibus observavi: cujusmodi ea est, *ejus monimenti partem alienare temptaverit.* Sed enim ubi ita scriptum invenitur, alia quoque præter eruditorum usum inspiciuntur. Nos itaque *tentamenta* scribamus,

Objeci caput, & ſupplex ad limina veni.
Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Inſequitur; nos ſi pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Heſperiam penitus ſua ſub juga mittant:
Et mare, quod ſupra, teneant, quodque adluit infra.

Acci-

mus, ut omnes fere notæ melioris homines hodie ſcribunt. *Pierius.*

Me me ipſe, meumque objeci caput.] In antiquis aliquot codicibus, *memet* legitur: de primæ vero ſyllabæ quantitate, vide Valerium Probum, & obſervatum à Grammaticis, *Tutemet* eſſe dactylum, quod ejuſdem eſt proportionis. Miſſum faciam *capud* per *d*, in antiquo quodam codice paſſim notatum. Nam de literæ illius mutatione, ſatis ſuperius dictum. *Idem.*

Me me.] *Me me*, per Epizeuxim reiteratur, cum impetu pronunciationis. ut 9. Æn.

Me me; adſum, qui feci.

& 12. *Me me duce ferrum Corripite.*

Seſe autem geminatur ſine aliqua figura; ut magis exaudiatur: quia *S* ſibilus tantum eſt. *Erythr.*

145. *Objeci.*]Cum periturus eſſem, quæ etiam tibi ſalutaria eſſent non expavi. Nam cum gente tibi inimica & crudeli bellum gero: & dicendo, *unam gentem*, extenuat timorem belli. *Donatus.*

146. *Gens eadem, quæ te.*] Sic agit, ut & ipſe præſtare videatur. Nam & ſupra ait, *Socia arma rogantes.* Et argute inſeruit *Eadem*, nec addidit *Nos*. Servius.

Gens eadem.] Eodem argumento Æneas utitur ad Euandrum, quo Turnus ſupra, cum mittit Legatos ad Diomedem. Ait enim,

Quid ſtruat his cœptis, quem ſi fortuna ſequatur,
Eventum pugnæ cupiat, manifeſtius ipſi,
Quam Turno Regi, aut Regi apparere Latino.

Itaque concinnus eſt Poëta, qui Turno, & Æneæ eandem dat rationem, illi petenti auxilium ab Diomede, huic ab Euandro. Nam uterque, *quid de te fiet, ſi ego vincar?* Putat vero præclare Urſin. adumbratam orationem Corcyræorum apud Thucydidem lib. 1. Hoc verum putabit, qui legat eam orationem: initio enim ajunt, poſtulata ſua commoda eſſe Athenienſibus. In excurſu addunt, Corinthios inimicos eſſe iiſdem Athenienſibus. Signata verba: καὶ προκαταλαμβάνοντας ἡμᾶς νῦν, ἐς τὴν ὑμετέραν ἐπιχείρησιν. *Dum nos primos nunc aggrediuntur, vos petunt, & invadunt.* & iterum: καὶ μέγιστον ὅτι αὐτοὶ πολέμιοι ὑμῖν ἦσαν. *quod eſt maximum, iidem veſtri ſunt hoſtes.* Reperi ego locum alium ejuſdem Thucyd. ad rem eandem lib. 3. ubi pulcherrima eſt hæc gnome. τὸ δὲ ἀντίπαλον δέος, μόνον πιστὸν ἐς ξυμμαχίαν. *Mutui metus æqualitas ſocietatem ſola facit fidelem.* C.

Daunia.] Rutula à Dauno. *Servius.*

Crudeli bello.] Supra, *Bello profugos egere ſuperbo.* Idem.

147. *Nihil abfore credunt.*] Sibi obfuturum nihil arbitrantur. *Idem.*

148. *Quin omnem.*]Ut non omnem, & bene *omnem* ait, ne non ſolum Euandrum contemnere viderentur. *Idem.*

Penitus ſua ſub juga.] Utrum penitus ſub juga mittant, an omnem penitus Heſperiam? *Idem.*

149. *Et mare, quod ſupra, teneant.*] Hadriaticum dicit. *Idem.*

Quodque adluit infra.] Tyrrhenum dicit, omne enim mare quod à Sicilia uſque ad Hiſpaniam tendit *inferum* appellatur, ideo quod Sol ibi ad inferiores cœli partes delapſus occidat. *Idem.*

Quodque adluit.] In antiquis, *abluit*: quod non ita placet. Eſt enim hic *Adluere*, vel *Alluere*, quod frequenter utitur Plinius in hanc ſententiam. *Pier.*

150. *Acci-*

Accipe daque fidem. ſunt nobis fortia bello
Pectora, ſunt animi, & rebus ſpectata juventus.
Dixerat Æneas. ille os oculoſque loquentis
Jam dudum, & totum luſtrabat lumine corpus.
Tum ſic pauca refert: Ut te, fortiſſime Teucrûm,

Acci-

150. *Accipe daque fidem.*] Ab utili agit. Et hoc eſt quod ait in decimo, *Humanis quæ ſit fiduciarebus.* Servius.

Accipe daque fidem.] Sume auxilium & da. *Donatus.*

Accipe daque fidem.] Ennius:

Accipe daque fidem: fœduſque feri bene firmum.

Græci etiam, πίστιν διδόναι καὶ δέχεσθαι, dicunt. *Taubm.*

Sunt nobis fortia bello Pectora.] Iterum ſic laudat juventutem ſuam, quaſi præſtet axilium. *Servius.*

Sunt nobis, &c.] Prudentiſſime qui ab alio auxilium petit ſuum promittit. Annecto verba Symmachi epiſt. 64. l. 3. *Ego in referenda viciſſitudine par eſſe curabo: nam qui ab alio poſcit, ſui quoque ſtudii frequentem operam pollicetur.* Hinc nata videtur trita ſententia: *Ab alio officia poſcens promittit ſua.* Cerda.

Fortia pectora & animi.] Nam in bello animi fortitudo & corporis robur requiritur. *Donatus.*

151. *Rebus ſpectata juventus.*] Experimentis probata, decennali ſcilicet prælio. Et bene promiſſionem rebus confirmat & teſtimoniis, quæ eſt verbis invalida. *Servius.*

Et rebus ſpectata juventus.] In codicibus nonnullis antiquis, *è rebus* legitur. Sed enim ſententia videtur *et* expoſcere. *Pierius.*

Spectata.] De qua jam factum eſt periculum. *Donatus.*

152. *Ille os, oculoſque loquentis.*] Suffecerat ad recordationem Anchiſæ vultum agnoviſſe; addidit, *Et totum luſtrabat lumine corpus*, quod ſine dubio non vacat. Nam quia Æneas in virtute ſua, multa prædixerat, orationem ejus voluit æſtimare de corpore, & poſtquam fides facta eſt, inde cœpit, *Ut te fortiſſime Teucrûm accipio.* Servius.

153. *Totum luſtrabat lumine corpus.*] Paterna in eo lineamenta cognoſcens. *Idem.*

Totum luſtrabat lumine corpus.] Ex Statii Muſa lib. 6. dices hoc idem, *permetiri alium oculis*; ait enim, *ut ſeſe permenſi oculis.* Quod enim Virg. *totum* ille reſtaurat adjuncta præpoſitione *per*, qua totum indicat corpus. Silius lib. 5. ad Noſtri veſtigia,

—*clypeumq; viri, atq; immania membra Luſtrabat viſu.*—

Deficit, tum in aliis, tum in acumine: nam Virgil. ideo *lumine*, quia *luſtrabat*. Conſentanee enim duo lucis verba adhibentur. Homer. dixit 17. Iliad. παπταίνων Αἴαντα μέγαν. Theocr. εἰδ. 24. à quo fortaſſe Maro:

Καί μ' ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼ πόδε συνεχὲς εἶδεν.

Et me à capite ad pedes perpetim vidit. Indicat vero Virg. quidpiam magnum ineſſe Æneæ, quem tam avide, & attente Euander perluſtrabat. Non aliter ac de congreſſu primo Scipionis, atque Annibalis ſcripſit Liv. lib. 30. *Paulisper alter alterius conſpectu admiratione mutua prope attoniti conticuere.* Catull. dixit, *cupido conſpexit lumine*; & *cupide ſpectando.* Hunc affectum ita expreſſit Heliodor. lib. 6. πολλοῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς περισκοπεῖ. *multis oculis perluſtrat.* Indicat aviditatem videntis. *Cerda.*

Lumine.] Pro luminibus: id eſt, oculis. *Servius.*

154. *Pauca refert.*] Non pauca, ſed paucis: id eſt, breviter. Hoc vult dicere, multa eum dixiſſe, ſed paucis. *Id.*

Ut te.] Quemadmodum: *Ut te fortiſſime Teucrûm.* Ad *Optime Grajugenûm* reddidit, *Fortiſſime Teucrûm.* Idem.

Ut te, &c.] Eurip. in Herc. ὡς ἀσμενον

Accipio adgnoſcoque libens! ut verba parentis
Et vocem Anchiſæ magni voltumque recordor!
Nam memini Heſionæ viſentem regna ſororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem
Protenus Arcadiæ gelidos inviſere finis.
Tum mihi prima genas veſtibat flore Juventas;

Mira-

μῦθος τ' εἰσιδόντες φίλος μολών· *agnoſco*, ἐπιγιγνώσκω. In quam ſententiam & Menelaus Od. δ. Piſiſtrato Neſtoris filio reſpondens: ῥεῖα δ' ἀρίγνωτος γόνος ἀνέρος, ᾧ τε κρονίων ὄλβον ἐπικλώσῃ γαμέοντί τε γεινομένῳ τε. *Germanus.*

155. *Accipio adgnoſcoque libens.*] In codicibus aliquot antiquis, *aſpicio adgnoſcoque* legitur. Sed plures omnino *accipio* habent. ut, *Illos porticibus rex accipiebat in amplis.* Pierius.

Adgnoſco libens.] Poſtquam probavit ex habitu corporis vera eſſe quæ dicebat Æneas, per Anchiſen eum laudat adulatione depoſita. Sane inter *agnoſco* & *cognoſco* ſuperfluo quidam volunt facere diſcretionem, ut cognoſcamus novos, agnoſcamus antiquos: ſed hæc à poëtis metri neceſſitate variantur. Nam *agnoſco* propter Synalœpham dixit. *Servius.*

156. *Vocem Anchiſæ magni.*] Mire quod non fecit Ænean dicentem, qui ſcit Euandrum cognoſcentem. *Idem.*

Heſionæ viſentem regna ſororis.] Commemorationi neceſſitudinis reddit commemorationem hoſpitii. Sane fabula de Heſione & nota eſt, & aliquot locis expoſita; quis enim neſcit à Laomedonte mercedem Neptuno, & Apollini ob muros Trojæ fabricatos negatam, cumque incurſu maris civitas vexaretur, coactum Laomedontem filiam Heſionam ceto objicere, eamque ab Hercule liberatam, everſa Troja & occiſo Laomedonte, propter negatum præmium, Telamoni in matrimonium datam, quæ cauſſa fecit, ut Priamus ad viſenda ſororis regna proficiſcens cum Salamina tenderet, & iter per Arcadiam faceret, & tunc ab Euandro eſſet ſuſceptus Anchiſes. *Idem.*

Heſionæ viſentem regna.] In Romano codice Græca pronuntiatione ſcriptum eſt *Hiſionæ* prima ſyllaba per *i*, quo ſono *η* literam pronuntiant, ΗΣΙΟΝΗ enim ſcribitur. Variatque declinatio genitivi in antiquis codicibus. Nam in aliis *Heſiones*, ut γυνή, in aliis *Heſionæ* Latino declinatu, quin etiam *Heſione* per *e* ſimplex reperitur. Sed *Heſiones* omnino doctioribus placuit. *Pier.*

Viſentem regna.] Videre cupientem. *Servius.*

158. *Salamina.*] Hanc olim dictam Halamina, quia ſita in mari Ægæo, certum, & poſtea Salamina, more Græco. Sic Helli tranſiere in Sellos, Hardiæi in Sardiæos, Hamnitæ in Samnitas. Halmantica, arx literarum, in Salmanticam: & ſexcenta alia. Eſt qui putet, Salmanticam dictam, quaſi αὐλὴν μαντικὴν, à trito illo antro dæmonum. Cui minus aſſentio; nam hoc nuperrimum eſt ſi comparetur cum antiquitate Salmanticæ, & fortaſſe fabuloſum. *Cerda.*

159. *Protenus.*] Uno eodemque tempore: hoc eſt dum pergit, vidit Arcadiam. Nam non poſſumus ſimul intelligere. Cum Salamina inſula ſit, Arcadia in continenti. *Servius.*

160. *Tum mihi prima genas veſtibat flore Juventas.*] In codicibus aliquot antiquis, *veſteibat*, ſive ut Priſcianus putat, mediarum vocalium tranſpoſitione, quæ poſtmodum in *ei* diphthongum contrahuntur. Sive magis ex Lucillii ſententia, ad *i* productam indicandam, ea diphthongus ſcribi ſolita ſit. Nam in *deico*, & *ameiceis*, & *periculeis*, nulla ſynæreſis. Sed & *Juventa* varie ſcribitur:

Mirabarque duces Teucros, mirabar & ipſum
Laomedontiaden: ſed cunctis altior ibat
Anchi-

bitur: in nonnullis enim codicibus *Juventus*, in aliis quibuſdam *Juventas* invenitur: de quibus alibi dictum. *Pier.*

Tum mihi prima genas.] Lucr. 5. *Juventas Occipit, & prima veſtit lanugine malas.* Hom. Od. λ. πρὶν σφῶϊν ὑπὸ κροτάφοισιν ἰούλους ἀνθῆσαι, πυκάσαι τε γένυς εὐανθέϊ λάχνῃ· & Pind. in Olymp. πρὸς εὐάνθεμον δ' ὅτε φυὰν λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον· Æſch. in ἑπτὰ ἐπὶ ϛεί-χει δ' ἴουλος ἄρτι διὰ παρηΐδων, ὥρας φυούσης, ταρφὺς ἀντέλλουσα θρίξ. Homer. quoque χαριεστάτην vult eſſe ἥβην τὴν ὑπηνήτου, ut in Protag. meminit Plato: & Græci προθήβας, primo vigore ætatis adoleſcentes. His autem verbis, *veſtibat genas flore*, alludit ad ἀνθερεῶνα Græcorum. *Germanus.*

Genas veſtibat.] Hinc veſtis pro pube. Unde veſticeps, pubes; & inveſticeps, impubes. Inveſtis quoque puer, imberbis Palladio. *lanuginem* autem ipſam, *florem* Virgilius appellat. *Veſtibat* vero pro *veſtiebat*; nam Poëtæ metri gratia plerumque vocalem *e* abjiciunt. *Erythræus.*

Veſtibat.] *Veſtire*, tralatum ad primam barbæ lanuginem. Ita Lucr. l. 5.

Tum demum pueris ævo florente Juventas
Occipit, & molli veſtit lanugine malas.

Hinc *veſtis* pro pube, ibid.

—— *& impubem molli pubeſcere veſte:*
Et pariter mollem malis demittere barbam.

Et noſter infra, ✝ſ. 659.

Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis.

id eſt, barba: ut Serv. exponit, & Scal. l. 4, 16. probat. Nam *veſtis* generaliter omne integumentum eſt: ita arbores, gramen, herbæ, ſegetes dici poſſunt *veſtes terræ*; ut notat Giſan. ita Prud. *veſtem plumarum* dixit. Columella, *ripas gramine veſtitas*: Plinius *animal pilo veſtitum*. Idem Prud.

Unde ſeges late crinitis fluctuat agris,
Denſius & gravidis ſe veſtiat æquor ariſtis.

Hinc *inveſtis puer* dicitur imberbis Palladio: item *veſticeps*, pubes: quanquam Giſanius illum hic intelligit, qui veſtem virilem nondum ſumpſerat; hunc, qui ſumpſerat. Porro, quam lanuginem noſter *florem* appellat, Lucret. *mollem barbam*, Lucillius *barbulam primam*: & alluditur ad Græcorum ἀνθερεῶνα, id eſt, *mentum*, quod à pilorum flore ſic dictum putant. *Taubm.*

Flore.] Ita Pacuvius:

Nunc primum opacat flora lanugo genas.

Idem:

Genas lanugo flora nunc demum irrigat.

Idem:

Nam flori crines video ut propexi jacent.

Sed hoc forte alienius, è Scalig. ad Feſt. in *Genas*. Idem.

161. *Mirabarque duces Teucros.*] Hos laudat: quo melior ſit ille, quem præfert. *Servius.*

Mirabarque duces.] Eſt huic ſententiæ ſuus fundus. Solent ſenes laudare & admirari, quæ geſta ſunt ipſis juvenibus: ea diſplicent, quæ tunc accidunt. Horat epiſt. ad Piſon. *Laudator temporis acti.* Exemplum hujus rei abunde extat in Neſtore Homerico, in Virgiliano Euandro. *Cerda.*

162. *Cunctis altior.*] Non ſolum ad ſtaturam, ſed ad omnia. *Servius.*

Sed cunctis altior ibat.] Imitatur Maro receptam inter mortales opinionem de heroibus, quos non ſolum animi dotibus, ſed & corporis magnitudine & præſtantia homines ſuperare cæteros perſuaſit ſibi jam olim boni ſimplicioriſque ſæculi ſanctimonia, ut quæ ex illis inſignibus, virtutibuſque, imperia, magiſtratuſque decerneret, Indorum potiſſimum atque Æthiopum exemplo, qui proceritati corporis, liberalitatique, & dignitati vultus, regna deferre ſolerent, ut advertit Ariſtot. lib. Pol. 7. his: εἰ μὲν τοίνυν εἴησαν τοσοῦτον διαφέροντες ἅτεροι τῶν ἄλλων, ὅσον τοὺς θεοὺς, καὶ τοὺς ἥρωας ἡγούμεθα τῶν ἀνθρώ-

Anchises. mihi mens juvenili ardebat amore
Conpellare virum, & dextræ conjungere dextram.
Accessi, & cupidus Phenei sub mœnia duxi.
Ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas

Disce-

ἀνθρώπων διαφέρειν, εὐθὺς πρῶτον κατὰ τὸ σῶμα πολλὴν ἔχοντας ὑπερβολὴν, εἶτα κατὰ τὴν ψυχὴν, ὥστε ἀναμφισβήτητον εἶναι, καὶ φανερὰν τὴν ὑπεροχὴν τοῖς ἀρχομένοις τὴν τῶν ἀρχόντων, δῆλον ὅτι βέλτιον ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς, τοὺς μὲν ἄρχειν, τοὺς δ' ἄρχεσθαι καθάπαξ· ἐπεὶ δὲ τοῦτο οὐ ῥᾴδιον λαβεῖν, οὐδέ ἐστιν, ὥσπερ ἐν Ἰνδοῖς φησι Σκύλαξ, εἶναι τοὺς βασιλέας τοσοῦτον διαφέροντας τῶν ἀρχομένων, φανερὸν ὅτι διὰ πολλὰς αἰτίας ἀναγκαῖον πάντας ὁμοίως κοινωνεῖν τοῦ κατὰ μέρος ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι. *Germanus.*

Cunctis altior ibat Anchises.] Est hoc, quod Hom. 3. Iliad. ἔξοχος Ἀργείων. Quod Claud. 2. Ruff. *& Principe celsior ibat.* Quod Stat. 1. Silv.

— quantum Latonia Nymphas
Virgo premit, quantum egomet Nereidas exsto. Cerda.

163. *Juvenili ardebat amore.*] Inest enim juvenibus strenuis studium adquirendarum amicitiarum. Horatius, *Animusque virilis Quærit opes & amicitias.* Servius.

Juvenili ardebat amore.] In Romano codice, & in quibusdam aliis, *juvenali* legitur per *a* in pene ultima, quod etiam in aliorum auctorum veteribus exemplaribus observavi. Et agnitum à Grammaticis alibi demonstravi. *Pierius.*

164. *Et dextræ conjungere dextram.*] In antiquis aliquot codicibus, legere est *dextram & conjungere dextræ.* Sed quattuor syllabarum per *e* prolatarum sonus, continuatioque, exilitatem quandam præ se ferunt ad fastidium usque. *Idem.*

165. *Accessi & cupidus Phenei.*] *Phinei* multis modis corrupte legitur. Nam & *Phanei* & *Phœnei* reperitur. Sed enim per *e*, *Phenei* trisyllabum omnino legendum ex probatioribus exemplaribus. Homer. οἳ Φενεόν τ' ἐνέμοντο. *Idem.*

Cupidus.] Ἐπιθυμῶν. *Servius.*

Phenei sub mœnia] Oppidi Arcadiæ. Hom. οἳ Φενεόν τ' ἐνέμοντο, καὶ Ὀρχομενὸν πολύμηλον. Nec nos debet movere, quod cum Euander de Palanteo sic dixit, *Phenei sub mœnia*: cum sciamus poëtas vicinas omnes pro una habere civitates: sicut de Didone facit, quam nonnunquam Tyriam, aliquotiens Sidoniam vocat. *Idem.*

Phenei.] Contemno notam Servii. Nam cur Poeta poneret Pheneum pro Palanteo. An ille elinguis? Itaque nulla ratio hujus conjecturæ. Pheneum fuisse oppidum in Arcadia scimus auctoritate Homer. 2. Iliad. & Plin. l. 4. c. 6. & Poëtam de illo intelligi nihil obsistit. An Euander dominus Palantei tantum? imo totius Arcadiæ. Exemplum, quo errorem suum firmat Servius, de Tyro, & Sidone, alibi everti. Sciret Poëta alia ratione versum circumflectere, & Palanteum ponere. Tu & Plinii locum alterum corrige lib. 12. c. 26. ubi pro *Psophide Arcadiæ*, legendum, *Pheneo Arcadiæ*, ex lib. vet. *Cerda.*

166. *Ille mihi insignem pharetram.*] Jus hospitii habet inter se remunerationem: sed verecunde tacet Euander de suis muneribus. *Servius.*

Insignem pharetram.] Mire munera exornat, ne videantur levia. *Donatus.*

Ille mihi, &c.] Ex ritu gentium omnium, quibus in usu hospitalia munera. Notus Homer. locus 6. Iliad. ubi Oeneus dat hospiti suo Bellerophonti ζωστῆρα φοίνικι φαεινόν. Contra hic illi χρύσεον δέπας ἀμφικύπελλον. & alter Odyss. 8. Lege ab eo loco: Ἀλλ' ἄγε οἱ δῶμεν ξεινήϊον. Virtutem hanc de Atheniensibus Plutar. prædicat, de Germanis Tacitus in illorum moribus: Vide

 etiam

Discedens, chlamydemque auro dedit intertextam,
Frenaque bina, meus quæ nunc habet, aurea, Pallas.
Ergo &, quam petitis, juncta est mihi fœdere dextra:
Et,

etiam eundem lib. 14. Annal. de Persis Ammian. lib. 18. De Leucanis Ælian. lib. 4. per initia ab eo loco, λέγεταί τις νόμος Λευκανῶν. De Abydenis Suidas. Vide quæ de Cimone Atheniensi Cic. 2. Off. quæ de Lucullo Plut. ἐν ῥωμ. ἀποφθ. *Cerda.*

Lyciasque sagittas.] Enumerando singula, efficit ne communia & ficta videantur. *Servius.*

Insignem pharetram.] Lyciam capio ex adjunctis sagittis. Itaque insignis pharetra, etiam Lycia. Vide 7. Æneid. ad illud, *Lyciamque pharetram.* Et nota varietatem poëseos: ibi celebrat pharetram Lyciam, hic sagittas Lycias; ut tu scias utramque rem commendari ab eadem provincia debere. Alia similia in hoc Vate. Pyrrha, & Deucalion orbem restituerunt jactatis lapidibus: & tamen 6. Eclog. *Hinc lapides Pyrrhæ jactos,* nulla facta mentione viri. Contra 1. Georg.

Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,

nulla facta mentione uxoris. In hoc l. Cacum vocat jam *semihominem*, jam *semiferum.* Cerda.

167. *Auro dedit intertextam.*] Legitur & *Intertexto.* Et figurate dictum est, intertextum aurum habentem. *Servius.*

Auro intertextam.] In Romano codice legere est, *intertexto.* Sed *Intertextam* melius. *Pierius.*

Chlamydem auro intertextam.] Signatus ornatus chlamydis. Sic 5. Æneid. *Victori chlamydem auratam.* Tacit. 12. Ann. *chlamyde aurata.* Spartian. in Hadrian. *Cum à Pharasmane ipse ingentia dona accepisset, atque inter hæc, auratas quoque chlamydes trecentas.* Sed notanda Virg. verba, quam alii *auratam chlamydem*, ipse *auro intertextam*, ut sic explicet, cur dicatur *aurata.* Ergo, non *aurata*, quia tantum ad oram cum auro, ut visum nonnullis humanioribus ævi mei principibus: sed quia *tota intertexta auro, & purpura.* Bene itaque S. Isidor. loquens de paludamento, quod idem cum chlamyde, *cocco, purpura, & auro distinctum.* Cerda.

168. *Frenaque bina.*] Poëtice: Nam *duo* debuit dicere. *Bina* enim secundum Ciceronem non dicuntur, nisi de his quæ sunt numeri tantum pluralis. Nam Cicero per epistolam culpat filium dicens, male eum dixisse, *Direxi literas duas:* cum *literæ*, quotiens *epistolam* significant, numeri tantum pluralis sint. Contra, *Epistolas binas* non dicimus, sed *duas.* Servius.

Aurea.] Poëtarum loca, qui equos ornant aureis, argenteisque illustrat Basilius in Orat. πρὸς πλουτοῦντας, etiamsi reprehendens. Χαλινοὶ, καὶ ζῶναι, καὶ περιδέῤῥαι, πάντα ἀργυρᾶ, πάντα χρυσόπαστα, τάπητες ἁλουργοὶ κοσμοῦντες τοὺς ἵππους ὥσπερ νυμφίους. *Fræna, zonæ, frontalia, argentea omnia, atque aurea, tapetia purpurea equos ornantia, non aliter atque sponsos.* Apul. lib. 10. *Me phaleris aureis, & fucatis ephippiis, & purpureis tapetis, & frænis argenteis, & pictilibus baltheis, & tintinnabulis perargutis exornatum.* Par splendor in istis Appiani in Mithrid. καὶ ἵππων χαλινοὶ, καὶ προστερνίδια, καὶ ἐπωμίδια πάντα ὁμοίως διάλιθα, καὶ κατάχρυσα. *Equorum fræna, pectoralia, tergoralia, omnia pariter gemmis ornata, & aurea.* Cerda.

Pallas.] Nisi placeat *Pallans*, ut in plerisque veterum monumentis notatum est. Et quia nomen id *n* non recipere tradit Probus, certe geminato saltem *ll* scribendum erit. *Pierius.*

169. *Juncta est mihi fœdere dextra.*] Antiquis amicitiis per Anchisæ hospitium. *Servius.*

170. *Cra-*

Et, lux cum primum terris se crastina reddet,
Auxilio lætos dimittam, opibusque juvabo.
Interea sacra hæc, quando huc venistis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, & jam nunc sociorum adsuescite mensis.
Hæc ubi dicta, dapes jubet & sublata reponi
Pocula,

170. *Crastina.*] Ad hoc exemplum Claud. lib. 2. Rapt.

Crastina puniceos cum Sol detexerit ortus.

Virg. iterum in 12.

—cum primum crastina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit.

Cerda.

171. *Auxilio lætos dimittam.*] Hæc sunt pauca, quibus auxilium pollicetur. *Servius.*

Auxilio lætos dimittam.] In hoc etiam nomine *auxilio* variatum. Nam sunt qui *ausilio* per *s*, sunt qui per *x*, sunt qui per utrumque *x* & *s* scribant. & superius in monumentis veterum *auxsilium* per *x* & *s* notatum observavimus. Nos *auxilium* ex usu eruditorum emendatiore scribimus. Sed illud magis me moverit, quod in codicibus aliquot antiquis, *Auxilio tutos* legitur. Sed *lætos* magis receptum. *Pierius.*

Dimittam, opibusque juvabo.] Ἀποπέμψω. Plato in Hipp. Majo. π—ἔχοντες χρήματα, καὶ οὐ δυνάμενοι τὰ μέγιστα αὐτοὺς ὠφελεῖν, οὐ πλήρη σε ἀργυρίου ἀπέπεμψαν. *Germanus.*

Opibus.] Id est, militibus. *Opes* antiqui vocabant milites. *Servius.*

172. *Quando huc ven. am.*] Siquidem amici venistis. Extraneos enim ad sacra non licebat adhibere. Hos autem adhibet ad sacra, quasi antiquis junctos amicitiis. Unde infert, *Et jam nunc sociorum assuescite mensis.* Idem.

173. *Annua, quæ differre nefas.*] Anniversaria sacrificia, id est, solennia, ideo non differuntur, quia nec iterari possunt. Solenne autem hoc esse ipse ait, *Forte die solennem illo rex Arcas honorem.* Nam calendaria, si qua fuerint ratione dilata, possunt repeti: nec piaculum eorum intermissione committitur. Sane hoc sacrum *pollutum* vocatur, quod populo annis singulis luitur. *Idem.*

Annua.] Ἐτησίας θυσίας. *Germ.*

Quæ differre nefas.] Alludit ad antiquos Numæ sacrorum ritus, qui tam arcta religione continebantur, ut ne nuntiato quidem repentino in urbem hostium incursu rumpi aut interpellari possent. Unde & supra: *audax quæ rumpere Pallas Sacra vetat.* Vide Plutarch. in Numa, & lib. De superstitione. *Idem.*

Faventes.] Ut in sacris, *Favete linguis, favete vocibus.* Servius.

174. *Et jam nunc.*] Ordo est, & jam sociorum. *Idem.*

Sociorum adsuescite mensis.] Nihil magis ad societates conjungendas validum, quam eorundem sacrorum participatio: ideo invitat ad easdem sacrorum epulas, ut firmetur societas. Alludit quippe ad δοχὰς, καὶ ὑποδοχὰς, καὶ ξενικὰ συμπόσια, sive; ut Pindarus vocat, ξενίας τραπέζας. Quintil. Declam. 301. dixit *mensæ societatem.* Cerd.

175. *Dapes.*] Epulæ deorum propriæ, ut Jovis cœna. *Servius.*

Dapes.] Proprie, ut notatum Servio: *Dapes epulæ Deorum propriæ, ut Jovis cœna.* Festus: *Dapes apud antiquos dicebatur res divina.* Inde notante eodem *daptice* pro magnifice; & *dapticum* amplum, & magnificum nam quæ Deorum sunt, magnifica sunt. Addit idem δαὶς apud Græcos ejusdem esse potestatis, unde *daps* Latina vox. Illustro Festum ab Polluce, qui lib. 6. δορπία, ἡ πρώτη τῶν Ἀπατουρίων, προσοικεῖ δ' ἂν αὐτοῖς καὶ δαὶς, ἀφ' ἧς καὶ δαιτυμών.

Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili:
Præcipuumque toro & villosi pelle leonis
Accipit Ænean, solioque invitat acerno.

Tum

Dorpia, dies prima sacrorum Apaturiorum, quibus convenit δαὶς, unde δαιτυμών. Vides, ut convivium sacrorum dicat δαῖτα, & convivatorem illorum δαιτυμόνα. *Cerda.*

Sublata reponi Pocula.] Quoniam metu reliquerant mensas, ideo ait *reponi.* Servius.

Sublata.] Aut metus causa, aut satietate interveniente. *Donatus.*

176. *Gramineo.*] Hic de gramine facto: alibi *Gramineo*, pro *graminoso*, ut *Gramineo ripæ religavit ab aggere classem.* Servius.

Gramineo.] Suppetente quippe hanc materiam agro ipso. Sed notetur cursim, apud Græcos adhuc in ipsis tectis epulatum in gramine & herbis; nam videlicet aulæ ipsæ sub dio erant. Quod ex Homer. Athen. notat lib. 3. & 5. Vates enim de Peleo, αὐλῆς ἐν χόρτῳ ἔχε δὲ χρύσειον ἄλεισον. *Tenebat aureum poculum aulæ in gramine.* Proprie χόρτος foenum est. Sed & hunc morem Strabo suppetit, loquens de Gallis, καθιζόμενοι δειπνοῦσιν ἐν στιβάσι, *sedentes cibum capiunt in stramentis frondeis.* Pollux quoque inter loca, in quibus fit accubitus, στιβάδας nominat. *Cerda.*

Sedili.] Bene *sedili.* Nam in templo Herculis lectisternium esse non licebat. Quamvis apud veteres omnes sedentes vescerentur. *Servius.*

Sedili.] Nam mos fuit non accumbendi, sed sedendi in his sacris. unde in 7. *Hæc sacris sedes epulis.* Donatus.

Sedili.] Hic tantum Macrobii nota necessaria, qui ait lib. 3. cap. 8. non vacare vocem *sedili*; nam propria observatione cautum erat, in Herculis sacris epulari sedentes. Adducitque Cornelium Balbum ἐξηγητικῶν lib. 18. ita scribentem: *Apud aram Maximam observatum, ne lectisternium fiat.* Est autem *ara Maxima*, Herculea. *Cerda.*

177. *Præcipuum.*] Potest & præcipue accipi. *Servius.*

Præcipuumque, &c.] Od. α. αὐτὴν δ' ἐς θρόνον εἷσεν ἄγων, ὑπὸ λῖτα πετάσας καλὸν, δαιδάλεον. & Od. γ. ἕλε χεῖρα καὶ ἵδρυσε παρὰ δαιτὶ κώεσιν ἐν μαλακοῖσι. Et Od. ξ. ἑσόρεσεν δ' ἐπὶ δέρμα ἰονθάδος ἀγρίου αἰγὸς αὐτοῦ ἐνεύναιον μέγα καὶ δασὺ, χαῖρε δ' Ὀδυσσεὺς ὅττι μιν ὡς ὑπέδεκτο. Sic & in epulis præcipuum honore, hoc est, discubitu honoratissimum, inter convivas dixit Tacit. l. 19. Ann. *Sciscitanti causam, apud Cæcinam Thuscum epulari multos, præcipuum honore Junium Blæsum nuntiatur.* Germ.

Toro.] Proprie; nam Latinus *torus* respondet Græcorum στιβάδι, quæ vox signat stramenta frondea, & graminea. Sumi autem solent epulæ super stibadibus, ut, non longe hinc, dicebam. In lib. 7. Anthol.

—— πολὶ δεῖπνον ἐπελθὼν,
Ξυνῇ κεκλιμένην εἴδρακον ἐν στιβάδι.
—— *ad convivium cum irem,*
Vidi illam communi accumbentem in stibade.

Cerda.

Villosi pelle leonis Accipit Ænean.] Aut suscipit ad sedendum: aut pascit, ut, *Illos porticibus rex accipiebat in amplis.* Torum autem herbarum super solium fuisse intelligamus, ne sit sedili contrarium. Congrue autem de leonis pelle dicitur coopertum, quia nihil opportunius in Herculis festo. *Servius.*

Invitat & Accipit.] Verba hospitalia. *Idem.*

Leonis.] Quod conveniebat Herculis sacris. *Donatus.*

178. *Solio acerno.*] Imitatione Apollonii: αὐτὰρ ἐν ὑψίστῳ βασιλῆος μόσσυνι θαάσσουν ἰθείας πολέεσσι δίκας λαοῖσι δικάζει. Nimirum heroicis temporibus reges ipsi μόσσυνι, hoc est, *solio ligneo*, utebantur. *Germanus.*

179. *Tum*

Tum lecti juvenes certatim aræque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas simul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.

Post-

179. *Tum lecti juvenes.*] Non vacat *Lecti.* In sacris enim Herculis nec servi intererant, nec liberti: adeo ut Appius, qui sacra hæc transtulit in libertos, vel, ut quidam volunt, in servos publicos, & caruerit oculis, & intra annum omnem familiam perdiderit Pinariorum. *Servius.*

Certatim.] Id est, studiose. *Idem.*

Araque sacerdos.] Maximæ scilicet. Nondum enim templum Herculis fuerat: sed ara tantummodo, quam *maximam* dicit ex magnitudine fabricæ. *Idem.*

180. *Viscera tosta ferunt, &c.*] Solebant veteres in sacrificiis hostiæ partem conjicere in ignem, diisque immolare, partem vero cum iis, qui sacrificio intererant, vesci, ut hoc loco Euander cum sociis: vel ad eos quoque nonnunquam, qui sacrificio non interfuissent, mittere. Et exta quidem prius comedebant quam reliquam carnem, unde & hic primo loco ministrantur. Sic Valer. l. 2. Argon.

—— *sacris dum vincitur extis*
Prima fames.

Sed plenius de his disputantem vide Cl. Salmasium in Plinian. Exercitat. *Emmeness.*

Ferunt.] Verbum conviviale, & hac doctrina sæpe illatum Maroni hic, & 4. Georg. & 1. ac 5. Æneid. In Græcis vidi φέρω, εἰσφέρω, εἰσκομίζω. Athen. lib. 3. φερέτω τράγημα, Xenoph. 7. Anab. τρίποδες εἰσηνέχθησαν πᾶσιν κρεῶν μεστοί. Ath. 3. εἰσεκομίσθη ἥπατα. *Cerda.*

181. *Dona.*] Sic in re quoque frumentarea Græci, præsertim cum mentione Cereris. Isocr. Pang. loquens de hac Dea, ait: dedisse illam mortalibus δωρεὰς διττὰς, *duplex donum*, nimirum καρποὺς, καὶ τελετὴν, *fruges, & initiationem.* Idem.

Laboratæ Cereris.] Quæ eget laboris: ut, *Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos Esset rubigo.* Glandes enim sine ullo labore nascuntur. *Servius.*

Laboratæ Cereris.] Ea forma Ovid. *laboratæ merguntur in æquore puppes:* & Græci ἐκπονεῖν, & ἐκπονεῖσθαι. ut de efficto cane poëta Epig. lib. 4. σύκινος ὁ ῥίνη πεπονημένος, οὐδ' ἀπὸ μίλτου, ἀλλ' ἀπὸ ποιμενικῆς αὐτομαθὴς ξόανος, *Germanus.*

Bacchum.] Caute: non pocula; nam hæc reposita jam in mensis: tantum ergo illatum vinum. *Cerda.*

Ministrant.] Respondet huic διακονέω. Anacr. μέθυ μοι διακονεῖ τε. Athen. lib. 4. διηκόνουν ἄνδρες μαγειροτρόφοι. Pari consecutione eodem lib. ministrum mensarum vocat *diaconum.* Non abit acceptio Xenophont. qui 2. Memor. *diaconum* vocat ἀγοραστὴν, id est, *obsonatorem, emptorem.* Idem.

183. *Perpetui tergo bovis.*] Aut secundum Homerum intelligendum, qui dicit carnes dorsi apponi solitas honorabilioribus, ut sit sensus talis: Posuit ante eos magni bovis carnes eas, quæ apud majores in honore fuerunt. Aut re vera *Perpetui.* nam de hoc bove immolato Herculi, carnes carius vendebantur caussa religionis: & inde alter redimebatur, qui ex illius pretio comparatus quasi perpetuus esse videbatur. *Tergo* autem potest à parte totum intelligi, quamvis alii dicant ideo *tergo bovis*, quod ad aram maximam aliquid servari de tauro nefas est * nam & corium illius mandunt. *Servius.*

Perpetui tergo bovis.] Dicit, appositum uni Æneæ (vide ut explicui) integrum tergum bovis. Hic enim Heroum honos in convivio. Athen. lib. 1. εἰσὶ δὲ τοῖς ἀρίστοις κατὰ δεῖπνα τιμαί. Τυδεί-

Postquam exemta fames, & amor conpressus edendi,

Rex

δης γὰρ καὶ κρέασι, καὶ πλείοις δεπάεσσι τιμᾶται· καὶ Αἴας νώτοισι διηνεκέεσσι γεραίρεται. *Sunt & optimatibus in convivio honores. Diomedes enim & carnibus, & plenis poculis honoratur: & Ajax honestatur longis tergoribus.* Alludit quippe in re Diomedis ad 8. Iliad. ubi is dicitur solitus coli à Græcis ἕδρῃ τε, κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσι, *sede, carnibus, plenis poculis.* In re autem Ajacis ad 7. Iliad. ubi Agamemnon,

Νώτοισι δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέραιρεν.

Ergo, *perpetuum* Virgilii, & διηνεκὲς Homeri sibi respondent. Est enim διηνεκὲς *longum, continuum, porrectum.* Tractat & Hom. locum Dio Chrysost. Orat. 2. καὶ τὸν Αἴαντα μετὰ τὴν νίκην φιλοφρονεῖται τοῖς νώτοις. *Ajacem post victoriam accipit dorso bovis.* Notat etiam Eustathius in adductum Homeri locum: νωταῖα κρέα παρατίθεσθαι ἔοικε τοῖς ἐν ὑπεροχῇ. *apponendas carnes ex humeris victimarum his, qui præstant dignitate.* Confirmatque ex Herodoto, qui ait, Reges solitos in convivio, θυομένων τὰ δέρματα, καὶ τὰ νῶτα λαμβάνειν, καὶ πρώτους ἵζειν ἐν τῇ δείπνῳ, καὶ διπλάσια νέμειν αὐτοῖς τὰ πάντα. *accipere victimarum pelles, humeros, locum principem, dupla omnia in distributione.* Herodoti locum invenies lib. 6. Neque vero turbet novitium Lectorem, integrum tergum bovis, quantus quantus ipse est bos, appositum: nam integros boves assari solitos satis docet Athen. Coqui etiam apud Plutar. integros apros assant ad cœnam Antonii. Quin hoc ad exemplum Herculis ipsius, qui apud Philost. 2. Imag. in Thiodamante, non jam tergus, sed σιτεῖται βοῦν ὅλον, ὡς μηδὲ τὰ ὀστέα παρεῖναι ἡγεῖσθαι. *totum edit bovem, adeo ut, ne ossa quidem omittenda duxerit.* Quæ Virg. nominat *terga*, & Homerus νῶτα, Aristoph. in Iren. ὀσφῦν, *lumbum.* Cerda.

Lustralibus extis.] Aut pinguibus. Mos enim fuerat completo lustro pingues victimas offerre Censores. Aut certe de quinquennali bove, id est, perfectæ ætatis. Nam Homerus dicit, πίονα πενταέτηρον, aut quia per quinquennium ipsis victimis urbs lustrari solebat. Alii proprie *lustralia* dicunt, quæ duabus manibus accepta in aram Pontifex vel Censor imponit, quæ non prosecantur. *Servius.*

Lustralibus extis.] Multi hic mihi videntur φλυαρεῖν. Tantum illos sequor, qui *exta lustralia* explicant, quæ lustrant, purgant, ut pars sacrorum. Itaque ἀφοσιῶμαι illos, qui confugiunt ad bovem πενταέτηρον, *quinquennem.* Scio hunc bovem induci ab Hom. sed ad Virg. hoc nihil. Ut Virgilius, capiendus quoque Stat. 2. Theb.

——*lustraliaque exta*

Lacte novo perfusus edit Vulcanius ignis.

Neque enim placent, quæ ibi interpretes. Non omittenda Turnebi Nota, dici à Virg. *lustralia*, quæ ab Liv. loquente de hoc sacro, *solemnia.* Neque Colvii scribentis in Apulejum, veteribus in usu fuisse cibum, qui reliquus fuisset e sacrificio. Apul. ipse lib. 9. *Sacrificales epulas cum Sacerdotibus Deæ cœnitabat.* Horat. 2. Serm.

——*Vernasque procaces*

Pasco libatis dapibus.——

Tertull. de Spect. *Non sacrificamus, non parentamus: sed neque de sacrificato, & parentato edimus.* Vescitur ergo Æneas, & Trojani carnibus, quæ fuerant reliquæ è sacrificio. *Cerda.*

184. *Postquam exemta fames, & amor conpressus edendi.*] Postquam & necessitati satisfactum est, & voluptati. *Servius.*

Postquam exemta fames.] Non libenter audiuntur sermones, nisi venter satur sit. *Donatus.*

Postquam exemta fames, &c.] Quis ignorat Homericum illud?

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.

Sed ego hic adjungam, uti alii, Eurip.

in

185 Rex Euandrus ait: Non hæc sollemnia nobis,

in Ione *δειπνῶν δ' ὅταν λήγωσι.* ibid. *βορᾶς ψυχὴν ἐπλήρουν.* Calab.

Οἱ δ' ὅτε δὴ παύσαντο πότου δαιτός τ' ἐρατεινῆς.

Ælian. 12. Var. Hist. cap. 1. *μετὰ γὰρ τὸ ἐμπλησθῆναι τροφῆς.* Hippoc. lib. de flatib. *βρῶσις παύει λιμὸν, δίψαν ἐπαύσε πόσις.* Hom. 11. Iliad. novo flexu,

Αὐτὰρ ἐπεὶ τάρπημεν ἐδητύος, ἠδὲ ποτῆτος.

Et 19. Iliad. *οἴνοιο κορεσσάμενος, καὶ ἐδωδῆς.* Non reddidi, quia clara. Athen. lib. 4. pulchre, *ἤδη δ' ἡμῶν ἡδέως ἀπολελειμμένων τοῦ σωφρονεῖν.* *cum jam omnes suaviter alieni à temperantia essemus.* Quid Latini: Ovid. 4. Metam. *epulis functi.* Sil. lib. 11. *pulsa fames:* Valer. 2. Arg. *vincitur fames*: ut etiam Stat. 1. Theb. *victa fames.* & 2. Achill. *placata fames epulis.* Cerda.

Et amor compressus edendi.] Diximus in Romano codice evenire sæpius, ut dictiones, quæ per geminum *ss* scribendæ forent, per *n* & *s* notatæ sunt, ut hoc loco *comprensus.* Id ea de caussa factum est, quod geminandarum consonantium diversus admodum usus apud veteres fuit, quadam enim ætate multa, quæ nos unico *s* nunc scribimus, geminato illi, uti superius dictum est, scribebant, *aussus*, *imperiossus*, *formossus*, & similia. Contra fuere tempora, quibus ut observatum à Verrio est, consonantes minime geminarentur. Ubi vero quid gemina consonante scribendum occurrisset, supra literam, quæ gemina scribenda erat, notam quandam ponere consuerant. Amplius Velius Longus Nisum auctorem citat, qui *comese* & *suese*, & alia hujusmodi simplici *s* scribenda censuerit, ea ratione, quod juxta productam vocalem consonans progredi non soleat, & præsertim quondam minime geminaverint. Quam vero notam Victorinus Sicilicon appellat, geminandis consonantibus superponi solitam huiusmodi est figura', ut alibi monuimus. Quod apud eos, qui de ponderibus & mensuris scribunt, animadverti. Posterioris inde sæculi imperitia factum est, ut crediderint notam eam compendiariæ scripturæ apicem esse, quem loco literæ *n* solemus interdum adlinere. Hinc *comprensus* hoc loco, & in aliis códicibus, *imperionsus*, & *formonsus*, quæ nonnunquam *ss* geminato scribi consuerunt, emanasse crediderim. Quanquam in *formonsus* circumflexum accentum, aut *τὴν μακρὰν* etiam huic errori ansam dedisse credi possit, ut alibi disputatum est. *Pierius.*

Amor edendi.] A Lucret. lib. 6. *& amorem obturet edendi.* Uterque ab Hom. qui *ἐδητύος ἔρον.* *Cerda.*

185. *Rex Euandrus.*] Aut non servavit nominis declinationem, nam *Euander* facit sicut ipse alibi: *Pallas Euander in ipsis*, aut Græce declinavit, *ὁ Εὔανδρος.* *Servius.*

Rex Euander ait.] Pauci admódum codices sunt, in quibus *Euander* legatur, sed in quamplurimis, *Euandrus*, de quo superius satis dictum. Quamvis Servius in Georg. dicat nomina, quæ apud Græcos in *gros*, *tros*, *pros*, *cros*, *dros*, exeunt, apud nos in *er* terminari, & secundæ esse declinationis. Ex quibus duo tantum nomina designentur, *Codrus*, & *congrus.* Verum hæc latius ex Carisio recitavimus libro tertio. *Pier.*

Rex Euandrus ait.] Maluit hic Græcum *Εὔανδρος*, quam Latinum *Euander.* Et *ait*, scilicet post epulas: nam nulla narratio jucunda crepante ventre. Ita Hom. Odyss. 8. post versum illum, *αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος*, &c. sequitur,

Μοῦσ' ἄρ' ἀοιδὸν ἀνῆκεν ἀειδέμεναι κλέα ἀνδρῶν.

Musa jubet canere hinc illustria facta virorum.

Cerda.

Non hæc solemnia.] Variat in uno pronomine. *Non hæc solennia nobis, Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram.* Servius.

Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio veterumque ignara deorum
Inposuit. sævis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus, meritosque novamus honores.

Jam

186. *Has dapes.*] Dum originem sacrorum narrat, epulas etiam excusat. *Donatus.*

Hanc tanti numinis aram.] Hujus aræ magnæ meminit his verbis Tacit. lib. Ann. 15. *Sed vetustissima religione, quod Servius Tullius Lunæ, & magna ara, fanumque, quæ præsenti Herculi Arcas Euander sacraverat, ædesque Statoris Jovis vota Romulo, Numæque regia, & delubrum Vestæ, cum Penatibus populi Rom. exusta.* In quam sententiam & Plutarch. ἐν ῥωμαϊκ. in cap. διὰ τί τῷ ἡρακλεῖ γινομένης θυσίας, &c. ὡς δέ φασιν ἔνιοι, καὶ μετὰ τῶν ἀνθρώπων ὄντος ἐπὶ βωμὸν ἱδρύσασθαι τὸν Εὔανδρον αὐτῷ, καὶ θυσίαν προσαγαγεῖν. *Germanus.*

Tanti numinis.] Hæc αὔξησις respicit Herculis fortitudinem: hæc enim virtus in illo præ aliis spectanda, ideo *tantum Numen.* inde postea *servati*, ut de militari Deo. Quis enim ignorat *servari in bello*, quid sit? ut & Græcis ζωγρεῖσθαι. Ego vero, si juvarent codices, libenter legerem, *hanc tanti nominis aram.* Quia hæc ara dicta *Maxima* & ideo *tantum nomen.* Cerda.

187. *Vana superstitio.*] *Superstitio* est timor superfluus & delirus. Aut ab aniculis dicta *superstitio*, quia multæ superstites per ætatem delirant, & stultæ sunt. Aut secundum Lucretium, *Superstitio est superstantium rerum*, id est, cœlestium & divinarum, id est, quæ super nos stant, inanis & superfluus timor. *Servius.*

Vana superstitio veterumq; ignara deorum.] In Romano codice, & quibusdam aliis antiquis, legere est *veterumque.* & ita scriptum est in Lactantii Firmiani codicibus, ubi libro IIII. locum hunc exponit in hunc modum: *Qui novos sibi ritus assumebant, ut Deorum vice mortuos honorarent, quos ex hominibus in cælum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant. Eos vero, qui publicos & antiquos deos colerent, Religiosos nominabant, Unde Virgilius, Vana superstitio veterumque ignara deorum.* Alii leg. *veterumve.* P.

Veterumque ignara deorum.] Duo dicit, Non ideo Herculem colimus aut quia omnem religionem veram putamus, aut quia deos ignoramus antiquos. Cautum enim fuerat, & apud Athenienses & apud Romanos, ne quis novas introduceret religiones. Unde & Socrates damnatus est: & Chaldæi vel Judæi sunt urbe depulsi. Sane quidam veteres deos Novensiles dicunt, quibus merita virtutis dederint numinis dignitatem, Ergo ideo *vana*, quia superstitio ignara deorum. *Servius.*

189. *Servati.*] Quasi agnoscat Herculem Deum SERVATOREM, non minus ac Juppiter dictus est SERVATOR peculari eponymia. Ergo, quia Servator aliorum Hercules, ideo Deus: nam sacra hæc instituta tantum ex memoria beneficii accepti. Hercules ipse lib. 4. Anthol. ait, natum se esse σώζειν ἀγαθοὺς ἐξ ἀχέων, *ad servandos bonos ex doloribus.* videlicet unus fuit ex numero Deorum ἀλεξικάκων. & illum dictum ab Coïs Ἄλεξιν Aristid. scribit. *Cerda.*

Servati facimus.] Verbum *Facimus* ad solemnia & dapes referendum est, hoc sensu: Ista solemnia & has dapes obimus, dum salutis adeptæ à latrone sævissimo anniversariam memoriam celebramus. Quid si exponamus *facimus* sacrificamus, cum sequatur velut per ἐπεξήγησιν, *meritosq; novamus honores*? Pont.

Novamus honores.] Detraxit *Re*, nam *renovamus* debuit dicere. quam particulam alibi addit: ut, *Fata renarrabat divûm.* Aliter in quarto, *Tecta novantem*, dixit. Quidam intelligunt proprie esse *novare*, replicando vetera quandam facere

Jam primum saxis suspensam hanc aspice rupem:
Disjectæ procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, & scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit vasto summota recessu,
Semihominis Caci facies quam dira tenebat

Solis

facere novitatem, ac per hoc excludere vetustatis injuriam. *Servius.*

190. *Jamprimum saxis.*] In pervetri codice, *jampridem* legitur, quod nonnullis minime displicuisse animadverti. *Pierius.*

Suspensam hanc aspice rupem.] Cacus secundum fabulas Vulcani filius fuit, ore ignem ac fumum vomens, qui vicina omnia populabatur. Veritas tamen secundum Philologos & historicos hoc habet, hunc fuisse Euandri nequissimum servum ac furem. Novimus autem *malum* à Græcis *κακὸν* dici: quem ita illo tempore Arcades appellabant. postea translato accentu *Cacus* dictus est: ut Helene *Helena.* Ignem autem dictus est vomere, quod agros igne populabatur. Hunc soror sua ejusdem nominis prodidit. Unde etiam sacellum meruit, in quo ei pervigili igne, sicut Vestæ, sacrificabatur. *Servius.*

Suspensam rupem.] Quasi jam jamque lapsuram. *Idem.*

Suspensam rupem.] De Anagnia Silius lib. 12. *Surgit suspensa trementi dorso.* Et Statius secundo Silv.

Litus & in terras scopulis pendentibus exit. Cerda.

191. *Disjectæ procul ut moles.*] In Romano codice, *dejectæ* legitur, quod non æque placet. Dicturus enim rem ab Hercule gestam, majus nescio quid ostendit, dicendo *moles disjectas.* Loquitur vero de fragmentis illis, quæ ab Aventini vertice, & imis radicibus avulsit Hercules, ut sibi aditum in antrum Caci patefaceret. *Pierius.*

193. *Hic spelunca fuit.*] Totum hunc locum adumbrat Valer. lib. 4. Lege ab eo loco,

Litore in extremo spelunca apparuit ingens
Arboribus super, & dorso contecta minanti.

Nec non Silius cum scribit lib. 6.

Intus dira domus, curvoque immanis in antro
Sub terras specus, & tristes sine luce tenebræ.

Ovid. de hoc ipso Caci antro 1. Fast.

Proque domo longis spelunca recessibus ingens
Abdita, vix ipsis invenienda feris.

Livius quoque *speluncam* vocat hanc domum Caci, Dionys. ἄντρον, & δίαυλαν. *Cerda.*

Recessu.] A vestigiis scilicet hominum. *Servius.*

Vasto summota recessu.] Uti Manil. lib. 1. Virgilium imitans dixit de astris *longo summota recessu.* Eleganter dictum à Propert. Eleg. 6. lib. 4. *fugiens portus* ad signandum hunc recessum: & Elegia 10. ejusdem lib.

Et si qua extremis tellus se subtrahit oris. Cerda.

194. *Semihominis.*] Hoc est, feritate corrupti. *Servius.*

Semi hominis.] Id est, semiferi. Nam infra, *villosaque setis pectora semiferi.* Sed poëtice ista, nam Liv. tantum, *pastor accola ejus loci, nomine Cacus, ferox viribus.* Ab Martiali Cacus, *silvarumque terror.* Ab Propert. Eleg. 10. lib. 4.

Incola Cacus erat metuendo raptor ab antro.

Martialis procul ab Ovid. qui 1. Fast.

Cacus Aventinæ timor, atque infamia sylvæ.

Porro hæc vocum compositio trita est. Notandus versiculus ille Nasonis,

Semibovemque virum, semivirumque bovem.

De quo vide, quæ scribit Sen. Rhet. Declam. 2. *Cerda.*

Semi-

Solis inaccessam radiis: semperque recenti
Cæde tepebat humus; foribusque adfixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Volcanus erat pater: illius atros

Ore

Semihominis Caci.] Fabulam Caci ad amorem detorquet Plutarchus in ἐρωτικῷ· ἄξιον δὲ σαφῶς παρὰ ταῖς μούσαις μνημονεῦσαι. τὸν μὲν γὰρ ἡφαίστου παῖδα ῥωμαῖοι κάκον ἱστοροῦσι πῦρ καὶ φλόγας ἀφιέναι διὰ τοῦ στόματος ἔξω ῥεούσας, αὕτη δ' ἀληθῶς μεμιγμένη πυρὶ φθέγγεται, καὶ διὰ τῶν μελῶν ἀναφέρει τὴν ἀπὸ τῆς καρδίας θερμότητα. *Germanus.*

Facies.] Pro universus visus. *Serv.*

Facies quam dira tenebat.] In Romano codice, & aliquot aliis pervetustis, *tegebat* legitur. Sed *tenebat* receptum magis. *Pierius.*

195. *Inaccessam.*] Participium sine verbi origine. *Accedor* enim non dicimus: sed tale est, ut *placita*, *nupta*, *triumphata*, *regnata*. Et quæritur quis hoc ante Virgilium dixerit. *Servius.*

Solis inaccessam.] Est hoc, quod Homer. 5. Odyss.

—— οὐδέποτ' ἠέλιος φαέθων ἀκτῖσιν ἔβαλλεν.

Nonnus lib. 31. ad verbum, δύσβατον. *Cerda.*

Semperque recenti cæde, &c.] De antro Amyci paria Valer. lib. 4.

Infelix domus, & sonitu tremebunda profundi,
Et varii pro rupe metus: hinc trunca rotatis
Brachia rapto viris, strictoque immortua cæstu,
Ossaque tetra situ, & capitum mœstissimus ordo.

Sil. lib. 6. *semessa jacebant ossa solo informi.* A Virgilio Ovidius 1. Fast. de Caco,

Ora super postes, affixaque brachia pendent,
Squallidaque humanis ossibus albet humus.

Stat. 2. Silv. *utraque Caci Rura.* Præclare idem 2. Theb. loquens de Sphinge, *Monstrat silva nefas.* Nonnus etiam vagatur simili conquestione & affectu lib. 20. Dionys. describens Lycurgi domum, qui hospites mactabat, hunc in modum,

—— φονίοιο παρὰ προπύλαια Λυκούργου
Ἄκρα ποδῶν, καὶ χεῖρες ἐπηώρηντο θανόντων.

—— *homicidæ ad vestibula Lycurgi*
Extrema pedum, & manus pendebant occisorum.

Nec non Eurip. in Taur. ubi multa de mactatis hospitibus, & παθητικὰ omnia, ut cum ait; περὶ κίονας ναῶν αἷμα βρότειον, *humanus sanguis ad columnas templorum.* & in Alcestid. ubi sermo est de Diomede pascente equos humano sanguine:

Φάτνας ἴδοις ἂν αἵμασιν πεφυρμένας.
Videbis præsepia conspersa sanguine.

Excitat & hinc affectus Opp. 2. Cyn.

—— κεῖται δὲ χθονὶ πολλὰ κέχυνται
Λείψανα πορφύροντα, καὶ ἀσπαίροντα φόνοισι.

—— *humi vero multæ jacent effusa*
Reliquiæ spirantes, & palpitantes cædibus.

Idem.

196. *Foribusque adfixa superbis.*] In aliquot antiquis exemplaribus legere est, *foribus suspensa superbis.* Sed *adfixa* nescio quid atrocius ostendit. In Mediceo absque particula copulativa, *foribus affixa* legitur. *Pierius.*

197. *Ora virûm.*] Hoc est, capita. *Servius.*

198. *Huic monstro.*] Bene mutavit casum in quo inerat turpis significatio verbi, ne diceret *huic Caco.* Idem.

Illius atros Ore vomens ignes.] Quippe filius Vulcani flammas paternas ejectabat. Geminus itaque huic loco locus Nonni lib. 29. ubi de duobus Vulcani filiis ita ait:

Ἡφαί-

Ore vomens ignis magna se mole ferebat.
Attulit & nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium adventumque dei. nam maxumus ultor,
Tergemini nece Geryonæ spoliisque superbus,
Alci-

Ἡφαίστου δὲ τοκῆος ἐρευγομένου πυρὸς ἀτμῷ
Συγγενέας σπινθῆρας ἀνηκόντιζον ὀπωπαί.
Vulcani vero patris eructantis flammas ignis vapore
Cognatas scintillas ejaculabantur oculi.
Cerda.

200. *Attulit & nobis aliquando.*] Tandem aliquando & nobis subventum est. Scalig. lib. 4. cap. 16. *Taubm.*

Et nobis.] Sicut multis, quibus Hercules profuit monstra purgando. *Serv.*

Ætas.] Beneficium temporis: ut, *Volvenda dies en attulit ultro.* Idem.

201. *Auxilium adventumque dei.*] Hysteroproteron. ante enim *adventum*, sic *auxilium* debuit dicere. *Idem.*

Maxumus ultor.] Non tantum noster: sed omnium terrarum. *Idem.*

Maxumus ultor.] In codicibus nonnullis perveteribus, *maxumus heros* legitur. Sed magis placet *ultor*, quod ex iis titulis est, qui dis adscribi soliti sunt in veterum nummis. ut; *Jovi ultori.* Et, *Mars ultor.* Resque ipsa gesta, titulum hujusmodi exposcere videtur. *Pierius.*

202. *Tergemini nece Geryonæ.*] Hæc fabula dicta est illo loco, *Postquam Laurentia victor Geryone extincto Tirynthius attigit arva.* Servius.

Tergemini.] Pulchre Hor. Od. 14. l. 2. *Ter amplum Geryonem.* Uterque caute, Virg. (inquam) & Horat. in magna discrepantia. Nam Hesiod. *τερικάρηνον γηρυονῆα.* Æschyl. vero in Agamem. *τρισώματος γηρυών.* Pausan. Eliac. priorib. *τρεῖς ἄνδρες γηρυόνης.* Nonnus lib. 25. *τρίλοφος.* Notabis unice, hanc vocem *tergeminus*, cum sermo est de Geryone, de Cerbero, & de Diana, semper esse idem, quod *triplex.* De aliis vero, idem quod *multiplex.* Ut apud Tibull. lib. 4. *Mors tergemina.* apud Horat. *tergemini honores.* Porro Talum illum immanem, quem celebrant Poëtæ, qui Argonautica scripsere, *τριγίγαντα* vocat Orpheus, *trigigantem*, ab paribus, credo, fabulamentis. *Cerda.*

Tergemini nece Geryonæ.] Observavit Passeratius, legendum esse *Geryonæ*, auctore Servio ad illud è septimo Æneid. *postquam Laurentia victor Geryona extincto Tirynthius attigit arva*: ubi male *Geryone* pro *Geryona* dicit legi. Sciendumque Servio declinari, *Geryones, Geryona* (unde est, *Tergemini nece Geryonæ*) ut *Anchises, Anchisæ*: unde usurpasse Sallustium *Geryonis* dicentem. Videtur autem Lucretium imitari Servius, apud quem legerat lib. 5. *Quidve tripectora tergemini vis Geryonai.* Observavi tamen ego Græcis *γηρυονεὺς*, *γηρυόνης*, & *γηρυὼν*, *όνος*, variari. Cæterum de Geryone vide supra lib. 6. Pertinent autem ad loci hujus enarrationem hæc Hesiodi in Theog. *Χρυσάωρ δ' ἔτεκε τρικέφαλον γηρυονῆα, τὸν μὲν ἄρ' ἐξενάριξε βίη ἡρακληείη, βουσὶ παρ' εἰλιπόδεσσι περιρρύτῳ εἰν ἐρυθείῃ, ἤματι τῷ ὅτε περ βοῦς ἤλασεν εὐρυμετώπους τίρυνθ' εἰς ἱερὴν, διαβὰς πόρον ὠκεανοῖο, ὄρθον τε κτείνας, καὶ βουκόλον εὐρυτίωνα σταθμῷ ἐν ἠερόεντι πέρην κλυτοῦ ὠκεανοῖο.* Geryonæ autem & hujus abactionis in Gorgia meminit Plato. *Germanus.*

Tergemini Geryonæ.] *Trimembris* sive *tricorpor* fingitur; *aut*, quia tribus insulis præfuit, ut ait Servius: *aut*, quia tres fratres fuêre tantæ concordiæ, ut uno animo omnes regi viderentur; ut tradit Justinus. *Taubm.*

Spoliisque superbus.] Atqui boves abduxerat: sed *spolium* est quicquid de hostibus tollitur, ut, *Addit equos & tela quibus spoliaverat hostem.* Item, *Postquam illum vita victor spoliavit Achilles.* San aliter supra, *foribusque superbis.* S.

203. *Al-*

Alcides aderat, taurosque hac victor agebat
Ingentis: vallemque boves amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut

203. *Alcides.*] Hoc primum nomen viri hujus, si credis Sex. Empyrico lib. 8. Matth. Nam postea Herculis nomen superinduxit, cum jam Deus. Proprie itaque Poëta *Alciden* nominat, & iterum postea; *Non tulit Alcides animis.* Quia in his locis de hoc viro loquitur, ut de homine. Jam ab illo loco, *Ex illo celebratus honos, &c.* ubi Deum factum memorat, ad Herculis nomen confugit; ut cum ait:

Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

Iterum:

Dixerat, Herculea bicolor cum populus umbra.

Adjungo Empyrico Pindarum Od. 6. Olymp. σεμνὸν θάλος Ἀλκαϊδᾶν· *nobile germen Alcidarum*; videlicet de Hercule nondum Deo. Dio etiam Chrysost. Orat. 31. ἐν γοῦν Θήβαις Ἀλκαῖος ἀνάκειταί τις, ὃν Ἡρακλέα φασὶν εἶναι. *Thebis Alcæus quidam consecratus est, quem esse ajunt Herculem.* Inde jam tu Lector infinitis locis Poëtarum lucem dabis. *Cerda.*

Taurosque hac victor agebat.] De eodem Hercule in Anth. lib. 4. βόας ἤγαγεν ἐξ Ἐρυθείης. Pausan. lib. 4. ad exitum: ἐλάσαι τῶν Γηρυόνου βοῶν τὴν ἀγέλην. Quo verbo & Plato in Gorg. τῶν Γηρυόνου ἠλάσατο τὰς βοῦς. Præpositio additur in 4. Anthol. ποίμνας ἐξελάσασθε. Oppian. 2. Cyn. ἄγαγεν ἐξ Ἐρυθείης. Et Philost. lib. 5. vit. Apollon. τὰς βοῦς ἐλεῖν. Dio Chrys. Orat. 8. τὰς βοῦς ἀπήλασε. & Orat. 64. τὰς βόας ἀφείλετο Γηρυόνου. Omnes isti loquuntur de Hercule, & omnes vario flexu. Ovid.

Ecce boves illuc Erytheïdas applicat Heros.

Propert. Eleg. 10. lib. 4.

Amphitryoniades qua tempestate juvencos
Egerat à stabulis, ô Erythræa, tuis.

Idem.

Victor.] Perpetuo epitheto Herculis usus est, quia omnia animalia vicit, quod in sequentibus plenius dicetur. Sane de Caco interempto ab Hercule, tam Græci quam Romani consentiunt. Solus Verrius Flaccus dicit, Garanum fuisse pastorem magnarum virium, qui Cacum adflixit, omnes autem magnarum virium apud veteres *Hercules* dictos. *Servius.*

Victor.] Macrob. lib. 3. Satur. c. 6. refert, vel ad victorias omnium animalium, unde Romæ ædes duæ VICTORIS HERCULIS. Vel ad historiam Octavii Herennii, qui fortissime contra prædones pugnavit ope Herculis, atque adeo huic Deo ædem sacravit VICTORIS nomine. Adducit hoc Macrob. ex Masurio. P. Victor meminit Herculis Victoris in foro Boario, in undecima regione. *Cerda.*

204. *Vallemque boves amnemque tenebant.*] De Baulis, qui dicti veluti Boaulia, aut Boalia, corruptione vocabuli, videlicet à loco, ad quem Hercules compulit boves Geryonis ad stabulandum, lege elegantes versus Symm. epist. 1. lib. 1. *Idem.*

205. *At furis Caci mens.*] Pro ingenti scelere, *furis* nomen posuit. Capitale enim crimen apud majores fuit ante pœnam quadrupli. Sed hic quidam ab Euandro tanquam in degeneris fraude *furem* appellatum volunt. *Serv.*

At furiis Caci mens effera.] Non inficior in Romano codice, & quibusdam aliis recentioribus codicibus, *furiis* legi. Sed enim exemplaria pleraque vetusta cum Mediceo, & Porcio, *furis* habent, quo vocabulo quam maxima exprimitur ignominia. Neque enim ignorabat Virgilius, quam severe olim apud Veteres furtum puniri solitum esset, quamque levi de caussa, vel uno verbo furti quis argueretur. Quippe si jumentum quis aliorsum duxisset, quam quo utendum accepisset, aut longius quam

Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
Quatuor à stabulis præstanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,

Cauda

quum quem in locum petiisset, Q. item Scævola declarante, *Quod cui servandum datum est: si id usus est, sive quod utendum acceperit, ad aliam rem, atque acceperat, usus est, Furti se obligasse.* Multaque hujusmodi tum à Labeone, tum à Sabino examinata, quæ temporum illorum integritatem ostendant. Quare Servius pro ingenti scelere *furis* nomen positum ait. Hoc vero loco non tam epitheton illi monstro proprium est, quam etiam inservire tempori videtur. *Pierius.*

Ne quid inausum Aut intractatum, &c.] Juniores *intentatum* scribunt. In Romano codice, & in Mediceo, *intractatum* legitur. Nam tractare, & contrectare de furibus sæpe dictum observes. Solinus: *Dum tractat etiam ea, quæ concesserant in Arcadum jura, duce Hercule oppressus est.* Idem.

207. *Quatuor.*] Arctat Ovid. 1. Fast.

De numero tauros sensit abesse duos.

Livius nihil finiens, *partem* tantum aversam ait. Dionys. ὀλίγας τινὰς, *paucas.* Propert. nullum assignat numerum. Ceterum origo hujus voculæ *quatuor* digna est, quæ sciatur ab magistro Jul. Scal. à quo didicisse testatur Christian. Florens in Iren. Aristoph. Veteres tantum habuerunt tres numeros, ἓν, δύο, τρία. postea dixerunt, χἄτερον, pro, καὶ ἕτερον. unde corrupte *quatuor.* & deinde καὶ ἓν κὰς. unde *quinque.* sic & χἄτερα, unde *cætera.* Cerda.

Præstanti corpore.] Intellige ἐξαιρέτους, ἐξόχους, ἐκκρίτους, ut & postea, *forma superante.* Idem.

208. *Avertit.*] Erat proprium *Abegit*: sed respexit ad prædam, quæ *averti* dicitur. ut, *Raptas ad litora avertere prædas.* Servius.

Avertit.] Præclare: nam à tergo, & per caudam. Sic *aversa vulnera*, quæ in tergo accipiuntur: & *averto* est ὑπομάχαλον ἐπὶ τ̃ νώτου ἵππου, *lorum in tergo equi*; quod jam Budæus ex Græco interp. λαλεῖται δ' ἀβέβλα ἐκ τ̃ ἀποστρέφεσθαι. Usi alii hoc verbo, ut cum Stat. 11. Theb, *avertit bonus error equos.* Sed cum proprietate Maronis nemo: nam eo expressit non solum furtum, sed furti modum. A Virgilio arripuit Liv. ad rem eandem: *Aversos boves, eximium quemque pulchritudine, caudis in speluncam traxit.* Ut & Ovid. 1. Fast.

Traxerat aversos Cacus in antra ferox.

Et Prop. Eleg. 10. lib. 4.

Aversos cauda traxit in antra boves.

Martial. aliter Epigr. 66. lib. 5.

Ducere nec rectas Cacus in antra boves.

In genere autem verbum *averto*, est, quo furtum pecorum indicatur; ut cum Catull. in Nupt. Pel. *Colchis avertere pellem.* Cerda.

Forma superante.] Ea facie dictum censet Turneb. lib. 23. c. 15. qua Varro *exsuperantes viros* dixit, id est, proceros, altissimos, vel etiam fortissimos. *Taubmannus.*

209. *Atque hos.*] Quotiens masculinum & fœmininum junguntur, hæc disciplina est, ut etiam si posterius est fœmininum, masculino respondeamus. *Servius.*

Ne qua for. ped. vest. rect. —— versisque viar. indic.] Supra lib. 5. de labyrintho: *qua signa sequendi falleret indeprensus, & irremeabilis error.* Et Propert. de Caci furto: *Hinc ne certa forent manifestæ signa rapinæ, Aversos cauda traxit in antra boves.* Sic & Cicero, *exemplo*, inquit, *furum, qui, ne deprehendantur, signa commutare solent.* Admonuit autem me P. Ronsardus, flos decusque Galliæ, hymni Homeri in Mercurium, & ipse hymno dignus, ex quo Virgilius hanc de Caco contexuit fabulam,

Cauda in ſpeluncam tractos, verſiſque viarum
Indiciis raptos ſaxo occultabat opaco.
Quærenti nulla ad ſpeluncam ſigna ferebant.
Interea, cum jam ſtabulis ſaturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
Diſceſſu mugire boves, atque omne querelis
Inpleri

Jam, ut Cacus ab Hercule, ita & Maro ipſe à Ronſardo αὐτοφωρὶ deprehenſus, qui quidem his teſtibus furtum indicavit, conclamavitque. βόες ἄμβροτοι αὖλιν ἔχεσκον —— τῶν τότε Μαιάδος υἱὸς εὔσκοπος ἀργειφόντης πεντήκοντ' ἀγέλης ἀπετάμνετο βοῦς ἐριμύκους, πλανοδίας δ' ἤλαυνε διὰ ψαμαθώδεα χῶρον, ἴχνι' ἀποστρέψας, δολίης δ' οὐ λήθετο τέχνης, ἀντία ποιήσας ὁπλὰς τὰς πρόσθεν ὄπισθεν, τὰς δ' ὄπιθεν πρόσθεν, κατὰ δ' ἔμπαλιν αὐτὸς ἔβαινεν, σάνδαλα δ' αὐτίκ' ἔρριψεν ἐπὶ ψαμάθοις ἁλίῃσιν, ἄφραστ' ἠδ' ἀνόητα διέπλεκε θαυμαστὰ ἔργα. Dionyſius autem Halicarn. ἀρχ. α. videri poſſet hunc locum Græce vertiſſe; ubi Caci hiſtoriam tractat: ὀλίγας δέ τινας αὐτῶν εἰς τὸ ἄντρον, ἐν ᾧ πλησίον ὄντι ἐτύγχανε τὴν δίαιταν ποιούμενος, ἀποκρύπτεται, ἔμπαλιν τὰς κατὰ φύσιν τοῖς ζώοις πορείας, ἐπισπώμενος ἑκάστην κατ' οὐράν. τοῦτο γὰρ αὐτῷ τῶν ἐλέγχων ἀφανισμὸν ἐδύνατο παρέχειν, ἐναντίας φαινομένης τοῖς ἴχνεσι τῆς ὁδοῦ. *Germ.*

Pedibus rectis.] Pro *pedum rectorum*, dativus pro genitivo. *Servius.*

210. *Verſiſque viarum Indiciis.*] Hoc eſt veſtigiis, quod averſi trahebantur: id eſt, contra naturam injicientibus errorem indiciis. Ipſa (inquit) decipiebant indicia, quæ indicare conſueverunt. Nam *indicium* ab indicando nomen accepit. *Idem.*

211. *Saxo occultabat opaco.*] Volo obſerves variationem, & miros flexus Virgilii. Ovid. cum idem narret in Faſt. Propert. & alii, jejuni ſunt tamen collati cum hoc magiſtro. Nam in hoc audies *rupem*, *molem*, *domum*, *ſcopulum*, *ſpeluncam*, *receſſum*, *humum*, *ſaxum*, *antrum*, *montem*, *dorſum*, *ſpecum*, *Regiam*, *cavernas*, *tenebras*: item mille alia, quæ his annexa ad ornatum. Ut noſter, *ſaxo occultabat*, ita Hom. de Polyphemo 9. Odyſſ. πέτρην ἐπέθηκε θύρῃσιν. Cerda.

212. *Quærenti nulla.*] In Romano codice, & aliquot aliis, *quærentis* legitur, numero multitudinis. Non enim veriſimile eſt Herculem tantum quæſiviſſe. Sed oratio creſcit ex infinito. In Mediceo, *quærente* per modum conſequentiæ ſcriptum cum paraphraſi *Hercule*: quæ quidem ſtructura videtur ſubagreſtis. *Pierius.*

Quærenti nulla, &c.] Ovid. 1. Faſt.

Nulla videt taciti quærens veſtigia furti.

Liv. *veſtigia omnia foras verſa vidit.* Dionyſ. libr. 1. ἐναντίας φαινομένης τοῖς ἴχνεσι τῆς ὁδοῦ. *via erat veſtigiis contraria.* Eſt hoc, quod Stat. 6. Theb. *veſtigia indeprehenſa.* Alludit cum hoc excurſu ille Soph. in Antig. ubi ſepulti Polynicis nulla apparent ſigna, aut veſtigia, cum tamen ſepultus eſſe ſciatur. Late hoc Tragicus, ideo omitto. Theocrit. εἰδ. 25. dixit,

Καὶ οὐδ' ὅτι ἴχνια τοῖο φράσσασθαι δυνάμην.

Neque uſquam veſtigia illius obſervare poteram. Cerda.

Signa.] Et hic *ſigna* pro veſtigiis. *Serv.*

Diſceſſu mugire boves.] Nam & bruta quædam, familiaritatis affectum habent. *Donatus.*

215. *Diſceſſu mugire boves.*] Joſ. Scalig. ad Catull. Carm. 62. *Mugire*, *impleri*, *relinqui*, eodem tempore cenſet, quo *moveret* & *pararet*. &, *quum impleri*, *cum relinqui*, eodem modo dictum ait, ut apud Catull. *quum properare.* Sic Claudianus de Nupt. Honorii:

Quum

Inpleri nemus, & collès clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem, vaſtoque ſub antro
Mugiit, & Caci ſpem cuſtodita fefellit.

Hic

Quum procul augeri nitor, & jucundior aër

Attonitam luſtrare domum.

Creberrimum apud Salluſtium, Infinitivus modus pro Definito tempore. Qui hunc locum aliter accipiunt, Grammatici ſunt, hoc eſt, ἀκανθολόγοι, Scaligero judice. *Taubm.*

Omne querelis Inpleri nemus.] Non ut multi dicunt, quia conſortes perdiderant: ſed quia avellebantur à paſcuis. Inſita enim eſt bobus aviditas edendi. Unde eſt, *Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite juvenci*; vel certe propter ſtabulorum mutationem. *Servius.*

Omne querelis Inpleri nemus.] Lucret. 2. de vacca: *Completque querelis Frondiferum nemus*, nempe μυκηθμοῖς. *Germ.*

216. *Inpleri nemus.*] Pro *impletur* & *relinquitur*, Infinitum pro indicativo. *Servius.*

Et colles clamore relinqui.] Cum clamore: ut, *Et templum clamore petebant*; & *Atque Ixionei vento rota conſtitit orbis*, id eſt, cum vento. Et hoc eſt melius. Nam multi dicunt, *Relinquebantur colles etiam à clamore*: hoc eſt, tantum receſſerant à collibus boves, ut nec echo reſultaret, ſcilicet ad colles jam clamore non perveniente. quod non procedit: quia hoc ſenſu illud excluditur, *Reddidit una boum vocem.* Si enim tam longe fuerunt, ut nulla ratione recedentium boum mugitus colles derelictos feriret: quemadmodum incluſi bovis eſt clamor auditus ab Hercule? Alii ita in quid imago vocis evadens, tanquam relictis collibus inauditur. * *Idem.*

217. *Reddidit.*] Quaſi inclamata. *Idem.*

Una boum.] Figura Græca, μία τῶν βοῶν. *Idem.*

Reddidit una boum vocem.] Apollon. lib. 4. τοὺς δ' ἄμυδις βληχή τε δι' ἠέρος ἵκετο μήλων, μυκηθμός τε βοῶν αὐτοσχεδὸν οὔατ' ἔβαλλε· & Æſch. in Suppl. λυκόστικτον ὡς δάμαλιν ἀμπέτραις ἠλιβάτοισιν, ἀλκᾷ πίσυνος μέμυκε φράζουσα βοτῆρι μόχθους. Vocem autem tribuit & brutis poëta, nimirum inarticulatam: ſic enim definitur vox ab Ariſtot. lib. 2. De animo: ἡ δὲ φωνὴ, ψόφος τις ἐστὶν ἐμψύχου. τῶν γὰρ ἀψύχων οὐθὲν φωνεῖ, ἀλλὰ καθ' ὁμοιότητα λέγεται φωνεῖν, οἷον αὐλὸς, καὶ λύρα, καὶ ὅσα τῶν ἀψύχων ἀπότασιν ἔχει, καὶ μέλος καὶ διάλεκτον, ἔοικε γὰρ ὅτι καὶ ἡ φωνὴ ταῦτα ἔχει. πολλὰ δὲ τῶν ζώων οὐκ ἔχουσι φωνὴν, οἷον τά τε ἄναιμα, καὶ τῶν ἐναίμων οἱ ἰχθύες, καὶ τοῦτ' εὐλόγως, εἴπερ ἀέρος κίνησίς ἐστιν ὁ ψόφος, ἀλλ' οἱ λεγόμενοι φωνεῖν, οἷον ἐν τῷ ἀχελώῳ ἰχθύες, ψοφοῦσι τοῖς βραγχίοις, ἤ τινι ἑτέρῳ τοιούτῳ· φωνὴ δέ ἐστι ζώου ψόφος, καὶ οὐ τῷ τυχόντι μορίῳ, ἀλλ' ἐπεὶ πᾶν ψοφεῖ τύπτοντός τινος, καί τι, καὶ ἔν τινι, τοῦτο δέ ἐστιν ἀὴρ, εὐλόγως ἂν φωνοίη ταῦτα μόνα ὅσα δέχεται τὸν ἀέρα. Poſt autem paulo exactius etiam vocem definit, nec ſolo, ut ſupra, animati ſono ac ſtrepitu; ſed ita: ὥστε ἡ πληγὴ τοῦ ἀναπνεομένου ἀέρος ὑπὸ τῆς ἐν τούτοις τοῖς μορίοις ψυχῆς πρὸς τὴν καλουμένην ἀρτηρίαν, φωνή ἐστιν, οὐ γὰρ πᾶς ζώου ψόφος, φωνὴ, καθάπερ εἴπομεν. ἔστι γὰρ τῇ γλώττῃ ψοφεῖν, ὥσπερ οἱ βήττοντες, ἀλλὰ δεῖ ἔμψυχόν τε εἶναι τὸ τύπτον, καὶ μετὰ φαντασίας τινὸς, σημαντικός γάρ τις ψόφος ἐστὶν ἡ φωνὴ, καὶ οὐ τοῦ ἀναπνεομένου ἀέρος, ὥσπερ ἡ βήξ. *Germanus.*

Sub antro mugiit & Caci ſpem.] In antiquis pleriſque codicibus, *mugit* per ſynæreſim ſcribitur, ſive potius *I* oblongum fuerit pro gemino. *Pierius.*

218. *Mugiit.*] More ſuo, pro *mugivit*: ut, *Audiit & Triviæ longe lacus.* Servius.

Cuſtodita fefellit.] Id eſt, cum cuſtodiretur fefellit. *Idem.*

Cuſtodita.] Nihil profuit cuſtodia & aſtutia. *Donatus.*

Hic vero Alcidæ furiis exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu, nodisque gravatum
Robur; & aërii cursu petit ardua montis.
Tum primum nostri Cacum videre timentem,
Turbatumque oculis. fugit ilicet ocior Euro,

Spe-

219. *Exarserat.*] Pro *exarsit*. Serv.

Atro felle dolor.] Quo irascimur secundum Physicos, ut splene ridemus. Persius, *Sed sum petulanti splene cachinno.* Idem.

Exarserat felle dolor.] Nempe ab atra bile ἡράκλειον πάθος est: quæ & *heruica*, & *sacra passio*. De qua Aristot. Probl. 1. Sect. 30. Vide Gualter. & Lamb. ad illud Horat. 1. Od. 15.

— meum
Fervens difficili bile tumet jecur.

Simul autem verbo, *exarserat*, qualis natura sit bilis, ostendit. Sic 5. Æn.

exarsit dolor ossibus.

lib. 7. *exarsit in iras.*
lib. 11. *exarsit violentia Turni.*

Mirum vero, Poëtam in felle iracundiam ponere, quam rectius alii in corde. Certe Hom. interprete Cic. Tusc. 3.

Corque meum penitus turgescit tristibus iris.

Et noster etiam 6. Æn.

— tumida ex ira tum corda residunt.

Taubmannus.

220. *Rapit arma manu, nodisque gravatum Robur.*] Duo dixit, sagittas & clavam. & non vacat *que*. Nam si armorum Epexegesis est: *Nodisque gravatum robur*, vacat *que*. *Gravatum* autem, pro *Grave* posuit. Nam *grave* est per naturam ponderosum: *gravatum*, quod oneratur extrinsecus. Sed quidam melius *gravatum*, quam *grave* dictum volunt, quasi extrinsecus nodi sint additi. *Idem.*

Rapit.] Et non cœpit: nec passibus, sed cursu magis injuriam quam damnum dolens. *Donatus.*

221. *Robur.*] Ita & Herculis clavam vocat Valer. 1. Arg.

Magnanimus spectat pharetras, & inutile robur.

Stat. in Silv. *exitiale ferebat robur.* Facit *nodosum*, ut Ovid. *clava trinodis.* Cerda.

Aërii.] Quasi per aërem iter caperet: hoc enim indicat Poëta. Sic apud Calab. lib. 11. dicitur carpi ἠερίην οἶμον, *iter aërium*, ab his, qui Trojanos muros oppugnabant, in eosque ascendebant. *Idem.*

222. *Tum primum.*] Id est, primo Herculis beneficio. *Servius.*

Tum primum, &c.] Lege Petr. Victorium lib. 3. var. cap. 5. ubi similitudo Virgiliani loci cum Platonico, de Thrasymacho, cum primum timui. Valer. lib. 4. Arg. ubi ait,

Ille dies ægros Amyci sudoribus artus
Primus, & arenti cunctantem vidit hiatu.

dicit, Amycum pugnantem cum Polluce, tum primum timoris notas dedisse, quod nunquam prius. Addit:

Nec sua defessum noscunt loca, nec sua Regem
Agmina. —

Adjungo etiam, fortasse in illis *Cacum timentem* respectum ab ingenioso Poëta ad vocem Græcorum κακός, cui inter alia significata est etiam timor, & ignavia in bello. Unde Hom. synonymicῶς κακὸν καὶ ἄναλκιν: & Græci alii sæpe κακότητα pro ignavia. *Cerda.*

Timentem.] Hoc tria signa ostendunt: Oculi, qui omnes animi motus indicant. Cursus celerior solito: & in speluncam, non in loca aperta se contulit. *Donatus.*

223. *Turbatumque oculis.*] Ea parte turbatum, quæ proditrix mentis est. Alii *Oculi* legunt, & accipiunt à superioribus, *videre turbatum oculi.* Serv.

Ilicet.] Potest *ilicet* accipi pro *igitur*, aut *continuo*. Idem.

Fugit

Speluncamque petit: pedibus timor addidit alas.
Ut ſeſe incluſit, ruptiſque inmane catenis
Dejecit ſaxum, ferro quod & arte paterna
Pendebat, fultoſque emuniit objice poſtes;
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Acceſſum luſtrans huc ora ferebat & illuc,

Denti-

Fugit ilicet ocior Euro.] Lib. 1. Anth. Ζεφύρου ἐλαφρότερος. Nonnus l. 21. dixit πτερὸν αὔρης. Eurip. in Aulid. Achillem facit ἰσάνεμον ποδοῖν, *pedibus parem ventis.* Silius lib. 10.

Hæmonio Borea, pennaque citatior ibat.

& lib. 3. *velocior Euris.* Stat. 6. Theb. *volat ocior Euro.* Sed ſignatius omnibus Virgilius *fugit*, non *volat*; locutus enim ex natura timoris, dicente Homero 11. Iliad. φύζα φόβου κρυόεντος ἑταίρη, *fuga frigidi metus ſocia.* Et Eurip. in Ione, fugam vocat πτερόεσσαν, ab timentium alis: & Thoanti in Taur. dat ὠκὺν πόδα ἴσον πτεροῖς, *pedem celerem ſimilem alis.* Cerda.

224. *Pedibus timor addidit alas.*] Et Hom. φύζα φόβου κρυόεντος ἑταίρη. φέβεσθαι etiam Græci fugere à timore dicunt. Euripides quoque pari metaphora in Suppl. φόβος μὲ ἀναπτεροῖ dixiſſe videtur. *Germanus.*

225. *Ruptis.*] Nam celeritas ſolvere prohibuit. *Donatus.*

226. *Dejecit ſaxum.*] Hoc machinamento adjicit Poëta animum ad artificiata illa, quibus fores præcludebantur, de quibus fuſe Vitruv. Cyrillus in Michæam dixit, ἐπεκύλισε τῷ στόματι (τῆς σπηλαίου) λίθον. *advolvit lapidem ori ſpelunca.* Cerda.

Arte paterna.] Perſeverat in fabula. Sane aliter *ferro*, aliter *arte.* Servius.

227. *Emuniit.*] Yſteroproteron, fulſit ut muniti eſſent & aliter. Sicut *emuniit* & *mugiit*, pro *mugivit* & *emunivit.* Idem.

Obice poſtes.] *Hanc obicem* dicimus, ut, *Ecce maris magna claudit nos obice pontus.* Dubitant enim nonnulli utrum maſculinum ſit. *Idem.*

Emuniit objice poſtes.] In antiquis codicibus, *obice* unico *i*, de quo plura Gellius. *Pierius.*

Objice.] Ov. 1. Faſt. in hac eadem re:

Ille aditum fracti præſtruxerat objice montis,
Vix juga moviſſent quinque bis illud onus. Cerda.

228. *Tirynthius.*] A Tirynthia, ubi natus eſt, civitate, ut diximus ſupra, & eſt verſus hypermetrus. *Servius.*

Omnemque acceſſum luſtrans.] In pleriſque codicibus antiquis, non eſt verſus hypermeter, ſed *omnem acceſſum* legitur. magis tamen placet, *omnemque acceſſum luſtrans.* Pierius.

229. *Acceſſum luſtrans huc or. fer. & illuc.*] Theocr. in Herc. λεοντος. πάντη δ' ὄσσε φέρων — ἔρνος πανύφυλλον ἐρινεῶν. Et Eurip. in Phœn. ὄμμα πανταχῆ διοιστέον, κἀκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο. & Theocr. de leone omnia oculis colluſtrante, περιγλαινόμενος ὄσσοις. Hunc etiam actum, hancque contentionem oculorum ad obſervandum, Homer. Od. μ. ita expreſſit. ἔσκεμον δέ μοι ὄσσε πάντη παπταίνοντι πρὸς ἠεροειδέα πέτρην. *Germanus.*

Acceſſum luſtrans.] Sil. lib. 12. de Annibale hærente prope Neapolim,

Nunc aditus luſtrat, clauſas nunc cuſpide pulſat
Infeſta portas, fruiturque timore caventum.

Pari imagine Ovid 4. Triſt. Eleg. 1.

Sævus anhelanti mœnia luſtrat equo.

Virg. infr. *Luſtrat Aventini montem.* In his omnibus locutio ducitur à re venatoria. Qualem Soph. expreſſit in Ajace per initia, ubi Ulyſſem inducit κυνηγετοῦντα. & Ajacis ipſius μετρούμενον ἴχνη

Dentibus infrendens. ter totum fervidus ira
Lustrat Aventini montem: ter saxea tentat
Limina nequicquam: ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex, præcisis undique saxis

Spe-

ἰχνοχάραχθ', *metientem vestigia recens impressa.* & postea Ulysses ipse κεῖνον ἰχνεύω. & de se κυκλεῖν. est enim & hoc proprium venatorum. Ideo Sil. lib. 12.

Lustrat inops animi, rimatur & omnia circum.

Ubi *rimari* & *lustrare circum*, est κυκλεῖν, venatorium. Et quidem verbum *lustro* clare nos ducit ad ferarum lustra. Nam lustrare est, quod statim idem Ulysses persistens in re eadem,

Εὐθέως δ' ἐγὼ κατ' ἴχνος ἀΐσσω.
Ego vero statim persequor vestigia.

Cerda.

230. *Dentibus infrendens.*] Proprie *infrendens* est inter se comprimens dentes, nam & *frendere* significat dentibus frangere, unde & *nefrendes* infantes, quia nondum habent dentes, & Varro *frenos* hinc putat dictos: *frendere* ergo quomodo frangere, ut *fresa faba*, fracta. *Servius.*

Dentibus infrendens.] Nota irati hominis. De Hormisda Rege Persarum Simocatta lib. 4. c. 1. ὁ δὲ βασιλεὺς χαλεπαίνων τε, καὶ τρίζων τοὺς ὀδόντας. *Rex autem furens, & infrendens dentibus.* Est hoc ferme, quod de irato leone Theocritus εἰδ. 25.

— Λαμυρὰς δὲ χανὼν ὑπέδειξεν ὀδόντας.
— *hians terribiles ostendit dentes.*

Claudianus, ut notet mitem Manlium, neque iracundum esse, ait:

— *nec dentibus unquam*
Instrepit horrendum.

Adduco alterum Simocattæ locum, qui dentes, & manus conjungit cap. 4. l. 4. ὁρῶ γὰρ ὑμᾶς ἐπεντρυφῶντας τοῖς ἀδικήμασι, καὶ κροτοῦντας τὼ χεῖρε, τοῖς ὀδοῦσι δὲ τρίζοντας. *Video vos gaudentes aliorum injuriis pulsantes manibus, frendentes dentibus.* Cerda.

231. *Aventini montem.*] Ut *fontem Timavi*, *Buthroti urbem.* Servius.

232. *Ter fessus valle resedit.*] Egens consilii. Salustius, *Fessus in Pamphiliam se receperat.* Nam *corpore fatigatum* dicimus, *animo* vero *fessum*: quamvis hoc sæpe confudit auctoritas. Sane quidam sic distinguunt, *Ter saxea tentat limina*, & subjungunt, *nequicquam ter*, ac post, *fessus valle resedit*, ut semel sederit. *Idem.*

233. *Stabat acuta silex.*] Pene omnes *hunc silicem* dixerunt. Nam & Varro & Lucretius ita dixerunt. Tanta tamen est Virgilii auctoritas, ut persuadeat nobis etiam *hanc silicem* dici. *Id.*

Stabat acuta silex.] Non solum virtus, sed etiam prudentia Herculis ostenditur. *Donatus.*

Stabat acuta silex.] Ad totum hunc locum, qui de virtute Herculis disturbantis, convellentisque scopulos allusum à Silio lib. 3. his versibus:

Primus inexpertas adiit Tirynthius arces.
Scindentem nubes frangentemque ardua montis
Spectarent Superi: longisque ab origine sæclis
Intemerata gradu magna vi saxa domantem. Cerda.

Præcisis saxis.] Sil. l. 3. vocat *inaccessos aditus.* Alii *prærupta loca.* Homero sunt προβλῆτες ἀκταὶ lib. 13. Odyss. Plutarch. in Anton. similem locum vocat ἄβατον, καὶ ἀπεῤῥωγὸς πέλαγος. & in Agide χαλεπὸν καὶ δυσπρόσοδον. Simocatta lib. 5. cap. 4. ἀπρόσιτον. Polyb. lib. 3. ἐρυμνότητας, καὶ τραχύτητας. Josephus lib. 1. Bell. πετρώδη, καὶ δύσβατα χωρία. Hippoc. sect. 3. χώρην ὀρεινὴν, τρηχεῖην, ὑψηλήν. Basilius Seleucicus. τόπον οὐκ ἐπίδρομον. *Idem.*

234. Dor-

Speluncæ dorso insurgens, altissima visu;
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, & imis
Avolsam solvit radicibus: inde repente
Inpulit. inpulsu quo maximus insonat æther:
Dissul-

234. *Dorso.*] Quid frequentius hac locutione? Eurip. Iphig. in Taur. χθωνὸς νῶτα. Idem in Elect. & Plato etiam in Phæd. νῶτον οὐρανοῦ dixere. Pind. νῶτα ἰδαίου. Huic elegantiæ vicinæ aliæ. Neque enim solum Græci νῶτον de hac re, id est, *dorsum*, aut *humerum*: Eurip. Elect. γῆς αὐχένα. Herodot. αὐχένα τῆς χώρης. Simocatta lib. 1. cap. 12. ὄρους αὐχένα. Pollux etiam lib. 1. partem clavi nautici vocat αὐχένα. De altero Appollon. ῥάχιν σπηλαίου. Herodot. ῥάχις τοῦ ὄρεος. in Epig. ῥάχις γῆς. De tertio, certum est juga montium dici δειράδας ἀπὸ τῆς δειρῆς. *Idem.*

Altissima visu.] Nota Græcorum ἀκρωνύχια, *cacumina* vocari posse, quæ εἰς μέγιστον ὕψος ἐκτείνεται, *in maximam extenduntur altitudinem.* Pulchre Stat. 3. Theb. *audaci seductus in æthera dorso.* Idem.

235. *Dirarum volucrum.*] Modo *dirarum*, non mali ominis dicit, ut sunt bubones: sed quæ humanis cadaveribus vescebantur. Dixit enim, *Foribusque adfixa superbis Ora virûm, tristi pendebant pallida tabo.* Servius.

Domus.] Ita Stat. lib. 5. nidum vocat *querulam domum.* & in 9. nidum Halcyonum, *fluctivagam domum.* Sed hoc jam ex Græcis, & Latinis illustravi 2. Georg. ad illud, *Antiquasque domos avium.* Cerda.

237. *Dexter.*] Hoc est, à dextra parte consistens. *Servius.*

Nitens concussit.] Ovid. in re eadem,

Nititur hic humeris, cœlum quoque sederat illis,
Et vastum motu collabefactat onus.

Par ejus virtus prædicatur à Propert. Eleg. 10. lib. 4.

— *Ille humeris postes concussit opacos.* Cerda.

Concussit.] Solvit, impulit. Satis signatis usus est verbis. *Servius.*

238. *Radicibus.*] Pari tralatione Claud. 2. Eutrop.

Concurrere freti fauces radice revulsa.

Et Stat. lib. 5. *Ortygiam abruptam radicibus.* In Græco Epig. l. 4. Anthol. saxa, quibus constructus pons Caligulæ, dicuntur κατάρριζα ὄντα. Virg. fortasse à Lucret. qui lib. 3. *Scilicet avolsis radicibus.* Notetur duplex locutio. Prima Hom. Iliad. 20. à quo radices montis dicuntur πόδες, *pedes.* Altera Opp. qui id nominis traduxit ad mare. Nam 1. Hal. dixit ῥίζαν ἁλὸς, *radices maris.* ut & 4. ῥίζας ἁλός. *Cerda.*

Inde.] Potest esse ordinis, non loci, ut dicat *inde*, pro, *deinde.* Idem.

239. *Inpulsu quo maximus insonat æther.*] In antiquis aliquot, *intonat* habetur. Sed *insonat* in pluribus. *Pier.*

Insonat.] Vide uti à Vitruv. l. 5. c. 8. distinguantur τόποι κατηχοῦντες, περιηχοῦντες, ἀντηχοῦντες, συνηχοῦντες, id est, *loci dissonantes, circumsonantes, resonantes, consonantes.* Poëtæ tamen liberi sunt in enuntianda hac vocis & Echus responsione. Quod vel ab uno Claud. satis disces. Ille 2. Ruff. *Nemus resonat clamore, tonat Ossa, geminatur fragor pulso Olympo.* & 2. Eutrop. *Athos responsat, nemus remugit Rhodope ingeminat.* De 6. Cons. Hon. *fragor reboat, Echo intonat.* Paneg. Olib. *resultant colles.* Tertull. de Pœn. dixit, *dissiliunt montes.* Quod cognatum Virg. qui *dissultant ripæ.* Josephus cap. 11. lib. 7. Bell. συνήχει ὄρη. Cedren. συνηχούντων τῶν ὀρέων. Appollon. lib. 4.

Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.
At specus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & umbrosæ penitus patuere cavernæ:
Non

φθογγῇ ἀποτρεμέουσιν ἂν ὄρεα τηλόθι βῆσαι.

Soph. Antig. dixit *βρέμουσι ἀντιπλῆγες ἀκταί*. Sil. lib. 9. *mugitum* in re simili. Addit Virg. mira *αὔξησιν* insonuisse ætherem. Basil. Seleuciens. l. 1. locutus est ut Poëtæ; nam de simili strepitu *βοῆς εἰς αὐτὸν τὸν αἰθέρα φθασάσης*. Ovid. de ipso loquens Caco in avulso scopulo, *fragor æthera terruit ipsum*. Non insulse in Virgil. legi posset, *intonat æther*, tum ex multis aliis, tum ex Appian. qui 1. Civil. ait tantum fuisse strepitum *ὡς γενομένης βροντῆς. ac si factum esset tonitru*. Cerda.

Æther.] De etymo hujus varie. Aristot. ab æterno, & irrequieto ambitu. Quasi *ἀεὶ θέων*. Alii quasi *ἀεὶ θέρειν, καὶ θερμαίνειν*, quod semper calefiat. *Idem.*

240. *Refluitque exterritus amnis.*] Rem naturæ vertit in fabulam, cum ruina rupis in se recurrere necesse sit impetum fluminis. *Servius.*

Refluit.] Ita sup. *refluens unda substitit*. Ovid. de Istro, *in caput vertet iter*. Stat. 4. Theb. *refluus Nilus*. Plin. l. 2. cap. 303. *amnes retro fluere*. Græci rem hanc dicunt *παλίρροιαν*. Homer. 18. Iliad. *ἀψορρόου ὠκεανοῖο*. Eurip. in Med. *ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι πηγαί*. *Cerda.*

241. *At specus.*] In hoc loco spelunca significat longitudinem & interiores recessus: *Regia*, latitudinem: *Cavernæ*, coarctas angustias. Fuit spelunca, sed pro qualitate personæ dicta est regia. *Cavernas* autem dixit patuisse, id est, non solum latas partes sed angustas. *Regia*. Quia ibi tyrannidem agitaret. *Donatus.*

At specus, &c.] Versus hic factus ad imitationem Enniani illius 16. Ann.

Tum cava sub montem late specus intus patebat.

Patuit vero specus ad dejectum scopulum. Habes hujus rei imaginem in expugnatione quapiam apud Ammian. lib. 20. *Turri collapsa, cum patuisset iter in urbem*. Cerda.

At specus, & Caci.] Haud dubie hi sex consequentes ex ordine versus ducti sunt ex illis Hom. Il. υ. *ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεύς, δείσας δ' ἐκ θρόνου ἆλτο, καὶ ἴαχε μή οἱ ὕπερθε γαῖαν ἀναρρήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων, οἰκία δὲ θνητοῖσι, καὶ ἀθανάτοισι φανείη σμερδαλέ' εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ.* Quod autem, *trepident immisso lumine manes*, dixit, alludere videtur ad *ζῶα νυκτινόμα*· quæ cur lucem gravate sustineant, & ad illam conniveant, hæc est Plutarchi *αἰτιολογία*, Symp. α. probl. κ. *ἡ γὰρ ὄψις*, inquit, *αὐτῶν ὑπὸ τοῦ μεθημερινοῦ φωτὸς, ἀσθενὴς οὖσα, κατακλύζεται, καὶ κρατεῖται, μὴ δυναμένη πρὸς πολὺ καὶ ἰσχυρὸν ἀσθενοῦς κεχέννυσθαι, πρὸς δὲ τὸ ἀμαυρὸν καὶ ἀπαλόν, οἷον ἀστέρος φῶς, αὐγὴν διαρκῆ καὶ σύμμετρον ἐξίησιν, ὥστε κοινωνεῖν, καὶ συνεργεῖσθαι τὴν αἴσθησιν*, Vide in idem argumentum Aristot. lib. De animo 3. cujus est hoc quoque Metaph. δ. *ὥσπερ γὰρ καὶ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει μεθημέριον, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων*. *Germanus.*

Ingens Regia.] Regia, sicut Cacus putabat: Sic est & illud dictum, *Illa se jactet in aula Æolus*. Servius.

242. *Penitus patuere cavernæ.*] Admissum lumen est usque ad secreta speluncæ. Cavernas autem speluncæ per Tapinosim dixit. Sane veteres loca concava, vel si quid incurvum fuisset, *cavernas* appellabant. *Idem.*

Umbrosæ penitus patuere cavernæ.] Ad gustum hunc Claud. 2. Stilic.

—— penetrale profundum
Panditur & sedes, ævique arcana patescunt.

Cerda.

243. Non

Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, & regna recludat
Pallida, dîs invisa; superque inmane barathrum
Cernatur, trepidentque inmisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repente,
Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem
Desu-

243. *Non secus, ac si.*] De consecutione harum vocum vide Godesc. lib. de Ling. Lat. *Cerda.*

Si qua vi.] Terræ hiatus non nisi ex terræ motu fit, qui quoniam aut motu aquæ inferioris nascitur, aut crebris tonitribus, aut de concavis terris erumpentibus ventis: ideo ait, *Si qua vi.* Quod autem dicit: *Infernas reseret sedes*, notandum est etiam de impossibilibus fieri posse comparationem. *Servius.*

Dehiscens] Græci omnes διαῤῥαγεῖν. *Cerda.*

244. *Infernas reseret sedes, & regna recludat.*] In codicibus aliquot antiquis, *reserat* & *recludit* legitur, præsenti tempore. Sed altera lectio cultior ab eruditorum collegio judicatur. *Pier.*

245. *Diis invisa.*] Superis scilicet. *Servius.*

Diis invisa.] Inimicitiæ quidem inter θεὺς ὑρανίυς & καταχθονίυς. Plato apud Stat. lib. 8.

Quæ superum labes inimicum impegit
Averno
Æthera? quis rupit tenebras? ——

Hom. Iliad 20. ait de Diis cœlestibus στυγέυσι videlicet οἰκία Plutonis, ubi odium vides: & de Cerbero Sen. *diem invisum expuit.* Cerda.

Barathrum.] Quid proprie sit, aperit interpres Aristoph. in Plut. τὸ βάραθρον, χάσμα τι φρεατῶδες καὶ σκοτεινὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἐν ᾧ τὺς κακύργυς ἐβαλλον. *Barathrum, hiatus in Attica tenebrosus, & instar putei, quem in locum nocentes deturbabantur.* Idem.

246. *Trepident inmisso lumine.*] Lucanus, *Et subito periere die.* Servius.

Trepident inmisso lumine Manes.] In Romano codice, *trepidentque* legitur, quod & versum & sententiam replet, & numerosius sonat. *Pierius.*

Trepident inmisso lumine Manes] Vicinum hoc Notæ superiori. Timent enim manes cœli lucem. Inde minæ Magæ apud Lucanum libro sexto:

—— *tibi, pessime mundi*
Arbiter, immittam ruptis Titana cavernis,
Et subito feriere die. ——

Inde etiam apud Sen. in Fur. horror Cerberi ad visam lucem. Lege & Claud. etiam de horrore equorum Plutonis ad visum Solem. Pluto apud Stat. lib. 8. *Jucundaque offensus luce.* Claud. 1. Rap. de extremo malo, *pubes Titania vidisset cœleste jubar.* Propertius de re Caci loquens Eleg. 10. lib. 4.

Atque uni Stygias hominum junxisse
tenebras. Cerda.

247. *Insperata deprensum in luce repente.*] Lucan. 6. *Et subito feriere die.* De Cerbero Sen. *Nitor percussit oculos lucis ignotæ.* Idem.

Deprensum in luce.] In codicibus aliquot antiquis, non habetur *in.* Pier.

248. *Saxo.*] Ita vocat montis illius specum. Sic & Hom. Il. 12 πέτρην de monte. Et Epigram. 3. de scopulo maris πρὸς πέτρησι. & lib. 1. scopulum, ubi aves nidificant, πέτρην. Cicero 2. Tuscul. reddens versus Æschyli, *ex sublimi vertice saxi.* ubi per *saxum* intelligit montem Oetam. Sic capi potest illud 2. Æneidos:

Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Id est, de montis vertice. *Cerda.*

Insueta rudent.] Clamantem. Abusive dictum est, sicut supra de leonibus:

 Et

Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat, & ramis vastisque molaribus instat.

Ille

Et sera sub nocte rudentum. Nam *rudere* proprie asinorum est. Persius, *Findor ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.* Aut ideo *rudentem*, quia supra ait, *semihominis Caci.* Servius.

Insueta rudentem.] Sunt codices antiqui, in quibus *Insueta paventem* scriptum est: sed *rudentem* magis tumultum auget. *Pie. ius.*

Insueta rudentem.] Ce Caco Propert. Eleg. 10. lib. 4.

Per tria partitos qui dabat ora sonos.

Cerda.

249. *Telis premit.*] Omne quod jaci potest *telum* vocatur; dictum ἀπὸ τῆς τηλόθεν. Unde addidit, *Omniaque arma Advocat.* Servius.

Telis premit.] Sagittis fortasse, quod supra indicavi. Liv. ait, Cacum ictum fuisse clava. Accepit, credo, ab Ovid. qui,

Occupat Alcides, adductaque clava trinodis
Ter, quater adversi cædit in ora viri.

Dionys. quoque, ἡρακλῆς αὐτὸν τῷ ῥοπάλῳ κτείνει. *Hercules illum clava interficit.* Sed Virg. quidem contra Cacum *omnia arma advocat*, & conficit ferum *telis*, id est, sagittis: *ramis*, id est, clava: *vastis molaribus*, id est, saxis grandibus. *Cerda.*

250. *Ramis.*] *Ramus* hoc loco est clava Herculea: etenim Hercules cepit contra Cacum *robur nodis gravatum*, & frustra certe cepit, nisi hic interpreteris de eo robore, aut clava. Etenim si Propertio libro quarto Eleg. 10. licuit dicere,

Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus. ———

Si Propertio (inquam) licuit dicere *ramum Mænalium* pro clava Herculana, cur non Virgilio *ramos* pro clava tricuspide? Orpheus in Hymno Herculis, loquens cum illo,

Ἐξέλασον δὲ κακὰς ἄτας, κλάδον ἐν χερὶ πάλλων.

Expelle mala nocumenta vibrans ramum manu.

Lib. 4. Anth. clava Herculis dicitur ὄζος θηρολέτης, *ramus feras conficiens.* & adhuc πτόρθος μέγας, *ramus magnus.* Pausan. Corinth. ait *clavam Herculis repullulasse*, ῥόπαλον ἀναβλαστῆσαι. hoc autem proprium est rami. Vides uti clava Herculana, clare nominetur *ramus.* Virgilius voluit *ramis* in plurali, quia integra arbor gestata Herculi, cum omnibus ramalibus & radicibus, quod satis indicat Theocr. εἰδ. 25. ait enim;

Εὑρὼν, σὺν πυκινῇσιν ὁλοσχερὲς ἔσπασα ῥίζαις.

Cum invenissem, una cum densis integram avulsi radicibus.

Ab his, quæ dicta in hac Nota, sciat juventus, unde gestamen hoc Herculis dictum sit *clava*: non certe aliunde, quam à *ramo*, aut *ligno.* Non itaque probe Isidor. dixit, clavam Herculis dictam à clavis ferreis. Nihil in ea clava ferreum fuit, sed quia tota è ligno, ideo clava. Sed, quando sum in clava Herculana, dicam duo. Primum de materia. Virg. cum nominarit *robur*, videtur inclinare in roboream. Sed veritas est, eam fuisse ex oleastro: nam Theocrit. εἰδ. 25. eam vocat ἀγριέλαιον, id est, *silvestrem oleam*, atque etiam κότινον *oleastrum*, quod idem. Pausan. etiam lib. 2. ita scribit: τὸ δὲ ἡρακλέα λέγουσιν ἀνευρόντα τὸν πρὸς τῇ Σαρωνίδι κότινον, ἀπὸ τούτου τεμεῖν ῥόπαλον. *Ferunt Herculem abscidisse clavam ab oleastro, quem ad paludem Saronidem invenerit.* Unde cum Apollon. 4. Arg. hanc clavam vocat ὄζον ἐλαίης, *ramum oleæ*, explicandus est, ἀγριελαίης. & Virg. qui *robur* dixit, capiendus tantum de firmitate. Alterum est de loco, ubi inventa hæc clava. Vidisti in Pausan. ad paludem Saronidem. Prop. indicat inventam in Mænalo, qui mons in Arcadia, nam vocat *ramum Mænalium.* Apollodorus tamen lib. 1. loquens de

Hercule,

Ille autem (neque enim fuga jam super ulla pericli)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involvitque domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis; glomeratque sub antro
Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem
Præ-

Hercule, ῥόπαλον αὐτὸς ἔτεμεν ἐκ Νεμείας. *clavum ipse excidit è Nemea silva.* hæc autem in Achaia fuit. *Idem.*

Vastis molaribus.] Asperrimis saxis, non unde molæ fiunt. & secundum Homerum dixit: μυλοειδέϊ πέτρῳ. Aut certe magnis & molis convenientibus. *Servius.*

251. *Fuga jam super ulla pericli.*] In plerisque codicibus antiquis, non habetur *est* verbum. Id vero me nihil offendit adjectum. *Pierius.*

Fuga jam super ulla pericli.] Τὸ *est*, Fabric. è MSS. omittit: *super* valeat *superest*. Quomodo 7. Æn.

Si qua super fortuna laborum.

Silius:

Haud illi comitum super unus.

Taubmannus.

Fuga pericli.] Similis locus Catulli.

Nulla fugæ ratio, nulla est spes, omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia lethum.

Eurip. quoque in Alcest. οὐδ' ἔστι κρανῶν ἄκος οὐδέν. A quo proculdubio Opp. 2. Hal. ἀλλ' οὔτι κρανῶν ἄκος, οὐδ' ἀλεωρή. *Cerda.*

252. *Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu.)*] Consuetudine sua usus est, ut, cum aliquid contra naturam factum infert, prædicet unde incredibile videatur, ut *Nascenti cui tres animas Feronia mater*; *Horrendum dictu dederat.* Et *mirabile dictu*, Parenthesis. *Servius.*

Faucibus ingentem fumum, &c.] Lucretius lib. 1.

Faucibus eruptos iterum ut vis evomat ignes. Ursinus.

Faucibus ingentem fumum.] Ita de Caco Ovid.

Prima movet Cacus collata prælia dextra,
Remque ferox saxis stipitibusque gerit.
Queis ubi nil agitur, patrias male fortis ad artes
Confugit, & flammas ore sonante vomit.
Quas quoties spirat, spirare Typhoëa credas,
Et rapidum Ætnæo fulgur ab igne jaci.

Porro de isto fumante & flammato anhelitu Sil. 12. *Stygios exhalat in aëra flatus.* & de Japeto, *fumantem, ejectantem ore flammas, anhelantem igni, & sulphure.* Taurum Cretæ spirantem flammas πυρίπνοον vocat Poëta quidam l. 4. Anth. & lib. 3. hic ignitus flatus dicitur ἆσθμα πυρός. *Cerda.*

253. *Involvitque domum caligine cæca.*] Quam multis rem eandem; Hic vides: *Evomit fumum ingentem, involvit domum cæca caligine, eripit prospectum oculis, glomerat noctem fumiferam, commiscet igne tenebras, fumus plurimus agit undam, æstuat specus atra nebula, vomit in tenebris vana incendia.* Et nota, illum abstinuisse à verbis *spiro*, & *exhalo*, quia jam 1. Georg. *tauri spirantes naribus ignem.* & ibid. *quæ tenuem exhalat nebulam.* & à *subtexo*, quia jam 3. Æneid. *Cœlum subtexere fumo.* Demum ab aliis, quæ eodem lib. intulit, loquens de Encelado, & Ætna. Et (quod miror) à verbo *eructo*, quod videbatur unice dandum Caco ἐρεύγοντι fumum è faucibus. *Idem.*

255. *Fumiferam noctem.*] Non est noctis epitheton, sed quam Cacus fumum evomens faciebat. *Servius.*

Commixtis igne tenebris.] Utrumque enim evomebat. *Idem.*

256. *Non tulit.*] Non sustinuit. *Id.*

Præcipiti injecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens specus æstuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum conplexus, & angit inhærens
Elisos

Animis.] Pro ira, unde iracundos dicimus *animosos*. Servius.

Seque ipse per ignem.] Tanto ad ultionem fervore properans, Caci contempsit incendia, nam intrepidus se per ea jecit, nec ipsam loci altitudinem metuens. *Donatus*.

Per ignem.] Per eam rem, unde ille sperabat auxilium. *Servius*.

257. *Qua plurimus undam Fumus agit.*] In antiquis aliquot codic. *quo*. Pier.

Undam.] Datur hæc fumo, & igni, ut 2. Georg. *Undantem Ætnam*. & alias. Hic notetur locus Tertul. Apolog. *Lucernis vestibula enubilabant*. & Pers. Sat. 5. *nebulam vomuere lucernæ*. Ita enim nebula datur lucernis, ut unda ignibus. Utrunque enim aqueum. *Cerda*.

Undam.] Vaporem torrentis ritu exundantem. Nam *Undam* pro copia & affluentia varie usurpari, docet Gifan. Collectan. Lucret. *Taubm*.

259. *Incendia vana.*] Vana quantum ad Herculem pertinet. *Servius*.

Incendia vana.] Vel, quia frustraneum hoc munimen contra Herculem: vel potius, quia vere vana, ut in quibus fumi multum, ignis parum. *Cerda*.

In nodum conplexus.] Id est, ligat complexu, & nodo brachiorum. Nonn. lib. 21. χαλκέῳ δεσμῷ. *Valido membrorum vinculo*. Lucan. lib. 4. *Herculeos nodos* dixit. Ambros. de Virginit. *matrem stringentem nodo manus*. Itaque nodus præclare ad signandam strictionem. Sen. in Furen. *arctos nodos* de serpentibus; ut etiam de iisdem 2. Æneid. *divellere nodos*. & Theoc. εἰδ. 24. δεσμὸν etiam de serpentibus. Et non dubium, quin Virg. alluserit ad *Herculanum nodum*. Hos nodos brachiorum Herculis Sil lib. 3. *nexum* vocat, *nexuque elisa leonis ora*. Cic. 2. Tusc. ait leonem extinctum *pressu* Herculis. Stat. 2. Theb. *attrita*. Eurip. in Hercul. βραχίονος ἀγχόναισι. Itaque *nodos* illos vocabis *nexum*, *pressum*, *attritum*, ἀγχόνην. Lucanus lib. 4. copiosus est in explicandis his amplexibus Herculis, loquens de Antæo. Signatiora sunt; *alligat terga*, *arctat medium compressis ilibus*, *hæret pressis membris*, *stringit pectora*. Pulchre certe Ovid. 9. Metamorph. *forcipem* vocat, cum ait, *ceu guttura forcipe pressus*. Idem.

260. *Corripit in nodum conplexus.*] Manibus complexus constrictum tenet. *In nodum* autem valet, in nodi modum Turneb. lib. 19, 29. & lib. 14. cap. 40. Alluditur fortasse ad *Herculanum nodum*, qui arctissimus erat. Gr. λυγισμός. *Taub*.

Conplexus.] Respondere videtur Græcorum τῷ ἀγκὰς ἑλών. Est enim, ut Eustathius interpretatur, ἀγκὰς περιπλεχθῆναι. Nam, ut ipse inquit, ἀγκὰς ἀλλήλων λαμβάνειν λέγονται οἱ παλαίοντες παρ' ὁμήρῳ. *Germanus*.

Angit inhærens Elisos oculos, &c.] *Angit guttur*, bene dicimus; *angit oculos*, non procedit. Ergo *angit* ad unam rem pertinet: ut, *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis*. Nam fortuna non discitur. Unde multi *Elidens* legunt, & integer sensus est. Nam *elisos* solœcophanes est: ut sit ita, *Angit guttur, & elisos oculos facit*. Servius.

Angit.] Videlicet gutture, vel ex verbo *ango*, ut Græci ἄγχω. Itaque presso gutture, oculos Caco elisit. Sic Nonnus lib. 25. ait datam necem leoni ab Hercule ἀσίδηρον, *sine ferro*, tantum λέοντι βραχίονα λοξὸν ἑλίξας, *circumdans brachium leoni*. Itaque hoc est, quod de Hercule l. 4. Epig. ἀγχόμενον παλάμαις. Et de Antæo ibid. ἔχε παμονηδίον ἐν παλαμάαν & de leone Dio Chrys. Orat. 64. ἄγξας ἔπνιξε. & quod

Elisos oculos & siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revolsis:
Abstractæque boves abjuratæque rapinæ
Cælo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur. nequeunt expleri corda tuendo
Terri-

quod Stat. 4. Theb.

— rabidi cum colla minantia monstri
Angeret, & tumidos animam angustaret in artus. Cerda.

261. *Et siccum sanguine guttur.*] Per hoc jam exanime cadaver ostenditur. *Servius.*

Siccum sanguine guttur.] Ita in 9. *Et sicca sanguine fauces.* Cerda.

262. *Foribus domus atra revolsis.*] In codicibus aliquot, *reclusis* legitur: quod est admodum leve tanto in conatu. Quare magis placet *revolsis*, ut in Romano, & aliquot aliis probatioribus habetur. *Pierius.*

263. *Abjurataque rapinæ.*] *Abjurare* est rem creditam negare perjurio: sed hoc isti loco non congruit. Unde modo *abjuratas rapinas* contra jus retentas intelligamus. Alii *abjuratas*, abductas atque alieni juris factas, alii fraude & furto abductas tradunt. *Serv.*

Abjuratæ rapinæ.] More Græcorum, qui ἀπομνύναι καὶ ἀπόμνυσθαι, τὸ ἀποφατικῶς ὀμνύειν, ἤγουν ἐνόρκως ἀποφάσκειν· ἐπομνύναι δὲ τὸ καταφατικῶς ὀμνύναι. vide Eustath. *Germanus.*

Abjurataque rapinæ.] Dionys. historiam narrans de juramento tacet: tantum ait, rogatum Cacum respondisse, boves à se non visas. Virgilius perjurium addit ad augendum crimen, ad eum modum, quo Symm. epist. 86. lib. 2. *Partem pretii emptor abjurat.* Et Claud. 6. Hon.

Abjurata palam Libyæ possederat arva.

Notat Collect. Symb. ex Scipione Gentili, esse *abjuratum*, quod emptum est, & non solutum, imo abnegatum. Et has ipsas boves Plato in Protag. vocat ἀπεχάτως. *Cerda.*

264. *Cælo ostenduntur.*] Aspirat huc Stat. 1. Theb. de Oedip. deformato ab oculis erutis:

Tum vacuos orbes, crudum & miserabile vitæ
Supplicium ostentat cœlo, manibusque cruentis
Pulsat inane solum. —

Idem.

Pedibusque, &c.] Juvenal. Sat. 5.

Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponêre foras. —

Erasm. Chil. 2. Cent. 1. cap. 18. ait, *pedibus trahi*, dici de victis, sumpta locutione vel ab historia Vulcani, quem Juppiter dejecit de cœlo ποδὸς τεταγών. Vel ab Hectoris, quem illigatum pedibus equi raptarunt. Hinc itaque lux Virgilio, & Juvenali. *Idem.*

Informe cadaver.] *Informe*, magnum, cujus formam non sit facile complecti: & *cadaver* est corpus nondum sepultum: dictum *cadaver*, quod careat honore sepulturæ. *Servius.*

265. *Nequeunt expleri corda tuendo Terribilis oculos.*] Non poterant homines videndo cadaver, sua corda satiare. *Tuendo* autem pro *intuendo*. Idem.

Nequeunt expleri corda tuendo.] Stat. 1. Theb. perpetuus Virg. imitator,

— juvat ire, & visere juxta
Liventes in morte oculos, uterique nefandam
Proluviem, & crasso squallentia pectora tabo.

Et post pauca:

— nequit iram explere potestas.

Latet & in Virg. Homeri imitatio 22. Il. ubi Græci, interfecto Hectore, currunt visuri illum, admirantur ejus staturam, & speciem. Valer. lib. 4. *Ipse etiam expleri victor nequit.* Cerda.

266. *Ter-*

Terribilis oculos; voltum, villosaque sætis
Pectora semiferi, atque exstinctos faucibus ignis.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem, primusque Potitius auctor,

Et

266. *Terribilis oculos.*] Hanc notam deformitatis post mortem dat Stat. Capaneo, & Suetonius Neroni. Prior 11. Theb.

Iste jacet lattra complexus fragmina turris
Torvus adhuc visu. —

Posterior cap. 29. Principem mortuum exhibet *exstantibus, rigentibusque oculis usque ad horrorem, formidinemque visentium.* Iterum Stat. 3. Theb.

Servantem vultus, & torvum in morte peracta.

Lucan. lib. 5. *Torquet adhuc oculos.* Ovidius 8. Metamorph.

Immanemque feram multa tellure jacentem
Mirantes spectant, neque adhuc contingere tutum
Esse putant. —

Claud. 3. Rapt.

— *& adhuc crudele minantur*
Affixæ facies truncis. —

Florus lib. 1. *Relictæ in vultibus minæ, & in ipsa morte ira vivebat.* Sallust. de Catil. interfecto: *Ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens.* Poëta hanc terribilitatem unis oculis attribuit, ut in quibus sedes irarum. De oculis enim Joan. Chrys. Orat. Pelagiæ Virg. δριμὺ καὶ φοβερόν. aciem illorum πικρὸν καὶ ἄκρατον vocat Plut. in Sylla. Eurip. Phœniss. ὄμμασι γοργός. *Cerda.*

Villosaque sætis, &c.] Hoc Homerus ad virilitatem, fortitudinemque retulit, Il. δ. ἐν δέ οἱ ἦτορ στήθεσσιν λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν· Sophocl. in Trachin. Nessum δασύστερνον vocat: & ut hic *Cacum semiferum*, ita & eadem fabula Nessum ipsum θῆρα. *Germanus.*

267. *Semiferi.*] Bene *semiferi*, cum supra semihominis. *Serv.*

268. *Lætique minores.*] Nove & satis licenter *Minores* dixit, cum ab ipso Euandro Herculem constet esse susceptum: & *minores* non dicamus, nisi quotiens graduum deficit nomen, ut puta, filius, nepos, pronepos, abnepos. Ubi isti gradus defecerint, merito jam dicimus *minores*: sicut etiam *majores* dicimus post patris, avi, proavi, abavi, atavique vocabulum. Ergo *minores* accipimus pro deinceps, vel certe *minores*, cum quibus vivit, quia ipsum constat esse longævum, nam post ait, *O mihi præteritos referat si Juppiter annos.* Servius.

Minores.] Loquitur Virg. cum respectu ad reliquam ætatem, & ideo probe *minores*. Hoc novum in Poëtis non est. Itaque non discedit Poëta à significato hujus vocis. Proprie enim *minores*, qui ultra trinepotes: sicuti *majores*, qui ultra tritavum. Sic, cum postea dicit, *domus Pinaria*, loquitur procul dubio cum respectu ad ætatem posteram, sicut & Liv. Nam clarum est, assumptum ab Hercule unum è Pinariis, ut unum quoque è Potitiis; non totam Pinariorum familiam. Quod efficax argumentum contra Servium. *Cerda.*

269. *Primusque Potitius auctor, Et domus Herculei custos Pinaria sacri.*] Apud majores nostros raro advenæ suscipiebantur, nisi haberent jus hospitii. Incertum enim erat, quo animo venirent. Unde etiam Hercules primum ab Euandro non est susceptus: postea vero, cum se & Jovis filium dixisset, & morte Caci virtutem suam probasset, & susceptus, & pro numine habitus est. Denique ara est ei maxima consecrata, quod Herculi Delphicus Apollo in Italia fore prædixerat. Cum ergo de suo armento ad sua sacrificia boves dedisset, inventi sunt duo senes, vel, ut quidam tradunt, ab Euandro dati Pinarius

Et domus Herculei custos Pinaria sacri

Hanc

rius & Potitius: quibus, qualiter se coli vellet, ostendit: scilicet ut mane & vespere ei sacrificaretur. Perfecto itaque matutino sacrificio, cum circa solis occasum essent sacra repetenda, Potitius prior advenit, Pinarius postea, extis jam redditis. Unde iratus Hercules, statuit ut Pinariorum familia tantum ministra esset epulantibus Potitiis & complentibus sacra. Unde & *Pinarii* dicti sunt ἀπὸ τῆς πείνας, id est, à fame. Nam senem illum Pinarium constat alio nomine nuncupatum. Hinc est quod paulo post Potitii tantum facit commemorationem. Ut, *primusque Potitius ibat.* Quod autem dicit, *Domus Herculei custos.* Hoc est, ministra, ut in undecimo, *At Triviæ custos jam dudum in montibus Opis Alta sedet*, id est, ministra. Alii *custos Pinaria sacri* dicunt, quod cum ara maxima vicino incendio conflagraret, à Pinariis liberata sit, & ideo *custos sacri.* *Auctor* vero *Potitius* quare? num quod sine familia Potitiorum sacra ista non fiebant, donec illos Appius Clodius corrupit pecunia, ut servos publicos hoc sacrum docerent, propter quod dicitur & ipse mox cæcus factus, & Potitiorum familia intra breve tempus extincta. Quidam tradunt ideo *custos*, quod Potitii sacra publica servis publicis prodiderint, & quamvis tradatur eos ideo ad sacra Herculis non admitti, quod serius venerint, & ideo *custos*, quoniam nec prodendi habuerint facultatem, & id quasi religioso dictum est, quod ignorantiæ eventus attulerat, tamen habent Ciceronem auctorem, qui in De domo sua, Pinarium Nattam appellans, sic dicit, *Quem ego tamen credo sic est ortus ab illis, quos memoriæ proditum est ab ipso Hercule perfuncto laboribus sacra didicisse.* Quidam etiam tradunt ideo Potitiis ab Hercule sacra commissa, quod cum ipse Hercules rem divinam faciebat, ipsum Herculem fortuito invocasset Potitius, fertur tunc Herculem accepto omine divinitatis, rejecto Pinario, perpetuæ epulationis sacrum Potitio tradidisse, à quo videbatur consecratus, & *Potitius* dici, quod eorum auctor epulis sacris potitus sit; *Pinarius* quod eis, sicut dictum est, fames epularum sacrarum indicta sit, hoc enim eis Hercules dixisse dicitur, ὑμεῖς δὲ πεινάσετε. *Servius.*

Primusque Potitius auctor.] Ex eo Livii, ubi de ara Herculis agit: *Forte ita evenit, ut Potitii ad tempus præsto essent, iisque exta potirentur, Pinarii ad ceteram dapem venirent:* infert Nannius Potitios à potiendo, Pinarios ἀπὸ τῆς πεινᾶν dictos: quod certe ex illo Plutarchi ἐν ῥωμαϊκοῖς approbo, διὰ τί δυοῖν βωμῶν ἡρακλέους ὄντων, οὐ μεταλαμβάνουσι γυναῖκες, οὐδὲ γεύονται τῶν ἐπὶ τοῦ μείζονος θυομένων; πότερον ὅτι τῶν ἱερῶν αἱ περὶ τὴν καρμένταν ὑστέρησαν, ὑστέρησε δὲ καὶ τὸ πιναρίων γένος, ὅθεν εἰργόμενοι τῆς θοίνης ἑστιωμένων τῶν ἄλλων, πινάριοι προσηγορεύθησαν, ἢ διὰ τὰ μυθολογούμενα περὶ τοῦ χιτῶνος, καὶ τῆς δηϊανείρας. *Germanus.*

270. *Et domus Herculei custos, &c.*] Asper κατὰ διαστολὴν, inquit, Potitiorum, qui ab Appio Claudio præmio corrupti, sacra servis publicis prodiderunt. Sed Veratius Pontificalis, in eo libro, quem fecit *de Supplicationibus*, ita ait: Pinariis, qui novissimi comeso prandio venissent, cum jam manus pransores lavarent, præcepisse Herculem, ne quid postea ipsi, aut progenies ipsorum ex decima gustarent, sacranda sibi: sed ministrandi tantummodo caussa, non ad epulas convenirent. Quasi ministrantes ergo *sacri custodes* vocari: ut ipse Virgil. Æneid. 11. *At triviæ custos jam dudum in montibus Opis*, id est, ministra. Nisi forte custodem dixit eam, quæ se prohibuerit & continuerit à sacris, ut ipse Georg. 4.

Et custos furum, atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

Hic utique custodem prohibitorem avium, furumque significat: Macrob. Saturnal.

Hanc aram luco statuit. quæ Maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper.
Quare agite, ô juvenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris,
Com-

Saturnal. lib. 3. cap. 8. *Pontanus.*

Domus Pinaria.] A Pino, secundum quosdam, filiæ Numæ Pompilii, ut docet Plutarch. in Numa. *Germanus.*

271. *Luco.*] Templum enim nondum habuerat Hercules: sed aram tantummodo, ut diximus supra. *Servius.*

Maxima.] Ingens enim est ara Herculis, sicut videmus hodieque post januas Circi maximi. Alii *maximam* ideo dicunt, quia illo tempore omnibus erat honore potior, quam sibi Hercules, postquam se à matre Euandri Jovis filium esse & immortalem futurum cognovit, statuit. *Idem.*

Quæ maxima semper.] Hæc est illa ara, quæ in Herculis honorem extructa, de qua Propert. Eleg. 19. lib. 4.

Maxima quæ gregibus devota est ara repertis.

Sed præstat audire verba Livii, quæ ore Euandri ad Herculem: *Jove nate, Hercules, salve, te mihi mater veridica interpres Deûm auctorum cœlestium numerum cecinit, tibique aram hîc dicatum iri, quam opulentissima in terris gens* MAXIMAM *vocet, tuoque ritu colat. Dextra Hercules data, accipere se omen, impleturumque fata, ara condita, atque dicata ait.* Habes aram Maximam à Livio. Rationem, cur ita dicta, quam ille tacuit, exhibet Dionys. quia videlicet cum aras multas haberet in Italia Hercules (adeo ut rarus esset locus, ubi is non coleretur) hæc inter ceteras veneratione erat præcipua. Nam & dejerationes fiebant per eam, conventionesque, quibus voluissent plurimum firmitatis inesse. Dionys. ὁ δὲ βωμὸς, ἐφ' ᾧ τὰς δεκάτας ἐπέθυσεν Ἡρακλῆς, καλεῖται μὲν ὑπὸ ῥωμαίων Μέγιστος. *Ara, ubi decimas sacrificavit Hercules, vocatur à Romanis Maxima.* Notabis Ovidium, & Tacitum oppositos esse. Nam ille 1. Fast.

Constituitque sibi, quæ Maxima dicitur, aram.

Hic ubi pars vobis de bove nomen habet.

Ubi vides, Herculem sibi aram statuisse. Scriptor vero 15. Annal. *Magna ara, fanumque, quæ præsenti Herculi Arcas Euander sacraverat.* Sed utrumque esse verum poterit, cum uterque operam dederit his sacris. *Cerda.*

272. *Erit quæ maxima.*] Repetitio verbi ad honorem & potestatem pertinet. *Servius.*

Erit quæ maxima semper.] Eadem geminatione Propert. lib. 4. Eleg. 10.

Maxima quæ gregibus devota est ara repertis

Ara per has (inquit) *Maxima facta manus.*

Cerda.

273. *In munere.*] Non tam in officio, quam in honore hic accipiendum. *Servius.*

In munere.] *Munus* dicitur cura unius cujusque rei perficiendæ imposita cum necessitate faciendi. *Donatus.*

274. *Porgite dextris.*] Præbete invicem pocula: & est Homeri, τὰς μὲν ἄρα χρυσείοισι κυπέλλοις οἱ δ' ἀχαιῶν δειδέχατ' ἄλλοθεν ἄλλος. Id est, propinate mutuo; An divisæ sunt personæ, ut, *Cingite fronde comas*, ad convivas referatur: *pocula porgite*, ad ministros. *Servius.*

Pocula porgite dextris.] In codicibus aliquot antiquis, *spargite* legitur: sed *porgite* magis receptum. *Pierius.*

Porgite.] Stat. 2. Silv. *porxit.* Sil. 9. *porgebat.* Val. 2. Arg. *porgens carchesia.* Fest. *exporgere* pro *exporrigere.* Titinnius (citante Nonnio) *exporge frontem.* Par illud apud Varr. 2. Rust. cap. 1. *subduxe.* & Teren. Adelp. *produxe.* Horat. Sat. 9. lib. 1. *surrexe.* & Sat. 3. l. 2. *surpite.*

Communemque vocate deum, & date vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor cum populus umbra
Vela-

surpite. & Od. 13. lib. 4. *surpuerat*; quod acceptum à Lucret. qui *surpere*. Plaut. Asin. *surruit pallam*, pro, *surripuit*. Et Heraldus in Arnob. agnoscit *surgere*, pro *surrigere*. Porro, sciri velim, verbum *porrigo* esse conviviale, quod apparet ex Virg. hic, & Valerio jam adducto; & Ovid. 2. Art. *pocula porrige*. Itaque respondebit τοῖς ἐκτείνειν, ἐπιβάλλειν, ὀρέγειν, quæ variis locis Athen. attribuit convivantibus: & τῷ περιτείνειν, quo usus Plut. in vita Alex. φιάλην περιτείνειν. *Cerda*.

275. *Communemque vocate Deum.*] Aut quia Argivus est Hercules, ut supra dixit Æneas, tam Græcos quam Trojanos de uno sanguinis fonte descendere: aut *communem deum* dixit, inter deos atque homines; unde medius fidius dictus. Aut utriusque naturæ medium, id est, inter mortalitatem & divinitatem. Sunt enim numina aliqua tantum cœlestia, aliqua tantum terrestria, aliqua media; quos deos Apulejus *Medioximos* vocat, hoc est qui ex hominibus dii fiunt. Alii *communem deum* ideo dictum volunt, quia secundum pontificalem ritum idem est Hercules, qui & Mars. Nam & stellam Chaldæis dicentibus unam habere dicuntur, & novimus *Martem communem* dici: Cicero, *Martemque communem*. Virgilius, *Et dis communibus aras*. Item paulo post, dat Salios Herculi, quos Martis esse non dubium est. Alii *communem*, humanum, beneficum, φιλάνθρωπον, unde & *communes homines* dicimus. Varro dicit *deos alios esse qui ab initio certi & sempiterni sunt, alios qui immortales ex hominibus facti sunt*, & de his ipsis alios esse privatos, alios communes: *privatos*, quos unaquæque gens colit, ut nos Faunum; Thebani Amfiaraum; Lacedæmonii Tindareum: *communes*, quos universi, ut Castorem, Pollucem, Liberum, Herculem. *Servius*.

Communemque vocate deum.] Ut per conjunctionem fœderum se Trojanis commixtum ostenderet, vel quia supra ostendit Æneas Trojæ & Arcadiæ populos iisdem parentibus genitos. *Donatus*.

Date vina.] Quia tantum diis superis vina libari decebat. *Servius*.

Date vina.] Respuo Servianam commentationem hanc: *Date vina: quia tantum Diis Superis vina libari decebat.* nam apud Apollon. lib. 2. Iason, cum primum Colchos appulit, vinum fudit, non solum in honorem Telluris, ac Deorum Patriorum, sed etiam ψυχαῖς καμόντων ἡρώων. *animabus mortuorum Heroum.* Apud Plaut. etiam Lar Familiaris ait:

Huic filia una est: ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliqui semper
supplicat.

Atqui Lares esse, quos Dionys. lib. 4. vocat τοὺς κατ' οἰκίαν ἥρωας, certum est, id est, *Heroës domorum*. Inde illos Priscian. interpretatur θεοὺς κατοικιδίους, quia præsunt domibus. Intelligebant vero Gentiles per θεοὺς ἥρωας, *animas defunctorum*, qui domos olim habitassent, & mortui tueri easdem crederentur. *Cerda*.

Date vina volentes.] Vel quia obsequia non accipiuntur, nisi plena voluntate fuerint persoluta: vel quia inimicus aliquando Trojæ Hercules fuit. *Donatus*.

176. *Herculea populus.*] Herculi consecrata, qui cum ad inferos descendens fatigaretur labore, dicitur de hac arbore corona facta caput velasse: unde foliorum pars temporibus cohærens, & capiti, abluit sudorem: pars vero exterior propter inferorum colorem nigra permansit. Et honeste ait, *Pependit populus*, id est, corona de populo. Atqui lauro coronari solebant, qui apud aram maximam sacra faciebant, sed hoc post urbem conditam cœpit fieri, neque

Velavitque comas, foliisque innexa pependit:
Et sacer inplevit dextram scyphus. ocius omnes
In

que alia fronde circundat caput prætor Urbanus, qui Græco ritu sacrificat. Sed Poëta ad illud tempus retulit, quo Euander apud aram maximam sacra celebravit. Varro enim rerum humanarum docet in Aventino institutum Lauretum, de quo proximo monte decerpta laurus sumebatur ad sacra, quamvis ipse dixerit, *Populus Alcidæ gratissima.* Servius.

Herculea.] Nam populus Herculi sacra: ut 2. G. ỳs. 66.

— *Herculeæque arbos umbrosa coronæ.*

Bicolor dicitur, quia cum Hercules ab inferis rediret, hanc primam arborem dicitur contemplatus esse, & se inde coronasse, conveniente colore arboris illi eventui, quo à tenebris in lucem commeavit. Ovid. & *olea bicolor.* Taubm.

Bicolor populus.] Poëta capiendus, non de corona facta ex utraque populo, alba, & nigra, sed tantum de alba. Roges: si *alba* tantum, qui *bicolor*? Audi Ovidium, qui de olea,

Ponitur hic bicolor sinceræ bacca Minervæ.

Atqui olea non alba, & nigra. Ergo ut Ovid. oleam vocat *bicolorem*, ita Maro populum. Et uterque capiendus de discrimine illo, quod est inter utramque faciem. Ita Petron. *olivas in altera parte albas, in altera nigras.* Stat. præclare 2. Silv. notans hoc discrimen dixit *discolor umbra populus.* Ut Virg. 6. *Discolor unde auri per ramos aura refulsit.* videlicet color diffidens in uno eodemque loco. In Pers. Sat. 3. *bicolor membrana* est, introrsum candida, extrorsum purpurea, aut lutea. Itaque, una & eadem membrana dicitur *bicolor.* quia Tibull. Eleg. 2. l. 3.

Lutea sed niveum involvat membrana libellum.

Aut purpuream, quia Martial. Epigr. 5. lib. 11.

Et jam purpureis dat tertia nomina fastis.

Juvat etiam Servius, qui de Hercule: *Cum ad inferos descendens fatigaretur labore, dicitur, de hac arbore corona facta, caput velasse: unde foliorum pars temporibus cohærens, & capiti, abluit sudorem; pars vero exterior, propter inferorum colorem, nigra permansit.* Demum Virgilii *bicolor*, idem est, quod Ovid. 10. Metamorph. *acerque coloribus impar.* Cerda.

277. *Rependit.*] Non hoc referas ad pendentes lemniscos; nam nulli in hac corona: tantum est honesta, & poëtica locutio. *Idem.*

278. *Sacer inplevit dextram scyphus.*] Legitur in libris antiquis Herculem ad Italiam ingens ligneum poculum adtulisse, quo utebatur in sacris: quod ne carie consumeretur, pice oblitum servabatur, cujus magnitudinem & religionem simul significat dicendo, *Inplevit dextram sacer scyphus.* Scypho prætor in anno semel vino libabat, neque hoc sine sacra fiebant. Possumus & illud accipere, quod inter munera deorum etiam pocula sunt. Salustius, *Hi sunt secundum pocula & alias res aureas, diis sacrata instrumenta cum pino mercantur.* * Servius.

Et sacer inplevit dextram scyphus.] *Sacer* ideo posuit, quia quibus sacrorum cura est, habent dicata numinibus vasa, quibus obsequia divina perficiunt. *Don.*

Et sacer inplevit dextram scyphus.] In codicibus aliquot antiquis, legere est *& dextram implevit sanctus scyphus.* Sed vulgata lectio receptior. *Pierius.*

Scyphus.] Proprie: nam *scyphus* vas est Herculis. Plutar. in vita Alex. ad finem. σκύφον Ἡρακλέους, *scyphum Herculis.* Sen. in Epist. *Alexandrum intemperantia bibendi, & ille Herculaneus, ac fatalis scyphus perdidit.* Stesichorus loquens de Hercule,

Σκυφίον δὲ λαβὼν δέπας ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον
Πίεν ἐπισχόμενος, τό ῥά οἱ παρέθηκε φίλος κεράσας.

Scy-

In mensam læti libant, divosque precantur.
Devexo interea propior fit vesper Olympo:
Jamque sacerdotes primusque Potitius ibant
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.

Instau-

Scyphum accepit, vas plenum, capaxque
trium lagenarum,
Bibit, exhausitque; quod & Pholus miscuit & præbuit.

Apud Eurip. Alcest. ipsemet Hercules meminit sui σκύφου. Affertur vero scyphus, quia, ut dicebam, vas capacissimum, & in secunda mensa & libationibus res fiebat poculis largissimis. *Cerda.*

279. *In mensam læti libant.*]Hoc est, *date vina volentes.* Quæritur sane cur in mensam & non in aram libaverint? Sed apud antiquos inter vasorum supellectilem, etiam mensam cum aris mos erat consecrari, quo die templum consecrabatur, unde bene ait, *In mensam læti libant*, quam constabat cum ara maxima dedicatam, ut alibi, *Mensæque deorum.* Servius.

Læti libant.] Hoc est *læti libant*, quod est *& volentis.* qui enim sacra numinibus solvit, nec invitus debet esse nec tristis. *Donatus.*

In mensam læti libant.] Videlicet effusa aliqua parte vini è patera in mensam. Ex eodem more in 1. dixit, *in mensam laticum libavit honorem.* Et Sil. lib. 11. —— *ante omnes ductor honori*
Numinis augusto libat carchesia ritu.
Cætera quem sequitur, Bacchique ex more liquorem
Irrorat mensis turba. ——

Sed quæ ratio hujus moris? Quia veteribus mensa pro ara fuit, & sacrum quiddam. Inde, sicut Diis libabatur, ita & mensæ. ut apte hic Servius. Vide Scal. in Festum, & Lips. lib. 3. Antiq. Lect. Oppugnat posterior, imo ridet Macrobium interpretantem Virgilium lib. 3. Sat. cap. 11. secus, ac par est. Non ego moror Nascimbænum, atque Hortensium hærentes Macrobio. Porro mori huic annexus cottabus. Vel enim in mensam aliquid vini effundebatur, vel in pavimentum: si in mensam, dicebatur σπένδειν, & λείβειν, si in pavimentum, κοτταβίζειν. *Cerda.*

280. *Devexo Olympo.*] Inclinato in noctem cœlo. *Servius.*

282. *Pellibus in morem cincti.*] Aut in morem Herculis: aut certe secundum morem sacerdotum: aut quia Pan Deus Arcadiæ pelleus sit, unde Euander. *Idem.*

Pellibus in morem cincti.] Hunc morem peto ab Eurip. Bacch. ubi in re sacra loquens de duobus senibus bacchantibus,

Θύρσους ἀνάπτειν, καὶ νεβρῶν δορὰς ἔχειν,
Στεφανοῦν τε κρᾶτα κισσίνοις βλαστήμασι.

Thyrsos ligare, & agnorum pelles habere,
Et coronare caput hederaceis germinibus.

Sil. etiam lib. 3. sacra exhibet cum cinctione nebridis. Ergo, ut Bacchi ministri incincti nebride, ita credamus Sacerdotes Herculis usos λεοντῆ in ejus sacris: & *cincti* ait; nam hic habitus sacrorum. Stat. 5. Silv.

Verbera succincti formidavere Luperci.

Cerda.

Flammasque ferebant.] In codicibus aliquot antiquis, *flammam* numero unitatis. *Pierius.*

Flammasque ferebant.] Hæ quoque ex more sacrorum. Curt. de Alexandro lib. 3. *Multis collucentibus facibus, patrio more, sacrificium Diis præsidibus loci fecit.* Ovid. 3. Fast.

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Femina lucentes portat ab urbe faces.

Stat. 1. Theb.

Centum ibi virgineis vota Calidonides aris
Astreas tibi rite faces, & ab arbore castra

Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,

Popu-

Nectent purpureas niveo discrimine vittas.

Apul. lib. extremo in re sacra: *Ad manum dextram gerebat flammis adultam facem.* Cerda.

283. *Instaurant.*] Integrant, & renovant. Varr. *Instaurare, quasi instar novare.* Itaque cautior Virgilius Valerio lib. 5. Arg. nam hic absolute, *instaurant mensas.* Sed Virg. Secundis tantum attribuit. Esse vero verbum sacrorum, liquidum ex Livio, qui sæpe attribuit sacris ludis, videlicet libris 29. 31. 37. & sæpe alibi, ut & Tacitus. *Idem.*

Et mensæ grata secundæ Dona ferunt.] Quia, ut dixi, una carnis fuerat, altera pomorum; *mensæ* autem *secundæ* quæ sunt alioquin gratæ. *Servius.*

Mensæ secundæ.] Secundæ mensæ mentio sparsa apud plures scriptores. Sed præsertim videndus Ath. lib. 14. Græci nominant δευτέρας τραπέζας· & Ath. explicat verbo ἐπιδειπνῆσαι. quasi *iterum cœnare.* Inde est, ut etiam dicantur ἐπιδειπνίδες, quæ vox usurpata Martiali Epig. 32. lib. 11. & τράπεζαι ἐπιδόρπαι, & ἐπιδορπίσματα, atque etiam ἐπιφορήματα. Ab Platone (teste Athen.) dicuntur ἐπιτραπεζώματα. Natæ omnes istæ voces ab secundo loco, quo illatæ hæ mensæ. Intelligebant vero antiqui *secundæ mensæ* nomine cibos omnes delicatiores ex saccaro, aut melle (verius ex melle tantum; nam saccarum non ita in usu veterum) qui post quietem inferebantur ad gulam de novo excitandam; tum etiam omnis generis poma. Dulcia illa Græci vocant τραγάλια, πέμματα, τραγήματα, Latini *bellaria.* Ath. observat, adeo gratas fuisse mensas secundas, ut à nonnullis non τράπεζαι δεύτεραι, sed absolute τράπεζαι dicerentur κατ' ἐξοχήν, ut quæ sua suavitate tantum dici mensæ mererentur. Vide & de secundis mensis Plutar. in Cleomene.

Ab uno, quod sciam, Martiali fit mentio tertiæ etiam mensæ: in loco enim advocato, ita ait:

Has prima feret, alterave cœna,
Has cœna tibi tertia reponet.

Cerda.

284. *Cumulantque oneratis lancibus aras.*] Id est, reddunt exta. *Servius.*

285. *Salii.*] *Salii* sunt, qui tripudiantes aras circumibant. Saltabant autem ritu veteri armati, post victoriam Tiburtinorum de Volscis. Sunt autem Salii Martis & Herculis, quoniam Chaldæi stellam Martis Herculem dicunt, quos Varro sequitur, & Tiburtes Salios etiam dicaverant. Quidam hos à saltu appellatos tradunt, quos alii à Numa institutos, ut arma ancilia portantes saltarent: Ergo bene à saltu appellati; horum numerum Hostilius addidit: nam duo sunt genera Saliorum, sicut in Saliaribus carminibus invenitur, Collini, & Quirinales à Numa instituti, ab Hostilio vero Pavorii & Pallorii instituti. habuerunt sane & Tusculani Salios ante Romanos. Alii dicunt Salium quendam Arcadem fuisse, qui Trojanis junctus hunc ludum in sacris instituerit: nonnulli tamen hos à Dardano institutos volunt, qui Samothracibus diis sacra persolverent. Quidam etiam dicunt Salios à Morrio rege Vejentanorum institutos, ut Alesus Neptuni filius eorum carmine laudaretur, qui ejusdem regis familiæ auctor ultimus fuit. *Idem.*

Salii.] *Scaliger ad Catull.* Omnes (inquit) ludii & saltatores, qui ad cantum & tibiam in sacris ludunt, *Salii & Salisubsuli* dicuntur. ut hic *Salii* simpliciter sunt ludii ad sacra Herculis saltantes. qui enim primi ἐνόπλιον ὄρχησιν, doctore Ænea, in Italia saltarunt, *Salii* dicti sunt. Quare frustra hic argutatur Macrobius, (l. 3. 12.) dum quærit quare Salios Herculi attribuit Virgilius potius

Populeis adſunt evincti tempora ramis;
Hic juvenum chorus, ille ſenum; qui carmine laudes
Herculeas & facta ferant: ut prima novercæ
Monſtra

tius quam Marti. Itaque recte ὑμνῳδὸς *Salius* vertitur à vetere Gloſſario. unde & Virgil. dixit *Salios ad cantum*, ut Propert. *Paſtor ad baculum*. κατ' ἐξοχὴν autem Ludii Martis dicuntur *Salii*, & Mars ipſe *Saliſubſulus*, &c. Hæc ille. Vide & Turneb. l. 13. 8. & Servium Dan. Fuere autem Saliorum duo chori: *Senum*, qui tantum voce laudes Herculis exſequebantur: *juvenum*, qui geſtu corporis facta ejus monſtrabant. Lacedæmone vero tres erant chori: puerorum, juvenum, ſenum. De quis Plutarch. Lycurgo. Ejuſmodi autem ςίχυς ἐπὶ θυσιῶν ἡρακλέας *axamenta* vocabant. De quibus Feſtus & in eund. Scaliger. Series autem Laborum Herculis affabre ſculpta eſt in ſcuto Euryali apud Calabr. lib. 6. *Taubm.*

286. *Populeis, &c.*] Arbore quippe Herculea. Stat. 3. Silv. de hoc Deo,

Populeaque movens albantia tempora ſilva.

Inde Claud. dicturus laudes Herculis:

Pone habitum, quo mollis amas, & frondis amatæ
Linque nemus, molliquè exſutus tempora lauro,
Populea mecum carmen luctare ſub umbra.

Theocrit. in Pharm. λεύκαν, id eſt, *populum*, dicit eſſe ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος, *Herculis ſacram plantam.* Quin nulla alia ratio, cur magni Heroes (ut apud Horat. Od. 3. lib. 2. Teucer) populeas geſtarent coronas, quam ad imitationem fortiſſimi Herois. Ergo, ut Baſſarides, Satyri, Sileni miniſtri Bacchi coronabantur hedera, corymbis, pampynis: ut Gratiæ apud Martian. lib. 2. roſis, nam illæ miniſtræ Veneris, & roſa ipſa eſt Veneris: ut Cyrenenſes (quod eſt apud Macrob. lib. 1. cap. 7.) ficis cum ſacrum faciunt Saturno, quia ficus Saturni eſt: ita pari conſecutione miniſtri Herculis populo Herculea. Tertull. vero complectitur omnes arbores ſacras Herculi. In libr. de Cor. *Hercules nunc populum capite præfert, nunc oleaſtrum, nunc apium.* Cerda.

Evincti tempora ramis.] In codicibus aliquot antiquis, *& vincti* legitur, quod non ita placet. *Pierius.*

287. *Hic juvenum chorus, ille ſenum.*] Neque quidem placet, quod in nonnullis codicibus *atque ſenum* legitur, admiſſa Servii diſtinctione. *Idem.*

288. *Laudes Herculeas, & facta ferunt.*] Senes tantum voce laudes Herculis exſequebantur: Juvenes & geſtu corporis ejus facta monſtrabant. Unde ibi immorandum eſt, *Hic juvenum chorus*; ut Salii juvenibus conveniunt, carmina ad ſenes pertinent. Et bene *Senes* facta Herculis canunt, quorum ætas ſcire & intereſſe geſtis Herculis potuit, antequam hic ab hominibus tranſiret ad deos. Sane quæritur cur huic deo operto capite ſacrum fiat. Legitur enim in libris antiquioribus his verbis, *Mihi detecto vertice cuncti Sacrificant.* Id facit obſervatio ne in æde Herculis ejus habitum imitaretur. Signum enim ejus operto capite eſt. Conſtat autem ante adventum Æneæ in Italiam, aram Herculi conſecratam, ab Ænea vero morem operiendorum capitum inductum, ſicut ait, *Purpureo adopertus amictu.* Servius.

Ferunt.] Alii, *ferant*, quod præfero. *Cerda.*

Prima novercæ Monſtra.] Bene, *Prima.* nam & alia omnia Junonis inſidiis pertulit. Fabula autem hoc habet, Hercules natus eſt cum Iphiclo Amphitryonis filio: ſed cum Juno duos ſerpentes immiſiſſet Herculi, Iphiclus de cunis terrore lapſus ſuo vagitu excitavit parentes: qui cum ſurrexiſſent, viderunt Herculem angentem manibus angues immiſſos ei novercalibus odiis. *Servius.*

Monstra manu, geminosque premens eliserit anguis;
Ut bello egregias idem disjecerit urbis
Trojamque OEchaliamque: ut duros mille labores

Rege

Novercæ Monstra.] Claud. de laudibus Herculis:

—— datur inde novercæ
Materies, gravibusque odiis augmenta ministrat,
Quod vinci cœpisse pudet: Mox improba binos
In tua membra jubet, dum nasceris, ire dracones.

Pind. etiam Od. 1. Nem. loquens de Junone, πέμπε δράκοντας. *Cerda.*

Novercæ Monstra.] Plaut. Amphitr. act. 5. sc. 1. Theocrit. in *Herculisco.* Mart. lib. 14.

Elidit geminos infans, nec respicit, angues. Taubm.

Prima novercæ Monstra, &c.] Totidem fere verbis Statius lib. 3. Silv. in Herc. Furent. ℣ſ. 48.

—— cum prima novercæ
Monstra manu premeres, atque exanimata doleres.

Sidon. Epithal. Polem.

Parvulus, hic gemino cinctus serpente novercæ
Inscius arridet monstris, ludumque putando,
Insidias, dum nescit, amat: vultuque dolentis
Extingui deflet, quos ipse interficit, angues.

Elidere autem hoc loco est *suffocare* vel *occidere*, ut Nonius exponit. *Emm.*

289. *Eliserit.*] Præfocaverit. Et hunc versum junge, unum est enim, *monstra* & *angues.* Servius.

Disjecerit urbe.] In vetustis aliquot codicibus, *dejecerit* legitur. Sed majorem vim & impetum ostendit *disjecerit.* Pierius.

Disjecerit urbis.] Legendum hic *disjecerit*, non *dejecerit.* & sic quoque partim ex veteribus libris, partim scriptorum auctoritate scribit apud Ovidium Nicolaus Heinsius lib. 12. Metam. ℣ſ. 209.

Nam certe valuit, vel cum Lyrnesia primus
Mœnia disjeci.

ad quem locum eum vide. *Emmeness.*

291. *Trojamque.*] Ut supra diximus, Trojam Hercules evertit propter negatos sibi à Laomedonte equos divino semine procreatos, & Esionæ nuptias, quam a ceto liberaverat, necato patre ejus Laomedonte. Sane Critici frustra culpant Virgil. quod præsentibus Trojanis, Trojæ laudare introduxit excidium, non respicientes quia hoc ratio fecit hymnorum, quibus aliquid subtrahere sacrilegium est. Alii magis hoc in solatium Æneæ cantatum posse accipi tradunt, nam quod Herculi datur, Græcis aufertur, & potest obliteratus dolor videri præteritus, quando ad fatalem terram perventum est, sicut alibi ait Æneas, *Illic fas regna resurgere Trojæ*, ut ibi jam dixerat, *Salve fatis mihi debita tellus*, quia expectatus venerat solo Laurenti arvisque Latinis. *Serv.*

Trojamque.] Hom. 5. Il. loquens de Hercule:

Ἰλίου ἐξαλάπαξε πόλιν, χήρωσε δ᾽ ἀγυιάς.

Ilii civitatem diripuit; viduavit vias.

Calab. etiam lib. 1. ait, expugnatam à Græcis Trojam, ἅμ᾽ Ἡρακλῆϊ δαΐφρονι, *una cum forti Hercule.* Cerda.

OEchaliamque.] *OEchalia* civitas in Eubœa insula fuit, cujus Eurytus rex Iolem filiam Herculi denegavit, victori certamine sagittarum ante promissam, ideo quod eum fuerat filius dehortatus, dicens ab Hercule & Megæram uxorem, & ex ea filios interemptos, quod factum fuerat Junonis instinctu. Unde iratus Hercules propter nuptias sibi denegatas, eversa civitate interemit Eurytum & Iolem sustulit. *S.*

OEchaliam.] Ovid. Epist.

Gratulor Oechaliam titulis accedere nostris.

Et 4.

Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ,
Pertulerit. tu nubigenas, invicte, bimembris
Hylæumque Pholumque manu, tu Cresia mactas
Pro-

Et 4. de Pont.

Alcides capta traxit ab Oechalia (laudem.) *Cerda.*

Ut duros mille labores.] In Romano codice, *& duros*, quod non æque placet. *Pierius.*

Duros mille labores.] A qualitate, *duros*; à quantitate, *Mille*, Taubm.

Mille.] Pro multis. *Servius.*

292. *Rege sub Eurystheo.*] Hujus asperrima imperia sustinuerat Hercules voluntate Junonis. Nam hoc est quod dicit, *Fatis Junonis*, id est, voluntate: vel certe responsis, quæ Eurystheo in Herculem dederat: & quidam bono auspicio, *Fatis Junonis*, posi tum volunt; hoc est, quam etiam Trojani gravem sustinent, ut dei jubentur exemplo, qui tam multis ejus instinctu subjacuerit ærumnis: virtute tamen ad divinitatem pervenerit. *Idem.*

Fatis.] Horat. *fatalem laborem* dixit de Hercule epist. 1. lib. 2. *Cerda.*

293. *Nubigenas.*] De Ixione & Nube procreatos Centauros, ut superius diximus. Pindarus, ipsum, cum equas pasceret, incestasse eas, inde Centauros natos dicit. *Servius.*

Nubigenas.] De pugna Herculis contra Centauros pulchrum est Græcum Epig. lib. 4. in Herculem vino captum.

Οὗτ☉ ὁ νῦν ὕπνῳ βεβαρημέν☉, ἠδὲ κυπέλλῳ,
Κενταύρους νήφων οἰνοβαρεῖς ὄλεσεν,

Qui nunc est gravis somno & vino,
Sobrius vicit ebrios Centauros.

Pausan. Heliac. prior. modum pugnæ adjungit; ait enim Herculem τοξεύοντα Κενταύρους. & in Lacon. meminit pugnæ singularis Herculis cum Orejo Centauro. *Cerda.*

Nubigenas.] De Ixione & Nube procreatos. etiam 7. Æn. ṽs. 685. *nubigenas Centauros* dixit. Ov. 12. Met. Fab. 5.
— *descunt germani cæde bimembres.* Taubmannus.

Bimembris.] Mitto Stat. qui *bimembres* cum Poëta libris 1. & 12. Silium lib. 3. Claudianum 7. Ruff. Cornificium indicatum à Macrob. lib. 6. cap. 5. & adduco aliorum flexus. Cic. 2. Tusc. *biformato impetu Centaurorum.* Manil. lib. 1. *Mistus equo.* iterum: *tergo pectus commissus equino.* Claud. 1. Ruff. *cognatis aptavit equis.* Stat. 4. Theb. *duplex Hylæus.* Cic. ex Soph. 2. Tusc. *bicorporem manum*, id est, exercitum bicorporeorum. Demum Manil. de Capricorno, *duplici formatus imagine.* Notetur locus Stat. 9. Theb. qui Centauris dat duplicem animam, equi unam, hominis alteram. *Cerda.*

294. *Hylæumque Pholumque.*] Hylæum Theseus occidit. Pholus vero Herculem suscepit hospitio, eo tempore, quo ad pugnandos Centauros esset profectus. Lucanus: *Hospes & Alcidæ magni Phole.* Unde apparet per poëticam licentiam nomina esse pro nominibus posita. Alii Pholum non abhorrere à vera historia tradunt, Pholus enim, dum miratur sagittas Herculis, quibus tot Centauros interfecerat, una ex illis in pedem ejus decidit, cujus vulnere sanari non potuit. *Servius.*

Cresia mactas Prodigia.] *Mactas*, bene ad leonem, quem interemit, refertur. Nam Cretensem taurum non mactavit: sed cum eum incolumem ad Eurystheum perduxisset, ille cum, licet flammas vomuisse dictus sit, inlectus pulchritudine, in Atticam regionem reliquit: Qui cum Marathonem vastaret, à Theseo postea occisus est. Uno tamen verbo utrumque sæpe concluditur, aliquotiens una pars, ut: *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis.* Alii *mactas*, ad Centauros sicut ad Leonem referri volunt. *Idem.*

Cresia Prodigia.] Sic & Theoc. εἰδ. 25. leonem Nemæum vocat τέρας. & eundem

Prodigia, & vastum Nemea sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te janitor Orci

Ossa

dem Panasis, βεμβινήταο πελώρου. Taurus ideo prodigiosus, quia flammivomus. Lib. 4. Epig. inter labores Herculis:

—— Ἐκ Κρήτης δὲ πυρίπνοον ταῦρον.

Fuit vero hic taurus in urbe Cnosso. Pauf. Heliac. priorib. inter labores Herculis, καὶ τὸν ἐν Κνωσσῷ ταῦρον. Sed Poëta generatim Cretam maluit. Servius verba Poetæ refert ad leonem, non ad taurum, ἀτόπως. Ratio illius, quam omitto, nulla est: nam fabulæ liberæ sunt. Neque etiam quadrant Cressia prodigia cum leone Nemæo ex distantia locorum. Præterea, Marathonius taurus, quem Theseus interfecit, nihil ad Cretam. Est enim Maratho in Achaia. Itaque, alius est taurus Herculis, alius Thesei: ille in Creta interfectus, hic in Attica; quod clare scribit Isocrat. attingens res Thesei in encomio Heleuæ. *Cerda.*

495. *Prodigia.*] Hanc vocem duci à verbo *prodico*, certum ab Tullio 2. de Nat. ubi ait: *Ostendi, monstrari, portendi, prodici: ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur:* Itaque legendum in Tullio *prodici*, non *prædici*. Idem.

Nemea sub rupe.] Nemea silva est vicina Thebis, in qua Hercules interemit leonem, qui Luinæ filius & invulnerabilis dictus est. *Nemeæ* autem anapæstus est. Nam & *Ne*, & *me* breves sunt. *Servius.*

Nemea sub rupe leonem.] In Romano codice, *Nemea* legitur. Sed enim Servius *Nemeæ* legendum ostendit, quia *Nemæus* derivativum sit: Apud Græcos tamen utrunque reperitur ὁ νέμεος, καὶ ὁ νεμαῖος, ut observatum à Grammaticis. Est etiam in Romano codice, *semensa*, pro *semesa* errore illo familiari. *Pierius.*

Leonem.] Hunc leonem à Chimæra uno partu editum & Sphingem auctor est Hesiod. ἡ δ' ἄρα σφίγγ' ὀλοὴν τέκε καδμείοισιν ὄλεθρον, ὄρθῳ ὑποδμηθεῖσα, νεμειαῖόν τε λέοντα, τόν ῥ' ἥρη θρέψασα διος κυδρὴ παράκοιτις γουνοῖσιν κατένασσε νεμείης πῆμ' ἀνθρώποις, ἔνθ' ἄρ' ὅγ' οἰκείων ἐλεφαίρετο φῦλ' ἀνθρώπων, κοιρανέων τρητοῖο νεμείης —— ἀλλά ἑ ἲς ἐδάμασσε βίης ἡρακληείης. *Germ.*

Nemea sub rupe leonem.] Ferunt fabulæ, latuisse leonem hunc in antro. Ergo, *sub rupe*, id est, in antro rupis. Stat. 3. Silv. *& formidatus Nemees ager*; quia ab antro leo excurreret in vicina arva, & lib. 4. *Nemees frondentis alumnus.* Sen. in Fur. *Nemeæ timor.* & in Oet. *Nemæi mali: Nemæa pestis.* Pind. quoque huic feræ dat ἄλσος. Sicut Euripid. in Furent. Διὸς ἄλσος. ἠρήμωσε λέοντος. Pauf. Heliac. prior. τὸν λέοντα ἐν Νεμέᾳ. Theoc. εἰδ. 25. Νεμέου θηρός. Hesiod. Theog. Νεμειαῖον λέοντα. Sed quidem Val. pro interprete Virg. est; nam quod hic *sub rupe*, ille clare *antrum*, cum ait lib. 8.

Talis ab Inachiis Nemeæ Tirynthius antris.

Atque etiam Pausan. Corinth. ubi ait, videri suo adhuc ævo Nemei leonis σπήλαιον. *antrum.* & Theocrit. εἰδ. 25. ubi,

Θηρίον, αἰνολέοντα, κακὸν τέρας ἀγροιώταις,
Κοίλην αὖλιν ἔχοντα Διὸς Νεμέοιο πὰρ ἄλσος·

Feram, sævum leonem, malum monstrum agricolis.
Cavum domicilium habentem in nemore Jovis Nemæi.

Digna sunt, quæ legantur duo Epigrammata lib. 5. Anthol. Initium primi μηκέτι ταυροβόροιο. Alterius: ἐκ Νεμέης ὁ λέων. *Cerda.*

296. *Stygii tremuere lacus.*] Id est, Inferni, quo tempore descendit ad rapiendum Cerberum. *Servius.*

Tremuere lacus.] *Tremor* aquarum est. Græci illis dant ταραχήν. & Hom. ταράσσετο πόντος. & Ov. in Can epist.

Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura.

Ergo,

Ossa super recubans antro semesa cruento:
Nec te ullæ facies, non terruit ipse Typhoëus
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem
Lernæus

Ergo, Virgil. ita aquis dedit humanum affectum, ut non recederet à proprietate illarum. *Cerda.*

Janitor Orci.] Multus est in his Sen. in Furente. In Poëta est ἐξήγησις. Nam ideo *lacus tremuere*, quia Cerberus. Pausan. in Hel. prior. τὸν κύνα τοῦ ᾅδου, inter labores Herculis reponit. Et in Arcad. loquens de Eurystheo ex vet. Poëta:

Εὖ τέ μιν εἰς Ἀΐδαο πυλάρταο προύπεμψεν
Ἐξ Ἐρέβευς ἄξοντα κύνα στυγεροῦ Ἀΐδαο.
Tunc, ipsum indomiti demisit in atria Ditis,
Colla canis traheret furvi quo Regis ab aula. Idem.

297. *Ossa super recubans.*] Aut ad terrorem dictum est: aut certe illud est quod supra diximus Cerberum esse terram, quæ corpora sepulta consumit. Nam inde *Cerberus* dictus est quasi κρεοβόρος. Alii pueriliter volunt à Cerbero Amphiarai ossa consumi, qui hiatu terræ secundum fabulas descendit ad inferos. *Servius.*

Ossa super recubans semesa.] De Cerbero similiter Statius lib. 3. Theb. ℣ſ.

Illos ut cæco recubans in limine sensit
Cerberus, atque omnes capitum subrexit hiatus,
Sævus & intranti populo: jam nigra tumebat
Colla minax, jam sparsa solo turbaverat ossa.

Ut autem hoc loco *semesa ossa*, sic apud Sil. l. 6.

—— semesa jacebant
Ossa solo informi.

& *semesa viscera* apud Ovid. l. 6. metam. ℣ſ. 664.

—— si possit, reserato pectore, diras
Egerere inde dapes, semesaque viscera gestit.

qui locus è vett. Codd. nitori pristino est restitutus ab Nicolao Heinsio; nam ante eum perperam legebatur: *demersa viscera.* Emmeness.

Semesa cruento.] *Semensum* non dicimus, sicut nec *ensum*: nam *esum* facit & *comesum.* *Servius.*

298. *Nec te ullæ facies.*] *Facies*, id est, species, more suo, vel periculorum vices multæ, ut, *Nova mi facies,* &c. *Quæ scelerum facies*, subauditur tamen *terruêre.* Idem.

Ullæ facies.] Quæ stabulantur in aditu inferorum, Æneid. 6. vel, periculorum vices. *Taubm.*

Non terruit ipse Typhoëus Arduus, arma tenens.] Et hoc poëtice. Nam si interemit Centauros, quemadmodum etiam Gigantum interfuit prælio, qui ante innumeros annos fuisse dicuntur? Ergo *Non terruit*, pro *non terreret* vel *terruisset*, ut sit, *Nec te Typhœus ipsè terreret.* Servius.

Typhoëus.] Ὁ Τυφωεύς. De formatione talium vide Indicem Erythr. *Taubmannus.*

299. *Non te rationis egentem.*] Liptotes figura. Nam minus dixit, & plus intelligimus. hoc enim dicit, Prudentissimum te non circumvenit. *Servius.*

Rationis egentem.] Ab Lucret. credo, qui lib. 4. *præstat rationis egentem.* Ab his alii. Nam Manil. lib. 2. *rationis eget.* Stat. 3. Theb. *rationis egebit.* & l. 1. flexu alio, *rationis inops.* Hom. ἀμηχανίαν. Vulgus Græcorum, ἀπορίαν, διαπορίαν. Statius transfert ad res alias, ut cum ait lib. 5. *egentem sanguinis ensem.* & 1. *nec stirpis egemus*, id est, sumus nobiles. Cui in 5. opponit directe,

Obscurum proavis, & priscæ lucis egentem. Cerda.

Rationis egentem.] Consternatum de statu mentis dejectum, & consili inopem, ἀμηχανοῦντα, q. d. *Hydra* λέρνας μυριόκρανος te non expavefecit, neque consternavit: ut notat Turneb. lib. 24, cap. 26. & 40. *Taubm.*

Lernæus turba capitum circumstetit anguis.

Salve,

300. *Lernæus anguis.*] Id est, Hydra. *Servius.*

Lernæus.] Ab palude, ubi hic anguis. Eurip. in Herc. *ὕδραν ἕλειον*, quasi dicas *hydram palustrem.* Cerda.

Turba capitum.] Et est talis figura, qualis *Munera nec sperno*, aliis amphibolia videtur. * Si non te Lernæus turba egentem capitum anguis remanet rationis egentem ordinaveris remanet Lernæus t. c. c. a. si est non eguisti ratione cum te Lernæus anguis circumstetit capitum turba * Præter hæc quæ Herculem hoc loco Poëta fecisse memoravit. Alia facta Herculis hæc sunt, Superatus aper Erymanthius, post cerva, item Stymfalides aves, quæ alumnæ Martis fuisse dicuntur, quæ hoc periculum regionibus inrogabant, quod cum essent plurimæ volantes, tantum plumarum de se emittebant, ut homimines & animalia necarent, agros & semina omnia cooperirent. Inde ovilia Elidensium regis, quæ stercore animalium congesto, pestilentiam tam suis quam vicinis regionibus creaverant, immisso Alfeo flumine repurgavit, & regionibus salubritate reddita, ipsum regem, negata sibi mercede, interemit, inde equos Diomedis Thracis, qui humanis carnibus vescebantur, abduxit, inde ab Hippolytæ cingulum petendum perrexit, eamque, ablato cingulo, superavit. Ad Geryonem autem, sicut jam supra dictum est, navi ænea navigavit, tergo leonis velificans, ibique primum canem Echidnes filium peremit, deinde Eurytiona pastorem Martis filium, novissime Geryonem, cujus abduxit armenta. Item ad Hesperidas perrexit & Anthæum filium terræ victum luctatione necavit. Inde in Ægypto Busiridem necavit, qui advenientes hospites immolare consueverat, post Prometheum Jovis imperio in Caucaso monte religatum, occisa sagittis aquila, liberavit. Acheloum etiam fluvium, qui se propter Deianiram OEnei filiam certando cum Hercule in formas varias commutabat, mutatum in taurum, avulso ab illo cornu, victoria cedere compulit, post Lycum regem, qui, se apud inferos constituto, Megaram uxorem ejus tentaverat, reversus peremit, propter cujus necem Juno ei insaniam misit, & uxorem necavit ac filios, qui post receptam sanitatem cum expiationem parricidii ab Apolline petisset, nec ab eo responsa meruisset, ita concitus cortinam ipsam & tripodem Apollinis sustulit, ob quod iratus Juppiter eum Omfalæ servire præcepit. Cujus finis humanitatis talis fuit, cum Deianiram conjugem per fluvium, in quo Nessus Centauros commeantes transvehebat, etiam Hercules transvehere vellet, ausus est Nessus occulte Deianiram de stupro interpellare, quod cum Hercules agnovisset, Nessum peremit, sed Nessus moriens Deianiram monuit, ut sanguinem suum exceptum servaret, & si quando advertisset Herculem altera fœmina delectari, sanguine ipso vestem inlitam marito daret, per quam vindicari possit. Sed Deianira, cum audisset maritum Jolen Euriti OEcaliensis amare filiam, vestem tinctam Nessi sanguine Lichæ servo dedit ad eam perferendam, qui cum Herculi in OEta occurrisset, munus uxoris tradidit, quam cum ille Jovi sacrificaturus induisset, tanto corporis ardore correptus est, ut, non invento remedio, pyram constrㄩi juberet, donatisque Philoctetæ sagittis, peteret ab eo, ut cremaretur, quo facto, inter deos relatus est. *Servius.*

Turba capitum.] In Græco Epig. l. 4. *πολυκάρηνον ὄφιν.* & in alio, *πολυαύχενον ὕδρην.* Eurip. in Herc. *μυριόκρανον*, & *παλιμβλαστῆ ὕδραν.* Plato in Euthydemo, & Pausan. Corint. de eadem, *πολλὰς κεφαλάς.* Horat. Od. 4. lib. 4. hanc numerositatem expressit verbo *crevit*: ut etiam Ovid. *nec profuit hydræ crescere.* Idem statim aliter, *geminas-*

Salve, vera Jovis proles, decus addite divis:
Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.
Exin

geminasque resumere vires. Sen. Oct. *Hydram centum anguibus.* & in Furen. *numerosum malum.* Arnob. lib. 1. *multiplicium capitum superavit, compescuitque natrices.* Mart. Epig. 104. lib. 9. *fœcundam hydram.* Propert. usus numero multitudinis Eleg. 24. lib. 2. *Lernæas hydras.* Euripid. in Hercul. certo, sed magno numero, ἑκατογκέφαλυ ὕδρας, ubi dat centum capita; explica, multa: nam idem in Bacch. πολύκρανος δράκων. His omnibus nescio quid altius *turba capitum.* Ait Paus. Corinth. ex quopiam, vere huic monstro unum caput fuisse; sed à Pisandro Poëta data multa capita, quo & fera terribilior, & carmina sua plus dignitatis habere viderentur. Et quidem Aratus Phænom. tantum dixit, ὕδρης κεφαλή. *Cerda.*

Circumsteterit.] Quia *turba.* Idem omnino, quod Sen. Oct. *Centum anguibus vallatus.* Et est sensus: Non te premi sivisti, non es pavefactus. Idem.

301. *Salve.*] Hic *Salve* sic dictum est ut alibi, *Sis felix*, hic divus fidius solus dicitur, quod solus fidem fecit se Jovis filium. *Servius.*

Vera Jovis proles.] Nullus enim humano sanguine procreatus tanta perficeret. *Idem.*

Decus addite divis.] Eodem plane sensu Horat. Od. 19. lib. 2. de Ariadna relata in cœlum,

Eas & beatæ conjugis additum
Stellis honorem. ——

Eadem phrasi Stat. 3. Theb. *decus addere.* Val. 4. Arg. de Iside, *jam Divis addita*, Auson. Mosell. *magnoque honor additus amni.* Notat Germ. Herculem ab Luciano dici μέτοικον, id est, παρέγγραπτον, quasi cooptatum in Deorum numerum. *Cerda.*

302. *Dexter adi.*] Id est, propitius. *Servius.*

Dexter adi.] Cur Poëta *dexter*? quia dextra omnia propitia & fausta. Interpres Aristophanis in Equit. ad verba illa, καὶ τ̃ θεατῶν ἐστι ἐπὶ δεξιὸς, explicat: δεξιὸς, ἀγαθὸς, εὔνυς ἡμῖν. *Dexter, bonus, benevolus nobis.* Sic Juvenal. Sat. 10. *dextro Jove.* Ovid. 5. Trist. Eleg. 4. *dextro Apolline.* Plut. in vita Arati, Ἀπόλλωνα ὑπερδέξιον. Et uni imprimis Herculi datum hoc: nam Virgil. hic, *dexter adi.* Pers. Sat. 2. *Dextro Hercule.* Horat. Sat. 6. lib. 2. *Amico Hercule.* Contra Dii sinistri, aut lævi, de quibus locutus Arnob. lib. 4. *Dii lævi sinistrarum regionum sunt præsides, & inimici partium dexterarum,* & Virg. *Numina læva.* Cerda.

Pede secundo.] Omine prospero. *Servius.*

Pede secundo.] Omine prospero. ita 10. Æn.

—*Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.*
Taubmannus.

303. *Super omnia Caci, &c.*] Id est, hoc factum laudant ultra omnia. Et sic est dictum, ut est, *Et te super omnia dona Unum oro.* Et bene quantum ad ipsos pertinet, rem majorem & sibi utiliorem servare post omnia: quia ita sæpe fit, ut ea, quæ in præsente aguntur, fabulis omnibus postea addantur, & quæ expetierant potiora videantur ignotis, & fides habeatur illis, quæ audierant, & his, quæ viderant. *Servius.*

305. *Consonat omne nemus strepitu.*] Adnecto his Pind. Od. 10. Olymp. ἀείδετο δὲ πᾶν τέμενος τερπναῖσι θαλίαις, τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον. *Personat totum nemus jucundis conviviis, laudatorium in modum.* & Od. 1. Pyth. πάντα δὲ χορὶ παρθένων, λυρᾶν τε βοαὶ, καναν-

Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. ibat rex obsitus ævo,
Et comitem Ænean juxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabat.
Miratur, facilisque oculos fert omnia circum
Æneas,

καναχαί τ' αὐλῶν δονέονται. *Chori virginum circumquaque, lyrarumque clamores, & strepitus tibiarum volutantur.* Et Calabrum, qui lib. 4. post celebratum convivium Deorum ita canit:

—ἐπετέρπετο δ' ὄρεα πάντα,
Καὶ ποταμοί, καὶ θῆρες, ἰαίνετο δ' ἄφθιτος αἰθήρ.
Ἄντρα τε Χείρωνος περικαλλέα, &c.—
—*lætabantur montes omnes,*
Et fluvii, & feræ, exultabat & immortalis æther,
Atque etiam perpulchra Chironis antra. — Cerda.

Collesque resultant.] Ammian. l. 19. *Resultabant altrinsecus exortis clamoribus colles.* Indicatur hoc verbo, quid sit Echo; est enim vocis resultantia. Plato in Phædro: καὶ οἷον πνεῦμα, ἤ τις ἠχὼ ἀπὸ λείων τε, καὶ στερεῶν ἁλλομένη, πάλιν, ὅθεν ὡρμήθη, φέρεται. *Ac veluti aër, & Echo à levibus solidisque repulsa corporibus, eodem, unde venerunt, iterum reflectuntur.* Idem.

306. *Divinis rebus Perfectis.*] Forte ab Lucret. lib. 1.
Solemni more sacrorum perfecto.
Simile & Theocritus εἰδ. 25.
Τὼ δ' εἰς ἄστυ, λιπόντε καταῦθι πίονας ἀγρούς,
Ἐστιχέτην. —
* *Illi vero in urbem, relictis ibi agris pinguibus,*
Ibant. — Idem.

307. *Obsitus ævo.*] Ætate involutus, ut Terentius ait, *Annis pannisque obsitus.* Nonnulli *obsitum*, quasi insitum & obsessum & possessum tradunt. *Serv.*

309. *Varioque viam sermone levabant.*] Sermocinando enim viæ tædium tollitur, & tempus fallitur. Sen. de Brevit. vitæ cap. 9. *Sermo, lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit: pervenisse se ante sciunt quam appropinquasse.* Publ. Syrus: *Comes facundus in via pro vehiculo est.* Apul. l. 1. Metam. *Simul jugi, quod insurgimus, asperitudinem fabularum lepida jucunditas levigabit.* & noster supra Ecl. 9. ✝ſ. 64.
Cantantes licet usque (minus via lædat) eamus.
ad quem locum vide quæ diximus. *Emm.*

310. *Facilesque oculos fert omnia circum.*] Physici dicunt ex vino mobiliores oculos fieri. Plautus, *Faciles oculos habet.* id est, mobiles vino. Hoc etiam Mecænas in Symposio, ubi Virgilius & Horatius interfuerunt, cum ex persona Messalæ de vino loqueretur, aut id è m vinor * ministrat faciles oculos, pulcriora reddit omnia, & dulcis juventæ reducit bona. *Servius.*

Facilesque oculos.] Verus & proprius habitus hospitis qui omnia avide lustrat. Apage hinc Servianum commentum de ebrietate. Quod dico de habitu hospitum, propius ad rem. Silius lib. 12. de Annibale capto deliciis Bajarum,
Stagnorum, terræque simul miracula lustrat.
Et de eodem ingrediente Capuam l. 11.
Exin victor ovans sedato pectore tandem
Spectandis urbis tectis, templisque serenos
Lætos circumfert oculos, & singula discit.
Cæterum ab Nostro Manil. lib. 1.
Circumfert tacitos oculos, vultumque per orbem.
Quæ de oculorum mobilitate scripsit Cælius lib. 3. cap. 28. cuivis in promptu sunt. Sed cur ibi desideratur Aristot. qui Problem. sect. 7. quæst. 8. εὐκινητότατον, ὁ ὀφθαλμός. *oculus, res mobilissima.*

Æneas, capiturque locis; & ſingula lætus
Exquiritque auditque virûm monumenta priorum.
Tum rex Euandrus Romanæ conditor arcis:
Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,
Genſque virûm truncis & duro robore nata:

Quis

biliſſima. In Græco etiam Epig. eſt πολυςρέπτους ὀπωπάς. Et Nonn. l. 19. dixit, ὀφθαλμοὺς ἐλέλιξεν ἀλήμονας. *vibravit vagos oculos.* & lib. 10. ςροφάδας ὀπωπάς, quaſi *verſatiles.* Euripid. Electr. ὄμμασι τροπαίοις, *oculis verſatilibus.* His omnibus oppone ἀπλανὲς ὄμμα, ut loquitur Nonnus libro trigeſimo primo. *Cerda.*

311. *Capiturque locis.*] Delectatur, id eſt, uno loco diutius retinetur. *Servius.*

312. *Exquiritque.*] Ita garrulæ ætati gratam præbet occaſionem plura fabulandi. Vide Macrob. l. 7. c. 2. *Taubm.*

313. *Romanæ conditor arcis.*] Conditor Pallantei, ubi nunc palatium eſt: quod non eſt re vera arx, ſed tenet omnium rerum principatum. Et hic ſubtiliter videtur ſignificare, Romam initium ab Euandro ducere. *Servius.*

Romanæ conditor arcis.] Propter Palatium, ubi Regiam ſuam Euander condidit. Rem aperient verba Dionyſ. lib. 1. Omitto enim alios. Ergo ille. *Faunus Arcadas, quorum numerus erat exiguus, magna cum humanitate excepit, ipſiſque de ſuo agro dedit, quantum voluerunt. Arcades vero, ut Themis divino furore correpta ipſos monuerat, collem à Tyberi non longe diſtantem delegerunt, qui nunc fere in ipſo urbis Romæ meditullio eſt ſitus. Atque juxta collem iſtum ædificarunt parvum pagum, quem temporis progreſſu ad tantam magnitudinem fata provectura erant, quantam nulla alia urbs, aut Græca, aut barbara eſſet adeptura.* & paullo poſt: *Nunc Palatium à Romanis dicitur.* Tu Juſtinum leges lib. 43. *Cerda.*

314. *Hæc nemora indigenæ Fauni.*] *Indigenæ*, id eſt, inde geniti, αὐτόχθονες. Et ſciendum ſecundum Heſiodi Theogoniam primo deos genitos, inde emitheos, poſt heroas, inde homines innocentes, ultimo ſceleratos: quem & hic nunc ordinem ſervat. Sane ſicut ſupra dictum eſt, Faunus Pici filius dicitur, qui à fando, quod futura prædiceret, *Faunus* appellatus eſt, quorum etiam reſponſa ferebantur. Hic Faunus habuiſſe filiam dicitur Omam caſtitate & diſciplinis omnibus eruditam, quam quidam, quod nomine dici prohibitum fuerat, Bonam deam appellatam volunt. Hos Faunos etiam *fatuos* dicunt, quod per ſtuporem divina pronuntient: quidam *Faunum* appellatum volunt eum, quem nos *propitium* dicimus. *Servius.*

Indigenæ.] Id eſt, αὐτόχθονες, αὐθιγενεῖς, terrigenæ ſive *aborigines*, qui non ſunt è ſtirpe adventitia: quales ſe cenſebant Athenienſes, Arcades, Theſſali &c. vide Turn. l. 7. c. 14. & l. 13. c. 8. *Taubmannus.*

Nymphæ.] Dryadas capio, quæ ſemper mixtæ Faunis & Satyris. De iiſdem cape Statium 6. Theb. ubi in luco quodam conſtituit, *Nymphas, Faunorumque greges.* Sic 1. Georg.

Ferte ſimul Faunique pedem, Dryadeſque puellæ.

Verſus ipſe factus ad imitationem Lucret. lib. 4.

Hæc loca Capripedes Satyros, Nymphaſque tenere
Finitimi memorant. —— Cerda.

Genſque virûm.] Agreſtes hic divinitus deſcribuntur, ait Scaliger l. 3. c. 2. cum enim primum in cavis arboribus & ſpeluncis habitarent, ſobolemque ibi educerent, dicti ſunt inde procreati. Vide Adag. *E quercu genitus:* & Lucr. l. 5. *Taubm.*

315. *Truncis, & duro robore nati.*]

Hoc

Quis neque mos, neque cultus erat: nec jungere tauros,
Aut conponere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami, atque asper victu venatus alebat.
Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo

Arma

Hoc figmentum ortum est ex antiqua hominum habitatione, qui ante factas domos, aut in cavis arboribus, aut in speluncis manebant: qui cum exinde egrederentur, aut suam educerent sobolem, dicti sunt inde procreati. *Serv.*

316. *Quis neque mos, neque cultus erat.*] Id est, nullam sui curam habebant. Alii ad animum referunt, ut Salustius, *Indocti incultique.* Alii ad morem, hoc est, qui neque legibus aut imperio cujusquam regebantur, quia mos est lex quædam vivendi, nullo vinculo adstricta, hoc est lex non scripta. Sed hic *cultum*, legem, imperium, dictum volunt: Alii *mores* pro legibus; veluti, *Moresque viris & mœnia ponet*, & *Veterisque dei se more tenentem.* Idem.

Quis neque mos, &c.] De hoc ævo Manilius lib. 1.

Nam rudis ante illos nullo discrimine vitæ
In speciem conversa operum ratione carebat. Cerda.

Nec jungere.] In aliquot antiquis, *neque* particula ea ter repetita. *queis neque mos, neque cultus erat, neque jungere tauros.* Sunt tamen qui *nec* monosyllabum tertio loco malint. *Pierius.*

317. *Conponere opes.*] Reservare, ordinare. *Servius.*

Conponere opes.] Est, quod Ovid. ait *nec quærere norant, nec parta tueri.* h.e. In diem vivebant. *Taubm.*

Parcere parto.] De die, inquit, vivebant, nec inventa servabant. *Serv.*

318. *Rami, atque asper victu venatus alebat.*] Cognato quodammodo victu alebantur: aut venatu montium, aut arborum ramis: hinc enim ali debent ex arboribus nati. *Idem.*

Sed rami.] Ita in ævo rudi, de quo Max. Tyr. dissert. 11. αἱ τροφαὶ τοῖς ἀνθρώποις φηγοὶ καὶ ὄγχναι, καὶ διὰ τοῦτο ἐπεφημίσθη φέρειν ἡ γῆ τοὺς καρποὺς αὐτομάτως. *Victus erant fagi & pyri. Inde ortum, ut terra diceretur ferre sponte sua fruges.* Ovid.

Contentique cibis, nullo cogente, creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes. Cerda.

Venatus alebant.] Non minus cibo hoc, quam superiore, explicata ævi illius ruditas: ut ab Ammian. lib. 14. *Victus universis caro ferina est, lactisque abundans copia, qua sustentantur, & herbæ multiplices: &, si quæ alites capi per aucupium possunt.* Idem.

319. *Primus.*] Quasi & alius venerit e cœlo, sed primus in Italiam venit. *Servius.*

Ab ætherio venit Saturnus Olympo.] Hoc dicit secundum poëticum morem. Nam Saturnus rex fuit Cretæ, quem Jupiter filius bello pepulit. Hic fugiens ab Jano rege, qui urbem habuit ubi nunc Janiculum est, susceptus est, qui regnabat in Italia: quem cum docuisset usum vinearum & falcis, & humaniorem victum, in partem est admissus imperii, & sibi oppidum fecit sub clivo Capitolino, ubi nunc ejus ædes videtur, qui postea suum repetivit imperium. Ex hoc & Saturnalia, ut essent memorialia vitæ quam Saturnus docuerat, qua die simili & promiscuo victu utuntur servi & liberi. Ideo autem in æde ipsius ærarium Saturni, quod ibi potissimum pecunia servaretur, eo quod illi maxime credatur. *Idem.*

Olympo.] Immo è Creta venit: sed ob vitæ integritatem dictus est cœlo descen-

Arma Jovis fugiens, & regnis exsul ademtis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Conposuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea quæ perhibent, illo sub rege fuerunt
Sæcula:

descendisse. vide Lactant. l. 1. c. 13. *Taubmannus.*

320. *Arma Jovis fugiens.*] Adduco verba Ennii in Euemero: *Post hæc deinde Saturno data est sors, ut caveret, ne filius eum Regno expelleret. Illæ elevandæ sortis, atque effugiendi periculi gratia, insidiatus est Jovi, ut eum necaret. Jupiter cognitis insidiis, Regnum sibi denuo vindicavit, ac fugavit Saturnum. Qui, cum jactatus esset per omnes terras, persequentibus armatis, quos ad eum comprehendendum, vel necandum Juppiter miserat, vix in Italia locum, in quo lateret, invenit.* Janus apud Ovid.

Hac ego Saturnum memini tellure receptum.

Saturnus ipse apud Prudent.

Sum Deus, advenio fugiens, præbete latebras,
Occultate senem, gnati feritate Tyranni
Dejectum solio. — Cerda.

321. *Is genus indocile.*] Pro *indoctum.* Nam *indocile* est quod penitus non potest doceri: *indoctum*, quod nondum didicit. Hos autem dicit esse compositos: unde apparet quia *Indocile* dixit pro *indoctum.* Hoc autem est quod dicit Cicero in primo Rhetoricorum, *Feros adhuc homines magni cujusdam viri oratione compositos.* Servius.

Dispersum montibus altis.] Fuit hæc vita mortalium ante urbes conditas. Hom. interp. in 23. Iliad. οἱ παλαιοὶ νομαδικῷ χρῶντο βίῳ, οἰκίας μηδέπω κτώμενοι *utebantur veteres erratili vita, cum carebant domibus.* Quod vero Virgil. prædicat de Saturno, hoc Pausan. de Phoroneo Inachi filio Corinth. qui ἀνθρώπους συνήγαγε πρῶτον ἐς κοινὸν, σποράδας τέως καὶ ἐφ᾽ ἑκάστοτε οἰκοῦντας. *dispersos ante homines, & seorsum habitantes, in unum locum compulit.* & de Theseo in Attic. qui Athenienses ἤγαγεν ἐς μίαν πόλιν. Et quid em de Theseo etiam Plutarch. *Cerda.*

322. *Legesque dedit.*] Atqui dixit, *Haud vinclo, nec legibus æquam.* sed intelligimus Saturnum dedisse leges, quibus adeo obtemperaverunt, ut jam ita per naturam sine legibus viverent. Hunc sane Deum & leges recipere & legibus præesse docet antiquitas, nam ideo & acceptæ à populo leges in ærario claudebantur, quoniam ærarium Saturno dicatum erat, ut hodieque ærarium Saturni dicitur. *Servius.*

Latiumque vocari maluit.] Bene *Maluit.* Nam & *Saturnia* dicta est: ut, *Et nomen posuit Saturnia tellus.* Et Virgilius *Latium* vult dici, quod illic Saturnus latuit fugiens Jovem. Fabula nota est, quod Saturnus filios suos de Ope genitos voraverit, cum audisset à filio se regno esse pellendum, & quod ei uxor, nato Jove, lapidem pro infante obtulerit devorandum. Varro autem *Latium* dici putat, *quod latet Italia inter juga Alpium & Apennini.* Quidam ferunt à Latino dictum *Latium*, alii ipsum *Latinum*, à Latio. *Idem.*

324. *Aurea quæ perhibent, illo sub rege fuerunt.*] Veteres codices fere omnes legunt *aurea quæ perhibent.* Nempe, sæcula fuere sub illo rege, quæ perhibent aurea. In aliquot vero codicibus, quod non ita placet, legere est *aureaque perhibent illo sub rege fuisse Sæcula.* Sed vulgata lectio, *aureaque ut perhibent*, magis doctis omnibus adridet. *Pierius.*

Aurea quæ perhibent.] Fabric. è MSS. l. *Aurea, quæ perh.* Quomodo aliquoties etiam citat Helenius. *Taubm.*

Aurea sæcula.] Constare hæc sæcula *meliore metallo* dixit Claud. 6. Hon. Per
aurum

Sæcula: sic placida populos in pace regebat.
Deterior donec paullatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi.
Tum manus Ausonia & gentes venere Sicanæ;

Sæpius

aurum indicantur ævi hujus virtutes. Symmach. cum blandimento Principum lib. 10. epist. 21. *Credimus igitur his remotis ad Regnum suum rediisse virtutes. In ditionibus parsimonia, in Senatu ordo retinebitur: nec se ostentabit opulentia semper bonis infirma temporibus.* Loquitur videlicet cum respectu ad ævum aureum, in quo hæ virtutes. *Cerda.*

325. *Sic placida populos in pace regebat.*] Ut merito aurea sæcula crederentur. *Servius.*

In pace.] Est hoc prope singulare ἐγκώμιον vitæ aureæ. Nam de hoc ævo Ovid.

Mollia securæ peragebant otia gentes.

De eodem Auctor Octaviæ:

—— humanum genus
Non bella norat, non tubæ fremitus truces,
Non arma gentes. ——

Et Claud. de Cons. Theod.

Nonne vides ut nostra soror Clementia tristes
Obtundat gladios?

Iterum: *Exultat cum Pace Fides.* Arat. Phænon. inter notas ævi hujus.

Οὔπω λευγαλέου τότε νείκεος ἠπίσταντο.
Οὐδὲ διακρίσιος περιμεμφέος, οὐδὲ κυδοιμοῦ.

Nondum perniciosam tum Litem noverant,
Nec disceptationem contentiosam, nec Seditionem. Cerda.

326. *Decolor ætas.*] Vitiosa, quæ decoloraret veteres mores. In omni enim vitioso corpore inest pessimus color. Et alludit ad naturam metallorum, quam cernimus discolorem: nec immerito, supra enim dixerat *Aurea secula:* ideo nunc dixit *Ætas decolor*, id est, aurea & ferrea, sicuti Hesiodus dicit. Sane *decolor ætas*, quis ante hunc? *Servius.*

Decolor ætas.] Unum est causa alterius. Erat ætas *decolor*, id est, vitiato colore, quia *deterior*, id est, detrito colore. Sic Ovid. 4. Trist.

Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat.

Id est, vitiato erat colore Rhenus. Detritio autem maxime colorem vitiat ac deformat. Itaque *decolor*, non est sine colore, sicuti neque ἄχροος Græcis: sed tam Græcus, quam Latinus explicat sua voce deperditum & deformatum colorem. Ita Hippoc. lib. de Aër. Loc. & Aq. conjungit synonymice ἀχρόυς καὶ ἀῤῥώστους, *decolores & infirmos* homines. Ovid. Eleg. 2. l. 3. Pont.

Araque, quæ fuerat natura candida saxi,
Decolor affuso tincta cruore rubet.

Cerda.

Decolor ætas.] Sic Ovidius Heroid. Epist. 9. ℣ſ. 3.

Fama Pelasgiadas subito pervenit in urbes
Decolor & factis inficianda tuis.

& Jul. Capitolinus: *decolorare famam.* Sil. Ital. l. 11.

—— patrias paullatim decolor artes
Exuit. Emmeness.

327. *Belli rabies.*] Contra Pacem ævi aurei. Eleganter vero *rabies* de bello. Claud. 3. Hon. *Martis rabies.* Sil. 5. *belli rabiem.* Ammian. 16. *Barbara feritate certaminum rabiem undique concitante.* & lib. 1. *subcrescentis rabiem belli.* Horatius Od. 15. lib. 1.

—— jam galeam Pallas, & Ægida,
Currusque & rabiem parat. Cerda.

328. *Tum manus Ausonia, &c.*] Omnes terræ habitatores, aut indigenæ, aut advenæ, aut convenæ, aut incolæ sunt; *indigenæ* sunt inde geniti, ut idem de Faunis dixit: *advenæ* de uno loco venientes: ut Saturnus. *convenæ* de diversis, ut Ausones & Sicani, quamvis quidam

Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperque inmani corpore Thybris;

A quo

quidam *Ausones* cognominatos ab Ausone Ulyxis & Circes filio dicant. Sicani autem secundum nonnullos populi sunt Hispaniæ à fluvio Sicori dicti. Lucanus: *Hesperios inter Sicoris non ultimus amnis.* Hi, duce Siculo, venerunt ad Italiam, & eam tenuerunt, exclusis Aboriginibus. Mox ipsi pulsi ab illis. quos ante pepulerant, insulam vicinam Italiæ occupaverunt: & eam Sicaniam à gentis nomine, Siciliam vero à ducis nomine dixerunt: quanquam Thucydides dicat de Sicilia Italum regem venisse, & ab eo esse Italiam appellatam. Alii sic distinguunt *Sicanæ*, & subjungunt, *Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus.* Semel enim Sicani ex Hispania in Italiam venisse dicuntur; at Italia plura nomina habuit, dicta est enim Hesperia, Ausonia, Saturnia, Vitalia. *Servius.*

Tum manus Ausonia & gentes.] In Romano codice *Ausonia.* Ausoniam vero putat Verrius dictam ab Ausonio rege, Ulyssis filio, ex Calypso: qui primus partem eam tenuerit, ubi Beneventum & Cales. Deinde paulatim sic dicta sit tota Italia, quæ ab Alpibus includitur. Quod vero paulo infra, non procedere ait Servius, quod à Livio traditum est, Tybrin dictum ab Albano rege Tyberino, suppetias Livio fert Varro, dum is quoque Tybrin à Tyberino Silvio, Albanorum rege, quod is in eo extinctus sit, dictum asserit. Alii leg. *Tum manus Ausoniæ.* Pierius.

Et gentes venere Sicanæ.] De his alibi dictum. At Dionysius tradit, Arcades omnium Græcorum primos, Ionio emenso, in Italiam colonos misisse. Hinc ajunt OEnotrum cum Aboriginibus, XVII ætates ante exicidium Iliense, cum Peucetio fratre, classe in Italiam transmisisse. Junioris Lycaonis is fuit filius, quintus à Phoroneo, qui omnium primus in Peloponneso regnarit, ut quidam prodidere. *Hort.*

Sicanæ.] De Sicanis Myrsilus Lesb. de Orig. Italiæ. *Italiam coluere Græci, Arcades, Veneti, Ligures, Ardeates, Rutuli, Siculi.* Marlian. in Topograph. lib. I. cap. 9. *Urbem Romam in Occidenti ad Tyberim conditam centum & viginti stadiis à mari distantem Siculos primum inhabitasse constat.* Cerda.

329. *Et nomen posuit.*] Deposuit. Etenim, ut in primo dictum est, pro temporum & locorum diversis rationibus, à novis colonis aut regibus, à quibus invicem pulsi fuere, nomen mutatum fuit, Italia, OEnotria, Ausonia, Hesperia, Saturnia, &c. *Hort.*

330. *Inmani corpore Thybris.*] Hic Tuscorum rex fuit, qui juxta hunc fluvium pugnans cecidit: & ei nomen imposuit, vel, ut quidam volunt, à Glauco Minois regis filio occisus est. Alii volunt istum ipsum regem latrocinatum esse circa hujus fluminis ripas: & transeuntibus crebras injurias intulisse. Unde Tybris quasi ὕβρις dictus est, ἀπὸ τῆς ὕβρεως, id est, ab injuria. Nam amabant majores, ubi aspiratio erat, θ ponere. Alii Tyberim Jani & Camasenæ filium ibi in bello periisse tradunt: Varro Tyberim à Tyberino quodam rege Latinorum, quod ibi interierit, dictum tradit. Alii, ut supra diximus, volunt eos, qui de Sicilia venerunt, Tybrin dixisse à similitudine fossæ Syracusanæ, quam fecerunt per injuriam Afri & Athenienses juxta civitatis murum. Nam quod Livius dicit, ab Albano rege Tyberino Tybrin dictum, non procedit: ideo quia etiam ante Albam Tybris dictus invenitur. Sed hic Alexandrum sequitur, qui dicit Tyberinum Capeti filium venantem, in hunc fluvium cecidisse, & fluvio nomen dedisse. Nam & à Pontificibus indigitari solet. *Servius.*

Thybris.] Duo dicit, & vocatum fluvium prius Albulam, & deinde à Tybri Rege Tybrim. Messala Corvinus in lib.

A quo post Itali fluvium cognomine Thybrim
Diximus: amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem
Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum

His

lib. de progenie Augusti: *Tyberinus in Albula flumine demersus mutavit fluvio nomen, Tyberi deinceps nuncupato.* Dionys. 1. Antiq. eadem, tantum addit, immersum Regem prælio juxta commisso. Eadem Cato de Originib. adjicit, nomen Albulæ datum huic fluvio ab Ianigenis. Demum idipsum Sextus Pompejus, Plin. lib. 3. cap. 5. Ovid. 1. Fast. & Varro lib. 4. Ling. Lat. qui ait, fluvium fuisse sepulcrum Tyberini. *Cerda.*

331. *Post Itali.*] Etiam Euander se Italum dicit. *Servius.*

332. *Albula nomen.*] Antiquum hoc nomen à colore habuit. *Idem.*

333. *Me pulsum patria.*] Aut, ut diximus supra, propter patricidium: aut certe oraculorum necessitate compulsum. *Idem.*

Me pulsum.] Non sua culpa patria caruisse, sed fatorum, demonstrat: quæ, ut ipse dicit, sunt insuperabilia. *Don.*

Pelagique extrema sequentem.] Id est, aut per extrema pelagi actum: aut, ut dicunt quidam, *per pelagus extrema sequentem.* ut *Pelagi* adverbium sit, aut pro *in pelago,* aut *pelagi pericula.* Serv.

Pelagique extrema.] Me navigationem in longiquas & ultimas terras procul domo parantem: ut *pelagi extrema* audiamus extremas & longissime remotas ejus partes. lib. 24. cap. 40. *Turnebus.*

334. *Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum.*] Secundum Stoicos locutus est, qui nasci & mori fatis dant: media omnia, fortunæ. Nam vitæ humanæ incerta sunt omnia. unde *&* miscuit, ut quasi plenum ostenderet dogma. Nam nihil tam contrarium est fato quam casus: sed secundum Stoïcos dixit. Alii *fortuna omnipotens*, propter fugam & exilium; *ineluctabile fatum,* aut idcirco ut se sceleris & parricidii crimine purgaret. *Servius.*

Fortuna omnipotens.] Erat hîc seges amplissima evagandi: sed ego tantum quasdam veluti auctorum notulas. Fortuna à Tullio pro Marcel. dicitur *rerum omnium domina.* A Menand. πάντα κυβερνῶν, στρέφων, σώζων, *gubernans omnia, retans, servans.* A Plin. lib. 2. cap. 7. *Numen.* Ab Horat. Od. 35. lib. 1. *Diva.* Ab Actio apud Non. *domina.* Sen. Agam. *Regum casus fortuna rotat.* Vide an *omnipotens*, quæ humana omnia ludibunde. Nam apud Horat. ludit *insolentem ludum.* Græcus Poëta de illa, μερόπων τυραννεῖ. Aristotel. dixit, mortalia omnia esse τύχης παίγνιον, *ludibrium fortunæ.* Ab illo accepit Simocatta, qui lib. 4. Hist. cap. 13. Alexandrum Mag. vocat τύχης παίγνιον. Curt. lib. 3. *omni ratione potentior fortuna.* Salust. Jugurth. de illa, *regit.* Sic & Græci βασίλειαν vocant, & βασιλεύουσαν. Plutar. de audien. Poët. illi dat δύναμιν ἰσχυρὰν. *Cerda.*

Ineluctabile fatum.] Hoc etiam illustro brevibus Notulis. Hom. Odyss. οὐ θεῶν τρέπεται νόος. Nonnus lib. 25. ἀτρέπτῳ λίνα μοίρης. Eurip. Alcest. τύχα δυσπάλαιστος. Pausan. Attic. ἀλλ' οὐδεὶς πόρος ἐστὶν ἀνθρώπῳ παραβιῶναι τὸ καθῆκον ἐκ τοῦ θεοῦ. Plutar. de consol. ad Apoll. τὰς μοίρας οὐκ ἐστὶν ἐκφυγεῖν. Soph. Elect. ἀνήνυτον οἶτον κακῶν. & Antig. μοιριδία δύνασις δεινά. Pind. Od. 1. Olymp. ait ἄταν vinci non posse. Calab. de Jove lib. 11. οὐ γάρ τι μετατρέπεται νόος αἰνός. Nonn. l. 40. ἀκαμπέα νήματα μοίρης. Max. Tyr. dissert. 30. ἄτρεπτον ἐπικεκλωσμένον. Plutar. de Poët. audien. ἀφύλακτον. & in vita Lysand. ἄφυκτον τὸ πεπρωμένον. Aristid. Hymn. in Jovem, ἄφυκτος εἱμαρμένη. Joseph. cap. 3. lib. 7. Bell. Judaici,

candem

His posuêre locis: matrisque egere tremenda
Carmentis nymphæ monita, & deus auctor Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progressus monstrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Quam memorant nymphæ priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicæ: cecinit quæ prima futuros
Ænea-

eandem *εἱμαρμένην* vocat *ἀμήχανον*, & quam nemo potest *διαφυγεῖν*. & cap. 10. *ἄφυκτον οὖσαν*, scilicet *εἱμαρμένην*. Majore incremento loquitur cap. 12. *οὐ δυνατὸν ἀνθρώποις τὸ χρεὼν διαφυγεῖν, οὐδὲ προορωμένοις.* Ait videlicet, non posse homines effugere fatum, etiamsi prævidèrint, & providerint. Itaque nulla satis providentia. Latinos nolui in hac Nota, quia nullus finis. *Cerda.*

335. *Matrisque.*] Q. d. Non solum Fortuna impulit, Fatum protrusit, Apollo præcepit, sed & mea, quæ dea & vates fatidica est, jussit. *Taubm.*

Egere.] Coëgerunt, ut quasi ostendat initium. *Servius.*

336. *Carmentis nymphæ monita.*] Matris Euandri, quæ Nicostrate dicta est. Sed ideo *Carmentis* appellata à suis, quod divinatione fata caneret, nam antique vates *Carmentes* dicebantur, unde etiam librarios, qui eorum dicta perscriberent, *Carmentarios* nuncupatos. Alii hujus comites Porrimam & Postvotam tradunt, quia vatibus & præterita & futura sunt nota. Alii etiam Tyburtem dictam. *Nymphæ* autem, maritæ dicit. Nam Græce *νύμφη*, Latine *sponsa* dicitur. hæc autem non vere Nympha fuit, sed vaticinatrix. Alii *Nympham* ideo dictam, quoniam qui res Arcadum scripserunt, tradunt sex fœminas ibi fuisse, quæ *Nymphæ* vocarentur, in queis & *Carmentem*; Proprio ergo vocabulo non Epitheto poëtico usus est. *Idem.*

Carmentis nymphæ.] Etymon hujus vocis consectatur Plutarch. *ἐν ῥωμαϊκ. τὴν δὲ καρμένταν, οἴονται, οἱ μὲν Εὐάνδρου μητέρα λέγουσιν οὖσαν ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν ὀνομαζομένην Θέμιν, ὡς δέ τινες νικοστράτην, ἐμμέτρους δὲ χρησμοὺς ᾄδουσαν, ὑπὸ τῶν λατίνων καρμένταν ὀνομάζεσθαι, τὰ γὰρ ἔπη κάρμινα καλοῦσιν. οἱ δὲ μοῖραν ἡγοῦνται τὴν καρμένταν εἶναι, καὶ διὰ τοῦτο θύειν αὐτῇ τὰς μητέρας. ἔστι δὲ τοῦ ὀνόματος τὸ ἔτυμον, ἐστερημένη νοῦ, διὰ τὰς θεοφορήσεις· ὅθεν οὐ τὰ κάρμινα τῇ καρμέντῃ τοὔνομα παρέσχεν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπ᾽ ἐκείνης ἐκλήθη, διὰ τὸ τοὺς χρησμοὺς ἐν ἔπεσι καὶ μέτροις ἐνθουσιῶσαν ᾄδειν·* nimirum Carmentam, ut mente carentem, ut insanam vatem Sibyllam, & Cassàndram furentem Maro supra. *Germanus.*

Auctor.] Scilicet oraculorum. *Servius.*

337. *Monstrat & aram.*] Aut quam Euander matri fecit extinctæ: aut *aram* pro monumento, aut ideo *aram*, quia ibi sepulta est, & post excessum dea credita: Hæc ara juxta portam, quæ primo à Carmente *Carmentalis* dicta est: post *Scelerata*, à Fabiis CCC. sex, qui, per ipsam in bellum profecti, non sunt reversi. *Idem.*

338. *Carmentalem portam.*] Plutarch. in Cam. *καρμεντὶς πύλη·* & *καρμεντάλια* in Romu. quæ mulieres agitabant, quod putarent *καρμένταν μοῖραν εἶναι κυρίαν τῆς ἀνθρώπων γενέσεως. Germanus.*

340. *Vatis fatidicæ.*] Bene addidit *Fatidicæ:* Nam vatem & poëtam possumus intelligere. Ut solum, plenum non erat. Ergo tale est, ut illud in Salustio, *In tugurio mulieris ancillæ.* Non quia mulieris, statim & ancillæ; si autem ancillæ, statim & mulieris. *Servius.*

Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit, & gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.
Nec-

Cecinit quæ prima.] Quia postea etiam Sibylla. *Servius.*

Cecinit quæ prima.] Magnum argumentum quod dea fuerit & fatidica. Cum prima cecinerit Æneadas futuros magnos, & Pallanteum futurum nobile. *Donatus.*

341. *Nobile Pallanteum.*] Futurum scilicet, sicut & *Æneadas*, ad sequens enim Romanorum retulit tempus. *Servius.*

Et nobile Pallanteum.] In Romano codice, legitur *nomine*: veluti dixerat *Carmentalem Romano nomine portam* Sed omnino *nobile* magis placet, ob antiqua tot eo de loco monumenta. *Pierius.*

342. *Lucum.*] Qui postea à Romulo asyli nomen accepit. *Donatus.*

Asylum Rettulit.] Postquam Hercules migravit è terris, nepotes ejus timentes insidias eorum, quos avus adflixerat Athenis, sibi primi Asylum, hoc est, templum misericordiæ conlocarunt, unde nullus posset abduci, quod etiam Statius dicit, ut, *Herculeos fama fundasse nepotes.* ideo ergo ait, *Quem Romulus acer Asylum.* Servius.

343. *Rettulit.*] Hoc est fecit ad imitationem Atheniensis Asyli: quod ideo Romulus fecit, ut haberet advenas plures, quibus conderet Romam. Juvenalis, *Et tamen ut longe repetam, longeque revolvam Nomen, ab infami gentem deducis Asylo.* Sane hoc non ad Euandri personam adplicatur quod ipse Æneæ retulerit. *Idem.*

Gelida monstrat sub rupe Lupercal.] Sub monte Palatino est quædam spelunca, in qua de capro luebatur, id est, sacrificabatur: unde *Lupercal* dictum nonnulli putant. Alii quod illic lupa Remum & Romulum nutrierit. Alii (quod est verius) locum esse hunc sacratum Pani, deo Arcadiæ. Cui etiam mons Lycæus in Arcadia est consecratus. Et dictus *Lycæus*, quod lupos non sinat in oves sævire. Ergo ideo & Euander deo gentis suæ sacravit locum, & nominavit *Lupercal*, quod præsidio ipsius numinis, lupi à pecudibus arcerentur. Sunt qui dicant hunc Panem: Alii deum bellicosum: Alii Liberum patrem, eo quod capro ei fit divina res, qui est hostia Liberi propria. In hujus similitudinem intecti cultores ejus, cui Lupercalia instituta sunt, quia Deus pastoralis est: Nam Remum & Romulum ante urbem conditam Lupercalia celebrasse, quod quodam tempore nuntiatum illis sit latrones pecus illorum abigere, illos togis positis cucurrisse: cæsisque obviis, pecus recuperasse, id in morem versum ut hodieque nudi currant. Nonnulli propter sterilitatem hoc sacrum dicunt à Romulo constitutum, ideoque & puellæ de loro capri cæduntur, ut careant sterilitate & fœcundæ sint, nam pellem ipsam capri veteres *februm* vocabant. *Idem.*

Lupercal.] Unde *luperci* & *lupercalia* dicuntur. *Donatus.*

344. *Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.*] Ordo est, *Monstrat Lupercal Panos Lycæi dictum de more Parrhasio*, id est, ostendit Lupercal Panos Lycæi dicatum ex more Arcadico. Nam *Parrhasia*, Arcadia est. *Servius.*

Dictum.] Dicatum, consecratum. *Idem.*

Panos Lycæi.] *Hujus Panos*, genitivus est Græcus. & *Panos Lycæi* sic dictum est, *ut Iovis Olympici, Apollinis Delfici.* Idem.

Panos Lycæi.] Sophocl. in Elect. τοῦ λυκοκτόνου θεοῦ ἀγορὰ λύκειος· & Æsch. in ἑπτὰ· καὶ σὺ λύκει' ἄναξ, λύκειος γενοῦ στρατῷ δαΐῳ· quamvis alii ad Apollinem referri malint, qui & λύκειος dicebatur

Necnon & sacri monstrat nemus Argileti,

Testa-

cebatur à poëtis, & Æschylo in Agam. ὁ τοῦ λύκει' ἄπολλον, sub persona Cassandræ, διὰ τὸ ἐν λυκίᾳ τῇ πόλει τιμᾶσθαι αὐτὸν, ἢ διὰ τὸ λύκον αὐτοῦ ἱερὸν εἶναι, ἢ, ὅτι κρεῖττον, διὰ τὸ λυκόφως ποιεῖν τὰς τυχὰς ὑποχωρήσεις· quamvis & fortasse ad Panem illud Æschyli, in ἱκέτισι, referri satius sit, cum pauculis post versibus, invocata quoque Diana, Apollinem disertis verbis inclamet chorus: ὦ φίλ' ἄπολλον, κόναβος ἐν πύλαις, &c. quod alioqui superfluum videretur, si tam vicinis & propinquis clausulis bis eundem deum appellaret. Non omittendum autem sæpe Jovis Lycæi à Pindaro mentionem fieri, ut eo loco, ἴσαν τ' ἀρκάδ' ἀνάσσων μαρτυρήσει λυκαίου βωμοῦ ἄναξ· ubi sola diphthongi differentia in penultima hæc vox distinguitur. *Germanus.*

345. *Sacri monstrat nemus Argileti.*] *Sacri*, execrabilis. Sive Argiletum, quasi *argilletum* multi volunt à pingui terra: alii à fabula. Nam Euander Argum quendam susceperat hospitio, qui cum de ejus cogitaret interitu, ut ipse regnaret, Euandro hoc non sciente socii intellexerunt, & Argum necarunt. Cui Euander & sepulcrum fecit, & locum sacravit: non quod ille merebatur, sed hospitalitatis caussa. Bene autem in hac re Euander immoratur, & docet caussas ne apud hospitem veniat in suspicionem. Ergo *Argiletum* ab Argo illic sacrato & sepulto. Alii Argum occisum dicunt ab ipso Euandro, auxiliante sibi Hercule, quod is ex hospite factus esset inimicus: Alii Danaën cum duobus filiis Argo & Argeo, quos de Fineo habuit, venisse in Italiam, & locum, ubi nunc Roma est, tenuisse, ibique Argum Aboriginum insidiis interfectum loco nomen dedisse. Alii Argiletanam portam appellari, quod Cassius Argillas sive fecerit sive refecerit, quod ibi Cassius post Argillus bello Punico primo sit interfectus ob turbulentam & seditiosam naturam. Alii quod Argillus Senator post Cannense prælium suaserit à Pœnis pacem postulari, ideo in Senatu carptum, domumque ejus dirutam & locum *Argiletum* appellatum. Quidam dicunt, cum Capitolii, ubi nunc est, fundamenta jacerentur, caput humanum, quod *Olli* diceretur, inventum, quo omine sollicitatos conditores, misisse ad Tusciam ad aruspicem illius temporis nominatum, qui jam indicaverat Argo filio suo, tributum fataliter esse, ut is locus orbi imperaret, in quo illud caput esset inventum. Obvii igitur Argo hi qui missi erant, ubinam esset pater interrogaverunt, qui cognita causa itineris eorum, omne responsum patris prodidit, monuitque ut caverent, ne ab eo interrogatione deciperentur: Sed cum Legati ad eum pervenissent, & de significatione inventi capitis quærerent, volens ille dominatum orbis patriæ suæ potius adscribere, interrogavit anne hic, suum locum ostendens, invenissent: Illis negantibus, suspicatus proditum esse responsum, quæsivit an quenquam obvium fecissent, illis simpliciter confitentibus occurrisse sibi juvenem, tunc aruspex conscenso equo sequutus Argum occidit eo loco ubi nunc Roma est, à cujus cæde Argiletum: Quamvis hæc historia etiam de alio nomine sæpe celebrata sit. *Servius.*

Argileti.] Varr. 4. Ling. Lat. *Argilethum sunt qui scripserunt ab Argo, seu quod is huc venit, ibique sepultus sit: alii ab argilla, quod ibi hoc genus terræ.* De duplici loco ita dicto, disertim Fab. Pictor lib. 1. de Orig. Italiæ: *Subsidens septem collibus campus Argeus dictus est ab Argo Euandri hospite, & comitibus Argivis Herculis, qui ad Euandrum venerunt, & in Saturnia subsederunt. Hinc extrema Argiletha dicuntur. Superior Argilethus dicitur in principio vici Thusci sub Caliculo, inter circum Maximum, & Aventinum, ubi lethum Argi simul, & sepul-*

Testaturque locum, & letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.
Jam tum relligio pavidos terrebat agrestis

Dira

sepulcrum est. Imus vero Argilethus est, ubi Janus Quadrifrons, qui & Vertumnus in fine vici Thusci, ad radices Capitolii in foro Boario, ubi Saturniæ vestigia. Ab Argiletho *tabernæ* illæ *Argilethanæ* celebratæ Martiali. *Cerda.*

346. *Testatur locum.*] Jurat non sua culpa jura hospitii esse violata; vel in testimonium ducit nomen loci, vel detestatur. *Servius.*

Et letum docet hospitis Argi.] In codicibus aliquot legere est, *& mortem docet.* Sed magis placet *letum*, ut perstet in nominis adlusione de Argileto. Quamvis non ignoro esse, qui ab Argola quodam viro non ignobili, qui fuerit ibi sepultus, locum dictum velint. Alii ab Argilla, quod ibi id genus terræ affatim fuerit. *Pierius.*

Letum Argi.] Conjunxit carmine superiore *Argilethum*, dissolvit in hoc, *lethum docet hospitis Argi.* Ita dissolvit Mart. lib. 1.

Argi nempe soles subire lethum.

Et lib. 2.

Argique lethum multus obsidet sutor.

Cerda.

Argi.] Qui ex hospite factus est inimicus: unde non erat pudendum, si hospitem talem interemisset, qui hospitalis religionis oblitus fuisset. *Don.*

347. *Tarpejam sedem.*] Prolepsis, duo hæc enim nomina postea monti indita sunt. *Servius.*

Ducit.] Ostendendo, non autem ambulando. nam senex ardua non ascendisset vespertino tempore. *Donatus.*

Aurea nunc.] *Nunc* ad utrumque pertinet, & ad *aurea* & ad *Tarpejam sedem.* Nam Tarpeja sedes dicta est à Tarpeja virgine. cum enim Romulus contra Sabinos bella tractaret, & Tarpejo cuidam dedisset arcem tuendam, filia ejus Tarpeja aquatum profecta in hostes incidit: quam cum hortarentur ad proditionem arcis, illa pro præmio poposcit ornatum manuum sinistrarum, id est, armillas. Facta itaque arcis proditione, hostes ingeniosa morte, promissa solverunt. Nam scuta, id est, sinistrarum manuum ornatum, super illam jacientes, eam vita privarunt; quæ illic sepulta, Tarpejæ sedi nomen imposuit. *Servius.*

Aurea nunc, olim, &c.] Eodem hoc argumento pene Propert. lib. suum 4. inchoavit sub his verbis: *Hoc quodcunque vides hospes, qua maxima Roma est, Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit.* Tale quid & apud Nasonem Metamorph. 8. de Philemonis tugurio in templum verso: *Illa vetus, dominis etiam casa parva duobus Vertitur in templum: furcas subiere columnæ, Stramina flavescunt, aurataque tecta videntur, Cælataq; fores, adopertaque marmore tellus.* Germ.

Aurea nunc.] Vere, *aurea.* nam, ut cætera sileam, in solam inaurationem Capitolii supra *duodecim millia talentorum* impensa sunt, quæ nobis sunt *septuagesies bis centena millia Philippæorum*, sive, *septem milliones*, & quod excedit. De quo vide mihi J. Lipsium Admirandis Rom. lib. 3. Dialog. 5. item Propert. l. 4. el. 1. *Taubm.*

349. *Relligio.*] Id est, metus, ab eo quod mentem religet dicta religio. *S.*

Jam tum relligio pavidos, &c.] Iam tum, hoc est, quum esset locus ille humilis atque desertus, jam habuit numen, eratque illic, quod terreret accedentes, & his incuteret horrorem, maxime rusticanis, qui pavore naturali omnia metuunt, & universa formidant. *Donatus.*

Dira.] Magna, admirabilis: ut, *An sua cuique deus fit dira cupido?* Servius.

Dira religio.] Δεισιδαιμονία. *Religio* sæpissime

Dira loci: jam tum silvam saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem
(Quis deus, incertum est) habitat deus: Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem, cum sæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra, nimbosque cieret.

Hæc

Sæpissime est horror, qui nos quasi religatos tenet. Vide Herald. ad Arnob. *Taubmannus.*

350. *Jam tum silvam.*] In Romano, *silvas.* In quibusdam aliis, *jam jam silvam.* Sed *jam tum* magis omnino placet. *Pierius.*

Saxum.] Sic appellatur Capitolium. *Servius.*

Saxum.] Tarpejum. *Taubm.*

351. *Hoc nemus.*] Bene ubique *Nemus* dixit, nam tunc ædificia non erant. *Servius.*

352. *Quis deus.*] Dubitando *quis deus*, adfirmat deum esse. *Idem.*

Habitat deus.] Nihil dici signatius poterat. Designat enim ναὸν, id est, *templum*, quod dictum παρὰ τὸ ναίειν, *ab habitando* Sic passim apud Græcos οἶκοι θεῶν pro templis, & Latini *domum* dicunt, & *ædem.* Itaque præclare Arnob. lib. 6. *Apollo hic habitat, in hoc manet Hercules, illo Summanus.* Iterum de re consimili loquens: *Si simulacra hæc omnia Superorum sunt imagines Numinum, ergo & in cælo habitare dicendus est Deus talis,* &c. Claud. de 6. Consf. Hon. loquens de monte Palatino, *Exultatque habitante Deo.* Signate Eurip. Hecub. Ἅδης ᾤκισται, ab domo. Sed οἶκον etiam pro templo accipit Cyrillus Alex. in c. 1. Mich. numer. 4. unde & κατοικεῖν de Deo; cum scribit, κατοικεῖ μὲν οὖν ὁ ὕψιστος οὐκ ἐν γε τοῖς ἐκ λίθων ναοῖς, ἢ τοῖς χειροποιήτοις τεμένεσι. *Habitat igitur altissimus non in templis lapideis, aut lucis manufactis.* Et Servator Christus Matth. 23. Ὁ ὀμόσας ἐν τῷ ναῷ, ὀμνύει ἐν αὐτῷ, καὶ ἐν τῷ κατοικοῦντι αὐτόν. Cerda.

353. *Ipsum Credunt se vidisse Jovem.*] In hoc scilicet nemore. Sane ad illud alludit, quod primi dicuntur Jovi templa & rem divinam fecisse: Æacus enim primus in Arcadia templum constituisse dicitur: nec enim longe sunt à monte Olympico, unde eos dicit Jovem vidisse: & quod ipsi sunt προσέληνοι, id est, ante Lunam creati, ut ait Statius, *Arcades astris, Lunaque priores.* licet dicat Salust. Cretenses primos invenisse religionem: unde apud eos natus fingitur Jupiter. *Servius.*

Arcades ipsum Cred. se vid. Jovem.] Consentit cum Servio Arcades προσελήνους vocante locus ille Apollonii l. 4. οἷοι δ' ἔσαν Ἀρκάδες Ἀπιδανῆες, Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται ζώειν φηγὸν ἔδοντες ἐν οὔρεσιν, ubi interpres: Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Τεγεατῶν πολιτείᾳ φησὶν, ὅτι βάρβαροι τὴν Ἀρκαδίαν ᾤκησαν, οἵτινες ἐξεβλήθησαν ὑπὸ τῶν Ἀρκάδων ἐπιθεμένων αὐτοῖς, πρὸ τοῦ ἐπιτεῖλαι τὴν σελήνην, διὸ καὶ κατωνομάσθησαν προσέληνοι· τινὲς δέ φασιν Ἐνδυμίωνα εὑρηκέναι τὰς περιόδους, καὶ τοὺς ἀριθμοὺς τῆς σελήνης, ὅθεν καὶ προσελήνους τοὺς Ἀρκάδας κληθῆναι, Ἀρκὰς γὰρ ὁ Ἐνδυμίων. *Germanus.*

Nigrantem.] *Nigrantem* vocat, quam Hom. κυανέην, & tempestates cientem. Notetur etiam, Poëtam hujus vocis, qua tamen crebro utitur, primam, nisi hic, semper extendere: quamvis in *Niger* pr. brevis sit natura. *Taubm.*

354. *Ægida concuteret.*] Hic distinguendum. nam ægida, id est, pellem Amaltheæ capræ, à qua nutritus est, in sinistra Jupiter tenet. Sane Græci poëtæ turbines & procellas καταιγίδας appellant, quod hæc mota faciat tempestates. Ergo *Nigrantem*, tempestatem commoventem. *Servius.*

Ægida concuteret.] De Ægide obvia notitia. Omitto. Attende strepitum verborum, quibus fulminantem Jovem

355 Hæc duo præterea disjectis oppida muris,
Relliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem:

Jani-

notat, ut Sil. lib. 12.

Ægida turbato quatientem in prælia mundo.

Iterum de eodem:

Ægida commovoat nimbos, flammasque vomentem.

Præclare ista Poëtæ. Minutius quippe distribuens, ita ait, *Juppiter, cum Hammon dicitur, habet cornua: &, cum Capitolinus, tum gerit fulmina: & cum Latiaris, cruore perfunditur.* Vide, ut Jovi obsidenti Capitolium dentur fulmina. Nam poetæ in mentione Jovis Capitolini inducunt fulmina, & tonitrua, ut Martialis Epig. 59. & Prop. libr. 4.

Tarpejusque Pater nuda de rupe tonabat.

Cerda.

Dextra, nimbosque cieret.] Et de dextra fulmina commoveret. nam modo *nimbos*, pro fulminibus posuit, quæ dextra jacit. Ægidis autem concussio commovet pluvias. Ergo *Concuteret ægida*, atque per eam nimbos moveret. *Servius.*

355. *Disjectis oppida muris.*] Unum Jani, aliud Saturni, jam tunc vetusta. *Idem.*

356. *Monumenta virorum.*] Hoc sermone ostendit etiam Saturnum virum fuisse, *Idem.*

357. *Hanc Janus pater.*] Janus in Janiculo habitavit, qui quod una navi exul venit, in pecunia ejus ex una parte Jani caput, ex altera navis signata est. *Idem.*

Hanc Janus, &c.] Vide Macrob. l. 1. c. 7. & Varr. l. 4. De Ling. Lat. & ibidem Scaligerum. *Janicuium* autem erat oppidum in regione transtiberina. *Taubmannus.*

Janus pater.] Servii sententiam, *in Jani pecunia ab una parte navium fuisse signatam, quoniam navi exul venerat,* destruit Macrob. lib. 1. Sat. c. 7. ubi de Jano loquens, sic ait: *Servavit & in hoc Saturni reverentiam, ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera navis exprimeretur, quo Saturni memoriam in posteros propagaret.* Ergo non *quia Janus exul venerat*, ut vult Servius, sed *Saturnus.* Verum felicius navis hujus symbolum, quia, ut Plutarchus in Ῥωμαικοῖς, etiam Janus, Euander, & Æneas mari in Italiam venerunt, de arca Noë interpretatur Samuel Bochartus lib. 1. Phaleg. c. 1. Ipsum vero nummum, qui æneus est, & quem mihi suppeditavit V. Cl. Theodor. Ryckius, J. U. D. & Hist. ac Eloq. Professor, hic subjicio. *Emmeness.*





Hanc

Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Euandri, passimque armenta videbant
Romanoque foro & lautis mugire Carinis.

Ut

Hanc Saturnus condidit arcem.] In codicibus aliquot antiquis, *arcem*, non *urbem* legas: quod est historiæ propius: Nisi *urbem* dictum sit ad ampliationem, & honestiorem rei nuncupationem: sive ad id respexerit, quod Roma inde κατ' ἐξοχὴν *urbs* appellata est. *Pierius.*

358. *Janiculum huic, &c.*] Arnob. lib. 1. *Janus Janiculi conditor, & civitatis Saturniæ Saturnus auctor.* Minutius: *Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium, & urbem Saturniam de suo nomine: & Janiculum Janus ad memoriam uterque posteritati reliquerunt.* Janiculum trans Tyberim situm Dionys. scribit lib. 5. Appian. 1. Civ. id nomen tribuit colli uni ex septem Romanis, τὸν λόφον τὸν καλούμενον ἰάνικλον. De altero ita legitur in fragmentis Origin. quæ exstant Catonis nomine: *à quo Saturnia olim, ubi nunc Capitolium, & ab ea late Saturnia terra.* Itaque, urbicula hæc Saturnia est, quæ deinde dicta Capitolium, consentiente etiam Dionys. qui lib. 2. per initia: *Ad collem alterum, qui nunc Romæ habitatur, tum Saturnium ab incolis, nunc à Romanis Capitolium appellatum.* Sed redeo ad verba Catonis, in quibus ille primo allusit ad versum Ennii, ——*Saturnius illi*

Nomen erat; de quo late Saturnia terra. Deinde ex ejus verbis videtur posse intelligi, nomen hoc datum proxime oppido, & hinc in Italiam reliquam manasse. *Cerda.*

359. *Dictis.*] Dubium nomen sit *dictis*, an participium. *Servius.*

Ad tecta subibant.] *Ad tecta subibant* inquit, non *tecta subibant*, ut ingredi; sed jam ut propiores fieri viderentur. *Donatus.*

Tecta.] Nullum cadit temere Virgilio verbum. Noluit *domum, ædes*, aut aliud simile, sed *tecta*, ut meram paupertatem exprimeret, quasi nihil aliud esset in eo tugurio, quam tectum, & tota Regia tantum non sub dio esset. Infra quoque, *angusti subter fastigia tecti: quia res inopes Euandrus habebat.* & hic; *Pauperis Euandri.* Iterum,

Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma. Cerda.

360. *Passimque armenta videbant.*] Quæ post mortem Caci passim nullo timore vagabantur. *Servius.*

361. *Romanoque foro.*] Romanum forum est, ubi nunc rostra sunt. Sed & hic prolepsin fecit, nam postea sic dictum est. *Idem.*

Lautis mugire Carinis.] Carinæ sunt ædificia facta in carinarum modum, quæ erant circa templum Telluris. *Lautas* autem dixit, aut propter elegantiam ædificiorum, aut propter Augustum, qui natus est in lautis carinis. Alii dicunt Carinas montem nominatum, quod ager suburbanus ante portas Cariis erat. Alii lautia loca legatorum, quæ in ea regione instructa accipere consueverant. Alii quod ibi Sabini nobiles habitaverint, quorum genus invidere & carinare solebat. *Carinare* autem est obtrectare. Ennius, *Contra carinantes, verba atque obscœna profatus.* Alibi, *Neque me decet hanc carinantibus edere chartis.* Alii quod Romani Sabinis instantibus fugientes eruptione aquæ ferventis & ipsi liberati, & hostes ab insequendo repressi. * quia calida aqua lavandis vulneribus apta fuit, locus lautulus appellatus est. *Idem.*

Lautis mugire Carinis.] In Romano codice legitur, *cavernis*, errore fœdo. *Pierius.*

Rom. for. & laut. mug. Carinis.] Hor. Epist. lib. 1. ep. 2. *Atque foro nimium*

Ut ventum ad ſedes, Hæc, inquit, limina victor
Alcides ſubiit; hæc illum regia cepit.
Aude, hoſpes, contemnere opes: & te quoque dignum
Finge

diſtare carinas Jam grandis natu queritur. In ea autem urbis regione Pompeji Magni domus fuit, quæ occupata ab Antonio, occaſionem joco & cavillo Sexti Pompeji dedit in Antonium exceptum cœna cum Cæſare à Pompejo ipſo in navi, profeſſò, ſe in carinis ſuis tum demum cœnam dare: de quo vide Plutarch. in Anton. & Paterc. *Germanus.*

362. *Ad ſedes.*] Pallatium. *Taubm.*

Hæc limina victor Alcides ſubiit, &c.] Virg. hic jus pontificale quibuſdam videtur ſubtiliter tangere, domus enim in qua Pontifex habitat regia dicitur, quod in ea rex ſacrificulus habitare conſueſſet, ſicut flaminia domus in qua flamen habitat dicebatur, quod hic oſtendit ex perſona Euandri, quem facit orantem, ut Æneas ſuam ingrederetur domum, non utique profanam, ſed ſacratam, ſcilicet quæ fuerit hoſpitium Herculis, illis verſibus, *Hæc, inquit, limina victor Alcides, hæc illum regia cepit*, quem etiam honore divinæ dignationis ſociat, adjiciens: *Aude hoſpes contemnere opes & te quoque dignum Finge deo:* hæc enim dicendo quid aliud agit, quam ut ſacratæ religionis uſum tribuat antiſti * divina communia, utpote quem etiam Pontificali honore nuncupaverat, dicens: *Maxime Teucrorum ductor*, neque enim quia ductor eo maximus, ſed quia maximus eo omnia * regiæ autem verius meminit dicendo; *Tecta ſubibant Pauperis Euandri, Romanoque foro*, quis enim ignorat regiam ubi Numa habitaverit in radicibus palatii finibuſque Romani fori eſſe? Victor autem Alcides ſubiit διουμβόλεως, id eſt bonum Æneæ omen oſtenditur, Varro enim divinarum lib. IV. victorem Herculem putat dictum, quod omne genus animalium decies vicerit: Sed Romæ, victoris Herculis ædes duæ ſunt, una ad portam trigeminam, altera ad forum boarium, cujus commenti cauſa hæc exponitur: Marcus Octavius Herſennus in prima adoleſcentia tibicen, poſtquam arti ſuæ diffiſus eſt, mercaturam inſtituit: bene re geſta, decimam Herculi dicavit, poſtea cum navigans hoc idem ageret à prædonibus circumventus fortiſſime pugnavit & victor receſſit, quem inſomnis Hercules docuit ſua opera ſervatum, cui Octavius, impetrato à magiſtratibus loco, ædem cum ſigno ſacravit, & victorem inciſis literis appellavit. Ergo Virgilium non tantum ad victoriam præſentem victorem dixiſſe, ſed occulte perpetuo ejus Epitheto uſum debemus accipere, quippe quem Romæ ſub hoc nomine ſacratum coli videbat, nam ſupra ait, *Tauroſque hac victor agebat*, cum de pugna ejus alia loqueretur. Sane hic *Subiit* juxta uſum præſentem accuſativo junxit, cum antiquo more alibi dativo junxerit, ut *Progreſſi ſubeunt luco.* Servius.

Victor Alcides.] De duabus Herculis Victoris ædibus Romæ, quarum hic mentionem facit Servius, vid. Salmaſ. Plinian. Exercitat. pag. 10. *Emmeneſſ.*

363. *Regia.*] Quæcunque domus, modo à rege habitetur, regia jure dicitur. *Donatus.*

Cepit.] Mire dixit, ut alibi, *Nec te Troja capit.* Servius.

364. *Aude, hoſpes, contemnere opes.*] Bene *Aude*, quaſi rem arduam & difficilem, tanquam virtute opus ſit animi & ad expellendum amorem divitiarum. *Idem.*

Aude, hoſpes.] Multum tribuit Æneæ, cum Herculi comparet. *Donatus.*

Aude.] In animum tuum, quaſi rem arduam, fortiter inducito ac ſuſtinero, ut ait Turn. l. 21. c. 8. quomodo Gr. τολμᾷν uſurpant. Martial. l. 12. epigr. 6.

—ſed tu ſub principe duro

Tem-

Finge deo; rebusque veni non asper egenis.
Dixit, & angusti subter fastigia tecti
Ingentem Ænean duxit, stratisque locavit
Effultum foliis & pelle Libystidis ursæ.
Nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur alis.

At

Temporibusque malis ausus es esse bonus.

Horat. 2. Epist. 2.

Audebit verba movere loco.

Nempe qui συμπλοκλὼ, & ἀπλευχίαν Virtutem constituerunt, partem quoque μεγαλοψυχίας in contemptu divitiarum posuerunt; ut μικροψυχίας, in cupidine earum. unde dixit, *Aude.* Taubmannus.

Te dignum finge deo] Compone te & forma in similitudinem numinis: quod juxta sectam cynicam hospes Herculis suadet: Sane quidam *deo*, pro immortalitate dictum volunt. *Serv.*

Te dignum finge deo.] *Finge*, præsta, forma, redde, ut supra de lupa, *alternos fingere lingua*: ut & Valerius *solidam virtutem nasci magis* dixit, *quam fingi. Deo* autem *Hercule* accipio. *Germanus.*

365. *Non asper.*] Non aspernator, id est, fastidiosus. *Servius.*

Rebusque veni non asper egenis.] Ne asper venias, inquit, aut offensus ex eo, quod ingrederis pauperis domum: ego enim, si copiosus non sum, nec abundans pro merito tuo, non sum tamen mendicus aut miser. Quapropter, quum dicimus: *rebusque veni non asper egenis*, non bis debemus accipere, ut sit: non asper veni usurus rebus egenis. *Don.*

366. *Angusti subter fastigia tecti &c.*] Ex contrarietate quæsitus ornatus, ait enim, *Angusti tecti subter fastigia ingentem Ænean duxit.* Servius.

Angusti subter fastigia tecti Ingentem Ænean duxit.] In codicibus aliquot antiquis, *subeunt* legitur. Sed *subter* lectio castior videtur. *Ingentem Ænean duxit*, imperfecta erit oratio. *Pierius.*

Angusti subter fastigea tecti, &c.] Præclare ingens hospes Æneas succedit subter angustum tectum. Ita Sidon. lib. 3. ep. 2. *Parva tuguria magnus hospes implesti.* Sed quidem Sidon. à Plin. accepit, qui Paneg. Trajani, *quod denique tectum magnus hospes impleveris.* Præclare Paulin. de Sancto Martino,

—— *Succedens humili tecto celsissimus hospes.*

Estque hoc fere illud, quod Claud. de Bell. Get.

Stat pallidus hospite magno
Pastor. ——

Ovid. 8. Metam. de Diis,

Summissoque humiles intrarunt vertice postes.

Itaque fuit necessarium, ut capita demitterent ingentes ipsi præ tecti angustia. *Cerda.*

368. *Effultum.*] Sicut supra dictum est, apud veteres dicebatur super quod unusquisque jacuisset. *Servius.*

Pelle Libystidis ursæ.] Species pro genere. nam cujuslibet feræ possumus accipere. Ideo dicit *Libystidis*, ut ex pretio bestiæ aliquid gratiæ potuisset ipsis stratis accedere. *Idem.*

Pelle Libystidis ursæ.] Ut ex precio bestiæ, aliquid gratiæ illi strato adderet. *Donatus.*

Libystidis ursæ.]Vide quæ de vocis hujus orthographia Pierius, supra lib. 5. Æn. ad vs. 37. quæque ad illum locum de ursis Africanis Cerda: & locum, quem nos ibi citavimus. *Emmeness.*

369. *Nox fuscis tellurem amplectitur alis.*] Passim, ut supra, νὺξ μελανόπτερος. & sæpe apud Hom. μέλαινα, & ἐρεβεννή· & Eurip. μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων. *Germanus.*

Fuscis.] Cornelius Fronto ait: *Fusco album opponitur, nigro candidum.* Præclare ergo *fuscus color* in exitu diei, qui in ortu est *albus.* Nam de oriente luce proferri *albente die, cælo*, &c. non, *cælo can-*

At Venus haud animo nequicquam exterrita mater,
Laurentumque minis & duro mota tumultu,
Volcanum adloquitur, thalamoque hæc conjugis aureo
Incipit, & dictis divinum adspirat amorem:
Dum

do candido, quis est, qui ignoret? Ab eodem Frontone illustro Ovid. 11. Metam. canentem,

Candida de nigris, & de candentibus atra.

ubi *candida nigris* opponit. A Virgilio corrigendus Tibullus Eleg. 1. libr. 2. ubi de Somno, *fulvis circumdatus alis*, legendum, *fuscis*. Cerda.

Amplectitur.] Ita Stat. 11. Theb.

Nox favet, & grata profugos amplectitur.

Et lib. 1.

Nox quæ terrarum, cœlique amplexa labores.

Idem.

Alis.] Alæ nocti dantur. Eur. Orest. ubi nox invocatur, μόλε, μόλε κατάπτερος. *veni, veni pennigera.* Ennius 16. Annal.

Nox quando mediis signis præcincta volabat.

Stat. 2. Theb. loquens de nocte, *volat umbra.* Idem.

370. *Exterrita mater.*] Ideo territa, quia mater. *Servius.*

Tumultu.] Gallicus tumultus. *Idem.*

372. *Volcanum adloquitur.*] Tantum habens spei, quantum uxor de viro concipere debet: & tantum desperationis, quantum odium inter vitricum & privignum esse consuevit. Ergo illum fraude adoritur. *Donatus.*

Thalamo.] Ut inter secreta lectuli extorqueret, quod ille nollet. *Idem.*

Thalamo.] Id est, in thalamo. Observata Poëtæ occasio aptissima huic sermoni. Nam in thalamo, id est, in loco dicato amoribus, quid non uxor consequeretur? Hæc sunt illa tempora, quæ 4. Æneid. dicuntur *mollissima*, & *molles aditus.* Unice quadrant in hunc locum versus Lucret. lib. 1. ubi monens Venerem, quo puncto temporis debeat petere pacem à Marte, ita ait:

Hunc tu Diva tuo recubantem corpore sancto
Circumfusa super, suaves ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis inclyta pacem.

Observandum itaque, qua occasione Principem adeas, aliquid petiturus. Martialis volebat librum suum tradi Domitiano, cum lætus esset post epulas, non matutino tempore. Hoc idem vult caveri libris suis Ovid. 1. Trist. *si cuncta videbis mitia*, &c. & libr. 2. Ponti,

Cumque serenus erit, vultusque remiserit illos,
Qui secum terras, Imperiumque movent.

Sed aurei sunt versus Horat. lib. 1. epist. petentis à Vinnio, videat qua occasione Cæsarem pro se adeat.

Si validus, si lætus erit, si denique poscet,
Ne studio nostri preces, odiumque libellis
Sedulus importes opera vehemente minister.

Cerda.

Aureo.] Similis sæpe nitor in Poëtis omnibus, & in uno Homero sæpissime, in cujus paginis frequentissime de Deorum ornatu, quorum ædes, cubicula, currus, thalamus; aurea, argentea, nitida omnia. Euripid. Phoeniss. Palladem vocat χρυσάσπιδα. Convivia Deorum apud Calab. lib. 4. χρυσείοις κανίοισι. Callimachus in Hymno dat Apollini indumentum, fibulam, arcum, pharetram, lyram, calceos, omnia χρύσεα. Deorum *aurea barba* celebratur. Vide Sueton. c. 52. Calig. *Idem.*

373. *Dictis divinum adspirat amorem.*] Id est, dictis suis addit venustatem, ut amabiliter ejus audiatur oratio.

Sane

Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita casurasque inimicis ignibus arces;

Non

Sane Venus petitura pro filio de adulterio procreato, orationem suam ingenti arte composuit: quod etiam Vulcanus ipse testatur dicens *quid caussas petis ex alto*? Non enim aperta est petitio ejus: sed longo procemio perversum amorem arte circumvenit. Præsentem ergo quæstionem hanc, quæ nascitur ex petitione Veneris impudica, solvimus his modis: Primo quod Vulcanum amore circunvenit: nam & post completam orationem statim eum complectitur & molli amplexu fovet: Deinde nacta est ejus occasionem temporis, quo Marti arma faciebat, quem fuisse sciebat adulterum: per quod datur intelligi, Vulcanum jam omnem suspicionem & iram, quam habuit circa Venerem, deposuisse, adeo ut arma etiam ipsi fabricaret adultero. præterea Vulcanum uxorium fuisse testantur, & ipse Virgilius dicens, *Tunc pater æterno fatur devinctus amore.* & Statius, ubi Martem Venus alloquitur: ut, *At non eadem Vulcania nobis Obsequia, & lasi servit tamen ira mariti.* Nam quod dicit Donatus potuisse fieri, ut cum Anchisa concumberet Venus ante quam Vulcano nuberet, non procedit. Constat enim à principio Venerem uxorem fuisse Vulcani. Sane divinum τὸ θεῖον debemus accipere. *Servius.*

Divinum.] Quem humanis pectoribus dono inserere consuevit. Nam amor, qui est ex voluntate nostra, humanus est. *Donatus.*

Divinum amorem.] Hunc locum frustra suggillat Euangelus apud Macrob. Sat. I. c. 24. quem tuetur Pontanus in *Antonio.* Taubm.

Aspirat amorem.] In aliquot codicibus antiquis, *inspirat*. Sed & *adspirat* invenitur, quod nonnullis placet. *Pier.*

374. *Dum bello Argolici, &c.*] *Dum*, postquam. Sane hæc oratio rhetorica suasio est, nam principium à verecundia sumpsit, dicendo enim nunquam se molestam antea fuisse, ostendit impetrare debere, præsertim ex eo, quod non timuerit petere. *Nunc Jovis imperio Rutulorum constitit oris: Ergo eadem supplex venio.* Hæc non tantum rogandi, sed etiam impetrandi vim habent, verso tamen ordine; nam primo arma petit, deinde adjuvat exemplo dicendo, *Te filia Nerei* &c. deinde causam *Aspice qui coeant populi.* Ipsum enim *Populi* multitudinem significat, & quasi non impugnet, sed impugnetur Æneas, ita pathos fecit dicens, *In me Excidiumque meorum*: nam quod à principio arma petit, hæc ratio est, quod rem nec magnam, nec difficilem Vulcano petebat, ideo & statim posuit, nam ubi majus aliquid est, ante causa dicenda est, ut præmollitis animis, tunc quod petitur, suggeratur. *Servius.*

Dum bello Argolici.] Diutius immoratur Homerus, quam hic Virgilius Il. ξ. cum Junonem inducit κεκαλλωπισμένην, varioque ornatu, & mundo muliebri instructam uxoriis illecebris mariti animum tentantem, & periclitantem. *Germanus.*

Dum bello Argolici vastabant Pergama reges Debita.] Frustra in Virgilian. Lection. contendit H. Stephanus Servium hic pro *bello* legisse *fato*, quia *debita* exponit: *fataliter ad exitium destinata.* Nam præterquam quod Pierius nullam ex vett. codd. lectionis hujus mentionem faciat, Servius similiter infra ad ℣. 410. ubi de fato ne verbum quidem, *cui tolerare vitam impositum* exponit: *cui hæc est fataliter data necessitas.* Sed τὸ *debita* hoc significat, ut ex Servio hic, & ad ℣. 398. patet: in quo loco ad verba, *nec fata vetabant stare*, commentatur: *atqui supra ait debita.* Emmenesſ.

375. *Debita.*] Fataliter ad exitium destinata. *Servius.*

Curasque inimicis ignibus arces.] Causa cur non petierit. *Idem.*

376. Mi-

Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opisque tuæ: nec te, carissime conjunx,
Incassumve tuos volui exercere labores:
Quamvis & Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ flevissem sæpe laborem.
Nunc Jovis imperiis Rutulorum constitit oris.
Ergo eadem supplex venio, & sanctum mihi numen

Arma

376. *Miseris.*] Atqui honestum est miseris subvenire: sed hoc dicit, cur te fatigarem pro hominibus fati necessitate perituris. *Serv.*

Non arma rogavi.] Argute hic in principio *arma* nominat, ut jam intelligatur quid peritura sit. *Idem.*

377. *Artis opisque tuæ.*] Duo duobus reddit, opis *arma:* aut certe idem valet *opis* quod *artis*, hinc opifices. *Idem.*

Artis opisque tuæ.] In antiquis aliquot codicibus, *opusve*, ut sit, *Arma opusve artis tuæ.* Nam non tam Armorum præsidium: quam etiam artificii visendam pulchritudinem admirabitur Poëta, in armis ipsis. Est etiam *opisque* legere. *Pierius.*

378. *Incassumve tuos.*] Ordo est, *tuosve labores incassum exercere volui.* Servius.

379. *Priami deberem plurima natis.*] Scimus quod Paridi tantum debuit: sed hoc honestius ad aliarum commemorationem personarum adduci potest, ne ex turpi caussa Paridi debuisse videatur, & simul, ut quidam tradunt pulchritudinis suæ Vulcanum admoneret, hoc est formæ judicio Jovis conjugem vici. *Idem.*

Priami natis.] De Creusa maxime intelligit; laborat autem ut verecunde videatur petere, ne mariti auxilium inaniter rogaret in rebus, quæ removeri non possent. *Donatus.*

380. *Æneæ flevissem sæpe laborem.*] Bene post Pergama, post Trojanos, post Priami liberos, cum excusatione fit Æneæ commemoratio: Dicit enim se ejus infelicitate commotam, ut illud causas habeat, hoc miseratione consistat. *Servius.*

381. *Jovis imperio.*] Id est, nunc vero, & subdistingue, nunc autem Jovis imperio, ne videatur impudens, si aliena regna deposceret: & hoc latenter dicere videtur, Fave huic, cui etiam Jupiter favet. *Idem.*

Nunc Jovis imperiis Rutulorum constitit oris.] In Oblongo codice, & quibusdam aliis antiquis, *imperio* unitatis numero legitur, quod etiam apud Servium advertas. Missum vero faciam, quod in plerisque codicibus & hic & alibi *Rutilorum* secunda syllaba per *i* notatur. *Pierius.*

382. *Eadem.*] Quæ nunc scilicet silui, quæ nihil petii. *Servius.*

Supplex venio.] Allusum ad ἱκέτας, sic enim dicti supplices, παρὰ τὸ ἱκέσθαι, quod venirent. Inde apud Curt. lib. 4. *Si veneris supplex, & matrem, & conjugem, & liberos recepturum te esse promitto.* Itaque *venire supplicem*, est ἱκέσθαι ἱκέτην: qua forma, *furere furorem, sævire sævitiam*, &c. Sed carent Latini simili paronomasia. Barbare diceres *venientem venire*, id est, esse supplicem: sed culte *supplicem venire.* Sic in 11. *en supplex venio.* Stat. 1. Theb. *supplex advenio.* Arnob. lib. 1. *supplices irent.* Inde Tertull. de idololat. *De adversaria officina in domum Dei venire*, id est, venire supplicem. *Cerda.*

Sanctum mihi numen.] Si *sanctum* simpliciter accipiatur, leve est numen, Ergo *sanctum*, ut *leges sanctas* dicimus, id est, firmas, à sanciendo. *Servius.*

383. *Arma*

Arma rogo genetrix nato. te filia Nerei,
Te potuit lacrimis Tithonia flectere conjunx.
Aspice, qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.
Dixerat: & niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. ille repente

Acce-

383. *Arma rogo.*] Hic distinguendum, ut cui petat non dicat: sed relinquat intelligi, ne fœde apud maritum & amorem suum circa Anchisem memoret & susceptum de adulterio filium. *Idem.*

Genetrix nato. te filia Nerei.] Hoc est, soles hoc præstare matribus, & dicit Thetidem quæ Achilli arma impetravit. Et bonis utitur comparationibus dicendo *filia Nerei*, cum Ipsa Jovis sit filia. Item uxor Tithonia, cum sit ipsa Vulcani. *Neri*, autem, pro Nerei. Omnia enim quæ in *eus* exeunt hodie, apud majores in *es* exibant: ut *Nereus Neres*: *Tydeus Tydes*: & genitivum in *eis* mittebant, ut, *Tydeis*, *Nereis*. Sed quia plerumque *s* supra in Latinitate detrahitur, remanebat *ei*. Hinc est *filia Nerei*, *Immitis Achillei*. Item, in Sallustio, *Ad bellum Persei Macedonicum.* Idem.

Genetrix nato.] Majorem miserationem movet nominibus necessitudinum, quam movisset nominibus propriis. *Donatus.*

Genetrix.] Ex antiquioribus codicib. scribendum *genetrix* media syllaba per *e*, ut alibi monuimus. *Pierius.*

Te filia Nerei.] In codicibus aliquot antiquis, *Neri* legitur. In nonnullis, *Neres.* Super quo declinatu multa Servius memorat. Priscianus vero in hujusmodi nominibus positum ait dativum pro genitivo. Quare *Nerei* scribendum erit. Sed *Neri* pronuntiare non incongruum, facta synæresi in *ei* Græcam diphthongum. *Idem.*

384. *Tithonia conjux.*] Aurora pro Memnone. *Servius.*

Tithonia conjux.] Nimirum & Quintus Calaber lib. 2. de pugna Achillis & Memnonis, *τύκτον ἀσπίδας, ἅς ἥφαιστος ὑπ' ἀμβροσίῃ κάμε τέχνῃ. Germ.*

385. *Aspice qui coëant populi.*] Τὸ αἴτιον. ut præsentem ostenderet necessitatem, dicendo autem *populi*, phantasiam fecit. *Servius.*

Clausis Ferrum acuant portis.] Ut ostenderet festinationem, dixit enim superius, *Quinque adeo magnæ positis incudibus urbes Tela novant.* Idem.

386. *In me.*] Artificiose arma petit etiam sibi profutura: Nisi enim subvenis, iterum vulnerabor. Nam à Græcis fuerat vulnerata. Unde est, *Equidem credo mea vulnera restant.* Idem.

In me.] Junxit personam suam, ut magis moveret. *Donatus.*

387. *Niveis.*] Ad exemplum fortasse Homeri, qui suam Junonem sæpissime λευκώλενον. A quo etiam Arnob. lib. 4. loquens de Junone, *Ulnarum nivei, marmoreique candores.* Calp. Flacc. Declam. 2. *nivea membra.* Nonnus lib. 31. Dionys. χιονέῃσι παρειῇσι. Eurip. in Aul. λευκὴν δέρην. Tale illud Horat. —— *brachia candida Cervici juvenis dabat.* —— Cerda.

388. *Cunctantem.*] Scilicet de promissione, quam per amplexum suum immisso amore persolvit. *Servius.*

Cunctantem amplexu molli fovet.] In Servii verbis aliquid desideratur: & ut illi etiam suppetias feramus, Nonius Marcellus locum hunc exponens ait *cunctantem*, *dubitantem.* Quare ita etiam apud Servium legendum crediderim, *Cunctantem* dubitantem scilicet de promissione. Deest enim *dubitantem* in Servianis scriptis. *Pierius.*

Cunctantem amplexu molli fovet.] Videtur

Accepit solitam flammam: notusque medullas
Intravit calor, & labefacta per ossa cucurrit.
Non secus atque olim, tonitru cum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.

Sensit

detur hic locus simile aliquid habere cum illo Homeri Il. α. quando Jovem cunctantem inducit in responso faciendo ad Thetidis postulata: τὴν δ' οὔτι προσέφη νεφεληγερέτα Ζεὺς, ἀλλ' ἀκέων δὴν ἧστο, Θέτις δ' ὡς ἥψατο γούνων, ὡς ἔχετ' ἐμπεφυυῖα, καὶ εἴρετο δεύτερον αὖθις. Ut autem hic, *hinc atque hinc diva lacertis*, Epig. νύμφη νυμφίον ἀμφιχυθεῖσα περίπλοκον ἠδὲ δεσμῷ. *Germ.*

Cunctantem amplexu molli fovet.] Sic apud Apul. lib. 5. Metam. *His verbis & amplexibus mollibus decantatus maritus, lacrymasque ejus suis crinibus detergens, facturum spopondit.* Emmeness.

389. *Accepit solitam flammam.*] Vel quasi maritus, vel alludit ad rem naturalem. Namque ideo Vulcanus maritus fingitur Veneris, quod Venerium officium non nisi calore consistit. Unde est, *Frigidus in Venerem senior.* Servius.

Accepit solitam flammam.] Ostendit plus profuisse, loci, temporis & personæ observationem quam verba. *Donat.*

Flammam.] Omnia explicant vim amoris, *flammæ, medullæ, ossa.* Horat. de amore, *torret.* Noster de Dione, *ardet.* Ab Apollon. l. 3. amor dicitur οὖλος, *ferus.* Quia videlicet, ὑπὸ καρδίῃ εἰλυμένος αἴθετο λάθρῃ, *sub corde tectus occulte ardebat.* & sup. dixerat, βέλος δ' ἐνεδαίετο κούρῃ· *sagitta ardebat in virgine*, quæ ὑπὸ καρδίῃ. *Cerda.*

Accepit solitam flammam: notusque medullas Intravit calor, &c.] Similis amoris descriptio occurrit apud Stat. lib. 2. Achill. ℣s. 104.

—— nullo temeratus pectora motu
Diriguit totisque novum bibit ossibus ignem.
Nec latet haustus amor. sed fax vibrata medullis
In vultus atque ora redit, lucemque genarum
Tingit, & impulsam tenui sudore pererrat.

& statim:

Sic variis manifesta notis, palletque, rubetque
Flamma recens. Emmeness.

390. *Labefacta per ossa cucurrit.*] Si ossa labefecit, quanto magis animum? *Servius.*

Et labefacta per ossa cucurrit.] In plerisque codicibus antiquis, *calefacta* legi, sed *labefacta* Servius agnoscit. Quæ phrasis Catulliana est, *Non si illam raræ labefactes munere vestis.* Pierius.

391. *Atque olim.*] Fere ut solet. nam non est adverbium temporis. *Servius.*

Atque olim.] *Wie bisszweilen.* Est enim *olim* Adverb. omnium horarum. V. N. Plaut. Mil. act. 1. 1. *Taubm.*

Rupta.] Hoc Græci ῥήγνυσθαι. Iliad. 16. ὑπερράγη αἰθήρ. & Plut. in caus. Phys. πυρὶ κεχαυνίᾳ ῥαγῆναι, & in Lucul. ἀέρος ἀπορραγέντος. Sic & Stat. 1. Theb. *rumpitur æther.* & 7. *fulmina rupta.* Manil. lib. 1. *cœlum fulmine ruptum.* Ex Musa Virg. Petronius:

Vix dum finierat, cum fulgure rupta corusco
Intremuit nubes, elisosque abscidit ignes. Cerda.

392. *Ignea rima micans.*] Id est, fulmen, cujus naturam expressit. Namque nubes vento coactæ plerumque rumpuntur, & ex se fulmen emittunt. Quamvis philosophi fulgura & tonitrua simul exprimi dicant. Sed illud celerius videtur, quia clarum est, tonitrua autem ad aures tardius pervenire. Alii *Rima micans*, Fulgetram dicunt, ex hoc ad velocitatem amoris, qui momento Vulcanum percussit. *Servius.*

Ignea rima.] A Virgil. clare Plin. c. 43. l. 2. *coruscare igneas nubium rimas.* Manil.

Sensit læta dolis & formæ conscia conjunx.
Tum pater æterno fatur devinctus amore:
Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit
Quo

nil. lib. 1. mutavit in verbum,

Dum nova per cæcam rimantur lumina noctem.

Circumscripsit, credo, idem has igneas rimas per *tenues flammas*. Hinc etiam colorem traxit Sidon. epist. 11. lib. 1. *dedit hiantis interregni rima fulgorem.* Pulchro flexu Val. 4. Arg. *noctem lux dirimit.* Cerda.

Percurrit lumine nimbos.] Ab Lucret. qui lib. 5.

— & magnum percurrunt murmura cœlum.

Ab utroque Propert. Eleg. 16. lib. 2.

Vidistin' toto sonitus percurrere cœlo?

Noster maluit *nimbos* signate & proprie, non cœlum: nam fulmina generantur in nubibus. Itaque Manil. lib. 1. *fabricantes fulmina nubes.* Idem.

393. *Sensit læta dolis & formæ conscia conjunx.*] Intellexit se sola pulchritudine pervertisse mentem mariti. Alii duabus rebus Venerem volunt maritum adgressum, dolis & pulchritudine; & volunt melius, *dolis* & *formæ conscia*, quam læta; & *formæ* melius dativo casu quam genitivo. *Servius.*

Sensit læta dolis, &c.] Sapor Homericus 14. Iliad.

Τὸν δὲ δολοφρονέουσα προσηύδα πότνια Ἥρη.

Et Virgilianus in Lucano lib. 10.

Quem formæ confisa suæ Cleopatra, sine ullis
Tristis adit lacrymis simulatum compta dolorem. Cerda.

394. *Pater.*] Qui loco patris Æneæ esset profuturus. *Donatus.*

Æterno amore.] Turn. lib. 13. cap. 8. explicat magno, atque immenso, quia Curt. lib. 4. *Ablue corpus illuvie, æternisque sordibus squallidum.* Possis etiam ita Lucretium, qui lib. 1. de Marte amante Venerem, ad quem certe aspiravit Virg.

— in gremium qui sæpe tuum se
Rejicit, æterno devinctus vulnere amoris. Cerda.

Devinctus.] Hoc sermone ostendit eum posse cuncta concedere. *Serv.*

Æterno devinctus amore.] In Romano codice, & in quibusdam aliis pervetetibus, *devinctus* legitur, quod amoris proprium est, & vinculum in mysticis significationibus amorem denotat. Neminem enim facilius ad te trahas, & arbitrio colligaris tuo, quam amantem. Poëtæ vero passim amoris laqueos & retia decantarunt; ut sæpe apud Lucretium:

Nam vitare plagas in Amoris ne jaciamur,
Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos. Pierius.

Æterno devinctus amore.] V. Codd. *devictus amore*, quomodo etiam malit Gifanius, ad illud Lucr. 1.

— æterno devinctus vulnere amoris.

Taubmannus.

395. *Quid caussas petis ex alto?*] Mirum & hoc libenter, & olim de promittentis * & utitur argumentatione longe repetita. Est autem de usu dictum, Cicero primo libro ad Brutum, *Si Pompejus non ex alto peteret, & multis verbis me jam hortaretur.* Servius.

Quid caussas?] Ita loquitur, quasi non ipse esset, qui paulo ante cunctabatur. *Donatus.*

Ex alto.] Longa circuitione verborum. *Idem.*

Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit Quo tibi diva mei.] Legitur utroque loco, *quid*, ut repetitio sit, *quid caussas petis ex alto? fiducia cessit quid tibi diva mei?* Sed *quo* adverbium secundo loco magis placet. Illud autem, quod est *ex alto* Servius exponit, *argumentatione longe repetita.* Nonius, *ex vetusto & antiquo* interpretatur *Pierius.*

Quid

Quo tibi, diva, mei? similis si cura fuisset,
[Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset.]
Nec pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc si bellare paras, atque hæc tibi mens est;
Quicquid in arte mea possum promittere curæ;
Quod fieri ferro, liquidove potest electro,

Quan-

Quid caussas petis ex alto?] Actius armorum judicio, ut suggessit mihi D. Giphanius, *Cur cætera tam ex alto appetissis dissidia Agamemnon?* Germanus.

397. *Tum quoque.*] Sicut nunc, & tunc quoque bis audiendum. *Serv.*

Teucros armare.] Per *Teucros* Ænean debemus accipere, quia Venus ante ait, *Arma rogo*, & subjungendo *Genetrix nato*, per similitudinem significat Ænean. Ergo Poëta aliud dicendo, aliud dedit intelligi. Sane fuisset in proximo repetitum decorem addidit. * *Idem.*

398. *Nec pater omnipotens.*] Notandum, quod hic Iovem à fatis separet, cum alibi jungat, ut, *Sic fata deûm rex Sortitur.* Sed hanc imminentium malorum dilationem Etrusci libri, primo loco à Jove dicunt posse impetrari, postea fatis, unde & hic sic ait, *Nec pater omnipotens, nec fata vetabant.* Idem.

Nec pater omnipotens.] Non posse penitus subverti, sed posse differri fata, ostendit Poëta. *Donatus.*

Nec fata vetabant Stare.] Atqui supra ait, *debita.* Sed sciendnm secundum aruspicinæ libros & sacra Acherontia, quæ Tages composuisse dicitur, fata decem annis quadam ratione differri: quod nunc dicit Vulcanus potuisse fieri. Ergo non est contrarium. nam fata differuntur tantum, nunquam penitus immutantur: quod etiam Juno dicit, ut, *Atque immota manet fatis Lavinia conjux. Attrahere atque moram tantis licet addere rebus.* Servius.

400. *Si bellare paras.*] Quia dixerat, *In me excidiumque meorum.* Quidam hunc sensum illi jungunt, *absiste precando Viribus indubitare tuis*, cætera enim per parenthesin dicta sunt. *Idem.*

Si bellare paras.] Non dubium, quin hæc respiciant Homericam Venerem, quæ inter arma, ut Juno, & Pallas. De armata Venere exstat Epigram. Leonidæ lib. 4. Anthol.

Ἄρεος ἔντεα ταῦτα τίνος χάριν ὦ Κυθέρεια
Ἐνδέδυσαι, κενεὸν τοῦτο φέρουσα βάρος;
Αὐτὸν Ἄρη γυμνὴ γὰρ ἀφώπλισας. εἰ δὲ λέλειπται
Καὶ θεὸς, ἀνθρώποις ὅπλα μάτην ἐπάγεις.

Cujus (obsecro) *gratia ô Venus Martis arma hæc*
Induisti, ferens inane hoc pondus?
Nuda enim cum esses Martem ipsum vicisti. Si itaque victus
Deus, frustra in homines arma geris.

Cerda.

401. *Quicquid in arte mea possum promittere curæ.*] Quicquid in me curæ est, id est, officii & sollicitudinis. *Servius.*

402. *Ferro.*] Ad robur pertinet. *Don.*

Liquido electro.] Aut liquefacto aut puro: & secundum Plinium in naturali historia, sunt tria electri genera: unum ex arboribus, quod succinum dicitur: aliud quod naturaliter invenitur: tertium quod fit de tribus partibus auri & una argenti: quas partes etiam si naturam resolvas, invenies. Unde errant qui dicunt melius esse naturale. Electri autem natura probatur veneno, quo recepto & stridorem emittit, & varios ad similitudinem arcus cœlestis reddit colores. Et ad lumina

Quantum ignes animæque valent; absiste precando
Viribus indubitare tuis. ea verba locutus

Opta-

mina in convivio clarius auro & argento lucent. *Servius.*

Liquidove potest electro.] *Poteftur* omnino in codicibus aliquot antiquis reperitur. Et in aliquot etiam duæ ultimæ literæ abrasæ sunt. In Romano tamen, & in quibusdam aliis codicibus, ipsa vetustate venerabilibus *potest* habetur. Quod magis placet, ut duo declinemus evitanda. *Poteftur* illud post Lucretiana tempora jam obsoletum, & primam in dictione *electro* correptam, quæ natura longa est, ut: *Sudant electra myricæ*; ἤλεκτροι enim Græce per η vocalem, omnium porro consensu longam, scribitur. *Pierius.*

Liquidove potest electro.] Διαφεγγεῖ ἠλέκτρῳ. Pollicetur è ferri electrique temperatura, arma firma & splendida. Est autem *electrum* auri argentique mixtura quædam, ut Plinio & Pausaniæ videtur, quinta argenti portione commista. Tertull. Adverf. Hermogen. cap. 25. *Electrum ex auro & argento fœderatum.* Utitur & infra, ℣s. 624. & in Ceiri:

Dives coralio fragili, ac electro lacrimoso:

ita enim ibi Josephus Scaliger restituit. Servius tria genera electri facit. quem vide. Cæterum variat hic lectio. Politianus quidem Miscell. cap. 71. & Fabricius & H. Stephanus in Schediasmat. Virgil. & plusculi Codd. MSS. hanc propugnant. Contra Erythræus, auctoritate Nonii, Prisciani & vett. quorundam Codicum, legit:

—— *liquidove poteftur electro.*

proque ista lectione tanquam pro aris & focis pugnat: quæ quidem nec Lambino, nec Pimpontio improbata fuit. Neque obstare ajunt modulum Syllabæ in ἤλεκτρον· cum Latinis nulla sit religio, interdum à quantitate Græcorum discedere. Esse etiam, qui Creticum hic agnoscant. Ajunt præterea, Poëtam de industria antiquum sermonem dedisse Vulcano; exemplo Jovis & Junonis, quorum ille *fuat*, hæc *confieri* Æn. 10. & 4. dixerit, &c. *Taubmannus.*

Electro.] Ad pulchritudinem. Sed armorum splendor vehementer arcet hostes. *Donatus.*

403. *Animæque valent.*] Fabrica Vulcani duobus constat, ventis, & flatu, hic ergo *animæ* pro spiritu quo fabriles folles inflari solent, id est, venti, ἀπὸ τ̃ ἀνέμων. Horatius, *Impellant animæ lintea Thraciæ.* Unde *anima* dicitur, quæ secundum aliquos ventus est. ut, *Atque in ventos vita recessit.* Servius.

Animæ.] Venti, quibus ignis animatur. *Donatus.*

Animæ.] Venti, quibus ignis è follibus animatur. *Animæ* enim ventis attributæ sunt. Arnobius: *Nunquid suas animas exspiraverunt venti?* Lucret. lib. 5. *ventorum secundas animas* dixit. Hinc perbelle *venti inanimes exspirare*, ab Apul. dicuntur. nec abit fortasse alterum Arnobii: *Emortuis flaminibus neque cælum coarctatur in nubila.* Vide J. Meurs. Crit. Arnob. lib. 1. cap. 2. *Taubm.*

Absiste precando.] Hac forma Liv. *absistere obsidendo.* Ut vero cum infinito, *absiste indubitare*, ita in 6. *absiste moveri.* Phæd. in fabell. *timere absistite.* Cerda.

404. *Viribus indubitare tuis.*] Id est dubitare. nam *in* vacat, & hoc dicit, Precum nimietas postulationis significat dubitationem. Sane *indubitare* quis ante hunc. *Servius.*

Viribus indubitare tuis.] Desine, me rogando, ostendere, te diffidere tuæ apud me auctoritati. Non enim verum est (ait Scalig. l. 4. 16.) quod dixit Servius, *in* vacare. Auget enim ut *infractum.* Quærit tamen Servius, quis ante Virgil. ita locutus sit. *Taubm.*

Ea verba locutus.] Quidam humiliter dictum accipiunt. *Servius.*

Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.
Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum, cum femina primum,
Cui

405. *Optatos dedit amplexus.*] Quales hi essent, explicat Claud. Magn.

— Cytherea maritum
Sponte rapit, cœlique toros imitata priores
Pectora lascivo flatu Mavortia nectit.

Lege Agell. lib. 9. cap. 10. *Cerda.*

Placidum.] In 4. *placidam quietem.* A Bacchilide, somnus μελίφρων. Cum toto hoc Virgilii cursu consentaneus locus Statii 3. Thebaid. ubi Venus Martem supplex aggreditur, ille vincitur lenocinio sermonis, atque etiam in amplexus ruit. *Idem.*

406. *Conjugis infusus gremio.*] Hoc est, ante concubuit, & sic quievit. Probus vero & Carminius propter sensum cacephaton, *infusum* legunt, ut sit sensus, Dormiit cum conjuge dormiente, id est, petiit soporem infusum, etiam conjugis è gremio. Alii *infusus* legunt, ut significetur coisse illos, & sic sopitos, & volunt esse emphasin coitus, nam *infusum gremio soporem* nihil esse dicunt: multi autem cacephaton accipiunt; ne duo epitheta videantur, *placidum* & *infusum*: Alii figurate accipiunt *placidum per membra*, pro eo, quod est placidum membris. *Servius.*

Conjugis infusus gremio.] Sunt codices admodum veteres, in quibus *infusum* legitur, quod non æque placet. *Pierius.*

Infusus.] Bene. quem scil. amoris calor liquefecerat. Ita 2. G. de Jove pluvio:

— fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ descendit.

Taubmannus.

Gremio.] Intelligimus *gremium*, non solum sedentis sinum, verum etiam quicquid homini ad requiem præstiterit locum. ita alibi, *Et forum gremio dea tollit in altum.* Donatus.

Per membra.] Potest ambiguum videri, Vulcani an Veneris. *Servius.*

407. *Inde, ubi.*] Scalig. Poët. l. 2. c. 6. & lib. 5. cap. 6. *Taubm.*

Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactæ, &c.] Similiter supra l. 2. Æn. ℣. 268.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono divûm gratissima serpit.

Ad quem locum vide quæ de noctis & diei divisione Servius. Addo hic Censorinum De die natali in fine cap. 23. & 24. *Emmeness.*

Prima quies, &c.] Ita vocat somnum usque ad mediam noctem. De Juliano ait Ammian. lib. 16. solitum surgere, cum esset in bello, *nocte dimidiata.* Integram noctem suis militibus dormire non permittebat Annibal, de quo Sil. libr. 12.

Pœnus ut ad somnos vix totam cursibus actæ
Indulsit pubi noctem. —

Est in Stat. 1. Theb.

— vix lucis spatio, vix noctis abactæ.

Cerda.

408. *Curriculo.*] Tempore modo: alias loco, alias officio. Cicero in oratore, pro loci spatio. *Hæc sunt curricula ac spacia multiplicium variorumque verborum.* Et multi sic distinguunt: *Inde ubi prima quies medio jam noctis abactæ, Curriculo expulerat somnum, cum fæmina primum Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva impositum.* nam quies curriculo expulerat somnum cum pene nihil est: quid enim est quies, nisi somnus? aut ut sit aliquid, non est abstemia matrona illa dum surgit, quia est tiata * maxime, aut *tolerare colo vitam, tenuique Minerva Impositum*: Et hic distinguitur, quid enim est *Impositum cinerem*? cum illud

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva,

Inposi-

illud sit pulchrius, cui castitas imposuit lanificio tolerare vitam, ut sequatur, *Cinerem & sopitos suscitat ignes*, ut alibi, *Et sopitas ignibus aras excitat*. Serv.

Cum femina primum, Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva.] Quia sequitur inferius, *Haud secus ignipotens*, crediderunt nonnulli *ceu fœmina* legendum. Sed enim codices plerique veteres, cum iis, qui apud me sunt, *cum*, non *ceu* legunt: spectat enim comparatio ad tempus etiam antelucanum, quod & Volcanalia nuncupant: quare addit, *Nec tempore segnior illo*. Sed hoc utcunque placeat, non laboro. Quod vero super *tenuique Minerva* tam multa congerantur ab interpretibus, in loci hujus expositionem excogitata, aliter nonnulli codices admodum antiqui legunt, ubi *calathisque Minervæ* habetur. Sed enim *tenuique Minerva* in Romano codice est, in Mediceo, & aliis quibusdam, eamque lectionem agnoscunt Arus. Messus, & Priscianus. *Pierius*.

Quum femina.] Ita MSS. & H. Steph. & Turneb. leg. quod & Fabric. probat, & Interpres Terentii. Porro hanc mire elegantem ethopœiam & œconomiam in fæmina paupere & industria notat & Scalig. lib. 3. c. 2. *Taubm.*

Cum femina.] Petita proculdubio comparatio ab Apollon. 3. Arg. ubi postquam descripsit sollicitos Medeæ amores, continuo subjicit,

Ὡς δὲ γυνὴ μαλερῷ περὶ κάρφεα
χεύατο δαλῷ
Χερνῆτις, τῇπερ ταλασήϊα ἔργα μέμηλεν,
Ὥς κεν ὑπωρόφιον νύκτωρ σέλας ἐντύναιτο
Ἄγχι μάλ' ἐγρομένη· τὸ δ' ἀθέσφατον ἐξ ὀλίγοιο
Δαλοῦ ἀνεγρόμενον σὺν κάρφεα πάντ' ἀμαθύνει.
Non aliter quam mulier candenti ab igne
stipulas injicit titioni
Paupercula, cui lanaria res curæ est,
Ut familiarem noctu ignem excitare possit
Ocyus surgens: illeque plurimus ex parvo
Torre suscitatus stipulas omnes consumit.

Ita & Terent. Heaut. act. 2. scen. 3. inducit pudicam feminam, occupatam ad lanam, *texentem telam studiose*. Cerda.

409. *Colo.*] Hunc sequimur: nam *hujus coli* dicimus, non ut Statius, *hujus colus*. Servius.

Tenuique Minerva.] Non filo tenui, id est, subtili artificio, sed parvo pretio lanificii, id est, tenuiter & exiliter victum præbente. Et alii hic distinguunt, & subaudiunt *mos est*, aut, *placet*: ut sit sensus, *Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva mos est*, vel *placet*: & sic inferunt: *Impositum cinerem, & sopitos suscitat ignes*. Ut econtra Horatius, *Incedis per ignes suppositos cineri doloso*. Alii sic legunt, *Tenuique Minerva Impositum*: quasi fato datum, hoc est, cui hæc est fataliter data necessitas. *Servius.*

Tolerare colo vitam, &c.] Mulier, quæ vitam lana, & colo sustinet, χερνῆτις dicitur ab Apollon. superiore Nota, atque etiam ab Hom. l. 12. Iliad. versibus huc aptandis, ut quos potuit Virg. respicere.

Ἀλλ' ἔχον, ὥστε τάλαντα γυνὴ χερνῆτις
ἀληθὴς,
Ἥτε σταθμὸν ἔχουσα, καὶ εἴριον ἀμφὶς
ἀνέλκει
Ἰσάζουσ', ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν
ἄρηται·
Sed habebant se, ut mulier pauper &
justa lances tenens,
Quæ pondus habet, & lanam utrinque
appendit
Exæquans, ut liberis tenuem mercedem
ferat.

ubi γυνὴ χερνῆτις est mulier, quæ nendo victum quæritat, ἀπὸ τῆς χειρὸς, & τοῦ νεῖν. Pollux enim, νεῖν, κλώθειν, & στρέφειν æquabiliter dixit de lanificio. Itaque, χερνῆτις est in femina, quod in viro χειρόβιος. Suid. χειρόβιοι, οἱ ἐκ χειρῶν ζῶντες, καὶ ταῖς τέχναις προσανατιθέμενοι. *Cerda.*

Tolerare.] Hoc verbo tenuitas & parsimonia Lucretio sæpius notatur. ita

Inpositum cinerem & sopitos suscitat ignis,
Noctem addens operi; famulasque ad lumina longo
Exercet penso; castum ut servare cubile
Conjugis, & possit parvos educere natos.
Haud secus ignipotens, nec tempore segnior illo
Molli-

Gr. διαχαρτερεῖν est se quoquo modo sustentare. Ita Cæsar, *equos exiguo pabulo & corpora militum radicibus quibusdam tolerari*, dixit. Sic *tenuis Minerva* hic merito dicitur ars lanificii, quæ non valde quæstuosa est, ut notat Turneb. lib. 11. cap. 22. & lib. 26. c. 30. Græcis etiam ταλασία, *lanificium* est: à τλάω, suffero & exantlo labores. Terent. Andr.

Primum hæc vitam parce ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quæritans.

Taubmannus.

410. *Cinerem & sopitos.*] Τὸ *et* ἐπεξηγητικῶς. *Cinerem*, qui sunt ignes sopiti, ἀναζωπυρεῖ. *Idem.*

411. *Noctem addens operi.*] Per transitum ostendit noctem esse partem diei. *Servius.*

Noctem addens operi.] Annectit German. illud Julii 3. Civil. *Quo properans noctem diei conjunxerat, neque iter intermiserat.* Et quidem in re Virg. Apollon. 4. Arg. κλωστῆρα γυνὴ ταλαεργὸς ἑλίσσει ἐννυχίη. *Mulier fusum versat laboriosa ac nocturna.* Cerda.

Famulas.] Pro manibus accipiamus, quibus vice famularum utuntur pauperiores, quibus ad comparandas famulas pecunia non est. *Donatus.*

412. *Exercet penso.*] Fatigat. Terentius, *Primo hæc vitam parce, ac duriter agebat.* Hinc ergo traxit Virgilius ut diceret, *Castum ut servare cubile Conjugis*, id est, ne cogatur propter paupertatem pudorem deserere. *Servius.*

Castum ut servare cubile possit.] Vult Serv. sententiam ductam ab illo Terent.

Primo hæc vitam parce ac duriter agebat.

Nam similiter Virg. repræsentat in sua femina tenuem vitam ad servandam castitatem. Sed Germano visum, sumi ab Eurip. qui in Helen. ἀκέραιον ὡς σώσαιμι Μενέλεῳ λέχος. *purum ut servarem Menelai lectum.* Apud eundem Clytæmnestra ad Agamemnonem, σώζουσα λέκτρον. Et quidem Juven. Sat. 6. lanificium castis feminis attribuit. Ejus versus sunt:

Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta, labor, somnique breves, & vellere Thusco
Vexatæ duræque manus. ——

Cerda.

413. *Parvos educere natos.*] Vidisti jam in præmissis: ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄρηται. Apollon. lib. 4. inducit feminam insudantem lanificio, quod habeat ὀρφανὰ τέκνα, *viduos liberos*, marito mortuo. *Idem.*

414. *Ignipotens.*] Vulcanus, ut diximus ignis est: & dictus Vulcanus quasi Volicanus, quod per aërem volet. Ignis enim è nubibus nascitur. Unde etiam Homerus dicit eum de aëre præcipitatum in terras, quod omne fulmen de aëre cadit: quod quia crebro in Lemnum insulam jacitur, ideo in eam dicitur cecidisse Vulcanus. Claudus autem dicitur, quia per naturam nunquam rectus est ignis. *Servius.*

Ignipotens.] Ut dicitur Mulciber à mulcendo ferro, ita Ignipotens à domando illo, potens enim ignis in duram materiam. *Cerda.*

Nec tempore segnior illo.] Bene comparationis similitudini duo reddidit, festinationem & industriam. *Servius.*

Mollibus è ſtratis opera ad fabrilia ſurgit.
Inſula Sicanium juxta latus Æoliamque
Erigitur Liparen fumantibus ardua ſaxis:
Quam ſubter ſpecus & Cyclopum exeſa caminis
Antra Ætnæa tonant, validique incudibus ictus
Auditi

415. *Mollibus è ſtratis.*] Lucret. l. 4. *lecti mollia ſtrata.* Hom. Odyſſ. 20. ἐν λέκτροισι μαλακοῖσι. Sed cum Virg. *ſurgit*, reſpectum ad illud Odyſſ. 23.

Ὦρτο δ' Ὀδυσσεὺς εὐνῆς ἐκ μαλακῆς·
Surrexit Ulyſſes ex molli cubili. Cerda.

Opera ad fabrilia ſurgit.] Dura. & ex contrariis epithetis fecit ornatum, dicens, *Mollibus è ſtratis ſurrexit ad opera fabrilia.* Servius.

416. *Inſula Sicanium juxta latus Æoliamque Erigitur Liparen.*] Phyſiologia eſt cur Vulcanus in his locis officinam habere fingatur inter Ætnam & Liparen, ſcilicet propter ignem & ventos quæ apta ſunt fabris. *Æoliam* autem *Liparen* ideo, quia una eſt de illis ſeptem inſulis, quibus Æolus imperavit. *Idem.*

Inſula Sicanium, &c.] Ptolemæo & Abrahamo ipſiſſima eſt *Hiera*, quæ hodie *Vulcania*, & à Plinio *Theraſia* etiam dicitur. Verba ejus cap. 9. lib. 3. *Inter hanc* (Liparen) *& Siciliam altera, antea Theraſia appellata, nunc Hiera, quia ſacra Vulcano eſt, colle in ea nocturnas evomente flammas.* Itaque ideo *Hiera*, quia Vulcano ἱερά. Sumpſit Plin. ab Ariſtot. l. 2. Meteor. c. 8. ubi ait, hanc inſulam, unam eſſe ex Æoliis, & ſolitam in ea intumeſcere partem terræ, quo tumore diſrupta, ἐξῆλθε πνεῦμα πολὺ, καὶ τὸν φέψαλον, καὶ τὴν τέφραν ἀνήνεγκε, *multum ſpiritus prodiit, qui ſcintillam, cineremque ſuſtulit.* Et addit: καὶ τήν τε Λιπαραίων πόλιν, οὖσαν οὐ πόῤῥω, πᾶσαν κατετέφρωσε. *Urbem Liparæorum vicinam univerſam cinere obruit.* Hæc ergo ratio, cur ea inſula dicatur officina Vulcani. De altera etiam Hiera, quæ ſita ad Lilybæum, vide Indicem Abrahami. *C.*

Inſula Sicanium, &c.] J. C. Scalig. l. 5. c. 3. cum officina Vulcani Homerica, quam ille Iliad. 18. ſtultiſſime (ut ait) in cælo facit, componit noſtram, eamque *cæleſtem* vocat: cum divinis ſit deſcripta verbis; Homerica vero plebejis. Una autem Vulcaniarum inſularum nomine *Hiera* deſcribitur, quæ ſacra Vulcano eſt, colle ibi nocturnas evomente flammas. Turneb. l. 26. c. 29. Alii eam intelligunt, quam vulgus hodieque *Bulcam* vocat. *Taubm.*

417. *Fumantibus ardua ſaxis.*] De his locis, (Lemno inquam) ubi etiam Vulcani officina, Valer. 2. Arg.

Ventum erat ad rupem, cujus pendentia nigris
Fumant ſaxa jugis, coquiturque vaporibus aër.

Ait *ardua*, quod in 6. dixerat, *Cyclopum educta caminis.* & Eurip. in Elect.

Κυκλώπειά τ' οὐράνια τείχεα·
Cyclopea aëria mœnia. Cerda.

418. *Quam ſubter ſpecus.*] In vetuſtis aliquot exemplaribus, *quam ſubtus* habetur. *Pierius.*

Cyclopum exeſa caminis.] *Exeſa* ad uſum caminorum, qui ſunt Cyclopum, an *caminis exeſa* pro ignibus exeſa? *S.*

Cyclopum.] Ex veterum opinione. Plin. lib. 7. cap. 56. *Fabricam ferrariam invenere Cyclopes.* Cerda.

419. *Antra Ætnæa tonant.*] Magnitudinem ictuum oſtendit, quibus etiam vicini montes reſultabant: aut certe *Ætnæa* quaſi Ætnæ dixit. *Servius.*

Antra Ætnæa.] Cave fallaris; non ita Ætna officina Vulcani, ſed in Hiera, ut explicui: nam Ætna in ipſa eſt Sicilia, Hiera extra illam. Igitur *antra Ætnæa*, vel ex neceſſitate cum Ætna Siciliæ, ad eum modum, quo Sidonius ad Felicem, *Vulcanium Lipare.* & inf. *Ætnæi Cyclopes.* Et Callimach. Hymn. Dianæ Cyclopas Vulcani miniſtros conſtituit νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ. Vel potius

Auditi referunt gemitum, ſtriduntque cavernis
Stricturæ Chalybum, & fornacibus ignis anhelat;
Volcani

potius *antra Ætnæa*, id eſt, vaſta & magna. Quicquid enim magnum, dictum olim *Ætnæum*. Cerda.

Tonant.] Nam ictus malleorum in incudibus inſtar tonitrui. Stat. 3. Silv.

Non tam grande ſonat (lego, *tonat*) *motis incudibus Ætna,*
Cum Brontes, Steropeſque ferit, nec major ab antris
Lemniacis fragor eſt, ubi flammeus Ægida cælat
Mulciber. ——

Nam Valer. 4. Arg.

Et tonat afflicta ſemper domus ignea maſſa.

Scio in aliis eſſe *ſono*; nam Callimach. Hym. Dian. loquens de Cyclopib. δοῦπον ἄκμονος ἠχήσαντος, *ſtrepitum ſonantis incudis.* & Oppian. 5. Hal. ἄκμοσι δυσκελάδοις. Sed cum Stat. videatur pergere ad Virg. placuit legere *tonat*, non *ſonat*. Apollon. lib. 4. de incudibus Vulcani ferreis hoc flexu, στιβαρῇσιν ἀρασσοντ' τυπίδεσσιν *duriſſimis tunduntur malleis.* Iterum: σιδηρείων τυπίδων. Claud. 3. Hon. *Ignifluiſque gemit Lipare fumoſa cavernis.* & 2. Eutrop. *multiſque gemunt incudibus æra.* Sic Virg. ſtatim *gemitum.* Cerda.

420. *Auditi referunt gemitum.*] Et hoc breviter ſignificavit, id eſt, referentes gemitus audiuntur, non enim prius audiuntur, & poſtea referunt gemitus: poteſt & bis intelligi, audire eos primum cum eduntur, poſtea per Echo cum venerunt in eos locos, ex quibus repulſi vocis imaginem referunt. *Servius.*

421. *Strictura Chalybum.*] *Strictura* eſt terra ferri in maſſam coacta. Chalybes autem proprie populi ſunt, apud quos naſcitur ferrum: ut ipſe, *At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus Caſtorea.* unde modo *Chalybum* poſuit *ſtricturas*, pro ferri maſſis. *Idem.*

Strictura Chalybum.] *Strictura*, inquit Servius, *eſt terra ferri in maſſam coacta.* Nonius Marcellus locum hunc citat, exponitque, *Stricturæ ſunt ſcintillæ. A ſtringenda* vero *acie* vocabulum *Stricturis* impoſitum ait Plinius libro XXXIIII. *Pierius.*

Strictura, &c.] Vel ſcintillas erumpentes. Nam Nonius: *Stricturæ dicuntur proprie ſcintillæ, quæ de ferro ferventi exeunt.* Rutilius lib. 1 Itiner.

Non Biturix largo potior ſtrictura camino.

Dicitur certe ſtrictura etiam extra ignem. Nam Pliu. c. 14. l. 34. *Stricturæ vocantur hæ omnes, quod non in aliis metallis, à ſtringenda acie vocabulo impoſito.* Corrige Plinium ab Iſidoro, *ſtringendo apte vocabulo impoſito.* Perſius etiam *venas ferri ſtringere* dixit Sat. 2. Demum Gloſſæ: *ſtricturæ*, μέταλλον. Sed mitto rem Grammaticam. Velim notes locum Nonni lib. 22. in quo multa ſimilitudo cum Virgiliano:

Ὡς δ' ὅτε χαλκείων τὶς ἐπ' ἄκμονι χαλκὸν ἐλαύνων.
Ἀκαμάτῳ ῥαιστῆρι πολύβρομον ἦχον ἰάλλει
Τύπτων γείτονα μύδρον· ἀποθρώσκουσι δ' πολλοὶ
Ἀλλέμενοι σπινθῆρες ἀερσιπότητοι σιδήρου
Ἠέρα θερμαίνοντες. ——
Ut vero cum faber quiſpiam in incude ferrum tenuans
Indefeſſo malleo igne ſtridentem ſonitum emittit
Percutiens vicinam maſſam candentem: exſiliunt vero multæ
Salientes ſcintillæ pulſati ferri,
Quæ aërem calefaciunt. ——

Cerda.

Anhelat.] Ita Claud. 1. Rap. de Phlegethonte ignito amne, *Verticibus anhelat.* Pulchre Stat. 9. Theb. *omnis anhelat unda nefas.* Et lib. 3. Epig. ἄσθμα πυρός· *ignis anhelitum.* Perſ. Sat. 5. *anhelanti coquitur dum maſſa camino.* Idem.

423. Hoc

Volcani domus, & Volcania nomine tellus.
Hoc tunc ignipotens cælo descendit ab alto.
Ferrum excercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque & nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus jam parte polita
Fulmen erat; toto genitor quæ plurima cælo
Dejicit

423. *Hoc tunc.*] Id est, huc tum: & *Hoc* pro *Huc* posuit secundum antiquum morem. Nam antea *Hoc*, adverbium loci fuit, quod nunc abolevit. Nam crebro in antiquis lectionibus invenitur, sicut in epistolis probat Verrius Flaccus exemplis, auctoritate, ratione, dicens in adverbiis pro *u*, *o* plerunque majores ponere consuetos: & sic pro *Huc*, *Hoc* veteres dicere solebant: sicut pro *Illic*, *illo* dicimus. Unde etiam *Hoc*, *o* longum esse apparet, sicut *Illo*, quod pro *Illuc* ponitur. *Servius.*

Hoc tunc ignipotens.] *Huc* quidem in plerisque vulgatis codicibus habetur: sed plerique veteres, *hoc* legunt, quod Servius agnoscit pro *huc* positum. Circumfertur vero Epitaphium, quod extat Capuæ, in quo de more hujusmodi scriptum sit: INFERRI HOC NON LICET NISI QVORVM NOMINA SCRIPTA SVNT ET QVIBVS CAVERO. *Pierius.*

Hoc.] Notat Serv. dictum olim *hoc*, pro *huc*, & *illo*, pro *illuc*. In inscriptionibus hoc frequentissimum, in quibus sæpe *consoles*, *faciondum*, *Herculi*, *moltati sont*, pro, *consules*, *faciundum*, *Herculi*, *multati sunt*. Consule inscriptiones Smetii, & Gruteri. Sed quidem in libro Colatii scriptum hoc loco, *huc*, non *hoc* attestatur Ursinus. *Cerda.*

424. *Ferrum exercebant.*] OEconomia. *Servius.*

Ferrum exercebant.] Ita Thetis apud Hom. 18. Iliad. Vulcanum adiret:

Τὸν δ' εὗρ' ἱδρώοντα, ἑλισσόμενον περὶ φύσας.
Hunc invenit sudantem, mutantem se circa folles.

Et nota voculam *ferrum*. Itaque mirum quod scribit Pausan. Corinth. ubi ait, juxta templum Cephissi esse caput Medusæ λίθου, *è lapide*: & tamen adjicit, Κυκλώπων φασὶν εἶναι καὶ τοῦτο ἔργον. *Dictum opus hoc esse Cyclopum.* Ibidem quoque meminit muri facti à Cyclopibus. Itaque illi fuere opifices in duplici distinctissima materia. *Cerda.*

425. *Brontesque, &c.*] Quid facturi sint ex nominibus docet. Nam *Brontes* à tonitru dictus est. ἀπὸ τῆς βροντῆς. *Steropes.* A fulgetra, ἀπὸ τῆς στεροπῆς. *Pyracmon* vero, qui nunquam à calenti incude discedit, ἀπὸ τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ἄκμονος. Nam πῦρ ignis est, ἄκμων incus. *Servius.*

Nudus membra.] Per hunc etiam cæteros nudos fuisse significat. *Idem.*

426. *Informatum.*] In quandam formam designatum & compositum. Dicit autem in fulmine partem non perfectam, partem jam politam fuisse. *Idem.*

Informatum.] Κέραυνον ὑποτετυπωμένον, prima & rudi quadam forma fulmini inducta. *Informare* enim & *deformare* pictoriæ aut statuariæ sunt vocabula. Et *informatio*, σκιογραφία est. *Taubmannus.*

Manibus.] Deest *In*, ut sit in manibus. *Servius.*

427. *Toto genitor quæ plurima cælo.*] Toto cœlo, id est, ab omni parte cœli. Nam dicunt physici de sexdecim partibus cœli jaci fulmina. *Quæ* autem, pro qualia: ut *Hunc ego te, Euryale, aspicio*, id est, talem. Ergo hoc dicit, Faciebant fulmen in eorum similitudinem, quæ Iupiter jacit toto cœlo, hoc est diversis partibus cœli, scilicet sexdecim. *Idem.*

Toto gen. quæ, &c.] Respondet illi

Dejicit in terras: pars inperfecta manebat.
Tris imbris torti radios, tris nubis aquosæ
Addi-

Gr. οἷά τε πολλά. Neque vero semper casus ad canonem Grammat. casui respondet. ita hic, *Fulmen, quæ.* Taubmannus.

428. *Dejicit.*] Quibusdam videtur humiliter dictum: alii *de*, pro valde accipiunt, sicut diximus *deamo* pro valde amo. *Servius.*

Dejicit.] Antiqua aliquot exemplaria, *deicit* unico *i* legunt, longe vero plura *dejecit* pene ultima correpta: eaque dictio præsenti tempore pluribus locis ita scripta, *Dejecio dejecis*, non *Dejicio*, scribi aliquando solitum ostendit: ac de mutatione quidem literæ *i* in *e*, satis superius disputatum. Hoc vero loco Non. Marcellus *dejicit*, *Mittit*, interpretatur. *Pierius.*

Pars inperfecta manebat.] Apollonius lib. 1. Argon. unum radium defuisse ait. at noster sic divinitus. itaque addit,

Fulgores nunc terrificos sonitumque metumque
Miscebant operi:

& alia incomparabilia. Philosophice etiam tria fulmini attribuit pro substantia; *imbrem, nubem, ignem.* id est, aquam, aërem, ignem. Non enim excuti potest, nisi a frigido & humido fulmen, quod calidum & siccum est. neque sine impetu erit, & loco: iccirco *aërem* dedit. Addit præterea τὰ ἴδια, *fulgores*, id est, ἀστραπάς· eosque *terrificos, &c.* Scalig. lib. 5. cap. 6. & 3. Poët. *Taubm.*

429. *Tris imbris torti radios, tris nubis aquosæ Addiderant, &c.*] Constricti & coacti in grandinem. Statius, *Sicco quos asper hiatu Præsolidat Boreas.* Et sciendum hoc eum velle ostendere, toto anno jaci fulmen. nam per has periphrases, tempora ostendit anni totius, quæ & quatuor esse & ternos menses habere manifestum est. Vnde est, *Tris imbris torti radios*: hoc est grandinis, quæ abundat per hiemem. *Tris nubis aquosæ.* Hoc est, veris, quo tempore nimiæ sunt pluviæ: ut, *Et ruit imbriferum ver. Rutuli tris ignis.* Hoc est, æstatis. *Et alitis austri.* Id est, Autumni, quo ventorum crebra sunt flamina. Et prudenter his omnibus naturam exprimit fulminis: quod necesse est, ut per nubes nascatur & ventos. Nam alibi ait, *Fulminis adflavit ventis & contigit igni*, & bene in materiam fulminis ventis vehementer agitatæ sunt, sic incalescunt ut accendantur: Sane fulmen triplici præditum potestate est: Est ostentatorium, peremptorium, præsagum: *ostentatorium* est, quo terror incutitur, ut, *Fulgores nunc horrificos, sonitumque metumque.* At cum dicit, *Flammisque sequacibus iras*, Peremptorium docet. Præsagi autem sic meminit, *Tertius ille hominum divûmque interpres Asylas, Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent, Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes.* Nonnulli vero manubias fulminis, his numinibus, id est Iovi, Iunoni, Marti, & Austro vento adserunt attributas, quod hoc loco ostendunt: nam cum dicit, *Tris imbris torti radios*, Iovem significasse intelligitur; cum autem *Rutuli tris ignis*, Martem, & sic adjectum *Alitis* * austri ventis. Alii ideo ternorum radiorum volunt mentionem factam, quia fulmen ni* trisulcum est: aut enim gerebat incenditur, aut disclina * & *imbris torti radios*, pro tortos radios torti autem elementis, & hoc verbo frequenter utitur, quotiens vim aliquam vult exprimere, ut, *Torquet aquosam hiemem*, & *An te genitor, cum fulmina torquet.* Serv.

Tris imbris, &c.] Multa hic Serv. quæ mihi vehementer displicent; & quæ scribit Julius Scal. tractans hunc locum, etiam respuo. Ego puto, illam esse veram sententiam, quæ majore consecutione adhæret verbis Poëtæ, ac proinde sic explico. Solent torqueri fulmina, vel *grandinante cœlo*, vel *ruentibus*

Addiderant; rutuli tris ignis & alitis austri.

ruentibus magnis pluviis, vel *aëre æstuante*, vel *ventis flantibus*. Grandinem intelligo per *imbrem tortum*, in quo tantum consentio cum Servio: nam, quæ de hieme ait, omnino errat: pluviam immensam, per *aquosam nubem*: æstuantem aërem, per *ignem*: flatus ventorum agnosco in *Austro*; hic enim ventus præ aliis positus κατ' ἐξοχὴν, nam

Fulgo-

eo flante, pertinaciores esse solent tempestates. Ergo, compingit Poëta hoc Jovis fulmen, formatque illud partibus, ut det huic Deo fulmen, quod jaculetur hac quadruplici tempestatum opportunitate. Unicuique autem parti assignat tres cuspides, ut omnes sint duodecim, hoc typo, quem tibi ex antiquis marmoribus subjicio.



Si quis quærat, cur Poëtæ semper faciant radium Jovis trisculum, intelligat nullam esse aliam rationem, quam celeritatem cadentis fulminis una cum vibratione: ita enim celeriter rotatur, ut triplex in aëre appareat vibratio: sic Poëtæ linguas serpentum dicunt trisulcas. Si quis rationes alias quærat, adeat quæ scripsit Hadr. Junius lib. 5. Animadvers. 19. Qui volunt novem tantum cuspides dari à Virg. huic fulmini, videntur non satis consequenter loqui. *Cerda.*

Imbris torti.] Accipio de grandine, secutus Servium, & vim vocis. Lapides enim dicuntur torqueri, ut & tela omnia. Hor. 2. ep. *torquet nunc lapidem.* Atqui Claud. Cons. Manl. grandinem vocat saxa, eo versu,

Quis trahat imbriferas nubes? quî saxa creentur
Grandinis? unde rigor nivibus. ——

Itaque *tortus imber*, erit imber saxeus qui torquetur. Quod Soph. Antig. πυρὶ παλτῷ, à vibratione, qua fulmen torquetur. Et Pind. Od. 1. Pyt. αἰχματὰν κεραυνόν· nam cuspidata quoque torquentur; sic de telo, hasta, sagittis aliis. *Idem.*

Nubis aquosæ.] Alibi: *Torquet aquosam hiemem.* Ad hoc fortasse genus fulminis alludit Calab. lib. 4. ubi Juppiter vocatur ἀργικεραύνος. quasi *qui utatur albente fulmine.* Idem.

430. *Addiderant.*] A Virg. Ovid. 3. Metamorph. nam in fabrica fulminis,

Est aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum

S 5 *Sævitia,*

Fulgores nunc terrificos, sonitumque metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotasque volucris
Instabant; quibus ille viros, quibus excitat urbis:
Ægida-

Sævitiæ, flammaque minus, minus addidit iræ. Cerda.

Rutuli.] Claud. Cons. Manl.

— quæ flamma per auras
Excutiat rutilos tractus? —

Valer. 7. Arg. *rutilique à fulminis æstu.* Pind. Od. 9. Olymp. Jovem vocat φοινικοστερόπαν, *rubentem fulmine.* De eodem Hor. *rubente dextera.* Idem.

Alitis austri.] Obvium hoc. Græci ἀνέμους πτερόεντας. *Idem.*

431. *Fulgores nunc terrificos.*] Quas fulgetras dicunt. *Servius.*

Fulgores nunc terrificos.] In Romano & omnibus fere aliis veteribus codicibus, *horrificos* legere est. Et ubi inferius habetur, *Ægidaque horrificam:* iidem omnes, quotquot viderim, codices, *horriferam* legunt uno consensu. *Pier.*

Fulgores.] Græcis ἀστραπαὶ, à verbo *fulgere*, quod Glossæ etiam ἀστράπτειν exponunt. Sed de hoc verbo vid. Salmasius ad Solinum pag. 1135. *Emmeness.*

Sonitumque metumque.] Non quem habeant, sed quem inferant, & per *Sonitum*, tonitrua ostendit: per *Metum*, fulgetras. Et hunc ordinem sic posuit ut hominibus videtur. Nam revera prior est conlisio nubium, unde ignis emanat. Nos autem ideo prius fulgetras videmus quam tonitrua audimus, quia velocior oculorum, quam aurium sensus. *Servius.*

Sonitum.] Propter tonitrum, nam semper comes fulminum. Ita infra in hoc lib. volens signare tonitrum, *cum sonitu venit.* Claud. 2. Stil. *sonoro concutiens tonitru.* Et hic sonitus à concussione. Nonn. lib. 10. βροντῆς κτύπον. Et Hom. sæpe, ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. Et Manil. lib. 1.

Nubila cur toto quaterentur pulsu fragore. Cerda.

432. *Miscebant.*] Sic Epigr. lib. 4. in Herc. λύσσητος χαλκῷ δ' ἐγκατέμιξ' ὀδύνην. & eodem in Medeam: οἶκτον ὁμοῦ καὶ λύσσαν ἐπήτυμον ἔνθεος ἀνὴρ μαρμάρῳ ἐγκατέμιξε. *German.*

Sequacibus.] Persecutricibus, quoniam rapax natura ignis est, & ordo est, *Irasque flammis sequacibus.* Serv.

433. *Currumque rotasque.*] Nova locutio, *currum & rotas instabant:* Nec nos moveat, quod in domo Vulcani Marti currus fabricatur, eo enim absente fabricabatur. *Idem.*

Marti currum.] Hunc deum usum in bellis curru Poëtæ passim clamant. Ita illum Homerus sæpe, & 15. Iliad. etiam equos jungit hic deus Δεῖμόν τε, Φόβον τε. & 6. Odyss. χρυσήνιος dicitur: ab Auctore Hymnorum βρισάρματος. & ibi dicitur sedere ἀντιχάντυγος. Latinos quid numerem? Silius l. 3. & 4. Stat. 3. Theb. Claud. 2. Eutrop. omnes illi dant currus. Alii etiam qui passim obvii. *Cerda.*

434. *Instabant.*] Callimach. Hym. Dian. de iisdem Cyclopib. ἐπείγετο γὰρ μέγα ἔργον, *Urgebat ipsos opus magnum.* Idem.

Instabant.] Eodem modo voce hac etiam utitur supra lib. 2. Æn. ℣s. 244.

Instamus tamen inmemores cæcique furore.

& lib. 3. Georg. ℣s. 109.

— illi instant verbere torto
Et proni dant lora.

Hinc *institores* dicuntur, *qui tabernæ aut negotiatorio præponuntur.* ut etiam *servi pecuniis dandis præpositi:* item, *quibus vestiarii, aut lintearii dant vestes linteaque circumferenda ac distrahenda; quia instant*, hoc est, *merces ac negotia aliena urgent.* Græcis: ἐπιστάται, ἀπὸ τοῦ ἐφίστασθαι. Sed hæc & plura vide apud Gerard. Joan. Vossium in Etymol. voce *institores.* Emmeness.

435. *Ægi-*

Ægidaque horriferam turbatæ Palladis arma
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque anguis, ipsamque in pectore divæ
Gor-

435. *Ægidaque horriferam.*] *Ægis* proprie est munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum si in pectore numinis fuerit, *Ægis* vocatur: si in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum statuis videmus, *lorica* dicitur. *Serv.*

Turbatæ.] Vel concitatæ & iratæ, vel turbantis. Nam timuit Homœoteleuton, & fecit supinam significationem. Alii ad fabulam referunt, quia dicitur in bello Gigantum arma perdidisse turbata, ut quasi ipsa nunc reparet, cujus dicti nullus auctor invenitur idoneus. *Idem.*

Turbatæ.] Ad bella concitatæ. ℣s. 4. *Extemplo turbati animi:* Turneb. lib. 26. c. 29. & Servius Dan. vel etiam *turbatæ*, id est, terribilis: ut notat Heinsius ad illud Silii IX.

—— *obliqua retorquens*
Lumina, turbato superavit Gorgona vultu.

quod Græci P. dicunt γοργότερον γοργοῦς ποτιδέρκετο. *Turbatus* enim γοργὸς hic est. hinc & Dores γοργὼ vocant quod Attici μορμὼ, terriculamentum puerorum. *Taubm.*

Palladis arma.] Non solius. Itaque male sciptum est ab Aristide orat. 2. de hac dea: Καὶ γάρ τοι μόνη μὲν τὴν αἰγίδα δι' αἰῶνος φορεῖ, μόνη δὲ τοῖς τοῦ πατρὸς ὅπλοις εἰς τὸν ὁμηρικὸν πόλεμον κοσμεῖται. *Sola Ægidem fert perpetuo, & paternis armis in Homerico bello sola ornatur.* Male (inquam) ut liquet ex Homero lib. 15. Iliad. ℣s. 306.

—— ἦρχε δ' ἄρ' Ἕκτωρ, &c.

Sed & Junoni datam Ægida jam indicavi supra. Verum est, præcipue gestata à Pallade, sed non ab sola: & quia præcipue, ideo apud Plutarch. in Themist. habetur prodigiosum ἀπολέσθαι τὸ γοργόνειον ἀπὸ τῆς θεοῦ τοῦ ἀγάλματος· *desiderari Ægidem ab simulacro deæ*, id est, Palladis; nam de illa est sermo. Nec solum dabatur diis aliis, sed etiam gestabatur à Principibus. Nam apud Eurip. in Rhes. Gorgon. gestatur μετώποις ἱππικοῖσι πρόσδετος· *illigata equorum frontibus.* Cerda.

436. *Squamis serpentum auroque polibant.*] Ægida horriferam aureis squamis serpentum certatim polibant. Alii volunt revera de corio serpentum dicere cum arma esse levigata. *Servius.*

Squamis serpent.] Politianus Miscell. c. 47. scribit, Etiamnum Romæ simulacrum Palladis videri Ægida gestans squamoso draconum corio circumtectam: plane ut hic describitur. *Taubmannus.*

Auroque polibant.] Ab Paus. Attic. exhibetur Μεδούσης τῆς γοργόνος ἐπίχρυσος κεφαλὴ, *inauratum caput Medusæ Gorgonis.* Ab eodem Hel. prior ἀσπὶς χρυσῆ Μέδουσαν τὴν γοργόνα ἔχουσα ἐπειργασμένην· *clypeus aureus, in quo caput Medusæ Gorgonis.* Cerda.

Polibant.] In aliquot antiquis, *poliebant.* de qua scribendi ratione, satis superius disputatum est. *Pierius.*

437. *Connexosque anguis.*] Gorgonis scilicet capiti. *Servius.*

Connexosque anguis.] Ita caput Gorgonis ab omnibus. Sil. lib. 9.

Sibilaque horrificis torquet serpentibus
Ægis.

Nonnus lib. 25. loquens de Perseo volante cum capite Medusæ, δρακοντείης τρομέων συριγμὸν ἐθείρης, *tremens sibilum serpentinæ comæ.* Cerda.

Ipsamque in pectore divæ.] Hoc est quæ in pectore ponatur. *Servius.*

In pectore divæ.] Expressissime. Tunc enim Ægis, cum à diis gestaretur, secus cum à mortali. Mart. lib. 7. epigr. 1.

Cum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica
vocari:
Pectore si sacro sederit, Ægis erit.

Et lib. 9. epigr. 21.

At te protexit Superûm Pater, & tibi
Cæsar

Pro

Gorgona desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores,
Ætnæi Cyclopes; & huc advertite mentem.
Arma acri facienda viro. nunc viribus usus,

Nunc

Pro jaculo & parma, fulmen & Ægis erat.

Et lib. 14. epigr. 179. ad Minervam argenteam:

Dic mihi, virgo ferox, cum sit tibi cassis, & hasta,
Quare non habeas Ægida? Cæsar habet.

In quibus omnibus assentatorie Domitiani divinitatem prædicat. Ergo signate Poëta, *in pectore Divæ Ægida.* Pausf. Attic. loquens de statuta Palladis: *καὶ οἱ κατὰ τὸ στέρνον ἡ κεφαλὴ Μεδούσης· erat illi in pectore caput Medusa.* Ovid. 4. Metamorph. de Pallade,

Pectore in adverso, quos facit, sustinet angues. Cerda.

In pectore.] Propert. l. 2. el. 2.

——*Dulichias Pallas spatiatur ad aras*
Gorgonis anguiferæ pectus operta canis.

Taubm.

438. *Desecto vertentem lumina collo.*] An sua lumina circunferentem, & mortis indignatione quærentem, quorum se interitu posset ulcisci. Aut certe intuentum lumina in saxa vertentem. Aut horrore suo aliorum oculos avertentem, ne cum periculo videretur. Hoc autem caput ideo Minerva fingitur habere in pectore, quod illic est omnis prudentia quæ confundit alios, & imperitos ac saxeos comprobat. *Desecto vertentem.* Quomodo *vertentem*? Id est, secto collo non sua lumina vertentem, sed immutantem eorum faciem, qui hanc vidissent: aut *vertentem* dixit, lumina adversa habentem, ut habuit cum secaretur ei collum, & quæreret aspectibus vindicari. *Servius.*

Desecto vertentem lumina collo.] Sunt codices, in quibus *desecto* legatur. In aliquibus *disjecto.* In Romano, *dejecto.* Sed *desecto* magis placet, ut in Mediceo est. *Pierius.*

Desecto collo.] Hinc Propert. Eleg. 11. lib. 4. *desecta Tolumni cervix.* Cerda.

Vertentem lumina.] Sunt hi oculi, quos *obliquos* vocat Horat. lib. 1. epist. & ab eo Petron. Sat. Calab. lib. 14. *βλοσυρὸν ὄμμα*, cum de Ægide:

Ἐν γάρ οἱ πεπόνητο κάρη βλοσυροῖο Μεδούσης
Σμερδαλέον.——

Ab eadem intuitione Pallas *γοργῶπις* dicitur ab Soph. in Ajace. *Idem.*

439. *Tollite cuncta, inquit.*] Vile est quod plerique dicunt, propter arma Martis iratum esse Vulcanum, præsertim cum & arment Minervam & fabricent fulmina Cyclopes: & Vulcanus dixerit, *Cuncta tollite.* Ergo *Tollite*, aut differte est, aut celerius terminate. *Servius.*

Tollite.] Magnum Æneæ meritum, quod cuncta superis necessaria tollerentur, ut arma illi fierent. *Donatus.*

Cœptosque auferte labores.] Quia dixerat, *His informatum manibus jam parte polita Fulmen erat.* Servius.

Cœptosque auferte labores.] In codicibus aliquot antiquis, *certos* legitur, hoc est, qui quotidiana opera exercentur, qui olim instituti, qui vobis præcipue soliti. Nam alia, quam soleant excudere, nunc opera imperaturus est. Non tamen displicet *cœptos* ut codices aliquot etiam manu scripti legunt. *Pier.*

440. *Ætnæi Cyclopes.*] Ut *Ætnæos fratres.* Servius.

441. *Arma acri viro.*] Suppressit cujus caussa, ne nimis uxorius videretur. Nec nominat privignum, qui naturali malitia odiosus esse potest. *Donatus.*

Acri viro.] Notat hominem, qui τὴν ἰσχὺν ὕβριστος, ut loquitur Diodorus. Vel ut Suid. *νικήσαντα πάντας μάχῃ, καὶ κρατήσαντα.* Itaque acritudo

ista

Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Præcipitate moras. nec plura effatus: at illi
Ocius incubuêre omnes, pariterque laborem
Sortiti. fluit æs rivis, aurique metallum;

Vol-

ista tota ad bellum, & militarem virtutem, proprie ἕτοιμ☉. Nam Xenoph. 4. παιδ. ἑτοιμοί εἰσι μάχεσθαι. *Cerda.*

Nunc viribus usus.] Hoc est, nunc est vestrarum virium exercitium, id est, tempus est exercendæ virtutis circa arma viri fortis. Et sic dictum est, ut dicimus *opus est viribus:* & hoc quidam non ad difficultatem operis, sed ad celeritatem referunt. *Servius.*

442. *Rapidis.*] Latis. *Idem.*

Rapidis manibus.] Ut in festinatione. Sic supra, *rapit arma manu*; & conjungit cum manibus *artem magistram.* Itaque quadrant in hunc locum verba Hippoc. lib. de Flatib. τὸ γὰρ ἔθος τῇσι χερσὶ κάλλιστον διδασκαλεῖον. *Nam videlicet admovere manum operi est optimus magister docendi.* Colum. l. 1. Rei Rust. *Usus & experientia dominantur in artibus.* Cerda.

Arte magistra.] Ambitiosius quam si dixisset *magistri*, & rem personæ in artem transtulit: ut si dicas, *opus est peritia medicinæ*, non *medici*. Servius.

443. *Præcipitate moras.*] Præcipitanter, id est, festinanter abjicite. *Idem.*

Præcipitate morας.] In aliquot antiquis, *moram.* Sed numero multitudinis magis placet, quod majorem ostendit festinationem. *Pierius.*

Nec plura effatus.] Sicut festinantem decebat. *Servius.*

444. *Ocius incubuêre.*] Quam ille præceperat. *Idem.*

Ocius incubuêre.] Iubentis auctoritas ostenditur. *Donatus.*

Ocius.] Addidi explicans, *ocius solito.* Verissime: non enim verum plausibile illud Grammaticorum, comparans sumi pro positivo. Est hoc invertere naturas vocum. Itaque in his mera est ellipsis. Sic postea in hoc libro, *gravior ne nuntius aures vulneret*, est, gravior solito: & in 5. *comitis senioris Acestæ*, non est, senis; sed loquitur cum respectu aliorum. Et, cur Vechnerus in sua Hellenolexia infinitas ellipses agnoscens hanc adimit? Nec verum est in Soph. πλέον ἐχθίστη, explicandum πολὺ, sed aliquid subaudiatur, necesse est. *Cerda.*

Pariter.] Pari modo dicitur, & pro *similiter* & pro *simul.* Servius.

445. *Laborem sortiti.*] Diviserunt inter se laboris officium: ut, *Sortiti remos.* Idem.

Fluit.] De auro & reliquis metallis: quæ ita solvuntur, ut currant tanquam effusa. *Donatus.*

Fluit æs rivis.] Illustrare hunc locum Plin. potest cap. 8. lib. 34. ad finem, ubi meminit æris quod ipse *caldarium* vocat, estque fusile æs; & eo ait Cyprum abundare. Et addit, ejusmodi æs excoctum, purgatumque vitiis formari inductile & regulare. Quod certe Vulcanus præstat in hac armorum fabrica. Æs quoque ductile in Claud. agnosce Paneg. 2. Stil. ubi ad ductum Virg.

Quæ non incudes streperent? quæ flamma vacaret
Fabrilis? quæ non fluerent fornacibus æra
Effigies ductura tuas? —

Adludit & Paneg. 3. celebrans ejusdem liberalitatem:

— *si solveret ignis*
Quas dedit immanes vili pro pondere massas,
Argenti potuêre lacus, & flumina fundi.

Cerda.

Auri.] Apud veteres non ita discriminatæ artes ut apud nos. Qui nunc separati medici, ac chirurgi, olim conjuncti. Sic etiam nunc separantur artifices fabri, qui ferrum cudunt, & qui aurum poliunt. Ergo in officina Vulcani,

Volnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela

cani, etiamsi hic ferrarius, non tamen materia omnis ferrea. En hic aurum admistum æri, & ferro. Supra quoque Cyclopes *polibant auro* ægidem Palladis Regia Solis apud Ovid. (quod opus Vulcani est) construitur auro, pyropo, argento, ebore. Claudiani locus de Nuptiis Hon. & Mar. nitidus est ad hanc rem:

Lemnius hæc etiam gemmis exstruxit, & auro,
Admiscens artem pretio, gravibusque smaragdis
Supposuit cæsas hyacinthi rupe columnas.
Beryllo paries, & iaspide lubrica surgunt
Limina, despectusque solo calcatur Achates.

Apud eundem lib. 2. Rapt. in reliquo ornatu Veneris, tum

—— sudata marito
Fibula purpureos gemma suspendit amictus.

Tertull. de Cor. loquens de Pherecyde: *Dat Priapo & tanias idem, & Ariadnæ sertum ex auro, & Indicis gemmis, Vulcani opus, Liberi munus, post & sidus.* De armis Achill. Eurip. Aul. χρυσέων ὅπλων ἡφαιστοπόνων. Jubæ Achill. Il. 22. dicuntur χρύσεαι, & additur auctor Vulcanus:

—— ἃς ἥφαιστος ἵει λόφον ἀμφὶ θαμειάς.

Apud Stat. 2. Theb. monile Augiæ habet smaragdos, & adamánta, aitque fabricatum Cyclopum opera. Calab. lib. 2. meminit poculi aurei, quo Priamus excepit Memnonem, & addit esse opus Vulcani. Hesiod. Theog. facit στεφάνην χρυσέην, ejusdem Vulcani opus. *Cerda.*

Metallum.] Recte conjungit, *aurique metallum.* Est enim *metallum* vox universalis ad fodinas omnes, sive aureas, sive argenteas, sive ferreas. Hispani *minas* dicimus. Ulpian. in Orat. Demosthen. contra Leptinem: Θάσος καταντικρὺ τῆς Θρᾴκης, ὅπου ἦν καὶ τὰ μέταλλά ποτε τῶν Ἀθηναίων· *Thasus è regione Thracia est, ubi metalla fuerunt aliquando Athenienſium.* Herod. Musa 7. loquens de monte Pangæo. ἐν τῷ χρύσεά τε, καὶ ἀργύρεα ἔνι μέταλλα· *In quo sunt metalla aurea, & argentea.* Itaque fodinas quoque marmoris possis metalla nuncupare. Nam & Alciat. 1. Parerg. cap. 39. alumen dici metallum ex Ulpiano J. C. observavit. Notio nominis, nam ἄλλον reperitur μετ' ἄλλον, perscrutando scilicet: inde μεταλλᾶν, *perscrutari.* Quod etymon probant Eustathius, Isidorus, Plinius, & ab omnibus Galeotus lib. de Prom. Doct. c. 14. *Idem.*

446. *Vulnificusque Chalybs.*] Populum apud quos nascitur, pro ferro posuit. *Servius.*

Liquescit.] Dixit proprie. Nam ferrum non semper solvitur, sed mollescit. *Idem.*

Liquescit.] De ferro quod non ita solvitur. *Donatus.*

Chalybs vasta fornace liquescit.] Sic Persius Sat. 5.

—— anhelanti coquitur dum massa camino.

Et Stat. qui 3. Silv.

Indomitusque silex curva fornace liquescit.

Et iterum eodem lib.

Quæ divûm in vultus igni formanda liquescat
Massa.

Pulchre Soph. Antig. σίδηρον ὀπτὸν ἐκ πυρός· *ferrum assatum igni.* Qui ita ferrum tractant χαλκοτύπους vocat Aristotel. 2. de Cœl. cap. 9. Nazianz. carm. 50. πυρὸς μέσος σίδηρον, subaudi μαλθάσσει. *Cerda.*

447. *Ingentem clipeum informant.*] Designant. *Ingentem* autem & magnitudine, & soliditate. Nam & *Clypeum* dixit, qui magnitudine corpus furatur. Unde & clypeus dictus est ἀπὸ τοῦ κλέπτειν. & dicturus est, *Septenosque orbibus orbes Impediunt.* Id est, veluti septem scuta

Tela Latinorum: ſeptenoſque orbibus orbis
Inpediunt. alii ventoſis follibus auras
Accipiunt redduntque: alii ſtridentia tingunt
Æra

ſcuta facta in unitatem connectunt. *Servius.*

Omnia contra Tela Latinorum.] Ex perſona Poëtæ: nam Cyclopes neſciebant cui fabricarent. *Donatus.*

448. *Septenos*, *&c.*] Quatuordecim circulis: ſic clypei textura currebat ordinatis omnibus, ut ſe invicem nectetent. *Idem.*

Orbibus orbis Inpediunt.] Hic verſus ſupra lib. 5. in ludo, qui Troja. *Germ.*

Septenos orbis.] Sic infra lib. XII. ℣. 925. Turni clypeus dicitur *ſeptemplex*: ut etiam Ajacis apud Ovid. lib. 13. Metam. ℣ſ. 2.

Surgit ad hos dominus clipei ſeptemplicis Aiax.

Sic Achillis apud Hom. Iliad. Σ. ℣ſ. 481. quintuplex:

Πέντε δ' ἄρ' αὐτοῦ ἔσαν σάκεος πτύχες. *Emmeneſſ.*

449. *Ventoſis.*] Ventos gignentibus. aliter *Ventoſa per æquora vectis*, qui ventis turbentur. *Servius.*

Ventoſis follibus.] Huc traho hiſtoriam Pauſan. Lacon. ubi ait ænigmate quodam folles ferrarios appellari *ventos*, quod folles vi expellant conceptas auras. Græca ſunt, ἀνέμοις μὲν τῶν χαλκέως εἰκάζων τὰς φύσας, ὅτι καὶ αὗται βίαιον πνεῦμα ἠφίεσαν. *Cerda.*

450. *Accipiunt redduntque.*] Jungendum. uno enim eodemque tempore partim reddunt, partim ventos accipiunt. *Servius.*

Ventoſis follibus auras accipiunt redduntque.] Ariſtot. lib. περὶ ἀναπνοῆς, ubi in Empedoclem diſputat, qui cauſam inſpirandi & expirandi ſanguini tribuebat aut ſupera petenti, aut in fiſtulas quaſdam venaſque ſe recipienti, Ariſtoteles, inquam, reſpirandi in animantibus rationem follibus officinarum ærariarum aſſimilat, his verbis: λέγει μὲν οὖν ταῦτα περὶ τοῦ ἀναπνεῖν· ἀναπνεῖ δὲ, ὥσπερ εἴπομεν, τὰ φανερῶς ἀναπνέοντα διὰ τῆς ἀρτηρίας, διά τε τοῦ στόματος ἅμα καὶ τῶν μυκτήρων, ὥστε, εἰ μὲν περὶ ταύτης λέγει τῆς ἀναπνοῆς, ἀναγκαῖον ζητεῖν πῶς ἐφαρμόσει ὁ εἰρημένος λόγος τῆς αἰτίας. φαίνεται γὰρ τοὐναντίον συμβαῖνον, ἄραντες μὲν γὰρ τὸν τόπον, καθάπερ, τὰς φύσας ἐν τοῖς χαλκείοις, ἀναπνέουσιν, αἴρειν δὲ τὸ θερμὸν εὔλογον, ἔχειν δὲ τὸ αἷμα τὴν τοῦ θερμοῦ χώραν, συνίζοντες δὲ καὶ καταπιέζοντες, ὥσπερ ἐκεῖ τὰς φύσας, ἐκπνέουσι, πλὴν ἐκεῖ μὲν οὐ κατὰ ταὐτὸν εἰσδέχονταί τε τὸν ἀέρα καὶ πάλιν ἐξιᾶσιν, οἱ δὲ ἀναπνέοντες κατὰ ταὐτόν. *Germanus.*

Accipiunt redduntque.] Hippocrat. περ. φυσ. ita opponit, ἐμπνέοντα, ἐκπνέοντα. & πνεῦμα διαπνεόμενον, καὶ πάλιν ἐξερχόμενον. item huic ἕλκειν πνεῦμα opponit ἀὴρ ἀναπνέεται. Manil. lib. 1. ita, *reddit, recipit.* & 2. *reddit, rapit.* & de Luna, *reddit, repetit.* De re Virg. locus eſt Auſon. in Moſella, ubi ſic opponit:

Sic ubi fabriles exercet ſpiritus ignes,
Accipit alterno cohibetque foramine ventos. Cerda.

Stridentia tingunt.] Tingendo ſtridere faciunt. *Servius.*

Stridentia tingunt æra lacu.] Lucr. 6.
Ut calidis candens ferrum è fornacibus olim Stridit, ubi gelidum propere demiſimus imbrem. σίζειν autem proprie Græci dicunt de ignito ferro in aqua extincto, unde & σισμοὶ, & σίξις. Ariſt. lib. 2. Meteor. τὸν δὲ ψόφον ἐναποσβεννυμένου πυρὸς, καὶ τὴν σίξιν βροντήν. Hi autem verſus etiam 4. Georg. ℣ſ. 171. *Germanus.*

Stridentia tingunt æra lacu.] Eleganter Ovid. lib. 12. Metam. ℣ſ. 275. cum hoc ſtridore comparat ſonitum, quem Charaxi ſanguis ex vulnere, ſtipite candente ipſi inflicto, effluens dabat:

Arſerunt crines: & vulnere ſanguis inuſtus
Terribilem ſtridore ſonum dedit; ut dare ferrum

Igne

Æra lacu. gemit inpositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.
Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius oris,

Euan-

Igne rubens plerumque solet, quod forcipe curva
Cum faber eduxit, lacubus demittit. at illud
Stridet: & in trepida submersum sibilat unda

Et lib. 9. ✠. 170.

Ipse cruor, gelido ceu quondam lamina candens
Tincta lacu, stridit. ad quem locum de hoc verbo vid. Nic. Heinsius. *Emm.*

451. *Æra lacu.*] Amat *lacum*, pro *aqua* ponere. *Servius.*

Gemit.] Ita vis illa explicata. Ut enim Hom. 18. Iliad. tela dicuntur *στονόεντα*, *suspiriosa*, & *gemebunda*, ad notandum impetum, quo emissa: & 8. Iliad. dicit, *πύλαι μύκον οὐρανοῦ*, *mugierunt cæli portæ*, ad magnum strepitum indicandum; sic Latini *gemo.* Ut hic Virg. & Claud. 2. Eutrop. *multisque gemunt incudibus æra.* Et 3. Hon.

Ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis.

Et Callimach. de follibus Vulcani, *βαρὺν στόνον*, *gravem gemitum.* Hos sive gemitus, sive strepitus Callimach. mire exaggerat, loquens de sonitu malleorum in antris Cyclopum:

— *αὖε γὰρ Αἴτνη,*
Αὖε δὲ Τρινακρίη, Σικανῶν ἕδος, αὖε δὲ γείτων
Ἰταλίη· μεγάλην δὲ βοὴν ἐπὶ Κύρνος ἀΰτει.

Cerda.

452. *Illi.*] Quidam pro *alii* accipiunt. *Servius.*

453. *In numerum.*] In ordinem: ut, *Tunc vero in numerum Faunosque ferasque videres Ludere.* Idem.

In numerum.] Ordinatis vicibus feriendi & versandi. Quod autem *incudibus* in plurali dixit, & massam & forcipem in singulari, intelligas singulis incudibus singulas massas & forcipes fuisse. *Donatus.*

In numerum.] Ut hic *in numerum* de laborantibus ad ferrariam, ita de laborantibus ad remos Ovid. Eleg. 1. lib. 4. Trist.

In numerum pulsa brachia versat aqua. Cerda.

In numerum, &c.] Vide quæ dicta supra lib. 4. Georg. ✠. 175. *Emmeness.*

Forcipe.] *Forfices* quibus incidimus: *forcipes* quibus aliquid formum tenemus, quasi formi capes. Nam *formum* est calidum. Unde & *formosos* dicimus, quibus calor sanguinis ex rubore pulchritudinem creat: has tamen forcipes in Medicinalibus Græci *ἀρδιοθῆρας* appellant, quibus solent in bello vulneratis spicula extrahi. *Servius.*

Forcipe massam.] Sunt quidem codices, in quibus *forfice* legatur. Sed enim Servius agnoscit *forcipe*, & utriusque diversum ostendit usum. Carisius *forcipe* loco hoc positum à Virgilio tradit: quamvis de *Forfice* cum Servio non sentiat. Quod vero exemplaria, *massam* habent, in Carisii codicibus ejus loco *ferrum* legitur. *Pierius.*

454. *Dum hæc properat.*] Hoc est, properanter facit: & est honesta elocutio. *Servius.*

Æoliis.] Nam, ut diximus, Vulcania una est de septem Æoliis, in quibus Æolus regnavit. *Idem.*

Lemnius.] Quia in Lemnum insulam, ut diximus, cecidit: vel à Iunone propter deformitatem dejectus; quam aërem constat, esse ex quo fulmina procreantur. Ideo autem Vulcanus de femore Iunonis fingitur natus, quod fulmina de imo aëre nascuntur: quod etiam Lucanus dicit, *Fulminibus terræ propior succenditur aër, Pacem summa tenent.* Idem.

455. *Euan-*

Euandrum ex humili tecto lux ſuſcitat alma,
Et matutini volucrum ſub culmina cantus.
Conſurgit ſenior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

Tum

455. *Euandrum, &c.*] Similis locus Iliad. & Odyſſ. 2. De quibus curioſe Scalig. lib. 5. cap. 3. *Taubm.*

Lux ſuſcitat alma.] Ita apud Stat. 3. Theb. Adraſtum jacentem in lecto

Lux movet, ingenteſque jubent aſſurgere curæ.

Legendum fortaſſe *monet.* Imitatus eſt Sophoclem Noſter, apud quem in Elect.

Ὡς ἡμῖν ἤδη λαμπρὸν ἡλίου σέλας
Ἑῷα κινεῖ φθέγματ' ὀρνίθων σαφῆ.
Nam nobis jam ſplendidum Solis jubar
Excitat matutinos avium cantus.

Virgilii ſententiæ confinis vox Græcorum, quibus Sol dicitur ἠλέκτωρ, quod homines ἀλέκτρους, id eſt, *ſine lecto* faciat. Notatque commode Germ. ubi in Supplicib. Æſchyli dicitur, *Ζηνὸς ὄρνιν τόνδε νῦν κικλήσκετε*, ſcribi ab interprete, *Ζηνὸς ὄρνιν, avem Jovis* eſſe *ἥλιον, Solem.* Ratio: quia ἐξανίστησι ἡμᾶς ὡς ἀλεκτρυὼν, *excitat nos, ut gallus.* Cerda.

456. *Matutini volucrum ſub culmine cantus.*] Poteſt & generaliter accipi *volucrum* quarumvis, quæ matutine ſonant: poteſt & ſpecialiter, ut hirundinum, poteſt & gallorum, quæ omnia propter ſermonis humilitatem vitavit. *Servius.*

457. *Tunicaque inducitur artus.*] Homerus de ſurgente Agamemnone 2. Il. μαλακὸν δ' ἔνδυνε χιτῶνα. & de ſurgente Telemacho lib. 2. Odyſſ. εἵματα ἑσσάμενος. & de ſurgente Pentheſilea Cal. lib. 1. ἀμφ' ὤμοισιν ἔδυνε τεύχεα. Lege Magium lib. 3. Miſcel. cap. 3. ubi ex hoc Virgilii loco, ex duplici Homeri, ex duplici Suetonii, diſſerit de uſu tibialium negato veteribus. Quod ex his locis Magius elicit, alii ex Quintil. lib. 11. cap. 3. alii ex Agellio l. 13. c. 20. *Cerda.*

458. *Tyrrhena vincula.*] Tuſca calceamenta. Et dicit crepidas, quas primo habuere Senatores, poſt equites Romani, nunc milites. Alii calceos ſenatorios volunt, quia hoc genus calceamenti à Tuſcis ſumptum eſt. *Servius.*

Tyrrhena vincula.] Sed quæ ſunt Tyrrhena vincula Virgilii? Utique Thuſca calceamenta, de quibus Heſychius: *Τυῤῥηνικὰ σανδάλια κάττυμά τι ὑψηλὸν οὕτω καλεῖται· Tyrrhenica ſandalia dicuntur altum quoddam calceamentum.* Sed major lux ab Polluce, qui l. 7. c. 22. Τυῤῥηνικά. τὸ κάττυμα ξύλινον, τετραδάκτυλον, οἱ δὲ ἱμάντες ἐπίχρυσοι, σανδάλιον γὰρ ἦν. ὑπόδησε δ' αὐτὸ Φειδίας τὴν Ἀθηνᾶν, ἐκάλουν δ' αὐτὰ τυῤῥηνικά· *Tyrrhenica, quorum ſolea lignea, quatuor digitorum latitudine, lora autem inaurata; erat enim ſandalium. hoc Minervam induit Phidias, & hæc vocabant Tyrrhenica.* Servius ait, fuiſſe *Thuſca calceamenta, quaſdam crepidas, quas primo habuêre Senatores, poſt equites Romani, mox milites*; de quibus videtur locutus Agellius lib. 13. cap. 20. *Omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infime teguntur, cetera prope nuda, & teretibus habenis vincta ſunt, ſoleas dixerunt, nonnunquam voce Græca, crepidulas.* Et Feſtus, de hoc calceamento loquens, ait, *pedis ſolo ſubjicitur.* Imo inde dictæ ſoleæ, quod ſolo pedis ſubjiciantur. Ergo *Tyrrhena vincula* Virgilii ſunt, *meræ ſoleæ*, quibus plantæ teguntur, & quibus corrigiæ ad ligationem. De hoc genere ſandalii intelligendi veteres, cum nominant *vincula.* Ut Ovid. 5 Faſt. *habent gemini vincula nulla pedes.* & lib. 2. loquens de Hercule muliebribus calceis induto,

Scindebant magni vincula parva pedes.

Et 3. Metamorph. *vincla duo pedibus demunt.* Et Tibull. lib. 1. Eleg. 5.

Vinclaque de niveo detrahet ipſe pede.

Et

Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem,
Demissa ab læva pantheræ terga retorquens.
Nec non & gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Æneæ sedem & secreta petebat

Ser-

Et Noster 4. Æneid. *unum exuta pedem vinclis.* Imo, calcei Græce dicuntur ὑποδήματα ab his vinculis. *Cerda.*

Tyrrhena vincula.] Tusca calceamenta altiora. Et erant alioqui Tusci peritia artium egregii. vide Turneb. l. 26. c. 29. & l. 30. c. 38. *Taubm.*

459. *Tegeæum ensem.*] Arcadicum gladium. *Servius.*

460. *Demissa ab læva pantheræ terga retorquens.*] A sinistro humero pellem demissam habuit, quam retorquens & in dextram revocans partem se amiciebat. *Idem.*

Demissa ab læva.] Antiqui aliquot codices, *à lævo* legunt, ut subintelligatur *humero.* Sed ab *læva*, scilicet *parte*, vel *manu*, magis recepta lectio. *Pierius.*

Pantheræ terga.] Παρδαλέην. Panthera autem, quæ & πάρδαλις, sic dicta, quod cicurari non possit, & inter semper feras posita sit ab Aristot. lib. 1. De nat. anim. his verbis: ἔτι τὰ μὲν ἥμερα, τὰ δὲ ἄγρια· καὶ τὰ μὲν ἀεὶ, οἷον ἄνθρωπος καὶ ὀρεύς, ἀεὶ ἥμερα· καὶ ἄγρια, ὥσπερ πάρδαλις καὶ λύκος. Sed & πανθὴρ Græcis dicitur, qui à nonnullis Lupus cervarius. *Germanus.*

461. *Gemini custodes.*] Hoc & in Homero lectum est: & in historia Romana, quæ ait, *Syphax inter duas canes stans Scipionem appellavit.* Servius.

461. *Gemini custodes.*] Hoc & in Hom. Odyss. 2. στίχ. 11. lectum est de Telemacho Ulyssis F. Vide Lipsium, Epist. Centuria 1. ad Belgas, 44. *Taubmannus.*

462. *Gressumq; canes comitantur her.*] Solemnis mos, & ab ævo Heroum ductus. Homer. 2. Odyss. de Telemacho,

Οὐκ οἶος, ἅμα τῷ γε δύω κύνες ἀργοὶ ἕποντο·

Non solus, simul eum duo canes veloces sequebantur.

Hujus loci meminit Philostrat. lib. 6. Apollon. cap. 14. & Martial. lib 11. meminit *canis Dulichii.* Pollux lib. 1. cap. 4. εἵπετο ἄρα τῷ ἡρακλῆ καὶ κύων κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον. οἶσθα γὰρ ὅτι τοῖς ἥρωσι συνεισῄεσαν μέχρι τῆς ἐκκλησίας οἱ κύνες· *Sequebatur Herculem canis veteri instituto. Scis enim canes una cum Heroïbus conciones ingredi.* Hoc de se prædicat Priam. 22. Iliad.

Οὓς (κύνας) τρέφον ἐν μεγάροισι τραπεζῆας πυλαωρούς·

Quos (canes) *nutrivi in ædibus mensarios janitores.*

Et Iliad. 23. de Achille dicitur,

Ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν·

Novem huic Regi mensarii canes erant.

Inde in sermone magnorum ducum magna etiam mentio canum. Vid. Plutarch. in Themistocle, ubi de cane Xantippi, & Periclis. Vide eundem de cane Alcibiadis, qui erat θαυμαστὸς τὸ μέγεθος, καὶ τὸ εἶδος· & in Pelopida de cane Alexand. Pheræorum. Alexander etiam Magnus (ut idem testificatur) canem habuit στεργόμενον, ut in deliciis. Et Eustath. in lib. 22. Iliad. ἔθος ἦν τὰς αὐλείους θύρας τηρεῖσθαι ὑπὸ κυνῶν. Vide historiam quampiam de cane comite viæ apud Cedren. pag. 362. & Plutarch. ἐν ἑλλ. ubi Hyperocho Regi Inachiorum dat comitem canem. De canibus porro catenatis videndus Artemid. lib. 3. Seneca lib. 3. de Ira cap. 37. & Petron. Satyr. *Cerda.*

463. *Hospitis Æn. sed. & secr. petebat.*] Ut supra Georg. 4. *In secreta senis ducam.* Vide autem apud Turnebum *secretum petere,* lib. 3. Advers. cap. 7. *Germanus.*

464. Ser-

Sermonum memor & promissi muneris heros.
Nec minus Æneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Ædibus, & licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior hæc:
Maxime Teucrorum ductor, quo sospite numquam
Res

464. *Sermonum memor.*] Scilicet promissi auxilii, ut *Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.* Servius.

Heros.] Hoc nomen non tantum præsentis est virtutis: sed & præteritæ. Unde est quod Euandrum Heroëm dicit, cum sit virtutis emeritæ: plerumque heros & generis est. *Idem.*

465. *Se matutinus agebat.*] Rem temporis ad personam transtulit. *Idem.*

Se matutinus agebat.] Hac loquendi forma frequentissimi sunt Græci, & ab istis adventitia hæc in Romanos. Hom. Odyss. 16. ἑσπέριος ἤλυθεν, *vespertinus venit.* & 8. Iliad. ἠοῖοι θωρηχθέντες, *Matutini armabantur.* & 10. χθιζὸς ὑπέσχετο Ὀδυσσεύς· *Hesternus promisit Ulysses.* Quin apud illos hæc locutio ad dies quoque transiit. Nam Theoc. εἰδ. 10. ἔραμαι ἐνδεκαταῖος. & Hippocrat. lib. 7. ἐπιδ. ad exitum, ἑβδομαῖος ἀπέθανεν. Quasi dicas: *Amo undecendius, Obiit septemdius,* id est, *undecim dies elapsi sunt, post quos amo. Obiit die septimo.* Cerda.

Æneas se matutinus agebat.] Id est, tempore matutino, sic statim ℣s. 465. *matutini cantus volucrum*, pro, volucres mane canentes. Et notata jam nobis hæc loquutio supra l. 3. Georg. ℣s. 538. Vid. & Gronovium lib. 1. Observat. c. 1. sub finem. Sic Homer. Iliad. α. ℣s. 497. de Thetide loquens, ἠερίη ἀνέβη μέγαν οὐρανόν· *matutina conscendit altum cælum.* ubi Scholiastes τὸ ἠερίη exponit ἑωθινὴ, ὀρθρινή. & de Jove ℣s. 424. χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα· *hesternus abiit ad epulum*, pro χθὲς, *heri.* Ut autem hoc loco *agere se*, sic supra lib. 6. ℣s. 337. *Ecce gubernator sese Palinurus agebat.*

Pro quo Apulejus *facere se*, lib. 5. Met. *Psyche paullo fidentior intra limen sese facit.* & lib. 10. *Ut primum ante judicis conspectum facta est.* Emmeness.

467. *Jungunt dextras.*] Sic enim se antiqui salutabant. *Servius.*

Mediis residunt Ædibus.] Ut ad capienda consilia in secretiore parte domus. Sen. in Thyest. nominat *arcanam Regiam.* Stat. 3. Theb. *arcanam aulam.* & lib. 2. ita ait, loquens de Adrasto, Polynice, Tydeo,

— *postquam media in sedibus aulæ*
Congressi, inque vicem dextras junxêre, locumque,
Quo serere arcanas aptum, atque evolvere curas,
Insidunt. —

Pars enim media secretior, ut quæ ab omni parte remotior ab auscultatoribus. *Cerda.*

468. *Licito tandem sermone.*] *Tandem,* quia amborum desiderio nox fecerat moram. Vel tandem dato secreto. *Servius.*

Licito tandem sermone fruuntur.] Arcano, ut interpretor: qui sermones à Plutarch. in Lucull. dicuntur λόγοι ἀπόῤῥητοι. Licebat enim jam Euandro secreta animi patefacere. Et vero, *frui sermone,* loqui ad invicem, quod Calab. lib. 2. ἀλλήλοις ὀάριζον. *Cerda.*

470. *Maxime Teucrorum ductor.*] Dicendo *maxime*, subtiliter ostendit, eum Pontificis maximi & scientiam & potestatem habere. *Servius.*

Maxime Teucrorum ductor.] Suasorii generis oratio, qua consulit Æneæ, ut à Tarchonte Hetruscorum duce auxilium petat. Suadet ab opportuno, ut

spem

Res equidem Trojæ victas aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires. hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, & murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentis populos opulentaque regnis
Jungere castra paro: quam fors inopina salutem
Ostentat. fatis huc te poscentibus adfers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto

Urbis

spem injiciat firmiorum opum certissimam, adversus potentes hostes. Exordium ductum ab insinuatione. Ostendit enim vires suas tenuiores esse, quam quæ ad tantum bellum sufficiant: laudans simul Æneæ virtutem. *Hort.*

Maxime.] Non dubium, quin militaris virtus signetur; nam hæc superlatio non tam à Latinis fontibus manat, quam à Græco, in quo μάχιμος est *pugnax, bellicosus*, & μαχιμώτατος, *bellicosissimus.* Cerda.

471. *Nunquam Res equidem Trojæ victas.*] Satis mature *Equidem* dixit, id est, ego equidem Trojam te vivo victam non arbitror, quantum est in opinione mea. *Servius.*

472. *Pro nomine tanto.*] Pro tui nominis gloria. *Idem.*

Thusco claudimur amni.] *Tusco* ideo dixit, quia ipse fuit Romani finis imperii. Juvenalis: *Et quæ imperii fines Tiberinum virgo natavit.* Idem.

Claudimur amni.] In 10. *claudit nos objice pontus.* Et *amni* pro amne, antiqui enim sic finiebant hos casus, quod jam alibi. *Cerda.*

474. *Hinc Rutulus premit.*] Hoc est, *Gens eadem quæ te crudeli Daunia bello Insequitur.* Servius.

Et murum circumsonat armis.] Et brevitatem sui ostendit imperii, & hostilem necessitatem: ob quam se penitus exarmare non poterat. *Servius.*

Murum circumsonat armis.] In codicibus aliquot antiquis *Circumsonat arcens* legitur. In aliquot aliis, *Arruns:* ut non unus nominetur hostis ad majorem timoris exaggerationem, seque honestius excuset, quod modico cum auxilio juvet. Mihi autem *armis*, ut in codicibus emendatioribus habetur, nequaquam displicet. *Pierius.*

Murum circumsonat armis.] Est hoc, quod 10. *Rutuli portis circum omnibus instant.* Cerda.

475. *Sed tibi ego, &c.*] Artificiose ait, ut etiam quæ monstrantur auxilia, ipsius esse videantur. *Ingentes* autem *Populos*, non sine caussa dixit. Nam Tuscia duodecim Lucumones habuit, id est, reges, quibus unus præerat. Unde est, *Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.* Servius.

Opulentaque.] Bene hoc addit. Nam pecunia nervus rerum gerendarum. *T.*

476. *Quam fors inopina.*] Hoc beneficium casus præstat, qui efficit ut eo tempore quæras auxilium, quo Tyrrheni ducem requirunt. *Servius.*

Fors inopina.] Alludit ad oraculum Sibyllinum: *via prima salutis, Quod minime reris Graja pandetur ab urbe.* Hort.

Fors inopina.] Præter opinionem. Scalig. lib. 4. cap. 16. *Taubm.*

477. *Fatis huc te poscentibus adfer.*] Perge illuc poscentibus fatis. Nam talis est sensus, si legeris *adfer.* Similiter jungit fortunam fato: ut supra ubi ait, *Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum.* Si autem legeris *adfers:* sensus erit talis, Fati necessitate factum est ut venires: fortunæ beneficio ut illi ducem requirant. Legimus ergo & *adfer* & *adfers.* *Servius.*

478. *Haud procul hinc.*] Ut ire ei facile persuadeat. *Idem.*

Saxa

Urbis Agyllinæ ſedes: ubi Lydia quondam
Gens, bello præclara, jugis inſedit Etruſcis.
Hanc multos florentem annos rex deinde ſuperbo
Imperio & ſævis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes; quid facta tyranni
Effera? dî capiti ipſius generique reſervent.
Mor-

Saxo incolitur fundata vetuſto.] Antiquo opere: ut, *Templa dei ſaxo venerabar ſtructa vetuſto.* Servius.

479. *Urbis Agyllinæ.*] Quæ nunc *Cere* dicitur. *Idem.*

Urbis Agyllinæ.] Hujus urbis conditores fuerunt Pelaſgi, qui venerunt ex Theſſalia, ut teſtatur Stephanus, & recte ex eo ad Solinum monet Salmaſius: perperam autem is cap. 2. *Agyllam à Pelaſgis, qui primi in Italiam literas intulerunt (quis conditam ignorat.)* Nam Pelaſgi, qui literas intulerunt in Italiam, fuerunt Euander cum ſociis, qui venerunt ex Arcadia; cum illi, qui *Agyllam* condiderunt, ſint è Theſſalia. Dicta præterea fuit hæc civitas, ut recte Servius, *Cære.* unde vero nomen illud ſortita ſit docet nos Stephanus in Ἀγύλλα his verbis: Θετταλῶν γὰρ κρατούντων τῆς πόλεως, προσελθών τις τῶν ἀπὸ Λυδίας Τυῤῥηνῶν, ἠρώτα, τί ἂν εἴη τὸ ὄνομα τῆς πόλεως; τὶς δὲ αὐτὴ τῆς ἀποκρίσεως, τὸ χαῖρε εἶπεν, ὅθεν Τυῤῥηνοὶ κρατήσαντες, Καῖρε προσηγόρευσαν. Ejus incolæ *Cæretani*, de quibus vid. Torrentius ad Horat. lib. 1. Epiſt. 6. ꝟſ. 62. *Emmeneſſ.*

Lydia quondam Gens bello præclara, &c.] Quondam inſedit, non quondam bello præclara, nam etiam tunc florebat. Sane etiam ſupra diximus, Mæoniam provinciam eſſe, cujus dum brevitas duos fratres Lydum & Tyrrhenum ferre non poſſet, ex ſorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus eſt, & partem Italiæ tenuit, & Tyrrhenam nominavit. Hi diu piraticam exercuerunt, ut etiam Cicero in Hortenſio docet, cum captivos novis pœnis adfligerent, occiſorum eos religantes cadaveribus: quod Virgilius dat Mezentio, ſciens lectum eſſe de gente Tyrrhenorum. Sane illo tempore Tyrrheni dicti ſunt: poſtea *Tuſci*, ἀπὸ τοῦ θύειν. *Lydi* autem à Lydo regis fratre, qui in provincia remanſerat: & Lydia provincia poſitivum, Lydia gens derivativum pro Lyda. * Sane hanc Agyllinam quidam à Pelaſgo conditam dicunt, alii à Telegono, alii à Tyrrheno Teleſi filio. *Inſedit* autem ſecundum Salluſtium, *Montem ſacrum atque Aventinum inſedit.* Servius.

480. *Jugis inſedit Etruſcis.*] Nunc dativum, nunc accuſativum verbum hoc aſſumit: ſupra Æn. 2. *Arces Tritonia, reſpice, Pallas Inſedit*: & 10. *Non ſatius cineres patriæ inſediſſe ſupremos.* Germanus.

482. *Sævis tenuit Mezentius armis.*] Unde illi magis indigni injuriis quorum perſona laudata, & hoc poſitum eſt ut oſtendatur, an utile illis ſit jungi Æneæ. *Servius.*

483. *Quid memorem infandas cædes.*] Figura oratoria, quæ Paralepſis vocatur. Cicero, *Nam illa nimis antiqua prætereo.* Idem.

484. *Effera.*] Cruenta. *Idem.*

Dî capiti ipſius.] Ut eſt, *Quod dii prius omen in ipſum Convertant.* Quando enim volumus exprimere indignitatem rei, quaſi commoti avertimus orationem, ut *Dii talia Grajis.* Idem.

Dî capiti ipſius.] Imprecantis. ut Ariſtoph. εἰς κεφαλήν σοι. Vide Turneb. lib. 11. cap. 12. & Not. ad Plaut. Pœnulo act. 3, 3. Aut potius Gr. illud reſpexit, τῇ κεφαλῇ ἀναμάττειν. *Taubm.*

Dî capiti ipſius.] De hac imprecandi for-

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Conponens manibusque manus atque oribus ora,
Tormenti genus; & sanie taboque fluentis
Conplexu in misero longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda furentem
Armati circumsistunt ipsumque domumque:
Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.
Ille inter cædes Rutulorum elabsus in agros

Con-

formula vid. Brisson. de Formul. p. 112. & 113. *Emmenesſ.*

485. *Mortua quin etiam.*] Quod supradictum est, quod Cicero etiam in Ortensio de Tuscis dixit. *Servius.*

487. *Tormenti genus.*] Exclamatio est inventi supplicii, & detestatio. *Id.*

Tormenti genus.] De hoc tormenti genere Tyrrhenorum, quod Poëta Mezentio tribuit, videatur Plutarch. in Artaxerxe. Val. Max. lib. 9. cap. 2. & P. Victorius lib. 4. cap. 18. Var. Meminit & Cic. in Hortens. *Taubm.*

Sanie taboque.] Sanies, mortui est: tabo, viventis scilicet sanguinis. *Servius.*

Taboque fluentis.] In antiquo codice, *fluenti*, quippe *Tabo*, legitur. *Pier.*

488. *Longa sic morte necabat.*] De Barbaris quibusdam Valer. lib. 9. ait, necandos homines includi ab illis ferarum pellibus, egestis prius intestinis, *atque ut diutius pœnæ sufficiant, cibo & potione infelicem spiritum prorogare.* In bove illo æneo, cui subditæ flammæ, quid aliud quærebatur, quam atrocitas mortis & lentities? Lucan.

—— *moremque nefandæ*
Dirum sævitiæ pereuntis parcere morti.

Duo nempe illa; atrocitas, & lentities reperta ab Tyranno in Lucianum Martyrem Joh. Chrysost. scribit Or. 46. Ait enim quæsivisse supplicii genus ὁμοῦ καὶ δριμυτάτην γενέσθαι, καὶ μακροτάτην, *quod simul acerbissimum, & longissimum esset.* & in Orat. de Macchabæis meminit horribilium suppliciorum cum summa lentitie. Verba ejus: φειδωλῶς τιμωρεῖσθαι κατὰ μικρόν. Tiberius mortem vocabat *leve supplicium*, & maturitatem in moriendo *gratiam*; quare *mori volentibus vis adhibita vivendi*, ait Sueton. cap. 61. Cui affine illud Sophoc. Elect. οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, *non triste est mori*, sed eum, qui mori cupit, non posse consequi. Eurip. Hippolyto dixit,

Ταχὺς γὰρ Ἅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ·
Festinata mors grata homini infelici.

Cerda.

489. *At fessi, &c.*] Cum essent fessi, tandem circumsistunt. *Servius.*

At fessi tandem cives, &c.] Fessi videlicet acerbitate suppliciorum, quæ narrata: ideo illius imperium diuturnum esse non potuit. Sallust. epistola illa ad C. Cæsarem de ordinanda Repub. *Equidem ego cuncta Imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna arbitror.* De Jugurtha idem: *fatigati Regis suppliciis.* *Cerda.*

Infanda furentem.] Notat enormia supplicia. *Idem.*

491. *Obtruncant socios.*] Non dubium, quin eminentissimus Poëta attingat facilem illam rationem expugnandi Tyranni quæ fit diminutione virium. Si enim prius illos opprimas, qui sunt fidi, & socii Tyranni, non dubium, quin facilius illum possis opprimere. *Idem.*

492. *Ille inter cædes Rutulorum.*] In Vaticanis omnibus codicibus, *cædem* unitatis numero legitur: non ita in plerisque aliis. *Pierius.*

493. *Con-*

Confugere, & Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis:
Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.
His ego te, Ænea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condensæ litore puppes,
Signaque ferre jubent: retinet longævus haruspex
Fata

493. *Confugere.*] Confugiebat: ut diximus, historicus stilus est. *Servius.*

Defendier.] Defendi, id est, defendebatur. Et vertit historiam. Nam ut diximus, Turnus magis confugit ad Mezentium. *Servius.*

Confugere, &c.] Monet Serv. inverti historiam; nam potius ad Mezentium Turnus confugit. Fortasse, quia scriptum à Liv. 1. *Turnus Rutulique diffisi rebus ad florentes Hetruscorum opes, Mezentiumque eorum Regem confugiunt, qui Cære opulento nunc oppido imperitans jam inde ab initio minime lætus novæ origine urbis,* &c. *Cerda.*

494. *Furiis surrexit Etruria justis.*] Huic respondet sequens versus, *quos justus in hostem Fert dolor*; hunc autem *justum dolorem* & sæpe usurpant jurisconsulti, & Aristot. lib. Ethic. νέμεσιν vocat, quam inter φθόνον & ἐπιχαιρεκακίαν locat mediam. Horatius *justam indignationem.* unde & ἀξιομίσητοι apud Plutarch. De invid. & od. μισοῦνται γὰρ πολλοὶ δικαίως, ὡς ἀξιομισήτους καλοῦμεν· sic & εὖ συγεῖν, juste odisse, apud Æsch. in Suppl. ἄλιθιον ἀνδρῶν ὕβριν εὖ συγήσας. Iram vero, quæ ex injuria conflatur, inter modos rationesque tyrannidis solvendæ ponit Aristot. lib. πολ. ε. ubi docet conspirationes in caput principum, ut hic, fieri crebrius potiusque quam in principatum, ab iracundia, & contumelia. *Germanus.*

Etruria.] Scribendum sine aspiratione, ut monuit Pierius supra lib. 2. Georg. ad ϛίχ. 533. Vid. præterea Dausq. lib. 2. Orthogr. pag. 154. *Emmeness.*

495. *Ad supplicium.*] Bene, non ad bellum. *Servius.*

Præsenti Marte reposcunt.] Sine aliqua dilatione. *Idem.*

Præsenti Marte.] Videlicet, dum calent animi, ne furor tepescat, & languescat ardor. Est hæc una militarium virtutum. Ammian. libr. 17. in re simili: *statim, ne alacritas intepesceret pugnatorum.* Julius magnus tractandi militum dux 3. Civil. milites suos *conquiescere ante iter confectum vetuit*, quia videlicet ardebant desiderio pugnæ. Pompejus quoque statim, *moram nullam ad insequendum intulit.* Cerda.

496. *His ego te, Ænea, ductorem.*] Quasi grande incrementum. *Servius.*

Addam.] Aut dabo: aut re vera addam habentibus Tarchontem. *Idem.*

497. *Toto namque fremunt.*] Vel præterita narrat, vel conjectura est, utrum velint qui cessant. *Idem.*

498. *Longævus haruspex.*] Argumento ætatis vult doctum videri. Quibusdam sane displicet quod aruspicis nomen addiderit, cujus ætatem auctoritatemque designat. *Idem.*

Longævus haruspex.] Propterea τὸ *longævus* additum dicit Servius, ut *ætatis argumento doctum* ostendat. Hinc quoque apud Apul. lib. 5. Metam. Pan inquit: *Senectutis prolixæ beneficio multis experimentis instructus sum.* Ad quem locum vid. quæ in hanc rem Pricæus. *Emm.*

Retinet haruspex fata canens.] Cum superstitio plurimum in Ethnicis dominaretur, tum maxime erat illius usus, cum refrænanda esset multitudo. Nam vulgus aliter non continebatur. Inde ab aruspice Virgiliano confictum mendacium Deorum. Opportunus est Polyb. locus lib. 9. quem vide. *Cerda.*

Fata canens, O Mæoniæ delecta juventus,
Flos veterum virtusque virûm, quos justus in hostem
Fert dolor, & merita accendit Mezentius ira;
Nulli fas Italo tantam subjungere gentem:
Externos optate duces. tum Etrusca resedit
Hoc acies campo monitis exterrita divom.
Ipse oratores ad me regnique coronam

Cum

499. *Mæoniæ.*] Quia Lydi, qui Hetruriam tenuerunt, ex Lydia, Mæonia, & provinciis aliis conflati sunt. *Cerda.*

500. *Flos veterum.*] Ennianum. *Servius.*

Flos veterum, &c.] Signat filios, qui à bonis, & bellicosis parentibus. Itaque, quamvis magnos duces possis nominate *florem* sui ævi. Sed hic Poëta strictius adhuc pro juventute, quæ vere ætatis flos: Ita vetus inscriptio in agro Veronensi, FLORENTES ANNOS MORS IPSA ERIPVIT, indicatur juventus. Signatissime Liv. l. 8. *Prima frons in acie florem juvenum pubescentium ad militiam habebat.* Et l. 32. *flos Achæorum juventutis.* Pind. Od. 13. Olym. Ἄρης ἀνθεῖ νέων οὐλίαις αἰχμαῖσιν· *Mars floret juvenum perniciosis præliis.* In his vides florem cum juventute. Quin Demades apud Athen. l. 3. vocat adolescentes *ver civitatis*, ait enim, τοὺς ἐφήβους ἔαρ τοῦ δήμου. *Cerda.*

Flos.] *Florem* dixerunt veteres, quod optimum purissimumque est in quaque re, ut egregie docet Rittershusius ad Oppian. lib. 4. Κυνηγ. ℣ſ. 153. *Emmeness.*

502. *Nulli fas Italo.*] In antiquis aliquot codicibus, mutato numero legitur *fas Italo nulli.* Sed principium à spondeo versum omnino graviorem reddit. *Pierius.*

Nulli fas Italo, &c.] Applaudit huic loco ille lib. 7. ubi etiam fata canunt, externo genero jungendam Laviniam, ut hic externo duci committendum exercitum. *Cerda.*

Subjungere.] Conjungendo subjungere. *Servius.*

Subjungere.] Hoc verbo etiam utitur Horat. lib. 1. Epist. 1. ℣ſ. 19.

Et mihi res non me rebus subjungere conor.

Est autem loquutio desumpta à bobus, qui *subjungi* dicuntur, cum jugo alligantur, *disjungi*, cum solvuntur; unde *subjuges*, & *injuges* boves, qui sub jugo fuerunt, vel non fuerunt, ut ibi Torrent. *Emmeness.*

503. *Externos optate duces.*] Votis scilicet. Vel certe *expectate*, legite. *Servius.*

Optate.] Eo significato, quo in 1. *Pars optare locum tecto.* Itaque non capio *optate*, pro *exoptate*, sed pro *adoptate.* Dici porro *optiones*, illos, qui adjutores dabantur centurionibus, quod ab aliis optarentur, id est, adoptarentur, notum jam labore doctissimorum Cujacii, Turnebi, Lipsii, Bisciolæ, qui loca Festi, & Taciti producunt, & corrigunt. *Cerda.*

504. *Hoc acies campo.*] Quasi jam in bellum parati. *Servius.*

Resedit.] Ut pugnatura & parata ad bellum. Julius 3. Civil. *Ad asparagum consedit Pompejus.* Castra enim dicuntur *considere.* Itaque militare verbum. Lucan. lib. 6. *insedit castris.* Eurip. Supplement. παρ' ὅπλοις ἥμενος· *in armis sedens.* Sed Virgil. non, *consedit*, sed *resedit*, quia, *surrexerat furiis justis.* Sic Capitol. in Pertin. *in templo Concordiæ resedit:* quia præcesserat illius è castris ad Senatum itio. *Cerda.*

505. *Regnique coronam.*] Insigne: non revera coronam, quam Tusci reges nunquam habuerunt. ergo species est pro genere. *Servius.*

506. *Man-*

Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon,
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu sæclisque effœta senectus

Invi-

506. *Mandatque insignia.*] Aut mittit insignia, id est, omnia ornamenta regalia. Aut re vera ipse Tarchon oratores ad me misit, coronamque cum sceptro regni. *Mandatque insignia*, id est, magna, ut Castris succedam & capessam regna Tyrrhena. Alii, *Insignia* pro fascibus qui ad Romanos à Tuscis translati sunt; aliud est enim *insigne*, singulari numero; aliud *insignia*, in quibus vestis & sella regia accipi potest, vel *Mandat* trahit, ut dicimus mandari magistratum. Sallustius, *Ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni.* Idem.

Mandatque insignia Tarchon.] In antiquo codice, *Tarcho.* Alibi vero ex C. Julii Romani & quorundam aliorum sententia, nullum nomen Latinum, *on* literis finiri monuimus: Quamvis Plinius nomina quædam dicit proprios gentis suæ vultus formamque apud nos etiam custodire. De nominibus autem hujusmodi Fab. Quintilianus ait, *ut Palæmo, Thelamo, & Plato* (Nam sic eum Cicero quoque appellat) *diceretur, retinuerunt: quia Latini, quod o & n literis finiretur, non reperiebant.* Pierius.

Tarchon.] Hic est Tarchon ille, cujus ministerio usus ad urbium structionem Tyrrhenus is, qui à se Tyrrheniam nominavit. De quo Tyrrheno Strab. lib. 5. *καὶ δώδεκα πόλεις ἔκτισεν, οἰκιστὴν ἐπιστήσας Τάρκωνα· condidit urbes duodecim, usus præfecto Tarchonte.* Itaque in expeditione nobilissima, qua Lydi, duce Tyrrheno, in Italiam appulere, credibile secundum locum fuisse Tarchonti. Atque adeo ex peritia historiarum locutus Poëta, cum hunc præ aliis nominavit Lydorum præfectum. Addit Strab de hoc Tarchonte, *ὃν διὰ τὴν ἐκ παίδων σύνεσιν πολιὸν γεννηθῆναι μυθεύουσι· quem à puero canum fuisse fabulantur propter prudentiam.* Idipsum de eodem, & Cycno Trojano Eustath. scribit in lib. 2. Iliad. *διὰ φρόνησιν καὶ ὁ Τυρσηνὸς Τάρκων, καὶ ὁ Τρωϊκὸς Κύκνος πολιοὶ ἐκ γενετῆς φημίζονται.* Itaque, quamvis Strabo, & Græci alii nominent *Tarchonem*, Virgilius *Tarchontem*, ut apparet ex locis aliis, tamen esse eundem liquidum ex ductu historiarum. Nisi quis inde astruat in Virgilio legendum, *Tarchonem.* Cerda.

508. *Sed mihi tarda gelu.*] Occurrit tacitis quæstionibus, dicens se non isse propter senilem ætatem: filium propter mistum genus per originem matris. Unde Æneam dicit ire debere, cui & ætas & origo regna concedunt. *Servius.*

Sed mihi tarda gelu, &c.] Cum comparet Euander ætatem suam senilem cum vigore annorum Æneæ, videtur procul dubio adumbratus locus Pindari Od. 4. Pyth. Ait itaque Pelias ad Jasonem: *ἀλλ' ἤδη με γηραιὸν μέρος ἁλικίας ἀμφιπολεῖ· σὸν δ' ἄνθος ἥβας ἄρτι κυμαίνει· Sed jam me circumdat pars ætatis senilis; fervet vero flos pubertatis tuæ.* Et Pindaro quidem hæsit Valer. 1. Arg. apud quem Pelias post decantatam senectutem suam, *Si mihi quæ quondam vires,* &c. subjicit loquens cum Jasone,

Tu, cui jam curæque vigent, animique viriles,
I decus, & pecoris Nephelæi vellera Grajo
Redde tholo, ac tantis temet dignare periclis.

Sed & excursui Poëtico similem Taciti locum animadverto. Vides enim ut Euander excuset se senem à Regno, & Pallantem juvenem, deferatque ad Æneam, qui in bona ætate, & media. Ergo Tacit. de Tiberio: *Hæc & de Armenia apud Patres disseruit, nec posse motum Orientem nisi Germani sapientia componi; nam suam ætatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse.* Ut hic *tarda senectus*, ita Sen. Rhet. Controv. 7.

Invidet imperium, seræque ad fortia vires.
Natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella
Hinc partem patriæ traheret. tu, cujus & annis

Et

Ego senectute immobilis, & vincto simillimus. Cerda.

Sæclisque effœta senectus.] Notandum dicta *secula*, etiam in uno homine, secundum eos qui dicunt *seculum* triginta annos habere. Nam alii centum & decem: alii mille annis putant *seculum* contineri. *Servius.*

Gelu.] Scite hoc in nota senectutis. Patrocles apud Stob. Serm. 115. vocat senectutem βίου χειμῶνα, *vitæ hiemem.* Apud eundem Eratosthenes, cum diceret vigentem ætatem esse instar veris, declinantem instar æstatis, & autumni, addebat, χειμῶνα δὲ τὸ γῆρας· *senectutem esse hiemem.* In dialogismo illo satis celebrato Adriani Cæsaris, & Epicteti, cellæ quatuor constituuntur, videlicet *tepidaria, sudatoria, assa, frigidaria.* Prima datur *infantibus*, altera *pueris*, tertia *juvenibus*, quarta *senibus.* Stat. 3. Theb. *pectora gelida* absolute dixit pro senibus, opponens juvenibus. Causam hujus frigoris reddit Aristot. 2. Rhet. cap. 13. nam senes κατεψυγμένοι εἰσὶν, *refrigerati sunt*, ab refrigerato jam sanguine: sicut contra juvenes θερμοὶ, *calidi.* Cerda.

Sæclis.] Accipio primam Servii explicationem, qui sæculum explicat de spatio triginta annorum ducorque hoc argumento: Tres illas ætates, aut tria sæcula, quæ de Nestore omnes prædicant, & imprimis Tullius in Catone Majore, & Hor. Od. 9. l. 2. *ter ævo functus.* & ante omnes Homer. l. 1. Iliad. nonaginta anni sunt, explicatore Plutarcho. Nam is, cum dicat in Catone Majore, virum hunc ætatis anno nonagesimo Servium Galbam accusasse, adjicit, pervenisse illum & vita, & factis ad triplicem ætatem Nestoris. Græca sunt. Σερουΐῳ Γάλβᾳ κατηγόρησεν ἐνενήκοντα γεγονὼς ἔτη. κινδυνεύει γὰρ ὡς ὁ Νέστωρ, εἰς τριγονίαν τῷ βίῳ, καὶ ταῖς πράξεσι κατελθεῖν. *Idem.*

509. *Senectus Invidet imperium.*] Ita apud Herodian. lib. 2. Pertinax inducitur γῆρας προϊσχόμενος, *prætendens senectutem*, ut excuset se ab Imperio. Applaudunt & verba Taciti l. 1. Hist. *Ipsa ætas Galbæ, & irrisui, & fastidio erat adsuetis juventæ Neronis, & Imperatores forma ac decore corporis (ut mos est vulgi) comparantibus.* Idem.

Invidet imperium.] Bona locutio, ut, *Liber Pampineas invidit collibus umbras.* S.

Seræque ad fortia vires.] De hoc languore senectutis Sophronius apud Stob. γῆρας μαραῖνον παραγγελεῖ. Marcor enim comitatur res tabidas. Cui accinit Aristotel. qui per verbum μαραίνεσθαι explicat solutionem senum. Et Probl. sect. 30. δειλοὺς vocat, ut etiam 2. Rhet. cap. 13. προωδοπεποίηκε τὸ γῆρας τῇ δειλίᾳ· *senectus viam aperuit timiditati.* Quæ ferme repetit in Probl. loco adducto, προωδοπεποίηκε γὰρ τῷ φόβῳ. De Scipione Africano Liv. lib. 38. *in juventa bella aßidue gesta, cum senecta res quoq; deflornere.* Nam, ut ait Sen. in Fur.

Post multa virtus opera laxari solet.

Plutar. de Mario jam sene: τοῦ γήρως τὸ δραστήριον ἐκεῖνο, καὶ θερμὸν ἐν αὐτῷ κατασβεννύντος· *extinguente senectute strenuitatem illam, atque ardorem.* Euripid. in Hercul.

Γῆρας δὲ τρομερὰ γυῖα, κἀμαυρὸν σθένος.
Membra trementia senectute, & robur invalidum.

Seras istas vires Græci nominant γῆρας ἀκρότατον, ἔσχατον, προβεβηκὸς, μακρότατον, πολυετῆ. Pulcherrime Plato 8. Leg. ὑπέργηρον. Philost. βαθὺ γῆρας. *Cerda.*

510. *Mixtus matre Sabella.*] Pro duplici genere natus. *Servius.*

Matre Sabella.] Regis Sabinorum filia. *Taubm.*

511. *Partem patriæ traheret.*] Sic dixit *traheret*, quomodo dicitur originem ducere. *Servius.*

Par-

Et generi fatum indulget, quem numina poſcunt,
Ingredere, ô Teucrûm atque Italûm fortiſſime ductor.
Hunc tibi præterea ſpes & ſolatia noſtri
Pallanta adjungam. ſub te tolerare magiſtro
Militiam & grave Martis opus, tua cernere facta
Adſue-

Partem patriæ.] Sidon. epiſt. 21. lib. 4. ad Aſprum, cum præmiſerit, *Hednus pater tibi, mater Averna eſt,* exemplo Maronis, à quo hanc Pallantis duplicem originem adducit, ita abſolvit: *Ecce habes magnum maximo auctore* (Virgilio) *documentum, quod patriæ pars computanda ſit & regio materna.* Cerda.

Et annis.] Ad ſe retulit. *Servius.*

512. *Generi fatum indulget.*] Ad Pallanta retulit. *Idem.*

Quem numina poſcunt.] Ut, *Externos optate duces.* Idem.

Quem numina poſcunt.] Sup. *fatis huc te poſcentibus affers.* Cerda.

513. *Ingredere.*] Verbum militare, & in quo ferocia atque oſtentatio. Val. 1. Arg. de Jaſone,

Heu quibus ingreditur fatis, qui gentibus horror Pergit! ——

Et lib. 2. de tauro victore,

—— *qualis per paſcua victor*
Ingreditur, tum colla tumens, tum celſior armis.

Sic & Lucan. lib. 2. præmiſſa Cæſaris ferocitate,

Ingreditur pulſa fluviũ ſtatione vacantem.

Quis neſcit de Marte *Gradivo*? Quis non illud Hom. 3. Iliad. μακρὰ βιβῶντα· *grandia ingredientem*? Inde Baſil. Seleucienſis lib. 1. vitæ Teclæ: ἅμα καὶ τέτοις καὶ ὁ θάμυρις ἔθει, μακρὰ βιβὰς ποιητικῶς τὶς ἂν εἴποι, παρὰ τὸ δικαςήριον· *Inter quos & Thamyris grandia, ut poëtice quiſpiam loqueretur ingrediens, ad tribunal curſitabat.* Idem.

Italûm fortiſſim. ductor.] Εὐσυμβόλως jam ductorem Italiæ vocat Æneam. *S.*

514. *Hunc tibi præterea.*] In aliquot antiquis legere, eſt *nunc tibi.* Sed pronomen illud indicativum longe plus ponderis & energiæ habere videtur, dicendo *hunc Pallanta.* Nam & in pronomine ipſo, & in proprio nomine emphaſis eſt. *Pierius.*

Spes & ſolatia.] *Spes,* quia multa ſibi de ejus virtute promittebat pater: *Solatia,* quia amiſſa conjuge unici filii utebatur ſolatio. *Servius.*

Spes & ſolatia.] Ad filium ſuum Annibal apud Sil. *ſpes ô Carthaginis altæ.* Ideo liberi *ſpes,* quia propagaturi genus. Ut *ſolatia,* ita ab Agathone Poëta filii dicuntur ἡδὺ φυσάντων, *genitorum jucunditas.* Cerda.

515. *Pallanta adjungam.*] Sic & apud Apollon. lib. 2. Lycus offert filium ſuum comitem ſociumque Jaſoni: ξυνῇ μὲν πάντεσσιν ὁμόςολον ὔμμιν ἕπεσθαι Δάσκυλον ὀτρυνέω ἐμὸν υἷα. *Germ.*

Tolerare.] Quaſi rem aſperam & difficilem. Et per hoc ſignificat nondum eum ſufficere, ut intelligatur quid nolit, nam & paternam ſollicitudinem ſervat, & heroïcam virtutem, & ideo non vult ſimpliciter dicere, nondum debere puerum pugnare, ſed verecunde *Sub te tolerare magiſtro.* Servius.

Sub te tolerare magiſtro.] Hoc loco commendatur diſciplina & educatio. Miſſis enim ad militiam adoleſcentibus Roman. primo anno cuſtos, ſub quo diſplinam ediſcerent, & magiſter, ſub cujus imperio, tyrunculi acuerentur, publice dabatur, ne expertes operum militarium arma tractarent. Huc ergo alludit Poëta, ut etiam lib. 5. *Cuſtodem ad ſeſe, comitemque impubis Iuli Epytidem vocat.* Pontan.

516. *Militam & grave Martis opus.*] Hom. μέγα ἔργον ἄρης. Oppian. ἔργον ἔρωτος, pro, ἔρως. & lib. 1. Halieut. ℣ſ. 105. ἔργα ὀνίοχων, pro, ὀνίοχοι. ubi vid. Rittersh. ita alibi: *ferri rigor,* pro ferrum. *robur aratri,* pro aratrum. Lucr.
robur

Adſueſcat, primis & te miretur ab annis.
Arcades huic equites bis centum robora pubis
Lecta dabo; totidemque ſuo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat: defixique ora tenebant
Æneas Anchiſiades & fidus Achates,
Multaque dura ſuo triſti cum corde putabant;

Ni

robur ſaxi, pro, ſaxum: *rigor auri*, pro aurum. *Taubm.*

517. *Miretur.*] Imitetur. Lucanus, *Miratoremque Catonis*, id eſt, imitatorem. Optima enim ingenia neceſſe eſt, ut ea, quæ mirantur, imitentur. *Servius.*

Primis & te miretur ab annis.] Sunt codices antiqui, in quibus legere eſt, *te imitetur* abſque ſynalœpha. Sed omnino *miretur* magis placet: quia plus eſt *Mirari*, in quo rei, quam vix te aſſequi poſſe ſperes, magnitudo oſtentatur. *Pierius.*

Miretur.] Symmach. epiſt. 39. l. 1. *Frater meus Gorgonius admirator virtutum tuarum.* Apud Valer. lib. 4. Argon. Hercules ad Hylam jam raptum; *nec res ultra mirabere noſtras.* Cerda.

518. *Arcades huic equites.*] In antiquis, & emendatis codicibus, *Arcadas* per *as* ſcriptum eſt metro ita ſuadente: Nam accuſativus pluralis in *es* Latinus eſſet, & non niſi producta ultima poneretur. *Pierius.*

Robora pubis.] Antiqui aliquot codices, *corpora pubis* legunt. Sed omnino longe melius eſt *robora.* Idem.

Robora pubis.] Expreſſiſſime in ſermone Arcadum, qui valentiſſimi, & fortiſſimi ex roboreo cibo. Stat. 7. Theb. prædicans de Aconteo, ſolitum feras proſternere, addit rationem, cur huic homini tanta virtus, *Arcas erat.* Sic Catullo, qui in Nupt. Pelei, *Argivæ robora pubis.* Cerda.

519. *Suo nomine.*] Bene in omnibus filii gratiam facit: maluit enim munus ſuum cum perſona ejus dividere, quam ſuo nomine totum dare. Namque dicit, dat tibi Pallas milites ducentos ſuo nominè: ipſe vero à me accipiat ducentos. *Servius.*

Totidemque ſuo tibi nomine Pallas.] In codicibus aliquot antiquis legere eſt: *ſuo tibi munere Pallas.* Sed enim Servius *nomine* agnoſcit. *Pierius.*

520. *Defixique ora tenebant.*] Aut tacebant: ut, *Tenuitque inhians tria Cerberus ora:* aut ſtupebant. *Servius.*

Defixique ora tenebant.] Vetuſta quædam exemplaria legunt *intentique.* Sed enim *defixi* magis placet, quod præ ſe fert etiam ſtuporem quendam. *Pier.*

522. *Triſti cum corde.*] Propter brevitatem auxiliorum. *Servius.*

Triſti cum corde.] Clarum teſtimonium veræ ſyntaxeos, *putare cum corde.* Sicut & Sall. Jugurth. *facinus ſuum cum animo reputans*, pro *reputans animo.* Sic & *de.* Serv. infra *de lapide feritur*, pro *lapide feritur.* & *de gladio feritur*, pro, *gladio.* Unde Heraldus ad Arnobium, Gelenium reprehendit, qui legeret: *diſcobinata limis*; nam vetus lectio, *diſcobinata de limis.* Idem Arnobius l. 1. *Ex malleis fabricatos*, pro, *malleis fabricatos.* Plaut. Mercat. *Ex ſummis opibus, viribus uſque experire, nitere*, pro *ſummis opibus.* Factum hoc Græcorum imitatione, ajunt Germ. atque Herald. Homer. enim (ait prior) ὅρμαινε ἀνὰ θυμὸν, pro, ὅρμαινε θυμῷ. Euſeb. (ait poſterior) l. 5. Præp. ἐκ τῶν οἰκείων βελῶν, καὶ τοξευμάτων βαλλόμενοι, pro βέλεσι, καὶ τοξεύμασι. Vide etiam, quæ obſerv. Vechn. in Hellen. *C.*

Putabant.] Figura, per tempora putabant, quaſi putaſſent, niſi ſignum dediſſet, aut certe *putabant*, cogitabant. Unde & arbores putari dicuntur, quia diu deliberatur, quid eis adimi debeat, quid relinqui: *Putare* eſt & diſcernere, & in partes redigere; inde *diſputare.* Servius.

523. *Cælo*

Ni signum cælo Cytherea dedisset aperto.
Namque inproviso vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.

Suspi-

523. *Cælo aperto.*] Sereno, ut *Et aperta serena Prospicere*, in eo est enim quod aperti * *Idem.*

Cælo aperto.] *Sereno*, explicat Serv. Ego aliter explico. *Aperto cælo*, id est, rupto, & hiante tonitribus, fulguribus, fragore. Nihil enim inconvenit ita accipi hic hoc verbum. Imo liquida totius loci sententia esse videtur, signum datum à Venere disrupto cœlo, quod explicans addit: *Namque improviso*, &c. Transactis vero fremitibus pacatum est cœlum & visa sunt in serena parte arma intra nubem emicare. Hæc melior consecutio Poëtæ. Quin, tantum abest, ut *apertum cælum* semper sit serenum, ut potius Basil. Seleuciens. in vita Teclæ lib. I. id verbi adhibeat ad magnas pluvias indicandas: ita enim loquitur de Deo: καὶ κλείσας ἐπὶ τρισὶν ὅλοις ἔτεσι, καὶ μησὶν ἓξ τὸν οὐρανὸν, καὶ τηρήσας ἀνέφελον.. καὶ πάλιν ἀνοίξας αὐτὸν, καὶ ποιήσας ὄμβρου τόκον· ubi *clausum cælum*, est serenum, *apertum*, cum pluvia. *Cerda.*

Cytherea.] Antonomastice pro Venere. Ab urbe, aut insula, ubi colebatur, & in quam delata, cum primum nata ex undis est. Hesiodus enim προσέκυρσε Κυθήροις. Cythera vero sic vocata. παρὰ τὸ κεύθειν, καὶ κρύπτειν τὸ αἰσχρὸν, *ab occultando turpi*, Phornutus ait. Hesychius etiam ait, dici quasi κυθθόμενον. Turpe illud, quod occultatum, est Venus ipsa nuda, cum eo appulit. *Idem.*

524. *Inproviso.*] Nullum enim indicium præcesserat nubium. *Servius.*

Vibratus.] Proprium telorum ad fulgura transtulit. *Idem.*

Fulgor.] Id est, fulgetra. Et tria genera fulgoris esse dicuntur, unum *Consiliarium*, ubi quid cogitantibus nobis accidit quod vetat aut hortatur: alterum *auctoritatis*, quod evenit re gesta quod probet: tertium *statum* est, ubi nec novi quicquam gessimus nec cogitamus, sed quietis nostris rebus fruimur: sed duo hæc quæ sequuntur ad locum hunc non pertinent. Primum sane apte videtur adnecti, ubi quod cogitantibus nobis accidit, quod vetat aut hortatur, quod *consiliarium* dicitur. Nam & hic modo Æneas de brevitate auxilii cogitat, quia ait, *Multaque dura suo tristi cum corde putabant*: & sic fulgur factum est, quod eum hortetur, ne de bellicis subsidiis desperet. *Idem.*

525. *Cum sonitu.*] Tonitruum scilicet. Et ut diximus supra, ordinem tenuit qui nobis apparet, ut fulgetras dicat priores, cum sint ante tonitrua. *Idem.*

Ruere omnia visa.] Sic enim sonat ut videatur ruina: alibi, *Cœlique ruina.* Bene autem temperavit dicens, *Visa*, id est, ad opinionem animi. *Idem.*

526. *Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.*] *Tyrrhenum clangorem* dixit: ideo quia apud Tuscos tubam constat inventam. Ergo *Tyrrhenus clangor*, sonus Tyrrhenarum tubarum. Et bene congruis ominibus arma nuntiantur per sonum tubarum. Et figurate per epitheti immutationem Tyrrhenæ tubæ. Varro de seculis auditum sonum tubæ de cœlo dicit. Videtur hic opportune *Tyrrhenæ tubæ* facta mentio, ut jam Tyrrhenorum castra vocare videatur Æneas. *Idem.*

Tyrrhenusque tubæ, &c.] Attingit Poëta hoc loco inventionem tubæ, quæ apud Hetruscos. Ex qua opinione locuti alii. Stat. 6. Theb. *Tyrrhenum murmur.* & 3. *Tyrrhenus clangor.* Athen. lib. 4. τυῤῥηνῶν δ' ἐστὶν εὕρημα κέρατά τε, καὶ σάλπιγγες· *Tyrrhenorum inventum sunt & cornua, & tubæ.* Pollux lib. 4. τυῤ-

ῥηνῶν

Suspiciunt: iterum atque iterum fragor increpat ingens.
Arma inter nubem cæli in regione serena
Per sudum rutilare vident, & pulsa tonare.

Obstu-

ηνὸς αὐλός, *Tyrrhenica tuba.* Eurip. Phoeniss. τυρσηνικῆς σάλπιγγος. & in Heracl. τυρσηνικῇ σάλπιγγι. Inde Stat. lib 7. pro, bellicos tumultus, dixit, *Tyrrhenos tumultus.* Cerda.

Mugire.] Ab Lucret. qui lib. 4.

Cum tuba depresso graviter sub murmure mugit.

Nonn. lib. 23. Dionys. ὑγρὴ μυκήσατο σάλπιγξ· *humida mugiebat tuba.* Pari elegantia attribuitur rebus aliis. Aristoph. tonitruo, μυκησαμένης (inquit) τῆς βροντῆς. Nonnus mari lib. 32. πόντος μυκώμενος. Ammian. lib. 17. terræ motibus: *Tunc enim necesse est velut taurinis reboare mugitibus fragores, fremitusque terrenos.* Stat. lib. 10. tonitribus, ad imitationem fortasse Aristoph. *arcanum mugire polum.* Hom. Iliad. 1. hoc extulit per verbum ipsius tubæ: σάλπιγξεν (inquit) οὐρανός. *Idem.*

Clangor.] Sic & de tuba Silius lib. 2. *Tyrrhenæ clangore tubæ.* Virg. alibi, *clangorque tubarum.* Valer. *Luctificum clangenie tuba.* Apul. de Mund. *Cum tuba bellicum cecinit, milites clangore incensi.* Hic clangor à claritate, credo, sonitus. Inde in 5.

Inde, ubi clara dedit sonitum tuba. ——

Et clarus hic sonitus, quia tuba instrumentum est directum, & oppositum raucedini cornuum. Ovid.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Idem.

527. *Fragor increpat ingens.*] *Fragor* est proprie armorum sonus. quod autem dicit *Intonat* illud spectat, *Fulminat Æneas armis*, quæ vult fragore tonitrum, splendore fulgetram imitari. Non autem mirum est à Venere adlatis armis inesse fulgorem. Nam & Homerus dicit à Thetide oblata arma habere motum quendam & spiritum: quæ duo in aqua esse manifestum est. Thetidem autem novimus Nympham esse. *Servius.*

Fragor increpat ingens.] Antiqui plerique codices, Vaticanique omnino cum Mediceo, & Porcio, *increpat* legunt: quamvis *intonat* ea ratione Servio placet, quod alibi dictum à Poëta: *Fulminat Æneas armis.* Quod vero paulo post sequitur: *pulsa tonare*, in antiquis aliquot, *sonare* legere est. Sunt etiam vetusti admodum codices, in quibus *fragor intonat aures* legatur; sed hoc aliorum judicio relinquemus. *Pierius.*

Fragor.] Nam frangit se nubes in fulmine. Stat. lib. 10. *tonitru malus æthera frangit Juppiter.* Simocatta lib. 2. Hist. cap. 7. ῥαγδαῖος σκηπτός. Sen. Rh. controv. 16. *terribili fragore horridæ tempestates.* Cerda.

528. *Inter nubem.*] Per nubem, more suo. Et dicit in serena parte cœli fuisse nubem per quam arma portata sunt. *Servius.*

Cæli in regione serena.] Ominosum esse tonitru cælo sereno, supra Georg. eo loco docuimus, *Nec cælo plura sereno fulgura, &c.* ubi in malam partem ἀνοιωνίστως & inauspicato committi ex serenitate tempestatem constat: hic autem αἰσίως & εὐωνύμως, ut sententia loci satis demonstrat. Semper tamen placide cæli constitutione temperata, tonitru prodigiosum esse, ut insolens & præter naturam docet Lucret. lib. 5.

Nec fit enim sonitus cæli de parte serena,
Verum ubicunque magis denso sunt agmine nubes: & item 6. *Fulmina —— nam cælo nulla sereno, Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.* Denique: *cur nunquam cælo jacit undique puro Jupiter in terras fulmen.* Germanus.

529. *Per sudum.*] *Sudum* est quasi subudum, serenum post pluvias, ut ver sudum. Alii *sudum* semiudum volunt dici, cum per nubes ad nos perveniat Solis ictus non integer. *Servius.*

Per sudum.] Puto *sudum* esse serenum, & vere seudum, id est, sine udo. Tiberianus apud Fulgentium: *Aureos*

subdu-

Obstupuere animis alii; sed Troïus heros
Adgnovit sonitum, & divæ promissa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hospes, ne quære profecto,
Quem casum portenta ferant: ego poscor Olympo.
Hoc signum cecinit missuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret; Volcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu, quantæ miseris cædes Laurentibus instant!
Quas pœnas mihi, Turne, dabis! quam multa sub undas
Scuta

subducit ignes sudus ora Lucifer, id est, serenus. Tertull. lib. de Pall. directe opponit humiditati. Nam de cœlo: *dein substillum, & denuo sudum.* Est vero *substillum*, subliquidum, substillansque cœlum. Vir etiam doctus Passerat. *sudum* in hoc Virg. loco accipit, uti illud Horat. *Per purum tonantes Egit equos.* ut idem sint *per purum*, & *per sudum*. Cerda.

Pulsa tonare.] Recte arma, quæ hisdem ignibus, quibus fulmina facta sunt, ait tonare pulsa, & hic magis proprie quam Homerus, ille enim spirare ait & moveri: Hic vero armis Æneæ cœlestem sonitum dedit, unde veniebat. *Servius.*

531. *Adgnovit sonitum.*] Hoc est quid sonitus significaret. *Idem.*

Et divæ.] In Romano codice non habetur *&*, ut per appositionem legas, *divæ promissa parentis.* Eruditis tamen auribus vulgata lectio, *Sonitum & divæ*, magis adblanditur. *Pierius.*

Divæ promissa parentis.] Κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligamus Venerem ei promisisse. *Servius.*

532. *Tum memorat.*] Interpretatur prodigium, ut Euandri & præsentium omnium animos confirmet & solicitudinem discutiat. *Hortens.*

Hospes.] Et qui suscipit, & qui suscipitur, *hospes* vocatur, ut hoc loco Euander. Item supra, *Hospitis Æneæ sedem.* Servius.

Ne quære profecto.] Hic *profecto* vetuste pro expletiva conjunctione positum. Ambæ particulæ ad ornatum pertinent tantum. *Idem.*

Ne vero, hospes, ne quære profecto] In codicibus aliquot antiquis legere, est *ne quære, hospes, ne quære profecto.* Utraque lectio & venusta est, & à Virgiliana phrasi non aliena. *Pierius.*

533. *Portenta.*] Modo bona omina. *Servius.*

Ego poscor Olympo.] Aut de Olympo poscor, id est, hæc signa mei caussa fiunt: aut certe in Olympum poscor. Alii *Olympo poscor*, alii *Olympo* sequentibus jungunt. *Idem.*

Poscor Olympo.] Poscor ad bellum è cælo. *Taubmannus.*

534. *Hoc signum.*] Soph. in Colon. σημεῖα δ' ἥξειν τῶνδέ μοι παρηγγύα, ἢ σεισμὸν, ἢ βροντὴν, ἢ Διὸς σέλας. *Germ.*

Diva creatrix.] Rerum omnium generaliter. *Servius.*

Creatrix.] Pro, genitrix, ut apud Catul. *Patria ô mea creatrix, patria mea ô genitrix.* Cerda.

535. *Vulcaniaque arma.*] Verba Hom. Iliad. 18. ἡφαίστοιο παρ' οἰσέμεν ἔντεα καλά. *Idem.*

537. *Heu quantæ &c.*] Adeo de victoria fretus est, ut etiam hostium misereatur. & hinc nascitur ille sensus, *Non hæc, ô Palla, dederas promissa parenti.* Item Æneas, *Hi nostri reditus, expectatique triumphi, Hæc mea magna fides.* Servius.

Heu quantæ &c.] Scal. l. 3. c. 11. & l. 5. c. 16. *Taubmannus.*

538. *Quas pœnas mihi Turne dabis.*] Pœnas

Suspiciunt: iterum atque iterum fragor increpat ingens.
Arma inter nubem cæli in regione serena
Per sudum rutilare vident, & pulsa tonare.

Obstu-

ϱ̔ιωὸς αὐλὸς, *Tyrrhenica tuba.* Eurip. Phœniss. τυρσηνικῆς σάλπιγγος. & in Heracl. τυρσηνικῆ σάλπιγγι. Inde Stat. lib 7. pro, bellicos tumultus, dixit, *Tyrrhenos tumultus.* Cerda.

Mugire.] Ab Lucret. qui lib. 4.

Cum tuba depresso graviter sub murmure mugit.

Nonn. lib. 23. Dionys. διερὴ μυκήσατο σάλπιγξ· *humida mugiebat tuba.* Pari elegantia attribuitur rebus aliis. Aristoph. tonitruo, μυκησαμένης (inquit) ἢ βροντῆς. Nonnus mari lib. 32. πόντος μυκώμενος. Ammian. lib. 17. terræ motibus: *Tunc enim necesse est velut taurinis reboare mugitibus fragores, fremitusque terrenos.* Stat. lib. 10. tonitribus, ad imitationem fortasse Aristoph. *arcanum mugire polus.* Hom. Iliad. 1. hoc extulit per verbum ipsius tubæ: σάλπιγξεν (inquit) οὐρανός. *Idem.*

Clangor.] Sic & de tuba Silius lib. 2. *Tyrrhenæ clangore tubæ.* Virg. alibi, *clangorque tubarum.* Valer. *Luctificum clangente tuba.* Apul. de Mund. *Cum tuba bellicum cecinit, milites clangore incensi.* Hic clangor à claritate, credo, sonitus. Inde in 5.

Inde, ubi clara dedit sonitum tuba. ——

Et clarus hic sonitus, quia tuba instrumentum est directum, & oppositum raucedini cornuum. Ovid.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Idem.

527. *Fragor increpat ingens.*] *Fragor* est proprie armorum sonus. quod autem dicit *Intonat* illud spectat, *Fulminat Æneas armis*, quæ vult fragore tonitrua, splendore fulgetram imitari. Non autem mirum est à Venere adlatis armis inesse fulgorem. Nam & Homerus dicit à Thetide oblata arma habere motum quendam & spiritum: quæ duo in aqua esse manifestum est. Thetidem autem novimus Nympham esse. *Servius.*

Fragor increpat ingens.] Antiqui plerique codices, Vaticanique omnino cum Mediceo, & Porcio, *increpat* legunt: quamvis *intonat* ea ratione Servio placet, quod alibi dictum à Poëta: *Fulminat Æneas armis.* Quod vero paulo post sequitur: *pulsa tonare*, in antiquis aliquot, *sonare* legere est. Sunt etiam vetusti admodum codices, in quibus *fragor intonat aures* legatur; sed hoc aliorum judicio relinquemus. *Pierius.*

Fragor.] Nam frangit se nubes in fulmine. Stat. lib. 10. *tonitru malus æthera frangit Juppiter.* Simocatta lib. 2. Hist. cap. 7. ῥαγδαῖος κτύπος. Sen. Rh. controv. 16. *terribili fragore horridæ tempestates.* Cerda.

528. *Inter nubem.*] Per nubem, more suo. Et dicit in serena parte cœli fuisse nubem per quam arma portata sunt. *Servius.*

Cæli in regione serena.] Ominosum esse tonitru cælo sereno, supra Georg. eo loco docuimus, *Nec cælo plura sereno fulgura, &c.* ubi in malam partem ἀναισίως & inauspicato committi ex serenitate tempestatem constat: hic autem αἰσίως & εὐωνύμως, ut sententia loci satis demonstrat. Semper tamen placide cæli constitutione temperata, tonitru prodigiosum esse, ut insolens & præter naturam docet Lucret. lib. 5.

Nec fit enim sonitus cæli de parte serena,
Verum ubicunque magis denso sunt agmine nubes: & item 6. *Fulmina —— nam cælo nulla sereno, Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.* Denique: *cur nunquam cælo jacit undique puro Jupiter in terras fulmen.* Germanus.

529. *Per sudum.*] *Sudum* est quasi subudum, serenum post pluvias, ut ver sudum. Alii *sudum* semiudum volunt dici, cum per nubes ad nos perveniat Solis ictus non integer. *Servius.*

Per sudum.] Puto *sudum* esse serenum, & vere seudum, id est, sine udo. Tiberianus apud Fulgentium: *Aureos*

subdu-

Obſtupuere animis alii; ſed Troïus heros
Adgnovit ſonitum, & divæ promiſſa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hoſpes, ne quære profecto,
Quem caſum portenta ferant: ego poſcor Olympo.
Hoc ſignum cecinit miſſuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret; Volcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu, quantæ miſeris cædes Laurentibus inſtant!
Quas pœnas mihi, Turne, dabis! quam multa ſub undas
Scuta

ſubducit ignes ſudus ora Lucifer, id eſt, ſerenus. Tertull. lib. de Pall. directe opponit humiditati. Nam de cœlo: *dein ſubſtillum, & denuo ſudum*. Eſt vero *ſubſtillum*, ſubliquidum, ſubſtillanſque cœlum. Vir etiam doctus Paſſerat. *ſudum* in hoc Virg. loco accipit, uti illud Horat. *Per purum tonantes Egit equos.* ut idem ſint *per purum*, & *per ſudum*. Cerda.

Pulſa tonare.] Recte arma, quæ hiſdem ignibus, quibus fulmina facta ſunt, ait tonare pulſa, & hic magis proprie quam Homerus, ille enim ſpirare ait & moveri: Hic vero armis Æneæ cœleſtem ſonitum dedit, unde veniebat. *Servius.*

531. *Adgnovit ſonitum.*] Hoc eſt quid ſonitus ſignificaret. *Idem.*

Et divæ.] In Romano codice non habetur *&*, ut per appoſitionem legas, *divæ promiſſa parentis*. Eruditis tamen auribus vulgata lectio, *Sonitum & divæ*, magis adblanditur. *Pierius.*

Divæ promiſſa parentis.] Καλὰ τὸ σιωπώμενον intelligamus Venerem ei promiſiſſe. *Servius.*

532. *Tum memorat.*] Interpretatur prodigium, ut Euandri & præſentium omnium animos confirmet & ſolicitudinem diſcutiat. *Hortens.*

Hoſpes.] Et qui ſuſcipit, & qui ſuſcipitur, *hoſpes* vocatur, ut hoc loco Euander. Item ſupra, *Hoſpitis Æneæ ſedem.* Servius.

Ne quære profecto.] Hic *profecto* vetuſte pro expletiva conjunctione poſitum. Ambæ particulæ ad ornatum pertinent tantum. *Idem.*

Ne vero, hoſpes, ne quære profecto] In codicibus aliquot antiquis legere, eſt *ne quære, hoſpes, ne quære profecto*. Utraque lectio & venuſta eſt, & à Virgiliana phraſi non aliena. *Pierius.*

533. *Portenta.*] Modo bona omina. *Servius.*

Ego poſcor Olympo.] Aut de Olympo poſcor, id eſt, hæc ſigna mei cauſſa fiunt: aut certe in Olympum poſcor. Alii *Olympo poſcor*, alii *Olympo* ſequentibus jungunt. *Idem.*

Poſcor Olympo.] Poſcor ad bellum è cælo. *Taubmannus.*

534. *Hoc ſignum.*] Soph. in Colon. σημεῖα δ' ἥξειν τῶν δέ μοι παρηγγύα, ἢ σεισμὸν, ἢ βροντὴν, ἢ Διὸς σέλας. *Germ.*

Diva creatrix.] Rerum omnium generaliter. *Servius.*

Creatrix.] Pro, genitrix, ut apud Catul. *Patria ô mea creatrix, patria mea ô genitrix.* Cerda.

535. *Vulcaniaque arma.*] Verba Hom. Iliad. 18. ἡφαίστοιο παρ' οἴσεμεν ἔντεα καλά. *Idem.*

537. *Heu quantæ &c.*] Adeo de victoria fretus eſt, ut etiam hoſtium miſereatur. & hinc naſcitur ille ſenſus, *Non hæc, ô Palla, dederas promiſſa parenti.* Item Æneas, *Hi noſtri reditus, expectatique triumphi, Hæc mea magna fides.* Servius.

Heu quantæ &c.] Scal. l. 3. c. 11. & l. 5. c. 16. *Taubmannus.*

538. *Quas pœnas mihi Turne dabis.*]
Pœnas

Scuta virûm, galeasque, & fortia corpora volves,
Thybri pater! poscant acies, & fœdera rumpant.
Hæc ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto;
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat, hesternumque Larem, parvosque Penatis
Lætus adit, mactant lectas de more bidentis
Euan-

Pœnas dant qui pœnis digna perpetrarunt. Dicimus enim pendere, dependere, solvere, persolvere, luere pœnas: & ista quidem patientis sunt. Agentis autem, exigere, poscere, repetere, capere, infligere, irrogare pœnas. Delictum vero Turni, quod pœna ulciscendum sit est ruptio fœderis, quod à Latino cum Æneа factum. *Pontanus.*

Quam multa sub undas.] In Romano codice legere est, *Sub unda.* quod non displicet: in loco enim volvenda sunt. Sed *sub undas* ad locum, omnino vehementius est. *Pierius,*

Quam multa sub undas.] Lucretius ablativo extulit lib. 1. *Dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis Grandia saxa.* Germanus.

539. *Volves.*] Constantini Paneg. *Aliorum quidem hostium corpora, & arma præceps fluvius volvendo devexit.* Possis idipsum per verbum *roto.* Nam Auctor Theb. de torrente,

Partesque lapsi montis exesas rotat.

Cerda.

540. *Poscant acies.*] Quasi eant nunc, & flagitent bellum. *Servius.*

Poscant acies &c.] Eodem plane sensu, quo lib. 7.

Hac gener, atque socer coëant mercede suorum.

Quem locum adi. Ut hic *poscant acies.* ita Sueton. cap. 9. Othon. *pugnam deposcentium.* Stat. 8. Theb. *prælia poscunt.* Curt. lib. 9. *pugnas deposcimus.* Cerda.

Fœdera rumpant.] Quæ se facturum Latinus promiserat, non enim erant facta: aut certe *fœdera*, quod in septimo legati cum muneribus missi. *Serv.*

541. *Solio.*] Sic dicta sedes Principum. Herodian. solium Principum vocat βῆμα. Simocatta lib. 1. Hist. καθέδραν. *Cerda.*

542. *Herculeis sopitas ignibus aras.*] Hypallage est, id est, suscitabat aras Herculeas, in quibus erant ignes sopiti. *Servius.*

Herculeis sopitas ignibus aras.] Fuit moris populi illius ignem ad sacra non accendi ex profano igne: sicut nec contra, ignem profanum ex sacro. Ergo, ignis ad sacra accenditur à Virg. ex igne sacri præcedentis diei. Phædrus clare in fabell.

Itaque hodie, nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas est accendi sacram.

Sumit quippe *lucernam* pro vulgari igne, & non sacro. *Cerda.*

543. *Hesternumque Larem.*] Cui pridie sacrificaverat, & est iteratio. nam male quidam *Externum* legunt, id est, extraneum. *Servius.*

Hesternumque Larem, &c.] Placet Servio *hesternum*, cui pridie sacrificaverat, improbatque *Externum*: Quod tamen & in Romano codice, & quibusdam aliis pervetustis codicibus invenitur. Sunt, qui *parvos Penates* Externos intelligant: quum solitus sit Poeta Æneæ Penates *magnos deos* appellare, ut eo loco: *Feror exsul in altum cum Sociis, Gnatoque, Penatibus & magnis Dis:* & per *magnos Penates* jurat Ascanius in nono. Dixerat tamen Euandrus: *Communemque vocate Deum.* De quo plura Macrobius. *Pierius.*

Hesternum Larem.] Hunc locum imitatur Naso Metam. 8. *Inde foco tepidum cinerem dimovit, & ignes Suscitat hesternos.* Germanus.

544. *Mactat lectas de more bidentis.*]

De

Euandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Post hinc ad navis graditur, sociosque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstantis virtute legit: pars cetera prona
Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:

Ducunt

De more lectas, an de more mactat. *Servius.*

545. *Euandrus.*] Pro *Euander*, sed vitavit ὁμοιοτέλευτον sequentis verbi. *Idem.*

Euander pariter, &c.] In antiquis plerisque codicibus, *Euandrus* per terminationem *us* scriptum est, quod hoc loco perplacet, quia sic ὁμοιοτέλευτον evitatur, quæ tribus continuis dictionibus haberetur in *er*, si *Euander* etiam legeretur. Quid vero veteres de nominibus hujusmodi tradiderint, alibi recitatum est. *Pierius.*

Euandrus.]Voluit vitare ὁμοιοτέλευτον ut etiam alibi, *Tum Pater Euandrus*, non *Euander*, quia præcessit, *Pater*. Puto dictum Εὔανδρον, quasi *fortem, & robustum*, quia erat Arcas, videlicet à glandium cibo, quo victitabant Arcades. Cum quo alludit, Arcadiam dictam à Pind. Od. 6. Olymp. εὐάνορα viris virtute præstantibus. *Cerda.*

546. *Post hinc ad navis graditur.*] Unum vacat, aut *Post*, aut *Hinc*: ut, *post hinc digrediens jubeo frondentia capris Arbuta*: tale est & illud, *Primus ibi ante omnes.* Servius.

547. *Qui sese in bella sequantur.*] In expeditionem & bellicam præparationem. nam ut supra dictum est, *bellum* est tempus omne quo vel præparatur aliquid pugnæ necessarium: vel quo pugna geritur. *Prælium* autem dicitur conflictus ipse bellorum. Unde modo bene dixit, *Qui sese in bella sequantur*, non ad prælium. nam auxilia petenda vadit, non ad pugnam. Quanquam etiam si sic diceret, *qui se in prælium sequantur*: non valde abs re esse videbatur. Hi enim equites, cum à Tarchonte accepisset Æneas auxilium, cum aliis Hetruscis equitibus per terram missi, obvios statim habuere bellantes: & quasi jam hinc recta pergere videntur in prælium. Unde etiam à Cymodocea naviganti Æneæ dicitur, *Iam loca jussa tenet forti permixtus Hetrusco Arcas eques.* Idem.

548. *Præstantes virtute legit.*] Ego triplicem divisionem video copiarum. Hic duplicem agnoscis: Trojanorum enim partem secum ad Tarchontem ducit, partem committit fluvio. Rursum, postquam itum ad Tarchontem, equitem in partem duplicem divisit, & unam præmisit ad Ascanium, terrestri, ut credo, itinere (hoc jam Serv. vidit) & de hac parte militum accipienda illa lib. 10.

Iam loca jussa tenet forti permistus Hetrusco
Arcas eques. ———

Alteram ipse secum navibus exportavit; de qua in 10. *medio Æneas freta nocte secabat.* Cerda.

Prona aqua.] Horat. Carm. 1. *Quis neget arduis Pronos relabi posse rivos Montibus, & Tyberim reverti.* Germ.

549. *Segnis.*] Sine remigio, id est, cessans, nihil administrans. Et respexit ad descendentes, de quibus ait, *Remigio noctemque diemque fatigant.* Licet fuerit lenissimus fluvius. Epitheton ergo ad tempus, non enim ignavos dixit: aut *segnis* certe, quia meliores elegerat. *Servius.*

Defluit.] Defertur. *Idem.*

550. *Rerum.*] Quas gesserat. *Idem.*

Patris.] Ubi esset. *Idem.*

Ducunt exsortem Æneæ; quem fulva leonis
Pellis obit totum, præfulgens unguibus aureis.
Fama volat parvam subito volgata per urbem,
Ocius

552. *Exsortem Æneæ.*] Per id quod non est factum, quod factum est indicatur. per *exsortem* autem optimum & præcipuum significat. *Exsortem* autem, ut *exlegem*: & multi hoc loco reprehendunt Virgilium, qui cum Æneam ubique Pontificem ostendat, & Pontificibus non liceat equo vehi, sed curru, sicut in septimo à Latino ei currum missum dicit, cur equo eum usum faciat, dicens, *ducunt exsortem Æneæ, quem fulva leonis Pellis obit totum præfulgens unguibus aureis.* Et, *Jamque adeo exierat portis equitatus apertis Æneas inter primos:* cujus rei hæc redditur ratio: Æneam non tantum Pontificii juris, sed omnium sacrorum & peritum & primum fuisse: Virgilium autem inventa occasione ritum Romanarum ceremoniarum exponere: more etenim veteri sacrorum, neque Martialis, neque Quirinalis Flamen omnibus ceremoniis tenebatur, quibus Flamen Dialis, neque diurnis sacrificiis destinebantur, & abesse eis à finibus Italiæ licebat, neque semper prætextam, neque apicem, nisi tempore sacrificii gestare soliti erant: Ergo si ire eis in provinciam licebat, & equo sine religione vehi licuit, quod hic ostendit velut in Provinciam misso Æneæ, equum datum, nam Euander hoc ait, *Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis Jungere castra paro*, deinde infra de potestate obtinendæ Provinciæ subtexuit, *Ipse oratores ad me regnique coronam Cum sceptro misit.* Tum excusatione interposita hortatur Æneam, ut Etruscis regem, & ducem desiderantibus præsit, ait enim, *Tu, cujus & annis, & generi fatum indulget.* Incedere ergo & equo merito uti potuit, si ei ire in Provinciam fas erat. Sciendum tamen poëtam contentum esse diversum Jus Pontificale, dum aliud narrat, attingere. *Servius.*

Exsortem.] Id est, equum eximium, præcipuum: ἐξαίρετον sive ἀπόκληρον. Scal. l. 4. c. 16. Vide 5. Æn. 534.

— *exsortem ducere honorem*, id est, præmium extra ordinem, quod omnium honorificentissimum erat. Scalig. & Turneb. lib. 13. cap. 8. *Taubmannus.*

553. *Pellis obit totum.*] Pellis ostenditur magnitudo in eo, quod dicit *totum obit*, id est, circundat. *Servius.*

Quem fulva leonis pellis obit, &c.] Ex equi hujus Virgiliani imagine Stat. lib. 9.

Venator raptabat equus, quem discolor ambit
Tigris, & auratos adverberat unguibus armos.

Et lib. 4. pari poësi, *Cornipedem velatum geminæ dejectu lyncis.* Dicit *geminæ lyncis*, ut suppleat illud Maronis, *Pellis obit totum.* nam cum lynx leone sit minor, duplex pellis adhibenda pro una leonina. Pulchre Valer. lib. 6. Arg. de chlamyde, quam Aron gestabat, *implet equum*, videlicet, quod Noster, *obit totum.* De equo Flaminii Cons. Silius:

Caucasiam instratus virgato corpore tigrim.

Hom. Iliad. 11. ad indicandam hanc magnitudinem pellis leoninæ, δέρμα λέοντος μεγάλοιο ποδηνεκές· *pellem leonis magni demissam ad pedes.* Ab Hom. Apollon. 1. Arg. δέρμα ταύρειον ποδηνεκές. *Cerda.*

Unguibus aureis.] At quia ungues ipsi cum aruerint, auri imitantur colorem, aut quia solent deaurari. Statius, *Auro mansueverat ungues.* Servius.

554. *Subito vulgata.*] Cur subito? ipse dicit: quasi per parvam urbem. *Idem.*

Urbem.] Pallanteum. *Taubm.*

555. *Ocius*

Ocius ire equites Tyrrheni ad limina regis.
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, & major Martis jam apparet imago.

Tum

555. *Ocius.*] Positivus antiquus est, id est, celeriter. Nec enim potest esse comparativus ubi nulla est comparatio; tractum ex Græco ὠκέως. *Servius.*

Ocius ire equites Tyrrheni ad litora regis.] Antiqui aliquot codices, *ad limina* habent. Sed *litora* peritioribus placet. Nam inde navibus in castra provecti sunt. Id etiam observandum, quod Servius ait, *Ocius positivus antiquus est, id est, celeriter: Nec enim potest esse comparativus, ubi nulla est comparatio.* At quomodo positivus, cujus masculinum *ocior* sit, ut: *fulminis ocior alis.* Quare dicendum potius comparativum esse pro positivo, ita tamen, ut insolitum quiddam significet. Ita ibi, *Alloquitur Venus tristior*, quam scilicet solita sit. *Pierius.*

656. *Vota metu duplicant matres.*] Bene *Metu duplicant*, nam inest semper in matribus votum. *Servius.*

556. *Vota duplicant.*] Non signat duo vota, sed multa, id est, multiplicant. Nam quod Horat. Od. 6. lib. 1. dixit *duplicis Ulyssei*, eo versu,

Nec cursus duplicis per mare Ulyssei.

Sic legendum, non *duplices*, hoc (inquam) Hom. πολύτροπος, & πολύμητις ut jam *duplex* Horatii, non sit διπλοῦς, sed πολύτροπος. Ita Sidon. epist. 7. lib. 1. *Vota facimus, preces, supplicationesque geminamus*, id est, multiplicamus. A Virg. Prudentius Hym. 12. περὶ στεφ.

Mox huc recurrit duplicatque vota.

Cerda.

Propiusque periclo It timor.] *Periclo*, id est, ad periculum vicinus: aut certe *It timor propius periclo*, *propius* pro propior: nam matres quod timent, hoc putant liberis posse contingere. Aut certe æquatur periculo timor, & per dativum extulit, ut *Propius stabulis armenta tenerent*; aut poëtice dixit timorem periculo comitem. *Servius.*

557. *It timor & major Martis jam apparet imago.*] In Romano codice, *& timor & major.* Sed id forte solito more. Sunt etiam vetusti codices, in quibus absque particula *jam* ita legitur, *major Martis apparet imago.* Nostræ tamen ætatis ingeniis, *jam*, illud interpositum magis adridet, quod nescio quid addat carminis majestati. *Pierius.*

Propiusque periclo It timor.] Tractat locum illum Aristotel. cap. 5. lib. 2. Rhet. ubi ait, non omnia mala metui, sed ταῦτα, ἂν μὴ πόῤῥω, ἀλλὰ συνεγγὺς φαίνηται ὥστε μέλλειν· *hæc, quæ non longe, sed proxime apparent, ut futura sint.* Nam τὰ πόῤῥω σφόδρα οὐ φοβοῦνται· *quæ longe admodum non metuuntur.* & inf. ἐγγὺς γὰρ φαίνεται ὁ φοβερὸν, *prope apparet, quod metuitur.* Imo ait, illud esse verum periculum, cum res metuenda est in proximo, τοῦτο γάρ ἐστι κίνδυνος, φοβεροῦ πλησιασμός. Soph. in Antig.

Φθέγξει γάρ τοι χ' οἱ θρασεῖς, ὅταν πέλας
Ἤδη τὸν Ἅδην εἰσορῶσι τοῦ βίου. ——

De Alexandro Curt. lib. 3. *Ceterum, ut solet fieri, cum ultimi discriminis tempus adventat, in solicitudinem versa fiducia est.* Quia videlicet videbat tantum *unam superesse noctem, quæ tanti discriminis moraretur eventum.* Claudian. Bell. Get. *propiore periclo omnibus attonitis.* Ammian. lib. 15. *pallescentem morte propinqua Machameum.* Cerda.

Jam apparet] Adhuc illis pergentibus jam prælium cogitabatur a matribus: Ergo ut solet imaginem τὴν φαντασίαν, ut est, *Et plurima mortis imago*: hanc Sallustius *Speciem* dicit, sicut ipse dicit speciem captæ urbis efficere discedentes. *Servius.*

Tum pater Euandrus dextram conplexus euntis
Hæret inexpletum lacrimans, ac talia fatur:
O mihi præteritos referat si Juppiter annos!
Qualis eram, cum primam aciem Præneste sub ipsa
Stravi,

558. *Pater Euandrus.*] Cum dicit *Pater*, ostendit cujus. *Servius.*

Dextram conplexus euntis.] Filii scilicet, quia dixerat *pater*. Idem.

Dextram conplexus.] Defendi potest lectio ex imitatione Val. 2. Arg. *dextramque amplexus & hærens.* & supr. Virgil. *dextramque amplexus inhæsit.* C.

559. *Hæret inexpletum lacrimans.*] Multi hic distinguunt, ut sit, Inexpletus hæsit, & talia locutus est lachrymans. Alii legunt *inexpletus lachrymis.* Honestius tamen est *inexpletum lachrymans*, ut sit nomen pro adverbio, id est, inexplebiliter. *Servius.*

Hæret inexpletum lacrimans.] Non placet, quod in quibusdam codicibus antiquis, *inexpletus* legitur, quamvis agnitum veterum etiam temporibus. In aliquot aliis, *in amplexus lacrimans* habetur. Sed *inexpletum* agnoscunt eruditi omnes. *Pierius.*

560. *O mihi præteritos referat si Juppiter annos.*] Et ô & *si* optantis sunt: id est, utinam, quæ nunc junguntur; nam singula ante ponebantur. Ut, *Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus.* Ergo unum vacat quantum ad antiquitatem. & notandum votum de præterito fieri. *Servius.*

O mihi præteritos, &c.] Votum senum, quale Hom. sæpe. Tale illud Entel. 5. Æn. *Si mihi quæ quondam vires.* & Val. 1. Arg. de Pelia & latius eod. l. de Æsone. *C.*

O mihi, &c.] Comparant hic Grammatici Euandrum cum Nestore Iliad. *η.* & *λ.* sed imperite, auctore Scalig. l. 5. c. 3. *Taubm.*

Si.] Præcessit, ô, est hic elegans pleonasmus. Sic in 6. *ô si qua via est.* & in 11. *ô si solitæ*, &c. Sed cur pleonasmus? quia, cum vult, adimit, nulla jactura sententiæ, ut in 6. *si nunc se nobis.* ubi poterat: *ô si nunc.* & 2. Eclog. *ô tantum libeat.* ubi poterat: *ô si libeat.* Itaque jam, ô: jam, si: jam, ô si, potes in tuis affectibus. Sed & attollitur affectus ex utraque dictione. *Cerda.*

561. *Qualis eram, cum primam aciem.*] Aut ut sim talis, qualis tunc eram quando illa perfeci. Aut certe laudantis est, *Qualis eram cum primam aciem Præneste sub ipsa Stravi.* Et bonum principium parentis, qui filium ad bella mittens cohortetur, ab ætate enim juvenum cœpit, cui facile esse debet hostem prosternere, simul & filium paternis exemplis admonuit, ut, *& pater Æneas & avunculus excitat Hector.* Servius.

Cum primam aciem.] In antiquis codicibus, *primum* legitur. Sed melius *Primam aciem.* Pierius.

Præneste sub ipsa.] In septimo neutro genere dixit: *Quique altum Præneste viri.* Servius.

Præneste sub ipsa.] In oppidi hujus conditore variant; Virgilio enim supra l. 7. Æn. vſ. 682. dicitur *Cæculus.* Plutarcho, qui in etymo tamen cum Servio ad illum locum convenit, *Telegonus*, in Παραλλ. p. 316. Τηλέγονος Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, ἐπὶ ἀναζήτησιν τοῦ πατρὸς πεμφθεὶς, ἔμαθε πόλιν κτίσαι ἔνθα ἂν ἴδῃ γεωργοὺς ἐστεφανωμένους καὶ χορεύοντας. γενόμενος δὲ κατά τινα τόπον τῆς Ἰταλίας, καὶ θεασάμενος ἀγροίκους πρινίοις κλάδοις ἐστεφανωμένους καὶ ὀρχήσει προσανέχοντας, ἔκτισε πόλιν, ἀπὸ τοῦ συντυχήματος Πρίνιστον ὀνομάσας, ἣν Ῥωμαῖοι παραγώγως Πραίνεστον καλοῦσιν. Stephano vero *Prænestus*: Πραίνεστος, πόλις Ἰταλίας ἀπὸ Πραινέστου τοῦ Λατίνου τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοῦ. Aliud etymon, quam Plutarchus & Servius, adducit Festus: *Præneste dicta est, quia is locus, quo condita est, montibus præstet.* Dicitur autem *hic Prænestis & hoc Præneste*, ut monuit Servius d. l. Sed ex Festo

Stravi, scutorumque incendi victor acervos;
Et regem hac Herilum dextra sub Tartara misi:
Nascenti cui tris animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat, terna arma movenda;
Ter leto sternendus erat: cui tunc tamen omnis
Abstulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo: neque finitimo Mezentius umquam
Huic capiti insultans, tot ferro sæva dedisset
Funera,

Festo videtur etiam dici posse *hæc Præneste.* Emmenessl.

562. *Scutorumque incendi victor acervos.*] Hoc traxit de historia. Tarquinius enim Priscus victis Sabinis in honorem Vulcani, eorum arma succendit, quem postea secuti sunt cæteri. *S.*

563. *Regem Herilum.*] In Romano codice, *Erulum* per *u* more suo, ut *Sibulla* pro *Sibylla.* *Thrasullus* pro *Thrasyllus*, & alia hujusmodi passim apud Tacitum, & aliquot alios. *Pierius.*

564. *Cui tris animas.*] Per transitum ostendit illam Platonis & Aristotelis contentionem, qui dubitant utrum quatuor, an tres animæ sint in homine, φυτικὴ, αἰσθητικὴ, [illegible]ιλικὴ, remota κινητικῇ. Hoc autem loco per tres animas magnum & perfectum indicat virum. Nam quantum ad fabulam pertinet, tres animas per tria habuit corpora. Attendendum sane hoc sibi Evandrum vindicare, quod fuit in Hercule. Nam ut ille Geryonem extinxit, ita hic Erylum occidit. inde est quod paulo post ait, *Neque finitimo Mezentius unquam Huic capiti insultans.* Herculis enim mos fuit, ut etiam non rogatus laborantibus subveniret. Tunc enim, sicut Varro dicit, *Omnes qui fecerant fortiter, Hercules vocabantur.* Licet eos primo XLIII. enumeraverit. Hinc est quod legimus Herculem Tirynthium, Argivum, Thebanum, Libyum. *Servius.*

Feronia mater.] Nympha Campaniæ quam etiam supra diximus. hæc etiam libertorum dea est, in cujus templo raso capite pileum accipiebant. Cujus rei etiam Plautus in Amphitryone facit mentionem, *Quod utinam ille faxit Juppiter, ut raso capite portem pileum.* In hujus templo Tarracinæ sedile lapideum fuit, in quo hic versus incisus erat: BENEMERITI SERVI SEDEANT, SURGANT LIBERI. Quam Varro libertatem deam dicit Feroniam, quasi fidoniam. *Idem.*

565. *Horrendum dictu.*] Dictum est per Poëtam his quibus fides difficiliorem interponit adfectum, ut alibi, *Horresco referens*, & *Horrendum dictu latices nigrescere sacros*, & hoc facit, ut probabilitas credendi nascatur. *Idem.*

Terna arma movenda.] Figura poëtica, nam *trina* debuit dicere. *Arma* enim numeri sunt tantum pluralis. *movenda* autem vel contra ipsum, vel ab ipso. *Idem.*

569. *Finitimo.*]. Aut in finitimo: aut finitimo capiti, id est, vicino. *Idem.*

570. *Huic capiti insultans.*]. Ad curam enim viri fortis & viri boni pertinet, ne quid injuriose fiat alicui homini: Ergo & hinc contumeliam ducit, quod finitimos à tyranni injuria non defenderit. *Idem.*

Neque finitimus Mezentius unquam, &c.] In antiquis aliquot codicibus, *finitimo* legitur, vel *mihi*, vel *huic capiti.* Et *exultans dedisset funera.* Legitur & *usquam* in codicibus aliquot antiquis, quod pertinet ad repetitionis ornatum, si cui ita legere placuerit:

Funera, tam multis viduasset civibus urbem.
At vos, ô superi, & divom tu maxume rector
Juppiter, Arcadii quæso miserescite regis,
Et patrias audite preces. si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant,

Si

Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam
Gnate tuo. Neque finitimo Mezentius usquam
Huic capiti insultans tot ferro sæva dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.

Quo loco Servius ait: Proprie *viduasset* dictum à Virgilio: quia Urbs est generis fœminini, abusive vero & satis incongrue ab Horatio dictum, *Viduus pharetra risit Apollo.* Quia scilicet putat ipse *viduam*, quasi *viro iduam* dici. Atqui sunt ex Grammaticis, quorum auctoritas minime contemnenda est, qui *viduum*, à *ve* & *duitate*, dictum velint, sicut *Vesanus*, non *sanus*, atque ita non incongrue dixerit Horatius, *Viduus Apollo.* Pierius.

Huic capiti.] Pro toto Soph. Elect. ὦ κατίγνητον κάρα. Sen. Rhet. Cont. 16. *in caput testimonium dicere.* Max. Tyr. dissert. 20. εἰς ἐχθρῶν κεφαλὰς ἀπελθεῖν. Synes. epist. 49. θεοφιλῆ κεφαλὴν, id est, ἄνθρωπον θεοφιλῆ. *Cerda.*

571. *Viduasset civibus urbem.*] Scilicet viris fortibus peremptis. & proprie *Viduasset* dixit, quia urbs generis est fœminini. Horatius abusive & satis incongrue in genere masculino posuit, dicens, *Viduus pharetra risit Apollo.* Servius.

Viduasset civibus urbem.] Pari forma Sen. in Oedip.

——— *viduas colonis*
Respicis terras miseranda Thebe.

Etenim vox ista eleganter transfertur ad plura. Quin de virgine quoque dicitur. Consule, quæ Delrius scripsit ex Labeone in Medeam. Et adde ex mea observatione vocem quoque *orphanus*, qui non de eo tantum, qui caret patre, cum dixerit Pind. Od. 9. Olymp. ὀρφανὸν γενεᾶς, *orphanum prolis.* Cerda.

Viduasset civibus urbem.] Scil. viris fortibus interemptis. Alluditur ad χηρείαν πόλεως, quam vult Eustath. λειπανδρίαν dici. Sic lib. 4. Georg. dixit:

Arvaque Riphæis nunquam viduata pruinis. Taubm.

572. *At vos, ô superi.*] Jam hinc quasi pater loquitur. divisa enim est hæc adlocutio, & ultima pars ejus habet adfectum parentis, quod & ipse ostendit dicens, *Et patrias audite preces.* Prima vero viri fortis est: ut, *Qualis eram cum primam aciem Præneste sub ipsa Stravi.* Servius.

At vos ô superi, & divom tu maxume rector, &c.] In antiquo admodum codice lectio hæc variat in hunc modum,

Divom tu maxume rector
Jupiter Arcadii quæso reminiscere regis,
Exaudique preces patrias.

Vulgata tamen lectio plures habet fautores, quia sequitur, *Si numina vestra Incolumem Pallanta mihi, si fata reservent,* apostrophe ad plures. *Pierius.*

At vos ô superi, &c.] Perculit hic subito Euandrum horror timentem de nati exitu; vere enim Liv. lib. 24. de consule eunte ad bellum: *Subiit inde cogitatio animum, qui belli casus, quam incertus fortunæ eventus, communisque Mars belli sit, adversa, secunda,* &c. Si in omnes hæc quadrant, certius in Euandrum, qui senex, & pater, & jam tacito quodam animi sensu ferebatur, putabatque non deinde visurum se vivum natum. Consule Henr. Steph. lib. 4. Sched. cap. 17. *Cerda.*

574. *Patrias audite preces.*] Poterat videri idem dixisse, nisi libenter voto suo immoraretur. *Servius.*

576. Si

Si viſurus eum vivo, & venturus in unum;
Vitam oro: patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum caſum, Fortuna, minaris;
Nunc ô, nunc liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curæ ambiguæ, dum ſpes incerta futuri,
Dum te, care puer, mea ſera & ſola voluptas,

Con-

576. *Si viſurus eum vivo.*] In codicibus aliquot antiquis, *vivom* legitur: quod non ita placet. Nam ad id, quod nonnulli objiciunt, recte *vivom* poſitum quia præter vota vidit eum poſtmodum, ſed non *Vivom*, reſponſum fecerim, ſatis eſſe, quod jam dixerat, *Si numina veſtra Incolumem Pallanta mihi, ſi Fata reſervant.* Et quia non ſatis erat deſiderio patris filium eſſe incolumem, niſi & jucundiſſimo ejus frueretur aſpectu, ejuſque complexus peteret, adjecit, *Si viſurus eum vivo, & venturus in unum.* Pierius.

Viſurus eum vivo.] Recte ſentit German. exprimi ab eminenti Poeta effigiem humanæ vitæ ſub perſona Euandri, ejuſque metu, cum fata ſæpe corrumpant parentum gaudia, ademptis liberis, prolato Plutarch. loco è libro περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας, quod videlicet parentes prius decedant ex vita, quam viderint virtutem filiorum. Nulla enim parentes punguntur acriore cura. Thamyris apud Baſil. Seleuciæ Epiſcopum lib. 1. ſanctiſſ. Teclæ, ait, hoc maximum eſſe parentum votum, καὶ παῖδας, καὶ παίδων παῖδας καταλιπεῖν *relinquere liberos, & liberorum liberos.* Vere Chorus apud Euripidem Supplic.

Τί γὰρ ἂν μεῖζον τῶδ', ἐπὶ θνατοῖς
Πάθος ἐξεύροις, ἢ τέκνα θανόντα
ἐσιδέσθαι;

& Androm.

Θανεῖν σὲ πρέσβυν χρὴ πάρος τῶν σῶν
τέκνων. *Cerda.*

577. *Patiar.*] In antiquis pene omnibus codicibus, *patior* eſt præſenti tempore, quod auget aſſenſum, & rem jam actu eſſe ſubinnuit, vel ad incommoda ſenectutis reſpicit, quæ per ſe ipſa morbus eſt, de qua Comicus ait: χαλεπὸν τὸ γῆρας ἐστ' ἀνθρώποις βάρος. *Pierius.*

Durare laborem.] Ipſius ſcilicet ſenectutis. Terentius, *Senectus ipſa morbus eſt. Durare* autem eſt ſuſtinere. Horatius, *Ac ſine funibus vix durare carinæ Poſſunt imperioſius æquor.* Servius.

578. *Infandum caſum.*] Parentis eſt nolle memorare quod formidat. *Idem.*

Infandum caſum.] Non nominat mortem, ſed circumſcribit, territus omine. Itaque vitam nominavit, mortem non audet, ſed loco mortis *infandum caſum* dixit. Quæ vox eadem notat uſu Virgiliano. In 3. *infandi Cyclopes, gentem nefandam*, quia illi occiſores hominum. In 2. *Jam dies infanda aderat*; in qua ego occidendus. &: *vos aræ, enſeſque nefandi*, quibus ego occidendus. Sup. clare, *Quid memorem infandas cædes?* Itaque vocem, quæ mortem notat, pro morte poſuit. Quia quæ ſunt ἐξάγιστα eſſe debent ἄῤῥητα. *Cerda.*

579. *Nunc nunc ô liceat.*] In antiquiſſimo codice Romano, & quibuſdam aliis, legere eſt *nunc ô, nunc liceat.* Quod quantam præ ſe ferat venuſtatem & elegantiam, nulli arbitror ambiguum eſſe. *Pierius.*

Crudelem vitam.] Quæ filio eſt ſuperſtes. *Servius.*

581. *Sola & ſera.*] Quia & unus erat, & ſerius ſuſceptus, id eſt, à ſeniore: vel propter hoc vitam optat longiorem, quod brevem ex illo fructum conſecutus ſit, vel quod ſera ex filiis voluptas eſt. *Idem.*

Mea ſola & ſera voluptas.] In Mediceo,

Conplexu teneo: gravior ne nuntius auris
Volneret. hæc genitor digressu dicta supremo
Fundebat: famuli conlabsum in tecta ferebant.
Jamque adeo exierat portis equitatus apertis:
Æneas inter primos & fidus Achates:
Inde alii Trojæ proceres. ipse agmine Pallas

In

diceo, & in Porcio transpositis verbis legere est, *mea sera & sola voluptas.* quod majori cum orationis ornatu, si diligenter inspicias, factum animadvertes. Est vero hoc cujusmodi filium Homerus vocat τηλεγγόνατον, τηλύγετον, καὶ μονογενῆ. *Pierius.*

Sera & sola.] Μονογενῆ sive μονόπαιδα, & τηλύγετον significat. τηλύγετοι autem sunt, ut Hom. Interpres ait, ἐν γεροντικῇ ἡλικίᾳ σπαρέντες. Ita Ægeus ad Theseum apud Catull.

Gnate, mihi longa jucundior unice vita:
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ, &c.

ita supra 6. Æn. ✝ſ. 764.

Quem tibi longævo serum Lavinia conjux.

& infra 9. Æn. ✝ſ. 481.

—— tune ille senectæ
Sera meæ requies?

Taubmannus.

Sola.] Indicatur filius, μονόπαις, & μονογενής, id est, ut vertit Catull. *unigena.* De Oreste apud Soph. Electra, αἵ μοι μόνῃ παρῆσαν ἐλπίδων ἔτι· *Quæ mihi sola spes erat reliqua.* Inde incrementum orationis Apollon. lib. 1. Arg. Hinc enim auget animum Alconis, qui Phalerum filium ad bellum miserit, tum τηλύγετον *genitum in senectute:* cum μοῦνον ἐόντα, *unicum.* Cui loco videtur Poëta institisse, cum Euander Pallantem ad bellum mittat, & τηλύγετον, & μόνον, *serum & solum.* Cerda.

582. *Conplexu teneo.*] In Romano codice legere est per participium, *complexus. Dum te complexus.* Sed enim *complexu* omnino melius. *Pierius.*

Conplexu teneo.] Dignus est, qui legatur locus Eurip. in Hecuba, ubi miri excitantur affectus inter extremos complexus Hecubæ matris, & Polyxenæ filiæ, cum hæc ibat ad mactationem. Certe Sen. Tragicus Euripidem habuit pro magistro cum filius Hectoris rapitur à Græcis à sinu matris. *Cerda.*

Gravior ne nuntius aures Volneret.] In codicibus antiquioribus scriptum est, *nuncius auris Volneret.* Exponit vero Marcellus *gravior*, *tristior.* Pierius.

Auris Volneret.] Proprie: quia ingrata. Arnob. l. 1. *Vulneratis accipiunt auribus.* Lactant. l. 7, 1. *Vulnerant aures eorum præcepta continentiæ.* Tale illud Plauti Aul. *lapides loqueris, &c.* Ita XI. Æn. ✝ſ. 896.

Turnum sævissimus implet Nuntius.

Symmach. lib. 6. epist. 8. *nuntii vulnus.* Taubm.

583. *Supremo.*] Hoc ex persona Poëtæ, quia periturus erat Pallas. *Servius.*

584. *Famuli collapsum in tecta ferebant.*] In antiquis codic. *conlapsum* habetur, præpositione incolumi, instar ejus inscriptionis, quæ Romæ adhuc superat in monumentis L. Septimii Sev. Pii,

ARCVS CAELIMONTANOS PLVRIFARIAM
VETVSTATE CONLAPSOS ET CONRVPTOS
A SOLO SVA PECVNIA RESTITVERVNT.

Pierius.

Famuli conlabsum, &c.] Supra 4. de Didone idem pene. *Germanus.*

585. *Jamque adeo exierat.*] *Adeo*, ad ornatum pertinet tantum. *Servius.*

587. *Inde.*] Hic *deinde* significat, & est polysemus sermo. *Idem.*

Ipse

In medio chlamyde & pictis conspectus in armis.
Qualis, ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignis,
Extulit os sacrum cælo, tenebrasque resolvit.
Stant pavidæ in muris matres, oculisque sequuntur

Pulve-

Ipse agmine Pallas in medio.] Hic enim mos fuit ut tyrones ponerentur in medio, & ambirent viri fortes exercitum. Aut certe honoris est, medium locum in exercitu tenere, ut ipse alibi, *Medio dux agmine Turnus.* Idem.

588. *In medio.*] Quæ J. Goropius de loco digniori hinc etiam disputat, nugas esse docet Lipsius lib. 2. Elect. cap. 2. Pallas erat in medio quidem agmine: sed in suo, non Æneæ; ut dux & imperator, cui locus iste debebatur. Neque ulla hic comparatio est ad alium, sive altiorem, sive minorem. *Taubm.*

Conspectus.] Conspicuus, conspicabilis. Nam pro nomine participium posuit: Sic est, *Et versis Arcades armis.* Servius.

Conspectus.] Veste militari conspicuus & spectabilis: sive, ut Tibull. l. 1. el. 1. conspiciendus.

Totus & argento conspectus, totus & auro
Insideat celeri conspiciendus equo.

Taubmannus.

589. *Qualis, ubi Oceani.*] Homericum est. *Servius.*

Qualis ubi Oceani, &c.] Vide omnino quæ de his versibus J.C. Scaliger l. 5. de Re Poët. c. 3. Eos quoque adhibuit Fabilius quidam, magister Maximini Junioris, cum eum Græco carmine describeret, ut testatur Julius Capitolinus in ejus vita c. 1. *Usus est magistro Græco literatore Fabilio, cujus epigrammata Græca multa extant, maxime in imaginibus ipsius pueri: qui versus Græcos fecit ex illis Latinis Virgilii, quum ipsum puerum describeret:*

Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasq; resolvit,
Talis erat juvenis patrio sub nomine clarus.

Græce eos hoc modo vertit Is. Casaubonus:

Οἷος ἀπ' Ὠκεανοῖο Ἑωσφόρος εἶσι ῥοάων
Οὐρανόθεν κεφαλὴν προφέρων σκιδνῶν δέ τε νύκτα,
Τοῖος ἔην νέος οὗτος ἐν ἥλικεσσι φαεινός.

Ut autem hoc loco Pallas cum Lucifero comparatur, sic apud Horat. lib. 4. Carm. Od. 9. Lydia de Calaï suo:

Quamquam sidere pulcrior
Ille est. Emmeness.

590. *Ante alios astrorum diligit ignis.*] Venus in cœlo habet unam propriam stellam, quæ oriens Luciferum, occidens Vesperum facit. Inde Statius, *Et alterno deprenditur Venus in ortu.* Habet etiam duas alias, unam in signo Tauri, & unam in Septentrione. Unde etiam Taurus domus esse dicitur Veneris. Ideo dixit, *Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes.* Servius.

Os.] Dari os astris alibi indicavi, & illustravi. Manil. lib. 5. ex correctione Scalig. *cum corniger extulit ora.* Cerda.

Sacrum.] Venerabile. *Servius.*

Tenebrasque resolvit.] Propter jubar, quod sola possidens aliquod adfert lumen. *Idem.*

592. *Stant pavidæ matres, &c.*] Affectus fœminarum exuberans. de quo Scal. l. 3. c. 13. *Taubm.*

Oculisque sequuntur.] Mira brevitate hoc explicuit, id est, quam longissime prospiciunt. *Servius.*

Oculisque sequuntur.] In plerisque vetustis codicibus, *secuntur* notatum observes. Sed enim per *q* scribendum Victorini sententia est. Alii quidam *q* in verbo *sequuntur*, & *loquuntur* ita adamarunt, ut eorum etiam participia *Sequutus, loquutus*, per *q*, scribere voluerint,

Pulveream nubem, & fulgentis ære catervas,
Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
Armati tendunt. it clamor, & agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Est ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Relligione patrum late sacer: undique colles
Inclusere cavi, & nigra nemus abiete cingunt.
Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,

Arvo-

rint, præcipientes horum scriptionem ad originem referri debere. *Pierius.*

593. *Pulveream nubem.*] Ὑστεροπρότερον. *Servius.*

Pulveream nubem.] De pulvere nubem dixere Silius lib. 3.

Incita pulveream campo trahit ungula nubem.

Idem lib. 14. omitto. Claud. Bell. Get. *Pulveris ambiguam nubem.* Quintil. Declam. 315. *in illa nube pulveris.* Isti à Lucret. qui lib. 5. *Pulveris exhalat nebulam.* Et omnes adhuc ab Hom. qui 23. Iliad. de pulvere excitato ab equis, ὥστε νέφος, ἠὲ θύελλα, *ut nubes, aut procella.* Et *procellam* dixit, ut etiam Soph. in Elect. κλύδων' ἔφιππον, *equestrem procellam*, loquens de cursu equorum. *Cerda.*

594. *Qua proxima meta viarum.*] Qua proximus circuitus est. *Servius.*

Agmine facto.] *Agmen* est proprie exercitus ambulans. quicquid fuerit aliud, abusive dicitur. *Idem.*

596. *Quadrupedante, &c.*] Notetur carminis artificium. cujusmodi repetitur XI. Æn. vs. 875. *Quadrupedare* autem, auctore Turn. l. 26. c. 29. de quadrupedibus dicitur. ita apud Plautum Capt. act. 4. sc. 2. *pisces advehuntur quadrupedante crucianti canterio.* Taubmannus.

Sonitu quatit ungula campum.] Ita Horat. 16. Epod.

—— & urbem

Eques sonante verberabit ungula.

Unde Græcis & μώνυχες & μονόνυχες ἵπποι. Pindarus à pulsu pedum ἱππόκροτον ὁδὸν vocat, Pyth. oda 4. & Hesiodo κεναχήποδες ἵπποι, qui pedibus sonitum reddunt. *Idem.*

Est ingens, &c.] De loco religioso videatur Macrobius l. 3. c. 3. & Gell. l. 4. c. 9. *Idem.*

597. *Prope Cæritis amnem.*] Agylla civitas est Tusciæ, à conditore Agella appellata, cui ex inscientia Romana aliud est inditum nomen. Nam cum Romani euntes per Tusciam interrogarent Agyllinos quæ diceretur civitas, illi utpote Græci quid audirent ignorantes; & optimum ducentes si prius eos salutarent, dixerunt χαῖρε: quam salutationem Romani nomen civitatis esse putaverunt, & detractâ aspiratione eam *Care* nominaverunt, ut dixit Yginus de urbibus Italicis. *Amnis* autem aut tacuit nomen, aut ut quidam volunt Minio dicitur: quia alibi dixit, *Qui Cerete domo, qui sunt Minionis in arvis.* Alii certe montem putabant, ob hoc oppidum dictum. * *Serv.*

598. *Late sacer.*] Hoc est non solum colebatur à civibus, sed etiam ab accolis. *Idem.*

Undique.] Deest *quem*, vel *eum*. Idem.

599. *Nigra.*] Umbrosa: more suo. *Idem.*

Nigra.] Alluceat hic mos. In 3. Georg. *nigrum nemus.* & 1. Georg. *turbine nigro.* in 6. *nigra Tartara.* in 5. *nigra nube.* 4. Georg.

Et caligantem nigra formidine lucum.

In his, & multis aliis obscuritas indicatur. *Cerda.*

600. *Veteres sacrasse Pelasgos.*] De his

varia

Arvorum pecorisque deo lucumque diemque,
Qui primi finis aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis, celsoque omnis de colle videri
Jam poterat legio, & latis tendebat in arvis.

Huc

varia est opinio. Nam alii eos ab Atheniensibus, alii à Laconibus, alii à Thessalis dicunt originem ducere, quod est propensius. Nam multas in Thessalia Pelasgorum constat esse civitates. Hi primi Italiam tenuisse perhibentur. Filocorus ait, ideo nominatos Pelasgos, quod velis & verno tempore advenire visi sunt, ut aves. Yginus dicit Pelasgos esse qui Tyrrheni sunt, hoc etiam Varro commemorat. *Servius.*

Veteres sacrasse Pelasgos.] Pelasgi quinam fuerint, quomodo in Italiam venerint, quæ loca tenuerint, quo pacto se Aboriginibus junxerint, tandemque deleti fuerint, omnia hæc persequitur lib. primo antiq. Dionys. *Pont.*

601. *Arvorum pecorisque deo.*] Publica ceremoniarum opinio hoc habet, Pecorum & agrorum deum esse Silvanum. Prudentiores tamen dicunt eum esse ὑλικὸν θεὸν, hoc est deum τῆς ὕλης. Hyle autem est fex omnium elementorum, id est, ignis sordidior & aër, item aquæ & terræ sordidiora, unde cuncta procreantur: quam ὕλην, Latini *materiam* appellaverunt, nec incongrue, cum materiæ silvarum sint. Ergo quod Græci à toto, hoc Latini à parte dixerunt. *Servius.*

Arvorum pecorisque deo.] Vehementer inclino, legendum hic, *Silvarum pecorisque Deo*, non *arvorum*. Quia sermo Poëtæ, qui hic totus de luco, ad silvas nos ducit, non ad arva. Deinde, quia lib. 1. Georg. Deum istum invocavit ad argumentum lib. 4. nam in nemoribus & hortis apiaria, quæ res longe ab arvis & campis, in quibus frumenta. Quam ad rem consentanee Horat. Epod. 2.

Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem & uvam purpuræ. Cerda.

Lucumque diemque] Hoc à Romanis traxit, apud quos nihil fuit tam solenne quam dies consecrationis. Hinc est illud, *Nostrosque hujus meminisse minores.* Ecce & hic luco & numen & consecrationem dedit. *Servius.*

603. *Tarcho & Tyrrheni.*] *Tarcho*, sic legitur, & est Latinus nominativus de Græco veniens, ab eo quod est *Tarchon*: perdita litera *n*, & *ω* in *o* mutata, ut *Apollo* Ἀπόλλων. aliter versus non stat. *Idem.*

Tuta tenebant Castra locis.] Hoc est, industria & natura munitissima. Sed novimus castra per naturam munita esse non posse, nisi in collibus fuerint: quod si in montibus sunt, quomodo procedit, *Latis tendebat in arvis?* Ne sit ergo contrarium, intelligamus quod hodieque videmus & legimus, hanc collium fuisse naturam, ut planicies esset in summo, in qua inerant castra Tarchontis. Quanquam multi velint, *Celsoque omnis de colle videri Iam poterat legio*, ad Æneam referre, ut intelligamus venientes in collibus fuisse Trojanos: Castra vero Hetrusca in campis. Quod si velimus accipere, quemadmodum procedit, *Tuta tenebant Castra locis?* nam *Tuta*, id est, per naturam locorum. *Idem.*

Tuta tenebant Castra locis.] In aliquot codicibus antiquis legere est, *cuncta tenebant castra.* quod si admittas, Servii omnis ambiguitas tolletur. *Namque omnis furiis surrexit Etruria justis*, quæ castra eo loco metata erat. *Pierius.*

604. *De colle videri.*] Incertum utrum ipsa in colle agens, an ab his qui de colle prospiciunt. *Servius.*

605. *Tendebat in arvis.*] Ut, *Hic sævus tendebat Achilles.* Hoc est, tentoria habet. *Idem.*

Ten-

Huc pater Æneas, & bello lecta juventus
Succedunt, fessique & equos & corpora curant.
At Venus ætherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natumque in valle reducta
Ut procul egelido secretum flumine vidit,

Tali-

Tendebat.] Vide 2. Æn. ꝟs. 29. *Taubmannus.*

606. *Et bello lecta juventus.*] Quia ait supra, *Qui sese in bella sequantur, Præstantes virtute legit.* Aut *Lecta* proprie, quia delectus militum est. *Servius.*

607. *Fessique & equos & corpora curant.*] Ingenti arte quod sequebatur omisit, redditurus in decimo. Namque si vellet dicere venisse Æneam, vidisse Tarchontem, petisse auxilia, satis longum fuerat, & peribat illud quod ait supra, *Toto namque fremunt condensæ litore puppes:* cum & Hetruscorum festinationi dicentis brevitas congruat. Verum hoc quod in isto loco prætermisit, reddidit in decimo, dicens, *Namque ut ab Euandro castris ingressus Hetruscis, Regem adit, & regi memorat nomenque, genusque.* Idem.

Curant.] Verbo *curandi* utebantur in rebus ad vitam, victumque spectantibus. *Cura te, mi Tyro*, apud Cic. Apud Horat. *curare cutem, genium, pelliculam.* Apud Terent. *Curasti te molliter.* Lucret. lib. 2.

Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ
Non magnis opibus jucunde corpora curant.

Livius & historici frequentissime. *Pontanus.*

608. *At Venus, &c.*] Locus clarus Hom. in exitu lib. 18. Iliad. ubi de Thetide Achillis matre:

Ἡ δ' ἴρηξ ὣς ἆλτο κατ' Οὐλύμπου νιφόεντος
Τεύχεα μαρμαίροντα παρ' Ἡφαίστοιο φέρουσα·

Hæc vero, velut accipiter desiliit ab Olympo nivoso
Arma splendentia à Vulcano afferens.

Cerda.

Ætherios nimbos.] Per aërem numinum, scilicet purgatiorem, qui circa deos est. *ἣ δὲ νῆσαι ἵκανε θεοῦ παρὰ δῶρα φέρουσα.* *Servius.*

Ætherios nimbos.] Servius aërem Numinum purgatiorem, qui circa deos est, (de quo supra) intelligit: at Gifanius, nubes: imitatione Lucretii, qui *æthereas nubes* dixerit; ut & Prudent. *Taubmannus.*

Dona ferens aderat.] Et Virgilio, & superioribus Homeri adhæsit Silius l. 2.

Ecce autem clypeum sævo fulgore micantem
Oceani gentes ductori dona ferebant,
Callaïca telluris opus. —

Thetis apud Hom. θεοῦ παρὰ δῶρα φέρουσα. *Cerda.*

Reducta.] Secreta. *Servius.*

610. *Egelido secretum flumine vidit.*] *Egelido*, id est, nimium gelido: & est una pars orationis, ut IIII. Georg. *Eduramque pirum:* id est, valde duram, & sic dixit, *Secretum flumine egelido*, hoc est, præsidio fluminis: ut dicimus, *secretus est monte* vel silvis. Latenter autem ostendit, Æneam non nisi flumine ablutum, numen videre potuisse. *Idem.*

Ut procul egelido secretum flumine vidit.] In Romano codice *hæc gelido.* ut sit *hæc* scilicet *Venus*, quod incomptum videtur. in aliis *et*, in aliis *e* separatim legitur. Placet vero unica dictione *egelido* per compositionem particulæ, quæ *valde* significat. *Pierius.*

Egelido.] Servius leg. *egelido*, & exponit, Nimium gelido: ut *edura pyrus* 4. G. valde dura. Muretus tamen Catulli illud Carmine 43.

Jam ver egelidos refert tepores,

interpretatur moderatos calores; exemplo illius Ovid. 12. Amor. 11.

Et

Talibus adfata est dictis, seque obtulit ultro:
En perfecta mei promissa conjugis arte
Munera: ne mox aut Laurentis, nate, superbos,
Aut acrem dubites in prœlia poscere Turnum.
Dixit, & amplexus nati Cytherea petivit:
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille deæ donis & tanto lætus honore
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit,
Miraturque, interque manus & brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,
Fati-

Et gelidum Borean, egelidumque Notum. De cujus tamen lectione vide J.C. Scalig. Poët. l. 6. Ita Columell. l. 10.

Nunc ver egelidum, nunc est mollissimus annus. V. N. 2. G. 65. *Taubm.*

611. *Seque obtulit ultro.*] Id est, deam confessa, ut in secundo dixit, est autem ὑστεροπρότερον, & ordo est, Obtulit se, & locuta est. *Servius.*

612. *Promissa.*] Καλὰ τὸ υποσχόμενον, ut supra, *Hoc signum cecinit missuram diva creatrix.* Idem.

613. *Laurentis superbos.* Ut, *Quos illi bello profugos egere superbo.* Idem.

614. *Acrem Turnum.*] Fortem. & proprie apud nos *acer* est, qui apud Græcos δεινὸς dicitur. Nam fortem & vehementem δεινὸς, & asperum, & amarum potest significare. *Idem.*

Poscere.] Provocare. Cicero, *Poscunt majoribus poculis*, id est, provocant. *Idem.*

616. *Radiantia.*] Sic & ab Græcis ἀκτῖνες dantur armis. Propert. Eleg. 4. lib. 1. *miles radiabat in armis.* Hi radii fortasse ab insertis gemmis. Nam Ovid. Eleg. 4. lib. 3. Pont.

Scuta, sed & galeæ gemmis radientur, & auro. Cerda.

617. *Deæ donis.*] Propter arma. *Servius.*

Ille deæ donis.] Macrob. lib. 5. cap. 8. & 9. Homer. 19. Iliad. *Hartung.*

Tanto lætus honore.] Quod manifeste viderat matrem, & plenam numinis sui. *Servius.*

618. *Expleri nequit.*] Si perpendas omnia; quod non expleatur; quod oculos in cuncta intendat; quod miretur, & verset: magnum opus, magnum Æneam, magnum etiam Virgilium intelliges: Scal. l. 5. c. 3. Hunc locum defendit etiam contra Grammaticos Pontanus in Antonio. *Taubm.*

Oculos per singula volvit.] Ita Eurip. Phœniss. ὧν οὕνεκ' ὄμμα πανταχοῦ διοιστέον. & Hom. 17. Iliad. ὄσσε φαεινὼ πάντοσε δινείσθην. *Cerda.*

619. *Miratur, interque manus.*] In plerisque codicibus antiquis legere est, *miraturque, interque manus.* quod quidem mihi plurimum placet. *Pierius.*

Interque manus & brachia versat.] Jungendum est, ut intelligas Ænean manibus minora, brachiis majora arma considerasse, ut puta loricam vel scutum: hæc enim sunt arma majora: minora vero, galeam, gladium, ocreas. *Servius.*

Versat.] Considerat. Ut, *huc illuc vinclorum immensa volumina versat.* Id.

620. *Terribilem cristis galeam.*] Vides, ut galeam ornet à cristis, quibus terribilis: à flammis, quas vomit. Hom. galeam Achillis ita:

Τεῦξε δέ οἱ κόρυθα βριαρὴν κροτάφοις ἀραρυῖαν,
Καλὴν, δαιδαλέην, ἐπὶ δὲ χρύσεον λόφον ἧκε.

Vides & victoriam. Quid, quod uno versu, quod duobus ille, imo plura? nam addit flammas, quæ desunt Homero,

Fatiferumque ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem: qualis, cum cærula nubes
Solis inardescit radiis, longeque refulget.
Tum levis ocreas electro auroque recocto,
Hastamque & clipei non enarrabile textum.
Illic res Italas, Romanorumque triumphos,

Haud

mero, & adimit varietatem, quæ hic non necessaria. Sil. lib. 2.

——galeamque coruscis
Subnixam cristis vibrant, cui vertice coni
Albentes nivea tremulo nutamine pennæ.

Et *terribilem* dixit, reddens frequentissimum illud Hom. δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν· *Horrende desuper conus nutabat.* Cerda.

621. *Fatiferumque ensem.*] *Fatum* sæpe pro morte positum legitur, *fatiferum* ergo lethiferum. *Servius.*

Fatiferumque ensem.] Quia in eo sita fata Turni. Ad hunc modum dixit Cicero hostilem sicam suo lateri devotam. Et Sil. de Annibale:

Ensem unum, ac multis fatalem millibus hastam.

Et Hesiod. in Scut. ait de sagittis Herculis, esse in illis mortem præfixam. πρόσθεν μὲν θάνατόν τ' εἶχον. Sic ergo in ense Æneæ fixa mors Turni. *Cerda.*

Rigentem, Sanguineam, ingentem.] Distinguendum propter plura epitheta. *Sanguineam* autem velut cruentam, terribilem. *Servius.*

622. *Cum cærula nubes.*] Profecto nihil potuit aptius; quum cæruleam nubem implevit splendore. Idem namque in ferro polito est. Scal. l. 5. c. 3. *T.*

623. *Solis inardescit radiis.*] Irim Physica ratione describit, quæ fit cum aquosam nubem ardor solis inradiat. Nec est incongrua hæc comparatio, cum lorica de diversis metallis fieri plerumque consueverat. *Servius.*

624. *Levis ocreas.*] Id est, nitida tibialia. *Idem.*

Recocto.] Sæpe purgato, quia quanto plus coquitur, melius fit; Ergo ad qualitatem & ad commendationem refertur. *Idem.*

Auroque recocto.] In Oblongo codice, quem Pomponii Læti delitias ajunt, *auroque nitentem* legitur, ut sit *levis ocreas electro, auroque nitentem hastamque & clypei non enarrabile textum.* Sed magis placet, *recocto*, ut in reliquis omnibus exemplaribus habetur. *Pier.*

625. *Non enarrabile.*] Bene *non enarrabile*, cum enim in clypeo omnem historiam Romanam vellet esse descriptam, dicendo *Illic omne genus futuræ Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella:* carptim tamen pauca commemorat, sicut in primo ait, *Videt Iliacas ex ordine pugnas.* nec tamen universa describit. Sane interest inter hunc & Homeri clypeum: Illic enim singula dum fiunt narrantur, hic vero perfecto opere noscuntur; nam & hic arma prius accipit Æneas quam spectaret: ibi postquam omnia narrata sunt, sic à Thetide deferuntur ad Achillem; Opportune ergo Virgilius, quia non videtur simul & narrationis celeritas potuisse connecti, & opus tam velociter expediri, ut ad verbum posset occurrere. *Servius.*

Clipei non enarrabile textum.] Refert Serv. ad bella, quæ ibi sculpta. Ego ad varia metalla, è quibus confectus, & veluti textus clypeus. Itaque, sicuti ocreæ ex electro, & auro factæ, sic potuit clypeus; in quo acumen invenio. Quasi dicat: Materiam ocrearum potui explicare, clypei nequeo; ideo *non enarrabile.* Neque hoc novum. Nam Lucret. lib. 6. *ferrea texta.* Cerda.

626. *Illic, &c.*] Poëtæ sex (mitto alios)

Haud vatum ignarus venturique inſcius ævi
Fecerat ignipotens: illic genus omne futuræ
Stirpis ab Aſcanio, pugnataque in ordine bella.
Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuiſſe lupam: geminos huic ubera circum

Ludere

alios) vocari in certamen poſſunt: Græci tres, Homerus, Heſiodus, Nonnus: Latini tres, Virgilius, Statius, Silius. Hi omnes clypeos ſuos ſimili apparatu exornarunt. Homeri judicium ſit penes Scaligerum, de quo ait, *licuiſſe illi in ea verborum opulentia ineptire.* Enituit etiam in re ſimili ingenium Calabri lib. 5. in fabrica ſcuti Achillis. qui tamen totus, ut aſſolet, ad Homeri umbram. *Idem.*

627. *Haud vatum ignarus.*] Liptotes figura, id eſt, futurorum non inſcius. Et quibuſdam videtur hunc verſum omitti potuiſſe. *Servius.*

Venturique inſcius ævi.] Non *ævi*, ſed quæ in ævo erant futura. *Idem.*

Stirpis ab Aſcanio.] Uſque ad Auguſtum Cæſarem. *Idem.*

Pugnataque in ordine bella.] Et hic ſubaudiri poteſt de Aſcanio. Et bella bonorum quæ Romanorum in clypeo dicit *. *Idem.*

Pugnata bella.] Forte à Catull. qui *magna bella pugnata.* Aut à Lucill. qui apud Donat. Comm. Terent.

Vicimus ô ſocii, & magnam pugnavimu' pugnam.

Liv. lib. 8. *bellum à Conſulib. bellatum.* & lib. 9. *pugnam pugnatam.* quod repetit lib. 40. Latini hoc à Græcis. *Cerda.*

630. *Fœtam.*] Vere allucinantur, qui hanc vocem trahunt ad duplicem ſignificationem, in ſermone animalium. Semper enim in ſermone animalium ſignificat levatam partu feminam. Plin. lib. 8. cap. 16. loquens de leæna, *cum pro catulis fœta dimicat.* Silius l. 10.

Haud ſecus ac Libyca fœta tellure leæna,
Invadunt rapidi jamdudum, & inania tentant
Nondum ſat firmo catuli certamina dente.

Dixi ſignate, in ſermone animalium; nam extra hunc exempla ſuppetunt contrarii ſignificati. *Idem.*

Mavortis in antro.] Poteſt accipi, & fecerat lupam Mavortis, & Mavortis in antro. Fabius ſpeluncam Martis dixit. Dicendo autem *&*, oſtendit multa alia eſſe depicta. Eſt autem elegans figura *Fecerat procubuiſſe*, ſane laus operis, ut tale videretur. *Fœtam* vero quæ peperit & nutrire potuiſſet. *Servius.*

631. *Procubuiſſe.*] Id eſt, prima parte ſe inclinaſſe, quod Græci προκύπτειν dicunt: ut inclinatione corporis ubera præberet infantibus. Nam ſi *Procubuiſſe*, jacuiſſe accipias, contrarium eſt quod dicit, *Ludere pendentes pueros.* Quod ſi *procubuiſſe*, ut, *Cum fœtis concolor albo Procubuit*, acciperemus; intelligere debemus *pendentes*, deſiderio alimoniæ ſuſpenſos, vel intentos, ut, *Pendetque iterum narrantis ab ore.* Alii *Pendentes*, ceſſantes, ut *Pendent opera interrupta minæque Murorum ingentes.* Sciendum tamen voluiſſe eum geſtum proprie exprimere, quem in ipſius lupæ cernimus ſtatuis. *Idem.*

Lupam.] An fera hæc, an femina hujus nominis, otioſum ſit quærere, ubi exſtant Livius, Dionyſius, Plutarchus. Sed Poëtam de vera lupa intellexiſſe, clarum. Similes ſucceſſus illorum, qui nutriti à feris, lege apud Alex. 2. Gen. cap. 31. Vide & Notas Dalecamp. ad lib. 15. Plin. c. 18. ubi de ficu Ruminali. Lege etiam Ælian. lib. 12. Var. Hiſt. c. 42. & lib. 13. cap. 1. ubi ſucceſſus Atalantæ ſimillimus Romulidis. Et natales Lycaſti, & Parrhaſii Regum Arcadiæ apud Plut. de Fort. Rom. qui etiam nutriti à lupa: & hiſtoriam Æſculapii apud Pauſ. Corinth. De hiſtoria Romuli, in qua ſum, audi Plinii judicium lib. 8. cap. 17. Paneg. Majorani

ad un-

Ludere pendentis pueros, & lambere matrem
Inpavidos: illam tereti cervice reflexam

Mul-

ad umbram Virgilii describit clypeum Romæ,

— videas hic craßo fusa metallo
Antra Rheæ, fœtamque lupam, quam fauce reiicta
Blandiri quoque terror erat: quamquam illa vorare
Martigenas, & picta timet.—

Claud. quoque Paneg. Olibr. & Prob. simili historia clypeum ornat,

Et formidato clypeus Titana laceßit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte.
Hic patrius Mavortis amor, fœtusque notantur
Romulei, post amnis inest, & bellua nutrix:
Electro Tyberis, pueri formantur in auro,
Fingunt æra lupam, Mavors adamanta coruscat.

Cerda.

Geminos huic.] Modo revera geminos: alias similes. Sane totus hic locus Ennianus est. *Servius.*

632. *Ludere.*] Moveri. Terentius, *Congrum istum paulisper in aqua finito ludere*, id est, moveri. *Idem.*

Ludere pendentes pueros.] Scribit ex Q. Fabio Pictore Dionys. lib. 1. Antiq. suo ævo Romæ Sacellum extitisse, ubi esset statua hujus rei index; videlicet lupa duobus infantibus mammas præbens, opus antiquum, atque ex ære. Statuæ Romuli lactentis meminit Cic. lib. 2. Divinat. Credendum allusisse Poëtam ad hanc statuam. Et hoc est, quod dixit Serv. Virgilium expressisse gestum, *quem in ipsius lupæ cernimus statuis.* Existimo statuam illam, cujus meminit Dionysius, esse illam, quam Liv. lib. 10. factam scribit ex bonis fœneratorum: *Ad ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum urbis sub uberibus lupæ posuerunt*, videlicet Ædiles. *Cerda.*

Lambere matrem.] Quasi matrem, cujus affectum pueris exhibebat. Sane veteres etiam nutrices *matres* vocabant, ut ait Plautus in Menechmis, *Et mater non poßit dignoscere quæ mammam dabat.* Servius.

Lambere matrem.] Dionys. libr. 1. ἐδίδυ τὰς θύρας τοῖς στόμασιν αὐτῶν. καὶ τῇ γλώττῃ τὸν πηλὸν, ὃ κατάπλεω ἦσαν, ἀπέλιχμα· *Dabat illis mammas, & lingua abstergebat lutum, quo erant pleni.* Liv. lib. 1. *Summissas infantibus præbuisse mammas, ut lingua lambentem pueros magister Regii pecoris invenerit.* Ov. 1. Fast.

Constitit, & cauda teneris blanditur alumnis,
Et fingit lingua corpora bina sua.

Hoc extremum à Virgil. qui statim, *& corpora fingere lingua.* Græci λιχμᾶσθαι dicunt, quod in uno Opp. crebrum, ut cum ait 3. κυν. de ursa λιχμᾶται γλώσσῃ φίλον γόνον. alibi λιχμᾶν. nam post pauca: ἄρκτος λιχμῶσα παῖδας. *Cerda.*

633. *Tereti cervice.*] Rotunda cum longitudine. Ut *Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.* Servius.

Illam tereti cervice reflexam, &c.] In Romano codice, *reflexa* eodem casu cum *cervice* legitur. Sed *reflexam* figuratum magis. Operæ precium vero est hujusmodi figuram plerisque in locis, tum ex marmore tum ex ære, Romæ spectare. Ambigas enim utrum Virgilius à Sculptoribus, an Sculptores à Virgilio hujus imaginis desumpserint exemplar. Quod vero subsequitur *& corpora fingere lingua*, sunt antiqui codices, in quibus *lingere* scriptum sit: Sed enim *tingere* pro *tergere* agnoscit Servius etiam M. Tullii Ciceronis usu. *Pierius.*

Tereti cervice reflexam.] Ex Lucr. l. 1.

Atque ita suspiciens tereti cervice reposta.

Cic. etiam ex Arato de Nat. Deorum:

Obstipum caput, & tereti cervice reflexum:

Catull. de Acme & Septim. *Leviter caput reflectens.* Virg. iterum in 10. *reflexa cervice.* Cerda.

634. Mul-

Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas
Consessu caveæ, magnis Circensibus actis,
Addi-

634. *Mulcere alternos.*] Non quod in pictura erat dicit: sed id quod intelligimus factum fuisse. Ut, *Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.* Servius.

Mulcere.] Hinc Sil. lib. 5.

Ceu fœtum lupa permulcens puerilia membra. Cerda.

Et corpora fingere lingua.] Id est, tergere. Cicero in Sestiana, *Spongiis sanguis effingebatur*, id est, tergebatur: *Fingere* tamen & formare aliquid, & ad integram faciem arte perducere significat, inde *Fictores* dicuntur, qui imagines vel signa ex ære vel cera faciunt. *Servius.*

635. *Nec procul hinc Romam.*] Congrue juxta proprios conditores. *Idem.*

Raptas sine more Sabinas.] Raptæ spectaculo sine ullo exemplo. Aut sine ullo bono more: vel *raptas* stupratas, id est, per vim: historia autem talis est: Romulus cum turbam civium non haberet, asylum condidit, ad quem locum si quis confugisset, eum exinde non liceret auferri, hic cum videret virorum multitudinem sine connubiis posse deperire, à vicinis civitatibus matrimonia postulavit, sed ab eis contemptus, *celeres* se Neptuno Equestri deo, qui & Consus dicitur, editurum proposuit, ad quos *celeres* cum de vicinis civitatibus maxima multitudo cum omnibus fœminis convenisset, Romulus eas signo dato rapi de spectaculo fecit, ob quam rem à Sabinis bellum ei indictum est, in quo cum jam capto à Sabinis Capitolio in foro Romano pugnaretur, & ejus milites fugerent, Jovi Statori templum se facturum esse promisit, si ejus stetisset exercitus. Quo voto restituta pugna cum anceps esset, intervenientibus mulieribus Sabinorum quæ jam Romanis nuptæ erant, pugna sedata est, & icto fœdere Tatius Rex Sabinorum in partem urbis acceptus est, unde Romani à Curibus *Quirites* appellati sunt. *Idem.*

Raptas de more Sabinas.] Sunt qui *de more*, *præter morem*, hoc loco recte, dici velint. Sed enim ego *de* quidem illud in nullis antiquis codicibus notatum observavi. Passim vero *raptas sine more* scriptum animadverti. Sed id de paraphrasi sumptum puto. Quod vero sequitur, *consessu caveæ.* Dictio *consessu* corrupta plurimum est in codicibus antiquis. *Pierius.*

Raptas sine more Sabinas.] A Servio, qui *Consualia*, quibus raptus contigit Sabinarum, dicit fuisse mense Martio, dissentit Plutarchus in Romulo p. 26. festum hoc in diem XVIII. Augusti, qui est XV. Kal. Septembr. conjiciens: Ἐτολμήθη μὲν οὖν ἡ ἁρπαγὴ περὶ τὴν ὀκτωκαιδεκάτην ἡμέραν τοῦ τότε Σεξτιλίου μηνὸς, Αὐγούστου δὲ νῦν, ἐν ᾗ τὴν τῶν Κωνσαλίων ἑορτὴν ἄγουσιν. Kalendarium vero Romanum vetus die XII. Kal. Septemb. collocat: & idem Kalendarium etiam a. d. XIIX. Kalend. Januar. refert. Festo autem hoc, quia Neptuno Equestri sacrum, equi asinique coronari ac otiari solebant, teste Plutarcho in Ῥωμαϊκ. pag. 276. *Emmeness.*

636. *Consessu caveæ.*] *Cavea* est ubi populus exspectat. *vallis* autem ipsa ubi Circenses editi sunt, ideo *Murcia* dicta est, quia quidam vicinum montem Murcum appellatum volunt; alii quod fanum Veneris Verticordiæ ibi fuerit, circa quod nemus è Murtetis fuisset, inde mutata litera *Murciam* appellatam: alii *Murciam* à murco, quod est murcidum, dictam volunt. Pars à dea Murcia, quæ cum ibi Bacchanalia essent, furorem Sacri ipsius murcidum faceret. *Servius.*

Cavea.] Habes in Virgil. insignem hunc locum, quo probes *caveam*, dici de Circo. Certe dictam de Theatro, & Am-

Addiderat, subitoque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.
Post idem inter se posito certamine reges
Armati

& Amphitheatro, jam alibi. De Circo, non ita in promptu testimonia. *Cerda.*

Magnis Circensibus actis.] Magnis quantum ad paupertatem pristinam pertinet. Nam legimus propter equorum inopiam diversis eos tunc usos animalibus. Raptæ autem Sabinæ Consualibus, hoc est mense Martio. *Consus* autem est deus consiliorum: qui ideo templum sub Circo habet, ut ostendatur tectum debere esse consilium. inde est quod Fidei panno velata manu sacrificabatur, quia fides tecta esse debet & velata. Ideo autem dicato Consi simulachro rapuerunt Sabinas, ut tegeretur initum de raptu consilium. Iste Consus & eques Neptunus dicitur, unde etiam in ejus honorem *Circenses* celebrantur. Errant ergo qui dicunt *magnis Circensibus*, aut Megalesiacis aut Romanis quos constat fieri ante calendas Januarias. *Actis* autem, cum agerentur: quia non erat præsens à passivo participium, ut, *Et qua vectus Abas. Circensibus. Circenses* dicti vel à circuitu, vel quod ubi nunc metæ sunt, olim gladii ponebantur quos circumibant. dicti *Circenses* sine adjectione ludorum, cum ita dicamus ludos theatrales, ludos gladiatorios, ludos *Circenses.* Servius.

Magnis Circensibus.] Circenses ludi cur *magni* sint appellati, docet Asconius. *Taubm.*

638. *Romulidis.*] Hic dativus pluralis venit ab eo quod est hic *Romulida.* Servius.

Curibusque severis.] Mire & merito dixit *severis.* Cum enim filias perdiderint Ceninenses, Antennates, Crustuminii, & Sabini, cæteris quiescentibus Sabini soli bella sumpserunt: sicut dictum est, intervenientibus postea triginta fœminis jam enixis de illis quæ raptæ erant, pax facta est: ex quarum nominibus *Curiæ* appellatæ sunt in communem etiam mulierum honorem Calendæ eis dictæ sunt Martiæ. Horatius, *Martiis cœlebs quid agam calendis?* Juvenalis, *Munera fœmineis tractas secreta calendis.* Nec enim aliter congruit Martias calendas esse fœminarum, nisi quia (ut diximus) à fœminis bella sedata sunt. Sane sciendum omnes virgines raptas excepta Hersilia, quam sublatam à marito, sibi Romulus fecit uxorem. Aut *Severis* disciplina, aut rem hoc verbo reconditam dixit, quia Sabini à Lacedæmoniis originem ducunt, ut Yginus ait de Origine Urbium Italicarum, à Sabo, qui, de Perside Lacedæmonios transiens, ad Italiam venit, & expulsis Siculis, tenuit loca, quæ Sabini habent. Nam & partem Persarum nomine Caspiros appellare cœpisse, qui post corrupte Casperuli dicti sunt. Cato autem & Gellius à Sabo Lacedæmonio trahere eos originem referunt: Porro Lacedæmonios durissimos fuisse omnis lectio docet: Sabinorum etiam mores populum Romanum secutum, idem Cato dicit: merito ergo *severis*, qui & à duris parentibus orti sunt, & quorum disciplinam victores Romani in multis secuti sunt. *Idem.*

Curibusq; severis.] Ita Livius de Numa è Curibus orto scribit, *Ipsum non tam peregrinis artibus instructum, quam disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum, &c.* Vide Florid. l. 2. cap. 12. Ald. Manut. de Quæsit. per Epist. l. 1. epist. 1. *Taubm.*

639. *Posito certamine.*] Finito: ut, *Ante diem clauso componet vesper Olympo.* Servius.

Posito certamine.] Recte Servius exponit *finito.* Sic Apul. lib. 2. Metam. *Cum primum Telephron hanc fabulam posuit, compotores vino madidi rursum cachinnum integrant.* Emmeness.

Reges.]

Armati Jovis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, & cæsa jungebant fœdera porca.
Haud procul inde, citæ Mettium in diversa quadrigæ
Distu-

Reges.] *Romulus* Romanæ; & *Titus Tatius* Sabinæ gentis. *Taubm.*

640. *Jovis ante aram.*] Ante templum Jovis statoris, quod fecerat Romulus postquam orans elatis armis meruit ne suus exercitus fugaretur. *Serv.*

Pateramque tenentes.] Vino repletam: moris enim erat in faciendis fœderibus vinum effundere in terra, ac precari ut fœdifragorum sanguis similiter effunderetur. Ita apud Homer. Iliad. Γ. ℣ſ. 300. post vinum è cratere effusum precatur quis:

Ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος, Αὐτῶν καὶ τεκέων.

Sic ipsorum cerebrum in terram fluat, sicut hoc vinum,

Ipsorum & liberorum. Emmeneſſ.

641. *Cæsa jungebant fœdera porca.*] *Fœdera*, ut diximus, dicta sunt à porca fœde & crudeliter occisa. Nam cum ante gladiis configeretur, à Fecialibus inventum, ut silice feriretur; ea causa quod antiquum Jovis signum lapidis siliceni putaverunt esse; Cicero *fœdera* à fide putat dicta, sed hujus porcæ mors optabatur ei, qui à pace resilisset: falso autem ait *Porca.* Nam ad hoc genus sacrificii porcus adhibebatur, ergo aut usurpavit genus pro genere, ut, *Timidi venient ad pocula damæ*: cum *has damas* dicamus. Item supra *lupam*, cum artis sit *hic* & *hæc lupus.* Aut certe illud ostendit, quia in omnibus sacris fœminei generis plus valent victimæ. Denique si per marem litare non posset, succidanea dabatur fœmina. Si autem per fœminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat. Quidam porcam euphoniæ gratia dictam volunt, hujus autem facti in sacra via signa stant: Romulus à parte palatii, Tatius venientibus à rostris. *Serv.*

Cæsa jungebant fœdera porca.] Quintilianus libro octavo, ubi de ornatu differit, Quædam, ait, non tam ratione quam sensu judicantur, ut illud, *Cæsa jungebat fœdera porca.* Fecit elegans fictio nominis, quod si fuisset *Porco*, vile erat. Quod vero ait Servius falso dictum à Virgilio *Porca*, quod ad hoc sacrificii genus *Porcus* adhiberetur, Suetonius Tranquillus in vita Claudii contra opinionem Servii: *Cum regibus fœdus in foro icit, Porca cæsa*, inquit. Tametsi Livius quoque *porcum* statuit. *Pier.*

Porca.] Ita & Quintil. l. 8. c. 3. atque ita & Sueton. in *Claudio.* cap. 25. Et notat Servius, in omnibus sacris fæminini generis plus valuisse victimas. Livius tamen l. 1. in fœdere *porcum* saxo silice feriri dicit. Verum in rebus fæcialium *porcum* etiam de fæmina dictum, Turneb. docet l. 26. cap. 19. è Cic. 2. de LL. *porco fæmina piaculum dare.* & Cato c. 134. R. Rust. *Prinsquam porcum fæminam immolabis.* Etiam Marcell. Donatus P. Comes, lib 1. Dilucidation. Livium cum nostro & aliis conciliat. Quod, ut titulo *hominis* mas & fæmina comprehenditur, ita sit in *Porco.* Et notetur *porcum* à Poetis passim vocari *mysticam hostiam.* Vide me ad Plautinam Rudent. act. 4. Sc. 6. *Taubm.*

642. *Citæ Mettium in diversa quadrigæ.*] Donatus hoc loco contra metrum sentit dicens, *Citæ, divisæ*: ut est in jure, *Ercto, non cito*: id est patrimonio vel hereditate non divisa. Nam *Citus* cum divisus significat, *ci* longa est. Ergo *Citæ*, veloces intelligimus. Quod autem dicit Virgilius *Metium*: *Metius Suffetius* dictus est, quod nomen mutilavit caussa metri. Novimus autem nominum vel mutationem vel mutilationem concessam poëtis: sic pro Polluce, Castorem: pro Citheride, Lycoridem posuit: ut, *Sed quæ legat ipsa Lycoris.* Hic autem *Metius Suffetius*, cum apud Albanos summam rerum teneret, è Romanis in auxilium contra Fidenates vocatus, jure societatis venit quidem,

 sed

Distulerant, (at tu dictis, Albane, maneres)

Rapta-

sed in ipso prælio ad hostes defecit. Quod cernens Tullus Hostilius, ait voce maxima militibus suis, ita ut etiam hostis audiret: *Ne trepidetis, meo consilio factum est, ut factiose Metius Suffetius ad hostes transiret.* Quo consilio & suis pene amissas jam reddidit vires: & effecit ne hostes crederent Metio, quem post victoriam captum Tullus Hostilius religavit ad duas quadrigas, ita ut ab unis quadrigis traherentur manus, pedes vero ab alteris: quibus agitatis velociter, eum crudeli morte discerpsit. Videns itaque poëta Romano nomini incongruam esse vindictam, culpam criminis retorquet in auctorem, dicens ex sua persona ad ipsum *Mettum.* Servius.

Citæ.] Veloces: *Turn.* l. 6. c. 24. *Taubmannus.*

Mettium in diversa quadrigæ Distulerant.] Antiqui omnes codices, quotquot habui, *Metum* legunt dictione bissyllaba, quam alibi unico *t*, alibi geminato reperias, mutilatamque esse dictionem caussa metri Servius ait, dum ipse quoque *Metum* bissyllabum agnoscit. Sane *Mettius* duplicato *t*, pluribus locis in veterum monumentis scriptum animadverti. Placentiæ in D. Pauli templo *L. Mettius. L. F.* duobus *t t* notatum est. & Romæ in ædibus Pauli Plancæ legere est, *Q. Mettio & P. Mettio*, tametsi non ignorem, & *Metia*, & *Metius* unico *t* alibi notatum. Utcunque vero primam in eo nomine syllabam produci volunt. Sed enim hic minime prætereire possum, quod pervulgato errore in Livianis codicibus, & alibi passim *Metius Suffetius* per *S* prima litera scriptum est, cum dubio procul *Fuffetius* per *F* sit scribendum. Ita etiam apud Dionysium Halicarnassæum & Græcos alios invenias φυφέτιον. Præterea, si qui noluerint Græcis adhibere fidem, ostendit mihi Ianus Parrhasius vir utraque lingua eruditissimus, T. Livii codicem vetustate venerabilem, in quo *Fuffetius* scriptum erat prima litera per *F*, non per *S*. Quem quidem codicem nomina quædam speciosa Vindicianus, Nicomachus Dexter, & Victorianus se emendasse adscripserunt, idque in Symmachorum gratiam fecisse professi sunt. Ad hæc, & Nonii Marcelli vetustum codicem protulit, & alios quosdam auctores, in quibus eodem modo *Mettius Fuffetius* scriptum habebatur. Ajunt præterea Pomponium Lætum totius antiquitatis virum observantissimum, qui superiori ætate in Romano Gymnasio primas obtinuit, sæpius inclamitare solitum, *Fuffetius* dicendum. *Pier.*

643. *Distulerant.*] Dilaceraverant. Horat. 5. Epod.

Post insepulta membra
Different lupi.

Ita & Græcis, διαφέρειν est διασπαράττειν. *Taubmannus.*

At tu dictis, Albane, maneres.] Ideo etiam *mendacis* infert, ut tacitæ quæstioni, & invidiæ crudelitatis occurrat. Sane constat post victoriam de Albanis Romanorum, quam per condicionem Horatiorum & Curiatiorum adepti sunt, hoc factum esse quod hoc loco poëta narravit, nam quemadmodum * *Metius* vel auxilium facile nisi jussus venisset? vel post cognitam fraudem acciri tam facile potuisset, nisi tanquam subjectus congratulatum victoriam ad Tullum Hostilium venisset. *Servius.*

At tu dictis, Albane, maneres.] Eodem ætatis vitio, quod sæpius adnotavimus, in codicibus aliquot legitur, *Alvane* per ϝ digammon: quo sono hujusmodi nomina Hispani adhuc magna ex parte pronuntiant. Id quod priori etiam ætate frequentissimo usu receptum, Adamantium compulit, ut *Albus*, *alba*, *album*, per *b* mutam scribendum præciperet, discretionis gratia, ut *Alvus* ab *Albus* discerneretur: quæ nomina tunc corrupta pronuntiandi ratione confundebantur. Est vero hæc Parenthesis, & apostropha conjuncta simul,

Haud

Raptabatque viri mendacis viſcera Tullus
Per ſilvam; & ſparſi rorabant ſanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porſenna jubebat
Acci-

Haud procul inde citæ Mettum in diverſa quadrigæ
Diſtulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatque viri mendacis viſcera Tullus. Ut Quintil. obſervat. *Pier.*

Maneres.] Manere deberes. Ita Gr. ἐμμένειν uſurpant; quod Cic. 3. Offic. dixit *conventis ſtare*. Taubm.

644. *Mendacis.*] *Perfidum* vocat Claud. Paneg. 4. Hon.
Perfidiam damnas? Metii ſatiabere pœnis. Cerda.

645. *Sparſi rorabant ſanguine vepres.*] Pomponius fœminino genere *vepram* dixit, ut Nonius atteſtatur. Et apud Lucretium legitur libro quarto, *Nam ſæpe videmus illorum ſpoliis vepres volitantibus auctas:* quamvis ita dici debere neget Caper in Orthoepeia. *Pier.*

646. *Nec non Tarquinium ejectum Porſenna jubebat Accipere, &c.*] Tarquinius ſuperbus habuit perditos filios, inter quos Aruntem: qui dum in caſtris eſſet, patre ſuo Ardeam obſidente: & ortus eſſet inter eum & Collatinum maritum Lucretiæ, de uxoribus ſermo, eo uſque proceſſit contentio, ut ad probandos earum mores, arreptis equis ſtatim domus ſuas ſimul proficiſcerentur. Ingreſſi itaque civitatem Collatinam ubi Lucretiæ domus, invenerunt eam lanificio operam dantem, & triſtem propter mariti abſentiam. Inde ad Aruntis domum profecti cum uxorem ejus inveniſſent cantilenis & ſaltationibus indulgentem, reverſi ad caſtra ſunt. Quod Aruns dolens, cum de expugnanda Lucretiæ caſtitate cogitaret, mariti ejus nomine epiſtolam finxit, & dedit Lucretiæ: in qua hoc continebatur, ut Aruns ſuſciperetur hoſpitio. Quo facto, per noctem ſtricto gladio ejus ingreſſus cubiculum cum Æthiope, hac arte egit ut ſecum coiret, dicens, Niſi mecum concubueris, Æthiopem tecum interimo, tanquam in adulterio deprehenderim. Timens itaque Lucretia ne famam caſtitatis amore deperderet (quippe quam ſine purgatione futuram eſſe cernebat) invita turpibus imperiis paruit. Et altera die convocatis propinquis, marito Collatino, patre Tricipitino, Bruto avunculo, qui tribunus celerum fuerat, rem indicans, petiit ne violatus pudor, neve inultus ejus eſſet interitus: & ejecto gladio ſe interemit: quem Brutus de ejus corpore extractum tenens proceſſit ad populum: & multa conqueſtus de Tarquinii ſuperbia, & filiorum ejus turpitudine, egit ne in urbem reciperentur, auctoritate qua plurimum poterat. nam ut diximus, Brutus tribunus equitum fuerat. Sed cum non ſuſciperetur Tarquinius, contulit ſe ad Porſennam regem Tuſciæ: qui pro Tarquinio cum ingentibus copiis capto Ianiculo, & illic caſtris poſitis, Romam vehementer obſedit. Et cum per ſublicium pontem, hoc eſt, ligneum, qui modo lapideus dicitur, tranſire conaretur, ſolus Cocles hoſtilem impetum ſuſtinuit, donec à tergo pons ſolveretur à ſociis, quo ſoluto ſe cum armis præcipitavit in Tyberim, & licet læſus eſſet in coxa, tamen ejus fluenta ſuperavit. Unde eſt illud ab eo dictum, cum ei in comitiis coxæ vitium objiceretur, *Per ſingulos gradus admoneor triumphi mei.* In tantam autem obſidionis neceſſitatem populus venerat, ut etiam obſides, daret, ex quibus Clœlia inventa occaſione tranſnatavit Tyberim, & Romam reverſa eſt. Redditaque rurſus eſt, pacis lege eam Porſenna repetente: qui admiratus virtutem puellæ, dedit ei optionem, ut cum quibus vellet rediret. Illa elegit virgines, quæ injuriæ poterant eſſe obnoxiæ: unde Porſenna hoc quoque miratus conceſſit: & rogavit per literas populum Romanum, ut ei aliquid virile decernere-

Accipere, ingentique urbem obsidione premebat:
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti
Aspiceres; pontem auderet quia vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.
In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis

Stabat

tur: cui data est statua equestris, quam in sacra via hodieque conspicimus. *Ejectum* autem quare? aut quia facile poterat suscipi & occidi. Sed ideo non susceptus, quia occidi non poterat, religione impediente. rex enim etiam sacrorum fuerat. Unde etiam alii postea consules facti sunt, alii reges sacrorum. Sane *Porsenna.* Unum *n* addit metri causa: unde & penultimæ datus accentus est. Nam *Porsena* dictus est. Martialis, *Hanc spectare manum Porsena non potuit.* Servius.

Nec non Tarquinium, &c.] In codicibus antiquis, *Tarquinium* quadrisyllabum esse diximus alibi, & Poëtarum testimoniis secundam à principio syllabam esse brevem ostendimus. *Porsena* quoque unico *n* scribitur in antiquis plerisque: ut quæ per se longa esse possit in *Murena*, *Aufilena* pene ultima: Tametsi jure suo, *Hanc spectare manum Porsena non potuit*, dixerit Martialis: non aliter ac illud etiam, *Traducta est Getulis, nec cœpit harena nocentis*, duabus syllabis eluxatis. Illud etiam advertendum, quod Servius Lucretiæ stuprum ab *Arunte* illatum ait, quum Livius *Sextum* dicat. *Pierius.*

Porsenna.] Horatius, Martial. Sillius & alii, mediam corripiunt,

—— *cum Porsena magne jubebas.*

Taubmannus.

648. *Æneadæ.*] Satis longe petitum epitheton. Et potest hoc loco historia de Mutio accipi. *Servius.*

649. *Illum.*] *Coclitem* scilicet. Et modo *Cocles* in hoc loco de quo dicit, proprium est nomen. In aliis appellativum. nam luscos, *coclites* dixerunt antiqui. Unde & Cyclopas, *coclitas* legimus dictos, quod unum oculum habuisse perhibentur. Quasi στρογγυλώπας à rotunditate. *Idem.*

Illum.] Porsenam Clusinorum regem. *Taubmannus.*

650. *Pontem auderet quod vellere Cocles.*] In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, legi *auderet quia vellere.* In uno ex antiquioribus, *qui. avellere* notatum est puncto inter *i* & *a*, librariorum inscitia interjecto, quum forte *quia* scriptum invenissent: sed puto ego *quia* desumptum ex paraphrasi, & *quod* antiquam esse lectionem. *Pier.*

Pontem auderet, &c.] At non ipse *Cocles*, sed Romani: nam ille tantum hostem sustinuit. Sed defendi potest: nam *Cocles* auctor facti & audaciæ illius, ut Liv. l. 2. c. 10. Gloriam autem, quæ secuta Coclitem ex hoc facto, vid. apud Dionys. lib. 5. & Liv. d. l. *Cerda.*

651. *Vinclis innaret Clœlia ruptis.*] Aut quia obsides non ligantur: sed *vincla* pro custodiis accipimus; aut certe pro fœderibus; Aut certe *ruptis vinclis* pontis, id est, ponte resoluto. *Serv.*

Vinclis ruptis.] De dispositione verborum ita Scaliger lib. 4. cap. 48. Magno, *inquit*, consilio posuit adjectivum in fine. nimis enim frequenter *l.* impingeretur, *Clœlia vinclis*: & vox illa, *ruptis*, cum versum claudit, sane rumpit vincula, &c. *Taubm.*

652. *In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis.*] In summa clypei parte, nam postea ait, *In medio classes æratas.* Et bona ratione utitur in pictura, apta unicuique rei loca distribuens. Ideo enim in summa clypei parte dicit esse factum Capitolium, quia hoc arcem urbis esse manifestum est. Hæc historia

autem

Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.

Atque

autem talis est, Brenno duce Senones Galli venerunt ad Urbem: circa Alliam fluvium occurrentem sibi omnem deleverunt exercitum populi Romani. Aliaque die cum vellent ingredi civitatem, primo cunctati sunt, insidias timentes, quia & patentes portas, & nullum in muris videbant. Postea paulatim ingressi cuncta vastarunt, octo integris mensibus: adeo ut quæ incendere non poterant, militari manu diruerent, solo remanente Capitolio: ad quod cum utensilibus reliqui confugerant cives, qui tamen à Gallis obsidebantur, etiam id penetrare cupientibus: quos alii per dumeta & saxa aspera, alii per cuniculos dicunt conatos ascendere. Tunc *Manlius* custos Capitolii Gallos detrusit ex arce, clangore anseris excitatus, quem privatus quidam dono Iunoni dederat. Namque secundum Plinium, nullum animal ita odorem hominis sentire dicitur. Qua causa postea eo die quo hoc factum est, canes qui tunc dormientes non senserant, cruci suffigebantur; anseres auro & purpura exornati in lecticis gestabantur. Sane hic *Manlius* post defensum Capitolium pro præmio singulis libris farris ob virtutem à populo donatus est. In tantam autem cibi penuriam redacti erant in obsidione, ut coriis madefactis & postea frictis vescerentur, cujus rei argumentum est, quod hodieque ara in Capitolio est Iovis Soteris, in qua liberati obsidione, coria & sola vetera concremaverunt: hic tamen Manlius postmodum adductus in suspicionem regni appetiti, vel inimicorum oppressus factione, à populo damnatus est. *Servius.*

Custos Tarpejæ Manlius arcis.] In Romano codice *Malius* legitur unico *l*. Sed in Oblongo, & aliis, *Mallius*, *ll* geminato, ut apud Catullum in codicibus emendatis. Sane *Manlius* per *n* parcissime habetur in antiquis his exemplaribus: tametsi apud Livium in veteri codice *Manlius* sæpe legatur. Neque tamen mirum, si aliter inveniatur usquam, quum & antiquorum inscriptiones in hoc nomine, perinde ac etiam in aliis plurimum varient. *Pierius.*

653. *Pro templo.*] Pro defensione templi, hoc est in templo, nam ante templum, non procedit: cum obsessus intra templum esset. Sic in nono, *Ipsi intus dextra ac læva pro turribus astant.* Terentius, *Nam nisi hæc ita essent, pro illo haud stares, Phædria.* Servius.

Tenebat.] Defendebat, & est militare verbum, & etiam Salustius dicit. Unde è contrario victos, loco motos dicimus. Cicero, *Loco ille motus est.* Id.

Capitolia celsa.] A. Postumius Albinus rerum Romanar. lib. I.

Ille, cui ternis Capitolia celsa triumphis
Sponte deum patuere, cui freta nulla repostos
Abscondere sinus, non tutæ mœnibus urbes.

Leguntur hi versus apud Priscian. l. 8. Fuit autem A. hic Albinus Cos. cum L. Lucullo A. U. C. DCIII. auctores, Cicero in Bruto. Gellius lib. II. cap. 8. Macrob. l. I. *Ursinus.*

654. *Romuleoque, &c.*] Per literarum transpositionem, in Romano codice *Rumoleo* scriptum est: nisi à *Ruma Rumolum*, quod ajunt, dictum velis, atque inde *Rumoleus*, quod ego nusquam alibi observavi. Sed apud Asprum in antiquo codice, *Romolus* omnino scriptum est per *o* in pene ultima, ut *popolus* in XII. tabulis. *Pierius.*

Horrebat regia culmo.] Curiam *Calabram* dicit, quam Romulus texerat culmis. Ideo autem *Calabra*, quod cum incertæ essent Calendæ aut Idus, à Romulo constitutum est, ut ibi patres vel populus calarentur, id est, vocarentur, & scirent qua die Calendæ essent, vel etiam Idus. A Rege Sacrificulo idem fiebat: ut quoniam adhuc fasti

Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant

Defensi

non erant, ludorum & sacrificiorum prænoscerent dies. *Servius.*

Horrebat regia culmo.] Non hoc ex historia sumpsit, sed ipse vidit. Nam ita Vitruv. qui vixit ævo Julii, ita scribit lib. 2. cap. 1. *Athenis Areopagi antiquitatis exemplar ad hoc tempus luto tectum. Item in Capitolio commonefacere potest, & significare mores vetustatis Romuli casa, in arce sacrorum stramentis tecta.* Prudent. lib. 2. in Symm.

Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo.

Tibull. Eleg. 2. lib. 2.

Et stabant humiles in Jovis arce casæ.

Petron. etiam *Romuleam casam* dixit. Sen. 9. Controv. *Colit etiamnum in Capitolio casam victor gentium populus.* Ait, *etiamnum*, quod ævum & post Virgilium. Ovid. 3. Fast.

Quæ fuerit nostri, si quæris Regia nati?
Aspice de canna, straminibusque domum.

Hanc casam fuisse *Curiam Calabram*, Serv. explicat. de qua Curia Macrob. lib. 1. Sat. cap. 15. Notet vero diligenter Lector, duplicem fuisse casam Romuli; unam in Palatio, cujus meminit Dionys. lib. 2. & Victor: alteram in Capitolio, & de hac capiendus Virgilius. Nam post mentionem Capitolii, statim, ut vides, de ea casa loquitur. *Cerda.*

655. *Atque hic argenteus anser.*] Hic in Capitolio scilicet satis prudenter argenteum anserem dixit. Nam quasi & epitheton est coloris, & significavit rem veram. Nam in Capitolio in honorem illius anseris, qui Gallorum nuntiaverat adventum, positus fuerat anser argenteus. *Servius.*

Atque hic.] In quibusdam codicibus antiquis, *hinc* legitur. Sed Servius agnoscit *hic*, dum exponit in Capitolio, *Pierius.*

Anser.] Historia ubique nota. Ovid. alludens ad eam dixit 1. Fast. *Capitolia defensa.* & 2. Metamorph. *Servaturis vigili Capitolia voce anseribus.* ut & Plin. lib. 10. cap. 22. *Est & anseri vigil aura, Capitolio testata defenso.* Basilius in Hexam. vocat genus anserum ἄγρυπνον, *insomne*, & πρὸς τὴν τῶν λανθανόντων αἴσθησιν ὀξύτατον· *acerrimum ad sentiendum quicquid lateat.* Ducitque argumentum ab hac ipsa historia; nam illi τὴν βασιλίδα πόλιν περιεσώσαντο· *servaverunt Regiam civitatem.* Propert. Eleg. 3. lib. 3.

Anseris & tutum voce fuisse Iovem.

Lucret. lib. 4.

—— humanum longe præsentit odorem
Romulidarum arcis servator candidus anser.

Sed quis honor habitus volucri? Audi Plut. Orat. 1. de Fort. Alexandri: *Etiamnum solemni pompa gestatur canis in crucem actus, & anser splendide admodum in lectica, & veste stragula pretiosa sidens.* Vide eundem in vita Camilli. En primus honor. Alter. Plin. loco laudato: *Quamobrem cibaria anserum Censores imprimis locant.* Meminit & Cic. pro Sex. Rosc. & Arnobius lib. 6. *Cerda.*

Auratis porticibus.] Hoc ad tempus retulit florentis Romanæ reipublicæ. Nam illo loco ubi dixit, *Horrebat regia culmo:* ideo addidit *Romuleo*, ut incipientis & pauperis adhuc imperii tempora designaret. *Servius.*

656. *Gallos.*] Senones, qui Senones dicti sunt, quod Liberum patrem hospitio recepissent. *Idem.*

Canebat.] Quasi præcanebat. Nam *canere*, & dicere, & divinare significat. *Idem.*

657. *Galli per dumos aderant.*] In antiquo admodum codice, *olli per dumos*: quia jam positum erat, *Gallos in limine adesse canebat.* Cæterum ea repetitio tam nominis quam verbi mihi non parum venustatis & elegantiæ habere

Defensi tenebris & dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis.
660 Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur. duo quisque Alpina coruscant
Gæsa

bere videtur, *Gallos in limine adesse canebat*, *Galli per dumos aderant*. Pierius.

Arcemq; tenebant.] Deest *pene*. Nam prope tenuerunt. *Servius.*

658. *Defensi tenebris & dono noctis opacæ*] Multi iterationem volunt. Alii dicunt *tenebris*, propter cuniculos. *dono noctis*. Somno Manlii. Nam somnus noctis est donum. *Idem.*

Dono noctis.] Græci sæpe somnum dicunt δῶρον θεῶν ut etiam Latini, *donum Deorum* somnum. *Cerda.*

659. *Cæsaries.*] Coma ideo quod cædi potest. *Servius.*

Aurea cæsaries illis.] Hoc autem loco *ollis* in antiquis habetur exemplaribus. *Pierius.*

Aurea vestis.] Hoc est barba. Unde contra *investes* dicimus imberbes: unde est, *Tunc mihi prima genas vestibat flore juventas*. Servius.

660. *Virgatis lucent sagulis.*] Quæ habebant in virgarum modum deductas vias. Et bene adlusit ad Gallicam linguam, per quam virgæ purpura dicitur. *Virgatis* ergo, ac si diceret purpuratis. *Idem.*

Virgatis sagulis.] Turneb. lib. 2. c. 14. *Virgatum* hic exponit ῥαβδωτόν· quod virgas quasdam in longum aut latum varia serie & colore porrectas habet; ut concharum genere sunt *virgulatæ*, id est, ῥαβδωταί. Ita Val. Flaccus lib. 2. de muliere Thracia:

— *nostrosque toros virgata tenebit?*

Intelligit vestes barbarorum ritu discolores, & veluti virgatis segmentis contextas, non purpureas. Alii tamen, ut Cælius l. 16. c. 7. & Pimpont. itemque Serv. putant Poëtam περιπορφύρους & ἁλουργεῖς Gallos intelligere: ac si diceret, *purpuratis sagulis*. Et Servius expresse ait alludi ad Gallicam linguam, qua *virga* dicatur purpura. *Taubm.*

Sagulis.] Hæc vox à sago ducitur. Quæ sint saga Appian. explicat in Iberic. loquens de Lusonibus Hispanis accolis Iberi fluminis. χρῶνται δὲ διπλοῖς ἱματίοις παχέσιν ἀντὶ χλαμύδων, αὐτὰ περιπορπώμενοι, καὶ τοῦτο σάγον ἡγοῦνται· *Utuntur duplicibus vestimentis crassis chlamydum vice, & fibulis connectunt, eaque pro sagis ducunt.* Sueton. in Jul. cap. 48. per *sagatos* intelligit Gallos. Et Trebellius in Galieno: *Perdita Gallia arrisisse, & dixisse perhibetur, non sine trabeatis sagis tuta Resp. est.* Porro in Poëta Lector per *sagula* intelligat militares chlamydes, & paludamenta, legatque Lipsium lib. 2. de Mil. Rom. *Cerda.*

Lactea colla.] Hac commendatione prædicati Galli. Sil. lib. 4.

Colla viri fulvo radiabant lactea torque.

Loquitur de Chrixo duce Boïorum. Ammian. lib. 15. *Candidi pene sunt Galli omnes.* Petron. Sat. *Quin tu, inquit, Giton, circumcide nos, ut Judæi videamur: & pertunde aures, ut imitemur Arabas, & increta facies, ut suos Gallia cives putet.* Certe omnes in universum Septemtrionales *candidis coloribus* honestatos Vitruv. scribit lib. 6. cap. 1. Et imprimis Gallos fuisse pulcherrimos Julianus Cæsar in Misopog. his verbis ait, καλοὶ δὲ πάντες, καὶ μεγάλοι, καὶ λεῖοι, καὶ ἀρτιγένειοι, νέοι δ' ὁμοίως καὶ πρεσβύτεροι ζηλωταὶ τῆς εὐδαιμονίας τῶν Φαιάκων· *Sunt omnes formosi, proceri, glabri, & recens barbati, juvenes pariter & senes felicitatem Phæacum imitantur.* Quid, quod Poëta allusit ad etymon? nam Galli, ut multis placet, ἀπὸ τοῦ γάλακτος, *à lacte*. Idem.

661. *Auro*] Aureo torque. *Taubm.*

Duo quisque Alpina coruscant Gæsa manu.] Gæsum grandius longeque feriens telum Gallorum, de quo vid. quæ

 Lipsius

Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.
Hic exsultantis Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, & labsa ancilia cælo

Extu-

Lipsius lib. 4. Poliorc. c. 4. Claud. l. 2. de Laud. Stiliconis ℣s. 241.

Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro
Binaque gæsa tenens.

Et ut hoc loco *Alpina gæsa*, sic apud Sil. Ital. lib. 1.

Et Ligurum horrentesque comæ, parmæque relatæ
Hispana de gente rudes, Alpinaq; gæsa.

De quo vid. Turneb. lib. 23. Adversf. c. 3. Scribendum autem per diphthongum, ut patet ex Polluce, cui γαισὸς est δόρυ πολυσίδηρον. *Emmeness.*

662. *Gæsa.*] Hastas viriles. Nam etiam viros fortes Galli *gæsos* vocant. *Servius.*

Scutis longis.] Per hoc, corporum ostenditur magnitudo, ut supra, *Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.* Per quod equorum magnitudinem expressit. *Idem.*

Scutis longis.] Clypeus & scutum opponuntur, clypeus enim rotundus est, scutum vero formæ oblongæ, majusque clypeo; & *scutum* Græci hinc θυρεὸν, quod referat similitudinem forium, quæ longiores sunt, quam latiores, clypeum ἀσπίδα vocant. Turneb. l. 11. c. 27. *Taubm.*

663. *Hic.*] In eodem scuto. Et congrue sacerdotes statim post templa commemorat. *Servius.*

Hinc exsultantis.] In antiquis aliquot, *Hic exsultantis. Hic*, hoc est in scuto, vel in hac parte. *Pierius.*

Salios.] Qui sunt in tutela Jovis, Martis, Quirini, dicti *Salii*, ideo, quod circa aras saliunt & tripudiant. Alii à Salio Æneæ comite dictos volunt. *Servius.*

Nudosque Lupercos.] Cum in honorem Panos Lupercaliorum solemne celebraretur, pecora Romanorum subito à latronibus rapta sunt, illi projectis vestibus insecuti sunt: his latronibus oppressis & receptis animalibus propter rem à nudis propere bene gestam, consuetudo permansit, ut nudi Lupercalia celebrarent. *Idem.*

Nudosque Lupercos.] Sed cur *nudi*? Satis commentatio Servii: sed male nuditatem refert ad vestes abjectas. Non sic est: sed sublatæ sunt vestes, & cinctæ, ut expeditius sequerentur, inde pedibus, tibiis, femoribus nudi, ut exhibent marmora. Unde ab Ovid. *cincti*. ab Statio *succincti*. Quam ob rem à Plutar. dicuntur γυμνοὶ διαθέοντες ἐν περιζώμασι *nudi, & incincti currentes.* Cerda.

664. *Lanigerosque apices.*] Flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga desuper habens lanæ aliquid. Quod cum per æstus portare non possent, filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat. Unde à filo, quo utebantur, flamines sunt dicti, quasi filamines. Verum festis diebus filo deposito, pilea necesse erat accipere, quæ secundum alios ad ostendendam sacerdotii eminentiam sunt reperta: sicut columnæ mortuis nobilibus superponuntur ad ostendendum eorum columen. Alii dicunt non propter eminentiam dignitatis hoc factum: sed quia cum sacrificarent apud Laurolavinium, & eis exta frequenter aves de vicinis venientes locis abriperent, eminentia virgarum eas terrere voluerunt. Exinde etiam consuetudo permansit ut apud Laurolavinium ingentes haberent virgas, non breves ut in urbe. *Servius.*

Labsa ancilia cælo.] Regnante Numa Pompilio scutum breve & rotundum cœlo lapsum est. Et cum aruspices respondissent illic fore orbis imperium, ubi illud fuisset, diligentia Numæ, ne quandoque ab hostibus posset auferri, adhibito Mamurio fabro, multa similia facta sunt, & in templo Martis locata.

Quod

Extuderat: castæ ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus: hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis;

Et

Quod autem dicit *ancilia*, plurali utitur numero pro singulari. Nam unum lapsum est. *Ancile* autem dicitur, aut quasi undique circuncisum, aut quasi ἀμφίχειλον, id est, undique labrum habens. *Idem.*

Ancilia.] In antiquis codicibus manu scriptis, *Ancilia* per *i* Latinum scribitur. Et eodem pacto in Antonini Pii nummis notatum est, ubi scuta tria oblonga ovali propemodum figura inspiciuntur, cum inscriptione ANCILIA. *Pierius.*

665. *Extuderat.*] Studiose fecerat. *Servius.*

Extuderat: castæ ducebant, &c.] In Romano codice *extuderant* legitur numero multitudinis, ut de Cyclopibus intelligatur. Sed magis placet *extuderat*, ut omne opus ad Volcanum referatur, uti superius, *Fecerat Ignipotens.* & paulo infra, *Hinc procul* addit. Et in emendatis Prisciani codicibus, *extuderat* est, ubi ait: *Tundo tutudi, cujus pene ultimam antiqui modo producebant, modo corripiebant. Virg.* VIII, *Cœlo extuderat. Enn. in Ann. Viresque calentis Contudit crudelis hyems.* Insulsum vero illud est, quod apud interpretes legitur, Matronas non nisi castas pilentis usas, quum *casta* sit epitheton matronis accommodatum. Præterea tangit hoc loco Virgilius historiam, quod matronis concessum est, ut pilento ad sacra, ludosque veherentur. Sed animadvertendum est perperam in vulgatis exemplaribus Livii *plaustro* legi, pro *pilento*, ut veteres codices habent: ita enim locus ille legitur: *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra, ludosque, carpentis festo, profestoque uterentur.* Pierius.

Ducebant.] Deducebant. Hæc enim fuerat consuetudo. *Servius.*

Ducebant sacra.] *Ducere sacra*; & *Ferre sacra*, dicuntur; qui res sacras & quæ ad sacrum utilia sunt, ferunt. Propert. l. 4. el. 1.

Ducebant macra vilia sacra boves.

Turn. l. 2. c. 14. Sic & ἱερὰ ἄγειν, & πομπὰς, & θυσίας, Græci dicunt. supra:

— *solemnes ducere pompas.*

Taubmannus.

666. *Pilentis matres in mollibus.*] Pilenta sunt vehicula, sicut nunc basternas videmus. Erant autem tunc veneti coloris, non ut nunc sunt russati, quibus nisi castæ matronæ uti non poterant, sicut nec vittis, unde addit *Castæ. Mollibus* autem, pensilibus: ut *molle feretrum*, & oscilla mollia: contra, Plumas pensiles dicimus, & molles significamus: ut *mollibus*, molliter stratis: quidam pilenta læta occisia * sed vulgo dicta tradunt. *Servius.*

Pilentis matres in mollibus.] De hoc vehiculi genere vid. omnino quæ Schefferus lib. 2. de Re Vehiculari cap. 25. *Emmeness.*

Matres.] Matresfamilias intelligit, hoc est, senatorias, nobiles, patricias fœminas: quæ sacerdotiis præerant. nam sacerdotes & virgines etiam Vestales pilentis carpentisque ferebantur. Prudentius l. 2. contra Symmach.

Fertur per medias, ut publica pompa, plateas
Pilento residens molli.

Turneb. lib. 11. c. 6. & lib. 13. cap. 8. *Taubm.*

Hinc procul.] Bene à templis longe inferos facit. Et bene *Tartareas sedes*, ut nihil prætermissum videretur. *Servius.*

667. *Alta ostia Ditis.*] Alludit ad epitheton Græcum Plutonis πυλάρτης, frequens apud Hom. ut Od. λ. ἣ δ' ἴεν εἰς ἀΐδαο πυλάρταο, κρατεροῖο· & post paulo: ὑψιπυλὲς ἄϊδος δῶ. *Germanus.*

668. *Sce-*

Et scelerum pœnas, & te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem,
Secretosque pios: his dantem jura Catonem.
Hæc inter tumidi late maris ibat imago
Aurea; sed fluctu spumabant cærula cano:

Et

668. *Scelerum pœnas.*] Pro sceleratorum. Et bene ait *scelerum pœnas*, in crimina enim personæ incidunt, non ipsarum sunt proprie crimina. Unde & sceleribus sunt statuta supplicia, quæ in se incidentes homines obnoxios faciunt. *Servius.*

Et te, Catilina, minaci Pendentem scopulo.] Hoc quasi in Ciceronis gratiam dictum videtur. *Idem.*

Te, Catilina, minaci pend. sc.] Apud tragicos immanissima habebatur imprecatio, ut quis apud inferos etiam in sublimi scopulo insepultus pendeat. Vide Turn. l. 23. c. 3. *Taubm.*

670. *Secretosque pios.*] Aut in secreto morantes, aut participaliter ab illis secretos. *Servius.*

Secretosque pios.] Horat.

Juppiter illa piæ secrevit litora genti.

Et alibi:

Et judicantem vidimus Æacum,
Sedesque discretas piorum.

Cerda.

His dantem jura Catonem.] Et significat, *Uticensem*, qui contra Cæsarem bella suscepit. Quomodo enim piis jura redderet, qui in se impius fuit? Et supergressus est hoc loco Homeri dispositionem. Siquidem ille Minoën Rhadamantum, Æacum de impiis judicare dicit, hic Romanum ducem innocentibus dare jura commemorat. *Servius.*

671. *Hæc inter.*] Bene inter inferos & superos mare factum dicit, quod ut supra diximus, nos ab Antipodis dividit, qui inferi sunt nostri comparatione. *Idem.*

Tumidi maris.] Sen. Rhet. Cont. 16. *Intumuerat subitis tempestatibus mare.* Ita vero proprius maris tumor, ut Græci κύματα, id est, *fluctus*, vocent οἰδματα, id est, *tumores*, οἴδματα (inquam) pro οἰδήματα. Orph. Hymn. πόντιον οἶδμα. Sidon. epist. 2. lib. 2. *immane turgescit.* Vocat *mare tumidum*, quia cum in conflictu hoc Cæsaris, & Antonii mare tranquillum fuerit, diebus tamen præcedentibus, & hos hic describit Poëta, mare tumuerat. Audi Plut. in Anton. ἐκείνην μὲν οὖν τὴν ἡμέραν, καὶ τρεῖς τὰς ἐφεξῆς μεγάλῳ πνεύματι κυμανθὲν τὸ πέλαγος τὴν μάχην ἐπέσχε. & addit: πέμπτῃ δὲ νηνεμίας καὶ γαλήνης ἀκλύστου γενομένης συνῄεσαν. Congressum hunc postea describit Poëta, ac propterea nunc tumore isto putandus est allusisse ad illum, qui præcessit in mari. *Cerda.*

Imago aurea.] Non est contrarium quod & cæruleam, & auream, & argenteam maris esse dicit imaginem: quam scimus pro ventorum qualitate mutari, & colores varios reddere, quod expressum in scuto fuisse significat. *Ibat* autem quidam pro *erat* accipiunt, ut, *Ast ego, quæ divum incedo regina.* Sane ubique propositum est poetæ Augusti gloriam prædicare; itaque majorem partem operis in hoc clypeo, Augustum adsignat* *Servius.*

672. *Cærula.*] Id est, maria. *Idem.*

Fluctu cano.] Omnis enim spuma alba est. *Idem.*

Fluctu cano.] Canicies hæc ab spumis. Catull.

Tortaque remigio spumis incanuit unda.

Sidon. epist. 2. lib. 2. *spumoso canescit impulsu.* Ovid. *spumisque sonantibus albet.* Græci πολιὸν κῦμα, πολιὸν ἅλα. Pulchre Eurip. Iphig.

Λάβεσθε κώπας, ῥόθιά τε λευκαίνετε·
Remos sumite, fluctus dealbate.

Lucret. lib. 2.

Vertitur in canos candenti marmore fluctus.

Calaber

Et circum argento clari delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstumque secabant.
In medio classis æratas Actia bella
Cernere erat: totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.

Hinc

Calaber etiam lib. 5. in Scut. Achillis, μέλας λευκαίνετο πόντος, à quo, credo, Virgilius, *cærula*, ut ille μέλας, *cano fluctu*, ut ille λευκαίνετο. Sicut & Sen. Agamem.

Dirimuntque canæ cærulum spuma mare.

Ennius prior apud Agellium l. 2. c. 26.

Cæruleum spumat sale conferta rate pulsu
Per mare. ——

Cerda.

Spumabant.] In antiquis plerisque codicibus *spumabat* unitatis numero legitur, ut sit, *Cærula maris imago spumabat fluctu cano.* Pierius.

673. *In orbem.*] In circuitu, in medio, utrum clypeo an mari? *Servius.*

In orbem.] Vere & proprie ex animantis hujus natura. Ita ab Nazian. Carm. 50. Delphinus inducitur γυροῖς ἐυγνάμπτοισιν ἑλισσόμενος, quia videlicet ludibundus exhibet gyros, flexus, tortiones. Eurip. Helen. τῶν καλλιχόρων δελφίνων, à pulchris choreis, quas exercent. Et in Elect. φιλαύλος δελφίς, & ibidem dicitur φίλαυλος, est enim amicus musicæ, & tibiarum. Vide Plutar. in Conviv. Sept. Sapient. *Cerda.*

674. *Æquora verrebant.*] Ad imaginem fortasse Calab. lib. 9. qui extra picturam loquens,

Ἀμφὶ δ' οἱ δελφῖνες ἀολλέες ἐσσεύοντο
Κῦμα διατρήσσοντες, ἁλὸς πολιοῖο κέλευθα.

Τὸ *verrebant*, quis nescit illustrari posse vel ab Catull. qui Nupt. Pel.

Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.

Vel ab Ennio, qui apud Agell. c. 26. l. 2.

Verrunt extemplo placide mare marmore flavo. Idem.

Æstumque secabant.] Naturalem rem ostendit. Nam semper mare turbatur cum Delphini apparuerint. *Servius.*

675. *Actia.*] In antiquis codicibus fere passim legitur *Accia*, *cc* geminato, quod à similitudine quadam inter *c* & *t*, quæ est in literis Longobardicis evenisse puto, quum *Actia* per *ct* sit scribendum. *Actia* enim Acarnaniæ oppidum, ab Ambracio sinu venientibus, ubi templum Apollinis, & certamina Gymnica, & equestria celebrabantur. Unde Apollo, & *Actæus*, & *Actiacus* cognominatur. Arcadius in orthographia, ἄκτια inquit, καὶ ἡ πόλις καὶ ἡ ἑορτὴ, ἀλλ' ἡ μὲν ἑορτὴ βαρυνέται τὰ ἄκτια. *Attius* tamen, uti superius comprobatum est, pro nomine proprio ab *Atti*, duplicato *t*, etiam asserente Victorino, in præceptis de orthographia scribi debet: cui pleræque veterum inscriptiones adstipulantur. *Pierius.*

676. *Cernere erat.*] Græca figura est. *Servius.*

Totumque instructo Marte, &c.] Antiqui aliquot codices, *extructo* legunt. Aliquot alii *instructum* per accusativum, quippe *Leucaten.* Sed enim *pugnam instruit* apud latinissimos historicos sæpe. Quare melius *instructo Marte.* Pierius.

677. *Fervere Leucaten.*] *Fervere* ab eo quod est *fervo* facit, nam ab eo quod est *ferveo* fervêre facit ut producta, sic *effulgere.* Alii dicunt antique per tertiam conjugationem correpta media syllaba positum, ut, *Lavit ater corpora sanguis*, pro lavat; de eo in tertio Georgicorum in ipso loco plenius dictum est. *Leucaten.* In promontorio Epiri est mons *Leucata*, quod quia saxa nuda in cacumine habuit, ex horum candore *Leucates* appellatus est. *Servius.*

Fervere Leucaten.] Sic Stat. *defervere campo.* Cato, *effervérit*, uti ex manu

script.

Hinc Augustus agens Italos in prœlia Cæsar
Cum Patribus Populoque, Penatibus & magnis dîs,
Stans

script. restituit Victorius. Lucill. *fervit ad amnem.* Attius Meleag. *Cor ira fervit.* & in Achille: *Fervat pectus iracundia.* Afran. Vopisco: *vociferatione fervitur.* Pomponius Scriptor Atellanarum in Pappo Agricola, *Domus hæc fervit flagitiis.* Ter. Varro in Desultorio,

Fervere piratis, vastarique omnia circum.

Denique ita multa sunt veterum testimonia, ut putem apud veteres non agnitum aliud verbum. Et *ferveo, ferves*, debet existimari novitium respectu illius. De classe Cæsaris ad *Leucaten* scribit Florus lib.4.cap.11. *Cerda.*

Auroque effulgere fluctus.] Non quod hic ex auro fluctus esse dicat, quos supra canos dixit, sed mare & ex auro expressum sit, fluctus per aurum effulgeant. *S.*

Effulgere fluctus.] Græci aquis dant μαρμαρυγὴν: & Catull. Nupt. Pel. de illis, *refulgent.* Cerda.

Hinc Augustus agens Italos.] Cum de statu reipublicæ esset longa contentio inter Augustum & Antonium & Lepidum, placuit ut totum Orientem teneret Antonius: Augustus Gallias & Hispanias cum Italia: Lepidus Africam, Siciliam, Sardiniam: & ad caussam majoris fidei Antonius sororem Augusti duxit uxorem. Profecti itaque sunt in provincias suas. Sed Antonius in prima ætate creatus Tribunus plebis, Cæsarianas partes cum Curione defendens, bellum civile inter Cæsarem Pompejumque commovit. Quæstor fuit, idemque Augur, quo Consule in senatu Cæsar occisus est. Hic, sicut dictum est, cum divisa Repub. ad Orientem isset; in Ægypto captus est amore Cleopatræ, non usquequaque adeo, ut, ea dimissa, contra Parthos proficisceretur. quibus cum ante victor esset, post repulsus, dum Cleopatræ cupiditate festinat, exercitum omnem frigore in Armenia perdidit. Ipse tamen animalium cadaveribus pastus, cum paucis ad Ægyptum est reversus: ubi ei cœpit suadere Cleopatra ut se sortiretur uxorem, derelicta sorore Augusti: quo facto, Augustus vehementer accensus, contra eum cœpit bella moliri: Antonius re comperta collectis Orientis viribus, prior cum uxore Cleopatra venit ad bellum. Conflictum est navali certamine circa Actium Epiri promontorium, ubi victi sunt Antonius & Cleopatra, & in fugam coacti: postea occiso Antonio illa sibi serpentes abhibuit. Sed Antonius, cum Alexandriam obsideri videret & in eo esse, ut capi posset, se ipsum occidit, Cleopatra vero, cum ad Augustum esset adducta, & in custodia esse jussa esset, admotis sibi, ut putatur, serpentibus, vitā finivit. Sed quia belli civilis triumphus turpis videtur, laborat poëta ut probet justum bellum fuisse, dicens Augustum esse cum patribus, populoque, penatibus, & magnis diis. Contra cum Antonio auxilia peregrina & monstrosa Ægypti numina: & re vera in exercitu Antonii omnes barbari fuerunt: quod & Virgilius dicit, *Ægyptum viresque Orientis, atque ultima secum Bactra vehit.* Unde etiam de hoc bello egit triumphum. Nec enim civile putatum est, quod tantummodo Romano duce gestum est, qui & ipse barbaræ serviebat uxori: adeo ut prætoria ei castra concederet. Quorum qui potiebatur imperio, ipse vocabat exercitum. Unde est in loco de Cleopatra, *Patrio vocat agmina sistro.* Nam Antonius consulare sibi tantum detinuit imperium, in quo sola est potestas jubendi. Ille enim ducit exercitum, qui habet in potestate castra prætoria. *Servius.*

679. *Penatibus & magnis dîs.*] Alii id unum volunt esse: alii separant. Ut *magnos deos* accipias Jovem, Minervam, Mercurium, quos Æneas de Samothracia sustulit. *Idem.*

Penatibus, & magnis dîs.] Non iidem

Stans celſa in puppi: geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice ſidus.
Parte alia ventis & dis Agrippa ſecundis

Arduus

dem Dii hoc loco Penates, & Magni: ſed diverſi. Lege 3. Æneid. initio ad illud,

Cum ſociis, natoque, Penatibus, & Magnis Dîs. Cerda.

680. *Stans celſa in puppi.*] In Romano codice, & quibuſdam aliis *Stat* verbi non participii forma legitur. Reſpicit enim rectum ſuum: *Auguſtus agens Italos*, & quæ ſequuntur: quod ſi *ſtans* legas, ſubaudiendum, *Sculptus erat*. Pierius.

Tempora flammas Læta vomunt.] Naturaliter enim Auguſtus igneos oculos habuiſſe dicitur, adeo ut obtutum ejus nemo contra aſpectare poſſet: denique quidam eques Romanus interrogatus ab eo cur, ſe viſo, verteret faciem: dixerit, *quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum*, ſicut ait Suetonius. *Serv.*

Geminas cui tempora, &c.] Indicat galeam. Cum enim Principes & duces exercituum tum aliis notis, tum maxime galeis cognoſcantur, inſignem galeam Auguſto dedit, ut is eſſe noſceretur. Certe, qui ad igneos Cæſaris oculos Virgilium ducunt, torquent illum. *Cerda.*

681. *Aperitur vertice ſidus.*] Apparet ſydus in vertice, hoc eſt ſuper galeam. Nam ex quo tempore per diem ſtella viſa eſt, dum ſacrificaretur Veneri genitrici & ludi funebres Cæſari exhiberentur, per triduum ſtella apparuit in Septentrione, quòd ſidus Cæſaris putatum eſt Auguſto perſuadente: nam ideo Auguſtus omnibus ſtatuis, quas ob divinitatem Cæſaris ſtatuit, hanc ſtellam adjecit. Ipſe vero Auguſtus, in honorem patris ſtellam in galea cœpit habere depictam: Honorifice autem poëta unam ſtellam *ſidus* dixit, cum ſidus ex multis ſtellis conſtet. *Servius.*

Patrium aperitur vertice ſidus.] De hoc ſidere vid. quæ dicta ad Ecl. 9. ỷ ſ. 47. ubi etiam numiſma cum ipſo ſidere expreſſimus. Recte autem ex Suetonio corrigendum hic eſſe Servium, quod per triduum tantum dicat apparuiſſe hanc ſtellam, monet Cerda, cum Suetonius referat apparuiſſe per dies ſeptem in Jul. cap. 88. *Ludis, quos primo conſecratos ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa 11. horam. Creditumque eſt animam eſſe Cæſaris in cælum recepti, &c.* Exponendum vero illud, *conſecratos ei*, conſecratos ab eo, ut ad illum locum monet Caſaubonus, ut cum aliis concilietur Suetonius, qui eos ludos, quibus apparuit hæc ſtella, non Cæſari, ſed Veneri Genetrici tradunt conſecratos. *Emmeneſſ.*

682. *Parte alia.*] Non è contra: ſed in alia parte aciei. *Idem.*

Ventis, & dîs Agrippa ſecundis.] *Agrippa* dicitur ab ægro partu, id eſt, qui hodie bis naſcitur. Sed hic *Agrippa* non adeo claro genere ortus, viribus, & ſocietate Auguſti, ad ſummos honores pervenit, nam & Tribunus plebis quietiſſimus fuit, & poſt tertium Conſul, & in multis bellis cum Auguſto geſtis victoriam Auguſto ſua virtute confecit; nam & Sextum Pompejum apud Mœlas ipſe devicit, & apud Actium Antonium & Cleopatram navali certamine prope ipſe ſuperavit, ob quod meruit etiam gener eſſe Auguſto. *Secundis* ergo dixit, Auguſti comparatione. Nam hoc dicit, Auguſtus nimio ventorum & numinum utebatur favore. *Agrippa ſecundis.* Hoc eſt, Ille habuit primum favorem, hic ſecundum. Hadrianus ſcribit Agrippam ſolitum tempeſtate orta milites cogere, naves in fluctus urgere, ut conſuetudine diſcriminis, dempto metu, redderet eos adverſum pericula fortiores: ergo πρὸς ἀντίπαλον ſævi maris, quod exercitatione militibus

erat,

Arduus agmen agens: cui belli insigne superbum
Tempora navali fulgent rostrata corona.

Hinc

erat, ait diis & ventis secundis esse pugnatum, ut tempestatem quidem Agrippa non timuerit, sed favor divinus maria constraverit, nam & ipsa Actiaca pugna, cum Aquilo ei esset adversus, eo exercitio, quo milites adsueverat adversum fluctus naves agere, ad portum se fugere finxisse, quare cum hostes decepti insequi conati essent, conversis subito navigiis suis Alexandrinas naves incurrisse, & telis ac flammis in eas missis, refragante hostibus fluctu, cum nihil ipsi tale facere possent, victoriam consecutum: merito ergo *Ventis secundis*. Idem.


683. *Arduus agmen agens.*] In aliquot antiquis *arduos* ea religione, quam superius contra Terentii Scauri sententiam nonnullos diximus observasse. *P.*

Insigne superbum.] Quasi principale decus. *Servius.*

684. *Navali rostrata corona.*] Sextus Pompeji filius in Sicilia piraticam exercuit, contra quem primo cum Agrippa dimicavit Augustus. Postea Agrippæ cura data est: qui eum delevit, ob quod ei Augustus rostratam dedit coronam, quia vicerat navali certamine. *Idem.*

Rostrata.] *Navalis corona* etiam Plinio *rostrata* dicitur: quod quasi navium rostris insignita sit. Turneb. l. 26. c. 29. de bello Siculo intelligit, quod cum Sex. Pompejo gestum est. De qua re sic Paterculus, lib. 2. *Insigne Coronæ classicæ, quo nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit.* Etiam Dio lib. 49. tradit, Agrippam ab Augusto corona donatum esse post devictum Sext. Pompejum. Vide & Jos. Castalion. Observat. Dec. 4, 1. Gell. 1. l. 1. c. 6. *Taubm.*

Navali rostrata corona.] Corona navalis rostrata est dicta, à navium rostris, & fieri solebat ex auro, teste Gell. l. 5. c. 6. *Navalis* (corona) *est, qua donari solet maritimo prælio qui primus in hostium navem armatus vi transilivit. ea quasi navium rostris insignita est. & muralis autem, & castrensis, & navalis fieri ex auro solent.* Agrippæ autem ob victorias navales datas esse ab Augusto coronas navales, testantur & nummi, qui extant in Augustini Numism. Tab. xi. n. 21. & 22. In quibus alter effigiem Agrippæ repræsentat cum corona navali, in qua, præter rostra, conspiciuntur quædam turres, sive tabulata, quæ videntur explicanda de *turritis puppibus* Virgilii; nam has Servius interpretatur de *tabulatis*, sive *turribus in navibus erectis, quæ hoc bello primum excogitatæ ab Agrippa.* Nummos hic repræsento. *Emmenessius.*





Hinc ope barbarica variiſque Antonius armis
Victor ab Auroræ populis & litore rubro
Ægyptum, vireſque Orientis, & ultima ſecum
Bactra vehit; ſequiturque (nefas) Ægyptia conjunx.

Una

685. *Hinc.*] A parte contraria. *Servius.*

Ope barbarica.] Crimen Antonii, quod ope barbarica Romanus pugnet. *Idem.*

Ope barbarica.] Hanc numerat exacte Plutarch. in vita Anton. interfuere enim *Bocchus Africæ, Tarcondemus Ciliciæ, Cappadociæ Archelaus, Paphlagoniæ Philadelphus, Comagenæ Mithridates, Adallas Thraciæ Reges.* Miſere vero auxilia Manchus, Herodes, Amyntas, primus Arabas, alter Judæos, tertius Lycaonas. Medorum quoque Rex auxilia miſit Antonio, Florus l. 4. c. 11. meminit *Arabumque, & Sabæorum, & mille aliarum gentium Africæ.* Itaque per Barbaros hoc loco non neceſſe eſt intelligere ipſos Ægyptios: ſed eos, qui auxilia miſere Ægyptiis, cum præſertim dicat Herodotus Muſa ſecunda, *βαρβάρυς ȝ πάντας οἱ Αἰγύπτιοι καλέυσι τὺς μὴ σφ' ὁμογλώσσυς.* Cerda.

Variiſque Antonius armis.] In codicibus aliquot antiquis, *variis Antonius armis* legitur, abſque particula *que:* ut ſit, *Armis variis opera Barbarica,* de habitu enim & ornatu hic agitur, quo ſinguli internoſcerentur. *Pierius.*

686. *Victor ab Auroræ populis.*] Quia primo vicerat Parthos, ut diximus: aut quia Antonium Parthi poſtea pepulerunt, ſed videtur hoc ideo tacuiſſe, ne Auguſtus imbellem ſuperaſſe videatur, ideo addidit victorem Orientis Antonium, ut majorem hoſtem Auguſtus viciſſe videatur. *Servius.*

Victor.] Dici ita poteſt; nam tametſi infeliciſſima fuerit expeditio illius in Orientem, tamen *μάχας ὀκτὼ ϗ δέκα Πάρθυς ἐνίκησαν*, ait Plut. *Parthos vicit præliis decem & octo.* Cerda.

Litore rubro.] Erythræo mari, quod eſt inter Ægyptum & Indiam. *Servius.*

687. *Ægyptum.*] Sunt codices, in quibus *Æguptum* per *u* ſcriptum inſpicitur, & ita notari ſolitum Auguſti temporibus, qui ea litera etiam in formæ ſuperlativæ nominibus delectabatur, Inſcriptio declarat Horologii, quod in campo Martio erexit: in cujus baſi hæc adhuc inſpiciuntur:

AEGVPTO IN POTESTATEM POPVLI ROMANI REDACTA.

Et quæ plurima hujuſmodi ſupra recitavimus. Sane vero in Hadriani nummis utroque modo legitur, nunc *Æguptos* per *u* vocalem Latinam, nunc *Ægyptos* per *υ* ψιλὸν Græcam. *Pierius.*

Ultima ſecum Bactra vehit.] *Ultima,* non quantum ad fines pertinet orbis terrarum: ſed ultima in imperio Antoniano. Conſtat enim Bactrianos poſt ſe habere gentes innumeras. *Servius.*

Ultima Bactra.] Propert. Eleg. 1. lib. 3. *finem Imperii Bactra.* Cerda.

688. *Sequiturque (nefas) &c.*] Exclamatio eſt: quaſi *prô nefas!* aut per parentheſin dictum eſt, & *nefas* non in eo tantum, quod Ægyptiam Romanus duxerat, ſed etiam quod mulier caſtra ſequebatur, quod in ingenti turpitudine apud majores fuit. Unde bellaturus Pompejus in Lesbo reliquit uxorem. *S.*

Sequiturq; (nefas) Ægyptia conjunx.] Ita hic *Æguptia* in quodam antiquo codice; *conjux* vero variat, & in veteribus codicibus, & in marmorum inſcriptionibus, ut alibi dictum. Quantum vero pertinet ad ſententiam; D. Hieronymus ad Oceanum De vita clericorum locum hunc citat: quia Virgilius *nefas* poſuit. *Uxores enim,* ait ille, *caſtra non ſequebantur.* Quamvis Romanis civibus matrimonia cum externis non permiſſa, Livius dicit. Et ſuper hoc Severinus in Topicis Ciceronis plura. *Pierius.*

Una omnes ruere, ac totum ſpumare reductis
Convolſum remis roſtriſque tridentibus æquor.
Alta petunt: pelago credas innare revolſas
Cycladas, aut montis concurrere montibus altos.
Tanta mole viri turritis puppibus inſtant.

Stup-

689. *Ruere.*] Ruebant: id eſt, veniebant cum impetu. Et hoc verbo more ſuo oſtendit velocitatem. *Serv.*

690. *Convolſum remis roſtriſque ſtridentibus æquor.*] In antiquis *convolſum.* De *roſtris* vero *ſtridentibus*, in quinto Æneidos multorum recitavimus opiniones, inſerendumne eſſet *que*, an aliter legendum, quæ non videntur nunc ad repetendum neceſſaria. *Pier.*

Convolſum.] Σπασμὸν θαλάσσης, & ἀπάσμα dixerunt Appian. lib. 5. & Plutarch. in vita Ciceron. id eſt, *maris convulſionem.* Convelli mare dicitur cum extrahitur à ſe, & divellitur, ſive fluctibus in tempeſtate, ſive remis in quacunque navigatione, præeunte hic Virgilio, qui *convulſum æquor*, in ſumma tranquillitate. Nam auctore Plut. in vita Anton. hic navium conflictus factus κλυσμίας ϰ̀ γαλήνης ἀκλύστου γενομένης. *Cerda.*

Roſtriſque ſtridentibus.] Lege *roſtriſque tridentibus.* Nam tametſi defendi queat lectio vulgata, ſed inclino in hanc, ſecutus Erythræum in Indice, Germanum, Turnebum cap. 29. l. 28. Julium Scal. 4. Poët. cap. 16. tum etiam veteres picturas, & nummos, in quibus roſtra navium viſuntur trifida. Urſinus etiam atteſtatur ita ſcriptum in codice, qui fuit Pomponii Læti. Roſtra hæc Polybius, & Appianus vocant ἐμβόλας. *Idem.*

Convolſum remis roſtriſque tridentibus æquor.] Vide quæ Pierius ſupra ad l. 5. Æn. ỳſ. 143. *Emmeneſſ.*

691. *Credas.*] Pro credat quis. *Servius.*

Credas.] Ut ab Hom. φαίης. Expendit vocem iſtam Sen. Rhet. Suaſ. 1. quaſi non dicat fieri, ſed videri, ideo *credas.* Cerda.

692. *Cycladas.*] Cleopatræ naves inuſitatæ magnitudinis fuiſſe, etiam Dio narrat: quas Poëta hic inſulis ſingulas comparat. Sunt autem *Cyclades* inſulæ maris Ægæi numero LIII. in Cycli formam diſpoſitæ. *Taubm.*

Aut montis concurrere montibus, &c.] Hæc quidem non tam Hyperbole poëtica eſt, quam ex hiſtoria locus ſumptus. Apud Florum enim legas de navalibus Antonii: *Sed numerum magnitudo penſabat, quippe à ſenis in novenos remorum ordinibus: ad hæc turribus, atque tabulatis allevatæ, caſtellorum & urbium ſpecie, non ſine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur: quæ quidem ipſa moles exitio fuit.* Pierius.

Concurrere montibus altos.] Alii *Altis* legunt, unum tamen eſt. *Servius.*

Montis montibus.] De his & Prudent.

Inſtiterant tenues cymbæ fragileſque phaſelli
Inter turritas, Memphitica roſtra, liburnas.

Vide Horat. 1. Epod.

Ibis, liburnis, inter alta navium, &c.

Taubmannus.

Montis concurrere montibus altos.] Similiter Ovid. lib. 7. Metam. ỳſ. 62.

Quid, quod neſcio qui mediis concurrere in undis
Dicuntur montes, &c.

Ad quem locum vid. Nic. Heinſius. *Emmeneſſ.*

693. *Turritis puppibus inſtant.*] Hoc de hiſtoria traxit. Nam Agrippa primus hoc genus turrium invenit, ut de tabulatis ſubito erigerentur, ſimul ac ventum eſſet in prælium, turres hoſtibus improviſæ, in navigando eſſent occultæ. *Servius.*

Turritis puppibus.] De his vide Cælium

Stuppea flamma manu, telique volatile ferrum
Spargitur. arva nova Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro:
Necdum etiam geminos à tergo respicit anguis.

Omni-

lium lib. 29. cap. 27. Bayf. De re navali, & Gyrald. de Navigiis. *Taubm.*

694. *Stuppea flamma, &c.*] Illud, *stuppea flamma*, accipe de navibus Cæsarianis contra Antonianas. Quod sequitur, *telisque volatile ferrum*, de Antonianis contra Cæsarianas. Itaque Cæsariani ignitis telis rem gerebant; Antoniani aliis missilibus, non certe ignitis. Dio de hac pugna, & de Cæsarianis, *οἱ μὲν γὰρ βέλη τε πυρφόρα ἐπ' αὐτοὺς ἐξετόξευον, καὶ λαμπάδας ἐκ χειρὸς ἐπηκόντιζον, καί τινας, καὶ χυτρίδας ἀνθράκων, καὶ πίσσης πλήρεις πόρρωθεν μηχαναῖς ἐπερρίπτουν*, &c. Florus quoque: *Singulas* (Antonianas) *plures* (Cæsarianæ) *adortæ missilibus simul cum rostris, ad hoc ignibus iactis ad arbitrium dissipavere.* De classico apparatu Antonii, in quo nulla ignis mentio, vid. Plutarch. in Anton. orat. ad milites. *Cerda.*

Telisque volatile.] Cato: *Sub tela volantia.* Servius.

695. *Nova cæde rubescunt.*] *Nova cæde*, magna, nimia. Nam non dicit re vera nova arva, sed *nova cæde*. Homerus *ἐρυθαίνετο αἵματι γαῖα.* sed non est hoc *rubescunt*. Idem.

Arva.] Ut *campus*, sic etiam *arva* de mari. Oppian. 1. *ἁλιευτ.* in exitu lib. *ποσειδάωνος ἀλωή.* *Neptuni area.* Pin. Od. 1. Pyth. *πλάκας πόντου.* Sedul. l. 3. *& vasti premit arva freti.* Iterum;

Libera per vitreos movit vestigia campos.

Sidon. epist. 2. l. 2. *Pelagi mobilis campus cymbalis late secatur pervagabilibus.* Vide plura lib. 10. ad illud, *campos salis ære secabant.* Cerda.

696. *Patrio vocat agmina sistro.*] Cleopatra sibi tantum adsumpserat, ut se Isin vellet videri. Isis autem est genius Ægypti, qui per sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus recessusque significat: per sitellam, quam sinistra manu retinet, ostendit adfluentiam omnium lacunarum. Isis autem lingua Ægyptiorum est terra: quam Isim volunt esse. Hanc Isim & alios deos ideo Ægyptii colunt, quia deos reges habuisse dicuntur: Ergo in opprobrium Alexandrini exercitus, pro classico sistrum posuit; quod autem ait *Vocat agmina*: hoc est quod superius dictum est, & Augustus in commemoratione vitæ suæ refert, *Antonium jussisse ut legiones suæ apud Cleopatram excubarent, ejusque nutu & jussu parerent:* bene ergo *Vocat agmina*, quæ signum dabat. *Servius.*

Patrio vocat agmina sistro.] Ac si *Isis* esset & Genius Ægypti. Propert. l. 3. eleg. 9.

Scilicet incesti meretrix regina Canopi
Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin,
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro, &c.

Erat autem *sistrum* instrumentum è metallo arguto, quo in sacris Isidis utebantur: *παρὰ τὸ σείεσθαι.* Vide Turneb. lib. 26. cap. 33. *Taubm.*

697. *A tergo respicit anguis.*] Hoc est, nondum videbat mortem futuram. Traditur enim, ne ad Triumphum Augusti adservaretur, admoto sibi aspide defecisse: tum *geminos*, cum unum sibi admoveretur. *Servius.*

Geminos anguis.] An morsu anguium, an alio veneno interierit Cleopatra, nulla certa historia compertum. Lege Plutar. in vita Antonii, & Cedrenum pag. 150. Tantum Poëta locutus ad opinionem Augusti, qui ex duabus punctionibus, quæ visæ in brachio Cleopatræ, credidit morsu aspidis interiisse. Inde gestata est in triumpho imago Cleopatræ cum aspide fera affixa mordicus brachio. Sed quare illud, *non*

Omnigenumque deûm monstra & latrator Anubis,
Contra

respicit? Jactabatur (ait Plut.) jussisse Cleopatram, ut ita bestia contecta afferretur, ut illa ipsius ignorantis Cleopatræ corpus invaderet, μηδὲν ἐπισταμένης, ait scriptor. Et *gemini angues*, quia *geminæ punctiones*, de quibus Plut. Ita etiam Prop. lib. 3. Eleg. 11.

Brachia spectavi sacris admorsa colubris.

A Virg. Martialis lib. 4.

Elidit geminos infans nec respicit angues.

Cerda.

698. *Deûm monstra.*] Ideo *monstra* dixit, quia sub Augusto necdum Romani Ægyptia sacra susceperant. Et admittebat locus pro laude Augusti aliquid etiam in deos inclementius dici, Varro indignatur Alexandrinos deos Romæ coli. *Servius.*

Deûm monstra.] Juven. Sat. 15. *portenta* vocat. Qua voce usus quoque Minutius, & S. Cyprian. de idol. vanit. Cic. lib. 3. de Nat. *Omne fere genus bestiarum Ægyptii consecrarunt.* Nazian. Orat. 2. contra Julian. Ægyptiorum Deos vocat θηρία σύμβιλα, *bestias conflatas.* & Orat. 24. numerat omnium reptilium plasmata. Dixi in genere. Si bestias numerem, quis finis? Juvenalis numerat *crocodilum*, *ibidem*, *cercopithecum.* Prudentius *simiam*, scribens in Symm. Plinius lib. 3. cap. 11. *scarabæos.* Tertull. Apolog. *Cynocephalum.* Plutarch. 4. Sympos. *gryphem*, *felem.* Phil. περ. δέκ. λόγ. *canes*, *lupos*, *accipitres.* Euseb. lib. 2. Præp. cap. 1. *bovem*, *ovem*, *ichneumona aquilam*, *hircum*, *Panas*, *Satyros.* Max. Tyr. dissert. 38. *Nili pisces.* Adde *lactucas*, *cæpe*, *allia*; unde illud,

Felices gentes quibus hæc nascuntur in hortis Numina. ——

Merito igitur Virgil. *Omnigenumque Deûm monstra.* & Cyrill. Alexand. in Mich. cap. 7. num. 71. τὰς βδελυρὰς τε καὶ ἀκαθάρτους τῶν δαιμόνων ἀγέλας. Tertull. Apolog. *Deorum dedecus.* & Plutar. 4. Symp. Deorum Ægyptiorum, meras ἀλογίας, *ineptias* nominat. *Cerd.*

Latrator Anubis.] Quia capite canino pingitur, hunc volunt esse Mercurium: ideo quia nihil est cane sagacius. Bello autem Gigantum plures deos ferarum formas accepisse traditur. *Servius.*

Latrator Anubis.] In codicibus aliquot antiquis, *natator Anubis* syllaba reclamante legitur, cum interpretatione superaddita *sagax.* Natatores enim nonnunquam proverbiali schemate de iis dici solet, qui abditissima quæque pervestigant: deque remotissimis penetralibus aliquid indagando eruunt, quum de stupidis contra & rerum omnium ignaris dici soleat μήτε νεῖν μήτε γράμματα. Sed enim Virgilius ænigmata hujusmodi solitus est abhorrere. Quare *latrator* omnino tam ex probatioribus exemplaribus, quam etiam ex Ovidii Synepeia legendum. Apud eum enim Metamorph. IX. *Cum qua latrator Anubis. Anubis* enim apud Ægyptios canino capite figurabatur. Quæ vero multa de hujusmodi pictura dici possent, alterius esse negotii existimamus. *Sagax* autem etiam canis. *Pierius.*

Latrator Anubis.] Nam colebatur hic Deus canino capite, quod scribit Plutarch. de Is. & Osir. & Euseb. de Præp. lib. 2. cap. 1. Unde Lucan. l. 8. *semicanes dii.* Eundem hunc fuisse cum Cynocephalo, cui caninum caput, certum est. Sunt & qui putent vere hunc Mercurium fuisse, ut Serv. hic. Et juvant verba ista Apul. *Ille superûm commentor, & inferûm, nunc atra, nunc aurea facie sublimis, attollens canis cervices arduus Anubis, læva caduceum ferens, dextra palmam virentem quatiens.* Plutar. etiam de Is. & Os. ait *Anubin* vocatum aliquando *Hermanubin.* Hermes autem Mercurius est. Ut Virg. ita & Ovid. 9. Metamorph. & Prud. 2. Symm. *latratror Anubis.* Idem Prud. in Apoth. & Prop. Eleg. 11. lib. 3. *latrantem Anubin.* Cerda.

699. *Con-*

Contra Neptunum & Venerem, contraque Minervam
Tela tenent. ſævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro, triſteſque ex æthere Diræ;
Et ſciſſa gaudens vadit Diſcordia palla:
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Deſu-

699. *Contra Neptunum.*] Homerum ſequitur, qui deos dicit contra ſe pro diverſis partibus habere certamen. Et quidam latenter illud tetigiſſe Virgilium volunt, quod Plinius Secundus in hiſtoria naturali dicit, quod Antonii navem piſcis Echen retinuerit, qui piſcis Latine *Remora* dicitur. *Servius.*

701. *Cælatus ferro.*] Aut in armis locatus: aut de ferro ſculptus, ſcilicet metallo ſibi congruo: aut ſævit ferro. *Idem.*

Diræ.] Diræ proprie ſunt ultrices deæ, & bene has intereſſe dicit prælio: aut à Jove miſſas ad terrorem Ægyptiis inferendum, aut puniendum Antonium, qui matrimonii læſerat fidem. *Idem.*

Triſtes Diræ.] In Rom. cod. & in Mediceo *divæ* legitur: ſed *diræ* magis placet, quod agnoſcit Servius. Tametſi *divæ* cum epitheto *triſtes*, periphraſis *dirarum* eſſe poſſit. *Pierius.*

Diræ.] Bene *Diras*, id eſt, ultrices deas, & *Diſcordiam* & *Bellonam* comites facit Martis: ut alibi *Terrorem* & *Pavorem* & *Contentionem.* Vide Turn. l. 23, 14. *Taubm.*

702. *Sciſſa Diſcordia palla.*] Utrum *ſciſſa palla* gaudens, an *ſciſſa palla* vadit, & ſeorſum gaudens? Ideo autem *Diſcordia*, quia unius civitatis & cives principes erant, & bene *Diram* Diſcordia ſequitur, quam Bellona comitatur. Nam per diſcordiam venitur ad bellum, in quo neceſſe eſt ſanguinem fundi, ideo ait *ſanguineo flagello.* Horatius, *Ira, truces inimicitias, & funebre bellum.* Servius.

Sciſſa Diſcordia palla.] Egregia Diſcordiæ hypotypoſis ſub humana figura. Ita apud Stat. lib. 7. ſub humana forma, *geminumque tenens Diſcordia ferrum.* Latam peſtis hujus deſcriptionem habet Petron. & inter alia, plane ut Virg.

—*ſciſſo Diſcordia crine.*

& paulo poſt:

Atque inter toto laceratam pectore veſtem
Sanguineam tremula quatiebant lampade dextram.

Sic de Luctu Stat. 3. Theb. *ſanguineo diſciſſus amictu.* & de eodem Claud. 1. Ruff. *ſciſſo mærens velamine.* & de Perfidia Conſ. Manl. Theod. *fractis ut lugeat armis.* Vide multa in Dione Chryſoſt. qui ſæpiſſime hujus peſtis meminit in re civili. Lege & cap. 35. Sen. lib. 2. de Ira, ubi mire, adductis etiam, & expenſis Virgilii locis. *Cerda.*

703. *Quam conſanguineo.*] Legendum diſtinctis dictionibus, *cum ſanguineo:* quod inſcitia librariorum fere paſſim corrumpitur. *Pierius.*

Quam cum ſanguineo.] Solebant Bellonæ miniſtri brachia ſibi cruentare &c. Vide & Turneb. l. 8. c. 23. Sane Fetialis etiam haſta ſanguinea & cruenta bellum indicebat, teſte Livio. *Taubmannus.*

704. *Actius hæc cernens.*] Quem poſtea Actium nominavit Auguſtus. *Servius.*

Accius hæc cernens arcum intendebat Apollo.] *Actius* hic legendum, ut ſuperius adnotatum. Eſt vero in Mediceo, *tendebat* ſimplex verbum, ut apud Horatium, *Neque ſemper arcum tendit Apollo.* Pierius.

Actius Apollo.] Semper Trojanis Romaniſque faventem inducit Apolli-

 nem,

Desuper: omnis eo terrore Ægyptus & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & laxos jam jamque immittere funis.
Illam inter cædes pallantem morte futura
Fecerat ignipotens undis & Iapyge ferri:
Contra autem magno mærentem corpore Nilum,

Pan-

nem, & Juliæ familiæ veluti præsidem. *Actius* dicitur, vel quasi litoralis, ἀπὸ τῆς ἀκτῆς· unde & *Litorales dii*, apud Catull. ἀκταῖοι θεοί. Idem & in Leucadio illo litore colebatur: & litora ei grata esse Homerus etiam ostendit. vel ab *Actio* promontorio: vel, occulta allusione & vocum parechesi allusit ad *Acciam* Augusti matrem in æde Apollinis à dracone compressam. Vide Turneb. lib. 21, 9. inprimis Pimpont. *Taubmannus.*

705. *Ægyptus & Indi.*] In antiquis *Æguptus.* Valerius vero Probus *Æguptos* per *os* agnoscit, ubi hujus carminis exemplo rectum in *os* quorundam nominum corripi tradit. *Pierius.*

Ægyptus & Indi.]. Vide Turneb. l. 21, 9. Adversar. *Taubm.*

706. *Omnis Arabs.*] In codicibus aliquot antiquis *Araps* per *p* scriptum est: nempe quia sonus literæ ψ in *ps* exire videretur. Hinc Scaurus, ut alibi dictum, ait voluisse nonnullos *opstitit* etiam per *p* scribere. Sed enim inesse *b* mediam literam in litera ψ declarant obliqui casus, ut ἄραψ ἄραβος. Et tamen eam, quam tangit Scaurus, consuetudinem mutandi *b* in *p* ante *s*, quod ψ sonaret in plerisque veterum inscriptionibus animadverti, ut quam è regione sacelli Divi Eustachii legisse me superius ostendi, AUT HANC ARAM APSTULERIT. & ita in plerisque aliis locis. *Pierius.*

Vertebant terga Sabæi.] Omnes isti populi Orientis sunt. *Servius.*

707. *Ipsa videbatur ventis, &c.*] Apud plures Cleopatram priorem fugisse, post insecutum Antonium. *Idem.*

708. *Vela dare.*] Qui leget Plut. & Romanos alios Scriptores, videbit fugam istam incepisse à Cleopatra, quam deinde secutus est Antonius, cum tamen ejus milites perseverarent in acie, fortissime absque duce pugnantes. Florus cap. 11. lib. 4. *Prima dux fugæ Regina cum aurea puppi, veloque purpureo se in altum dedit.* Vide & Prop. Eleg. 6. l. 4. *Cerda.*

Jam jamque.] Scilicet aviditate fugiendi. Et bene *jam jamque* addidit, quia tempus operis in pictura declarare non poterat. *Servius.*

709. *Inter cædes.*] Inter suorum cadavera. *Idem.*

Morte futura.] Omine mortis futuræ. *Idem.*

710. *Iapyge ferri.*] Vento, qui de Apulia flans, optime ad Orientem ducit. Iapygia enim Apulia dicta est. Horatius, *Obstrictis aliis præter Iapyga.* Quem Varro de ora maritima Argesten dicit, qui de Occidente æstivo flat, hic in Apulia pestilens est. *Idem.*

Iapyge ferri.] In antiquis aliquot *Iapuge*, ut ejusmodi pleraque. *Pierius.*

Iapyge.] *Iapyx* ventus idem, qui *Chaurus*, sive *Argestes*; peculiari vero appellatione sic vocatus à Calabris, quod ex Iapygia sive Apulia veniens ipsis infestus esset. Iapygiæ autem sinus, ex quo *Iapyx* in Calabros flabat, sine dubio ille sinus est, in quo Ἰαπυγίαν ἄκραν collocant Græci, qui est in ipso ore sinus Tarentini: ut egregie ad Solinum docet Salmasius, quem omnino vide, pag. 1256. & seqq. *Emmeness.*

711. *Magno corpore.*] Aut ita eum tanquam deum magno corpore formatum acci-

Pandentemque ſinus & tota veſte vocantem
Cæruleum in gremium latebroſaque flumina victos.
At Cæſar, triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, dîs Italis votum inmortale ſacrabat
Maxima

accipiendum eſt, aut *magno* ſeptemfluo, & non corpore mœrentem, ſed magno corpore pandentem ſinus. *Servius.*

Magno corpore.] Ad Nili magnitudinem, quam hic celebrat Poëta, advoco verba Simocattæ lib. 7. cap. 16. à quo Nilus, cum is prodigioſe humana forma apparuit in ipſis undis, ita deſcribitur. Omitto Græca, ut multa. *Obſtupendæ magnitudine, facie Gigantis, ferus aſpectu, ſubflavus coma, eaque canis intermiſta, mula adſimiles habitatoribus hominibus, quique ad palæſtram exercentur, lumbi nautici, pectus validum, humeri lati, qualeſque Heroum, brachia toroſa.* Additque de hoc tam grandi homine, λόγος δὲ ἐκεῖνον αὐτὸν πεφυκέναι τὸν Νεῖλον· *Rumor fuit hunc illum fuiſſe fluvium Nilum.* Ex verbis Simocattæ explico locum Cedreni pag. 328. Ait ille apparuiſſe in Nilo (præternavigante amnem hunc Mena præfecto Ægyptiorum) monſtra duo, viri unum, feminæ alterum. Simulacrum viri hoc erat: εὔςολος, εὔςερνος, καταπληκτικὸς τὴν ὄψιν, ξανθὸς τὴν κόμην, μιξοπόλιος, καὶ μέχρι τῆς ὀσφύος ἐγύμνου τὴν φύσιν, τὰ δὲ λοιπὰ μέρη τοῦ σώματος τὸ ὕδωρ ἐκάλυπτε· *Vir erat bene compoſitus, amplo pectore, terribili aſpectu, fulvo crine, intermiſtis canis, uſque ad lumbos nudus, ceteras partes aqua tegebat.* Mox adhibet ſpeciem feminæ, quæ huic monſtro comes, ejus fortaſſe uxor. Talia quippe Gentiles connubia. *Cerda.*

712. *Pandentem ſinus.*] Alluſum ad Nili ſeptem oſtia. Theocr. in Europ. ἑπταπόρῳ Νείλῳ. Ab Plin. Paneg. Trajani Nilus dicitur *panditor amnis*. Idem.

Tota veſte.] Putat Giſ. legendum *torta*. Nam Auſon. Moſell.

Naviger undiſona dudum me mole Saravus
Torta veſte vocat. ——

Verum eſt tamen à multis legi in Auſon. *tota.* Et quamvis non reſpuam lectionem Giſanii, ſed mihi certe plenius dici videtur *tota*; quaſi Nilus ſinus aperiret, & veſtem totam panderet ad tegendos fugientes. *Idem.*

713. *Vocantem Cæruleum in gremium.*] Hoc de hiſtoria eſt. nam legitur Cleopatram præſagio mortis futuræ oblitam eſſe receſſus Ægypti petere: in quibus facile poterat bella reparare. De qua re ſe moriens dicitur increpaſſe. Bene ergo poëta adjicit hortatum fuiſſe Nilum ut interius fugeret, ideo *tota veſte vocantem cæruleum in gremium.* Servius.

Latebroſaque flumina.] Quia Nili origo neſcitur: licet Plinius dicat haud longe ab Æthiopia Maurorum, poſt majorem Atlantem, lacum eſſe ex quo Nilus erumpit. Quod videtur eſſe veriſimile ex belluarum ſimilitudine. *Idem.*

714. *Triplici triumpho.*] Tres enim Auguſtus habuit triumphos. Nam primo die triumphavit exercitus, qui Antonium vicerat navali bello. Secundo, qui Dalmatas vicerat. Tertio, ipſe cum Alexandrino eſt ingreſſus triumpho. *Idem.*

Triplici triumpho.] Nam videlicet Auguſtus *Curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes*; verba ſunt Suet. c. 22. Videndus etiam Dio l. 51. Julianus tamen in Sermone de Cæſaribus, tria potiſſimum bella inducit Auguſtum commemorantem, videlicet *Germanicum, Actiacum, Philippenſe*: ubi neque Dalmatici neque Alexandrini meminit; & de Siculo ait, fuiſſe tanquam ſuorum operum πάρεργον. *Cerda.*

715. *Dîs Italis votum inmortale ſacrabat.*] Videtur ædem Apollinis dixiſſe, quæ eſt in Palatio. *Servius.*

Votum inmortale ſacrabat.] Hoc eſt, nun-

Maxima tercentum totam delubra per urbem.
Lætitia ludiſque viæ plauſuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras terram cæſi ſtravere juvenci.
Ipſe, ſedens niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoſcit populorum, aptatque ſuperbis
Poſtibus; incedunt victæ longo ordine gentes,

Quam

nuncupatis votis debitum conſecrabat. *Germanus.*

716. *Tercentum.*] Hoc eſt pro multos. *Servius.*

717. *Ludiſque viæ, plauſuque fremebant.*] Hoc eſt, compitalitii ludi celebrati ſunt. Et eſt Zeugma, nam & *delubra fremebant.* Idem.

Ludiſque viæ.] In Oblongo codice *luſu* legitur: quod non æque placet. *Pierius.*

Plauſuſque fremebant.] Ita optat l. 3. Propert.

Ante meos obitus ſit precor ille dies:
Quo videam ſpoliis oneratos Cæſaris axes,
Ad vulgi plauſus ſæpe reſiſtere equos.

Cerda.

718. *Omnibus aris.*] In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, legere eſt *omnibus aræ*, quod longe magis placet. *Aræ* enim ad preces extruebantur. *Pierius.*

720. *Candentis limine Phœbi.*] In templo Apollinis in palatio de ſolido marmore effecto, quod adlatum fuerat de portu lunæ, qui eſt in confinio Tuſciæ & Liguriæ, ideo ait *candentis.* Servius.

Candentis limine Phœbi.] Aſcenſius, *candentis*, reſplendentis interpretatur. Certe hic, *candentis* μαρμαίροντος accipio ἀπὸ τῆς μαρμάρου, qua voce & marmor, & marmoris luciditas ſignificatur, & μαρμαρυγή. *Germanus.*

721. *Dona recognoſcit populorum.*] Aurum coronarium dicit: quod triumphantibus hodieque à victis gentibus datur. Imponebant autem hoc imperatores propter conceſſam vitam. Ideo ergo dicit *Dona*: Si hoc non eſſet, ſpolia diceret. *Servius.*

Dona recognoſcit populorum.] Aurum coronarium dicit. Id ſpecie triumphorum vel oblatum, vel exactum. Origo fuit, ut ſocii & amici victori Imperatori coronas aureas offerrent, quaſi gratulantes, & meritum ei caput cingentes, quæ ante ipſum in triumpho prælatæ, populo oſtendebantur. Poſtea invaluit, ut pro iis pecunia & aurum in coronas offerretur, & hoc proprie *aurum coronarium.* Lipſius de magnit. Rom. lib. 2. cap. 9. Id auri Suetonius quoque ſcribit in Circo offerri ſolitum à populo. *Hortenſ.*

Aptatque ſuperbis poſtibus.] Porticum enim Auguſtus fecerat, in qua ſimulacra omnium gentium conlocaverat, quæ porticus appellabatur *Ad nationes.* Servius.

722. *Incedunt victæ longo ordine gentes.*] In codicibus aliquot antiquis, *matres* non *gentes* habetur. Sed *gentes* rem facit ampliorem: & ſtatim ad earum ſpecies deſcendit, genere jam poſito. *Pierius.*

Incedunt victæ longo ordine gentes.] Hæret mori. Herodian. καλὸν σοι θριαμβεύοντι τε καὶ δεσμίους ἀπάγοντι, καὶ αἰχμαλώτους βασιλεῖς τε, καὶ σατράπας βαρβάρους. *Glorioſum tibi triumphanti erit, vinctoſque, & captivos Reges præteragenti, ac ſatrapas barbaros.* Plin. Paneg. *Video jam cernere non ſpoliis Provinciarum, & extorto ſociis auro: ſed hoſtilibus armis, captorumque Regum catenis triumphum gravem.* Symm. epiſt. 57. lib. 10. *Vidimus, quæ acta miramur, catenatum agmen victæ gentis induci,*

Quam variæ linguis, habitu tam vestis & armis.
Hic Nomadum genus, & discinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,

Extre-

duci, illosque jampridem truces vultus misero pallore mutatos. Ovid. 1. Art. de triumpho Augusti:

Ibunt ante duces onerati colla catenis,
Ne possint tuti, qua prius, esse fuga.

Cerda.

723. *Quam variæ linguis.*] Lucret. lib. 5. *Quove modo genus humanum variante loquela Cœperit:* unde & *μέροπες ἄνθρωποι.* *Lingua* autem ut & apud Græcos à Latinis pro dialecto sæpe usurpatur, ut apud Hom. *ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα.* *Germanus.*

724. *Hic Nomadum genus.*] Atqui Antonius Orientis habuit populos: sed intelligamus has gentes Africæ operas suas locasse: & simul cum Antonio ab Augusto esse superatas. *Servius.*

Hic Nomadum genus.] In antiquis plerisque codicibus, *Numidum* legitur, quo pacto gentem eam ab Romanis appellari tradit Appianus, ut alibi diximus. *Pierius.*

Discinctos.] Vel habitum eorum ostendit, qui usque in talos fluebat. Quod Plautus ridet in Pœnulo dicens, *Quænam illæc avis est?* cum Afrum vidisset vestem demissam trahentem; neque enim utuntur hodieque zonis; Aut *discinctos* dixit, inhabiles militiæ. Omnes enim, qui militant, cincti sunt. Aut certe inefficaces: ut contra *præcinctos*, strenuos dicimus. Horatius, *Altius ac nos præcincti sunt.* Unde & Græce *εὔζωνος* appellatur, non qui bonam zonam habet, sed strenuus. *Servius.*

Mulciber.] Vulcanus: ab eo quod totum ignis permulcet: aut quod ipse mulcatus pedes sit, sicut quibusdam videtur, aut quod igni mulcatur. *Idem.*

Mulciber.] Vulcani epitheton, quod omnia mulceat ignis. Vide Macrob. lib. 6. cap. 5. *Hartung.*

725. *Lelegas.*] Thessalos. Lucanus de Thessalia, *Mox Lelegum dextra pressum descendit aratrum.* Servius.

Carasque.] Caræ insulani populi fuerunt piratica famosi, victi à Minoë, ut Thucydides & Salustius dicunt. *Idem.*

Lelegas, Carasque.] Hos Strabo l. 7. eosdem esse censet: aut certe contermini fuere. Ovid. 9. Met.

Caras & armiferos Lelegas, Lyciamque pererrat.

Vide Beroald. Annot. in Servium. *Taub.*

Gelonos.] Populus Scythiæ. *Servius.*

726. *Finxerat.*] In Romano codice *tinxerat.* in aliquot aliis *fixerat.* utrunque Librariorum negligentia. *Pier.*

Euphrates ibat jam mollior undis.] Sentiens quasi se esse superatum. Horatius, *Minores volvere vertices.* Servius.

Euphrates mollior.] Vocem *mollitudinis* non vulgari significatione accipiendam existimo, & præmitto Græcam cognitionem. *τέρην* Græcis, id est, *tener*, & *mollis*, ducitur à verbo *τείρω*, id est, *vexo, affligo*; quasi illa dicantur tenera, quæ attrita jam & vexata. Sic & apud Plautum in Mil. Glor. *Mitis sum equidem fustibus.* Idem Curcul. *Hisce ego, si tu me irritaveris, placidum te hodie reddam.* Terent. quoque Eunuch. *commitigari sandalio caput.* Ergo Euphrates *mollior*, erit, afflictus jam ac bello domitus, & vexatus; non aliter, quam si quis pellem tundendo, mollem reddat ac teneram. Est hoc, quod Horat. Od. 9. lib. 2.

Medumque flumen gentibus additum
Victis, minores volvere vortices.

Tale & illud veteris inscriptionis factæ in honorem Drusi,

Dum tibi Roma decus, æternaque sudo trophæa,
Ister pacatis lenior ibit aquis. Cerda.

 727. Ex-

Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis;
Indomitique Dahæ, & pontem indignatus Araxes.
Talia, per clipeum Volcani, dona parentis
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet;
Attollens humero famamque & fata nepotum.

727. *Extremique hom.*] Ἔσχατοι ἀνδρῶν· Scilicet in finibus Galliæ, qui ſpectant Britanniam, quæ Romanis olim Alter Orbis cenſebatur: ut notat Turneb. l. 22. c. 11. Plin. l. 19, 1. *Ultimi hominum exiſtimati Morini.* Ita & Hom. Odyſſ. α. Æthiopes vocat ἐσχάτους ἀνδρῶν. Alii etiam ἀγχιάλους, *maritimos* ex Euſtath. interpretantur. *Taubm.*

Morini.] Populi in Galliæ finibus, qui Britanniam ſpectant, proximi Oceano. *Servius.*

Rhenuſque bicornis.] Fluvius Galliæ, qui Germanos à Gallia dividit. *Bicornis* autem, aut commune eſt omnibus fluviis, aut proprie de Rheno, quia per duos alveos fluit: per unum qua Romanum imperium eſt: per alterum qua interluit Barbaros. Ubi jam Vahal dicitur & facit Inſulam Batavorum, *Idem.*

728. *Indomitique Dahæ.*] Scythiæ populi à parte Septentrionali juncti Perſidi, unde *Dani* dicti. *Idem.*

Indomitique Daci.] Nomen hujus gentis varie ſcibitur in antiquis codicibus. Nam codices omnino ſunt, in quibus *Daci* ſcriptum habeatur. In aliquot *Dacæ.* In Rom. codice *Dahæ*, adſpiratione interjecta, unde factum ut etiam *Dachæ*, veluti accidit in *nichil*, alicubi notatum inveniatur. Sed enim *Daæ* recipitur ab eruditis, qui ſunt Scythiæ populi. Hermolaus Byzantinus, ut ex Stephani compendio legitur, Δάαι, σκυθικὸν ἔθνος, εἰσὶ δὲ νομάδες. λέγονται καὶ Δάκαι μετὰ τοῦ κ. In quo advertendum eſt impreſſos codices corruptos eſſe. Sed enim & *Daci*, ex regione *Dacia*, juxta Boryſthenem dicuntur, quos à Græcorum conſuetudine in comœdiis *Davos* appellamus, pro ſervorum nominibus. Eos Attici Δάους dicunt. Vergunt illi in Germaniam, & ad Iſtri fontes, ut idem auctor eſt Hermolaus.* *Pierius.*

Pontem indignatus Araxes.] Hic Armeniæ fluvius, cui Alexander Magnus pontem fecit, quem fluminis incrementa ruperunt, poſtea Auguſtus firmiore ponte eum ligavit, unde ad Auguſti gloriam dixit *Pontem indignatus Araxes.* Servius.

Indignatus.] Ita dictum à Plut. (ait Victorius lib. 36. cap. 10.) ἀγανακτέω de vino, quod fervet, & ſe claudi ægre patitur, neque vult vaſe contineri. οὐ γὰρ τὸν οἶνον εἰκός ἐστι μόνον ζῆν, καὶ ἀγανακτεῖν. De mari Valer. 1. Arg.

Oceanus Phrygios prius indignatus Iülos.

Pari emphaſi Claudian. 6. Conſ. Hon.

Atque indignantes in jura redegerit Arctos.

Sed iræ iſtæ imprimis Araxi conveniunt, qui ab Appiano in Parthicis dicitur ἐν βάθει καὶ τραχύτητι χαλεπός· *aſper profunditate, & rapiditate.* Cerda.

729. *Per clipeum Volcani, dona parentis.*] Hic diſtinguendum, nam *Vulcani parentis* non procedit. *Servius.*

Per clipeum Volcani.] In antiquis *per clupeum Volcani.* de cujus utriuſque ratione, ſatis ſuperque ſuperius diſputatum. *Pierius.*

730. *Rerumque ignarus imagine gaudet.*] Ignarus erat veritatis, ſed triumphorum imagine delectabatur. *Servius.*

731. *Attollens humero, &c.*] Si *fata* legeris, hoc eſt, quod nepotes fataliter fecerunt. Hunc verſum notant Critici, quaſi ſuperfluo & inutiliter additum, nec convenientem gravitati ejus, namque eſt ejus magis neotericus. *Idem.*

P. VIR-





G. Appelmans. sculpsit.

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS
LIBER NONUS.

ARGUMENTUM.

Absente Ænea, & in Tuscia conquirendis auxiliis occupato, Turnus à Junone per Iridem admonitus, ne tantam rei bene gerendæ occasionem amitteret, quam proxime ad hostiles copias admovet. Qui cum suis se mœnibus continerent, neque æquo loco facerent dimicandi potestatem, ut illis spem omnem fugæ intercluderet, classem exurere conatur. Erat ejus classis materia ex Idææ matris luco cæsa: quapropter matris precibus adductus Jupiter, naves omnes instanti incendio eripuit, & in totidem nymphas marinas convertit. Post hæc imminente jam nocte, Turnus adversus hostium eruptiones ad oppidi portam excubias disponit: iis Messapum præficit. Interim consultantibus Trojanorum ducibus, quemnam potissimum ad Æneam mitterent, qui de suorum periculo eum faceret certiorem, ultro eam provinciam suscipiunt Nisus & Euryalus, conjunctissimum amicorum par: qui cum urbe emissi, hostium excubias vino somnoque obrutas offendissent, Rhamnetem cum magno Rutulorum numero trucidant, eorumque se spoliis exornant. Verum cum instante jam luce se recipere conantur, à Volscentis equitibus conspecti, ad silvas confugiunt. Ibi Euryalus armorum pondere, viaque errore impeditus, in hostes incidit, & à Volscente, frustra deprecante Niso, confoditur. Nisus quoque cæso Volscente, & Euryali nece strenue vindicata, multis vulneribus confossus super amici corpus concidit. Capita hastis affixa, in castra deferuntur, ubi à Trojanis è mœnibus agnita, ingentem in urbe luctum excitant. Interim Turnus totis viribus hostes oppugnat, magna utrinq; strages editur. Ibi Ascanius Numanum, insolentius se jactantem, sagittæ ictu interficit. Pandarus & Bitias successu elati portam recludunt, hostesque subeuntes ingenti cæde propellunt. Ejus rei nuntio accepto, Turnus per portam patentem in oppidum irrumpit, Trojanosque in fugam convertit, tandem hostium multitudine circumventus, paulatim cedit ad eam oppidi partem, qua fluvio alluitur: & ut erat armatus, flumen tranans incolumis ad suos revertitur.

ATque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Irim de cælo misit Saturnia Juno

Auda-

1. ATque ea diversa penitus dum parte geruntur.] In hoc libro mutatio est omnium rerum. Nam & aliæ personæ, & loca alia sunt, & aliud negotium incipitur. Ab Ænea enim transit ad Turnum, à Tuscia ad Ardeam, à petitione auxiliorum ad bellum; quem transitum quidam culpant, nescientes Virgilium prudenter junxisse superioribus negotiis sequentia, per illam particulam; *Atque ea diversa penitus dum parte geruntur.* Scilicet dum offeruntur arma, dum dantur auxilia; *Dum* enim cum sit conjunctio, hic tamen adverbii vim obtinet. Terentius, *Mea nihil refert dum potiar modo.* Sane formatus est iste liber ad illa Homeri, ubi dicit per noctem egressos esse Diomedem & Ulyxem cum capto Dolone castra penetrarunt; nam partem maximam & œconomiæ & negotiorum exinde habet. *Servius.*

Atque ea diversa, &c.] Liber hic nonus fere totus expressus est ex Il. *κ.* qui

Audacem ad Turnum. luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.

qui δολωφονία, seu, νυκτεγερσία, inscribitur. *Ursinus.*

Diversa penitus.] Valde diversa, id est, longius remota, vel apud Pallanteum, vel in Etruria. unde paulo post dicit, *Nec satis, extremas Coriti penetravit ad urbes, Lydorumque manum.* Serv.

Diversa.] A Trojanorum castris remota. Sic in quinto: *Quo diversus abis,* id est, à me remotus. *Donatus.*

2. *Irim.*] Iris quasi ἔρις dicta est: nunquam enim ad concilationem mittitur sicut Mercurius, sed ad disturbationem. Et est ministra non tantum dearum, sed & deorum; nam præter Homerum & Virgilius hoc probat dicens, *Aëriam cœlo nam Iuppiter Irim Demisit, germanæ haud mollia jussa ferentem.* Servius.

3. *Audacem ad Turnum.*] Fortem sine felicitate, sicut de Pallante diximus: & modo audaciæ laus opportuna, quia ad audendum exhortandus est. *Id.*

Audacem.] Inconsultum & temerarium. Iris vero hinc hortatur, illinc objurgat. *Donatus.*

Audacem.] Serv. explicat *fortem sine felicitate.* Donat. *inconsultum, & temerarium.* Præfert hunc Servio Noster Delrius. Quia audacia semper à Poëtis cum temeritate conjungitur. Probat ex Seneca, Horatio, Claudiano. Ego ex Sophocle, qui Elect. conjungit θρασύτητα, id est, *dicta temeraria*, cum his, quæ πέρα δίκας, id est, *cum fiunt, aut dicuntur petulanter, & extra æquum.* Ibidem conjungit θράσος, & ἀβουλίας, quasi ubi audacia, ibi & temeritas. Arnob. etiam lib. 2. conjungit *audaces, temerarios.* Cerda.

Parentis Pilumni.] *Pilumnus* & *Pichumnus* fratres fuerunt, & dii. horum *Pithumnus* usum stercorandorum invenit agrorum: unde & *Sterquilinius* dictus est. *Pilumnus* vero pinsendi frumenti, unde & à pistoribus colitur. Ab ipso etiam *pilum* dictum est. Quidam *Pilumnum* & *Pithumnum* Castorem & Pollucem accipiunt, nonnulli laudum deos. Varro conjugales deos suspicatur. *Servius.*

Parentis.] Immo *Avi.* nam *Pilumnus* genuit Daunum: hic Turnum. vide tamen 10. Æn. ✠s. 619. *Taubm.*

4. *Sacrata valle.*] Ideo *Sacrata*, quia, ut diximus supra, nunquam est lucus sine religione. *Servius.*

Sedebat.] Ut Asper dicit, *erat*, quæ clausula antiqua est, & de usu remota. Secundum Plaut. autem, *Sedere*, est *consilium capere*, qui inducit in Mostellaria servum dicentem, *Sine juxta aram sedeam & dabo meliora consilia.* Sed secundum augures, *sedere* est *augurium captare:* namque post designatas cœli partes à sedentibus captabantur auguria: quod & supra ipse ostendit latenter, inducens Picum solum sedentem, ut, *Parvaque sedebat Succinctus trabea:* quod est augurum, cum alios stantes induxerit: Ergo *sedebat*, aut erat, aut consilia capiebat, aut augurabatur. Unde & hic locus vice ædis sacratæ accipi debet, quod plenius illo loco dictum est, *Hoc illis curia templum.* Aut quia in locis sacris sedentes, consilia habituri erant, curiam in templo haberent, quod Numa cum sciret, Vestæ ædiculam non templum statuit, ne ibi Senatus haberi posset, & ipsa necessitate vir introiret locum. Nam & ipsa consilia à sedendo quasi *considia* dicta sunt. Sedentium enim animi tranquilliores fiunt. *Idem.*

Sedebat.] In ocio erat, & non tractibus necessariis vacabat, ut multi volunt. Vult enim Poëta illius inertia laudes Æneæ per comparationem extollere: & ut Æneam laudat à loco & frigore fluminis, sic hunc vituperat, quod in loco amœno ociaretur, cum Æneas per laborem subiisset nemora, & longinquas partes petisset. Misit ergo Irim Juno ut torpentem excitaret. *Donatus.*

Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti divûm promittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultro.

Æneas,

Sacrata valle sedebat.] Turneb. l. 23. c. 3. accipit de eo, qui mortuis feriatur, ut *Pilumnus* pro mortuo à Turno coleretur. Nescio tamen, an ad *Pilumni* ἀποθέωσιν potius poëta respexerit, cum diis ex hominibus factis heroïbus lucum sacrare antiquitati solenne esset, ut supra libro superiore, *Sylvano fama est veteres sacrasse Pelasgos Agrorum, pecorisque deo lucumque, diemque.* & l. 5. de Anchise jam inter deos relato: *atque hæc mea sacra quotannis Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis:* ut verisimile sit, Turnum tum in valle *Pilumno* sacra, tanquam in sacro & religioso loco consedisse, solitum quotannis divinos ei honores instaurare. *Germanus.*

5. *Thaumantias.*] Secundum poëtica, Thaumantis filia. Cæterum ex admiratione hoc nomen accepit, quæ admiratio de ejus coloribus nascitur. *Servius.*

Thaumantias.] Ἀπὸ τοῦ θαύματος. Qui de arcu multa velit, adeat Aristotel. Plutarch. Ammian. Sed quos non? *Cerda.*

6. *Turne.*] Nomine excitat, & proponit occasionem utilem non omittendam. *Donatus.*

Turne.] Exhortatoria oratio, ad invadenda castra hostium. Exordium à temporis expectati ratione ductum: locus ab opportuno. *Hortens.*

Divûm promittere nemo.] *Nemo*, pro *nullus* posuit, & est Acyrologia. nam, *divûm nemo*, non possumus dicere, cum proprie *nemo* sit *nec homo.* Servius.

Optanti divûm promittere nemo.] Par locus ille,

Ut quamvis avido parerent arva colono.

Itaque vota agricolarum superat proventus agri culti, & vota Turni occasio rei gerendæ. Terent. Phorm. *Quam sæpe temere eveniunt, quæ non audeas optare!* Sym. epist. 20. lib. 1. de Alexandro Magno: *cui supra votum fortuna fluxit.* Et Alexander ipse apud Curtium ad Medicum suum: *Si Dii, Philippe, tibi permisissent, quo maxime modo animum velles experiri meum, alio profecto voluisses: sed certiorem, quam expertus es ne optasses quidem.* Quod enim magnum erat, nec Deos ipsos posse facere dicebant Ethnici. Tale illud 6. Æneid.

Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere ferro
Cœlicolæ valeant. — Et in 5.
Magnanime Ænea, non si mihi Iuppiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœlo. Cerda.

Divûm promittere nemo.] De hoc pronomine Sosipater Charisius lib. 1. Instit. Grammat. pag. 75. *Nemo, in homine proprium est, quia significat ne homo. Antiqui & pro nullo posuerunt, ideoque nemo dicentes, quasi minus significarent, & homo addebant, ut Terentius: Num quis hic me sequitur? nemo homo est. & Lucilius 29. nemo est. ideo dixit: Quis tu homo es? nemo sum homo. Ac non solum de homine dicitur, sed de Diis. ut Virgilius 9. Turne, quod optanti Divum promittere nemo Auderet.* Plura exempla in quibus, *nemo* ponitur pro, *nullus*, vid. in Sanct. Minerv. pag. 305. & 306. *Emmeness.*

7. *Auderet.*] Docet per transitum multa interdum temporum ratione provenire, quæ numina præstare non possunt: quod etiam paulo post in Matris deûm petitione Juppiter probat dicens, *Cui tanta deo permissa potestas.* Servius.

Volvenda.] Pro *Volubilis.* Idem.

Volvenda.] Id est, *volubilis*, ut Servius: vel *voluta*, ut Turnebus; vel potius, *quæ volvitur*, ut Nannius: qui Misc. l. 5. c. 2. docet cum Linacr. Gerundia in *dus* pro Participiis præsentis temporis passivæ significationis capi. Vide 1. Æn. vs. 238.

— *volventibus annis.* Taubm.

Æneas, urbe & ſociis & claſſe relicta,
Sceptra Palatini ſedemque pètit Euandri.
Nec ſatis: extremas Corythi penetravit ad urbes:
Lydorumque manum collectos armat agreſtis.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poſcere currus,

Rum-.

8. *Æneas urbe & sociis, &c.*] Ab occaſione, & oſtendit quid illi expugnandum ſit, quia caret defenſore. *Servius.*

Æneas.] Magnum pondus in nomine. *Donatus.*

Urbe.] Urbs iſta quæ eſt tutam * *Ipſe humili deſignat mœnia foſſa:* hanc *caſtrum laurens* ait dici Varro, oppidum tacet. Sed ubi primum Æneas egreſſus ſit, eum locum Trojam nuncupari traditur. * *Servius.*

9. *Palatini.*] Prolepſis eſt. *Idem.*

Sceptra Palatini ſedemque petivit Euandri.] In Romano codice, in Mediceo, & in quibuſdam aliis legere eſt *Palantini* à *Pallante*, uno expuncto *l*, ut ſyllaba prima corriperetur. magis tamen video placere *Palatini*, ſed hoc parvi refert. Longe vero majoris momenti eſt, quod ſequitur *petivit*. Sed enim & pro *ſedem*, *regnum* in codicibus aliquot manu ſcriptis obſervavi: quum tamen & Romanus, & plerique alii codices *ſedem* legant. In Romano præterea codice, *petIt*, pro *petiit* more ſuo unico *I* ſcriptum eſt, ut verſus ſit ſpondaicus. Nam *Euandri* prima correpta nuſquam, quod meminerim, obſervavi. *Pierius.*

Sceptra.] Id eſt, Regiam, aut opes Euandri. Sic Sophoc. Elect. σκῆπτρα ἀμφέπειν, *adminiſtrare ſceptra*, pro, Regnum adminiſtrare. Simocatta l. 8. c. 10. Hiſtor. κύριος τῶν σκήπτρων ὁ τύραννος προχειρίζεται· *Tyrannus eligitur ſceptrorum dominus*, id eſt, Imperii. *Cerda.*

Petit Euandri.] Ita quidem leg. Politianus c. 71. & Turn. l. 23. c. 3. & Fabric. aliique: pro, *petiit*. ſicut 3. Ecl.

Malo me Gal. petit.

ut propter coitum vocalium ult. producatur. Erythræus tamen è vett. Codd. audaciſſime defendit

— *petivit Euandri:*

Quem vide. *Taubm.*

10. *Nec ſatis.*] Quia occurrebat ab Euandro eum facile poſſe remeare. *Servius.*

Extremas Corythi penetravit ad urbes.] Ut totam Etruriam peragraſſe videatur. *Corithi* autem montis Tuſciæ: qui, ut diximus, nomen accepit à Coritho rege, cum cujus uxore concubuit Iuppiter, unde natus eſt Dardanus. *Penetravit* autem bene, quia ſupra dixerat *penitus*. Idem.

11. *Lydorumque manum.*] Omnia hæc ad occaſionem faciendi pertinent ex longinquitate, ut dictum eſt, regionis. *Idem.*

Lydorumque manum collectoſque armat agreſtis.] In codicibus aliquot antiquis legere eſt *Ludorumque manum & collectos armat*. In nonnullis abſque ulla copulativa ſecundo membro, *Lydorumque manum collectos arma agreſtes*. Pierius.

Lydorum.] Thuſcos intelligit. Nam Lydi, Tyrrheno duce, in Italiam venere, & Etruriæ partem magnam occupavere. Sic 2. Æneid. *Lydius Tybris*, id eſt, Thuſcus. & 10. *gens Lydia*, de Thuſcis. *Cerda.*

Armat agreſtis.] Ne ei formidinem injiciat, *agreſtes* eſſe commemorat. *Servius.*

12. *Nunc tempus.*] A metu. *Idem.*

Nunc tempus equos.] Monet quid faciendum, ne ille in conſultando perdat tempus. *Donatus.*

Currus.] In Mediceo, & aliquot aliis *currum* unitatis numero legitur. *Pierius.*

13. *Et*

Rumpe moras omnis, & turbata arripe castra.
Dixit, & in cælum paribus se sustulit alis;
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Adgnovit juvenis, duplicisque ad sidera palmas
Sustulit, & tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus cæli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde hæc tam clara repente
Tempestas? medium video discedere cælum,
Palan-

13. *Et turbata arripe castra.*] Aut *arripe & turba*: aut turbata invade, per absentiam Æneæ inordinata. aut certe *turba & arripe*. Servius.

Turbataque arripe castra.] Trochæus ille ex *turbata*, vel *que* particula absque collisione servata, multis negotium facessit. Sed enim in codicibus omnibus Vaticanæ bibliothecæ, in Mediceo, & aliquot aliis perveteribus legi, *& turbata arripe castra.* Quam lectionem ab eruditis receptam jam animadverti. *Pierius.*

Et turbata.] Ita Servius D. & ita in omnibus suis Codd. legi, Fabric. affirmat. Erythræus tamen tuetur alteram lect. *—— turbataque arripe castra.* Taubm.

14. *Dixit.*] Nam objurgata est, terruit, instruxit, hortata est. *Donatus.*

Paribus alis.] Id est, æqualibus, & ostendit æqualem volatum. *Servius.*

Paribus alis.] Bene addidit *paribus alis*; nisi enim pari nixu præstare volatum non possunt: nam si una est debilis, incolumis vero altera, perinde sunt, ac si ambæ vexatæ sint. *Donatus.*

Paribus.] In aliquot antiquis codicibus *pariter* habetur, ut sententia sit, simul atque ita locuta est, abvolavit. *Pierius.*

15. *Ingentem.*] Ita in Georg. *ingens arcus*. De magnitudine arcus videndus Seneca. *Cerda.*

Fuga.] Pro veloci reditu, neque enim fugit. *Servius.*

Secuit sub nubibus arcum.] Hoc est, duxit, ut, *Ille viam secat ad naves.* Et re vera arcus ipse variis coloribus sectus est. Bene autem *Sub nubibus*, quia sine nubis beneficio arcus non videtur. *Id.*

16. *Adgnovit juvenis.*] Deest, *eam*, & *Irim* tantum agnovit, non & a quo missa sit, utrum à Jove an à Junone. Hinc est quod dicit, *quis te mihi nubibus actam Detulit in terras?* Unde apparet eum scisse nuntiam illam & Jovis & Junonis esse. *Idem.*

Duplicisque ad sidera palmas Sustulit & tali.] In antiquis aliquot, *duplicis ad* absque *que*, & *sustulit & tali.* Sed reliqua utcunque legeris, facile tulerim. Auferri vero ex hoc loco *que* particulam nunquam probaverim. *Pierius.*

Duplicis ad sidera palmas.] Aristot. De Mundo: Πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατεινόμενοι εἰς τὸν οὐρανὸν τὰς χεῖρας ποιούμενοι. Vid. supra ad lib. 1. Æn. ℣. 93. *Emm.*

18. *Iri, decus cæli, &c.*] Ex Hom. Iliad. σ. Ἶρι θεὰ, τίς τ' ἄρ σε θεῶν ἐμοὶ ἄγγελον ἧκε. *Germanus.*

Decus cæli.] Quanta est laus ornare cælum, & meritum & pulchritudo? *Donatus.*

19. *Repente.*] Item aliud augurium. Nam cum Iris sine nubibus non possit videri, post ejus abscessum statim est secuta serenitas. *Clara* autem bene addidit, quia *tempestas* τῶν μέσων est. *Servius.*

20. *Medium discedere cælum.*] Chasma dicit factum, id est, subitam aëris disruptionem & quendam recessum: per quod vult videri inter chasma Irim se recepisse. *Medium* autem bene dixit: nam est & summum. unde est l. 1. Æn. *Sic vertice cæli Constitit.* Nubes autem

Palantisque polo stellas. sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas. & sic effatus ad undam
Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa deos orans; oneravitque æthera votis.

Jamque

autem in medio sunt, ubi omnia ista fiunt signa, quæ dicit, id est, Iris, serenitas, chasma. Nam si in summo fieret, nullus videre potuisset. Humani enim oculi altiorem & nimium splendorem ferre non possunt. Sane *chasma* est (ita enim Plinius vocat) disruptio & quidam cœli recessus. In Auguralibus libris inter ostenta etiam *cælum discisse* dicitur: Et quidam hic *cælum* pro aëre accipiunt, ut Lucretius, *In hoc cælo qui dicitur aër*. Serv.

Video medium discindere cælum.] Antiqua fere omnia exemplaria legunt, *medium video discedere cælum*. Sed illud *medium video*, aut *video medium*, parvi refert. *Discedere* vero proprie dicitur *cælum*, in hujusmodi signis, dum aperiri videtur. Utitur eadem elocutione M. Tullius in libro de divinatione: *Nam & cælum discessisse visum est.* Quem locum, ut ingenue, hoc est more meo, loquar, mihi in memoriam redegit Jo. Bapt. Sanga civis meus, in quo tam admirabilis quædam morum integritas, quam stili gravitas & elegantia certare quodammodo videntur, sive carmen sive orationem velis: Cujus ego opera usus sum, dum antiquissimum illum codicem Vaticanum notæ majoris evolvebam. Usque adeo studium ille in hac re meum semper approbavit, ut mecum interdum labores hos tolerare non aufugerit. *Pierius.*

Med. discedere cælum.] *Discedere*, hic χάζειν est. ita Cic. 3. Offic. de hiatu terræ: *Cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus*. Lucret. l. 3.

— *mænia mundi Discedunt* —

id est, cælum hiat. Alii *discindere c.* legunt: minus recte. Alterum etiam probant, Fabric., Lambinus, H. Stephanus, Turneb. l. 2, 12. *Taubm.*

21. *Pallantesque polo stellas.*] Bene *pallantes*, quasi in alienum tempus errore venientes. Aut *palantes*, quæ sunt palantes, Epitheton stellarum perpetuum. *Servius.*

Sequar omina tanta.] In plerisque codicibus vetustis, *sequor* præsenti tempore legitur: quod magis placet, promptiorem enim ostendit animum ad obsequendum. *Pierius.*

Sequor, &c.] Similis locus l. 4. *Sequimur te, sancte Deorum, Quisquis es.* Cerd.

Omina tanta.] Scilicet cœlestia. Et hæc *omina*, pro signis vel auspiciis posuit. *Servius.*

22. *Quisquis in arma vocas.*] Vel Juno vel Jupiter. *Idem.*

Quisquis in arma vocas.] In codicibus aliquot antiquis, *vocat* persona tertia notatum est. Sed *vocas* non improbatur. *Pierius.*

23. *Hausit lymphas.*] Solebant Romani ante bella vota nuncupare, & in nuncupatione se aqua purificare: Turneb. l. 25. c. 30. *Taubm.*

24. *Oneravitq; æthera votis.*] Iterum atque iterum, aut alia atque alia est vota pollicitus. Locus autem iste dictus est secundum augurum morem, apud quos fuerat consuetudo, ut, si post acceptum augurium ad aquam venissent, inclinati aquas haurirent: exinde & manibus & fusis precibus vota promitterent, ut visum perseveraret augurium, quod aquæ intercessu disrumpitur. Unde etiam in duodecimo, visum augurium non procedit, nec sortitur exitum firmum; quia cygnus dimissus ab Aquila in fluvium cecidit, ut, *Prædamque ex unguibus ales Projecit fluvio.* Hinc videtur etiam Turnum minime potuisse liberari. *Servius.*

Oneravitque æthera votis.] Plerique veteres codices manu scripti, *oneravit æthera* absque particula *que* legunt. Neque

Jamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equûm, dives pictaï vestis & auri.
Messapus primas acies, postrema coërcent
Tyrrhidæ juvenes: medio dux agmine Turnus.
[Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.]
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus

Per

que desunt Grammatici, qui figuram tueantur, ut eo loco facere contendunt: *Cum clamore Gyas revocabat, ecce Cloanthum.* & quod paulo ante legebamus, *Turbataque arripe castra.* Sunt qui *aëthera* per diæresin legant, ut apud Ovidium, *Tertia post illos successit aënea proles.* Sed enim & eleganter & absolute, *oneravitque æthera* positum videtur, ut quæ necessaria fuerant ad augurium confirmandum, tribus invicem colligatis membris efferantur, *Ad undam processit, summoque hausit de gurgite lymphas Multa Deos orans, oneravitque æthera votis.* Pierius.

25. *Jamque omnis campis exercitus ibat.*] Intelligamus hunc exercitum primo confuse in campos ruisse: post digestum in ordines, ut sit sequentium fluminum congrua comparatio: quæ flumina dicit post camporum inundationem in alveos suos reverti. Nam hoc vult dicere: Ut de campis flumina in alveos suos redeunt, sic digesta est in acies militum multitudo, quæ fuerat ante diffusa. *Servius.*

26. *Dives equûm*] Per genitivum frequentius utimur hac figura, quam per ablativum. Sane hic secutus veteres cujus rei *dives* addidit, cum alibi subtraxerit lib. IV. Æn. ut *Dives quæ munera Dido*, & *Dives inaccessos ubi Solis filia lucos.* Idem.

Dives pictaï vestis & auri.] Locus ex illis quattuor, in quibus ea Diæresi Virgilius sit usus, ut notat Probus. *Pierius.*

Pictaï vestis, & auri.] Intelligit vestem auro pictam & intertextam; sed loquitur suo & poëtico more, ut, *pateris libamus, & auro.* Itaque divisim dixit, quod junctim Juvenal. Sat. 6.

Aut latum pictæ vestis consideret aurum.

Et fortasse Virg. intelligit paludamenta; nam hæc non solum fuere στρατηγικὰ, *imperatoria*, sed etiam στρατιωτικὰ, *militaria.* Itaque describit universum exercitum paludatum. Nisi quis arctet illum ad duces tantum, qui in eo agmine. Est vero dictum *pictaï*, ut l. 3. Æn. ℣s. 35. *aulaï*, qua solutione usi Poëtæ, & sæpissime inscriptiones. Romæ, BONAI DEAI SACRVM. Firmi in agro Piceno, QVAISTORES. In alia, AIRE, pro, *ære.* Cerda.

Pictaï.] Vide Erythr. Indic. *Taubm.*

27. *Coërcent.*] Cogunt, colligunt. Alias continent, alias, compescunt, nonnulli *postrema* pro *postremas partes* accipiunt. *Servius.*

28. *Tyrrhidæ juvenes.*] Tyrrhi mentio fit supra lib. 7. Inde ejus filii hic numerantur, ut quos propius clades attigit. Volunt enim ulcisci fraternam cædem: nam in eo præliolo cecidit Almon maximus natorum Tyrrhi. *Cerda.*

Medio agmine.] Morem attingit militiæ Romanæ, quo dux in media acie, aut fere: imo omnium gentium, ut liquidum ex omnibus historiis. *Idem.*

30. *Ceu septem, &c.*] Per comparationem ostendit magno silentio ivisse Turnum, ut improvisus opprimeret incautos: tamen ingens pulvis illos manifestavit. *Donatus.*

Sedatis amnibus.] Quia Nilus exundat æstate, cum cætera flumina imminutione quieta sunt. *Servius.*

Septem amnibus.] Id est, alveis, ut vult Servius. Sed cum putetur unicum

Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Cum refluit campis, & jam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem

Pro-

Gangis esse ostium, alii de septem fluminibus, quæ in se recipere volunt Gangem, intelligunt. vide & Plinium lib. 6. cap. 18. Strabo lib. 15. *Gangem* ait maximum esse omnium fluviorum: proximum ab eo *Indum:* tertium *Istrum:* quartum *Nilum;* Cicero tamen *Indum* appellat sine exceptione omnium fluminum maximum. *Taubmannus.*

Altus Per tacitum Ganges.] Fluvius Indiæ est, qui secundum Senecam in situ Indiæ, novem alveis fluit, secundum Melam septem: qui tamen & ipse commemorat nonnullos dicere quod tribus alveis fluat. Virgilius tamen Nilo cum jungens septem alveos habere significat. Hanc varietatem Donatus fugiens longum Hyperbaton facit, dicens, *Ceu surgens septem amnibus Nilus aut Ganges.* Sane bene addidit, *Per tacitum altus*, hoc est, profundam altitudinem. nam licet crescat, intra ripas tamen est, nec ut Nilus superfunditur campis. Unde Asper distinxit *altus per tacitum.* Et bene agmen exercitus flumini comparavit, quia & fluviorum agmina ipse dicit, *Leni fluit agmine Tybris.* Servius.

31. *Per tacitum.*] Sic Hor. de Liri amne, *taciturnus.* & Nonn. lib. 22. σιγαλέοις ῥεέθροις, *tacitis fluxibus.* De Nilo Plin. Paneg. *placido mollique lapsu.* De eodem avunculus lib. 5. cap. 9. *lenis & confractis aquis, domitaque violentia.* Seneca 6. Nat. Quæst. de aliis, *leniter ac quiete fluunt.* Illustrabis satis hunc locum his, quæ jam 8. Æneid. ad illud, *tacitis imcumbere remis.* Cerda.

Pingui flumine Nilus.] *Nilus* dictus est quasi νέαν ἰλὺν, hoc est, novum limum trahens: quod volens exprimere dixit *Pingui flumine*, id est, fluore: quæ res fœcundam efficit terram, quod & ipse in Georgicis ostendit dicens, *Liquuntur montibus amnes, Felicemque trahunt limum.* Item, *& viridem Ægyptum nigra fœcundat arena.* Servius.

32. *Cum refluit campis.*] Hoc est, à campis rediit, tunc enim omnia ora ejus apparent, alias cum abundat una ejus facies est. *Idem.*

Cum refluit campis, & jam se condidit alveo.] Profuerit interdum etiam, quæ sententiam dilucidiorem reddunt interserere, ut hoc loco, quæ doctissimis etiam ingeniis negotium facessit: quum videantur adversa, atque inter se pugnantia *campis refluere, & jam alveo se condere.* Alludit vero hoc ad visendæ magnitudinis Colossum Nili, qui quamvis per arva longe lateque diffundi videretur, bona tamen corporis parte alveo demersus esset. Estque illud *& jam* pro *& etiam*, ut alio loco III. Georg. exponit Comminianus, ubi, *Invalidus etiamque tremens etiam inscius ævi*, scriptum. ait *& jamque*, atque esse *jam*, pro *etiam.* Quam quidem sententiam saniorem esse ostendit id, quod de Turno paulo ante dixerat, *Medio dux agmine Turnus Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.* Hic vero versus totus in codd. aliquot antiquis desideratur. *Pierius.*

Cum refluit campis, &c.] Sententia est: Quemadmodum de campis flumina in alveos redeunt: sic militum multitudo, quæ ante in campos confuse proruerat, in acies digesta est. Nam, *refluere campis*, non est fluere per campos; sed relabi è campis in alveos. Errant Pierii asseclæ. *Taubm.*

33. *Hic subitam nigro, &c.*] Tale illud Liv. lib. 30. *Densior deinde incessus tot hominum, equorumque oriens pulvis, signum propinquantium hostium fuit.* & Simocattæ lib. 2. Hist. c. 3. ἐπεὶ δὲ τὸ πολέμιον παρεφαίνετο καὶ ἦν κόνις πολλή· *ubi adesse hostilem aciem ex multo pulvere*

Proſpiciunt Teucri, ac tenebras inſurgere campis.
Primus ab adverſa conclamat mole Caïcus:
Quis globus, ô cives, caligine volvitur atra?
Ferte citi ferrum, date tela, & ſcandite muros.
Hoſtis adeſt, eia. ingenti clamore per omnis
Condunt ſe Teucri portas, & mœnia conplent.

Namque

pulvere intellectum eſt. Polyb. l. 3. ἅμα δὲ τῷ πλησιάζειν αὐτοὺς καὶ συνιδεῖν τὸν κονιορτὸν ἐξαιρόμενον, εὐθέως συνετάττοντο πρὸς μάχην· *ſimulac oriens pulvis propinquantium hoſtium ſignum ambobus dedit, acies utrinque ad prælium inſtrui cœperunt.* Romani apud Sall. in Jugurth. adeſſe ſentiunt hoſtem, cum *ex improviſo pulveris vim magnam animadvertunt.* Cerda.

34. *Tenebras inſurgere campis.*] Hom. 13. Iliad. κονίης ὀμίχλην, *caliginem pulveris.* Calab. 2.

—— ἀμφὶ πόδεσσι κόνις πεπότητ' ἀλεγεινὴ
Ἠΰτε καὶ φάος ἠῢ κατέκρυψ' ἠελίοιο
Αἰθέρ' ἐπισκιάουσα. ——

Idem.

35. *Ab adverſa.*] Caſtris oppoſita, an venienti agmini? *Servius.*

36. *Quis globus.*] Id eſt, quantus. admirantis enim eſt, non interrogantis; nec enim interrogat qui nuntiat. *Idem.*

Quis globus.] Primo dubitavit: deinde cognovit eſſe hoſtes. *Donatus.*

37. *Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros.*] In Romano codice, in Mediceo, & quibuſdam aliis legere eſt, *& ſcandite.* In Oblongo, *aſcendite.* Quia ſcilicet veriti ſint *tela* ultimam corripere: quum nonnulli judicaverint *ſ* in *ſcandite* & ſimilibus ſpiritum eſſe potius, quam literam, ut eo loco, *Ponite ſpes.* Sed enim quamvis non negarim *ſ* aliquando ſolitam elidi: hoc tamen loco facere poſitionem crediderim, potius quam vel *& ſcandite*, vel *aſcendite* legerim. Ipſa enim loquentis feſtinantia cum trepidatione, membra hæc diſſoluta expoſcere videtur. Quamvis ſunt non ineruditi viri, qui verſum dicant pleniorem ac numeroſiorem, ſi *& ſcandite* legatur. *Pierius.*

Ferte cite ferrum, date tela, ſcandite.] Artificioſiſſimum carmen. Membra enim orationis diſſoluta, ſicut & dictiones biſyllabas expoſcit feſtina loquentis trepidatio. Ita 4. Æn. Dido trepidans:

Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.

Litteratores ſyllabæ metuentes alii legerunt, *& ſcandite:* alii *adſcendite.* quos refutat Erythræus in v. *Tela.* Taubmannus.

Tela.] Etiam lapides & omnia miſſilia dici poſſunt. *Donatus.*

38. *Hoſtis adeſt, eia.*] Hic diſtinguendum, ut, *Eia* militum ſit properantium clamor: & eſt Ennianum, qui ait, *Eia machæras.* Ergo *Eia* ingenti clamore dicentes, ad portas ruebant. Alii, *Hoſtis adeſt, eia:* legunt. *Eia* non à perſona ad perſonam dictum putant, ſed ipſum Poëtam quaſi actu rei & imaginatione exclamaſſe. *Servius.*

Hoſtis adeſt, eia.] Ego puto, particulam hanc referendam ad *Ciacum*, ut hic dicat: *Hoſtis adeſt, eia.* Itaque ſe fruſtra Serv. laſſat. Ita quoque ad loquentem retulit Sidon. epiſt. 2. lib. 1. *Tum patronus, eia, inquit, Solli meus.* Cerda.

39. *Condunt ſe, &c.*] Aptat huic verſui Germ. verba Julii de Bell. Gall. affinia: *Portas claudere, murum complere cœperunt.* Ut hic, *complent mœnia,* ita Liban. Declam. 15. ἐπλήρωσαν ναῦς, & Ammian. l. 20. *Cuncta oppidi membra*

 bra

Namque ita discedens præceperat optimus armis
Æneas : si qua interea Fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo :
Castra modo, & tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
Objiciunt portas tamen, & præcepta facessunt,
Armatique cavis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut ante volans tardum præcesserat agmen,
Viginti

bra compleverunt. Loquitur de militibus qui occuparunt loca omnia urbis. Polyb. libr. 3. loquens de Annibale: τὰς μὲν λάμβας πεπληρωκώς. *Cerda.*

40. *Namque ita discedens præceperat.*] Excusatio Trojanorum, ne portas clausisse timore viderentur. *Serv.*

Namque ita, &c.] Aliter enim timidi poterant videri Trojani, qui instructa acie non exirent contra hostes. Æneæ præceptum propter incertos fortunæ casus sapiens fuit: ergo duas dedit illis virtutes: alteram, ne imbelles viderentur: alteram, ut regi parerent. *Donatus.*

Optimus armis.] Peritus armorum, dux egregius, qui & futura provideret. *Servius.*

41. *Si qua interea Fortuna fuisset.*] Scilicet bellicus casus. *Idem.*

42. *Ne struere auderent acies.*] In quibusdam antiquis codicibus, *aciem* singulari numero legitur: quod poëticum magis est. Præterea in Mediceo, & nonnullis aliis manu scriptis, *neu struere auderent aciem :* quod in aliis *ne* legitur. *Pierius.*

43. *Castra modo, &c.*] Par præceptum in Claud. de Bell. Get.

Exiguamque moram muris impende tuendis,
Dum redeo. ——

Trojani apud Calabrum lib. 1. cum carerent duce, ἔμιμνον ἀνὰ Πριάμου πτολίεθρον, *continebant se in urbe Priami.* Et addit, id factum propter timorem Achillis, δειδιότες μένος ἠῢ θρασύφρονος Αἰακίδαο. Quod omnino hic Trojanis contingit propter timorem Turni. Libro etiam 2. idem capiunt consilium, ut pugnent tantum ἐκ πύργων, καὶ τείχεος, *ab turribus, & muro.* Cerda.

Tutos servarent aggere muros.] Id est, tutos beneficio aggeris muros. *Servius.*

Servarent aggere muros.] In Oblongo codice *tuto aggere* legitur. In aliis *tutos*, quod tantundem est. *Pierius.*

44. *Pudor iraque monstrat.*] Licet eos hortaretur ire pudor. *Servius.*

45. *Objiciunt.*] Objices ponunt, vel objicibus muniunt, & per hoc cludunt. *Idem.*

Facessunt.] Hic faciunt, alias discedunt, ut, *Illa hinc facessat.* Idem.

Præcepta facessunt.] Ab Ennio, & Afranio. Prior 1. Ann. *dicta facessunt.* Posterior, *dicta facessas.* Polyb. 3. Hist. πειθαρχεῖν ὑπὲρ τῶν παραγγελλομένων. *Cerda.*

46. *Turribus.*] Pro *in turribus.* Servius.

47. *Turnus, &c.*] Hunc & sequentes versus adhibet Macrob. in exemplum siccæ orationis, & opponit floridæ narrationi, quæ habetur lib. 11. de Chloreo, ab eo versu, *Forte sacer,* &c. *Cerda.*

Antevolans.] Tale illud, *antemalorum.* & Amm. lib. 20. *antegressos.* & Fest. *antefixa.* & illud sæpe inculcatum, *inanteceſſum.* Sallusth. Jugurth. *antevenit.* Idem.

Antevolans.] In hac voce motum audiri, ait Scal. l.4,16. *Taubm.*

Tardum agmen.] Peditum dicit, qui equi-

Viginti lectis equitum comitatus, & urbi
Inprovisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.
Ecquis erit mecum, juvenes, qui primus in hostem?
En, ait. & jaculum adtorquens emittit in auras
Principium pugnæ, & campo sese arduus infert.

Cla-

equitum comparatione tardi sunt. *Servius.*

Tardum.] Non quod tarde ambularet, sed comparatione Turni. *Donatus.*

48. *Urbi.*] Trojæ, quam fecerat Æneas castrorum in morem. *Servius.*

49. *Maculis quem Thracius albis.*] Figuras maculis albas habens. & nove *albas maculas* dixit, cum proprie macularum hæc sit natura, ut obscuritate sua album aliquid infuscent. *Idem.*

Thracius equus.] Thraciam equorum satu nobilitatam fuisse, docet Turneb. l.23.c.14. vide 5. Æn. ℣s.565. *Taubm.*

50. *Portat equus.*] Calaber libro primo, ἵππος φέρεν. *Cerda.*

Cristaque tegit galea aurea rubra.] Pro *galea cristas habens rubras*: sed duo ablativi sunt, & duo nominativi, quos metrica ratione discernimus. Nam *rubra crista* longæ sunt ultimæ, quia ablativi sunt casus. Sane hujusmodi versus pessimi sunt. *Servius.*

51. *Ecquis erit, &c.*] Vult Germ. ductum hoc ex illo Xenoph. apud quem Cyrus suos milites cum ardore & impetu inclamans, ait: τίς ἕψεται; τίς ἀγαθὸς; τίς πρῶτος ἄνδρα καταβαλεῖ; Sed possum existimare propositum ad imitationem Hom. 8. Iliad. ubi, cum Græci intra munitiones suas se tenerent, Hector inclamare suos cœpit, ut irruerent. Quo facto ipse adhortatus est equos suos. Itaque plane videtur tota illa pars libri perlustrata Virgilio, cum hæc scriberet. *Cerda.*

Qui primus.] In Mediceo codice, *quis primus* habetur. *Pierius.*

52. *En, ait.*] Eclipsis festinationis exprimendæ gratia, quidquid enim addideris sensus admittet. *Servius.*

Jaculum.] Dedit principium pugnæ; id enim signum fuit, ante quod nulli licebat arma movere. *Donatus.*

Jaculum intorquens.] In aliquot manu scriptis codicibus, *torquens* legas. Sed in Romano, in Mediceo, & plerisque aliis, *adtorquens.* Illud vero minime placet, quod pro *Emittit in auras*, *evertit* legitur. *Pierius.*

53. *Principium pugnæ.*] Hoc de Romana solennitate tractum est. Cum enim volebant bellum indicere, Pater patratus, hoc est princeps Fecialium proficiscebatur ad hostium fines, & præfatus quædam solennia, clara voce dicebat se bellum indicere propter certas caussas: Aut quia socios læserant, aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios redderent. Et hæc *Clarigatio* dicebatur à claritate vocis. Post quam clarigationem hasta in eorum fines missa, indicabatur jam pugnæ principium. Post tertium autem & tricesimum diem quam res repetissent ab hostibus, Feciales hastam mittebant. Denique cum Pyrrhi temporibus adversum transmarinum hostem, bellum Romani gesturi essent, nec invenirent locum, ubi hanc solennitatem per Feciales indicendi belli celebrarent, dederunt operam, ut unus de Pyrrhi militibus caperetur, quem fecerunt in Circo Flaminio locum emere, ut quasi in hostili loco jus belli indicendi implerent: Denique in eo loco ante pedem Bellonæ consecrata est columna, Varro in Caleno ita ait, *Duces cum primum hostilem agrum introitum ierant ominis causa prius hastam in eum agrum mittebant, ut castris locum caperent.* Ergo bene hoc Poëta de more Roma-

no

Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur
Horrisono: Teucrûm mirantur inertia corda;
Non æquo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quærit.
Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,

Cum

no tractum, Turno utpote duci dedit, sed in hac consuetudine Fecialis, qui bellum indicebat, antequam hastam jaceret, etiam terram hostium conte stabatur, unde quidam volunt Æneam scientem quod bellum gesturus esset, sicut à Sibylla cognoverat, ubi ad Italiæ partem debitam venit, primum adorasse terram, ut *Geniumque loci, primamque deorum Tellurem.* Servius.

Principium pugnæ.] Solemnia verba, quibus Fecialium princeps in bello indicendo uti solebat, & quorum mentionem hic facit Servius, vid. apud Brisson. De Form. pag. 343. *Emmeness.*

Et campo sese arduus infert.] In Romano codice, *campis.* & pro *infert* sunt codices, qui legant *affert:* quod non æque placet. Addam & *arduos* inveniri alicubi, de quo superius satis dictum. *Pierius.*

54. *Clamorem excipiunt socii.*] Legitur & *clamore.* Si *Clamore*, sensus erit talis, Hastæ jactum socii clamore comitantur. Si *Clamorem*, intelligimus Turni eos clamorem excepisse, & cum fremitu eos sequutos esse, id est, Excipiunt clamorem Turni, & cum fremitu eum sequuntur. *Servius.*

Clamorem excipiunt socii.] In Romano codice, *clamore* septimo casu legitur: quod etiam superius habuimus: loquitur enim de sociorum adclamatione, quæ fieri solet, quum regi adplauditur. *Pierius.*

55. *Inertia corda.*] Non re vera: sed sicut hostibus videbatur. *Servius.*

56. *Non æquo dare se campo.*] Nihil frequentius, quam æqua loca pro campestribus & planis. Hæc Sallust. in Catil. Julius, & Curtius opponunt *montibus.* Lucan. lib. 4. *Campum miles descendat in æquum.* Ibidem ita explicat: *relicto colle aciem arvis committere.* Polyb. libr. 3. loquens de Fabio detrectante pugnam, & colles semper obsidente, ait, *εἰς δὲ τὸ πεδίον οὐ καθίει τὴν δύναμιν, in campum nunquam copias deducebat*, id est, *in æquum*, ut etiam reddit interpres nuperus. *Cerda.*

Non æquo dare se campo.] Non facere pugnandi potestatem. Scal. l. 4. 16. *T.*

57. *Arma viros.*] Vehementius *viros* pronuntiandum. *Servius.*

Castra fovere.] Veteres *fovere*, pro diu incolere & habitare dicebant. *Idem.*

Castra fovere.] Verbum contumeliosum, quippe feminarum foventium liberos. De apib. 4. Georg. *nidos fovent*, cum clausæ latebris. *Cerda.*

Huc turbidus atque huc.] Hom. ἔνθα, καὶ ἔνθα. & in 8. de Hercule, *Huc ora ferebat, & illuc.* De lupo Stat. lib. 4. *huc, illuc turbida versans Lumina.* Est hoc, quod Tacit. 2. Ann. *terrorem circumferre.* quod Amm. lib. 21. *adventus sui terrorem ubique dispergens.* Idem.

58. *Aditumque per avia quærit.*] Etiam *per avia.* Sane exprimitur Turni violentia. nam viam *per avia* nullus requirit. *Servius.*

59. *Ac veluti pleno.*] Pathetica parabola. Macrob. lib. 4. cap. 5. Saturnal. Pathos ab ira. Venusta comparatione vim iramque Turni proponit, ducta à natura lupi, ad ovilia ovibus insidiantis, cum irrumpere nequeat. *Hort.*

Insidiatus.] Arnob. lib. 1. *Ovilibus insidiatur lupus.* Dicit *ovili*, pro *ovibus* metonymicῶς, ut 3. Eclog. *Triste lupus stabulis.* & 4. Georg. *stabuli custos*, id est, ovium. *Cerda.*

60. *Fre-*

Cum fremit ad caulas, ventos perpessus & imbris,
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper & inprobus ira
Sævit

60. **Fremit.**] Quod Apollon. βρέμει. Et quidem *fremitum* Poëtæ multis dant feris, equo, lupo, leoni, aliis. Cassiod. in Psalm. 2. *Fremitus proprie ferarum est, qui juste furentibus datus est, quando, ratione postposita, bellnino furore succensi sunt.* Itaque in eo Psal. *Quare fremuerunt gentes*, locutio ducitur à feris, ita scilicet redditum Græcum ἐθορύβησαν. Opp. 3. Cyn. lupo eunti ad prædam dat πολλὸν ῥοῖζον· nam fremitus ille ab stridore est. *Idem.*

Ad caulas.] Munimenta & septa ovium. Est autem Græcum nomen, *c* detracto. Nam Græci *aulas* vocant animalium receptacula. Unde in sacris ædibus, & in tribunalibus, septa, quæ turbas prohibent, *aulas* vocamus. *Servius.*

61. *Nocte super media.*] Ultra mediam noctem, id est, plus, quam media, vel majore ejus parte. Et est bona elocutio facta per Syllepsin. ut si dicas, *Legi nocte super media*; id est, contra mediam noctem. Nulla enim syllepsis est, quæ non & casum mutet, & egeat subauditione. Ut, *Hanc ego nunc ignaram hujus quodcunque pericli est.* Idem.

Nocte super media.] Præclare; lupi enim dant se in viam ad prædandum post noctem mediam, ac pene matutino tempore, & summo diluculo. Rem hanc probat Oppian. lib. 3. Cyn. ubi inter genera luporum, unum adducit, de quo ait:

Πολλῷ σὺν ῥοίζῳ δὲ μάλ' ὄρθριος εἶσιν ἄγρην
Πρώτην ὑπ' ἀμφιλύκην. ——
Multo cum stridore matutinus valde it ad prædam
Primum sub crepusculum. ——

Observa verba Oppiani. Crepusculum vocat ἀμφιλύκην alludens ad etymon lupi. Hic enim dictus est à luce: nam, hac appetente, ille se dat in prædam. Præclare itaque Pausan. Corinth. & ex more hujus feræ: ἀρχομένης δ' ἡμέρας ἐς βοῶν ἀγέλην νεμομένην περὶ τὸ τεῖχος ἐσέπεσε λύκος· *Summo mane lupus impetum fecit in gregem boum, qui ante murum pascebantur.* Inde itaque λύκην dictam *lucem*, trita jam est observatio Macrobii lib. 1. cap. 17. ut videantur Latini *lucem* à *lyce* derivasse. Et præsertim lux prima dicta est λύκη ἀπὸ τοῦ λύκου, unde & *lupus* λύκος, quod prima luce eat ad prædam. Nec aliud verius etymon Apollinis Lycii, quam à lupo, aut luce, quod idem. Firmat hoc Macrob. dicto loco. Objiciet aliquis, lupos etiam dare se in prædam prima nocte, & statim obortis tenebris. Diluet hoc facile Oppian. & satisfaciet Lectori. Commemorat ille quinque luporum genera, & secundo generi attribuit hanc naturam, non omnibus, ac proinde de hoc secundo capiendus Poëta. Hunc lupum ait Oppianus superare reliquos magnitudine, & celeritate, & proprie esse ἅρπαγα, id est, *raptorem.* unde & 2. Æneid. *lupi raptores.* Cerda.

62. *Balatum.*] Non abeo ab opinione illorum, qui non agnoscunt *balatum*, sed *belatum*. Sicut nec *balo*, *balas*, sed *belo*, *belas*. Num oves *be* dicunt, non *ba*. Unde Petr. Victorius verba Varron. 2. Rust. cap. 1. ita legit è vetustis libris: *Oves, be, clare vocem efferentes, à quo belare dicunt.* Et Lipsium laudo, qui lib. de Recta pronuntiatione Ling. Latinæ cap. 16. ita scribit: *Quin tu litteram, R, igitur spernis, quia canum? M, quia boum? B, quia ovium? Nam irretiunt hac animalia, mugiunt, belant.* Ita tamen adhærendum his opinionibus, ut communis scriptio damnanda non sit. Ego fateor oves *be*, dicere, à Græca syllaba, βη. Sed cur non ex Dorico idiomate, βα, vertam in βα? Sicut Græcis μήτηρ est, quæ nobis, non *meter*, sed *mater*; videlicet à Doribus,

Sævit in absentis: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & siccæ sanguine fauces.

Haud

qui non μήτηρ scribunt, sed μάτηρ. Observa, balatu ovium acui famem lupi, ea enim mens Poëtæ. Sic Apollon. lib. 1. Arg.

—— ἠΰτέ τις θὴρ
Ἄγριος, ὃν ῥά τε γῆρυς ἀπόπροθεν ἵκετο μήλων,
Λιμῷ δ' αἰθόμενος μετανίσσεται, οὐδ' ἐπέκυρσε
Ποίμνῃσιν. πρὸ γὰρ αὐτοὶ ἐνὶ σταθμοῖσι νομῆες
Ἔλσαν. ὁ δὲ στενάχων βρέμει ἄσπετον ὄφρα κάμῃσιν.

Oppian. 4. Cyn. loquens de leone:

Τοῦ δὲ πιναλέην κραδίην ἐπάταξεν ἰωή·
Illius autem famelicum cor ferit balatus.

Et Theocrit. εἰδ. 13. ubi ait leonem properare ad prædam ἀπόπροθι ἐπακούσας νεβρῶ φθεγξαμένας· *cum à longe audit hinnulum clamantem.* Cerda.

Asper.] Vel quia iratus; nam sequitur, *ira sævit*: vel quia sitiens sanguinis; nam *siccæ sanguine fauces.* Primum firmat Simocatta lib. 4. Hist. cap. 8. ubi asperitatem dicit in re irarum, ταῖς ἀπειλαῖς τῶν λόγων ἐκτραχύνῃ τὸν τύραννον· *verborum minis exasperaret Tyrannum.* Alterum de asperitate in sitibundo idem Virg. qui 3. Georg. loquens de angue,

—— *flammantia lumina torquens*
Sævit agris, asperque siti, atque exterritus æstu. Idem.

Inprobus ira.] Non ira improbus, sed ira sævit, totum autem summa brevitate narratum. *Servius.*

63. *Sævit in absentis.*] Fantasiam sævitiæ expressit: quia lupi sic circa caulas fremunt, ut in ipsis animalibus solent. *Idem.*

Sævit.] Hanc sævitiam exhibet Eurip. in Hecub. λύκου αἵμονι χηλῇ· *cruento ungue lupi.* & Sil. lib. 7. his versib.

—— *ceu nocte sub atra*
Munitis pastor stabulis, per ovilia clausum
Impavidus somni servat pecus: effera sævit,
Atque impasta truces ululatus turba luporum
Exercet, morsuque quatit restantia claustra.

Disce & imitationem Virgilii, qui sententiam à Vario traxit. Hic enim ante Nostrum ita de cane loquitur:

Si veteris potuit cervæ comprehendere lustra,
Sævit in absentem, & circum vestigia lustrans
Æthera per nitidum tenues sectatur odores. Cerda.

Collecta fatigat, &c.] En causa tot minarum, & sævitiæ; nam videlicet famelicus & sitiens. Causam hanc adhibuit Plaut. Capt. *Quasi lupus esuriens, metui ne in me quoque faceret impetum.* & Apollon. nam de sua fera, λιμῷ αἰθόμενος, *furens fame.* & Sil. à quo turba luporum *impasta* dicitur. & Virg. 2. Æneid. —— *quos improba ventris*
Exegit cæcos rabies. ——

Oppian. quoque de lupo lib. 3. Cyn.

Πᾶσαν ἀναιδείην ἐπειγόμενος εἵνεκ' ἐδωδῆς·
Erumpit in omnem impudentiam propter cibum.

Ad quem locum, vide quæ adducit Rittershusius. Ovid. Eleg. 5. l. 1. Trist.

Utque rapax, stimulante fame, cupidusque cruoris
Incustoditum captat ovile lupus.

Notentur elegantes versus Phile de luporum fame.

Λύκος φάγων δὲ, καὶ κορεσθεὶς, οὐ λύκος,
Ἀλλ' ἀμνὸς, ἂν φαίνοιτο ποιμνίων μέσον.
Οὐ γὰρ δύναιτο γ' ὁ φθορεὺς ἐπιβαδίειν,
Ἀλλ' ἔστιν εἰδὼν τῇ τροφῇ τὴν γαστέρα,
Καὶ τὴν ὑπογλωττίδα τῶν παραθμίων.
Καὶ τῶν κόρων πεφθέντος ἐν βραχεῖ χρόνῳ,
Ὁ θὴρ πάλιν δεικνύσι τὸν πρῶτον λύκον.
Idem.

64. *Ex longo rabies.*] Absoluta elocutio,

Haud aliter Rutulo, muros & caſtra tuenti,
Igneſcunt iræ: duris dolor oſſibus ardet;
Qua tentet ratione aditus, & qua via clauſos
Excutiat Teucros vallo atque effundat in æquor.
Claſſem, quæ lateri caſtrorum adjuncta latebat,
Aggeribus ſeptam circum & fluvialibus undis,
Invadit: ſocioſque incendia poſcit ovantis:

Atque

cutio, ut ſi dicas, Ille fame fatigatur ex longo. *Servius.*

Sanguine.] Pro *à ſanguine.* Idem.

Siccæ ſanguine fauces.] Superiori lib. de Caco: *Eliſos oculos, & ſiccum ſanguine guttur:* ubi *exangue*, tanquam jam Caco extincto, interpretatur Servius. *Germanus.*

Igneſcunt iræ, & duris dolor oſſibus ardet.] In antiquis omnibus codicibus, quotquot inſpexi, abſque particula *&* notatum animadverti, *igneſcunt iræ, duris dolor oſſibus ardet.* Et in Mediceo pro *ardet, hæret* habetur. Pierius.

Dolor oſſibus ardet.] Præclare jungit dolorem cum ira, qui affectus cognati. Tacit. 1. lib. 1. Ann. de Germanico: *iſque, ut erat recens dolore & ira.* & l. 2. *Germanos ea ſpecies dolore & ira accendit.* Stat. 2. Theb. *exedere animum dolor, iraque demens.* Ariſt. 2. Rhet. c. 2. ἔςω δὴ ἡ ὀργὴ ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης· *Jam vero ſit ira appetitio cum dolore conjuncta ejus, quæ apparet, ultionis.* Itaque prudenter Poëta, poſtquam dixerat, *igneſcunt iræ*, adjecit, *dolor ardet.* Nam plerunque alter horum affectuum eſt languidus, niſi alter accedat. Cujus rei exemplum eſt in Metello apud Salluſt. de quo in Jugurth. *Paulisper mœſtus è conſpectu abit; dein, ubi ira, & ægritudo permiſta ſunt, cum maxima cura ultum ire injurias feſtinat.* Cerda.

67. *Et qua via clauſos.*] *Qua* adverbium loci eſt, non pronomen: nam non ſtat verſus ſi *via* ſeptimus ſit, non nominativus. Ergo *Qua via:* per quam partem viæ vallo Trojanos excutiat. Legitur tamen, *Et quæ via*, & eſt ſenſus abſolutior. *Servius.*

Et qua via clauſos, &c.] In Romano codice, & pleriſque aliis legere eſt, *& quæ via*, quæ lectio Servio etiam videtur abſolutior. In aliquot aliis legitur, *clauſo excutiat Teucros vallo.* Pierius.

Qua via clauſos, &c.] Licet Servio ſenſus videatur abſolutior, ſi pro *qua* legatur *quæ*; Gronovius tamen lib. 1. Obſ. c. 6. retinet *qua:* & exponit: *quâ via aliqua ſe admittat, detque uti excutiantur Troës munimentis inque æquor effundantur. ut Eclog. IX. Quo te, Mœri, pedes aut quo via ducit. Valerius Flaccus lib. IV. & via juſſos Qua ferat.* Emmeneſſ.

68. *Effundat in æquor.*] In planum, in campum. *Servius.*

Effundat in æquor.] In Romano codice legere eſt, *in æquum*, ut ſcilicet æquo omnes pede conferre manus poſſint. Nam Turnus, nunc iniquo pugnat loco, dum illi in caſtris aggeribus & vallo clauſi obteguntur. Hic in aperto provocat. *mirabanturque* paulo ante Rutuli *Teucrum inertia corda Non æquo dare ſe campo.* Pierius.

70. *Aggeribus ſeptam circum.*] In Romano codice, *clauſam.* Sed enim *ſæptam* magis placet. id vero per *æ* diphthongon ſcribitur. *Idem.*

Septam undis.] Tacit. 1. Annal. *Mari Oceano, aut amnibus longinquis ſeptum Imperium.* Cerda.

71. *Invadit: ſocioſque incendia poſcit ovantis.*] Yſteroproteron, ut aviditatem juvenis oſtenderet. *Incendia* autem pro materia, ex qua incendia ſequun-

Atque manum pinu flagranti fervidus inplet.
Tum vero incumbunt; urguet præſentia Turni:
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuêre focos: piceum fert fumida lumen
Tæda, & conmixtam Volcanus ad aſtra favillam.
Quis deus, ô Muſæ, tam ſæva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. priſca fides facto, ſed fama perennis.
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida

Æneas

quuntur, & videtur eventum poſuiſſe. *Servius.*

72. *Atque manum pinu.*] Adverte, Turnum jam olim lib. 7. admonitum à Furia in ſomnis, ut claſſem hanc exureret. Fuit & ſimile conſilium Deriadæ ducis Indorum volentis comburere naves Bacchi. Lege Nonnum l. 39. Dionyſ. *Cerda.*

73. *Tum vero.*] Ut ſignum incendendarum navium datum eſt. *Servius.*

Urget præſentia Turni.] Plus valet præſentia ejus, qui poteſt jubere, quam juſſio. Cum autem dicit *fumida tæda*, exprimit quare dixerit *facibus atris.* Donatus.

74. *Facibus pubes accingitur atris.*] Pro *ad faces accingitur*, ut ſit dativus, ut *Accingunt omnes operi*, aut *Accingitur*, armatur, inſtruitur facibus. *Servius.*

Accingitur.] Id eſt, inſtruitur, armatur. Serv. & Turn. l. 29, 25. *Taubm.*

75. *Diripuere focos.*] Quæritur quid ibi faciant foci: Sed in carminibus quædam, nec ad ſubtilitatem, nec ad veritatem exigenda ſunt, aut certe *focos*, quos ibi habere potuerunt. *Serv.*

Piceum fert fumida lumen.] Sordidior enim in tedis & ignis & fumus eſt. *Idem.*

77. *Quis deus, ô Muſæ.*] Quia res deorum eſt & ardua, ideo per ſe eam non poteſt dicere. Hic autem gloria Turni latenter oſtenditur, cujus vis niſi à numinibus repelli non potuit. *Idem.*

Quis Deus, &c.] Hom. Il. ρ. diverſa ſententia: ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε νηυσὶν ἀχαιῶν. *Germanus.*

Teucris.] Aut detraxit præpoſitionem *Ab*, ut ſit *ab Teucris*, aut *Teucris*, in honorem ſalutemque Teucrorum incendia claſſibus avertit. *Servius.*

79. *Priſca fides facto, ſed fama perennis.*] Omnis antiquitas difficile pura & incorrupta manat in poſteros. Ergo hoc dicit, Factum hoc licet priſcum ſit, id eſt, antiquum, tamen fama ejus non eſt obliterata temporum vetuſtate. Alii ſic intelligunt, fabuloſum eſt quidem, ſed fides ejus rei penes priſcos eſt, ejus enim rei, cujus auctorem facere noluit, ſic ordinem protulit: Alii, jam quidem evanuit fides, hoc eſt nemo credit factum, adhuc tamen fama vivit. Et dicitur, priſca autem fides ἀξιοπιστία, quaſi non ſit facta hiſtoria. *Idem.*

Priſca fides facto, ſed fama perennis.] In Romano codice legere eſt, *ſit fama perennis.* Quia *d* ſæpe vertit in *t.* maximeque *ſet* pro *ſed* ſcribere ſolet, & *e* pro *i*, & vice verſa *i* pro *e.* Nam *ſed* omnino agnoſcit Servius. *Pierius.*

80. *Tempore quo.*] Veriſimilis fit res, cum tempus & locus exponitur. *Donatus.*

Quo primum.] Hoc eſt, initio. non enim ſecundo factæ ſunt naves apud Idam ab Ænea. *Servius.*

Tempore quo, &c.] Reſpectum ad ad illud lib. 3.

— *claſ-*

Æneas classem, & pelagi petere alta parabat;
Ipsa deûm fertur genetrix Berecynthia magnum
Vocibus his adfata Jovem: Da, nate, petenti;
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.

Pinea

—— *classemque sub ipsa Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ.* Cerda.

Phrygia formabat in Ida.] Id est, formare cogitabat: non enim in *Ida*, sed apud Antandrum factæ sunt. Et bene *Phrygia in Ida*, quia & in Creta est alia *Ida*, ut, *Mons Idæus ubi & gentis cunabula nostræ.* Servius.

81. *Alta pelagi.*] Absolutum, ut *Lata camporum.* Idem.

Pelagi alta] V. N. Æ. ✠ſ. 725. —— *opaca locorum.* Taubmannus.

82. *Ipsa deûm fertur genetrix.*] Figmentum hoc licet poëticum sit, tamen quia exemplo caret, notatur à Criticis. Unde longo prooemio excusatur; nam ideo & prisca ratione religionis & Jovis beneficio dicit esse perfectum, ut naves mutarentur in Nymphas; quo vel aliqua ex parte possit esse verisimile. Sane quidam *Fertur* reprehendunt, quod dicendo auctoritatem rei detraxerit: Alii laudant, quod dicendo *fertur*, incredibili rei auctoritatem dare noluerit. *Servius.*

Ipsa deûm genetrix.] Nullus homo hæc viderat aut audiverat, sed Musæ Poëtam docuerunt. *Donatus.*

Ipsa deûm fertur genitrix, &c.] In Romano codice legitur, *Ipsa deûm genetrix fertur Berecynthia.* Ac de *e* in pene ultima nominis hujus *genetrix* satis superque dictum alias. *Pierius.*

Ipsa deûm genetrix, &c.]Scribit Serv. totum hoc figmentum sugillatum à Criticis, ut quod exemplis careat. Cui recte opponit Germanus, majore figmento usum Apollonium in sua nave, quam non solum facit vocalem; sed etiam vaticinantem vectoribus lib. 1. Argon. Eadem ratione Lilius Poëtam defendit lib. 7. de Navigiis, adjungitque alia plena prodigiis. Phæacum naves apud Hom. nullis instrumentis indigebant, doctæ ipsæ locorum, ad quæ debuissent appellere. Alcinous dat navem Ulyssi, quæ mutata est in scopulum à Neptuno. Alterius navis conversæ in lapidem Athen. meminit. Quid, quæ de Sipylo fabulantur Poëtæ & fusim unus Calaber libro primo? *Cerda.*

Berecynthia.] Mater deûm à monte Phrygiæ Berecynto, cujus ultima syllaba caret aspiratione, quam addimus, quotiensćunque montem Deli Cynthum dicimus. Est autem tenuis ista discretio, quibus nominibus subtrahi debeat aspiratio. Nam ecce, Ripæi montes Arcadiæ non scribuntur cum aspiratione: quam addimus, cum Riphæos montes Scythiæ significamus. *Servius.*

Berecynthia.] Ita quoque dicta Cybele lib. 6. Æneid. & ab Ovid. 4. Fast. & ab Hor. lib. 3. Od. 19. & ab centenis. Unde illi nomen hoc contigerit lege in Lil. 4. Synt. Plausum, quo hæc Dea Romæ accepta fuerit, cum primum coli in Italia cœpit, vide apud Herodian. lib. 1. Ejus vero mythologicas significationes satis fuse Lucret. libr. 2. *Cerda.*

83. *Da, nate, petenti.*] Ac si diceret, Ei, quæ jubere debuerat. Et dicendo *Nate* & *parens* iteratione auxit adfectum. *Servius.*

Da.] Imperativa vox ostenditur parentis. *Donatus.*

Nate.] Quod nomen ad imperandum multum valet. *Idem.*

84. *Cara.*] Ut sit, da parenti quam diligis & quæ te amat. Rem autem arduam petitura, causas justas inserit. *Idem.*

Domito te poscit Olympo.] Videtur hoc dicere, Præsta ei, cujus beneficio serva-

Pinea silva mihi, multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis:
Has ego Dardanio juveni, cum classis egeret,
Læta dedi: nunc sollicitam timor anxius angit.

Solve

servatus ad Olympi regna venisti. Saturnus enim cum omnes comsumeret filios, Jovem solum esse non potuit cælatum matris auxilio. *Domito* ergo *Olympo*, in tuas scilicet leges per beneficium meum mundo redacto. Sane hæc narratio tunc 11. libri erat, sed dilata est, ut hic opportunius redderetur. Aut ne bis idem diceretur: potest ergo aut κατὰ τὸ σιωπώμενον videri, aut ὑστεροπρότερον. *Servius.*

85. *Pinea silva mihi.*] Congrue, nam pinus in tutela Matris deûm est. *Idem.*

Pinea silva.] Pinus quippe sacra fuit huic Deæ. Sen. Troad. *pinus matri sacra Cybeli.* Rationem habet Ovid. lib. 10. Metamorph.

Et succincta comas, hirsutaque vertice pinus,
Grata Deum matri: siquidem Cybeleïus Attis
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo. Cerda.

86. *Lucus in arce fuit summa.*] Hoc est apud Gargara, quæ dicta sunt quasi κάρα καρατὸς, id est, caput capitis, altitudinis altitudo, κάρα est ἡ κεφαλή. *Gargara* autem sunt montis Idæ cacumina: propter quod dixit *In arce summa.* Sane & hic locum sacratum ostendit: Et *Pinea silva* lucus fuit: tale schema est Eclog. 1. *Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes*, ubi fœminino plurali fœmininum singulare jungit. Et, *Ite meæ quondam felix pecus*, ubi duobus fœmininis pluralibus neutrum singulare que dei comitatus.* *Servius.*

Quo sacra ferebant.] Non addit qui, sed intelligimus Frigas. Item, *Centum urbes habitant magnas*: id est, Cretes, & bene arbores consecravit, quibus immortalitatem petitura est. *Idem.*

Quo sacra ferebant.] Nullum aliud hoc sacrum, quod ferebatur in lucum, quam ipsamet pinus, præeunte ad hanc conjecturam Arnobio lib. 5. ubi ait: *Pinus illa solemniter, quæ in matris infertur sacrum Deæ, nonne illius imago est arboris, sub qua sibi Attis virum demessis genitalibus abstulit?* Iterum: *Quid enim sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in Deûm matris intromittitis sanctuarium?* Possis etiam intelligere sacra alia, videlicet velamina, quibus in sacris pinus coronabatur, de quibus idem Arnob. qui hanc historiam, potius fabulam, late: *Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis, & circumvolvitis stipitem? Nonne illarum repetitio lanarum est, quibus jam deficientem* (Attin) *contexit* (Cybele) *& teporis aliquid rata est se posse membris conciliare frigentibus?* Cerda.

87. *Nigranti picea.*] *Nigranti*, umbrosa: & *picea* arboris genus est, unde pix desudat. Harum autem secundum Plinium quinque sunt species: sicut etiam supra diximus. *Servius.*

88. *Has ego.*] Non *trabes.* nam de acere naves non fiunt. Unde melius arbores intelligimus, referentes ad *piceas* vel *pinus.* Sane notandum *trabes* eum dixisse de arboribus, cum non dicantur *trabes* nisi jam cæsæ sint & depositæ. Abutitur ergo eo, quod posterius est, pro eo, quod est prius. *Idem.*

Cum classis egeret.] Pro *classe*, genitivus pro ablativo, & justa Æneæ petitio, & concedentis benignitas numinis exclusit piaculum. Nam his remotis sacrilegium committeretur, ideo addidit *læta dedi.* Idem.

89. *Timor anxius angit.*] Aut perpetuum est timoris epitheton: aut certe verum timorem voluit significare, ut separaret ab eo, qui ex cupiditate nascitur

Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem;
Neu cursu quassatæ ullo, neu turbine venti
Vincantur. prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui sidera mundi:
O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?
Mortaline manu factæ immortale carinæ
Fas habeant? certusque incerta pericula lustret
Æneas?

tur prosperorum. ut, *Exultantiaque haurit Corda pavor pulsans.* Idem.

Timor anxius urget.] In omnibus Vaticanæ bibliothecæ codicibus, & in Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis, *angit* non *urget* est. *Pierius.*

Anxius angit.] Ita Servius, Fabric. & Erythræus, & veteres libri. Alii, *urget.* Taubm.

90. *Solve metus.*] Id est, meos. *Servius.*

Solve metus.] Ita in 1. *Solvite corde metum Teucri.* Soph. Elect. ἀπηλλάχθαι φόβου. Sen. de Tranquill. cap. 15. *cura solvimur.* Græci quoque ad rem eandem κατάλυσιν, id est, *solutionem.* Eam enim vocem usurpat Nazianz. Orat. 3. cum ait, Christianos Juliani morte, liberatos fuisse metu. *Cerda.*

91. *Ne cursu quassatæ ullo.*] In Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis codicibus antiquis, *neu cursu* legitur, eadem repetitione, qua etiam superius in iisdem codicibus observavimus eo versu, *Neu struere auderent aciem, neu credere campo.* Pierius.

Quassatæ.] Ita in 1. *quassatam classem.* Quod Sen. Cont. 16. *resolutis compagibus.* Cerda.

92. *Prosit nostris in montibus ortas.*] Bona brevitate detraxit & *his* & *esse.* Nam plenum est, *Prosit his, ortas esse in montibus nostris:* quod fecit elocutionis caussa. Sane ostendit, quod supra *arcem* dixit pro monte, & bene *ortas,* ut sensum quendam navibus daret, verbum de origine commoda. *Servius.*

Prosit nostris in montibus ortas.] Debent esse majoris meriti, quam quæ sacris in lucis non sunt ortæ. Prosit illis, fuisse mihi sacras, ortas in luco meo. *Donatus.*

93. *Torquet.*] Sustinet, aut nutu suo regit. *Servius.*

Torquet qui sidera.] Cui est omnium rerum potestas, sed tamen non debet aliquid præstare contra fatum ut illa petit, scilicet ut & naves & Æneas non sint subjecti casibus. *Donatus.*

Torquet.] Ita in 4. *cœlum ac terras qui numine torquet.* Statius 8. Thebaid.
Torquet, & astriferos inclinat Juppiter axes. Cerda.

94. *Quo fata vocas.*] Ostendit fata posse aliquatenus trahi, non tamen usquequaque. Hinc enim dicit *quo,* id est, ad quam rem. *Servius.*

Quid petis istis.] Id est, pro istis. nam sic dicimus, *peto tibi,* id est, pro te. Aut *istis,* utrum precibus an navibus? *Idem.*

96. *Fas habeant.*] Jus: nec enim possunt æterna esse, quæ ab hominibus facta sunt. Horatius: *Debemur morti nos nostraque.* Nam sicut animi facta sunt immortalia, ita corporis pereunt. Sallust. *Cæterum studia omnia nostra, sicut anima, immortalia sunt.* Idem.

Certusque incerta pericula lustret Æneas?] Securus dubia tentet? Et hoc dicit, casibus licentiam hæc petitio vult adimere. Nam Æneas forte, qua homo est, navigationis debet timere periculum: quod perit, si ejus navibus æternitas detur. *Idem.*

Certus incerta.] Ita etiam opponit Auctor Theb. *præmium incertum petis, certum scelus.* Et Vitruv. præfat lib. 7. *De incerta re certæ imagines.* Exempla pluria conjunxit Johann. Savar. *Cerda.*

97. Cui

Æneas? cui tanta deo permissa potestas?
Immo, ubi defunctæ finem portusque tenebunt
Ausonios, olim quæcumque evaserit undis.
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Æquoris esse deas: qualis Nereia Doto,

Et

97. *Cui tanta deo permissa potestas?*] *Cui:* ac si diceret nec regi quidem deorum. *Permissa* autem data, ut hoc possit præstare. *Servius.*

98. *Defunctæ.*] Liberatæ. ut, *O tandem magnis pelagi defunctæ periclis.* Idem.

Defunctæ.] Liberatæ. Æn. 6.

— magnis pelagi defunctæ periclis.

Defungitur, qui tempora sua vivendo transmisit. *Defungitur* quoque, qui munus debitum complet: ita hic *Naves defunctæ* sunt, quæ Æneam, navigandi necessitate completa, in Italiam vexerunt. *Taubm.*

Portusque tenebunt.] Nautico usus est verbo, cum de navibus diceret. *Serv.*

99. *Quæcumque.*] Hic ostendit aliquas esse perituras. *Idem.*

Evaserit undis.] De undis exierit, ad eum locum, de quo navigatura jam non sit. Alii legunt *evaserit undas*, quod si est, intelligimus quæcunque evaserit undarum periculum. *Idem.*

101. *Mortalem eripiam formam.*] Bene dixit *Mortalem.* Nec enim potest fieri, ut eadem res & mortalis sit, & immortalis: sed ut sit immortalis, ante est, ut desinat esse mortalis. *Idem.*

Mortalem eripiam formam.] Est hoc, quod Prop. Eleg. 33. lib. 2. *agrestem detraxit ab ore figuram.* Cerda.

Magni æquoris.] Intelligit Mediterraneum; cujus rei trita jam est multorum observatio auctorum, etiam veterum, qui non Oceanum, sed Mediterraneum vocant *mare magnum.* Non, quod non major Oceanus, sed quia antiquis non ita notus. Ad hunc modum mare rubrum dici *suph* Hebræis, id est, *ultimum*, certissimum est: non quia vere mare illud ultimum, nam sinus Persicus majore merito posset vocari ultimus; sed quia rubrum notius Hebræis. *Idem.*

102. *Qualis Nereïa Doto.*] Non dixit, tales erunt, sic supra, *Qualis mugitus fugit cum saucius aram Taurus.* Servius.

Qualis Nereïa Clotho.] In codicibus aliquot antiquis', *quales* numero multitudinis legitur. In Vaticanæ bibliothecæ omnibus exemplaribus, *Doto* non *Clotho* scriptum observavi. Quam lectionem in Valerii quoque Flacci codicibus emendatis invenias, *Quam Panope Dotoque soror.* licet professores nonnulli, qui ætatem nostram proxime præcessere, *Clotho* reponendum ex hoc Virgilii loco censuerint. Sed in Oblongo etiam codice nomen hoc altera manu depravatum est, quum *Doto* prius scriptum esset. præterea Homerus libro 18. Iliados cum *Galatea Doto*, & *Proto* enumerat, atque alias complures Nerei filias, quæ mare incolunt, neque cum iis *Clotho* recensetur. Ait enim Δωτώ τε Πρωτώ τε Φερουσά τε Δυναμένη τε. paulo vero infra καὶ ἀγακλειτὴ Γαλάτεια. Eadem sunt apud Hesiodum in Theogonia, excepto epitheto *Galatheæ*, quam *formosam* Hesiodus vocat. Quumque Nymphas eas omnes numero quinquaginta recenseat, quæ νηρῆος ἀμύμονος ἐξεγένοντο, *Clothus* nusquam mentionem facit. Quare & his rationibus, & veteribus fretus exemplaribus, omnino legerim *Nereia Doto.* Quod vero sequitur, *& Galatea:* In Romano codice *aut* discretiva particula habetur. *Pierius.*

Nereïa Doto.] Forma alia Calab. l. 4. Νηρηΐνην de Thetide, ad eum modum, quo Catull. *Neptunine.* Legendum autem

tem

Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat: idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentis atraque voragine ripas
Adnuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat promissa dies, & tempora Parcæ
Debi-

tem *Doto*, non *Clotho*: nam & Valer. lib. 1. Arg. *Hanc Panope, Dotoque soror.* Et Claud. de Nuptiis Honorii, *vellitque coralia Doto.* In quibus etiam pessime aliquando legebatur *Clotho*. *Doto* enim nomen Nympharum, *Clotho* Parcarum est; ut etiam altrui ex Homero potest decimooctavo Iliad.

Δωτώ τε, Πρωτώ τε, Φέρουσά τε, Δυναμένη τε·

Dotoque, Protoque, Pherusaque, Dynameneque.

Nec nomen Parcæ jungendum erat (ait Eryth.) formosissimæ Galateæ. Multos quippe errores in Auctores irrepsisse ex hac literarum vicinitate, adnotatum jam Leopardo lib. 10. Emendat. c. 25. *Cerda.*

103. *Et Galatea.*] Sic & Homerus utramque Nympham conjunxit, ut & Valerius loco laudato,

Huc Panope, Dotoque soror, jactataque fluctu
Prosequitur mediis pariter Galatea lacertis,
Antra petens. —— Idem.

104. *Stygii per flumina fratris.*] Scil. Plutonis. Notat autem juramentum *Per Stygiam paludem*: quod omnium religiosissimum erat. Eadem repetuntur 10. Æn. vers. 114. & inculcat Homerus Iliad. α. vers. 528. Hymno in Apoll. vers. 84. & in Mercur. vers. 515. vide & not. 6. Æn. vers. 323.

—— *Stygiamque paludem,*
Dii cujus jurare timent & fallere numen.

Taubm.

105. *Per pice torrentis.*] Ardentes: & est figmentum poëticum. *Servius.*

Per pice torrentis.] Elegantissime *pix* de infernis aquis. Claudianus Ruff. loquens de Furia,

—— *Phlegethonta sonorum*
Poscit, & ambusto flagrantis ab aggere ripæ
Ingentem piceo succendit gurgite pinum.

Cerda.

106. *Totum nutu tremefecit Olympum.*] Homericum est, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. *Servius.*

Nutu.] Juppiter omnia nutu & renutu faciebat: unde & *numinis* appellatio. Turneb. l. 26. c. 30. De hoc loco videatur & Scalig. l. 5. c. 3. Nannius Miscell. l. 7. c. 14. notat, quod in hominibus sit *nutus*, id in Jove & Junone *tonitru* esse. *Taubm.*

107. *Ergo aderat promissa dies.*] Promissum tempus advenerat. *Servius.*

Ergo aderat promissa dies.] Retulit, quod olim gestum videretur, redit ad caussam & præsentis temporis necessitatem. Venerat, inquit, dies promissi, & dispositionem suam fata compleverant: hoc est & navigiorum munus expletum fuerat, & Æneas in Italia erat: restabat, ut naves deposita forma mortali verterentur in deas. *Donat.*

Ergo aderat, &c.] Od. λ. ἀλλ' ὅτε δὴ μῆνές τε καὶ ἡμέραι ἐξετελεῦντο, ἂψ περιτελλομένου ἔτεος, καὶ ἐπήλυθον ὧραι. & Il. ρ. οἱ αἰὼν ἀπλεῖτ' ἔτ' αἴαντος, &c. & Epigr. lib. 3. νῆμα τ' ἀναπλήσας ἐπιμοίριον· Æsch. in χοηφ. videtur μοιρόκραντον ἦμαρ vocare, quod hic, *tempora Parcæ debita complerant.* Plato in Epinom. ὅτε θανάτῳ τις τῶν τοιούτων τὴν αὐτοῦ μοῖραν ἀναπλήσῃ. & Calab. καὶ πότε γ' ὡς ἤμελλον ἐπίτυμον ἦμαρ ἐκείνου κῆρες ἀποκτελέειν. Et Hom. Il. θ. ἀναπλῆσαι οἶτον, περιφραστικῶς ἀντὶ τοῦ τελευτῆσαι· οἴκτιον δὴ κακὸν οἶτον ἀναπλήσαντες ὄλωνται. *Germanus.*

Debita conplerant, cum Turni injuria matrem
Admonuit ratibus sacris depellere tædas.
Hic primum nova lux oculis offulsit, & ingens
Visus ab Aurora cælum transcurrere nimbus,
Idæique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, & Troum Rutulorumque agmina conplet:
Ne trepidate meas, Teucri, defendere navis,
Neve armate manus: maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus. vos ite solutæ,

Ite,

108. *Turni injuria.*] Scilicet quam inferebat. Et modo *injuria* est *ἀδίκημα*, id est, injustitia. Hinc est apud comicos *injurius*, qui audet aliquid contra ordinem juris. Et bene *injuria*, quia & contra necessitatem fati, quod Trojanos ad Italiam venire compulerat, & contra rationem fœderis bella commoverat. Alii *injuria* violentia accipiunt. *Servius.*

109. *Admonuit sacris ratibus.*] In antiquis fere omnibus codicibus legere est mutato numero, *admonuit ratibus sacris.* Pierius.

Sacris.] Quia in luco Matris deûm cæsa est navium materies. supra ꝟs.85. *Taubm.*

Depellere.] Pari verbo supr. *ratibus quis depulit ignes.* Auctor Thebaidos, *nefandas mœnibus patriis faces averte.* C.

110. *Hic primum.*] Debuerunt ante conjurationem præire signa, ne casu res facta videatur. deinde vox sequitur, ut conjectura signorum firmetur. *Don.*

Nova lux.] Hoc est, repentina, id est, nimbus deorum, quod ipse paulo post dicit: In secundo, *Nimbo effulgens,* & hic *lux* proprie, aliter postea, *Continuo nova lux oculis effulsit.* Servius.

Nova lux.] Notatur *nimbus*, id est, splendor, qui divina corpora semper ambit. vide 2. Æn. ꝟs. 590. — *Venustura per noctem in luce refulsit.* Taubmannus.

Lux oculis effulxit.] In Romano codice, & aliquot aliis *offulxit*, & *obfuxsit* habetur. Sed *effulsit* receptum. *Pierius.*

111. *Nimbus.*] Lumen quod capita deorum ambit, ut sæpe dixi. *Servius.*

112. *Idæique chori.*] De Idæis Dactylis vide Apollonii interpretem: Proper. lib. 3. Eleg. 15. *Cybelle Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.* German.

113. *Agmina complet.*] Et *conplet*, & *conplerant* per *n.* & ita reliqua scribuntur præpositione incolumi, in antiquioribus quibusdam codicibus. *Pierius.*

114. *Ne trepidate meas.*] Pro *ne festinetis.* Et per hoc significatur, ideo ad navium defensionem egressos non esse Trojanos, quia numen vetuit. *Serv.*

115. *Maria ante, &c.*] Pulchre à loco in quo erant, possibilitatem sumsit. *Donatus.*

116. *Quam sacras dabitur pinus.*] Fabula talis est: Attis puer speciosus cum Matris Magnæ præesset sacris, à rege civitatis suæ adamatus est, sed cum intelligeret vim sibi à rege instare, quasdam in silvas profugit: Cum ergo inventus vim sibi videret inferri, verenda stupratoris abscidit, qui moriens eandem ipsam partem corporis puero abscidit, quem semianimem sub pinu latentem cum invenissent antistites Matris Magnæ perlatum in templum deæ frustra conati reficere, defunctum sepelierunt, cujus ut perpetua maneret memoria, Mater Magna instituit, ut quotannis in sacris suis plangeretur, pinumque arborem, sub qua jacuerat, tutelæ suæ adscripsit, & effecit ut cultores sui viriles sibi partes amputarent, qui Archigalli appellantur. *Servius.*

117. *Ite,*

Ite, deæ pelagi; genetrix jubet. & sua quæque
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumque modo demersis æquora rostris
Ima petunt. hinc virgineæ (mirabile monstrum)
[Quot prius æratæ steterant ad litora proræ]
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.

Obstu-

117. *Ite, deæ pelagi.*] Alii hucusque volunt Matrem deûm locutam. Prope enim videtur absurdum ipsam indicare quæ sit, cum jam nymphis & audientibus utique & videntibus dicat. Alii jungunt *Genitrix jubet*, & putaretur melius, quia postea ait, *quas Alma Cybele Numen habere maris, nymphasque è navibus esse Jusserat.* Idem.

Genetrix jubet.] In quibusdam codicibus antiquis ita scriptum inveni, *genetrixque jubet, sua quæque Continuo, &c.* ut sit, *Vox excidit, Ne trepidate,* & quæ sequuntur. *Genetrixque jubet, Vos ite solutæ, Ite Deæ pelagi, Sua quæque continuo puppes Abrumpunt vincula.* Sed enim *genetrix jubet*, ex persona Deæ magis placet. *Pierius.*

Genetrix jubet.] Forma hæc solita in imperio. Soph. Antig. ὅτ' ἂν κελεύσωμαι. Juppiter supra, *jubebo.* Tacit. 2. Ann. de duce: *proturbare hostem jubet.* & de Principe: *occidi Cotyn jubet.* Cerda.

119. *Delphinumque modo.*] Alia fuit comparatio Apollonii de Nereïdibus lib. 4.

Αἱ μὲν κατὰ βένθος ἀλίγκιαι αἰθυίῃσι δῦνον·

Illæ autem profunditatem subierunt mergis similes.

Ita omnes explicant αἴθυιαι. Ego *fulicam* capio. *Idem.*

Delphinumque modo.] Delphini enim, cum ima maria petunt, primam sui corporis partem mergunt, id est, caput. *Taubm.*

120. *Mirabile monstrum*] In Romano codice legere est, *mirabile dictu.* Sed *monstrum* magis placet. Quod vero sequitur, *reddunt se totidem facies*, in antiquis aliquot *redduntur totidem* habetur. *Pierius.*

122. *Quot prius æratæ steterant ad litora proræ.*] Versus hic non habetur prorsus in Romano codice, neque in Mediceo, neque quidem in plerisque antiquis, nisi subdititius. Habet vero locum in decimo, ubi Nymphæ Æneæ obviam fiunt. Cæterum illud non omittendum, quod ubi invenitur adscripticius, non *proræ*, sed *puppes* legitur. *Proræ* enim *pelago obvertuntur*, & *Stant litore puppes.* In Oblongo vero codice, neque *proræ*, neque *puppes* legitur, sed *naves.* Id autem loco suo examinabitur. Neque tamen dissimulandum quod in codice Porcio versus is, qui desideratur in aliis, invenitur quidem, sed non eo ordine, quo in vulgatis exemplaribus, sed ita transpositus,

Ima petunt, hinc virgineæ mirabile monstrum,
Quot prius æratæ steterant ad litora proræ,
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.

Quæ quidem structura, si versus sit admittendus, longe videtur elegantior. *Idem.*

Proræ.] Recte: licet versus insuavior. quia *Naves* noluit dicere: *puppes* non potuit: neque enim puppes æratæ sunt: ut notat Scaliger l. 4. c. 48. Porro Classis hujus Æneïæ μεταμόρφωσιν describit etiam Ovidius libr. 14. ℣s. 530. & seqq. Qui vero Critici hoc, ut nimis hyperbolicum notant; nec Homero debuissent parcere, qui Phæacum naves intellectu præditas, ipsasq; ἀντιπέλας natare cecinit, Ulyssea θ. Vide & 10. Æn. ℣s. 219. *Taubm.*

 123. Ob-

Obstupuere animi Rutulis: conterritus ipse
Turbatis Messapus equis: cunctatur & amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.
At non audaci Turno fiducia cessit:
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:

Troja-

123. *Obstupuere animis Rutuli.*] Hoc est, Rutulorum, dativus pro genitivo. Timuerunt ergo Rutuli, timuit Messapus numinis marini filius, qui utique fiducia patris & sui, nihil ex mari timere debuerit, vel certe, *Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro:* timuit etiam Tyberis. Per hos autem gradus, id est, Rutuli, Messapi, amnis, major Turni designatur audacia. Talis est & in quarto, *At non infelix animi Phœnissa.* Servius.

124. *Turbatis Messapus equis.*] Non placet quod in Romano codice legitur *turbatus.* Præterea *Messapus* varie scribitur: nonnullis, uti dictum *ss*, nonnullis *pp* geminantibus: neque id constanter: aliis etiam utranque consonantem simpliciter scribentibus. *Pier.*

Cunctatur & amnis.] Est hoc, quod Hom. de Xantho,

Δεινὸν δ᾽ ἀμφ᾽ Ἀχιλῆα κυκώμενον ἵστατο κῦμα·

Horrenda autem circum Achillem turbata constitit unda.

& Virg. 8. Æneid. *refluens substitit unda.* Cerda.

Et amnis Rauca sonans.] Licet antiquitas habuerit *hic* & *hæc amnis:* melius tamen est accipere *rauca sonans*, pro *rauce*, quam *rauca amnis.* Servius.

125. *Rauca sonans.*] Calaber l.4. loquens de Xantho, *ῥόον κελάδοντα·* &, *ποταμοῦ ἠχήεντος.* Eidem dat Hom. 21. Iliad. *πάταγον, ὀρυμαγδόν· strepitum, fremitum.* &, *βράχε ῥέεθρα, ὄχθαι ἴαχον· strepuerunt fluenta, clamarunt ripæ.* De eodem *μορμύρων murmurans.* Sed non dubium, quin hac raucedine allusserit Virgil. ad mugitum, qui dari solet fluminibus. Ibidem Hom. *μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος· mugiens tanquam taurus.* Cerda.

Revocatque pedem Tiberinus ab alto.] Nunc ipsum deum territum dixit: supra undas fuisse perterritas & in se repressas. *Servius.*

Revocatque pedem.] Pari turbatione de Xantho Hom. 21. Iliad. *πάντα δ᾽ ὄρινε ῥέεθρα κυκώμενος.* & de Tybr. 8. Æneid. *refluitque exterritus amnis.* A Virg. Propert. Eleg. 15. lib. 1. de fluminibus, *ad caput revocare liquores.* Et observa assumi plerumque ad hanc rem verba composita ab re. Nam Horat. Od. 29. lib. 1. *relabi rivos, reverti Tyberim.* Ovid. 4. de Pont. *flumina reditura.* & in Epist. *versa recurrat aqua.* Virg. 8. Æneid. *refluens unda.* Plin. *mare refugum.* Auctor Thebaid. *regeret in fontem citas revolutus undas amnis.* ubi *regero*, & *revolvo*: ita possis, *ἀναχωρεῖν, ἀνακρέειν.* Vide 8. Æneid. ad illud, *refluitque exterritus amnis.* Cerda.

126. *At non audaci cessit fiducia Turno.*] In codicibus aliquot antiquis ad cappacismum evitandum, transpositis dictionibus legitur, *at non audaci Turno fiducia cessit.* Sed enim *cessit fiducia Turno* versum reddit sublimiorem, validioremque, qui languescere videatur, si *fiducia cessit* legas. *Pierius.*

Audaci Turno.] Ecce ubi confirmat Epitheton, quod Turno semper imponit, & hoc colore futuram orationem ostendit. *Servius.*

127. *Animos tollit dictis.*] Magnanimitatem suam, quia ipse non terreatur, comprobat dictis. Tale est & illud de contrario, *Turbatumque oculis.* Potest tamen accipi, eorum animos tollit qui erant territi, & hinc increpat. *Idem.*

Increpat ultro.] Temeritas maxima, qui cum factum intellexisset, debuit potius fortunam suam deflere. *Donatus.*

128. *Tro-*

Trojanos hæc monstra petunt: his Juppiter ipse
Auxilium solitum eripuit: non tela, nec ignes
Exspectant Rutulos. ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugæ: rerum pars altera ademta est:
Terra autem in nostris manibus: tot millia gentes
Arma ferunt Italæ. nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se jactant, responsa deorum.

Sat

128. *Trojanos hæc monstra petunt.*] Id est, Appetunt, hoc est, ad Trojanorum pertinet damnum: ut, *Reginam petit.* Servius.

Hæc monstra.] Sic & Græcis τέρας tam monstrum vulgari significatione, quam signum à numine dicitur, ut passim apud Hom. & Eurip. in Phœn. οἱ δ᾽ αὖ παρ᾽ ἡμῖν δεξιὸν Διὸς τέρας ἰδόντες, &c. *Germanus.*

Juppiter ipse, &c.] Scilicet qui omnibus præstare consuevit. Unde & *Juppiter* dictus est, quasi *juvans pater.* Ergo *Auxilium solitum* non circa Trojanos accipimus: sed quod ipse omnibus præstare consuevit. Alii *auxilium solitum*, auxilium fugæ accipiunt. *Servius.*

His Juppiter ipse.] Reddit versum Hom. 8. Iliad.

Ἦ οὐ γιγνώσκεις ὅτι ἐκ Διὸς οὐχ ἕπετ᾽ ἀλκή;

An non cognoscis, quod ex Jove non sequitur auxilium. Cerda.

129. *Auxilium solitum.*] Quasi dicat, qui fugere semper soliti sunt. *Donatus.*

Non tela, nec ignes Exspectant Rutulos.] Non expectant Trojani, ut Rutulorum ignibus aut telis pereant: qui jam navium amissione perierunt. *Serv.*

130. *Expectant Rutulos.*] In antiquis *exspectant.* Sed enim Grammatici quidam in hoc significato adimunt *s*, uti alibi dictum. *Pierius.*

Maria invia Teucris.] Color est. Nam rem, quam pro se Trojani putabant, in contrarium vertit, dicens, navigationis & fugæ auxilium perdidisse Trojanos, quos constat pro felicitate habuisse navigationis vitare discrimina. *Servius.*

131. *Rerum pars altera demta.*] Id est, naturæ rerum. Humanæ enim naturæ duo elementa concessa sunt, mare & terra. *Idem.*

Rerum pars altera ademta est.] Neque id placet, quod in Romano codice legere est *dempta est*, quum aures magis impleat *adempta*, quod forte factum per apostrophen. *Pierius.*

132. *Terra autem in nostris manibus.*] Ita est in Romano codice, & in Oblongo, & in Mediceo. sed in aliis quibusdam antiquis legere est, *in manibus nostris.* Idem.

Tot millia.] Separa, & deinde dic *gentes.* Donatus.

Tot millia gentes Arma ferunt Italæ.] *Milia* unico *l* antiquissima veterum consuetudine scriptum. In codicibus antiquis plerisque *gentis* legitur, quod genitivi casus multi volunt esse, *Gentis Italæ.* Sed mihi figuratum magis videtur *gentes* legere, atque ita nescio quid elegantius præ se ferre. *Pierius.*

133. *Nil me fatalia terrent.*] *Nihil* pro *non*, & tacitis occurrit quæstionibus dicens, Si fataliter se ad Italiam venisse dicunt, jam venerunt, completa sunt fata. & callide tacuit quod erat fatale. Trojani enim dicebant Italiæ sibi regna deberi. Et est oratorium, quæstiones ita proponere, ut facilem solutionis sortiantur eventum. *Servius.*

134. *Si qua Phryges præ se jactant Responsa deorum.*] *Jactant*, quasi & ista confingant. aut, *Præ se jactant*, præferunt. *Idem.*

Phryges.] Pro convitio posuit. *Don.*

Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva
Fertilis Ausoniæ Troës. sunt & mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem
Conjuge prærepta: nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.

Sed

135. *Sat fatis Venerique datum est.*] In Romano quidem codice & in Mediceo *est* habetur: in aliis vero minime: perinde ac etiam in eo loco, *sat patriæ Priamoque datum*, absque *est* legitur: quod longe concinnius videtur. *Pierius.*

Tetigere quod arva, &c.] Quæstio est, an superare possent qui forte venerint, &, sicut supradictum est, per concessionem argumentatur, etiamsi vera sunt quæ jactant, tamen jam completa sunt, *tetigere quod arva Fertilis Ausoniæ Troës.* Servius.

Tetigere quod arva, &c.] Non abit hic locus ab eo l. 7. *Si gener externa petitur de gente, &c.* ubi quemadmodum Amata interpretatur fata in gratiam Turni; ita hic Turnus in gratiam quoque sui. *Cerda.*

136. *Sunt & mea contra Fata mihi.*] Hoc falsum est quod dicit Turnus: sed in arte rhetorica tunc nobis conceditur uti mendacio, cum redarguere nullus potest. Ut in hoc loco, quis enim potest scire si Turno vere data sint, necne responsa? Sane quia scit falsum esse quod loquitur, argumentis probare dicta contendit, dicens esse sceleratam gentem, raptam sibi conjugem. In quo facto utitur Græcorum exemplo, qui ob raptam Helenam gentem delevere Trojanam. *Servius.*

Sunt & mea fata mihi.] Allusum forte ad Hom. 3. Iliad. σὺν δὲ γὰρ θεοί εἰσι ἡμῖν· *Adsunt & nobis Dii.* Tale & illud Ovid. *habetque Deos pars utraque.* Hæc duo alii junxerunt. Addo Tacitum qui 1. Ann. *Non hic silvas & paludes, sed æquis locis æquos Deos.* Achill. quoque ad Hectorem Iliad. 20.

— τίς καὶ ἐμοί γε θεῶν ἐπιτάῤῥοθός ἐστι.

Plutarch. in Nicia: ἀλλ' ἑτέρους ἔχων μάντεις ὁ Ἀλκιβιάδης· *sed alios habet Alcibiades vates.* Simillimum illud Eurip. in Heracl. ubi Iolaüs, *Si Argivis præest Juno, nobis Minerva.* Græca sunt: τῶν μὲν γὰρ Ἥρα προστατεῖ, ἡμῶν δ' Ἀθηνᾶ. Inde in Phœniss. Polynices Argivus invocat Junonem contra fratrem, Eteocles Thebanus Minervam contra fratrem. *Cerda.*

138. *Conjuge prærepta.*] Invidiose sponsam, *conjugem* vocat. *Servius.*

Nec solos tangit Atridas Iste dolor.] Cur non in similitudine criminis sit pœnæ similitudo? si culpa repetitur, supplicia quoque geminentur. *Idem.*

Solos Atridas.] Si luerunt pœnas primarum injuriarum in Atridas pulsi patria, luent & istarum in nos jam extorres, & ideo imbecilliores: est ergo mirum exemplum. deprimit autem omnia illorum gesta apud Trojam, & se Græcis præponit, quod non fraude, sed vi velit adoriri. *Donatus.*

Nec solos tangit Atridas iste dolor.] Comparat Macrob. lib. 5. cap. 9. locum hunc cum illo Homerico l. 9. Iliad.

— τί δὲ λαὸν ἀνήγαγεν ἐνθάδ' ἀγείρας
Ἀτρείδης; ἦ οὐχ Ἑλένης ἕνεκ' ἠϋκόμοιο;
Ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεῖδαι; —

Et quidem versum Homericum jactatum instar Proverbii Erasmus jam monuit ex Ulpiano. Lege illum Chil. 4. Cent. 6. cap. 34. *Cerda.*

Tangit.] Est hoc, quod Hom. sæpe in re simili ἱκάνει, & ἵκετο. Alii ἅπτεσθαι, & θίγειν. Ovidius Epist. *nec te Pari munera tangunt*, id est, non te afficiunt, & commovent munera. Val. 8. Arg. *socios ex gloria tangit.* Vid. P. Victor. Var. Lect. lib. 9. c. 19. *Idem.*

140. *Per-*

Sed periisse semel satis est: peccare fuisset
Ante satis; penitus modo non genus omne perosos
Femineum: quibus hæc medii fiducia valli,
Fossarumque moræ, leti discrimina parva,
Dant animos: at non viderunt mœnia Trojæ
Neptuni

140. *Periisse semel satis est.*] Quasi objectio est, ut si dicatur, sed periisse semel satis est, immo vero semel satis fuit eos peccasse, ex quo colligitur quotiens peccaverint, totiens eos perire debere. *Servius.*

Sed periisse semel satis est.] In codicibus nonnullis admodum vetustis, legere est *si periisse.* & pro peccare, *peccasse.* Nam si *sed* legas, ratiocinium illud non nihil impetum concitatæ orationis remorari videtur, quæ nihilo serius tamen decurrit, dicendo *si.* In quo illud unum est negotium ut ad objecta respondeatur, neque nunc per interpellationem, dum res geritur, retardetur. Affirmativa enim omnis enuntiatio moram trahit, quæ in condicionali, vel conjunctiva properatur. *Pierius.*

Sed periisse, &c.] Sensus est: Si semel peccasse, & peccati istius pœnam luisse sufficeret; profecto Trojani omnes fæminas vehementissime odissent. Ita diluit occupationem peccandi consuetudine in Trojanis: ut quos exitium suum ad frugem bonam formare non valuerit. *Taubm.*

141. *Penitus modo non genus omne perosos Femineum.*] Modo omne genus fœmineum, non eos penitus perosos oportebat, propter quod ante perierunt. Locutus est autem figurate. *Servius.*

Penitus modo non genus omne, &c.] In codicibus aliquot antiquissimis *modo nec genus.* Sed recte Servius *non* adverbium agnoscit. Est & ubi *perosum* legatur, sed corrupte. Nam *perosos* legendum: quod duorum infinitivorum *periisse* & *peccare*, suppositum est. *Pierius.*

Modo non.] Ferme, commodum: Græcis μονονουχί. Sic Tibull. l. 1. El. 1.

Jam modo non possum contentus vivere parvo. Emmeness.

142. *Medii fiducia valli.*] Quod inter Trojanos Rutulosque sit medium, & bene de muris nihil dixit. *Servius.*

143. *Fossarumque moræ.*] Non tutela: sed mortis dilatio. *Idem.*

Fossarumque moræ leti discrimine parvo.] In Romano codice legere est *fossarumque mora & leti discrimine parvo Dant animos.* In eodem, in Porcio, & aliis quibusdam manu scriptis *discrimina parva* legitur per appositionem, quod valde placet. *Pierius.*

Leti discrimina parva.] Quantum scilicet murus habet latitudinis, tantum a morte est discriminis. Quis nescit illud Juven. Sat. 12.

— *digitis à morte remotus*
Quatuor: aut septem, si sit latissima tæda.

Cestius apud Sen. Rhet. Cont. 16. *Parva materia sejungit fato.* Quem ad locum And. Schott. adducit verba Theonis Sophistæ. Quæ præcipue ad rem faciunt, hæc sunt: πλησίον ἔχοντες τὸν θάνατον πλέουσι, λεπτὴν ἔχοντες εἰς σωτηρίαν ἐλπίδα, τὰ ξύλα, ἐφ᾽ ὧν φέρονται· *Proximam habent mortem, qui navigant, tenui lignorum, quibus feruntur ad salutem, spe.* Ideo Plin. eleganter l. 35. c. 7. naves vocat *pericula.* Quasi nihil periculosius, quam ubi est minimum discrimen à morte. Curt. lib. 3. de re alia loquens, *tenue discrimen* dixit. Hom. Iliad. τυτθὸν γὰρ ὕπερ ἐκ θανάτοιο φέροντο· *paululum enim à morte distant.* & lib. 10. ὀλίγος δ᾽ ἔτι χῶρος ἐρύκει. quia exiguum loci spatium à morte arcebat. *Cerda.*

144. *An non viderunt.*] Legitur & *At non viderunt:* si *An non*, absolutum est, si *At non*, inceptiva est particula

Neptuni fabricata manu considere in ignis?
Sed vos, ô lecti, ferro qui scindere vallum
Apparat, & mecum invadit trepidantia castra?

Non

ad ornatum pertinens. Horatius, *At ô deorum quicquid in cœlo regit.* Tale est, *At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor.* & est exemplum à majore ad minus, hoc est, At credo, non viderunt Neptuni manu fabricata mœnia conflagrasse, ut fiduciam vitæ in exigua, & parva fossa habeant. *Servius.*

An non viderunt.] In antiquis plerisque codicibus *At non* legitur, particula ea confutationibus, comparationibus, & redargutionibus apta. ut, *At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor.* P.

145. *Considere in ignis.*] Ita 2. *considere in ignes Ilium.* Prop. Eleg. 9. l. 3. *in cineres arcem sedisse.* Et Tacit. 3. Hist. *Cum omnia sacra, profanaque in igne considerent.* Cerda.

146. *Sed vos, ô lecti, ferro quis scindere vallum Apparat.*] In codicibus aliquot antiquis *sed vos electi* legitur, quod nequaquam placet. illud non ita repudiaverim, quod in Mediceo & aliis codicibus perveteribus habetur, *ferro qui scindere vallum.* Et in aliquot ex his *apparet.* Non per interrogationem, sed per enuntiatum, quamvis interrogatio non displiceat. *Pierius.*

Sed vos, ô lecti, &c.] Totus hic locus Homerum sapit ex Nota Macrob. l. 5. c. 9. Habentur versus lib. 12. Iliad.

Ὄρνυσθ' ἱππόδαμοι Τρῶες, ῥήγνυσθε δὲ τεῖχος
Ἀργείων, καὶ νηυσὶν ἐνίετε θεσπιδαὲς πῦρ·
Surgite bellatores Trojani, frangite munitionem
Græcorum, & navibus impingite ignem noxium. Cerda.

Lecti ferro.] Utrum ad ferrum lecti, an potius acie lecti? ut si dixisset, virtute lecti. *Servius.*

O lecti.] Nescio quid hoc grandius ad benevolentiam, quam illud omnium *ô socii.* quam illud Ammiani lib. 20. ore Juliani, *propugnatores mei fortes, & fidi.* quam illud ejusdem lib. 21. *magni commilitones.* Tales milites κεϱϑίντας vocat Hom. Iliad. 13. *Cerda.*

Vallum.] Historice locutus est: *Vallum* autem dicitur ipsa munitio. Nam *valli* fustes sunt, quibus vallum munitur. Ipse de sustentaculis vitium, *Vallos primus sub tecta referto.* Servius.

Scindere vallum.] Tale illud Hom. Iliad. 12. apud quem Hector hortatur suos τάφρον διαβαινέμεν. *Cerda.*

147. *Mecum invadit, &c.*] Sup. quoque se exemplum proposuit:
Ecquis erit mecum, ô juvenes, qui primus in hostem, &c.

Alexander apud Curt. lib. 4. *Nec postulare se, ut fortiter capesserent prælium, nisi ipse ceteris fortitudinis fuisset exemplum; se ante prima signa dimicaturum spondere.* & de eodem lib. 3. *ante prima signa ibat.* De Juliano Amm. l. 15. *Pugnatores accendens præeundo.* De Annibale Polyb. 3. Hist. τότε μὲν ὑπόδειγμα τῷ πλήθει ποιῶν αὑτόν· *Se ipse multitudini in exemplum dabat.* & statim παραβόλως διδοὺς αὑτὸν εἰς τοὺς κινδύνους· *temere se in pericula objiciebat.* Marius ab Sallust. Jugurth. dicitur, *in prælio consultor idem, & socius periculi.* Plin. de Trajano Paneg. *dux & miles.* Ut de Alexandro Curt. 3. *Non ducis magis, quam militis munera exsequebatur.* De Catilina Sallust. *Strenui militis, & boni Imperatoris officia simul exsequebatur.* Vide Albertum Krant. lib. 6. Hist. Vand. c. 20. ubi loquitur de Absalone Episcopo belli duce. *Cerda.*

Trepidantia castra.] Ut, *Turbataque arripe castra.* Servius.

Trepidantia castra.] Nam hæc occasio rei gerendæ. Respectum, credo, ad illud Iridis, quæ supra ad Turnum, *& turbata arripe castra.* Idem Turnus in 10.
——*ultro occurramus ad undam*
Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima. Cerda.

148. Non

Non armis mihi Volcani, non mille carinis
Eſt opus in Teucros. addant ſe protenus omnes
Etruſci ſocios: tenebras & inertia furta
Palladii, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Ne timeant; nec equi cæca condemur in alvo.
Luce palam certum eſt igni circumdare muros.
Haud ſibi cum Danais rem faxo & pube Pelaſga
Eſſe putent, decumum quos diſtulit Hector in annum.
Nunc

148. *Non armis mihi Volcani, non mille carinis.*] Bene *Arma* generaliter dixit. Nam & ipſe habuit à Vulcano, ſed ſolum gladium: ut, *Enſem, quem Dauno ignipotens deus ipſe parenti Fecerat, & Stygia candentem tinxerat unda.* Per hoc autem quaſi latenter dicit ſe Achille eſſe meliorem, qui ſe Trojanos etiam ſine divinis armis ſuperare poſſe confidit. *Servius.*

Mille carinis.] Vid. ſupra lib. 2. Æn. ỳſ. 198. *Emmeneſſ.*

149. *Addant ſe protinus omnes.*] Ne timere videatur auxiliorum multitudinem, dicit incrementa eſſe victoriæ: quidam *protinus* hic pro *licet* accipiunt. *Servius.*

150. *Tenebras & inertia furta Palladii.*] Nam Diomedes & Ulyſſes noctu Trojam ingreſſi ſimulacrum Minervæ fatalis ſuſtulerunt. vide 2. Æn. ỳſ. 164. *Taubm.*

151. *Cæſis ſummæ cuſtodibus arcis.*] In Romano codice, *cæſis late cuſtodibus arcis* legitur: in quibuſdam aliis *late* adverbialiter: horum utrunque fœdiorem oſtendit cædem. Sed epitheton *ſummæ*, proprium eſt arcis. Et Homericum eſt carmina repetere: quod nonnunquam Virg. imitatur. *Pierius.*

152. *Nec equi cæca condemur in alvo.*] In Romano codice *alveo.* Unde in quibuſdam aliis antiquis *cæco.* Sed de *alveo* non admodum ſollicitus fuerim. Quod vero *cæco*, an *cæca* legendum ſit, Attius quidem virili genere *alvum* poſuit: ſed Virgilium ait Nonius fœmininum protuliſſe. *Idem.*

153. *Luce palam.*] Propter *tenebras & furta inertia.* Vel *luce*, quod Ilium nocte captum eſt: *Palam*, quia inſidiis. *Servius.*

Igni circumdare muros.] In gloriam ſui, in contemptum Trojanorum: nam hoc genus belli totum ad contemptum hoſtium. Auctor Paneg. Conſtantini: *Neque vallo, foſſaque obſeſſio inchoata eſt, nec cuniculis agendis, nec machinis admovendis, nec incutiendo ariete tentati, quaſſatique ſunt muri: ſed ſtatim injectæ faces portis, ſcalæ propugnaculis, &c.* Hæc enim in oppugnando facilitas, & celeritas deſpicatum arguit: & de hac re eſt ſermo Panegyriſtæ. Inde in 12.

Scalæ improviſo, ſubitusque apparuit ignis.

Quaſi ita facile oppugnaretur Latini civitas. *Cerda.*

154. *Haud ſibi cum Danais, &c.*] A natione, ut imbelli, & quæ tecto dolo, non virtute vincere didicit: quare diſerte addidit, *arte Pelaſga.* Græcis dolis, & Græca fide. *Hortenſ.*

Faxo.] Germ. *Was gilts.* Vide Notas Plauti Aul. act. 3. 5. 20. *Taubm.*

155. *Eſſe putent.*] In codice Mediceo, & aliquot aliis antiquis, *eſſe ferant* legitur. *Pierius.*

Decimum quos diſtulit Hector in annum.] Legere eſt in antiquo codice, *decumum* per *u* in pene ultima. & in antiquiſſimo codice actionum in Verrem M. Tullii, ſemper *decumas* notatum animadverti, *& agri Vejentani decumas votas.* Et ita paſſim apud Livium in veteri codice, & *quartidnis decumi* Augu-

Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
Procurate, viri; & pugnam sperate parari.

Inter-

sti Liberti monumentum alibi citavimus, ne quis hoc per librariorum imprudentiam scriptum putaret, sed quia ætas illa in Augusti gratiam ita scribere consuerit. Cujusmodi exempla locis pluribus recitata sunt. *Pierius.*

Quos distulit Hector.] Bene solius Hectoris facta est commemoratio, ut ostendatur periisse eum, qui potuit esse terrori. Et satis Hectori dedit, quasi plus esset differre quam vincere, per quod vult Ænean nihil fortiter in bello fecisse Trojano. *Servius.*

Decumum quos dist. Hector in annum.] Est hoc, quod in 11. de eodem Hectore & Ænea: *& in decimum vestigia rettulit annum.* Ita etiam Hector à Sen. Troadib. dicitur *mora fatorum*; ut etiam à vetere Poëta Apronio Silone apud Sen. Rhet. Suas. 1. *belli mora concidit Hector.* Andromacha 22. Iliad. loquens cum suo Hectore:

Οἶος γάρ σφιν ἔρυσο πύλας, καὶ τείχεα μακρά·
Solus enim ipsis defendebas portas, & muros longos.

Philostr. in Heroïc. de eo loquens, καὶ τὸ ἐπ' αὐτῷ, καὶ μὴ ἐπ' ἄλλῳ εἶναι τὴν Τροίην· *in illo, & in alio nemine Trojanorum rem sitam.* Ab Calab. 2. dicitur μέγα κάρτος Τρώων. & lib. 10. ἔρυμα δ' ὑψηλὸν πάτρης. Vide & Strabon. l. 13. ubi Fimbria cum gloriaretur, undecimo die Trojam cepisse, cum Agamemnon vix annis decem, audivit, οὐ γὰρ ἦν Ἕκτωρ ὁ ὑπερμαχῶν τῆς πόλεως· *non enim Hector aderat, qui pro civitate pugnaret.* In 2. Æneid. *spes ò fiducia Teucrûm.* Sen. Trag. *columen patriæ.* Cerda.

156. *Melior quoniam pars acta diei.*] Id est, major, & prima. An quoniam dicit hoc optimum quod matutinum? *Servius.*

Melior pars diei.] Id est, major, & prima, hoc est, è duodecim horis septem primæ: quæ cum exactæ sunt, non major tantum, sed & melior pars acta est. Et consultissime dixit non *majorem*, sed *meliorem* partem. Romani enim primis septem horis seria tractabant, reliquis jocos, balnea & convivia sectabantur. Paulus JC. *Cujusque diei major pars est horarum septem primarum diei, non supremarum.* quem locum curiosissime explicat L. Ramirez Hisp. ad Martial. l. 4, 8. Vide & Turneb. l. 3. c. 14. Ita *solidum diem* Horatius Od. 1. vocat eas horas, quæ ante cœnam rebus seriis destinatæ erant, ut diximus etiam ad Plaut. Asinar. act. 4. 2. *De die potare.* Taubm.

Pars acta diei.] In plerisque codicibus antiquis, *diei est* legitur: quod sua me offendit exilitate, quum absque substantivo verbo concinnius omnino versus hic enuntietur. *Pierius.*

157. *Bene gestis corpora rebus.*] In eo tantum, quod hostes non ausi sunt egredi: nam nihil egerant. Ergo hortativa est oratio ad socios, ut audaciores esse debeant cum videant se timeri. *Servius.*

158. *Procurate.*] Verbum compositum, id est, curate. *Idem.*

Corpora procurate.] Hæc è mediis castris in Poësin tracta, in Scal. lib. 5. c. 3. Proverb. est. Varronis: *Pransus paratus.* quod à militibus tralatum est, qui pransi & curatis corporibus ad pugnam expediti ducebantur. Cato lib. 5. Orig. *Exercitum suum pransum paratum cohortatim eduxit foras atque instruxit.* Hinc idem Varro: *Pransum ac paratum esse hominem oportet*, id est, ad omnem casum semper instructum. Vide J. Lips. l. 2. c. 9. Elect. & Auson. Popmam in Collect. p. 209. Contrarium est, *Pransus potus*: quo & Cic. utitur. De quo in Comment. nostro Plautino Menæch. act. 3. sc. 2. *Taubm.*

Pugnam sperate parari.] Scilicet contra Trojanos, non à Trojanis, ne videatur

Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, & mœnia cingere flammis.
Bis septem, Rutulo muros qui milite servent,
Delecti: ast illos centeni quemque sequuntur
Purpurei cristis juvenes auroque corusci:

Discur-

deatur contra supradicta omnia nunc sociis inferre terrorem. Ergo à me parari sperate, id est, pugnaturos vos scitote, licet hostes muris se teneant, ut, *Arma parate animis, & spe præsumite bellum.* Servius.

Et pugnam sperate parati.] Antiqui omnes codices, quotquot inspexi, *sperate parari* legunt. Quod etiam agnoscit Servius, cum dicit, *contra Trojanos, non à Trojanis* scilicet *parari pugnam.* P.

159. *Vigilum excubiis.*] *Excubiæ* diurnæ, sunt: *Vigiliæ*, nocturnæ. *Servius.*

Vigilum excubiis.] Notant Grammatici *excubias* esse diurnas, *vigilias* nocturnas: ita tamen ut *excubiæ* pro vigiliis sumantur, non contra *vigiliæ* pro excubiis. Credo illos decipi in hoc extremo, nam *vigiliæ* fortasse pro excubiis, inclinante in hoc Ammiani loco lib. 20. *Proin dies & noctes intenti vigiliis, cautiores stantes utrobique faciebant.* Ubi *vigilias* nominat de diebus pariter & noctibus, nullo discrimine. Et statim, cum narratur bellum, die factum, non noctu ait: *Defensores, ni vigilassent, exitium adfore jam sperantes.* Cerda.

160. *Cingere flammis.*] In antiquis *flamma.* Sed magis placet *flammis* numero multitudinis, ut negotium id multorum opera procuratum indicet. *Pierius.*

161. *Bis septem Rutuli.*] Locus Hom. clarus Iliad. 9.

Ἑπτ' ἔσαν ἡγεμόνες φυλάκων, ἑκατὸν δ' ἑκάστῳ
Κοῦροι ἅμ' ἔστιχον, δολίχ' ἔγχεα χερσὶν ἔχοντες·

Septem erant duces custodium, centum vero cuilibet
Juvenes una ibant, longas hastas manibus habentes.

Virgil. supra Homerum *bis septem*, quia infra, *variantque vices.* Itaque, etsi non dicat, certum est tamen, septem præpositos vigiliis, dum alii septem interquiescerent; deinde variatam vicem. *Cerda.*

162. *Centeni quemque.*] Centurionum scilicet, ex more Romanæ militiæ; nam ex numero militum, qui eos sequuntur, gradus dignitatis apparet. *Servius.*

Centeni quemque sequuntur.] In Romano codice *secuti* legitur: in reliquis *sequuntur*, & *secuntur* Pierius.

163. *Purpurei cristis juvenes.*] Hic versus per figuratum ablativum prolatus est. *Servius.*

Purpurei cristis juvenes.] Sunt codices, in quibus *purpureis cristis* legatur. Sed figuratum magis *purpurei.* & huic similis nominativus sequitur *auroque corusci*, quamvis etiam dici possit, *Corusci purpureis cristis, auroque.* Pierius.

Purpurei cristis juvenes.] Figurata, & elegans locutio, pro *purpureis cristis*: ipsi enim à cristis purpurei. Sic infra vocat Nisum *jaculo celerem*, pro, *jaculo celeri.* Iterum,

Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus. ——

Pro *armis aureis.* Sic Pers. Sat. 5. *recutita Sabbata*, pro Sabbata Judæorum recutitorum. Judæi enim recutiti, & vere apellæ, non Sabbatum. Hom. libro 11. Iliad. φοίνικι φαεινὸς, id est, *splendidus purpura.* Eurip. in Herc. πολιὸν δάκρυον, loquens de Amphitryone, *lacrymas canas*, pro, lacrymas cani hominis. & in Tauris: ἀύπνας ἀκτὰς, *insomnes petras.* Non certe petræ marinæ insomnes, sed qui præternavigabant. ibid. κλισίαν λέκτων δαίλων,

Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam
Indulgent vino, & vertunt crateras aënos.
Conlucent ignes: noctem custodia ducit
Inso-

λίκω, pro, λύκων δολίων. & in Rheso, φωτὸς αἱμύλον δόρυ· *hominis hastam deceptricem*, pro, φωτὸς αἱμύλȣ. *Cerda.*

164. *Variant vices.*] Ut invicem potent. *Servius.*

Variantque vices.] Similiter apud Apulejum lib. 9. Metam. *Anus quædam, stupri sequestra, & adulterorum internuntia, de die cottidie inseparabilis aderat. cum qua protinus jentaculo, ac dehinc vino mero mutuis vicibus velitata, scenas fraudulentas in exitium miserrumi mariti construebat.* Emmeness.

165. *Indulgent vino.*] Ablativus casus est, & deest *sibi*, ni figuratum est ex fiducia, scilicet sequitur quæ Rutulos habeat fiducia. *Servius.*

Vertunt crateras aënos.] Potantes exhauriunt: & est hemistichium Ennianum. *Idem.*

Vertunt crateras aënos.] Innuitur largissimum potandi genus; ita enim bibebatur, ut toti crateres verterentur. Ita accipe Plautum in Sticho:

Namque adepol quamvis subito vel cadus verti potest.

Et Stat. lib. 6. Theb. *spumantemque ore supino vertere*, scilicet craterem. & Horat. duobus in locis. Nam Od. 29. l. 3.

Non ante verso lene merum cado.

Et Stat. 8. lib. 2.

Invertunt Aliphanis vinaria tota.

Sicut ergo *inclinare cadum*, erit parce bibere: ita *vertere*, erit largissime. Nam, cum eo res devenit, ut cadus vertatur, jam tum fundus hauritur. *Cerda.*

166. *Conlucent ignes.*] Ad ignem enim agebantur vigiliæ. Hinc statim ỷs. 189. *Lumina rara micant.* Hom. Iliad. Θ. ỷs. 550. πυρὰ δὲ σφισι καίετο πολλά. & ỷs. 557.

Τρώων καιόντων, πυρὰ φαίνετο Ἰλιόθι πρό.

Χίλι' ἄρ' ἐν πεδίῳ πυρὰ καίετο, πὰρ δὲ ἑκάστῳ

Εἴατο πεντήκοντα, σέλας πυρὸς αἰθομένοιο.

Trojanorum accendentium ignes apparebant ante Ilium.

Mille siquidem in campo ignes ardebant, apudque singulos

Sedebant quinquaginta viri *ad jubar ignis ardentis.*

& Horat. l. 1. od. 10.

Thessalosque ignes, & iniqua Trojæ Castra fefellit.

Emmeness.

Custodia.] Nomen ambiguum, sed modo quæ custodit. *Servius.*

Custodia.] Nota diligenter, *custodiam* non solum dici de carcere, ubi vincti, sed etiam de ipsis custodibus: & ita hoc loco *custodia* sunt ipsi milites. Josephus cap. 15. lib. 7. Bell. τὸ τεῖχος φρȣραῖς ἐπιμελεστέραις διελάμβανεν. Ubi φρȣρὰς dixit, quos statim φρȣρȣ̀ς se explicans. Adjicit enim, ȣ̓ μὴν ἀντέχειν οἱ φρȣροὶ πρὸς τὰς αὐτομολίας ἴσχυον. Et Claud. 2. Eutrop. in sermone etiam vigiliarum, *vicibus custodia nullis Advigilat vallo*, id est, nulli custodes per vices vigilant. Sed & *custodiam* sumi pro ipsis vinctis omitto, ne agam, quæ jam Lipsius. Itaque vox una contrariam habet significationem: nam significat & custodientem, & custoditum. *Cerda.*

Noctem custodia ducit.] Est hoc, quod Horat. epist. 5. lib. 1.

Æstivam sermone benigno tendere noctem.

Locutus vero Virgil. phrasi Plauti Trucul. *noctes ducere.* Propert. Eleg. 3. lib. 1. *perducas noctes.* Stat. 2. Theb.

Insomnem ludo certatim ducere noctem.

Valer. 1. Arg. *ludoque educite noctem.*

Lucan lib. 4.

Extrahit insomnes bellorum fabula noctes.

Plutar. in Themist. νύκτας ἀγρυπνεῖν. *Idem.*

167. In-

Inſomnem ludo.
Hæc ſuper è vallo proſpectant Troës, & armis
Alta tenent: nec non trepidi formidine portas
Explorant, pontiſque & propugnacula jungunt:
Tela gerunt. inſtant Mneſtheus acerque Sereſtus:
Quos pater Æneas, ſi quando adverſa vocarent,
Rectores juvenum & rerum dedit eſſe magiſtros.
Omnis per muros legio, ſortita periclum,

Excu-

167. *Inſomnem ludo.*] Cuſtodes vigilabant, bibebant, ludebant. quæ omnia non refectionis erant, ſed fatigationis. Et obſerva in his decorum. *Taubmannus.*

168. *E vallo.*] E muro. *Servius.*

Hæc ſuper è vallo proſpectant Troës.] Hæc videntes Trojani; facilis enim fuit de ſummo proſpectus, quia ignis plurimis locis accenſus nihil occultabat. *Donatus.*

Armis alta tenent.] Bona elocutio, id eſt, armati tenent alta, hoc eſt, muros; *tenent* autem cuſtodiunt. *Servius.*

169. *Trepidi formidine.*] Feſtini per formidinem. Nam non eſt iteratio. *Idem.*

170. *Explorant.*] Confirmant. *Idem.*

Pontiſque.] Qui fiunt in muris anguſtioribus. Ut ſit facilior tranſitus ad diviſas muri partes. *Idem.*

Propugnacula.] Pinnas murorum. *Idem.*

Pontiſque, & propugnacula jungunt.] Explico, *jungunt pontes propugnaculorum.* Eſt enim figurata locutio, ut, *pateris libamus, & auro.* Sunt vero hi pontes, qui parati ad diſcurſum militum, ideo excitabantur inter turres, aut propugnacula. Hos pontes fuiſſe apud Amm. intellige, cum de obſeſſis ait lib. 20. *Ingentibus animis per turres diſcurrebant*, ſcilicet mediis pontibus. Inde idem eodem lib. nominat *mœnium membra*, videlicet ab hac diſtinctione formati operis; nunc enim hi pontes, tanquam brachia, quæ porriguntur inter turres. Quo etiam modo locutus Caſſiod. in Pſalm. 148. *Palatium, quod multis membris, multis ſpatiis ambiatur.* Vide Sidon. epiſt. 2. lib. 2. & ibi Savarum. *Cerda.*

173. *Rectores juvenum.*] Legitur & *juveni.* Si *juveni*, Aſcanium: ſi *juvenum*, magiſtros militum accipe. *Servius.*

Juveni.] Aſcanio, aut appellatione unius omnes intellexit. *Donatus.*

Rectores juvenum.] Ex diſciplina militari, ut apparet ex Tacit. l. 1. Ann. c. 7. ubi Druſo juveni eunti ad Pannonias datus rector à Tiberio Ælius Sejanus. Et ex eodem lib. 3. ubi, *datuſque rector C. Cæſari Armeniam obtinenti.* Hos Æſchines contra Timarchum vocat διδασκάλες, ut poſtea Virgil. *magiſtros.* Talem virum Horat. Od. 3. l. 1. vocat *Regem*, eo verſu,

Acta non alio Rege puertia.

Cerda.

Rerum dedit eſſe magiſtros.] Pari forma Plato lib. πολ. ι. ὐ τὺς φαυλοτάτυς αὐτοῖς ἐπιςήσυσιν, ἀλλὰ τὺς ἐμπειρίᾳ τὲ ϰὶ ἡλιϰίᾳ ἱϰανὺς, ἡγεμόνας τὲ ϰὶ παιδαγωγὺς εἶναι. *Germanus.*

Magiſtros.] Inde verbum *magiſtrare* apud Feſtum, pro *moderari.* Cerda.

174. *Omnis per muros legio.*] Tale quid Enn. 3. Ann.

—— *mœros, urbemque forumque*
Excubiis curat. ——

Jungit, ut vides *muros* cum *ſorte*, & cum *legione.* In primo alludit ad etymon, ait Columna in Enn. Nam *mœni*, aut *mœri* (quod idem) dicti ſunt ἀπὸ τ̃ μοίρας.

Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.
Nisus erat portæ custos, acerrimus armis,
Hyrtacides; comitem Æneæ quem miserat Ida
Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis:
Et juxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non

μοίρας, quod quisque pro parte, aut sorte sua illos tueatur. In altero alludit hac conjunctione ad veterem notitiam, qua *murus* usurpatus est pro legione, ait Lips. in Analect. ad Militiam Rom. Clare Veget. *Antiquos murum dixisse pedestrem exercitum.* Dio lib. 54. *τοιαῦτα τείχη τ̃ ἐκ καταλόγου στρατευομένων.* ubi *τείχη* sunt *muri*, & Dio pro legionibus posuit. Quis scit ergo an ex hac affinitate significationum quæsita Poëtæ affinitas vocum trium, *murum legio sortita*? Cerda.

Sortita periclum.] Aut sorte divisa ad defensionem periculi. Aut parturiens periculum quod quisque experiretur. *Servius.*

175. *Exercetque vices.*] i.e. per vices excubare jubet. Supra, ✠. 62. *agni balatum exercent*, id est, continuant, movent. ita 10. Æn. *Exercere diem*, est, exercere se in die. Scalig. l 4. 16. *Taubm.*

Exercetque vices.] Est hoc, quod Prop. Eleg. 12. lib. 4. *Fungere maternis vicibus, &c.* Sup. alio flexu, *variantque vices.* Hom. 9. Iliad. *ἀμειβόμενοι φυλακὰς ἔχον* *per vices habebant custodias.* Et quidem per duas vigilias; nam hic fuit mos Romanus, vel ex Lucano, qui lib. 5.

Tertia jam vigiles commoverat hora secundos.

Itaque primi vigiles durabant primam & secundam vigiliam: secundi tertiam & quartam. Audis enim in Lucano *secundos vigiles* surrexisse ad tertiam vigiliam. *Cerda.*

Quod cuique tuendum est.] Exercet unusquisque vices ad id, quod accipit, tuendum. *Servius.*

176. *Nisus, &c.*] Quam scite dixit nomen patris: locum in quo natus, & quibus esset studiis. *Donatus.*

177. *Hyrtacides.*] Sunt qui putent (neque vero hoc illepidum quæsitu existimat Victorius lib. 28. c. 16.) Nisum fuisse fratrem Asii, quem Homerus celebrat: tum quia Asius ab Græco *ὑρτακίδης* quoque dicitur: tum etiam, quia uterque aggressus est audax facinus, Asius apud Homerum, Nisus apud Virgilium. *Cerda.*

Ida Venatrix.] A plerisque Ida mater Nisi accipitur, dixit *venatrix.* Nam si montem volueris accipere, abusive *Idam venatricem* dictam intellige pro venationibus abundantem. Nam *venatrix* est proprie quæ venatur, non quæ venationibus abundat. Aut *venatrix* pro his, qui in ea venantur, ut *Domitrixque Epidaurus equorum.* Servius.

Ida.] Capio montem: & suspicor hanc Heroëm esse ex numero illorum, qui dicti geniti è montibus, ut alii ex fluminibus, ex vetere heroïcorum temporum consuetudine, quibus lupanaria in his locis celebrata sunt, vel certe conjugia. Hinc est, ut multi Heroës dicantur fluviorum, aut montium filii, de qua re jam alibi à me. *Cerda.*

Ida venatrix.] Jan. Parrhasius & Erythræus de Ida monte intelligunt, quem Hom. etiam Hymno in Venerem *μητέρα θηρῶν* *ferarum parentem* vocavit. *Taubmannus.*

178. *Jaculo celerem.*] Bene inducit Nisum optimum esse jaculatorem: & hanc præmittit armorum peritiam, quia plurimum potuerit in Euryali defensione. *Servius.*

179. *Et juxta comes Euryalus.*] In antiquis aliquot exemplaribus *Et Nisum juxta Euryalus* legitur. *Pierius.*

Et juxta comes Euryalus.] Paria amicorum multi conjunxerunt; hæc si velis, adi Joannem Scopam lib. 1. Collectan.

Non fuit Æneadum, Trojana neque induit arma;
Ora puer prima signans intonsa juventa.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant:
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait, Dîne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale?

lectan. cap. 10. ubi ex Plutarcho, Philostrato, Val. Max. *Cerda.*

180. *Trojana neque induit arma.*] Hoc est, qui nondum bellicosa arma induerat, id est, acceperat. Et hoc dicit, Pulcher quidem erat, sed nondum bellandi peritus. *Servius.*

Trojana neque induit arma.] Cæteris pulchrior. Pulcherrimus autem cum esset armatus. *Donatus.*

Trojana nec induit arma.] In antiquis aliquot codicibus, *neque induit* suaviori numero legitur. *Pierius.*

Trojana neque induit arma.] Ego hunc sensum esse censeam: In Trojanis pulchrior alter non erat Euryalo; neque in armatis quidem Trojanis; vel tunc etiam, cum Trojana arma induisset. Nec Donati verba hinc abeunt. *Taubmannus.*

181. *Prima juventa.*] Num prima lanugine? *Servius.*

Juventa.] *Juventa*, lanuginem erumpentemque barbam significat: ut & ἴουλ Græce. Turneb. lib. 22. cap. 15. *Taubmannus.*

Intonsa.] Hoc ad sua tempora retulit, alioquin heroës non tondebantur. *Servius.*

182. *His amor unus erat.*] Id est, eorum studio flagrabant. *Idem.*

His amor unus erat.] Reddit versum Hom. 16. Iliad.

Πάτροκλός τε ϗ Αὐτομέδων ἕνα θυμὸν ἔχοντες.

Sidon. epist. 9. lib. 5. *Animæ duæ, animus unus.* Minutius in Octav. *Crederes unam mentem in duobus fuisse divisam.* Manil. lib. 2.

Unum pectus habent, fideique immobile vinclum.

Theocr. εἰδ. 12. ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ· *mutuo se amabant æqua lege, æquo jugo.* Cerda.

Pariterque in bella ruebant.] Aut simul aut similiter, & pari virtute, id est, æque fortes erant. *Servius.*

183. *Tunc quoque communi.*] Supra dixit, sorte singulis curanda loca provenisse: quod ipsum fuerat ad istorum felicitatem, ut nec ipsa sors divisisse videatur, quos tanta familiaritas copulaverat. *Donatus.*

Statione.] *Stationes* non solum pro diurni temporis poni custodia, ut existimant, Lipsius lib. 5. De Milit. Rom. dial. 8. & alii, verum etiam nocturni, docet in Notis ad Polyb. De Castris Rom. Robbertus Hermannus Schelius cap. 2. *Emmeness.*

184. *Dîne hunc ardorem mentibus addunt, Euryale, &c.*] Apud Plotinum philosophum, & alios quæritur, utrum mentis nostræ acies per se ad cupiditates & consilia moveatur, an impulsu alicujus numinis. Et primo dixerunt mentes humanas moveri sua sponte: deprehenderunt tamen ad omnia honesta impelli nos Genio, & numine quodam familiari, quod nobis nascentibus datur: prava vero, nostra mente nos cupere & desiderare. Nec enim potest fieri ut prava, numinum voluntate cupiamus, quibus nihil malum constat placere. Unde nunc hic ortus est sensus. Hoc enim dicit Nisus, O Euryale, diine nostris mentibus cupiditates injiciunt & desideria? an deus sit ipsa mentis cupiditas? *Mentibus* vero *Addunt.* Bene dixit *Addunt.* Nam animus sui natura prudens est, sed ei additur, ut aliquid impatienter desideraret. *Servius.*

Dîne hunc ard. ment. &c.] Repræsentat hic Maro susceptas Il. x. explorandi vices communi conspiratione ab Ulysse & Diomede, cum Diomedes Tro-

Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jam dudum invadere magnum
Mens agitat mihi; nec placida contenta quiete est.
Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum.
Lumina rara micant: somno vinoque sepulti

Pro-

Trojanorum castra observatutus hæc ad Nestorem: Νέστορ ἐμ' ὀτρύνει κραδίη, καὶ θυμὸς ἀγήνωρ, ἀνδρῶν δυσμενέων δῦναι στρατὸν ἐγγὺς ἐόντα Τρώων. Ulysses quoque in Cyclop. Eurip. εἰσῆλθέ μοι τι θεῖον· quod respondere videtur huic, *Dîne hunc ardorem*, &c. Et Il. ν. καὶ δ' ἐμοὶ αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι φίλοισι μᾶλλον ἐφορμᾶται πολεμίζειν, ἠδὲ μάχεσθαι, μαιμώωσι δ' ἔνερθε πόδες, καὶ χεῖρες ὕπερθε· quod reddere videtur hoc versu Maro. *Germanus.*

Dîne hunc ardorem, &c.] Incendorne hoc ardente desiderio Dei alicujus instinctu? An quisque diram & immensam suam cupiditatem pro Dei instinctu habet? Sed enim de divinis hisce verbis legendus est Cælius lib. 2. c. 9. & J. Parrhasius in Orat. pro Milone pag. 159. & P. Victorius lib. 7. cap. ult. & lib. 26. cap. 1. & Th. Canterus Var. lib. 2. cap. 6. itemque ipse Servius. ita Euripides atque etiam Menander,

Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῖν ἐστιν ἐν ἑκάστῳ θεός.

Taubmannus.

185. *Dira cupido.*] Magna. Nonnulli tamen inter *cupiditatem* & *cupidinem* hanc differentiam esse volunt, ut masculino genere *Cupidinem* deum ipsum, id est, τὸν ἔρωτα significemus: fœminino *cupiditatem*, quamvis hoc auctores plerunque confundunt. *Servius.*

Dira cupido.] Cogitationes ne magnanimas Deus aliquis movet, an ipsa sibi mens Deus est? *Donatus.*

Dira cupido.] Recte Servius exponit, *magna*: sic supra lib. 6. Æn. ℣s. 721.

—*quæ lucis miseris tam dira cupido?*

& Juven. sat. 15. ℣s. 96.

—*longæ diræ obsidionis egestas.*

Invadere autem, quod in seq. ℣s. est, *appetenter incipere* denotat, ut Nonio exponitur. *Emmeness.*

186. *Aliquid magnum.*] Scilicet per hostis transitum. *Servius.*

Aliquid jamdudum invadere magn. Mens a. m.] Nec ita recedunt hi apud Hom. Od. δ. οὐκ οἶδ' εἴ τίς μιν θεὸς ὤρορεν, ἦε καὶ αὐτοῦ θυμὸς ἐφορμήθη ἴμεν ἐς Πύλον. Hic autem & observandum, & laudandum ζεῦγος φιλικὸν, καὶ τῶν ἑταίρων ξυνωρίς. Est item perlegendus & ille locus ἐν ἑπτὰ σοφ. συμπ. apud Plutarch. ubi motus animi, corporisque spontaneos distinguit, eosque, qui impulsore deo in humanis cientur animis, sub his quidem verbis: Ἀνάχαρσις εἶπεν ὅτι τὸν Θάλητα καλῶς ὑπολαμβάνοντος ἐν πᾶσιν εἶναι τοῖς κυριωτάτοις μέρεσι τοῦ κόσμου καὶ μεγίστοις ψυχὴν, οὐκ ἄξιόν ἐστι θαυμάζειν εἰ τὰ κάλλιστα περαίνεται θεοῦ γνώμῃ· ψυχῆς γὰρ ὄργανον τὸ σῶμα, θεοῦ δὲ ἡ ψυχή· καὶ καθάπερ σῶμα πολλὰς μὲν ἐξ αὐτοῦ κινήσεις ἔχει, τὰς δὲ πλείστας καὶ καλλίστας ὑπὸ ψυχῆς· οὕτως αὖ πάλιν ἡ ψυχὴ τὰ μὲν ὑφ' ἑαυτῆς κινουμένη πράττει, τὰ δὲ τῷ θεῷ παρέχει χρωμένῳ κατευθύνειν καὶ τρέπειν ἑαυτὴν ᾗ βούλοιτο, πάντων ὀργάνων εὐτρεπέστατον οὖσα. *Germ.*

187. *Agitat.*] Molitur. *Servius.*

Quiete.] Modo otio, non somno. Nam in vigiliis fuerat conlocatus, qui enim custos est, de insomnio suo queri non potest. *Idem.*

188. *Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum.*] Ipsius desiderii vult esse rationabiles causas. Ne vanum mens agitare videatur, nam & negligentia hostium per fiduciam nimiam ostenditur, & occasio dabatur aliquid strenue gerendi. *Idem.*

Habet fiducia.] Quam sint confidentes. Scalig. lib. 14, 16. *Taubm.*

189. *Lumina rara micant.*] De simili inertia Tacit. 1. Ann. *Apud Romanos invalidi ignes, interruptæ voces, in-*

somnes

Procubuere: silent late loca. percipe porro,
Quid dubitem, & quæ nunc animo sententia surgat.
Ænean acciri omnes populusque patresque
Exposcunt; mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi, quæ posco, promittunt, (nam mihi facti

Fama

somnes magis, quam pervigiles. Stat. 8. Theb.

Incertæque faces, & jam male pervigil ignis.

Pet. Apollon. l. 2. Excid. Hierosolym.

Romanos sopor altus habet, cum lumina sparsis
Viva micant jam nulla locis. ——

Cerda.

Somno vinoque sepulti.] Alterum pendet ex altero. *Servius.*

Somno vinoque sepulti.] In Rom. & aliquot aliis legere est *soluti*, non *sepulti.* ut, *solvunt se somno*, & *Lyæus* eo quod *solvat* appellatus. Servius *sepulti*, *quasi sine pulsu* interpretatur. Sed & inferius quoque codices omnes veteres *soluti* legunt in hanc sententiam. Illud vero Ovidianum ex secundo Fastorum, *Utque vides comites somno vinoque sepultos*, sunt qui *gravatos* legant. *Pierius.*

Somno vinoque soluti.] Vetus liber, qui apud me est, pro *soluti*, habet, *sepulti.* quæ scriptura non omnino rejicienda; sic enim Lucret. lib. 1. locutus est:

—— *morbo affectis, somnoque sepultis.*

Ursinus.

190. *Silent late loca.*] Lucret. lib. 1.

——*fera murmura militiai*
Per maria, ac terras omnes sopita quiescunt. Cerda.

Porro.] Hortantis est. Aut num conjunctio expletiva? *Servius.*

191. *Quid dubitem.*] Id est, cogitem. omnis enim cogitatio in dubitatione est ante sententiam. *Idem.*

Quæ nunc animo sent. surg.] Quid decreverim faciundum. *Taubm.*

192. *Ænean acciri, &c.*] Multum quippe interest rerum gerendarum præsentia ducis. Polyb. lib. 3. Hist. inter ea, quæ ad firmandos animos conducunt principe loco ponit, ἡ τῆς παρουσίας ἐνέργεια τῶν ἐπαινουμένων. Nam nihil efficacius, ideo signate ἐνέργεια. *Cerda.*

Ænean acciri omnes, &c.] In antiquo quodam codice *omnis*, ut quadret cum viciniori *populus*, quod non ita mihi satis facit, quum dilatatio totius in partes figura longe venustior videatur. Quare *omnes*, omnino magis placet. Sed enim & *populos* in veteri codice, nominativo singulari, legitur. Quam dictionem ita scriptam in legibus XII. tabularum Victorinus adnotavit, ut alibi ostendimus. *Pierius.*

Populusque patresque.] Transfert in Trojanos Romanam consuetudinem ut solet plerunque. Prius enim jubebat aliquid populus: postea confirmabat senatus. *Servius.*

193. *Reportent.*] Portent. Nam *Re* vacat. Aut ab eo, quod est reportare. *Idem.*

194. *Si tibi, quæ posco, promittunt.*] *Poscere est*, secundum Varronem, *quotiens aliquid pro merito nostro deposcimus: Petere vero est, cum aliquid humiliter, & cum precibus postulamus.* Et bene quod Euryalum nolit ducere, latenter ostendit. Nam ideo adjecit, *Mihi facti Fama sat est.* Idem.

Nam mihi facti fama sat est.] Tale quid apud Aristot. lib. 5. πολ. ubi docet, non deesse pro re nata illustres animas, quæ sola honesti ambitione & gloria quovis periculo tyrannos invadant, ut ab eis recepta jura libertatis civibus suis reddant, exemplo Dionis, qui inter audendum (ut Chion item Platonicus) in ipso cœptorum initio, oppressus occubuit. *Germanus.*

Nam mihi facti fama sat est.] Est hoc, quod Tacit. de Germanico 2. Annal.

 post

Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros & mœnia Pallantea.
Obstupuit magno laudum percussus amore
Euryalus; simul his ardentem adfatur amicum:
Mene igitur socium summis adjungere rebus,

Nise,

post præclarum confectum bellum, *ratus conscientiam facti satis esse.* Et Aristotel. 5. Polit. de viris hac mente præditis, τοῖς μονάρχαις ἐγχειρῦσιν, ὐ κτήσασθαι βυλόμενοι μοναρχίαν, ἀλλὰ δόξαν. Tullius 1. Tusc. de Ennio: *Mercedem gloriæ efflagitat ab his, quorum patres affecerat gloria.* Loca quæpiam ejusdem Tullii hac de re obvia sunt cuique. Sententia Græca teritur ista.

Καλῶς ἀκύειν μᾶλλον, ἢ πλυτεῖν τί-
λει.

Silius lib. 6.

Arripuit, traxitque virum fax mentis
honesta
Gloria. ——

Graviter Val. Flacc. 1. Argonaut.

Si qua operis tanti domito consurgere
ponto
Fama queat, tu sola animos, mentemque peruris
Gloria: te viridem videt, immunemque
senecta
Phasidis in ripa stantem, juvenesque
vocantem.

Hom. 17. Iliad. ubi Hector acriter pugnanti promittit dimidium spoliorum, τὸ δ' οἱ κλέος ἔσσεται, ὅσσον ἐμοί περ, inquit. *Cerda.*

195. *Tumulo reperire sub illo.*] In codicibus aliquot pervetustis, *aperire* legitur. quippe *viam*, quæ clausa erat hostium obsidione: neque quidem timendum syllabæ, quia locus communis est. *Pier.*

Sub illo.] Pro *ex illo*, præpositionem mutavit. *Servius.*

196. *Mœnia Pallantea.*] Ubi nunc credit esse Æneam. *Idem.*

197. *Obstupuit magno laudum, &c.*] Non laudavit Euryalum Nisus, ut suarum amore laudum perculsum dicat Poëta. Sed hoc vult, amore ac desiderio earum laudum, seu illius gloriæ, quam Niso videbat propositam, & ad quam illum impetu quodam eximio ferri cernebat, Euryalum quoque fuisse correptum, ita vehementer, ut pæne apud se non esset. *Pontanus.*

Laudum perculsus amore.] De virtute Cic. pro Archia: *animum gloriæ stimulis concitat.* Xenoph. lib. 1. παιδ. τὺς ἐπαίνυ ἐρασάς. *Cerda.*

Perculsus amore.] Ut sæpe dictum, veteres omnes codices *percussus* legunt per *ss* geminatum. *Pierius.*

198. *Ardentem.*] Modo *ardentem*, ut, *Ardet amans Dido:* an festinantem? ut, *Instant ardentes Tyrii:* an cupiditate cædis flagrantem? ut, *Ardet in arma magis:* an propter illud, quod ipse dicat? *Diine hunc ardorem mentibus addunt*, & deinde, *Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum.* Servius.

199. *Socium sum. adjung. r.*] Ad res belli socium Græci vocant ex Nota Germani συλλήπτορα, συνεργὸν, ξυνεργάτην, συμπεράκτορα. Ex mea, ἐπίκυρον, ἑταῖρον, ξυμμαχῦντα, ξύμμαχον. Duo prima frequentissima in Homero, duo postrema in Thucydide, & aliis. Soph. in Elect. δορυξένυς vocat, & ibidem auxiliatorem συμπονῦντα. Poëtæ omnes passim ἀρωγὸν, & Hom. aliquando ἐπιτάῤῥοθον. Qua voce usus 17. Il. in oratione Æneæ ad Hectorem, & Trojanos. Xenoph. 4. ἑλλ. φίλον, id est, *amicum*, accipit in re belli. verba ejus: ἐγὼ ὑμῖν, ὅτε τοῖς Ἀθηναίοις ἐπολεμεῖτε, φίλος, καὶ ξύμμαχος ἐγενόμην· *Ego vobis, cum bellum adversus Athenienses gerebatis, amicus, & socius fui.* Cerda.

Summis adjungere rebus.] *Summum* aut extremum dicimus & laudabile. Bene ergo in rebus dubiis sermone u-

sus

Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis adsuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter Trojæque labores
Sublatum erudiit: nec tecum talia gessi,
Magnanimum Ænean & fata extrema secutus.

Est

sus est dubio. nam hoc dicit, Non debes me, nec à tua gloria, nec à periculis segregare. *Servius.*

Summis adjungere rebus.] Quibus deesse non decet, ut loquitur Lucan. l. 8. nam de amicis, *Adversis non deesse decet*: imo, ut tritus versus Græcorum:

Ἰδίας νόμιζε τῶν φίλων τὰς συμφοράς.

Intelligit vero Poëta per *res summas*, belli postrema pericula & ardua, quæ Ammian. vocat lib. 20. *ardorem rerum terribilium*, in quibus ait, non dividendos à se principes exercituum. & l. 22. *metum ultimorum discriminum*. Et Polyb. lib. 3. Hist. ὑπερβολὴν ἀγωνίας. Eodem lib. extremum hoc periculum vocat ὁλοσχερῆ διάπτωσιν καὶ κίνδυνον. *Cerda.*

200. *Fugis.*] Cum hoc verbum hoc loco accipiatur de prætextu & excusatione, qua utebatur Nisus, ne ferret secum Euryalum, huc traho Soph. in Antig. qui verbum φεύγω eodem plane significato,

Κοὐδεὶς ἐναργής, ἀλλ' ἔφευγε τὸ μὴ εἰδέναι.

Ad verbum, *fugiebat scire.* Idem.

201. *Non ita me genitor bellis adsuetus, &c.*] Ipse puer est necdum probatus. Unde se & à belli temporibus, & à patris virtute commendat. *Serv.*

Non ita me genitor, &c.] Observa in ista amicorum contentione adumbratam aliqua ex parte illam Orest. & Pylad. cum neuter vellet divelli ab altero, sed una aut servari, aut mori. De qua re late Eurip. Iphig. in Taur. Elect. etiam ad Orest. suum, σὺν σοὶ κατθανεῖν αἱρήσομαι, καὶ ζῆν· *tecum volo mori, & vivere.* Cerda.

Non ita me genitor, &c.] Decorum in adolescente: qui se ab illis temporibus & à patris virtute commendat; cum ab sua non posset. Quasi qui bello Trojano natus, disciplinam militarem cum ipso lacte suxerit. *Taubm.*

202. *Argolicum terrorem.*] Quem Græci inferebant. *Servius.*

Trojæque labores.] Bene κατὰ τὸ σιωπώμενον annos Euryali ostendit, nam si à cœpto Trojano bello, quod decennium tenuit, septem anni erroris addantur, anni decem & septem sunt: Est ergo ætas pene ad bellum inhabilis, sed exercitium ostenditur, quod inter bella nutritus est. *Idem.*

203. *Sublatum.*] Susceptum. *Idem.*

Sublatum.] Id est, educatum. ita Horat. 2. Sat. 5.

—— validus male filius in re
Præclara sublatus aletur.

Infantes olim simul ac nati forent, humi deponebantur. Ab humo vero tollebat pater, & in sinum recipiebat. Ita Terent.

Quicquid peperisset, decreverunt tollere.

Qui autem non tollebatur, pro abdicato & projectitio erat. Signate Terent. Heaut.

Meministi me esse gravidam, & mihi te
magnopere interminatum,
Si puellam parerem, nolle tolli? Chr.
scio quid feceris:
Sustulisti.

Vide de hoc ritu Lipsium Centur. I. ad Belgas, Epist. 85. & Cognatum ipsius J. Bernart. ad Statium lib. 1. Theb. Sed & Turneb. lib. 22. 11. Advers. *Taubm.*

204. *Magnanimum Ænean.*] Ideo secutus non ut vitæ studeam, sed gloriæ. *Servius.*

Fata extrema secutus.] Non placet quod in Romano codice *fama* legitur, quum *secutus extrema fata* sit omnino casta lectio. *Pierius.*

205. Est

Est hic, est animus lucis contemtor, & istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Nisus ad hæc: Equidem de te nil tale verebar:
Nec fas: non. ita me referat tibi magnus ovantem
Juppi-

205. *Est hic, est animus.*] *Hic*, potest esse & adverbium demonstrantis, ut sit, *Est hic*: Est in meo pectore. potest & sic accipi ut dicas, *Est hic animus lucis contemptor*, hoc est, iste animus. Ergo *Hic*, & produci potest & corripi. *Servius.*

Est hic, est animus lucis contemtor.] *Lucis*, vitæ, ut φάος Græcis sæpe, pro vita: & φάος λεύσσειν, frequens Euripidi, pro vivere. Græcis, θυμὸς τῆς ζωῆς ὑπερόπτης. Plutarch. in lib. πότερον ἀθλιώτεροι· Γ'σωκράτης δὲ τοὺς ἐν μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας ὥσπερ ἀλλοτρίαις ψυχαῖς φήσας ἐναγωνίσασθαι, καὶ καθυμνήσας τὴν τόλμαν αὐτῶν, καὶ τὴν ὑπεροψίαν τῆς ζωῆς. *Germanus.*

Est hic, est animus lucis contemtor, &c.] Similiter Statius l. 1. Thebaïd. ✠s. 605.

Haud tulit armorum præstans animique Chorœbus,
Seque ultro lectis juvenum, qui robore primi
Famam posthabita faciles extendere vita
Obtulit.

& supra lib. 5. Æn. ✠s. 230.

Hi proprium decus, & partum indignantur honorem
Ni teneant: vitamque volunt pro laude pacisci.

ubi vid. quæ notavimus. *Emmeness.*

206. *Istum qui vita bene credat emi honorem.*] Qui istum honorem. *Serv.*

Qui vita bene credat emi.] Novi ipse quoque pro laude vitam contemnere. Novi facinus magnum, sine magno periculo compleri non posse: quippe gloriæ pretium est, necis discrimen. *Donatus.*

Qui vita bene credat emi.] Sic & Aristot. 5. Polit. ὠνεῖσθαι ψυχῆς. & Æsch. αἵματός ἐστιν ἡ ἀρετὴ ὠνία. Ut autem hic *bene emi*, ὀψωνίζεσθαι Græci dicunt, & ὤνιον. Pindarus quoque Pyth. Od. 6. eadem forma πρίατο μὲν θανάτοιο κομιδὰν πατρός. Propert. *Quod si certa meos sequerentur funera casus, Tali mors pretio vel sit emenda mihi.* Germanus.

Emi.] Græci hoc sæpe, & ab illis Latini pari frequentia. Simocatta l. 6. Hist. Mauric. c. 7. κινδύνοις ψυχῆς τὰς νίκας ὠνούμενοι· periculis vitæ ementes victorias. & c. 12. l. 3. αἰδοῖ τῆς μισθώματος τὸ θανατᾶν παρ' αὐτῶν ἐξωνούμενος· emens ab illis mortem reverentia præmiorum. Plut. in Mario dixit, τὸ ποτὸν ὤνιον αἵματος· potum aquæ vendi sanguine. Affert idem in vita Coriolani veterem Poëtam, qui, ψυχῆς ὠνεῖται. Vide Horat. Od. 14. lib. 3. Ovid. Eleg. 10. l. 2. Amor. Propert. Eleg. 16. l. 3. Sen. Rhet. Suas. 7. Curt. lib. 3. Ennod. Declam. 8. & plures alios. *Cerda.*

Quo tendis.] Id est, ad quem niteris: libenter emat vita, id est, vitæ pretio. *Servius.*

207. *Nil tale verebar.*] Quale tu suspicaris. *Idem.*

208. *Nec fas.*] Hac distinctione illustrat τὸ ἦθος. Q. d. Non fas est, inquam. *Taubm.*

Non.] Distinguendum, ut initium jurisjurandi sit, *Ita me referat.* Servius.

Ita me referat tibi magnus ovantem Juppiter.] Mire jusjurandum compositum sic enumerat, quasi relicturum eum, cum de virtutibus ejus optime sentiat. *Idem.*

Ita me referat, &c.] Credi vult Nisus. Assumit ergo Jovem, quo nullus ex doctrina Gentilium religiosior: Euryalum, quo nullus charior. Quasi dicat: Ut nemo à me religiosius Jove colitur; ita nemo te charius amatur. Apud Stat. 2. Theb. quidam ita blanditur alteri, *sic optanti victor revehare amico.*

Juppiter, aut quicumque oculis hæc aſpicit æquis.
Sed ſi quis, quæ multa vides diſcrimine tali,
Si quis in adverſum rapiat caſuſve deuſve,
Te ſupereſſe velim: tua vita dignior ætas.
Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemtum
Mandet humo ſolita: aut, ſi qua id Fortuna vetabit,
Abſenti ferat inferias, decoretque ſepulcro:
Neu

amico. quod geminum huic, *ita me tibi Juppiter ovantem referat.* Nota etiam Niſum tacite ſibimet vitam precari. Nota & formulam hanc, *ita me referat.* Sic in ἀποκολοκυντώσει Sen. *Ita illum ſalvum & felicem habeam.* & Sen. Rh. Suaſ. 7. *Ita te fruar.* Cerda.

Ovantem.] Lege Carol. Paſch. lib. 7. Coron. c. ult. ubi de hac voce non vulgaria, & ex quibus illuſtrari queat hic locus. Lege & Plut. in vit. Marcelli, ubi hanc vocem ducit ab ove. Ut enim à triumphantibus bos immolabatur; ita ovis ab ovantibus. *Idem.*

209. *Quicunque oculis, &c.*] Innuit τὸν ἐπόψιον Δία. *Germanus.*

Hæc.] Humana negotia: vel quæ loquitur. *Servius.*

210. *Sed ſi quis.*] Multas cauſſas prætendit: primam ipſius pueri, ſecundam propter ſe, tertiam matris, & eſt parentheſis. *Idem.*

Sed ſi quis.] Omnia hæc refert, quod in omni cauſa minus ſpei, plus timoris ineſt. *Donatus.*

Quæ multa vides diſcrimine tali.] Certe Statius:

Invida fata piis, & fors ingentibus auſis
Rara comes.

Taubm.

211. *Si quis in adverſum rapiat caſuſve deuſve.*] Hoc eſt, quæ multa ut in tali diſcrimine accidere poſſe intelligis. *Servius.*

Si quis in adverſum, &c.] Ex hac Muſa Sil. ſuam nobilitat lib. 3. ore Annibalis ad uxorem Imilcen, abnuentis illam ſecum abducere,

Quod ſi promiſſum vertat fortuna favorem,
Lævaque ſit cœptis, te longa ſtare ſenecta,
Ævumque extendiſſe velim, tua juſtior ætas,
Ultra me improperæ ducant cui fila ſorores. Cerda.

213. *Raptum pugna.*] Sunt qui explicent *raptum*, id eſt, interfectum acie, nam *rapi* dicuntur, qui moriuntur. Sed puto non hoc Poëtam dicere, imo alludere ad duas nobiles hiſtorias, Antigonæ ſepelientis fratrem Polynicem raptum è campo; Priami ſepelientis filium Hectorem redemptum pretio. Nam cum diſtinctione loquitur ita: Sit qui me ſepeliat vel raptum, vel redemptum. Sæpe enim hoſtes vetabant ſepeliri interfectos; quod fecit Creon contra Polynicem, quod late Soph. in Antig. Objicies. Ait, *raptum pugna*, non *campo*. Nihil id moror. Nam ita explico, *Raptum pugna*, id eſt, campo pugnæ. *Idem.*

Pretiove.] Pro *vel*, *ve* enim ſyllaba, proprie *vel*, ſignificat. *Servius.*

214. *Mandet humo ſolita.*] Multi hic diſtinguunt, alii jungunt: *mandet humo ſolita*, ut ſit commendet in terra. *Solita* autē, i. e. cui mandari defuncti ſolent. *Id.*

Fortuna.] Scilicet quæ piis invidere conſuevit. Statius hinc trahens colorem ait, *Invida fata piis, & fors ingentibus auſis Rara comes.* Idem.

215. *Abſenti ferat inferias.*] *Abſenti*, quem non ſepelierit. Hoc eſt, cenotaphion faciat, & impleat honorem ſepulchri. De inferiis autem plenius in quarto Georgicorum invenies. *Idem.*

Abſenti.] *Abſentem* pro mortuo hic poëta accipit: ut ſupra lib. 4. Æn. *ſequar*

Neu matri miseræ tanti sim caussa doloris:
Quæ te sola, puer, multis è matribus ausa
Persequitur, magni nec mœnia curat Acestæ.
Ille autem: Caussas nequicquam nectis inanis,
Nec mea jam mutata loco sententia sedit.
Acceleremus, ait. vigiles simul excitat. illi
Succedunt, servantque vices: statione relicta

quar atris ignibus absens: ut & Græci nonnunquam ἀπεληλυθότα, οἰχόμενον, ἀποιχόμενον· & Eurip. ἀπελθεῖν τὸν βίον· & Chrysost. ἴσως μετὰ μικρὸν ἀπελεύσομαι χρόνον· ut & εἶναι pro vivere, & οὐκ εἶναι, mortuum esse. *Germanus.*

Decoretque sepulcro.] Vere mortuis sepulcrum est decus. Liban. Declamat. 15. ἐκοσμήσατε τοὺς ἐν τῇ μάχῃ καλῶς ἀποθανόντας· *Qui præclare in bello occubuerunt, decoravistis.* Soph. in Elect. de honore mortuorum καλὸν dicit, *honestum, pulchrum.* alibi sepultum vocat ἔντιμον, *honoratum*, quia sepultus. Et in Antig. loquens de Creonte sepeliente Eteoclen ait, τὸν μὲν προτίσας, *hunc quidem honorans:* de eodem nolente sepelire Polynicen, τὸν δ' ἀτιμάσας, *hunc autem dehonestans.* Ibidem Antigone dicitur τάφον κοσμοῦσα. *Cerda.*

Sepulcro.] Intelligit honorarium, & cenotaphium, de quo jam 3. Æneid. *Idem.*

216. *Miseræ.*] Ad illum exitum quem timet retulit: an dolenter jam *miseræ*, quæ in hoc consilio filii periclitatur? *Servius.*

217. *Quæ te sola, puer, multis è matribus ausa Prosequitur.*] In Romano codice, *multis à matribus* habetur, in quo vel, procul, aut, disseparata, intelligendum esset. Sunt etiam codices in quibus legas, *Multis è matribus una.* Sed enim est hoc superfluum, quum jam *sola* dictum sit. Magis vero me movezit, quod verbum *persequitur*, in antiquis aliquot codicibus, non *prosequitur* notatum est. Tangit enim hoc perseverantiam in sequendo gnato. *Pierius.*

Puer.] Mire dissuadet dicendo *puer.* S.

E matribus.] E nobilibus: nam *matres* non nisi nobiles dicimus. Unde & *matronæ* dictæ sunt. Scimus autem non omnes mulieres in Sicilia remansisse. Nam legitur in undecimo, *Et mæstum Iliades crinem de more solutæ.* Idem.

218. *Nec mœnia curat Acestæ.*] Id est, Nec tenetur desiderio Segestæ civitatis. *Idem.*

219. *Ille autem.*] Hunc locum esse interruptum oratione Nisi intelligimus. *Idem.*

221. *Vigiles simul excitat.*] Qui vigiliarum officium habebant. Hoc est, futuros vigiles, alioquin quomodo excitat? & totum junctim legendum est, ut simul & dictum & factum videatur. *Idem.*

Vigiles simul excitat.] Si vigiles fuerunt, quomodo excitabantur? Manifestum est, hic nullam esse quæstionem. Vicibus enim servatis, ea hora dormientibus aliis, qui fuerant vigilaturi, Nisus tunc & Euryalus vigilabant: proinde recessuri excitabant alios, qui essent ex vigilum numero. *Donatus.*

Vigiles simul, &c.] Il ζ. οἱ μὲν ἀμειβόμενοι φυλακὰς ἔχον. Unde & Eurip. in Iphig. ἀκινήτους φυλακὰς τειχέων dixit. Et Calab. κατὰ πτόλιν ἔθνεα Τρώων ἀμφὶ πύλας καὶ τεῖχος ἀμοιβαδὶς ὑπνώεσκον· *vigiliæ* vero, προφυλακὴ, παννυχὶς, nocturnæ sunt tantum: *excubiæ*, tam diurnæ quam nocturnæ, φρουρὰ, φυλακαὶ, προκοιτίαι. *Germanus.*

222. *Servantque vices.*] Hic distinguendum: alias sensus non procedit. *Servius.*

Ipſe comes Niſo graditur, regemque requirunt.
Cetera per terras omnis animalia ſomno
Laxabant curas, & corda oblita laborum.
Ductores Teucrûm primi delecta juventus
Conſilium ſummis regni de rebus habebant,

Quid

Servantque vices.] Scil. Niſi & Euryali. *Taubm.*

Statione relicta.] Hoc ad Niſum & Euryalum pertinet, ut ſit ſenſus, *ſtatione relicta, Ipſe comes Niſo graditur:* quidam, *ſervantque vices ſtatione relicta,* pro ſtationis relictæ vices ſervant, intelligi volunt, *Et pulchra faciat te prole parentem:* Hoc eſt, pulchræ prolis. *Servius.*

223. *Graditur.*] Agnoſce verbum militare, quod datum puero ad jactantiam & oſtentationem. De Trajano Plin. Pan. *Magno gradu anteires.* De militibus Amm. lib. 22. *alacri gradu ſequentibus.* De iiſdem graſſantibus cæde intra Regiam Ægyſthi Soph. in Elect. quos ibi Furias vocat:

Βεβᾶσι δ᾽ ἄρτι δωμάτων ὑπόστεγοι
Μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων.

De Deiphobo Hom. Iliad. 13. *μέγα φρονέων ἐβεβήκει. Cerda.*

Regemque requirunt.] Regis filium, ut, *Magnum reginæ ſed enim miſeratus amorem.* Servius.

Regemque requirunt.] In antiquis aliquot codicibus, *reviſunt* habetur. *Pierius.*

Regem.] Regis filium, Aſcanium. Ita 6. Æn. *Regina,* pro Regis F. *Taubmannus.*

224. *Cetera per terras omnis.*] Exaggerat more ſuo vigilantum laborem. *Servius.*

225. *Laxabant curas.*] Hæc ſomni vis, & virtus. Sic nautæ lib. 4. Æneid.

—ſomno poſiti ſub nocte ſilenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Ab his curis, quas adimit ſomnus, vocat illum Ovid. in Epiſt. *mulcentem pectora.* & Græci λυσιμελῆ. Quam vocem reddidit Lucret. l. 4. nam de ſomno, *animi curas è pectore ſolvat.* Martial. lib. 7.

Et dura in noctem curarum vincula ſolvunt.

Ab Sen. Agam. ſomnus dicitur *curarum domitor.* Cerda.

Corda oblita.] Eadem copioſius 4. Æn. ✝ſ. 522. & ſeqq. *Taubm.*

226. *Ductores Teucrûm primi, & delecta juventus.*] In codicibus pene omnibus antiquis, quotquot habui, verſus legitur abſque *&* copulativa particula, *Ductores Teucrûm primi, delecta juventus.* Sed enim copula hic omnino neceſſaria videtur, ut duces à militibus diſtinguat, & ordinum Romanorum mores ubique, uti ſuus eſt mos, tangat. *Pierius.*

Delecta juventus.] Notetur, Poëtam non excluſiſſe juventutem à conſiliis de Republica. Item de nocte etiam conſilia agitari: quæ ob id εὐφρόνη dicitur Euripidi in Iphigenia. *Taubm.*

227. *Conſilium ſummis regni de rebus habebant.*] *Summis,* utrum maximis; an quod putabant eas in extremo ſitas? & eſt Lucilii verſus, uno tantum ſermone mutato. Nam ille ait, *Conſilium ſummis hominum de rebus habebant.* Servius.

Conſilium ſummis, &c.] In codicibus aliquot manu ſcriptis, *concilium* legas. nempe quia & *conſcilium* in veteribus exemplaribus reperitur, quod illi nomen ab *eſſe conſcium* deducebant. Nam *conſilium* à *conſulo* eſt, & diverſum quid ſignificat. Sed enim in altero illo ſignificato *ſcita plebis,* & *Scire plebem* apud veteres invenio, non *conſcilium,* aut quid hujuſmodi. Ea vero potiſſimum de cauſſa convenerant, ut, quid unicuique è repub. videretur in medium *conſulerent.* Pierius.

Quid facerent, quisve Æneæ jam nuntius esset:
Stant longis adnixi hastis, & scuta tenentes,
Castrorum & campi medio. tum Nisus & una
Euryalus confestim alacres admittier orant:
Rem

228. *Quisve Æneæ jam nuntius esset.*] *Jam*, aut cito, ut festinandum sit, & jam nuntiandum Æneæ, nec differendum: aut cum nullum invenirent. Ad desperationem quasi nemo esset jam qui posset audere. *Servius.*

Quisve Æneæ jam nuntius esset.] In antiquis aliquot exemplaribus *isset* legitur. Nam hoc etiam quærere poterant, Nuntiassetne adhuc quispiam Æneæ quid rerum gereretur. Sed quia dixerat *Nisus populum & patres exposcere mitti viros, qui certa reportarent*, magis placet *esset* vulgata lectio. *Pierius.*

229. *Adnixi hastis.*] Mira facies consilii, in dubiis non sedent, sed stant. Ostendit ergo jam eos diuturna statione fatigatos. quod autem stant, & Romani moris est, & bellicæ necessitatis. Hunc autem standi habitum & Sallustius commemorat, ut, *Fessi arma sua quisque stantes incumbere.* Servius.

Stant longis adnixi hastis.] Habitus vere militaris. Ab Homero inferuntur Diomedes bellator, & Ulysses ἔγχει ἐρειδομένω. *hastæ innixi.* Itaque de Diomede ait, μενεπτόλεμος, id est, *bellator*, indicans hunc esse habitum bellatoris, & 3. Iliad.

Ἀσπίσι κεκλιμένοι, παρὰ δ' ἔγχεα
μακρὰ πέπηγε·

Scutis inclinati, juxta autem longæ hastæ erant infixæ.

Et de Achille lib. 22. Iliad. meditante mortem Hectoris,

Στῆ δ' ἄρ' ἐπὶ μελίης χαλκογλώχινος
ἐρεισθείς·

Stetit vero fraxineæ hastæ innixus, cui cuspis area.

Et Hector ipse 8. Iliad. inducitur hastæ ἐρεισάμενος. Auctor Thebaïdos, *Reclinis hastæ.* & Statius 2. Thebaïd.

Adnixi jaculis, & humi posita arma tenentes,
Exspectant hostem. ——

Claud. Bell. Gild. in re etiam belli, *stat circumfusa juventus Nixa hastis.* & lib. de Bell. Get. Geta quispiam militaris & grandævus inducitur, *capuloque acclinis eburno.* Virtus apud Prudent. Psych. *defixa cuspide sistit.* Cerda.

230. *Castrorum & campi medio.*] In medio campi statio, qui campus castrorum medius fuit. Quia in mediis castris principes sunt semper, & bene *campi medio*, quam *campo medio*: tunc enim *campo medio*, cum aliquot campi sunt, & unius est medius campus: *Campi* autem *medio*, in media parte unius campi. *Servius.*

Castrorum & campi in medio.] In codicibus antiquis, *in* præpositio non habetur. Sunt vero codices, qui legant *castrorum & medio campi.* Pierius.

231. *Alacres.*] Concitati. Terentius, *Quid tu es tristis, quidve es alacris?* S.

Alacres.] Hæc vox notat homines προθύμους ad bellum, id est, *promptos; & fervidos, & vere ardentes.* Vim vocum sæpissime oppositiones explicant. Sidon. epist. 4. lib. 1. ita opponit: *Vegetis, & alacribus exemplum; desidibus, & pigris incitamentum.* & epist. 6. ejusdem lib. *Cum sis alacer domi in aggredienda peregrinatione, trepidum te iners desperatio facit.* In quibus vides *alacres* opponi *pigris, trepidis, inertibus.* Ego dubitabam, an in Sidon. legendum esset, *tepidum te iners desperatio facit.* Nam Symm. epist. 32. lib. 1. *alacrem* explicat per *ignem*, ut ita videatur alacritati opponi, quod non est igneum, utique tepidum. Verba Symmachi: *Ego te vegetum, & alacrem commonebo? eadem opera auras ut vigeant, & ignes ut caleant, admonebo.* Cerda.

Admittier orant.] Hoc verbo ostendit olim & apud reges admissionum fuisse officium. *Servius.*

232. Rem

Rem magnam, pretiumque moræ fore. primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere jussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite ô mentibus æquis,
Æneadæ: neve hæc nostris spectentur ab annis,
Quæ ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Conticuêre. locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portæ, quæ proxima ponto.

Inter-

232. *Rem magnam, pretiumque moræ fore.*] Dicebant se adferre rem magnam, cujus mora pretium posset adferre, id est, pœnam. Terentius, *Ego pretium ob stultitiam fero*, ut sit sensus, si tardius mittamur ad Æneam, luemus hostibus pœnas. Alii sic intelligunt, scimus quidem adventum nostrum moram vestris adferre consiliis: verum hujus moræ erit pretium, id est, remuneratio. Namque hoc offerebant quod illi cogitabant, ut diximus supra, *Quisve Æneæ jam nuntius esset?* Alii deesse putant *adfirmantes*, ut sit sensus adfirmantes rem magnam futuram, & multum illos consecuturos, si audiendi se moram pertulissent. Alii, qui *pretium* pro *pœna* dicunt positum, ita tradunt, eos anxios tandiu super rebus dubiis futuros, quandiu se non admiserint ad loquendum. *Servius.*

Pretiumque moræ fore.] Vide, ut explicui. Alii non ad gustum: ad meum, & Virgilii Sophocles Elect. τοῦ χρόνου κέρδος· *lucrum in tempore*, id est, pretium est temporis. Scio in Soph. per negationem rem dici. Ad rem nihil. Statius quoque ad eundem gustum l. 7. *Præcipitant, redimuntque moras.* Et de Jugurtha Sallust. *belli moram redimebat.* Et Ovid. in Epist. *Grandi moræ pretium*, id est, mora quælibet magno æstimatur. *Cerda.*

233. *Accepit trepidos.*] Festinos: more suo. Ergo per metalepsin cupidos dixit σπεύδοντας, non enim possumus timentes accipere, quod festinabant. *S.*

234. *Tunc sic Hyrtacides.*] In antiquis *tum*, quod & alibi sæpe pro *tunc* positum. *Pierius.*

Mentibus æquis.] Id est, secundis, explicatore Ammiano lib. 21. qui synonymice, ore Constantii Imperatoris: *Accipite quæso æquis auribus & secundis.* Nec alio sensu Plin. Paneg. Trajani: *æquiore animo sunt homines*, id est, faventiore & secundiore. Ergo ait, *audite æquis mentibus*, id est, favete nostræ petitioni. *Cerda.*

235. *Neve hæc nostris spectentur ab annis.*] Bene excusat: quia scit de ætate puerorum posse dubitare, dicens non ex suggerentum persona, in qua est major auctoritas, sed sua vi consilia ponderanda. *Spectentur* autem æstimentur. *Servius.*

236. *Rutuli somno vinoque sepulti.*] Occasio prius narratur, sic consilium, ut necessario ad id quod nuntiat veniat. *Idem.*

Vinoque sepulti.] Uti diximus alio itidem loco, in Oblongo, & aliquot aliis codd. *soluti* legitur. *Pierius.*

237. *Procubuere.*] Superius quidem verbum hoc habetur: sed hic veteres omnes codices, quotquot inspicere licuit, excepto Mediceo, *conticuere* legunt, quod magis indicat eos somno laxatos, in quo nihil magis quam silentium expetitur. *Idem.*

Locum insidiis conspeximus ipsi.] Ordo est, locum conspeximus, qui insidiis patet: *ipsi* autem ad fidem pertinet, qui enim rem tantam nuntiat debet firma auctoritate contendere, & communicat conscio quod solus conspexit. *Serv.*

238. *Qui patet in bivio.*] Necessaria signa addidit. *Idem.*

Portæ, quæ proxima ponto.] Apparet, ut & supra diximus, castra Trojana in

Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur. si Fortuna permittitis uti;
Quæsitum Ænean ad mœnia Pallantea,
Mox hic cum spoliis, ingenti cæde peracta,
Adfore cernetis: nec nos via fallit euntis.
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem
Venatu assiduo, & totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:

Dî

Hostiensi fuisse. Siquidem nullus alter locus in Laurolavinati hinc fluvio cohæret, hinc pelago. Et nunc dicit, *Portæ, quæ proxima ponto.* Item paulo post dicturus est, *Murorum in parte sinistra Opposuere aciem, nam dextra cingitur amni.* Servius.

Quæ proxima ponto.] In antiquis aliquot codicibus *quæ proxuma ponto est*, una plus dictione legitur. *Pierius.*

239. *Interrupti ignes.*] Signum est sopitorum ignium, quotiens major fumus erigitur. *Servius.*

240. *Fortuna.*] Occasione. Ad inquirendum Æneam. Alii hunc ordinem volunt, *si fortuna permittitis uti, Mox hic cum spoliis ingenti cæde peracta, Affore cernetis. nec nos via fallit eunteis Quæsitum Æneam, & mœnia Pallantea.* Idem.

241. *Quæsitum.*] Ut quæramus. *Id.*

Quæsitum Ænean ad mœnia Pallantea.] In antiquis *Ænean & mœnia.* καθ' ὕςερον πρότερον. *Pierius.*

242. *Cum spoliis.*] Hinc est, quod supra Euryalo dixit, *Me referat tibi magnus ovantem Juppiter:* respiciens ad id, quod posset fortiter facere. *Servius.*

243. *Nec nos via fallit.*] Bene utique cuncta cum amico communicat. *Idem.*

Nec nos via fallit euntis.] Ex perlustrato Homeri versu Iliad. 23.

Στεινωπῷ ἐν ὁδῷ παραδύμεναι, οὐδὲ
με λήσει·

Angusta in via subire, nec me fallet.
Cerda.

244. *Vidimus.*] Demonstrat rem fieri posse. *Donatus.*

Obscuris primam sub vallibus urbem.] Nos in obscuris vallibus positi vidimus primam urbem, hoc est, primam partem urbis. Nam Pallatium in monte est, non in vallibus. *Servius.*

Primam sub vallibus urbem.] Carisius *primam*, pro *in primis* hic positum ait, atque expositum Terentianum illud in Adelphis, ab Hellenio Acrone, *in prima fabula.* Ita & illud, *Troja qui primus ab oris*, pro *Inprimis:* ubi Terentius Scaurus in commentariis in artem poëticam lib. x. *Non qui ante omnes*, inquit, *sed ante quem nemo est.* Et addit, *Quo genere plures primi accipi possunt.* Pierius.

Primam urbem.] Recte Servius *primam partem urbis* exponit. Similiter Terent. Prol. Adelph. ✝ſ. 9. *prima fabula*, & Heautont. 5. 1. 29. *ultimis ædibus.* Plaut. Curc. 4. 1. 14. *in foro infimo.* & Cistell. Act. 5. in fine: *postrema comœdia.* Phædrus lib. 2. Fab. 4.

Aquila sublimi quercu nidum fecerat,
Feles cavernam nacta in media pepererat.
Sus nemoris cultrix ad imam posuerat,
&c. *Emmeneſſ.*

245. *Totum amnem.*] Hoc est, regionem amnis. *Servius.*

246. *Annis gravis, atque animi maturus Aletes.*] Sallustius de Philippo, *Qui ætate & consilio cæteros anteibat*, Idem.

Hic annis gravis, &c.] Ita apud Apul. lib. 2. Metam. *Hujus adhærebat lateri senex jam gravis annis.* Ad quem locum consule Pricæum. Ut vero hic *animi maturus*, sic supra l. 5. Æn. ✝ſ. 73.

—— *ævi maturus Acestes.*

Ubi

Dî patrii, quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cum talis animos juvenum, & tam certa tulistis
Pectora. sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, & voltum lacrimis atque ora rigabat:
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro laudibus istis,
Præmia posse rear solvi? pulcherrima primum
Dî moresque dabunt vestri: tum cetera reddet

Actu-

Ubi vide quæ diximus, & Turneb. l. 19. c. 29. *Emmeness.*

Atque animi maturus Aletes.] In Romano codice, *animis* legitur: quod non ita placet. *Pierius.*

247. *Dî patrii.*] Maturi hominis matura oratio. Recte autem incipit à diis quorum favore Respub. tales viros recipiunt. Lachrymæ autem gratulationis fuerant, quod extitissent tales. Item doloris quod recordaretur tot fortium virorum jam amissorum, quia dixerat, *Non tamen omnino Teucros delere paratis.* Donatus.

Dî patrii.] Quia *Patrii*, ideo *Troja.* Sic etiam & Deos Patrios, & patriam terram conjunxit Sophoc. in Elect. Ἀλλ' ὦ πατρῴα γῆ, θεοί τ' ἐγχώριοι. Et iterum in Antig. ὦ γῆ, θήβης ἄστυ πατρῷον, καὶ θεοὶ προγενεῖς, *Cerda.*

Dî patrii, &c.] Vide quæ dicta ad lib. 1. Georg. ℣s. 598. *Emmeness.*

248. *Non tamen omnino Teucros delere paratis.*] Ac si diceret, Licet irascamini ad tempus, hinc tamen apparet non velle vos penitus delere Trojanos, quod tales animos nostris juvenibus datis. *Servius.*

Cum tales animos juvenum, tam certa tulistis P.] In antiquis fere omnibus exemplaribus, *talis animos juvenum & tam certa tulistis* legitur: quod magis placet. *Pierius.*

Certa.] Hoc loco firma vel fortia. *Servius.*

250. *Humeros dextrasque tenebat.*] Hoc ad affectum retulit: nec enim simul fieri potest. Intelligimus autem quod & singulos & membratim amplectebatur. *Idem.*

251. *Vultum lacrimis, atque ora rigabat.*] Poëtice junxit, & modo unum significant, est autem iteratio: Interdum recipiunt discretionem. Nam est naturaliter facies quam habemus, vultus vero quem pro nutu animi ad tempus formamus. *Idem.*

Et voltum lacrimis atque ora rigabat.] Gratulationis fuerunt lachrymæ & doloris. *Gratulationis*, quod extitissent tales voluntarii. *Doloris* vero, quia dixit, *Non tamen omnino Teucros delere paratis.* Recordatus est enim, quam perdidissent magnanimos heroas Trojani. *Donatus.*

252. *Pro laudibus.*] Id est, virtutibus: ab eo, quod præcedit, id, quod sequitur. Ut lib. v. Æneid. *Primam merui qui laude coronam.* Servius.

Pro talibus ausis.] In codicibus aliquot antiquis *pro laudibus istis* legitur: & id Servius agnoscit. In eo porro veteri codice, qui apud me est, ita etiam legebatur, sed utraque dictio abrasa est, & *talibus ausis* adscriptum. Est vero hoc idem alibi, ubi Æneas Lausi pietatem admiratur, qui sese morti objecerat pro salute patris,

Quid tibi nunc miserande puer pro laudibus istis,
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum? Pierius.

254. *Dî moresque dabunt vestri.*] Ciceronis est, tractum de Philosophis, qui dicunt sufficere ad gloriam, benefacti conscientiam. Scit enim Poëta nihil

Actutum pius Æneas, atque integer ævi
Ascanius, meriti tanti non immemor umquam.
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penatis,

Assa-

nihil esse majus, quam quod vel à diis meruerimus, vel rectis moribus fecerimus. *Servius.*

Dî.] Qui bonis favent. *Donatus.*

Moresque vestri.] Recte vivendo. *Idem.*

255. *Actutum.*] Confestim, sine dilatione: & est adverbium temporis. *Servius.*

Actutum.] Vox hæc Comicis, Plauto præcipue, familiarissima. Verum unde significet *statim*, docet Priscianus l. 15. p. 1013. *Actutum derivatum est ab actu, id est, celeritate. Virg. lib.* IX.

—— tam cætera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer ævi
Ascanius.

Formatur autem *Actutum* ab *actum*, sicut à *cinctus cinctutus*, quod occurrit apud Horat. de Art. Poët. ✠ſ. 50. *Emmenesf.*

Æneas.] Et ut diuturnior res sit Ascanius. *Donatus.*

Integer ævi.] Integri ævi, id est, Adulescens cui ætas integra superest. Unde Ennius *deos ævi integros* dicit, quibus multum ævi superest. Et bono omine ad pericula pergentibus, etiam per Ascanium præmium pollicetur. Longiorem enim eis vitam promittit, si ea exspectent quæ Ascanius dare majora possit. *Servius.*

Integer ævi.] Ε'νήλιξ@· quod superius Bucol. ambitu verborum, *firmata virum te fecerit ætas.* Germanus.

Integer ævi.] Pro eo Statius, *integer annorum*, lib. I. Theb. ✠ſ. 415.

Celsior ille gradu procera in membra, simulque
Integer annorum, sed non & viribus infra
Tydea fert animus, &c.

Et supra lib. 2. Æn. ✠ſ. 638.

—— Vos ò, quibus integer ævi
Sanguis, ait, solidoque suo stant robore vires.

Ad quem locum vide. *Emmenesf.*

Ævi.] Nemo satis assequetur Vatis hujus vigilantiam. Hanc Serv. aperit, cum ait: *Ennius Deos ævi integros dicit, quibus multum ævi superest.* Nam ævum de Diis dici, ut qui diu vivant, certum. Serv. quidem 6. Æneid. *Longævo, id est, Deo. Ævum enim propriæ æternitatis est, quæ non nisi in Deos venit*, profertque Ennium, qui ait,

Romulus in cœlo cum Diis genitalibus ævum
Degit. ——

Et quidem Symmach. epist. 79. lib. 9. æternitatem indicat, cum ait: *Ævum maneat hic dies, qui te nobis filia dedit.* Plin. epist. 24. lib. 4. opponit *tempus*, & *ævum*, cum ait: *si computes annos, exiguum tempus, si vices rerum, ævum putes.* Cerda.

256. *Meriti.*] Præstiti: ut, *Merui quoque.* Item *Quique sui memores aliquos fecere merendo.* Servius.

257. *Immo ego vos.*] Pulchre Poëta fidem sponsionis Alethi addidit, ut eum statim promissa Ascanii sequerentur. *Idem.*

Cui sola salus genitore reducto.] Mediceus codex, & aliquot alii *recepto* legunt. Sed id melius inferius, *Nihil illo triste recepto.* Pierius.

Cui sola salus genitore reducto.] Conformia huic multa, quæ sunt apud Soph. in Elect. ubi Electra ipsa spes omnes, salutem, gloriam, sita omnia putat in Orestis fratris adventu. *Cerda.*

258. *Excipit Ascanius.*] Id est, subsequitur: & à Poëta dictum est, *Vos autem Nise*, figurate, ut, *Vos ò Calliope*; *Sola salus* vero, cui una est salus, genitore reducto. *Servius.*

Excipit Ascanius.] Subsequitur. Gr. ὑπολέ-

Aſſaracique Larem, & canæ penetralia Veſtæ,
Obteſtor. quæcunque mihi fortuna fideſque eſt,

In

ὑποδέχεται, ὑπολαμβάνει. Æn. 6. ✝ſ. 723. *Suſcipit Anchiſes.* Taubm.

Per magnos, Niſe, Penatis.] Hoc eſt, quod ait *Penatibus & magnis diis*, id eſt, quos Æneas ſecum advexerat: Nam ideo ait *Aſſaracique larem*, id eſt, familiæ noſtræ vel generi proprium, vel quos nos Trojani præcipue colimus, de quibus ait III. Æneid. *Frigiique Penates, Quos mecum à Troja mediis ex ignibus urbis Extuleram.* Qui tamen dii qui ſunt, à diverſis varie traduntur, ſicut ſupra dictum eſt. *Servius.*

Magnos Penatis.] Qui univerſim multa velit de Penatibus, adeat diligentem operam Delrii in Novis Comment. Sen. in Thyeſt. ✝ſ. 264. ab pag. 373. & deinde per plures, ubi diligenter de diſtinctione Larium, & Penatium. Vide etiam Arnob. lib. 3. ubi recenſet varias Gentilium opiniones de Penatibus. *Cerda.*

259. *Aſſaracique Larem.*] Ambitioſe ad laudem ſui, oſtentans ſcilicet divinitatem unius è majoribus ſuis, ideo cum Veſta, & Penatibus jungit. Pari ambitione Germanicus apud Tacit. I. Ann. in oratione ad milites: *Tua Dive Auguſte cœlo recepta mens, tua pater Druſe imago, &c.* Plin. Paneg. ſæpiſſime commeminit divinitatis Nervæ ad jactantiam Trajani, quippe is adoptione filius Nervæ fuit. Ait vero ſignate *Larem*, alludens ad opinionem Gentilium, qui putabant animas Heroum, cum relatæ eſſent, ex ſuperſtitione eorum, in ſuperos, verti in Lares & Genios. Ovid. 5. Faſt. ait animam Auguſti verſam in Larem:

Bina gemellorum quærebam ſigna Deorum,
Viribus annoſa facta caduca moræ;
Mille Lares, Geniumque ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet, & vici numina trina colunt.

Idem.

Canæ Veſtæ.] Venerabilis, antiquiſſimæ. Ipſa enim antiquiſſima dea eſt, è terra. *Servius.*

Canæ Veſtæ.] Dicit *canam*, antiquam & perpetuam. *Obteſtari* autem eſt, ob aliquam cauſam deos teſtes adhibere. *Donatus.*

Canæ veſtæ.] Supra, *canæ fides & Veſta.* Germanus.

Veſtæ.] Jurat per numen, cujus tanta apud veteres fuit religio, ut ἀνέστιος pro impio etiam, & injuſto accipiatur, quaſi injuſtus vere eſſet, qui Deam hanc non coleret. Vocat *Canam*, quia terra, antiquiſſima fuit Deorum, & *Veſtam* eſſe Terram Gentiles dicebant. Sunt qui putent per *Veſtam* ſignari ignem. Abunde hoc fabulatores. Illud certum, in tanto cultu habitam hanc Deam, ut dicat Pauſan. lib. 5. θύουσι δὲ Ἑστίᾳ μὲν πρώτῃ, δευτέρῳ δὲ Ὀλυμπίῳ Διΐ. *Sacrificant Veſtæ quidem primum, deinde Jovi Olympio.* Hinc non male primatus iſte, & canicies Veſtæ elici queat. *Cerda.*

260. *Obteſtor.*] Adjuro. & eſt ordo, Immo ego, cui ſola ſalus genitore reducto, vos obteſtor, revocate per deos parentem. *Servius.*

Quæcumque mihi fortuna fideſque eſt.] Id eſt, Quicquid caſu, quicquid conſilio egero, vobis committam. nam per *fidem*, conſilia ſignificat: per *fortunam* opes, imperium, & cujuſlibet rei poſſibilitatem. Alii ſic tradunt, *fortuna* ut poſſit, *fides* ut velit promiſſa perſolvere. Alii ita, quantum habeo fortunæ in veſtris pono gremiis, doque fidem me ita animatum eſſe & ſic ſentire, mihi inquit habeo conjunctam fortunam & fidem eſſe: Nam cum volumus oſtendere quantum in noſtra ſit poteſtate, dicimus fortunam & fidem: *Fortuna* de noſtris eſt poſſeſſionibus, *fides* quantum nobis creditur ab inimicis. *Idem.*

Quæcumque mihi fortuna fideſque eſt.] *Fortuna* in eventu eſt factorum, *fides* autem in poteſtate. Quæcunque, inquit, in me

In vestris pono gremiis. revocate parentem:
Reddite conspectum. nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula; devicta genitor quæ cepit Arisba:
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta,

Cra-

in me fuerit *fortuna*, hoc est, si melior me *fortuna* respexerit, & si qua in me *fides* est, hanc servabo meritis vestris, in tantum, ut in vestro arbitrio sit, quid rependi vobis pro meritis debeat. *Don.*

261. *In vestris pono gremiis.*] Ἐγκολπῶ, παρακαταθίθεμαι. Hom. sæpe: Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. & Θεῶν ἐν κολποῖς. Pro eodem tamen, ac si, *in vestris pono manibus* dixisset, hoc est, ἐγγυαλίζω, ἐγχειρίζω. Unde & ὑπόγυον, τὸ ὑποχείριον. *Germanus.*

262. *Nihil illo triste recepto.*] Subaudis, *erit*. Servius.

Nihil illo triste recepto.] Aliquid huic affine Soph. Antig. ubi Ismena soror Antigonæ ita ait amans sororis,

Καὶ τίς βίος μοι σοῦ λελειμμένῃ φίλος;

De Trajano Plin. Paneg. *Inde alii se satis vixisse, te viso, te recepto.* Apud Curt. lib. 3. mulieres captivæ *negabant se captas, si viveret Rex.* Et Horat. Od. 7. lib. 1.

Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro. Cerda.

263. *Bina dabo, &c.*] Remuneratio pro obitis periculis. Enumerat pulcherrima dona, quorum spe ad memorabile facinus faciendum, adolescentes, alioquin per se satis paratos, invitat. *Hortensius.*

Argento perfecta.] Id est, tota argentea. *Servius.*

Aspera signis pocula.] Vide supra l. 5. Æn. ad ℣s. 268.

Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis. Emmeness.

264. *Devicta genitor quæ cepit Arisba.*] Atqui secundum Homerum *Arisba* misit Trojanis auxilium, & ab Achille subversa est. Sed accipimus aut ante bellum Græcorum *Arisbam* à Trojanis captam, & in amicitiæ fœdus admissam. Aut certe pocula hæc data ab Heleno, qui in Achillis bona per Pyrrhi successit hereditatem, ut sit, *quæ cepit*, pro *quæ accepit*. Servius.

Devicta Arisba.] Scilicet ab Achille. Dicta est *Arisba* à Meropis vel Macarei filia, quam primum Paris in conjugio habuit. Quidam ab Abante, qui Troica scripsit, relatum ferunt post discessum à Troja Græcorum, Astyanacti ibi datum regnum, hunc ab Antenore expulsum sociatis finitimis civitatibus, inter quas & *Arisba* fuit, Ænean hoc ægre tulisse, & pro Astyanacte arma cepisse, ac prospere gesta re Astyanacti restituisse regnum: quod si ita est, merito eam Æneas & vicisse & hæc pocula inde cepisse memoratur. *Idem.*

Devicta Arisba.] Nihil enim tollitur post victoriam, nisi quod sit magni meriti. *Donatus.*

Arisba.] Oppidi hujus meminit Hom. Iliad. 12. & 21. & Plin. lib. 5. c. 30. ubi conjungit tria oppida unius tractus, *Rhetenum*, *Dardanium*, *Arisben*. Cerda.

265. *Et tripodas geminos, &c.*] Intelliguntur *tripodes ἀναθηματικοὶ*, qui ornatus caussa appenduntur in ædibus, sive publicis, sive privatis. *Petitus.*

Tripodas.] Vide 5. Æn. ℣. 110. *Taubm.*

Duo magna talenta.] Bene addidit *Magna*, nam varium apud diversas gentes pondus est talenti. Unde *talentum* potest & breve aliquid & magnum significare. Nam ut supra diximus, secundum Plautum, talentum septuaginta librarum est. qui cum dixisset debere centum quadriginta libras, paulo post intulit duo talenta; per jocum dicens, *Debentur talenta tot, quot ego & tu sumus.* Item Homerus *talentum* breve quiddam ostendit, quippe quod accepit

Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam, ſceptriſque potiri
Contigerit victori; & prædæ ducere ſortem:
Vidiſti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus: ipſum illum clipeum criſtaſque rubentis
Exci-

pit victus: cum victori levia data ſint munera. *Servius.*

Auri duo magna talenta.] Numquam modicus Hom. in quo *δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα· decem auri talenta.* Quod & Ovid. arripuit:

Addita ſunt illis auri bis quinque talenta. Cerda.

Auri duo magna talenta.] Locus Plauti, quem citat Servius, eſt in Moſtellaria. Verum non dicit Plautus talentum eſſe librarum (ſive minarum, quæ tantundem ſunt) ſeptuaginta, ut hoc loco & jam ſupra lib. 5. Æn. ad ℣ſ. 152. monuit Servius; ſed eſſe librarum ſexaginta. Nam Act. 3. Sc. 1. ℣ſ. 114. ædes dicuntur emptæ *duobus talentis magnis*, atque *arraboni perſoluta minæ* XL. & Scen. 3. ℣ſ. 16. & Act. 4. Scen. 3. ℣ſ. 27. *deberi adhuc minas* LXXX. Emptæ igitur ædes minis centum & viginti. Neque in tota Fabula fit mentio *minarum centum quadraginta*, ut refert Servius; ſed procul dubio pro *minis quatuor quadraginta*, ut paucis verſibus ante primum locum legitur, lectum à Servio *centum quadraginta*, perperam. Sed etiamſi ita legeretur, tamen non ſequeretur, quod Servius intendit: dicuntur enim ſolummodo tot minæ à daniſta ſumptæ mutuo, non vero totidem emptas ædes: uti locum adeunti patebit. Non audiendus præterea hic eſt Peritus, poſt vocem *auri* interpungens, eamque referens ad *tripodas*, non vero ad *talenta*; *duo enim iſta talenta*, inquit, *quia appellantur magna, non ſunt auri, ſed argenti*: de quo vid. omnino Gronovius lib. 3. de Pecunia Vetere cap. 3. *Emmeneſſ.*

266. *Cratera antiquum.*] Hoc eſt, antiquo opere factum, ut ei pretium creſcat ex tempore. *Servius.*

Quem dat.] Pro, *dedit.* de hac ſexta Solœciſmi ſpecie Diomedes, Valla, &c. *Taubmannus.*

267. *Si vero, &c.*] Morem quendam tangit: quem explicat Victorius l. 26. c. 1. *Idem.*

Si vero capere Italiam, &c.] In aliquot veteribus codicibus alio numero legitur, *ſi vero Italiam capere ſceptriſque potiri.* Sed prior ille numerus *capere Italiam* magis placet. *Pierius.*

Capere Italiam.] Obtinere. *Serv.*

268. *Ducere ſortem.*] Statuere. Alii proprie *ducere* legunt, quod eſt ſortium: ut, *Stat ductis ſortibus urna.* Alii *dejicere* legunt ſecundum illud, *Dejectamque area ſortem Accepit galea.* Id eſt, ſortiri prædam. *Idem.*

269. *Vidiſti quo Turnus equo.*] Meliore œconomia Niſum noluit inducere, poſtulantem equum Turni præmii loco, ſed honeſtius facit ultro offerri, cum Homerus fecerit Dolonem Achillis currus improbe poſtulantem. *Idem.*

270. *Ipſum illum.*] Equum ſcilicet, cui ex pronomine addidit dignitatem. *Id.*

Ipſum illum:] Id eſt, equum, non, ipſum illum clypeum. Notetur forma Græca, quæ *μὶν αὐτόν.* Hom. ſup. *τοὺς ἵππους, ipſos equos.* Eurip. in Herc. Furent. emphatice ait, *πατέρα τὸν δ' Ἡρακλέος· patrem illum Herculis.* Ait vero *ipſum illum δεικτικῶς.* Nam, ut bene Albert. Krant. lib. 1. Hiſt. cap. 8. *Spectata ante oculos præmia alacriorem faciunt pugnaturum:* Cerda.

Criſtaſque rubentis.] In Romano codice, *comantis* legitur. Sed *rubentis* placet: quia *purpurei criſtis juvenes* ſuperius indicati ſunt. *Pierius.*

Criſtaſque rubentis.] Id eſt, rubras: quas ℣ſ. 163. vocat *purpureas:* item *puniceas*, 12. Æn. *Taubm.*

271. Ex-

Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise.
Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora captivosque dabit, suaque omnibus arma:
Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.
Te vero, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, jam pectore toto
Acci-

271. *Excipiam sorti.*] Extra sortem seponam, ut tibi dari possint, id est, præter sortem dabo. *Servius.*

Excipiam sorti.] Extra sortem tibi dabo, atque extra ordinem: quod honorificentissimum erat. Martial. l. 14.

Hæc illi sine sorte datur, &c.

Propert. l. 2. 18.

Quæ quem tibi excepi, &c.

ἐξαίρετα ἠυξάμην. Vide 8. Æn. ℣. 552. & Turneb. l. 22, 15. & l. 13, 8. *Taubm.*

Jam nunc.] Aut jam nunc excipiam. *Servius.*

272. *Matrum.*] Cum dicit *Matrum*, non solum sexum ostendit, sed etiam propter muneris laudem vult ostendere fœcundas. *Idem.*

273. *Captivosque dabit.*] Subaudiendum *bis sex.* Idem.

274. *Insuper his.*] Super hæc, est figurata elocutio per dativum casum. *Idem.*

Insuper.] Mos mirandus in Poëta. Ubi enim multa narranda sunt, ne continuatio fastidium pariat, dividit, interponendo aliquid, quod tamen non sit alienum. *Donatus.*

Insuper id campi, quod rex habet ipse Latinus.] Varie legitur hic versus. Nam codices nonnulli veteres *insuper his campi quod, & quos.* Alii legunt & *his campis quod Rex habet ipse.* Utcunque vero priores legantur dictiones duæ, placet *quod* legere. *Pierius.*

Campi, quod rex habet ipse Latinus.] Mos fuerat ut viris fortibus, sive regibus pro honore daretur aliqua publici agri particula, ut habuit Tarquinius superbus in campo Martio. quod spatium ab Homero τέμενος dicitur. Hoc ergo quod Latinus pro honore de republica habuit, ab Ascanio intelligamus esse promissum. *Servius.*

276. *Venerande puer.*] Refero ad pulchritudinem, quæ prædicata de Euryalo. Nescias enim quo cultu & religione colantur, qui pulchri sunt. Et quidem visa pulchritudo statim ingenerat reverentiam sui. Latinus Pacatus Paneg. Theodos. *Augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cœlo. Sive enim divinus ille animus venturus in corpus, dignum prius metatur hospitium: sive, cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo, &c.* ubi vides, ut loquatur de forma augusta, ut de re cœlesti, divina, religiosa. Inde Pind. od. 7. Olymp. gratiam, qua quis valet. *αἰδοίαν* vocat, id est, *venerandam.* Adrasti filiæ ita describuntur ab Stat. 2. Theb.

Ibant insignes vultuque, habituque verendo,
Candida purpureum fusa super ora ruborem.

Quasi purpureus color mistus candido, id est, pulchritudo oris utroque constans colore, verendas fecerit. Propter formam hanc augustam & dignam Deo, credo dictum à Virg. in Cyri;

Octavi venerande meis adlabere cœptis
Sancte puer. ——

Iterum: *Et te sancte puer venerabilis.* Claudianum quoque ita accipio loquentem de Stilicone, cum is puer,

Jam tum conspicuus, jam tum venerabilis ibas.

Et Fabium Declam. 340. *Sacrum illud prætextarum, quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus, & venerabilem.* Electra ab Euripid. in Orest. dicitur πότνια, ut quæ pulcherrima, id est, *veneranda.* Victor Uticensis in Hist. de Persecut. Vanda-

Quas ibi tunc ferro ſtrages, quæ funera Turnus
Ediderit; quem quiſque virum demiſerit Orco:
Et mecum ingentis oras evolvite belli.
Et meminiſtis enim, divæ, & memorare poteſtis.

Turris

Sed non Scholiaſtem Sophoclis, qui in illud Oedipi, σοὶ πεἰσαντας, *tibi credens*, ita ſcribit: κατά τινα συνήθειαν ποιητικὴν, πληθυντικὸν συνῆπται ἑνικὸν ἐπίζευξιν. Demum, quis neſcit neutra Græcorum pluralia conjungi verbis ſingularibus? quod omitto, ut tritum. Sed non quod ſequitur; videlicet, alias etiam voces non neutras conjungi etiam cum ſingularibus, quod in Hom. obſervavit Euſtathius. Sic Heſiodus, ἦν τρεῖς κεφαλαί. ubi ἦν in ſingulari, & κεφαλαὶ in plurali. Advocat Euſtath. alia quædam ſimilia. Sic Hom. 17. Iliad.

Χεῖρές τ', ὀφθαλμοί τε παλάσσετο μαρναμένοιιν.

Manuſque, oculique fœdabantur pugnantium.

Ad verbum, *fœdabatur*. Cerda.

Adſpirate.] Metaph. à proſpere navigantibus, quibus ventus dicitur ex οὐρίων ſpirare, ut eſt apud Soph. in Ajace, & Chryſoſt. *Taubm.*

527. *Quem quiſque virum demiſerit Orco.*] Ait Urſinus, Virgilium hoc verſu interpretatum fuiſſe Homericum illud.

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν.

Quem verſum ita reddunt interpretes,

Multas autem fortes animas inferni ante tempus demiſit.

Nam Græci Scholiaſtæ illud προΐαψεν, ita explicant, ἀντὶ τοῦ πρὸ τοῦ εἱμαρμένης ἔπεμψεν. Hanc (inquam) Homeri explicationem Urſinus reprehendit. Nam quod Græcus προΐαψεν, Virg. ſimpliciter *demiſerit*. ut etiam alibi, *miſerit*. Sed non aſſentio Urſino: nam vere Hom. intelligit mortem πρὸ τοῦ δέοντος, καὶ πρὸ τοῦ μοιριδίου, quod jam Spondanus aſtruxit ex Ariſtotele, apud quem mors duplex, videlicet βίαιος, καὶ κατὰ φύσιν, *violenta, & naturalis*. Et quidem, qui in bello obeunt, πρὸ τῆς μοίρας obeunt. *Cerda.*

528. *Oras evolvite belli.*] Hoc eſt, ingentis belli narrate non tantum initia, ſed extrema bellorum: Nam *oræ* ſunt extremitates. Eſt autem Ennianum, *Qui potis ingentis oras evolvere belli.* Servius.

Oras evolvite belli.] Proculdubio ab Ennio, qui 6. Ann.

Quis potis ingentes oras evolvere belli?

Sumitur locutio à veſtium explicatione, quarum extremæ partes *oræ* appellantur. Quintilianus legit in Ennio *cauſas*, non *oras*. Sed aſſentiamus Macrobio lib. 6. cap. 1. Servio in hunc locum, & doctis aliis, qui in hunc ævum erupere, omnes enim *oras* legunt. *Cerda.*

Oras evolvite belli.] Id eſt, magna belli ſpacia explicantur. *Ora* enim non ſolum extremas partes ſignificat, ſed etiam primas. Cæcilius:

Oram reperire nullam, quam expediam, queo.

Proinde Maroni tota regio eſt & ſpacium campuſque, id eſt, ipſum bellum. Quidam tamen *principium* tantum intelligunt. Turneb. l. 16. c. 22. & l. 18. c. 3. *Taubm.*

Et meminiſtis.] In nonnull. MSS. hic verſus non extat. *Idem.*

529. *Et meminiſtis enim, divæ, & memorare poteſtis.*] Differt *meminiſſe* ac *memorare*: cum illud ſit memoriter tenere, *Memorare* vero exponere & narrare. Eſt autem Homeri ſententia,

Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.

Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα. *Servius.*

Et meminiſtis enim, divæ, &c.] Demoſthen. de Coron. ἴστε γὰρ δήπου, καὶ μέμνησθε· *ſcitis, & meminiſtis.* Dixi alludi

Quid facerent, quisve Æneæ jam nuntius esset:
Stant longis adnixi hastis, & scuta tenentes,
Castrorum & campi medio. tum Nisus & una
Euryalus confestim alacres admittier orant:

228. *Quisve Æneæ jam nuntius esset.*] *Jam*, aut cito, ut festinandum sit, & jam nuntiandum Æneæ, nec differendum: aut cum nullum invenirent. Ad desperationem quasi nemo esset jam qui posset audere. *Servius.*

Quisve Æneæ jam nuntius esset.] In antiquis aliquot exemplaribus *isset* legitur. Nam hoc etiam quærere poterant, Nuntiassetne adhuc quispiam Æneæ quid rerum gereretur. Sed quia dixerat *Nisus populum & patres exposcere mitti viros, qui certa reportarent*, magis placet *esset* vulgata lectio. *Pierius.*

229. *Adnixi hastis.*] Mira facies consilii, in dubiis non sedent, sed stant. Ostendit ergo jam eos diuturna statione fatigatos. quod autem stant, & Romani moris est, & bellicæ necessitatis. Hunc autem standi habitum & Sallustius commemorat, ut, *Fessi arma sua quisque stantes incumbere.* Servius.

Stant longis adnixi hastis.] Habitus vere militaris. Ab Homero inferuntur Diomedes bellator, & Ulysses ἔγχει ἐρειδόμενοι. *hastæ innixi.* Itaque de Diomede ait, μενεπτόλεμος, id est, *bellator*, indicans hunc esse habitum bellatoris, & 3. Iliad.

Ἀσπίσι κεκλιμένοι, παρὰ δέ σφ' ἔγχεα μακρὰ πέπηγε·

Scutis inclinati, juxta autem longæ hastæ erant infixæ.

Et de Achille lib. 22. Iliad. meditante mortem Hectoris,

Στῆ δ' ἄρ' ἐπὶ μελίης χαλκογλώχινος ἐρεισθείς·

Stetit vero fraxineæ hastæ innixus, cui cuspis ærea.

Et Hector ipse 8. Iliad. inducitur hastæ ἐρεισάμενος. Auctor Thebaïdos, *Reclinis hastæ.* & Statius 2. Thebaïd.

Adnixi jaculis, & humi posita arma tenentes,
Exspectant hostem. ——

Claud. Bell. Gild. in re etiam belli, *stat circumfusa juventus Nixa hastis.* & lib. de Bell. Get. Geta quispiam militaris & grandævus inducitur, *capuloque acclinis eburno.* Virtus apud Prudent. Psych. *defixa cuspide sistit.* Cerda.

230. *Castrorum & campi medio.*] In medio campi statio, qui campus castrorum medius fuit. Quia in mediis castris principes sunt semper, & bene *campi medio*, quam *campo medio*: tunc enim *campo medio*, cum aliquot campi sunt, & unius est medius campus: *Campi* autem *medio*, in media parte unius campi. *Servius.*

Castrorum & campi in medio.] In codicibus antiquis, *in* præpositio non habetur. Sunt vero codices, qui legant *castrorum & medio campi.* Pierius.

231. *Alacres.*] Concitati. Terentius, *Quid tu es tristis, quidve es alacris?* S.

Alacres.] Hæc vox notat homines προθύμους ad bellum, id est, *promptos*; *& fervidos, & vere ardentes.* Vim vocum sæpissime oppositiones explicant. Sidon. epist. 4. lib. 1. ita opponit: *Vegetis, & alacribus exemplum; desidibus, & pigris incitamentum.* & epist. 6. ejusdem lib. *Cum sis alacer domi in aggredienda peregrinatione, trepidum te iners desperatio facit.* In quibus vides *alacres* opponi *pigris, trepidis, inertibus.* Ego dubitabam, an in Sidon. legendum esset, *tepidum te iners desperatio facit.* Nam Symm. epist. 32. lib. 1. *alacrem* explicat per *ignem*, ut ita videatur alacritati opponi, quod non est igneum, utique tepidum. Verba Symmachi: *Ego te vegetum, & alacrem commonebo? eadem opera auras ut vigeant, & ignes ut caleant, admonebo.* Cerda.

Admittier orant.] Hoc verbo ostendit olim & apud reges admissionum fuisse officium. *Servius.*

Rem magnam, pretiumque moræ fore. primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere jussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite ô mentibus æquis,
Æneadæ: neve hæc nostris spectentur ab annis,
Quæ ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Conticuêre. locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portæ, quæ proxima ponto.

Inter-

232. *Rem magnam, pretiumque moræ fore.*] Dicebant se adferre rem magnam, cujus mora pretium posset adferre, id est, pœnam. Terentius, *Ego pretium ob stultitiam fero*, ut sit sensus, si tardius mittamur ad Æneam, luemus hostibus pœnas. Alii sic intelligunt, scimus quidem adventum nostrum moram vestris adferre consiliis: verum hujus moræ erit pretium, id est, remuneratio. Namque hoc offerebant quod illi cogitabant, ut diximus supra, *Quisve Æneæ jam nuntius esset?* Alii deesse putant *adfirmantes*, ut sit sensus adfirmantes rem magnam futuram, & multum illos consecuturos, si audiendi se moram pertulissent. Alii, qui *pretium* pro *pœna* dicunt positum, ita tradunt, eos anxios tandiu super rebus dubiis futuros, quandiu se non admiserint ad loquendum. *Servius.*

Pretiumque moræ fore.] Vide, ut explicui. Alii non ad gustum: ad meum, & Virgilii Sophocles Elect. τ̃ χεόνυ κέρδ۝· *lucrum in tempore*, id est, pretium est temporis. Scio in Soph. per negationem rem dici. Ad rem nihil. Statius quoque ad eundem gustum l. 7. *Præcipitant, redimuntque moras.* Et de Jugurtha Sallust. *belli moram redimebat.* Et Ovid. in Epist. *Grandi moræ pretium*, id est, mora quælibet magno æstimatur. *Cerda.*

233. *Accepit trepidos.*] Festinos: more suo. Ergo per metalepsin cupidos dixit ὀποςῦν1ας, non enim possumus timentes accipere, quod festinabant. *S.*

234. *Tunc sic Hyrtacides.*] In antiquis *tum*, quod & alibi sæpe pro *tunc* positum. *Pierius.*

Mentibus æquis.] Id est, secundis, explicatore Ammiano lib. 21. qui synonymice, ore Constantii Imperatoris: *Accipite quæso æquis auribus & secundis.* Nec alio sensu Plin. Paneg. Trajani: *æquiore animo sunt homines*, id est, faventiore & secundiore. Ergo ait, *audite æquis mentibus*, id est, favete nostræ petitioni. *Cerda.*

235. *Neve hæc nostris spectentur ab annis.*] Bene excusat: quia scit de ætate puerorum posse dubitare, dicens non ex suggerentum persona, in qua est major auctoritas, sed sua vi consilia ponderanda. *Spectentur* autem æstimentur. *Servius.*

236. *Rutuli somno vinoque sepulti.*] Occasio prius narratur, sic consilium, ut necessario ad id quod nuntiat veniat. *Idem.*

Vinoque sepulti.] Uti diximus alio itidem loco, in Oblongo, & aliquot aliis codd. *soluti* legitur. *Pierius.*

237. *Procubuere.*] Superius quidem verbum hoc habetur: sed hic veteres omnes codices, quotquot inspicere licuit, excepto Mediceo, *conticuere* legunt, quod magis indicat eos somno laxatos, in quo nihil magis quam silentium expetitur. *Idem.*

Locum insidiis conspeximus ipsi.] Ordo est, locum conspeximus, qui insidiis patet: *ipsi* autem ad fidem pertinet, qui enim rem tantam nuntiat debet firma auctoritate contendere, & communicat conscio quod solus conspexit. *Serv.*

238. *Qui patet in bivio.*] Necessaria signa addidit. *Idem.*

Portæ, quæ proxima ponto.] Apparet, ut & supra diximus, castra Trojana in

Hostiensi

Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur. si Fortuna permittitis uti;
Quæsitum Ænean ad mœnia Pallantea,
Mox hic cum spoliis, ingenti cæde peracta,
Adfore cernetis: nec nos via fallit euntis.
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem
Venatu assiduo, & totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:

Dî

Hostiensi fuisse. Siquidem nullus alter locus in Laurolavinati hinc fluvio cohæret, hinc pelago. Et nunc dicit, *Porta, quæ proxima ponto.* Item paulo post dicturus est, *Murorum in parte sinistra Opposuere aciem, nam dextra cingitur amni.* Servius.

Quæ proxima ponto.] In antiquis aliquot codicibus *quæ proxuma ponto est*, una plus dictione legitur. *Pierius.*

239. *Interrupti ignes.*] Signum est sopitorum ignium, quotiens major fumus erigitur. *Servius.*

240. *Fortuna.*] Occasione. Ad inquirendum Æneam. Alii hunc ordinem volunt, *si fortuna permittitis uti, Mox hic cum spoliis ingenti cæde peracta, Affore cernetis. nec nos via fallit eunteis Quæsitum Æneam, & mœnia Pallantea.* Idem.

241. *Quæsitum.*] Ut quæramus. *Id.*

Quæsitum Ænean ad mœnia Pallantea.] In antiquis *Ænean & mœnia.* *καθ' ὕστερον πρότερον.* *Pierius.*

242. *Cum spoliis.*] Hinc est, quod supra Euryalo dixit, *Me referat tibi magnus ovantem Juppiter:* respiciens ad id, quod posset fortiter facere. *Servius.*

243. *Nec nos via fallit.*] Bene utique cuncta cum amico communicat. *Idem.*

Nec nos via fallit euntis.] Ex perlustrato Homeri versu Iliad. 23.

Στεινωπῷ ἐν ὁδῷ παραδύμεναι, οὐδέ
με λήσει·

Angusta in via subire, nec me fallet.
Cerda.

244. *Vidimus.*] Demonstrat rem fieri posse. *Donatus.*

Obscuris primam sub vallibus urbem.] Nos in obscuris vallibus positi vidimus primam urbem, hoc est, primam partem urbis. Nam Pallatium in monte est, non in vallibus. *Servius.*

Primam sub vallibus urbem.] Carisius *primam*, pro *in primis* hic positum ait, atque expositum Terentianum illud in Adelphis, ab Hellenio Acrone, *in prima fabula.* Ita & illud, *Trojæ qui primus ab oris*, pro *Inprimis:* ubi Terentius Scaurus in commenrariis in artem poëticam lib. x. *Non qui ante omnes*, inquit, *sed ante quem nemo est.* Et addit, *Quo genere plures primi accipi possunt.* Pierius.

Primam urbem.] Recte Servius *primam partem urbis* exponit. Similiter Terent. Prol. Adelph. ✠ſ. 9. *prima fabula*, & Heautont. 5. 1. 29. *ultimis ædibus.* Plaut. Curc. 4. 1. 14. *in foro infimo.* & Cistell. Act. 5. in fine: *postrema comœdia.* Phædrus lib. 2. Fab. 4.

Aquila sublimi quercu nidum fecerat,
Feles cavernam nacta in media pepererat:
Sus nemoris cultrix ad imam posuerat,
&c. *Emmeneſſ.*

245. *Totum amnem.*] Hoc est, regionem amnis. *Servius.*

246. *Annis gravis, atque animi maturus Aletes.*] Sallustius de Philippo, *Qui ætate & consilio ceteros anteibat*, Idem.

Hic annis gravis, &c.] Ita apud Apul. lib. 2. Metam. *Hujus adhærebat lateri senex jam gravis annis.* Ad quem locum consule Pricæum. Ut vero hic *animi maturus*, sic supra l. 5. Æn. ✠ſ. 73.

—— *ævi maturus Acestes.*

Ubi

Dî patrii, quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cum talis animos juvenum, & tam certa tulistis
Pectora. sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, & voltum lacrimis atque ora rigabat:
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro laudibus istis,
Præmia posse rear solvi? pulcherrima primum
Dî moresque dabunt vestri: tum cetera reddet

Actu-

Ubi vide quæ diximus, & Turneb. l. 19. c. 29. *Emmeness.*

Atque animi maturus Aletes.] In Romano codice, *animis* legitur: quod non ita placet. *Pierius.*

247. *Dî patrii.*] Maturi hominis matura oratio. Recte autem incipit à diis quorum favore Respub. tales viros recipiunt. Lachrymæ autem gratulationis fuerant, quod extitissent tales. Item doloris quod recordaretur tot fortium virorum jam amissorum, quia dixerat, *Non tamen omnino Teucros delere paratis.* Donatus.

Dî patrii.] Quia *Patrii*, ideo *Troja.* Sic etiam & Deos Patrios, & patriam terram conjunxit Sophoc. in Elect. Ἀλλ' ὦ πατρῴα γῆ, θεοί τ' ἐγχώριοι. Et iterum in Antig. ὦ γῆ, Θήβης ἄστυ πατρῷον, καὶ θεοὶ πατρογενεῖς, *Cerda.*

Dî patrii, &c.] Vide quæ dicta ad lib. 1. Georg. ℣s. 598. *Emmeness.*

248. *Non tamen omnino Teucros delere paratis.*] Ac si diceret, Licet irascamini ad tempus, hinc tamen apparet non velle vos penitus delere Trojanos, quod tales animos nostris juvenibus datis. *Servius.*

Cum tales animos juvenum, tam certa tulistis P.] In antiquis fere omnibus exemplaribus, *talis animos juvenum & tam certa tulistis* legitur: quod magis placet. *Pierius.*

Certa.] Hoc loco firma vel fortia. *Servius.*

250. *Humeros dextrasque tenebat.*] Hoc ad affectum retulit: nec enim simul fieri potest. Intelligimus autem quod & singulos & membratim amplectebatur. *Idem.*

251. *Vultum lacrimis, atque ora rigabat.*] Poetice junxit, & modo unum significant, est autem iteratio: Interdum recipiunt discretionem. Nam est naturaliter facies quam habemus, vultus vero quem pro nutu animi ad tempus formamus. *Idem.*

Et voltum lacrimis atque ora rigabat.] Gratulationis fuerunt lachrymæ & doloris. *Gratulationis*, quod extitissent tales voluntarii. *Doloris* vero, quia dixit, *Non tamen omnino Teucros delere paratis.* Recordatus est enim, quam perdidissent magnanimos heroas Trojani. *Donatus.*

252. *Pro laudibus.*] Id est, virtutibus: ab eo, quod præcedit, id, quod sequitur. Ut lib. v. Æneid. *Primam merui qui laude coronam.* Servius.

Pro talibus ausis.] In codicibus aliquot antiquis *pro laudibus istis* legitur: & id Servius agnoscit. In eo porro veteri codice, qui apud me est, ita etiam legebatur, sed utraque dictio abrasa est, & *talibus ausis* adscriptum. Est vero hoc idem alibi, ubi Æneas Lausi pietatem admiratur, qui sese morti objecerat pro salute patris,

Quid tibi nunc miserande puer pro laudibus istis,
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum? Pierius.

254. *Dî moresque dabunt vestri.*] Ciceronis est, tractum de Philosophis, qui dicunt sufficere ad gloriam, benefacti conscientiam. Scit enim Poëta nihil

Actutum pius Æneas, atque integer ævi
Ascanius, meriti tanti non inmemor umquam.
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penatis,

Assa-

nihil esse majus, quam quod vel à diis meruerimus, vel rectis moribus fecerimus. *Servius.*

Dî.] Qui bonis favent. *Donatus.*

Moresque vestri.] Recte vivendo. *Idem.*

255. *Actutum.*] Confestim, sine dilatione: & est adverbium temporis. *Servius.*

Actutum.] Vox hæc Comicis, Plauto præcipue, familiarissima. Verum unde significet *statim*, docet Priscianus l. 15. p. 1013. *Actutum derivatum est ab actu, id est, celeritate. Virg. lib. IX.*

—— tam cætera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer ævi
Ascanius.

Formatur autem *actutum* ab *actum*, sicut à *cinctus cinctutus*, quod occurrit apud Horat. de Art. Poët. ℣s. 50. *Emmeness.*

Æneas.] Et ut diuturnior res sit Ascanius. *Donatus.*

Integer ævi.] Integri ævi, id est, Adulescens cui ætas integra superest. Unde Ennius *deos ævi integros* dicit, quibus multum ævi superest. Et bono omine ad pericula pergentibus, etiam per Ascanium præmium pollicetur. Longiorem enim eis vitam promittit, si ea exspectent quæ Ascanius dare majora possit. *Servius.*

Integer ævi.] Ἐνήλιξ· quod superius Bucol. ambitu verborum, *firmata virum te fecerit ætas.* Germanus.

Integer ævi.] Pro eo Statius, *integer annorum*, lib. I. Theb. ℣s. 415.

Celsior ille gradu procera in membra, simulque
Integer annorum, sed non & viribus infra
Tydea fert animus, &c.

Et supra lib. 2. Æn. ℣s. 638.

—— Vos ô, quibus integer ævi
Sanguis, ait, solidoque suo stant robore vires.

Ad quem locum vide. *Emmeness.*

Ævi.] Nemo satis assequetur Vatis hujus vigilantiam. Hanc Serv. aperit, cum ait: *Ennius Deos ævi integros dicit, quibus multum ævi superest.* Nam ævum de Diis dici, ut qui diu vivant, certum. Serv. quidem 6. Æneid. *Longævo, id est, Deo. Ævum enim proprie æternitatis est, quæ non nisi in Deos venit*, profertque Ennium, qui ait,

Romulus in cœlo cum Diis genitalibus ævum
Degit. ——

Et quidem Symmach. epist. 79. lib. 9. æternitatem indicat, cum ait: *Ævum maneat hic dies, qui te nobis filia dedit.* Plin. epist. 24. lib. 4. opponit *tempus*, & *ævum*, cum ait: *si computes annos, exiguum tempus, si vices rerum, ævum putes.* Cerda.

256. *Meriti.*] Præstiti: ut, *Merui quoque.* Item *Quique sui memores aliquos fecere merendo.* Servius.

257. *Immo ego vos.*] Pulchre Poëta fidem sponsionis Alethi addidit, ut cum statim promissa Ascanii sequerentur. *Idem.*

Cui sola salus genitore reducto.] Mediceus codex, & aliquot alii *recepto* legunt. Sed id melius inferius, *Nihil illo triste recepto.* Pierius.

Cui sola salus genitore reducto.] Conformia huic multa, quæ sunt apud Soph. in Elect. ubi Electra ipsa spes omnes, salutem, gloriam, sita omnia putat in Orestis fratris adventu. *Cerda.*

258. *Excipit Ascanius.*] Id est, subsequitur: & à Poëta dictum est, *Vos autem Nise*, figurate, ut, *Vos ô Calliope*; *Sola salus* vero, cui una est salus, genitore reducto. *Servius.*

Excipit Ascanius.] Subsequitur. Gr. ὑποδέ-

Aſſaracique Larem, & canæ penetralia Veſtæ,
Obteſtor. quæcumque mihi fortuna fideſque eſt,
In

ὑποδέχεται, ὑπολαμβάνει. Æn. 6. vſ. 723. *Suſcipit Anchiſes.* Taubm.

Per magnos, Niſe, Penatis.] Hoc eſt, quod ait *Penatibus & magnis diis*, id eſt, quos Æneas ſecum advexerat: Nam ideo ait *Aſſaracique larem*, id eſt, familiæ noſtræ vel generi proprium, vel quos nos Trojani præcipue colimus, de quibus ait III. Æneid. *Frigiique Penates, Quos mecum à Troja mediis ex ignibus urbis Extuleram.* Qui tamen dii qui ſunt, à diverſis varie traduntur, ſicut ſupra dictum eſt. *Servius.*

Magnos Penatis.] Qui univerſim multa velit de Penatibus, adeat diligentem operam Delrii in Novis Comment. Sen. in Thyeſt. vſ. 264. ab pag. 373. & deinde per plures, ubi diligenter de diſtinctione Larium, & Penatium. Vide etiam Arnob. lib. 3. ubi recenſet varias Gentilium opiniones de Penatibus. *Cerda.*

259. *Aſſaracique Larem.*] Ambitioſe ad laudem ſui, oſtentans ſcilicet divinitatem unius è majoribus ſuis, ideo cum Veſta, & Penatibus jungit. Pari ambitione Germanicus apud Tacit. I. Ann. in oratione ad milites: *Tua Dive Auguſte cœlo recepta mens, tua pater Druſe imago, &c.* Plin. Paneg. ſæpiſſime commeminit divinitatis Nervæ ad jactantiam Trajani, quippe is adoptione filius Nervæ fuit. Ait vero ſignate *Larem*, alludens ad opinionem Gentilium, qui putabant animas Heroum, cum relatæ eſſent, ex ſuperſtitione eorum, in ſuperos, verti in Lares & Genios. Ovid. 5. Faſt. ait animam Auguſti verſam in Larem:

Bina gemellorum quærebam ſigna Deorum,
Viribus annoſa facta caduca moræ;
Mille Lares, Geniumque ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet, & vici numina trina colunt.

Idem.

Canæ Veſtæ.] Venerabilis, antiquiſſimæ. Ipſa enim antiquiſſima dea eſt, è terra. *Servius.*

Canæ Veſtæ.] Dicit *canam*, antiquam & perpetuam. *Obteſtari* autem eſt, ob aliquam cauſam deos teſtes adhibere. *Donatus.*

Canæ veſtæ.] Supra, *canæ fides & Veſtæ.* Germanus.

Veſtæ.] Jurat per numen, cujus tanta apud veteres fuit religio, ut ἀνίστιος pro impio etiam, & injuſto accipiatur, quaſi injuſtus vere eſſet, qui Deam hanc non coleret. Vocat *Canam*, quia terra, antiquiſſima fuit Deorum, & *Veſtam* eſſe Terram Gentiles dicebant. Sunt qui putent per *Veſtam* ſignari ignem. Abunde hoc fabulatores. Illud certum, in tanto cultu habitam hanc Deam, ut dicat Pauſan. lib. 5. θύουσι δὲ Ἑστίᾳ μὲν πρώτῃ, δευτέρῳ δὲ Ὀλυμπίῳ Διΐ. *Sacrificant Veſtæ quidem primum, deinde Jovi Olympio.* Hinc non male primatus iſte, & canicies Veſtæ elici queat. *Cerda.*

260. *Obteſtor.*] Adjuro. & eſt ordo, Immo ego, cui ſola ſalus genitore reducto, vos obteſtor, revocate per deos parentem. *Servius.*

Quæcumque mihi fortuna fideſque eſt.] Id eſt, Quicquid caſu, quicquid conſilio egero, vobis committam. nam per *fidem*, conſilia ſignificat: per *fortunam* opes, imperium, & cujuſlibet rei poſſibilitatem. Alii ſic tradunt, *fortuna* ut poſſit, *fides* ut velit promiſſa perſolvere. Alii ita, quantum habeo fortunæ in veſtris pono gremiis, doque fidem me ita animatum eſſe & ſic ſentire, mihi inquit habeo conjunctam fortunam & fidem eſſe: Nam cum volumus oſtendere quantum in noſtra ſit poteſtate, dicimus fortunam & fidem: *Fortuna* de noſtris eſt poſſeſſionibus, *fides* quantum nobis creditur ab inimicis. *Idem.*

Quæcumque mihi fortuna fideſque eſt.] *Fortuna* in eventu eſt factorum, *fides* autem in poteſtate. Quæcunque, inquit, in me

In vestris pono gremiis. revocate parentem:
Reddite conspectum. nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula; devicta genitor quæ cepit Arisba:
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta,

Cra-

in me fuerit *fortuna*, hoc est, si melior me *fortuna* respexerit, & si qua in me *fides* est, hanc servabo meritis vestris, in tantum, ut in vestro arbitrio sit, quid rependi vobis pro meritis debeat. *Don.*

261. *In vestris pono gremiis.*] Ἐγκολπῶ, παρακαταθίθεμαι. Hom. sæpe: θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. & θεῶν ἐν κόλποις. Pro eodem tamen, ac si, *in vestris pono manibus* dixisset, hoc est, ἐγγυαλίζω, ἐγχειρίζω. Unde & ὑπόγυον, τὸ ὑποχείριον. *Germanus.*

262. *Nihil illo triste recepto.*] Subaudis, *erit*. Servius.

Nihil illo triste recepto.] Aliquid huic affine Soph. Antig. ubi Ismena soror Antigonæ ita ait amans sororis,

Καὶ τίς βίος μοι σοῦ λελειμμένῃ φίλος;

De Trajano Plin. Paneg. *Inde alii se satis vixisse, te viso, te recepto.* Apud Curt. lib. 3. mulieres captivæ *negabant se captas, si viveret Rex.* Et Horat. Od. 7. lib. 1.

Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro. Cerda.

263. *Bina dabo, &c.*] Remuneratio pro obitis periculis. Enumerat pulcherrima dona, quorum spe ad memorabile facinus faciendum, adolescentes, alioquin per se satis paratos, invitat. *Hortensius.*

Argento perfecta.] Id est, tota argentea. *Servius.*

Aspera signis pocula.] Vide supra l. 5. Æn. ad ✝ſ. 268.

Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis. Emmeness.

264. *Devicta genitor quæ cepit Arisba.*] Atqui secundum Homerum *Arisba* misit Trojanis auxilium, & ab Achille subversa est. Sed accipimus aut ante bellum Græcorum *Arisbam* à Trojanis captam, & in amicitiæ fœdus admissam. Aut certe pocula hæc data ab Heleno, qui in Achillis bona per Pyrrhi successit hereditatem, ut sit, *quæ cepit*, pro *quæ accepit*. Servius.

Devicta Arisba.] Scilicet ab Achille. Dicta est *Arisba* à Meropis vel Macarei filia, quam primum Paris in conjugio habuit. Quidam ab Abante, qui Troïca scripsit, relatum ferunt post discessum à Troja Græcorum, Astyanacti ibi datum regnum, hunc ab Antenore expulsum sociatis finitimis civitatibus, inter quas & *Arisba* fuit, Ænean hoc ægre tulisse, & pro Astyanacte arma cepisse, at prospere gesta re Astyanacti restituisse regnum: quod si ita est, merito eam Æneas & vicisse & hæc pocula inde cepisse memoratur. *Idem.*

Devicta Arisba.] Nihil enim tollitur post victoriam, nisi quod sit magni meriti. *Donatus.*

Arisba.] Oppidi hujus meminit Hom. Iliad. 12. & 21. & Plin. lib. 5. c. 30. ubi conjungit tria oppida unius tractus, *Rheteum*, *Dardanium*, *Arisben*. Cerda.

265. *Et tripodas geminos, &c.*] Intelliguntur *tripodes* ἀναθηματικοὶ, qui ornatus caussa appenduntur in ædibus, sive publicis, sive privatis. *Petitus.*

Tripodas.] Vide 5. Æn. ✝. 110. *Taubm.*

Duo magna talenta.] Bene addidit *Magna*, nam varium apud diversas gentes pondus est talenti. Unde *talentum* potest & breve aliquid & magnum significare. Nam ut supra diximus, secundum Plautum, talentum septuaginta librarum est. qui cum dixisset debere centum quadriginta libras, paulo post intulit duo talenta; per jocum dicens, *Debentur talenta tot, quot ego & tu sumus.* Item Homerus *talentum* breve quiddam ostendit, quippe quod accepit

Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam, ſceptriſque potiri
Contigerit victori; & prædæ ducere ſortem:
Vidiſti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus: ipſum illum clipeum criſtaſque rubentis

Exci-

pit victus: cum victori levia data ſint munera. *Servius.*

Auri duo magna talenta.] Nunquam modicus Hom. in quo *δέκα δ' χρυσοῖο τάλαντα· decem auri talenta.* Quod & Ovid. arripuit:

Addita ſunt illis auri bis quinque talenta. Cerda.

Auri duo magna talenta.] Locus Plauti, quem citat Servius, eſt in Moſtellaria. Verum non dicit Plautus talentum eſſe librarum (ſive minarum, quæ tantundem ſunt) ſeptuaginta, ut hoc loco & jam ſupra lib. 5. Æn. ad ℣ſ. 152. monuit Servius; ſed eſſe librarum ſexaginta. Nam Act. 3. Sc. 1. ℣ſ. 114. ædes dicuntur emptæ *duobus talentis magnis*, atque *arraboni perſoluta mina* XL. & Scen. 3. ℣ſ. 16. & Act. 4. Scen. 3. ℣ſ. 27. *deberi adhuc minas* LXXX. Emptæ igitur ædes minis centum & viginti. Neque in tota Fabula fit mentio *minarum centum quadraginta*, ut refert Servius; ſed procul dubio pro *minis quatuor quadraginta*, ut paucis verſibus ante primum locum legitur, lectum à Servio *centum quadraginta*, perperam. Sed etiamſi ita legeretur, tamen non ſequeretur, quod Servius intendit: dicuntur enim ſolummodo tot minæ à daniſta ſumptæ mutuo, non vero totidem emptas ædes: uti locum adeunti patebit. Non audiendus præterea hic eſt Petitus, poſt vocem *auri* interpungens, eamque referens ad *tripodas*, non vero ad *talenta*; *duo enim iſta talenta*, inquit, *quia appellantur magna, non ſunt auri, ſed argenti*: de quo vid. omnino Gronovius lib. 3. de Pecunia Vetere cap. 3. *Emmeneſſ.*

266. *Cratera antiquum.*] Hoc eſt, antiquo opere factum, ut ei pretium creſcat ex tempore. *Servius.*

Quem dat.] Pro, *dedit.* de hac ſexta Solœciſmi ſpecie Diomedes, Valla, &c. *Taubmannus.*

267. *Si vero, &c.*] Morem quendam tangit: quem explicat Victorius l. 26. c. 1. *Idem.*

Si vero capere Italiam, &c.] In aliquot veteribus codicibus alio numero legitur, *ſi vero Italiam capere ſceptriſque potiri.* Sed prior ille numerus *capere Italiam* magis placet. *Pierius.*

Capere Italiam.] Obtinere. *Serv.*

268. *Ducere ſortem.*] Statuere. Alii proprie *ducere* legunt, quod eſt ſortium: ut, *Stat ductis ſortibus urna.* Alii *dejicere* legunt ſecundum illud, *Dejectamque area ſortem Accepit galea.* Id eſt, ſortiri prædam. *Idem.*

269. *Vidiſti quo Turnus equo.*] Meliore œconomia Niſum noluit inducere, poſtulantem equum Turni præmii loco, ſed honeſtius facit ultro offerri, cum Homerus fecerit Dolonem Achillis currus improbe poſtulantem. *Idem.*

270. *Ipſum illum.*] Equum ſcilicet, cui ex pronomine addidit dignitatem. *Id.*

Ipſum illum.] Id eſt, equum, non, ipſum illum clypeum. Notetur forma Græca, quæ *μὶν αὐτόν.* Hom. ſup. *τοὺς ἵππους, ipſos equos.* Eurip. in Herc. Furent. emphatice ait, *πατέρα τὸν δ' Ἡρακλέους· patrem illum Herculis.* Ait vero *ipſum illum δεικτικῶς.* Nam, ut bene Albert. Krant. lib. 1. Hiſt. cap. 8. *Spectata ante oculos præmia alacriorem faciunt pugnaturum:* Cerda.

Criſtaſque rubentis.] In Romano codice, *comantis* legitur. Sed *rubentis* placet: quia *purpurei criſtis juvenes* ſuperius indicati ſunt. *Pierius.*

Criſtaſque rubentis.] Id eſt, rubras: quas ℣ſ. 163. vocat *purpureas*: item *puniceas*, 12. Æn. *Taubm.*

271. Ex-

Quas ibi tunc ferro ſtrages, quæ funera Turnus
Ediderit; quem quiſque virum demiſerit Orco:
Et mecum ingentis oras evolvite belli.
Et meminiſtis enim, divæ, & memorare poteſtis.

Turris

Sed non Scholiaſtem Sophoclis, qui in illud Oedipi, *σοὶ πιστεύσας, tibi credens,* ita ſcribit: *κατά τινα συνήθειαν ποιητικὴν, πληθυντικὸν συνέταξεν ἑνικῷ ἐπιζεύξει.* Demum, quis neſcit neutra Græcorum pluralia conjungi verbis ſingularibus? quod omitto, ut tritum. Sed non quod ſequitur; videlicet, alias etiam voces non neutras conjungi etiam cum ſingularibus, quod in Hom. obſervavit Euſtathius. Sic Heſiodus, *ἦν τρεῖς κεφαλαί.* ubi *ἦν* in ſingulari, & *κεφαλαί* in plurali. Advocat Euſtath. alia quædam ſimilia. Sic Hom. 17. Iliad.

Χεῖρές τ', ὀφθαλμοί τε παλάσσετο μαρναμένοιϊν.

Manuſque, oculique fœdabantur pugnantium.

Ad verbum, *fœdabatur.* Cerda.

Adſpirate.] Metaph. à proſpere navigantibus, quibus ventus dicitur ex *νεῶν* ſpirare, ut eſt apud Soph. in Ajace, & Chryſoſt. *Taubm.*

527. *Quem quiſque virum demiſerit Orco.*] Ait Urſinus, Virgilium hoc verſu interpretatum fuiſſe Homericum illud.

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν.

Quem verſum ita reddunt interpretes,

Multas autem fortes animas inferno ante tempus demiſit.

Nam Græci Scholiaſtæ illud *προΐαψεν,* ita explicant, *ἀντὶ τοῦ πρὸ τῆς εἱμαρμένης ἔπεμψεν.* Hanc (inquam) Homeri explicationem Urſinus reprehendit. Nam quod Græcus *προΐαψεν,* Virg. ſimpliciter *demiſerit.* ut etiam alibi, *miſerit.* Sed non aſſentio Urſino: nam vere Hom. intelligit mortem *πρὸ τοῦ δέοντος, καὶ πρὸ τοῦ μοιριδίου,* quod jam Spondanus aſtruxit ex Ariſtotele, apud quem mors duplex, videlicet *βίαιος, καὶ κατὰ φύσιν, violenta, & naturalis.* Et quidem, qui in bello obeunt, *πρὸ τῆς μοίρης* obeunt. *Cerda.*

528. *Oras evolvite belli.*] Hoc eſt, ingentis belli narrate non tantum initia, ſed extrema bellorum: Nam *oræ* ſunt extremitates. Eſt autem Ennianum, *Qui potis ingentis oras evolvere belli.* Servius.

Oras evolvite belli.] Proculdubio ab Ennio, qui 6. Ann.

Quis potis ingentes oras evolvere belli?

Sumitur locutio à veſtium explicatione, quarum extremæ partes *oræ* appellantur. Quintilianus legit in Ennio *cauſas,* non *oras.* Sed aſſentiamus Macrobio lib. 6. cap. 1. Servio in hunc locum, & doctis aliis, qui in hunc ævum erupere, omnes enim *oras* legunt. *Cerda.*

Oras evolvite belli.] Id eſt, magna belli ſpacia explicantur. *Ora* enim non ſolum extremas partes ſignificat, ſed etiam primas. Cæcilius:

Oram reperire nullam, quam expediam, queo.

Proinde Maroni tota regio eſt & ſpacium campuſque, id eſt, ipſum bellum. Quidam tamen *principium* tantum intelligunt. Turneb. l. 16. c. 22. & l. 18. c. 3. *Taubm.*

Et meminiſtis.] In nonnull. MSS. hic verſus non extat. *Idem.*

529. *Et meminiſtis enim, divæ, & memorare poteſtis.*] Differt *meminiſſe* ac *memorare:* cum illud ſit memoriter tenere, *Memorare* vero exponere & narrare. Eſt autem Homeri ſententia,

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.

Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα. *Servius.*

Et meminiſtis enim, divæ, &c.] Demoſthen. de Coron. *ἴστε γὰρ δήπου, καὶ μέμνησθε· ſcitis, & meminiſtis.* Dixi

Turris erat vasto suspectu & pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes
Expugnare Itali, summaque evertere opum vi
Certabant: Troës contra defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam adfixit lateri; quæ plurima vento
Corri-

alludi ad natales Musarum, quæ filiæ Memoriæ. Eumulus vetus Poëta:

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἐννέα κοῦραι·

Mnemosynæ, atque Jovi est soboles propugnata novena.

Solon quoque sic incipit Elegiam,

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἀγλαὰ τέκνα.

Utrumque componit Clemens Alexand. lib. 6. Strom. 1. cap. 1. Adi, quæ dixi 1. Æneid. ad illud, *Musa mihi causas memora.* Cerda.

530. *Turris erat.*] Turres hujusmodi esse ad munitionem civitatum & in secundo legimus: Sed hæ plerumque mobiles sunt, plerumque fixæ: mobiles, ut in duodecimo meminit, *Subdideratque rotas, pontesque instraverat altos:* fixæ, ut in secundo, *Turres ac tecta domorum.* Servius.

Turris erat vasto suspectu.] Vide Cæsarem lib. Bel. civ. 2. ubi turris Massiliensis admirando opere constructæ meminit. *Germanus.*

Pontibus.] Pro *tabulatis.* Servius.

531. *Opportuna loco.*] Pro opportuna scilicet circa portas. *Idem.*

532. *Opum vi.*] Potest & Hypallage esse, ut sit *Ope virium.* Idem.

Summaque evertere opum vi.] Ennius Annalium lib. IV. *Romani scalis summa nituntur opum vi.* Ursinus.

533. *Certabant.*] Zeugma, potest & ad Latinos, & ad Trojanos referri. *Servius.*

534. *Cavas.*] Patulas. *Idem.*

Densi tela.] Pro *tela densa.* Idem.

Fenestras.] Cæsar: *fenestras, quibus in locis visum est, ad tormenta mittenda in struendo reliquerunt.* Germ.

535. *Ardentem conjecit lampada Turnus.*] Hæc ratio gerendi belli crebra in bellis ad evertenda hostium munimenta & machinas. Sallust. in Jugurth. *Picem sulphure, & tæda mistam ardente mittere.* Plutar. in vita Dionis: τὰ μὲν ἐγγὺς ἀπὸ χειρῶν δᾳσὶ, καὶ λαμπάσιν ὑποπιμπρέντες, εἰς δὲ τὰ πόῤῥω διαφέροντες ἀπὸ τόξων πυρϐόλους· *In propinqua tædas, & faces manibus ingerunt, in remota tela ignita arcubus mittunt.* Sed quæ hæc *lampas* Virgiliana? Huic loco lucem dat Antonius Gallonius in lib. de Cruciatibus Martyrum cap. 6. explicans, quid proprie sit *lampas ardens*, illamque discriminans à tædis, facibus, funalibus. Silius lib. 1.

Ante omnes ductor patriis insignis in armis, [illegible]

Nunc picea jactat fumantem lampada flamma.

Non multum abit à forma lampadis malleolus. nam qua ignem habet, est in speciem coli muliebris formatus. Integram ejus descriptionem, & formam vide in Ammian. lib. 23. & profecto æque in Virgilio possis per *ardentem lampada* capere *malleolum.* Mihi visum & *qualos* Ammiani lib. 20. eosdem esse cum lampade. Ejus verba: *Qualique simul ardentes pice & bitumine illiti.* Nam, cum qualus sit vas vimineum, ejus forma non longe ab lampade. *Cerda.*

536. *Et flammam adfixit lateri.*] Adfectate. Debuit enim dicere, *adfixit* aut facem aut malleolum, non *flammam.* Servius.

Et flammam affixit lateri.] In Mediceo

Corripuit tabulas, & postibus hæsit adesis.
Turbati trepidare intus, frustraque malorum
Velle fugam. dum se glomerant, retroque residunt
In partem, quæ peste caret, tum pondere turris
Procubuit subito, & cælum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, inmani mole secuta,
Confixique suis telis, & pectora duro
Transfossi ligno veniunt. vix unus Helenor,

Et

ceo *affecit*. Sed melius *adfixit*, ut in aliis habetur. *Pierius*.

Quæ plurima vento.] Gliscens, & magna facta per ventum. *Servius*.

Plurima vento.] Per ventum aucta, & gliscens. Lucanus:

Telum flamma fuit: rapiensque incendia ventus, &c. Taubm.

537. *Hæsit adesis*.] Non jam *adesis*, sed quos exedit adhærendo, id est, hæsitans adedit, vel adesos reddidit. *Servius*.

Adesis.] Aut, carie jam ante consumptis: aut certe, quos flamma exedit adhærendo. Verum de hisce πυρβόλοις sive *Ignijaculis* accuratissime, ut solet, tractavit *J. Lipsius* lib. 5. Poliorcet. Dial. 4. & 6. *Taubm.*

538. *Malorum velle fugam*.] Honestissima elocutio. *Servius*.

539. *Dum se glomerant*.] Vid. lib. 2. Æn. ℣ſ. 341. *Emmeneſſ.*

540. *Peste*.] Incendio. ut, *Et toto descendit corpore pestis*. Serv.

Peste.] Id est, incendio, ut in 5. ℣ſ. 683. *toto descendit corpore pestis*, id est, flamma. Est enim *pestis* generalis vox, significatque quicquid pessumdat, & perdit, non solum λοιμὸν, sed generalius ὄλεθρον. Affinis huic rei Josephus cap. 5. lib. 7. Bell. Iud. ubi incendium comparat cum corpore peste abrepto, & putredini obnoxio. καθάπερ σηπομένου σώματος. Quod vero hic extra pestem, idem scriptor cap. 6. ejusdem libro ἔξω τῆς κακώσεως, loquens de incendio excitato, à quo fugiebant Romani. & cap. 11. ἀναχωρήσαντες dicuntur, qui recedebant ab igne. *Cerda*.

Caret.] Eleganter usurpat hoc verbum extra significatum vulgi. Nam, cum *careo* proprie sit, privatum esse re, aut quam aliquando habuisti, aut quam habere desideras, in neutro horum hic sumitur. Pari ratione Hom. verbum δεύομαι. lib. 17. Iliad. ubi Glaucus reprehendens Hectorem, ita ait, Ἕκτωρ εἶδος ἄριστε, μάχης ἄρα πολλὸν ἐδεύεο. *Hector specie præstantissime, pugna diu caruisti*; id est, fugax es Hector, & φύξηλις, ut statim sequitur, pugnam deseris. *Idem*.

541. *Cælum tonat omne fragore*.] In 12. *ingens fragor æthera complet*. Idem.

543. *Confixique suis telis*.] Hæc conquestio etiam excitatur 2. Æneid. *pereunt Hypanisque Dymasque Confixi à sociis*. Quid enim miserius, quam configi suis telis, & à suis sociis? *Idem*.

544. *Unus*.] Subaudis, *& alter*. nam non procedit *unus*. Servius.

Helenor & Lycus elabsi.] Scilicet non mortem, sed turris ruinam. *Idem*.

Helenor.] In aliquot antiquis *Halenor*. Sed *Helenor* in pluribus. *Pierius*.

Vix unus Helenor, Et Lycus elabsi.] Ad eundem modum, quo Virgilio *unus* ponitur, cum mentio fiat duorum, loquitur etiam Stat. lib. 6. Thebaid. ℣ſ. 661.

—vix unus Phlegyas acerque Menestheus
(Hos etiam pudoris & magni tenuere parentes)
Promisere manum.

Emmeneſſ.

545. Pri-

Et Lycus elabsi: quorum primævus Helenor;
Mæonio regi quem serva Licymnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis,

Ense

545. *Primævus.*] Satis indicat, hos duos fuisse fratres, & majorem ævo Helenorem, ut habitum ante legitimas nuptias; ut solet sæpe fieri. *Cerda.*

546. *Mæonio rege.*] Aut proprium patris nomen est; aut cognominem eum filio intelligamus: quia, ut supra diximus, cum filii vel patris nomen præmittitur, & aliud tacetur, cognomines eos esse intelligimus. *Servius.*

Serva Licymnia.] In antiquis aliquot codicibus *Lacymnia* legitur. In aliis *Licinnia*; usque adeo sævitum est passim in omnia pene hominum & locorum nomina. *Pierius.*

Serva Licymnia.] Euripid. in Androm. δοῦλον λέχος· *Lectus servilis.* Ceterum, videor mentem Poëtæ animadvertisse. Hominem non legitimo toro natum Helenorem prædicat fortissimum, & gloriose pugnantem pro vita, pro patria, pro honore, antefertque Lyco legitimo filio, sed imbelli & ignominioso. Vult ergo Poëta (ut est eminentissimus) indicare sæpissime non tam natales attendendos, quam cujusque facta. Dant ista veram gloriam, non vetustus sanguis; & cuique sua dextera, vera est mater. Hoc indicare Hom. voluit Od. 4. ubi loquens de Menelao,

Ὅς οἱ τηλύγετος γένετο κρατερὸς Μεγαπένθης
Ἐκ δούλης. ——

Ubi, qui ἐκ δούλης, tamen κρατερός. De quopiam magno Græcorum duce Appollon. 1. Arg. ἀλλά ἑ δῆσσα γυνὴ τέκε· Idipsum clarius Odyss. 14. ubi Ulysses mentitus natales suos, se facit filium Castoris Cretensium Principis, & servæ. Itaque, cum præmiserit, filios Castori fuisse plurimos ex legitimo matrimonio, de se ait, ἐμὲ δ' ὠνητὴ τέκε μήτηρ· postea autem hic, qui ex serva natus, ita de se;

Ἠγαγόμην δὲ γυναῖκα πολυκλήρων ἀνθρώπων
Εἵνεκ' ἐμῆς ἀρετῆς, ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιος ἦα
Οὐδὲ φυγοπτόλεμος. ——

Firmat hanc mentem Eurip. ore Pelei in Androm.

—— πολλάκις δέ τοι
Ξηρὰ βαθεῖαν γῆν ἐνίκησεν σπορᾷ,
Νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες.

Cerda.

Licymnia.] Hoc modo scribendum, non *Lycimnia.* Vid. Dausq. lib. 2. Orthogr. pag. 186. *Emmeness.*

Furtim sustulerat.] E stupro educaverat. hinc est, *Et dulcia furta.* Servius.

Furtim.] Hom. λάθρα, & λάθρη de simili concubitu. Noster alibi, *dulcia furta.* Sophoc. forma alia in Elect. εὐνὰς ὑποκλεπτομένας, *furtivos concubitus.* Et alia adhuc Hom. 14. Iliad. ubi de Jove, & Junone, φίλους λήθοντε τοκῆας, scilicet, ἐμισγέσθην, *commisti sunt clam parentibus.* Itaque λανθάνω, id est, *lateo*, ad rem eandem. Eurip. in Ione ita, κρυπτόμενον λέχος, *occultus lectus*, pro furtivo. & in Helen. δόλιον εὐνὴν, *dolosum concubitum.* & in Elect. κρυφίαις εὐναῖς, & κρυπταῖσιν εὐναῖς· in & Danaë, κεκρυμμένον δόλον. & εὐνῇ συνελθεῖν λάθρα, *clam cubili congredi.* Non abit Unus δολιόφρων, *dolosa* apud eundem in Aulide. & in Troadib. λέκτρων σκότια νυμφευτήρια, *lectorum tenebrosas nuptias.* Bellule Juven. Sat. 3. *quocunque in fornice nati.* Cerda.

Furtim sustulerat.] Ex stupro educaverat. Supra, ℣. 203. Condivit autem hoc scientia Legum militarium: dixit, *vetita arma.* Neque enim licebat servis militare: Scalig. l. 5. c. 3. Vide Godescal. Stewech. ad l. 1. Veget. *Taubmannus.*

547. *Sustulerat.*] Vide sup. in hoc lib. ad illud, *sublatum erudiit.* Sed hic signatius, quam illic. Nam, cum è serva, tamen sublatus, & agnitus ut

verus

Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.
Isque ubi se Turni media inter millia vidit;
Hinc acies, atque hinc acies adstare Latinas.
Ut fera, quæ densa venantum septa corona
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injicit, & saltu supra venabula fertur:
Haud aliter juvenis medios moriturus in hostis
Inruit; &, qua tela videt densissima, tendit.

At

verus filius. Tale illud Terentianum Andr.

Quicquid peperisset, decreverunt tollere.

Non enim conjuncti legitimo matrimonio, sed furtim, & tamen volunt prolem agnoscere. *Cerda.*

Vetitisque ad Trojam miserat armis.] Secundum Donatum *vetitis fato*, quia stare Troja diutius vetabatur; sed melius lege militari intelligimus, quia servi à militia prohibebantur. Unde & in Dejorariana purgat hoc Cicero, cum fuisset objectum inter equites, quos Dejotarus miserat Cæsari, unum servum fuisse. Virgilium autem novimus trahere aliqua de historia. Servos sane nunquam militasse constat, nisi servitute deposita, excepto Hannibalis tempore: cum post Cannense prælium in tanta necessitate fuit urbs Roma, ut ne liberandorum quidem servorum daretur facultas. *Servius.*

548. *Ense nudo.*] Id est, stricto. *Ense* levis armaturæ est, *nudo* autem stricto, vel sine vagina. *Idem.*

Parmaque inglorius alba.] Quasi tyro, ut diximus supra: quia picta arma jam probati in bellis habebant. *Idem.*

Parma.] Nam hæc fuit velitum & levium, Liv. 31. *veliti Romano parmam, gladiumq; habenti.* Sed omitto rem satis notam. Non illam tamen, fuisse parmas non solum peditum, quod notissimum: sed etiam equitum. Firmat hoc Liv. lib. 8. *Equus ad vulneris sensum prioribus erectis pedibus, excussit equitem, quem cuspide, parmaque innixum,* &c. Omitto locum alterum ejusdem l. 11. Sallustius l. 4. Histor. *se quisque in formam parmæ equestris armabat.* Itaque, parma serviebat peditibus, & equitibus, utrisque velitaribus, cum hoc discrimine, ut pedites velitares haberent parmas breviores, equites velitares ponderosiores. Clare hoc Liv. lib. 26. *Ex omnibus legionibus electi sunt juvenes maximo vigore, ac levitate corporum veloces. Eis parmæ breviores, quam equestres.* Parmæ forma rotunda fuit, ut clare Polyb. de castrametat. Romana, & Nonius ex Varrone ita ait: *Quem sequuntur cum rotundis velites leves parmis.* Imo inde Varro ducit etymon, ut parma sit dicta, quæ à medio in omnes partes par sit. *Cerda.*

Parmaque inglorius alba.] Utpote tyro. Nam primis stipendiis clypeum gerebant sine omni argumento & insigni candidum. Eos Statius libr. 5. Silv. vocat

Nubigeros clypeos, intactaque cædibus arma.

Vide Turneb. l. 20. c. 1. & l. 22. c. 11. *Taubmannus.*

550. *Hinc acies, atque hinc.*] Non abit ab hac locutione illa lib. 3. *cælum undique, & undique pontus.* Cerda.

551. *Ut fera.*] Quidam pardum significari volunt. *Servius.*

Ut fera, &c.] Quidam pardum, auctore Servio, intelligunt. Est autem Homerica comparatio, quam Scalig. l. 5. c. 3. animose defendit contra Macrob. l. 5. c. 13. *Taubm.*

At pedibus longe melior Lycus inter & hostis,
Inter & arma, fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu, sociûmque attingere dextras.
Quem Turnus, pariter cursu teloque secutus,
Increpat his victor: Nostrasne evadere, demens,
Sperasti te posse manus? simul arripit ipsum
Pendentem, & magna muri cum parte revellit:
Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cycnum,
Sustu-

556. *Longe melior Lycus.*] Ergo & Helenor bonus. *Servius.*

At pedibus longe melior.] Vere dixit Romanus dux apud Simocatt. cap. 13. lib. 3. in oratione ad milites: *ἀρετῆς, καὶ κακίας ἡ συμπλοκὴ καθέστηκε βάσανος, καὶ διαιτητής ἐστι ψυχῶν· virtutis & ignaviæ explorator, animorumque censor, pugna est.* Agnosce in illo *ἀρετὴν*, in hoc *κακίαν*. Et, ut pergit in eadem oratione idem dux, in illo videbis τῆς εὐτολμίας τὸ ἀρρενωπὸν, *decoram viro audaciam:* in hoc τὸ θηλυπρεπὲς τῆς δειλίας, *dignam femina timiditatem.* Quippe ille melior virtute, hic *melior pedibus.* Ita vero hic *pedibus melior* ad infamiam, ut in 11. de Dracone, *lingua melior.* Et hac verborum forma Latini utuntur ex Græcorum imitatione. Græci enim *κρείσσονες* ad rem eandem, quibus opponunt *ἥττονας.* Sic Plato in Gorg. τὸν ἥττω τοῦ κρείττονος ἄρχειν, *minorem meliori imperare.* Ex qua oppositione Rittersh. Horatium illustrat, qui cum dixerit ep. 10. lib. 1. *cervus pugna melior*, statim sequenti versu dixit opponens, *minor in certamine.* Cerda.

Inter.] Per; ut *Hunc inter fluvio Tyberinus amœno.* Servius.

558. *Prendere tecta manu.*] Quia tunc alti non erant muri: sed ad impetum tantum repellendum, ut etiam Sallustius ostendit, ubi Sertorium humeris sublatum per muros ascendisse commemorat. *Idem.*

Prendere tecta manu.] Quia tunc (ut ait Serv.) alti non erant muri, sed ad impetum tantum repellendum. Lipsius tamen copiosissime docet *Muros* veterum (intelligo ego posteriorum) & *firmos*, & *magnos* & *altos* fuisse: quem vide lib. 3. Dialogo 5. Poliorcet. *Taubmannus.*

559. *Cursu teloque secutus.*] Nimiam ejus ostendit celeritatem, qui potuit telum missum consequi. nam hoc dicit, Cum præmisso telo ad hostem venit. Statius, *Et emissum cursu comprendere telum.* Servius.

560. *Evadere manus.*] Flexu alio in 6. *manus effugit imago.* A quo Propert. Eleg. 21. lib. 1.

Effugere ignotas non potuisse manus.

Uterque ab Græcis: nam Soph. Elect. χεῖρας σὴν μόλις φυγὼν, *manum tuam ægre fugiens.* Cerda.

561. *Arripit ipsum pendentem.*] Pede scilicet. Vide apud Joseph. c. 5. l. 7. Bell. Jud. facinus Pedanii militis, qui unum ex hostibus arripuit ἐκ τοῦ σφυροῦ, *ex talo pedis.* In quo facinore ita magnæ circumstantiæ, ut dignissimum sit memoratu. *Idem.*

562. *Revellit.*] In verbo *vello*, facit in participio *vulsum.* Servius.

563. *Qualis ubi aut leporem.*] Pro *qualiter.* Comparatio Homerica,

Ὥρμησεν δ' ἀλεὶς ὥς αἰετὸς ὑψιπετήεις
Ὅς τ' εἶσι πεδίον δὲ διὰ νεφέων ἐρεβεννῶν,
Ἁρπάξων ἢ ἄρν' ἀμαλὴν, ἢ πτῶκα λαγωόν. *Idem.*

Qualis &c.] Committit hæc Macrob. l. 5. c. 12. cum Homericis Il. 22. At Scaliger. l. 5. c. 3. docet, Poëtam nostrum

Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis:
Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius à stabulis rapuit lupus. undique clamor
Tollitur. invadunt, & fossas aggere conplent.
Ardentis tædas alii ad fastigia jactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium, portæ subeuntem, ignisque ferentem;

Ema-

nostrum comparationi suæ, præ illa, non solum sonum & majestatem, sed etiam animam addidisse, nulli Græcorum imitabilia, &c. *Taubm.*

564. *Sustulit Jovis armiger.*] Similiter *tollere* de raptu avium, quia quod rapiunt secum in aërem tollunt, utitur Phædrus lib. 1. Fab. 28.

Vulpinos catulos aquila quondam sustulit. Emmeness.

Jovis armiger uncis.] Quia dicitur in bello Gigantum Aquila Jovi arma ministrasse, quod tamen fingitur. Nam, ut supra diximus, Juppiter & Saturnus reges fuerunt. Sed Juppiter dum cum patre Saturno haberet de agris contentionem, ortum bellum est: ad quod egrediens Juppiter, Aquilæ vidit augurium: cujus cum vicisset auspicio, fictum est quod ei pugnanti tela ministraret. Unde etiam à felici augurio natum est, ut Aquila militaria signa comitetur. *Servius.*

565. *Quæsitum.*] Qui quæritur: nam præsens a passivo non habet: & est protysteron. nam post raptum requiritur. Vel *quæsitum*, requirendum ποθητόν. *Idem.*

Quæsitum aut matri, &c.] In Romano codice, & in Porcio *matris*, quippe *balatibus*, legitur. quanquam *matri* vulgata lectio non displiceat. *Pierius.*

Multis balatibus.] Id est, *cum multis balatibus.* Servius.

566. *Martius lupus.*] Aut cruentus, aut Marti dicatus. *Idem.*

Martius.] Aut cruentus, aut Marti dicatus, ait Servius. Extremum amplector. Lupum enim, ut raptorem Romani dicarunt Marti Deo raptori. Inde & Horat. *Martiales lupos.* Sic & lupa à Claud. de Bell. Get. *fera Martis* dicitur. Notetur & locus Plauti in Trucul. hic,

Fuit edepol Mars meo periratus patri,
Nam oves illius haud longe absunt à lupis.

Neque vero alia ratio vulgatæ fabulæ lactis Romulei: ut enim Martis filius creditus Romulus, quia bellator, ita & nutritus a lupa bellatrice. Inde Prop. Eleg. 1. lib. 4. hanc feram vocat altricem Romani sanguinis. Et iterum:

Optima nutricum nostris lupa Martia rebus. Cerda.

Rapuit.] Quæsite: nam lupi proprie raptores; quod jam alibi à me. Et Joann. Chrysost. Orat. 4. de Nat. Dei, λύκος ἁρπάσας. *Idem.*

567. *Aggere.*] *Agger* est cujuslibet rei cumulatio, unde fossæ, aut valles possunt repleri. Subaudiendum tamen, *Alii.* Servius.

568. *Tædas alii ad fastigia jactant.*] Ita 2. Æneid. *flammas ad culmina jactant.* & Val. 2. Arg. *diras alii ad fastigia tædas Conjiciunt.* Ab fastigiis labente ævo, & degenerante Latio orta superlatio *fastigiatissima*, qua usus Sidon epist. 9. lib. 1. & epistola 4. l. 2. *Cerda.*

569. *Ingenti fragmine montis.*] Supradicti saxi exaggeratio est. *Servius.*

Fragmine montis.] Theocritus εἰδ. 10. πέτρας ἀπόκομμα. Sed de hoc alibi. *Cerda.*

570. *Lucetium.*] Solum hoc nomen est, quod dictum à Virgilio, à nullo alio reperitur auctore. Sane lingua Osca *Lucetius* est Juppiter, dictus à luce,

quam

Emathiona Liger, Corynæum ſternit Aſylas:
Hic jaculo bonus, hic longe fallente ſagitta.
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus:
Turnus Itym, Cloniumque, Dioxippum, Promolumque,
Et Sagarim, & ſummis ſtantem pro turribus Idan:
Privernum Capys. hunc primo levis haſta Temillæ
Strinxerat: ille manum projecto tegmine demens
Ad volnus tulit. ergo alis adlabſa ſagitta,

Et

qnam præſtare dicitur hominibus. Ipſe eſt noſtra lingua *Dieſpiter*, id eſt, diei pater. Horatius, *Namque Dieſpiter plerunque per purum tonantes Egit equos*. Servius.

Hic jaculo bonus.] Neſcias de quo dixerit. *Idem.*

572. *Hic jaculo bonus, hic longe fallente ſagitta.*] Id eſt, *peritus*, ut Ecl. 5. ℣ſ. 1.

— *boni quoniam convenimus ambo.*

Ad quem locum vide quæ diximus. Pro eo infra lib. 10. ℣ſ. 304.

Inſignis jaculo & longe fallente ſagitta. Emmeneſſ.

Longe fallente ſagitta.] Mire dictum, quia *longe*, ideo *fallens*. Cum res agitur cominus, non eſt locus fraudi; nam vides cuſpidem contra te diſpoſitam: cum eminus, tum te fallunt arma hoſtis. Fallunt etiam, quia is, qui longe eſt à jaculante, putat ſæpe ſe non aſſequendum. Ad eum modum Statius 7. Theb. *Itys inſidiante ſagitta*. Non multum abit illud Prop. Eleg. 14. l. 3.

Cum pila veloces fallit per brachia jactus.

Id eſt, pila, cum jacitur, longius procedit, & it velocius, quam jactator putarat. Ita & Valerius tertio Argon.

——*fallere nervo*

Tum primum puer auſus Hylas.——

Cerda.

573. *Cænea Turnus: Turnus Itym.*] Ut ait Lucilius, *Bonum ſchema eſt quotiens ſenſus variatur in iteratione verborum: Et in fine poſitus, ſequentis fit exordium, qui appellatur climax.* Servius.

575. *Pro turribus.*] Aut pro defenſione turrium. Aut ſic magni, ut turrim putares. *Idem.*

576. *Levis haſta Themillæ.*] *Themillas Themillæ*, ut *Æneas Æneæ*. *Levis* autem *haſta*, pro leviter veniens. Ut & *Strinxerat* dixit, id eſt, paulum vulneraverat. Ut, *Tandem etiam magno ſtrinxit de corpore Turni*. Idem.

577. *Strinxerat.*] Leviſſimum ictum indicat, & inefficacem, ideo conſequenter haſta *levis*. Illuſtro hunc locum lib. decimo ad illud, *deflexit partim, ſtringentia corpus*. Cerda.

Tegmine.] Ita in 10. *æratam circumfert tegmine ſilvam.* Idem.

Demens.] Qui ſcutum quo ſe tegebat abjecit. *Servius.*

578. *Alis.*] Pinnis. *Idem.*

Allapſa ſagitta.] In antiquis *adlabſa* & per *b* more veterum, & *ſagicta*, quod eam à ſagaci ictu dictam volunt. *Pier.*

Alis adlabſa ſagitta.] Creberrima *αὐξήσεις* ad ſummam celeritatem indicandam. Salluſt. Jugurth. *tela utrimque volare.* Inf. Virg. *volat Itala cornus.* Amm. lib. 20. *utrimque convolante miſſilium crebritate.* Hom. ſæpe, *πτερόεντας ὀϊστούς*. A quo Nonn. lib. 29. *πτερόεντι ὀϊστῷ*. Idem Nonnus forma alia l. 22. *ἔγχος ἐπτερωμένον ὁρμῇ*. Nota & formam qua uſus Auctor *ἄδηλος* Paneg. Conſtant. *Parthorum arma volatica.* Eſt egregius locus Plin. c. 14. l. 34. quem volo hic audias, de ferro ita loquentem: *Eodem utimur ad bella, cædes, latrocinia, non cominus ſolum, ſed etiam miſſili, volucrique, nunc tormentis excuſſo,*

Et lævo infixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animæ letali volnere rumpit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis;
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Hibera,
Insi-

cusso, nunc lacertis, nunc vero pennato, quam sceleratissimam humani ingenii fraudem arbitror. Si quidem ut ocyus mors perveniat ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus. Notabis dici à Plinio de ferro alato, *humani ingenii fraudem*, quæ verba adjunges his, quæ supra attuli ad illud, *longe fallente sagitta.* Cerda.

579. *Et lævo infixa est lateri.*] Ostendit vulneris locum, quem ante suppresserat. Sic in quarto, *Infixum stridit sub pectore vulnus.* Servius.

Et lævo infixa.] In antiquis aliquot *adfixa*, quod nequaquam displicet. *Pierius.*

580. *Spiramenta animæ.*] Diffinitio pulmonum. *Servius.*

Spiramenta animæ.] Ita Eurip. in Hecuba, τέμνει σιδήρῳ πνεύματος διαῤῥοάς. Æn. 10. ℣s. 601.

Tum latebras animæ pectus mucrone recludit. Taubm.

Rupit.] Val. 3. Argonaut.

Æsonii venit hasta ducis, latumque sub imo
Pectore rumpit iter. ——
Cerda.

581. *Stabat in egregiis Arcentis filius armis.*] Eodem modo supra lib. 3. Æn. ℣s. 761.

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriæ lucis, Hymettia circum
Litora, pinguis ubi & placabilis ara Dianæ. Emmeness.

582. *Pictus acu chlamydem.*] Hoc est, habens chlamydem Frigiam. Ut, *Et Frigiam Ascanio chlamydem*, & est figuratus pictus chlamyde. *Servius.*

Ferrugine clarus Hibera.] *Ferrugo* coloris genus est, qui vicinus est purpuræ subnigræ. *Hibera* autem modo, non Hispana, sed Pontica. nam Hiberia pars Ponti est, inter Persidem & Armeniam, ubi optime colores diversi tinguntur: ut ostendit Horatius dicens, *Herbasque quasi Iolchos atque Hiberia mittit Venenorum ferax.* Idem.

Ferrugine clarus Ibera.] Male Serv. interpretatur *Ponticam*, cum *Hispanam* debuisset. Imprimis sibi ipse contrarius. Nam 1. Georg. ad illud de Sole,

Cum caput obscura nitidum ferrugine tinxit,

ita ait: *Ferrugo est purpura nigrior, & Hispana. alibi & ferrugine clarus Ibera.* Hæc ille. Deinde, Nonius *pullum* colorem explicans, ita ait, *quem nunc Hispanum, vel nativum dicimus.* aut, ut habet codex man. script. attestante Junio, *quem nunc Spanum, vel nativum dicimus.* Spaniam quippe pro Hispania agnoscunt Strabo, Eustathius, Vegetius. Tu vide Bernard. Aldretam l. 3. de orig. Ling. Hispan. cap. 2. Quem vero *pullum* colorem, *nativum, Spanum*, sive *Hispanum* Nonius vocat, eundem Junius *Iberum*, *Bæticum*, *ferrugineum*. Tertio, cum *ferrugo* dicatur à *ferro*, quis nescit ferri venis Hispaniam claruisse? Hujus metalli primam gloriam Plinius dat Bilbili (fuit hæc patria Martialis) cap. 14. lib. 34. De ferro Iberi Pontici nulla, quod sciam, mentio. Ac proinde *ferrugineus color* referendus est ad eam orbis partem, in qua metalli hujus gloria. Cumque à magnis scriptoribus antiqui ævi, Iberiæ nomine simpliciter Hispania intelligatur, non Orientalis, fit proinde, ut cum Iberiam audis, debeas ad Hispaniam recurrere; nam illa Orientis te ad se ducet aliis circumstantiis. Quis itaque arctet Virgilium ad Orientalem, nisi cum

Insignis facie: genitor quem miserat Arcens,
Eductum Martis luco, Symæthia circum
585 Flumina: pinguis ubi & placabilis ara Palici.

Stri-

cum magna historiarum ignoratione; cum præsertim ipse aliis in locis, cum Iberiæ meminit, Hispaniam intelligat? Sic in 8. *Iberas boves.* in 11. *Ibero gurgite.* in Georg. *impacatos Iberos.* De Hispanis capio etiam Stat. 4. Theb.

Undantemq; sinum nodis irrugat Iberis.

Et Prop. Eleg. 3. lib. 2.

Ut Mæotica nix miniosi certet Ibero.

Nam Plin. & Justin. gloriam minii Hispanis dant. Sic etiam capio Terentium Varron. περ. τύχης. *Scuta cælata Ibero argento gravi crebra fulgent.* Cerda.

Ferrugine Ibera.] Pro, veste coloris ferruginei sive Bætici vel Iberi: qui duplex. alter rutilus, subflavus & aurei coloris: alter magis fuscus & qui ferrugineum refert. de quo accurate L. Ramirez Hispanus ad Mart. lib. 1, 97. *Taubmannus.*

Clarus.] Dat splendorem Iberæ ferrugini, ut etiam lib. 11.

Ipse peregrina ferrugine clarus & ostro.

Et Claud. 4. Cons. Hon. *fulgor Iberus.* Contra Catull. de nupt. Pel.

Carbasus obscura dicat ferrugine Ibera.

Et Virg. ipse 1. Georg.

Cum caput obscura nitidum ferrugine tinxit.

Sed non difficilis conciliatio: nam purpura cum splendore nigricat, cum nigrore splendet. *Cerda.*

583. *Genitor quem miserat Arcens.*] Ordo est, Stabat Arcentis filius Arcens in armis egregius: nam non congruit ut hujus filii prætermisso nomine, bis fiat patris commemoratio. *Servius.*

584. *Eductum.*] Tacit. 1. Ann. de Cajo Principe, *In contubernio legionum eductus.* Hoc nimirum verbo natales loci indicantur. Auctor ἄδηλος Paneg. Constant. *Facile est vincere timidos, & imbelles: quales amæna Græcia, & deliciæ Orientis educunt.* Claud. 4. Honor. *Hispania patrem Auriferis eduxit aquis.* Cerda.

Symæthia circum Flumina.] *Symethos* fluvius est Siciliæ, à rege Symetho dictus, haud longe ab urbe Catinensi, circa quem sunt Palici dei, quorum talis est fabula; Ætnam nympham, vel, ut quidam volunt, Taliam Juppiter cum vitiasset, & fecisset gravidam, timens Junonem (secundum alios, ipsam puellam) Terræ commendavit, & illic enixa est. Secundum alios, partus ejus postea cum de Terra erupisset, duo pueri *Palici* dicti sunt, quasi iterum venientes. nam πάλιν ἵκειν est *iterum venire.* Hi primo humanis hostiis placabantur, postea quibusdam sacris mitigati sunt & eorum immutata sacrificia. Inde ergo *Placabilis ara:* quia mitigata sunt eorum numina. *Palicos* nauticos deos Varro appellat. Alii dicunt Jovem, hunc *Palicum* propter Junonis iracundiam in Aquilam commutasse: Alii Vulcani & Ætnæ filium tradunt, sed incertum ex qua recondita historia Arcentem istum induxerit, neque enim sine ratione vel lucus Martis appositus est: & quid homo Siculus in hoc bello facit, quem nusquam supra cum Ænea dixit ad Italiam pervenisse? *Servius.*

Symæthia flumina.] Nicolaus Heinsius testatur ad Ovid. lib. 13. Metam. vs. 570. in Virgilii codice longe vetustissimo hic legi *Symæthia*, atque ita apud Ovidium Græcorum plerorumque auctoritate restituit. Est autem *Symæthus* fluvius Siciliæ maximus, ab urbe Catina 8. passuum millia distans. De quo vid. Philipp. Cluver. lib. 1. Sicil. Antiq. c. 10. Est & in Sicilia oppidum hoc nomine, de quo idem lib. 2. Sicil. Antiq. c. 8. *Emmeness.*

585. *Pinguis.*] Id est, dives: more Græcorum, qui dicunt πίονα νηόν. Turneb. l. 18, 3. *Taubm.*

Placabilis ara Palici.] Dii *Palici*, religiosissime culti fuerunt à Siculis, erat autem eorum templum juxta Sici-

liæ

Stridentem fundam, positis Mezentius hastis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena;
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Dif-

liæ fontem Menensem, sive Menenium, qui prope oppidum Menas, & ab apposito hoc templo fons ille dictus etiam fuit *fons Palicinus*, & *lacus*; vel *stagnum Palicorum*. Plura de diis *Palicis* Philipp. Cluverius lib. 2. Sicil. Antiq. c. 9. & Macrob. (qui & ibi citatur) lib. 5. Saturn. cap. 19. Quod vero Servius ait hos humanis hostiis primo placari solitos, id quoque innuere videtur Statius, dum lib. 12. Theb. ℣. 155. inquit:

—— immites citius Busiridos aras
Odrysiique famem stabuli, Siculosque licebit
Exorare deos. Emmeness.

586. *Positis.*] Nam ipse reliquit. Ita in 10. *positis inglorius armis Exigat hic ævum*, id est, arma, quæ ipsemet ponat. Itaque laudo Scaliger. patrem, qui reprehendit Claud. eo in versu,

Qualis Amazonidum peltis exultat ademptis
Nuda cohors. ——

Debuisset *positis*, nam *ademptis* vim notat. *Cerda.*

Armis.] *Hastis* scriptum est in libro Colotiano. *Ursinus.*

587. *Ter adducta.*] Hæc scilicet ars rotandæ fundæ. Veg. cap. 14. libr. 3. *Contorto circa caput brachio dirigunt saxa.* Sed modum præscribit c. 23. ejusdem lib. *Semper assuescendum est, ut semel tantum funda circum caput rotetur, cum ex ea emittitur saxum.* Dices: non ergo ex arte Virgilii, qui *ter*. Nego id tibi: clarum enim, majorem impetum concipi ex bina, aut terna rotatione: ideo ait Veget. assuescendos milites ad unam, ut videlicet condiscant quod difficilius in arte, idque propter dispendium temporis. Si enim omnes funditores bis aut ter rotarent, moræ essent, ideo assuescant semel, ut arte contrahant, quod natura extendit. *Cerda.*

Ter.] Ex arte, aut more. Nam rotatio illa vires dabat fundæ. Stat. lib. 1.

Terque levi ducta circum caput actus habena
Permissum ventis abscondit in aëre telum.

Vide Lips. Poliorc. l. 4. Dial. 2. *Taubm.*

588. *Liquefacto tempora plumbo Diffidit.*] Plumbum enim jactum nimio rotatu & aëris calore dissolvitur. Statius, *Et arsuras cæli per inania glandes.* Servius.

Liquefacto plumbo.] Eo videlicet impetu glans è funda mittebatur, ut in medio cursu liquesceret igne concepto. Lucret. lib. 6.

—— plumbea vero
Glans etiam longo cursu volvenda liquescit.

Ovid. in Metamorph.

Non secus exarsit quam cum Balearica plumbum
Funda jacit, volat illud, & incandescit eundo,
Et quos non habuit sub nubibus invenit ignes.

Inde Stat. cum fulmine comparat, *volucres imitantur fulmina glandes.* Si quis causam quærat concepti in plumbo ignis, cum jacitur fortiter, eam exhibet Aristot. lib. 2. de cælo capite septimo. πέφυκε γὰρ ἡ κίνησις ἐκπυροῦν καὶ ξύλα, καὶ λίθους, καὶ σίδηρον. En exemplum adhibens, ita statim: οἷον καὶ ἐπὶ τῶν φερομένων βελῶν· ταῦτα γὰρ αὐτὰ ἐκπυροῦται οὕτως, ὥστε τήκεσθαι τὰς μολιβδίδας· videlicet παρεκτριβομένου τοῦ ἀέρος, ut supra dixerat, *perfricato aëre.* Et Seneca lib. 2. Nat. Quæst. cap. 56. *Aëra motus extenuat & extenuatio accendit: sic liquescit excussa glans funda, & attritu aeris, velut igne, distillat.* Lege & Aristot. lib. 4. Meteorolog cap. 8. *Cerda.*

Liquefacto plumbo.] Lucanus:

—— spacioque solutæ
Aëris & calido liquefactæ pondere glandes.

Vide

Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum;
Cui Remulo cognomen erat; Turnique minorem
Germanam nuper thalamo sociatus habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Voci-

Vide Lips. De Milit. Rom. l. 5. Dial. 20. ubi de usu & vi fundarum disputat. negatque bombardis nostris vim majorem esse posse, fortasse nec tantam: exceptis *Musquettis*, quas vocant. *Taubmannus.*

589. *Multa porrectum extendit arena.*] Intelligimus eum cecidisse trans murum. dicendo autem *multa*, ostendit corporis proceritatem. *Servius.*

590. *Tum primum bello.*] Hoc loco puerum ideo postea fecit armari, quia legit in historia pueros de bellis gloriam reportasse. Filium Marci Drusi annorum sexdecim: Crispini filium Crispinum in Corsica, cum fugeret exercitus Spurii Carvilii Consulis, bellum restituisse. Apud Soram bello Italico ab Herennio puerum in aciem eductum, à quo hostem occisum spoliatumque * Lucii Tarquinii filium, quem ob hoc pater aurea bulla prætextaque donavit. *Idem.*

591. *Dicitur.*] Poëta, quoniam impossibile videbatur pueri manibus cecidisse robustissimum virum, non se facit auctorem. *Donatus.*

Ante feras, &c.] Par sententia Ovidii secundi Metamorphoseos,

Hunc Deus Arcitenens, & nunquam talibus armis
Ante, nisi in damis, capreisque fugacibus usus. Cerda.

593. *Cui Remulo cognomen erat.*] Rejeci alibi ad hunc locum syntaxeos hujus declarationem. Qui Latine loquitur, dicit, *Cui est cognomen Remuli.* Qui Græce, *Cui est cognomen Remulo.* Græci enim casum unum regunt, & sæpissime alterum illi appendunt, quasi sarcinam. Placet itaque Latinis confugere frequentissime ad Græcam syntaxin, relicta sua; ita hic: *Cui Remulo cognomen erat.* & in 1. *Cui nunc cognomen Iülo.* Liv. lib. 26. *Cui Perconi fuit cognomen.* & lib. 31. *Geminis ambobus cognomen erat.* & lib. 34. *Cui Tympano fuit cognomen.* Plin. cap. 12. lib. 7. *Histrioni Rubrio cognomen imposuit.* & c. 6. l. 12. *Arbori nomen palæ, pomo arienæ.* ubi *palæ*, & *arienæ*, sunt in tertio casu. Sallustius Jugurtha: *Cui postea Africano cognomen ex virtute fuit.* Ovid. 8. Met.

—— *nec fortibus illic*
Profuit armentis, nec equis velocibus esse.

Nihil crebrius apud Græcos. *Idem.*

Minorem Germanam.] Quia major nympha fuerat Jovis voluntate. *Serv.*

594. *Thalamo sociatus.*] Signate in re matrimonii, de quo & Tullius, *arctissima societas.* & in 12. Æneid.

Me natam nulli veterum sociare procorum.

& 4. Æneid. *vinclo vellem sociare jugali.* Et sacræ literæ Evam vocant *sociam* Adæ. A quo non abit φιλία, id est, *amicitia*, quam vocem in re matrimonii adhibet Euripid. in Alceстide. ubi etiam conjuges vocat φίλους, id est, *amicos.* & in Androm. *lectum conjugalem*, φίλιον λέχος. *Cerda.*

595. *Digna atque indigna relatu.*] *Indigna.*, id est, turpia & obscœna. Ut dici solet *fanda & nefanda.* Servius.

Indigna.] Jos. Scaligero Proverbiale est: ut illud Terentii, *justa injusta me facturum.* Æschyli: Δῆλε διασπῶν ἄκων καὶ δίκαια κἄδικα. Talia sunt, Cic. 6. ad Attic. *Omnia, minima maxima: Ter-*

ria,

Vociferans, tumidusque novo præcordia regno
Ibat, & ingentem sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?
En, qui nostra sibi bello conubia poscunt!
Quis deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hic Atridæ, nec fandi fictor Ulixes.

Durum

ra, mari. Factis dictis. Dextra sinistra, &c. Taubm.

596. *Novo regno.*] Aut nova regii generis affinitate: aut quia ipsi per regis filiam portio debebatur imperii. Aut partem regni à Turno acceperat *Servius.*

Regno.] Non placet omnino Serv. Apud veteres enim illi omnes, qui affines erant Regibus, non solum fratres, sed alii etiam regii generis dicebantur Reges. Quam rem jam ego aliquot in locis firmavi alicubi. Ut hic *tumidus regno*, ita Stat. 4. Theb. de Inacho, *& genero tumuit Jove.* Cerda.

597. *Ibat.*] Hom. sæpe βῆ & βῆ ἰέναι. Videtur mihi Poëta voluisse in Numano exprimere superbientis hominis incessum. Et ita verbum *ibat* comitantur vociferatio, tumor, clamor. Quæ sane notæ sunt, & χαρακτῆρες hominis superbissimi. Talem exhibet Orestem Soph. in Elect.

Εἰσῆλθε λαμπρὸς, πᾶσι τοῖς ἐκεῖ σέβας·

Ibat arrogans, omnibus, qui aderant, spectandus. Idem.

Ingentem sese clamore ferebat.] Non erat ingens, sed se esse clamabat ingentem. *Servius.*

Ingenti.] Serv. legit, *ingentem.* Eurip. in Hercul. dixit, μέγας ὁ κόμπος, de ingenti & jactabundo clamore. *Cerda.*

598. *Iterum.*] Denuo. Nam jam tertio obsidentur: & *iterum*, non nisi de duobus dicimus. *Servius.*

599. *Bis capti Phryges.*] Semel ab Hercule, postea à Græcis. Alii tradunt semel à Græcis & nunc à Latinis, & hoc magis aptum esse Numani personæ, ut se cepisse existimet, qui tam jactans & petulans inducatur. *Servius.*

Bis capti.] Tzetzes tamen in Theocr. ter ait captos: ab Hercule, Amazonibus, Græcis. *Cerda.*

Phryges.] Pro convitio posuit, quasi dicat, ideo capti, quia Phryges. *Donat.*

Morti prætendere muros.] Emphasis est. *Morti* enim pro *bello* posuit. Sic supra, *Lati discrimine parvo.* Cum potuerit hosti dicere, scilicet ut nihil Trojanis reliquam * perire. *Servius.*

Morti prætendere muros.] In codicibus aliquot antiquis *Marti* legitur. Sed enim *morti* pro *bello* positum ait Servius. *Pierius.*

600. *En.*] Vituperantis demonstratio. *Donatus.*

Qui.] Scilicet, mendici & exules. *Id.*

Nostra connubia.] Aut quasi Turni cognatus loquitur: aut invidiose retorquet nostra connubia, & vult caussam omnium esse communem. *Serv.*

Nostra.] Quasi meliorum & fortiorum. *Donatus.*

Bello.] Cum sciant in simili causa se victos. *Idem.*

601. *Italiam.*] Ad Italiam. *Serv.*

602. *Non hic Atridæ.*] Exaggeratio vitupetationis. nam non tantum se Trojanis, sed etiam eorum victoribus præfert. Potest & *Atridas* intelligi, quarum conjuges aut deserunt maritos, aut interimunt revertentes. *Idem.*

Non hic, &c.] Invenietis fortiores iis, qui tamen vos vicerunt. *Donatus.*

Non hic Atridæ, &c.] Ab hac Musa Silius lib. 1.

——— *non hic Sidonia tecta*

Femi-

Durum ab stripe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu duramus & undis:

Venatu

Feminea fabricata manu, pretiove parata,
Exulibusve datum dimensis litus arenis.
Et Stat. 12. Theb.
Non cum peltiferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus, hic cruda virorum
Prælia, &c. ——
Sed Virgil. ut credo, commutavit illa Euripidis in Androm.
—— ὐ γὰρ ἰδὼ' Ἕκτωρ τάδε,
Οὐ Πρίαμος, ὐδὲ χρυσὸς, ἀλλ' Ἑλλὰς πόλις. *Cerda.*

Fandi fictor Ulysses.] Aut fallax, aut λογοδαίδαλος, id est, qui dolum celat sermonis ornatu. *Servius.*

Fandi fictor Ulysses.] Ut qui tantum loquendo & fingendo posset, non virtute, & viribus. Ab Eurip. in Rheso dicitur Ulysses αἱμυλώτατον κρότημα, *facundissimum crepitaculum.* Ibidem dicitur τρίβων τὰ κομψὰ, & νοεῖν σοφὸς, ut qui esset industrius & solers mente. Et in Cyclope, ἄνδρα κρόταλον, *virum crotalum*, ut qui tantum facundia insonaret. Ibidem Silenus admonet Polyphemum facetissime, ut devoret Ulyssem: nam, si ejus linguam comedat, fiet λαλίστατος, *loquacissimus.* Inde in Troadib. datur illi δίπτυχος γλῶσσα, *duplex lingua.* Cerda.

603. *Durum à stirpe genus.*] Italiæ disciplina, & vita laudatur: quam & Cato in originibus, & Varro in gente populi Romani commemorat. *Serv.*

Durum.] Forte. *Donatus.*

A stirpe.] Non arte, sed natura. *Idem.*

Natos ad flumina primum, &c.] E Germanorum consuetudine tractum censet Turn. lib. 22. c. 5. qui prolem natam ad Rhenum ferebant, clypeoque imponebant. Si undis abriperetur, notham censebant: si innataret, vere suam. Claudianus in Ruffin.
Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Inde Nonnus ab hac caussa Rhenum ἐλεγχέγαμον agnominat, velut judicem vindicemque conjugii. Et sunt, qui *Rheni* etymon hinc petunt, quasi purgatoris. Certe *purus* sermone nostro *Reyn* dicitur. Vide Lips. ad Germ. C. Taciti, & J. B. Pium Annot. Post. c. 23. & Germ. V. Pimpont. itemque Cæl. lib. 6. c. 2. Idem tamen lib. 18. c. 1. hoc de Spartanis moribus tractum opinatur, auctoritate Senecæ lib. 1. Suas. ubi legas: *Eurotas amnis Spartam circumfluit, qui pueritiam indurat ad futuræ militiæ patientiam.* Taubm.

604. *Sævoque gelu.*] In antiquis aliquot codicibus *duroque gelu* habetur. Sed *Sævo* callior omnino lectio. *Pierius.*

Gelu duramus & undis.] Undis gelidis. & est ἓν διὰ δυοῖν, ut, *Hamis auroque trilicem:* Nam nemo quod plus est prius dicit. Si enim duo essent, ante aquam diceret: sic gelu. *Servius.*

Gelu duramus & undis.] Ab hoc rigore disciplinæ non abit ille apud Sidon. in Avito,
—— *lactentia primum*
Membra dedit nivibus, glaciemque irrepere plantis
Jussit, & attritas parvum ridere pruinas.
Nec Honorii apud Claud. 3. Paneg.
Frigora sæva pati, gravibus non cedere nimbis,
Æstivum tolerare jubar, transnare sonoras
Torrentum furias, &c.
Nec militum apud Silium lib. 4.
Quosque in prægelidis duratos Hernica rivis
Mittebant saxa, & nebulosi rura Casinis
Amm. lib. 15. ait: *ad militandum omnis ætas aptissima, & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur & adultus, gelu duratis artubus, & labore assiduo, multa contempturus & formidanda.* Inter leges Lycurgi una fuit auctore Xenoph. ut pueri ἀνυποδησίᾳ τοὺς πόδας κρατύνειν, *nudis pedibus incederent, & ita*

Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant:
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque adsueta juventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne

ita durarentur. Ut hic *duramus*, ita de ætate Horat. Sat. 4. lib. 1. *simul ac duraverit ætas Membra*. Usus est Sen. epistol. 36. Lucret. lib. 5. *Atque opere in duro durarent membra manusque*. Cerda.

605. *Venatu.*] Pro *venatui*, ut, *Curru* pro *currui*: Ablativus dubius, vel pro dativo. *Servius*.

Pueri.] Bene venationem pueris dedit, opus rusticum jam juvenibus. *Idem.*

Venatu invigilant pueri.] Nulla fortasse exercitationum aptior ad futuram militiam. Ita magnus dux Jugurtha evasit, prædicante Sallust. *Pleraque tempora in venando agere, leonem, atque alias feras primus, aut in primis ferire*. De Anthemio Sidon.

Inventas agitare feras; & fronde latentes
Quærere deprensas, modo claudere cassibus arctis,
Nunc torto penetrare veru.

Est enim argumentum feritatis venatio. De Hircanis Amm. lib. 23. *Apud quos ruris colendi cura est levior, sed vescuntur venatibus*. De Chirone ait Max. Tyr. dissert. 18. docuisse illos, quos educandos accipiebat, θήραις, καὶ ὀρειβασίαις, *venationibus, & montanis itineribus*. Cerda.

Silvasque fatigant.] Ipsi fatigantur in silvis: vel pro feris *silvas* posuit, in quibus sunt feræ. *Servius*.

Silvasque fatigant.] Arripuit Claud. 3. Stil.

Nubiferas Alpes, Apenniniq; recessus,
Garganique nives Hecaërge prompta fatigat.

Sic lib. 8.

Olli remigio noctemque diemque fatigant.

Cerda.

606. *Flectere ludus equos.*] Aliorum labor nostræ pueritiæ ludus est * *Flectere* autem verbo antiquo usus est, nam equites apud veteres *Flexutes* vocabantur, sicut ait Varro rerum humanarum. Sane Poëta meminit sui, nam ait superius, *Ante urbem pueri & primævo flore juventus Exercentur equis*. Servius.

Flectere ludus equos.] Non enim inanibus ludis intenti sunt. *Donatus*.

Flectere ludus equos.] Totus versus Euripidem sapit, qui de Hippomedonte in Supplic.

Ἵπποις τε χαίρων, τόξα τ' ἐντείνων χεροῖν·

Equis gaudens, arcum tendens manibus. Præsertim cum adhibeat exercitationes, quas à puero didicit Græcus ille, ut ita se assuefaceret virtuti bellicæ. Ceterum, cum Poëta dicat, bellicas exercitationes amatas pueris, ut ludos, adducam loca aliqua Sidonii de re omnino simili. Ergo, Paneg. Anthem.

Ludus erat puero raptas ex hoste sagittas
Festina tractare manu, captosque per arcus
Flexa reluctantes in cornua trudere nervos.

Et Paneg. Majoriani,

Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plagæ præscisse locum, clypeosque rotare,
Ludus, & intortas præcedere saltibus hastas.

Demum Paneg. Aviti,

Jam si forte suem latratibus improbus Umber
Terruit, albentes nigro sub gutture lunas
Frangere ludus erat, colluctantique lacerto
Vasta per adversas venabula cogere prædas.

Cerda.

607. *At patiens operum parvoque adsueta juventus.*] Hoc & in Georgicis laudat: nam magnæ virtutis est in nimio labore parvo esse contentum. *Serv.*

608. *Terram domat.*] Bene bellico usus est verbo: & ne à re militari discederet,

Omne ævom ferro teritur, versaque juvencûm
Terga fatigamus hasta: nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Canitiem galea premimus; semperque recentis
Comportare juvat prædas, & vivere rapto.
Vobis picta croco & fulgenti murice vestis,

Desi-

cederet, non dixit *terras colimus*, sed *domamus*: ac si diceret, cum hostes desunt, terras ferro domamus. *Servius.*

Domat.] Pro, arat. Stat. 4. Theb. *Et qui rura domant Epidauria.* Ennod. Orat. 4. *Edomitam terram terque & quater agricolæ ligonibus.* Cerda.

Quatit oppida bello.] *Oppidum* quidam à vico castelloque magnitudine secernunt. Alii locum muro, fossave, aliave qua munitione conclusum. Alii locum ædificiis constitutum, ubi fanum, comitium, forum & murus sit. Alii *oppidum* dici ab oppositione murorum, vel quod hominibus locus esset oppletus, vel quod opes illo munitionis gratia congestæ sunt. *Servius.*

609. *Omne ævum ferro teritur.*] Est hoc, quod Himerius ἐν μελέταις, de Persis loquens, ait: πᾶς ὁ βίος ἐκείνοις φαρέτρα καὶ βέλη· *vita omnis illis est pharetra, & sagitta.* Et Claud. Bell. Get. *Totaque sub galeis Mavortia canuit ætas.* Sed & locutio Hellenica est: nam Græci τρίψαι, & ἐκτρίψαι βίον. *Cerda.*

Versa juvencûm Terga fatigamus hasta.] Agriculturam sine officio belli non gerimus. Est autem χαρακτηριστικὸν & ὁμοιοτέλευτον. Nam sit ita, *versa hasta juvencorum terga fatigamus*, id est, cædendo urgemus. *Servius.*

610. *Fatigamus hasta.*] Semper in manibus tela militaria gerimus, etiam cum terram subigimus. Nam & hasta pro boum stimulo utimur, & hasta tardos boves increpamus. Turn. l. 29. c. 25. *Turnebus.*

Tarda senectus.] In aliis, *sera senectus.* Servius.

Tarda.] Quæ faciat homines tardos. *Donatus.*

611. *Nec senectus Debilitat vires animi.*] Bene *Animi*, quia non est ausus *corporis* dicere. Nec enim potest fieri, ut quamvis robustus senex, vires habeat prioris ætatis, & suæ comparetur adulescentiæ. Nunc ergo licet dicat fortes esse etiam senes, bona tamen est usus temperatione, ut diceret, nihil animorum vigori derogare temporis vetustatem. *Servius.*

612. *Canitiem galea premimus.*] Id est, semper militamus. *Idem.*

Canitiem galea premimus.] Plutarch. in opere, An seni gerenda Resp. τὸ κράνος ἀποκρύψῃ τὰς πολιάς· *galea occultet canos.* Ut hic *premimus*, ita Ovid. Epist. *galea caput ille premetur.* Sil. 2. *pressa properata casside mala.* Cerda.

613. *Comportare juvat prædas.*] In Romano cod. in Mediceo, & pervetustis aliquot aliis *comportare* legitur. Sane *comportari* dicuntur, quæ proveniunt ex reditibus. Hor. *Si comportatis rebus bene cogitat uti.* Ita de iis omnibus, quæ ex agro in urbem comportantur. *convectare* tamen magis placet eruditis auribus. *Pierius.*

614. *Vobis picta croco.*] Vituperatio Trojanorum, in qua utitur argumentis, quæ in rhetoricis commemorat Cicero, à gente, habitu, & gestu. Et sunt molliores versus apti ad carpendam molliciem. Sane vestes acu pictas coloribus Phryges primi invenerunt, nam ideo & artifices talium vestium *Frigiones* appellantur. *Servius.*

Croco.] Vestem κροκωτὸν intelligit: quæ à Plauto, apud Festum *crocotula* dicitur, & mulierum erat, rotunda ac fimbriata. Ita effæminatos & semiviros incessit Trojanos: ut &, cum dicit,

Accipio, & comitem casus conplector in omnis.
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus:
Seu pacem, seu bella geram; tibi maxima rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit: tantum Fortuna secunda,
Haud adversa cadat. sed te super omnia dona
Unum oro: genetrix Priami de gente vetusta
Est

Vandalica lib. 3. *Venerabilis adolescens Majoricus.* Cerda.

Pectore toto.] Omni affectu. Et est de proverbio. Cicero de legibus: *Nisi toto pectore amantur, ut dicitur.* Cum enim dicit, *ut dicitur*, ostendit proverbiale. S.

279. *Tibi maxima rerum verborumque fides.*] Et rempublicam tibi committam, & tecum omne communicabo consilium. *Idem.*

280. *Contra quem talia fatur Euryalus.*] Cur cum duobus sit locutus Ascanius & unus illis respondit, id est Euryalus, * & minor quia Euryalo & familiarius, & posterius est locutus! deinde quod Euryalus matrem commendare debeat? *Idem.*

281. *Me nulla dies tam fortibus ausis Dissimilem arg.*] Ab hoc officio & ab hac audacia accessu temporis inferior non probabor, qualiscunque fortuna comitetur. Id est, nunquam aut tam secunda fortuna acciderit, aut tam adversa, ut me dissimilem mei faciat, hoc est, neque secundis intumescam, neque adversis dejiciar. *Idem.*

282. *Dissimilem arguerit.*] Ex perlustrato hoc loco Symm. epist. 28. lib. 1. *Convenit dictum cum fide morum tuorum, nec unquam te dissimilem scriptis talibus dies arguet.* Cerda.

Tantum Fortuna secunda, Aut adversa cadat.] Tantummodo hoc possum de me promittere, ut semper audeam, : semper velim fortiter facere. Nam hoc est quod dicit, *Tam fortibus ausis Dissimilem arguerit.* Tantum ergo meum est hoc promittere, sive prospera, sive adversa fortuna comitetur. nam *aut* disjunctiva particula est, non negantis adverbium. Quidam sic intelligunt, tantummodo fortuna prospera non in contrarium recidat, tanquam nunc in secundis rebus sit cum obsideatur. Alii ita putant, me nulla dies dissimilem arguet, sive quæ est hodie fortuna permanserit, sive etiam læta fuerit, id est, nec si feliciter mihi, nec si infeliciter cesserit, dissimilis ero huic conatui: & melius legitur, sine aspiratione, id est, *aut adversa.* Servius.

Tantum Fortuna secunda, Haud adversa cadat.] Solum illud absit, ne fortuna in nos vultum contrarium vertat, quod in nostra non est potestate, sed potius in fortunæ ipsius arbitrio. *Donatus.*

283. *Super omnia dona.*] Ultra omnia, magis quam omnia; proprie enim *super* id significat, ut sit pro omnibus donis. *Servius.*

284. *Genetrix.*] Magnum pondus in his verbis. Maternum enim nomen omnes affectus transit. Præterea quod sit ex genere Priami non accessione nova, sed vetustate conjuncta. Laudavit ergo à genere: sed quia frustra laus originis tangitur, nisi is qui laudatur, vita & moribus se majoribus suis dignum gerat, ponit suas virtutes. Excusat autem quod ignaram relinquat: quia nisi illa causa intercessisset, scelus non parvum commisisset. *Donatus.*

Priami de gente vetusta.] De familia. Et bene eam etiam ex cognatione commendat. Nam Ascanius nepos est Priami per Creüsam. *Servius.*

Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Acestæ.
Hanc ego nunc ignaram hujus quodcumque pericli est,
Inque salutatam linquo; nox & tua testis
Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
At

285. *Miseram.*] Quæ sic impatienter diligit filium. *Serv.*

286. *Mecum excedentem.*] Ut, *Ille meum comitatus iter.* vult enim intelligi sui caussa matrem secutam. *Idem.*

287. *Hanc ego nunc ignaram hujus, &c.*] Ἦθος ab insigni pietate in matrem, imitatione Homeri, qui Telemachum matre insalutata ab Ithaca solventem inducit, & hac cautione matris satagentem: *ἀλλ' ὄμοσον μὴ μητρὶ φίλῃ τάδε μυθήσασθαι πρίν γ' ὅτ' ἂν ἑνδεκάτη τε δυωδεκάτη τε γένηται, ἢ αὐτὴν ποθέσαι, καὶ ἀφορμηθέντος ἀκοῦσαι, ὡς ἂν μὴ κλαίουσα κατὰ χρόα καλὸν ἰάπτῃ.* Sic apud Calabr. 7. celat magna pietate matrem Deïdamiam Neoptolemus causam adventus ad se Ulyssis Diomedisque, eo quidem structum, ut ipsum Trojæ fatalem, in Græcorum castra militiamque perducerent, *χεινὰ δ' ἐῶ τιν' ἱκανον ἐπέκρυψε μέχρις ἐς ἠῶ, ὄφρα μὴ ἀχνυμένην μιν ἕλῃ πολύδακρυς ἀνίη, καί μιν ἐπεσσύμενον μάλα λισσομένη κατερύκῃ. Germanus.*

Ignaram.] Hic *ignaram*, cui non dixerit. *Servius.*

Quodcumque pericli est.] Syllepsis. Nam subaudis *periclum.* Idem.

Quodcumque pericli est.] In Romano codice, & aliquot aliis *pericli* absque *est* legitur. Sed hoc loco sententia verbum id requirit, & versum venustiorem facit. *Pierius.*

288. *Inque salutatam linquo.*] Insalutatam. & est Tmesis, ut *Inutilis inque ligatus cedebat.* Servius.

Salutatam.] Verbum *saluto* dicitur non solum de primo sermone; sed etiam de extremo, quo alicui valedicimus. Vide & Plaut. Mil.

Etiam nunc saluto te familiaris prius quam eo:
Conservi, conservæque omnes bene valete, & vivite.

Ennod. Epist. 14. lib. 8. *Insalutatum me velut incognitum linqueretis.* Cerda.

Nox.] Quia scilicet illorum, quæ geruntur in die, testis est dies; illorum, quæ in nocte, nox. Talis hæc Nisi, & Euryali adgressio. Sic Æneæ lib. 6. Æneid. juratur fides, quæ *tellure sub ima est*, quia ipse tunc in infernis locis. Qui in mari est, Neptunum testem advocat. Qui est intra ædes, solet testari ipsos parietes & tecta; quod alicubi facit Plautus. Qui est sub dio, ipsum testatur aërem. Sic in Eurip. in Aulid.

Οὗτος αὐτός ἐστιν αἰθὴρ, ὃς τάδ' ἤκουσεν σέθεν·
Aër hic (testis) *est, qui à te hæc audivit.*

Sed de Nocte peculiare est illud Soph. Elect.

Τὰ δὲ παννυχίδων ἤδη στυγεραὶ
Ξυνίσασ' εὐναὶ μογερῶν οἴκων·

Synesius lib. de Insomn. locutus est ab Soph. cum scripsit, *μάρτυρας ἀκολασίας τὰς ἐν αὐτῇ (κλίνῃ) νύκτας ποιήσασθαι· facere noctes testes intemperantiæ in* (lecto) *ipso.* Idem.

Et tua testis Dextera.] Quia loquitur cum illo, ideo ejus dexteram jurat, & obtestatur. Sic Æneas loquens cum Regina Afra, *Testor utrumque caput*, id est, meum ac tuum. Metell. apud Sallust. Marium obtestatur *per amicitiam.* Idem.

289. *Quod nequeam lacrimas perferre parentis.*] Excusat ne videatur crudelis. Unde sequitur matris ejus tragicus & miserabilis ille conquestus, *Potuisti linquere solam Crudelis?* & alia. *Servius.*

290. At

At tu, oro, ſolare inopem, & ſuccurre relictæ.
Hanc ſine me ſpem ferre tui: audentior ibo
In caſus omnis. percuſſa mente dederunt
Dardanidæ lacrimas: ante omnis pulcher Iulus:
Atque animum patriæ ſtrinxit pietatis imago.
Tum ſic effatur:
Sponde digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Namque erit iſta mihi genetrix, nomenque Creüſæ
Solum defuerit; nec partum gratia talem

Parva

290. *At tu, oro, ſolare inopem.*] In codicibus aliquot manu ſcriptis, *hanc tu.* Sed magis placet *at.* Pierius.

Inopem.] Modo auxilii egentem. *Serv.*

Relictæ.] Aut a me, aut ab hominibus. *Idem.*

291. *Hanc ſine me, &c.*] Fac, me poſſe ſperare te non defuturum precibus meis. Scalig. l 4, 16. *Taubm.*

Audentior.] Ut ſapientior ab appellatione non à participio futura, cum Terentius in Heautontimorumeno, *Natu gravior, ignoſcentior.* Servius.

292. *In caſus omnis.*] Ut ſupra, *Fortuna ſecunda, Aut adverſa cadat.* Serv.

Percuſſa mente.] In antiquis omnibus codicibus *percuſſa,* uti ſæpe dictum. *Pierius.*

293. *Pulcher Iulus.*] Incongruum epitheton pulchritudinis poſuit, cum res ſit in hoc loco religionis. *Servius.*

294. *Atque animum patriæ, &c.*] Par ille loquens lib. 10.

Et mentem patriæ ſubiit pietatis imago.

Non abit affectus Electræ apud Sophoclem, quæ, viſa domo, ubi pater perierat, ſtatim animo ſtringebatur, commota vehementer patris pietate. Neque verſus Hom. l. 4. Odyſſ. de pietate Telemachi:

Δάκρυ δ' ἀπὸ βλεφάρων χαμάδις βάλε πατρὸς ἀκούσας·

Fudit ab oculis in terram lacrymas audiens de patre. Cerda.

Strinxit pietatis imago.] Momordit, perſtrinxit, admonuit. Senſus autem eſt, aut poſtquam vidit iſtum ſic amare matrem, paternæ pietatis virtutem cœpit agnoſcere. Aut certe cœpit etiam ipſe ſic in pietatem moveri, ut ejus conſueverat pater. Aut certo exemplo Euryali avidius cœpit amare patrem, etiam ante dilectum. *Servius.*

295. *Tum ſic effatur.*] In antiquis, & *tum* & *tunc* invenio, & *adfatur*: quod, ut mihi videtur, non ita congruit huic loco. *Pierius.*

296. *Sponde digna tuis, &c.*] Quidquid ſcis, ait, convenire meritis tuis, quidquid arbitratus fueris te dignum, ante ipſam petitionem tu tibi ſpondere ne dubites, atque ita, ut jam te accepiſſe confidas. *Donatus.*

Spondeo.] Urſinus emendat *ſponde,* tum ex vetuſti Colatiani codicis, tum ex Gabrielis Faërni auctoritate. Eſt verbum fori. Perſ. Sat. 5. *Marco ſpondente recuſas.* Rem hanc ita Cal. lib. 1. *πολλὰ δ' ὑπέστη δωσέμεν· daturum plura in ſe recepit.* Cerda.

297. *Namque erit iſta mihi genetrix.*] Non abſimile illud Adherbalis ad Romanos apud Salluſt. *Micipſa pater meus moriens mihi præcepit, vos mihi cognatorum, vos in locum affinium ducerem.* Neque illud Plauti in Captiv.

Pol ego, ſi audeam, te meum patrem nominem,
Nam ſecundum patrem, tu es pater proximus. Idem.

298. *Nec partum gratia talem Parvæ manet.*] Debet ab omnibus coli quæ talem creavit, non ergo à te tantum, ſed per te commendatur. *Servius.*

 299. *Caſus*

Parva manet; casus factum quicumque sequuntur.
Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat:
Quæ tibi polliceor reduci rebusque secundis,
Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.

Sic

299. *Casus factum quicumque sequetur.*] Satis congrue. Præmia enim non debentur eventui, sed voluntati: hoc est, quicquid evenerit, præmia dabo. *Idem.*

Casus factum quicumque sequetur.] In antiquis plerisque codicibus, *sequentur* numero plurali habetur. In aliquot *factum casus quicunque sequetur*, transpositis dictionibus. *Pierius.*

Casus factum quicumque sequetur.] Proculdubio mortem intelligit; sed non nominat, ut caveat omini. Erat enim mortis mentio abominanda. De qua re jam ego plene lib. 8. & hic adjicio similem poëticæ locutionem. Qui faciebant testamenta, primum sibi bene ominabantur, deinde addebant, *si quid vero accidat*, ad significandam mortem, non ausi illam nominare. Dictæ formæ auctor Laërtius, apud quem Aristoteles in suo testamento; ἔσται μὲν εὖ, ἐὰν δέ τι συμβαίνη, &c. sic & Theophrastus: ἔσται μὲν εὖ, ἐὰν δέ τι συμβῇ, &c. Apud Sueton. Claudius moriturus cum *mortalitatem* nominaret, qui aderant abominati sunt vocem. *Cerda.*

300. *Per caput hoc juro.*] Hunc locum excutit Apulejus in lib. De deo Socratis: quem, quod conveniat & huic, & illi de Mezentio lib. 10. *dextra mihi deus, &c.* omnino vide. *Germ.*

Per caput hoc juro.] Exempla hujus moris multa in hunc locum congerit Jac. Pontanus, Tiraquellus in Alexandrum, Brissonius in Form. Omitto omnia, & advoco Athenæum lib. 2. ita scribentem: ὅτι δ' ἱερὸν ἐνόμιζον τὴν κεφαλὴν, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ κατ' αὐτῆς ὀμνύειν, καὶ τοὺς γινομένους ἀπ' αὐτῆς πταρμοὺς προσκυνεῖν, ὡς ἱερούς. *Quod autem caput sacrum veteres existimarent, ex eo liquet, quod per ipsum jurarent, adorarent etiam sternutationes inde ortas, tanquam sacras.* ubi vides rationem; non enim tantum juratur per caput, quia charissimum: sed etiam, quia sacrum. Inde juramentum capitis ait Hom. esse μέγαν ὅρκον, *magnum juramentum.* Cerda.

Per quod pater ante solebat.] Alii volunt ideo *ante*, quia absens est Æneas. Sed jurare possumus etiam per absentis filii caput. Alii ad caussam religionis trahunt, quæ præcepit ut filii imitentur in omnibus rebus suos parentes: ut nunc quasi imitatio sit jurisjurandi, ut dicat Ascanius, *Juro per caput meum*, sicut præsens pater per suum caput jurare consueverat, quotiens fidem suam confirmare cupiebat. Alii volunt ideo dictum *ante*, quia pontificibus per liberos jurare non licebat: sed per deos tantummodo, ut sit *ante*, antequam pontifex esset Æneas. Ergo *ante* aut temporis, est, aut ordinis. *Servius.*

301. *Reduci rebusque secundis.*] Mira arte moratur in prosperis, & ea iterat: tacet adversa, & magis intellectui & subauditioni relinquit. Cum enim non dicat, si non redieris, ait, *Matrique tuæ, generique manebunt.* Hoc autem secundum morem Romanorum dicit, apud quos ita præmia decernebantur, *Illi liberisque ejus:* ut darentur liberis, quæ accipere non potuissent parentes. *Idem.*

302. *Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.*] More Romano, quo præmia decernebantur: ILLI LIBERISQ. EIUS. ut darentur liberis, quæ accipere non potuissent parentes. Cic. Philipp. 14. *Atque etiam censeo P. C. quæ præmia militibus promisimus nos, Rep. recuperata, tributuros ea vivis victoribusque cumulate, cum tempus venerit, persolvenda: qui autem ex his, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt, eorum*

eum

Sic ait inlacrimans: humero simul exuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Cnossius, atque habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias: galeam fidus permutat Aletes.
Protenus armati incedunt: quos omnis euntis
Primorum manus ad portas juvenumque senumque
Prosequitur votis. nec non & pulcher Iulus,

Ante

rum parentibus, liberis, conjugibus, fratribus eadem tribuenda censeo. Taubm.

303. *Hæc ait illachrymans.*] In veteribus codicibus, *sic ait inlacrimans.* Pierius.

Humero simul exuit ensem.] Notetur mos plenus charitatis. Eunt juvenes ad bellum, & armantur à suis, quasi omnes illis salutem velint. Apud Liv. lib. 7. in historia Manlii contra Gallum, *armant inde juvenem æquales.* Apud Homer. 10. Iliad. Thrasymedes armat Diomedem euntem ad periculum ense, scuto, galea: sicut & Meriones Ulyssem arcu, ense, galea. Apud Apollon. lib. 1. Atalanta eunti Jasoni ad expeditionem dat in viam ἔγχος ἑκηβόλον. Sed & armant amici Nisum, ita ut partem quisque conferat. Hanc rem observatam à Plutar. video in vita Alexand. ubi narrans arma, quibus hic Princeps indutus ad debellandum Darium, ait gladium, quo armabatur, fuisse donum Κιτιέων, De baltheo, τιμὴ δὲ τῆς Ῥοδίων πόλεως, ὑφ᾽ ἧς ἐδόθη δῶρον. De thorace, ἐκ τῶν λαφυρέντων ἐν Ἰσσῷ. De amictu, qui supra thoracem, τῶν Σικελικῶν. *Cerda.*

Humero simul exuit ensem.] Ex Iliad. 10. sumpta ait Macrob. lib. 5. cap. 9. sed tu mihi Scalig. vide lib. 5. cap. 3. Poët. *Taubmannus.*

304. *Lycaon Gnossius.*] Cretensis. Et est laus ab artifice: hunc autem gladium Euryalo datum intelligimus, nam Nisus accepit galeam & pellem. *Servius.*

306. *Dat Niso Mnestheus pellem.*] Par donum 5. Æneid.

—*tergum Getuli immane leonis*
Dat Salio villis onerosum, atque unguibus aureis.

Tale etiam munus apud Sil. lib. 15.

—*fraternum lena nitebat*
Demissa ex humeris donum, quam fœderis arcti
Trinacrius Libyco Rex inter munera pignus
Miserat, Æoliis gestatum insigne Tyrannis. Cerda.

Dat Niso Mnestheus pellem.] Scriptum hoc ex consuetudine Heroicorum temporum. Ut enim exsuvio leonis Herculem; sic & alios heroes vestitos, aut aliarum bestiarum, legimus. Turnebus lib. 29. cap. 25. *Taubm.*

Pellem horrentisque leonis Exuvias.] Τὸ αὐτὸ dixit: hoc est, bis idem: ut, *Bellum etiam pro cæde boum, stratisque juvencis Laomedontiadæ bellumne.* Serv.

307. *Galeam fidus permutat Achates.*] Galeæ enim sunt explorantum arma, sicut etiam Homerus ostendit. *Permutat* autem compositum pro simplici. *Idem.*

308. *Protenus armati, &c.*] Hæc omnia Scal. lib. 5. cap. 3. ad Homerica Iliad. 10. sollertissime exigit. *Taubm.*

309. *Primorum.*] Genitivus hic est, ab eo, quod est *hic primus, hi primi,* & ab eo, quod est *primores,* sicut *hi proceres:* quorum nominum nominativus singularis non invenitur, licet dicamus *hujus primoris, hujus proceris.* Servius.

310. *Votis.*] Aut cum votis: aut pro reditu vota facientes: an *Juvenumque*

Ante annos animumque gerens curamque virilem.
Multa patri portanda dabat mandata: sed auræ
Omnia discerpunt, & nubibus inrita donant.

Egressi

numque manus ad portas votis prosequitur? an *juvenum* quidem *manus ad portas*, *senum* vero *votis prosequitur*, ut *juvenes* quidem illos deduxerunt, *senes* vero optaverunt illis reditum. *Servius.*

Pulcher Iulus.] Ut in Ænea Augustum, ita in Iülo Julium repræsentat. Atqui de Julio Vellejus libro altero: *forma omnium civium excellentissimus.* Cerda.

311. *Ante annos, &c.*] Talem Æschyl. *ἀνδρόπαιδα ἄνδρα* vocat: qui *ingenio ætatem præcurrit*, ut loquitur Cicero. vel, ut Sillius,

—*qui annos transcendere factis*
Molitur.

Videtur autem Poëta hic etiam ad Augustum respicere, qui solutus Rom. Legibus, ut ait Cicero, ætatis privilegio, in prima adolescentia Consulatum gessit: ut & Bucol. indicatur:

Hic illum vidi juvenem, Melibœe, &c.
Taubmannus.

Curamque virilem.] Ita de eodem in 3. *animosque viriles.* Horat. epist. ad Pison. *mares animos in Martia bella.* Alii *masculos.* Euripid. de Oreste, *φρένας ἄρσενας. Cerda.*

312. *Multa patri portanda dabat mandata.*] In antiquis exemplaribus, *multa patri mandata dabat portanda.* Sed quamvis idem numerus sit, quoquoversum, atque eadem pene vocalium & syllabarum vis, nitidior tamen structura ea videtur, quæ in vulgatis habetur exemplaribus, *Multa patri portanda dabat mandata.* Pierius.

Multa mandata.] Sunt hæc Symmach. epist. 18. lib. 6. *largiora mandata.* Et, *mandata dabat*, ut Sallust. Catil. *mandata verbis dat.* Cerda.

Portanda.] Nuntianda. *Servius.*

Auræ omnia discerpunt.] Hic affectus sæpe à multis. Theophylactus Simocatt. c. 5. l. 1. Hist. Mauric. *παρεφρόνει τὰς συνθήκας, καὶ τοὺς ὅρκους ταῖς αὔραις φέρειν ἐδίδου· Contemnit pacta, & dabat jurata sacramenta ventis ferenda.* & cap. 9. lib. 4. *τῆς διαλέξεως εἰς ἀέρα χυθείσης, colloquio in aërem effuso.* & c. 4. libri quinti, *καὶ μὴ διαχεῖσθαι τῶν λόγων τὸ καίριον εἰς ἀέρα διαλυόμενον· quæ à me opportune dicta sunt, ea in ventos dissolvi ne permittite.* Val. lib. 3. Arg.

—*rerum labor omnis in auras*
Solvitur.— Claud. Bell. Get.
Mandemusne Noti flabris quoscunque timores Pertulimus.—

Stat. 2. Achill.

Irrita ventosæ rapiebant verba procellæ.

Quod sumpsit à Catullo, qui,

Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.

Ut etiam Noster, qui ab eodem Catull. verbum *discerpunt*: ille enim prius,

Quæ cuncta aërii discerpunt irrita venti.

Lucret. lib. 4. *ventis verba profundam.* Cerda.

Auræ omnia discerpunt.] Utuntur poëtæ his & similibus locutionibus, quoties obliteratum aliquid, neglectum aut frustra monitum volunt significare. Sic Catull. ad Ortalum:

Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo.

Ovid. Heroid. Epist. 2. ✝ſ. 25.

Demophoon ventis & verba & vela dedisti.

Horat. lib. 1. od. 26. tristitiam à se amovere cupiens inquit:

—*tristitiam & metus*
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis. Ad quem locum plura Lambinus. Vid. præterea Victorius lib. 30. Var. Lect. c. 8. *Emmeness.*

313. *Et nubibus inrita donant.*] Ut ipse, *Partem volucres dispersit in auras.* Servius.

314. Su-

Egreſſi ſuperant foſſas, noctiſque per umbram
Caſtra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio. paſſim ſomno vinoque per herbam
Corpora fuſa vident, arrectos litore currus,
Inter lora rotaſque viros; ſimul arma jacere,
Vina ſimul. prior Hyrtacides ſic ore locutus:
Euryale, audendum dextra. nunc ipſa vocat res.
Hac

314. *Superant.*] Tranſgrediuntur. *Servius.*

Noctiſque per umbram.] Antiqui omnes codices *per umbras* numero multitudinis legunt, quod non ita placet, quod hujuſmodi plurale manibus aut defunctorum animis, magis adcommodari ſoleat. *Pierius.*

Noctiſque per umbram.] Sic Iliad. x. de Diomede & Ulyſſe ſpeculatum euntibus: βῆν ῥ' ἴμεν ὥστε λέοντε δύω διὰ νύκτα μέλαιναν, ἂν φόνον, ἂν νέκυας, διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα· Ut autem *noctis per umbram*, Eurip. in Iphig. κατ' εὐφρόνης σκιάν. *Germanus.*

315. *Caſtra inimica.*] Non tantum hoſtilia, ſed & pernicioſa; nam cum dolore dictum eſt *Inimica*: unde ſcilicet redituri non erant, quod ex ſequentibus comprobatur; dicendo enim, *Multis tamen ante futuri Exitio*: id eſt, antequam ipſi perirent, oſtendit pernicioſa caſtra eſſe, quæ ipſis mortem fuerant adlatura. Et bene cito dictum eſt exitio, cum caſtra mortifera dicuntur. *Servius.*

317. *Corpora fuſa vident.*] Accedo ſententiæ Victorii, qui refert hæc verba ad milites ἐρριμμένους καὶ μεθύοντας dictos à Polybio lib. 6. hiſtoriæ: qui in alta rerum fiducia, ſecurique hoſtilis machinamenti, nec excubias agunt, nec munia militaria ex diſciplina obeunt. *Germanus.*

Corpora fuſa.] Notat Victor. ita verbo *humoris* hoc dictum à Virg. ut ab Hom. ἡνία χεῦεν, *habenæ fluxerunt.* Sed oportuiſſet expendere altiorem Muſam Virg. quia enim de ebriis ſermo, & vinum *funditur*; ita *fuſa corpora.* Cerda.

Litore.] Aut aream *Litori* proximam, ſicut ſolet; quidam litore fluminis volunt. *Servius.*

Currus.] Quia ante dixerat; *Portæ, quæ proxima ponto.* Idem.

318. *Inter lora rotaſque.*] Inemendate legitur in nonnullis codicibus, *inter tela rotaſque.* Pierius.

Inter lora rotaſque.] Ad hunc modum dixit de Hectore Eurip. in Rheſo, τὸ ὑπασπίδιον κοῖτον ἰαύει· *Carpit ſomnos in clypeo.* quia videlicet ſubjectus clypeus capiti. *Cerda.*

Simul arma jacere, vina ſimul.] Ita & Liv. lib. 41. *vino, ſomnoque merſos jacere.* Hujus rei imaginem repræſentat Heliod. lib. 1. Hiſt. Æth. ubi hinc arma, hinc pateræ, omnia miſtim jacebant, tela & vaſa, gladii & menſæ. Amm. lib. 22. una conjungit *gladios* & *pocula*, loquens de corruptiſſima militum diſciplina. Hom. in ſumma ignavia Thracum omiſit vaſa, & arma tantum exhibet, quæ χθονὶ κέκλιτο. Una nata ingens ea cædes. Idem de armis dixit κεῖται. *Idem.*

319. *Vina ſimul.*] Hoc eſt, vaſa vini, ſcil. in quibus vina ponuntur. *Serv.*

Vina ſimul.] Quid ſi reliquias vini in poculis intelligas: vel etiam vomitu regurgitata vina: ut vſ. 350. *Taubm.*

Ore locutus.] Non eſt Periſſologia; nam ſecundum Homerum, exploratores, quæ volunt, plerunque ſibilo ſignificant. *Servius.*

320. *Audendum dextra.*] Quia audemus & curſu & animo. *Idem.*

Audendum.] Græcanicum. Nam Eurip. Iphig. τολμητέον. Pulchre dixit Simocat. c. 18. l. 2. τὸ πᾶν τῆς ἀριστείας ἀγα-

Hac iter est. tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi, & consule longe.
Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit; simul ense superbum
Rham-

ἀναθέντες τῷ θράσει, quasi omnis fortitudinis laus referenda sit ad unam audaciam. Inde idem c. 13. l. 3. directe opponit *δειλίαν* & *εὐτολμίαν* in re belli: & illam esse ait feminarum, hanc virorum. Ceterum exhortatio ista Nisi adumbratur ab illa Ulyssis, qui, ut ad Thracas pervenit, ita ad Diomedem,

Ἀλλ' ἄγε, δὴ πρόφερε κρατερὸν μένος. —— *Cerda.*

Nunc ipsa vocat res.] Id est, somnus & vinum. *Idem.*

Ipsa vocat res.] Occasio suadet. Scal. l. 4, 16. *Taubm.*

321. *Hac iter est.*] Per hostium cædem & audaciam nostram. *Servius.*

Tu, ne qua manus, &c.] Alia est apud Hom. divisio, apud quem Diomed. totus incumbit cædi, Ulysses prædæ equorum. Noluit Poëta ita sordide Euryalum occupari, sed destinatis Niso cædibus, Euryalo dat aggressus hostiles à tergo coërcendos. *Cerda.*

Attollere.] Adsurgere. *Servius.*

322. *Custodi.*] Sen. epist. 75. *In hostili regione versantibus huc, & illuc circumspiciendum est, & ad omnem strepitum circumagenda cervix.* Quod videtur Sen. sumpsisse ab Eurip. qui in Phœniss.

Ὦν ἄνακ' ὄμμα πανταχῆ διοστέον
Κἀκεῖσε δὲ τὸ δεῦρο, μὴ δόλος τις ᾖ.

Cerda.

Consule.] Provide. *Servius.*

323. *Hac ego vasta dabo.*] De quibus dixit, *Corpora fusa vident.* Idem.

Hæc ego vasta dabo.] Plerique veteres codices una cum Porcio legunt, *hæc ego vastabo.* Cæterum ea lectio, quæ vulgatior est, *vasta dabo* magis omnino pluribus satisfacit: quamvis in nonnullis, ea abrasa lectione, *vastabo* sit inde repositum. Servius hoc de corporibus, quæ fusa jacebant intelligi vult: sed nunquid potius de locis dictum existimemus, quæ occupata, clusaque erant à custodiis, eaque vastaturum pollicetur, ut, *Euryalum lato dein limite ducat.* Pier.

Et lato te limite ducam.] Est hoc, quod libr. 10. *ardens limitem agit ferro.* Et de Cassio Chærea Tacit. libr. 1. Ann. *Tum adolescens animi ferox inter obstantes, & armatos ferro viam patefecit.* & l. 2. de Rom. milite: *viamq; strage hostium aperiret.* Et de Constantino Auctor ἄδηλος Paneg. *Et, nisi viam tibi cædibus aperuisses, spem totius generis humani & vota deceperas.* Hunc limitem respondere Homericæ γεφύρῃ observavit Spondanus in 10. Iliad. explicans vocem περιστοιχεῖ, pene ad exitum libri illius. Plutarch. in vita Caton. Censorii ad rem eandem dixit, διαφωτίσας τὸν τόπον. Nam, qui viam facit cum aliorum strage, clarum reddit, & perspicuum locum, qui multo milite fuerat obscuratus. Id autem *vacuefaciendo*, ut loquitur Val. Max. lib. 4. c. 1. *Cerda.*

324. *Vocemque premit.*] Aut summissa voce loquitur, aut tacet. *Serv.*

Vocemque premit.] Comprimit, tacet. Phædr. lib. 1. Fab 11.

Qui (leo) *postquam cæde fessus est, asinum evocat*
Jubetque vocem premere.

Ovid. lib. 1. Metam. ℣s. 205.

qui postquam voce manuque
Murmura compreßit; tenuere silentia cuncti.
Substitit ut clamor pressus gravitate regentis. & ℣s. 715.
Supprimit extemplo vocem, &c.

Emmeness.

Superbum.] Cur *superbum* dixerit enarrat, qui forte tapetibus altis extructus; *Superbum* enim est & nobile, ut, *Tiburque superbum: Extructus* autem pro *extructis tapetibus altis*, veteres & mensæ, & toris tapetes aptabant. * S.

325. *Rham-*

Rhamnetem adgreditur: qui forte tapetibus altis
Extructus toto proflabat pectore somnum;
Rex idem, & regi Turno gratissimus augur:
Sed non augurio potuit depellere pestem.

Tris

325. *Rhamnetem.*] Observationem, cur has voces suo poëmati Maro inseruerit, lege apud Turn. lib. 22. Adv. cap. 15. & Passer. Eleg. 1. lib. 4. in Prop. & Serv. lib. 5. ad illud, *Tres equitum numero turmæ.* Cerda.

Tapetibus altis.] Dicitur, hoc *tapete* hujus *tapetis*, & hoc *tapetum*, hujus *tapeti*, ut supra jam ad lib. 7. ℣ſ. 277. monuit Servius, & utrumque reperias apud Virgilium. Apud Nonium Varro in Hercule Socratico: *In omnibus rebus bonis quotidianis: cubo in Sardianis tapetibus.* & Turpilius: *Glabrum tapete.* Immo & hic *tapes* in masculino usurpat Virgil. infra hoc lib. ℣ſ. 358.

—— relinquunt
Armaque, craterasque simul, pictosque tapetas.

Quod, quia apud nullum auctorem, quam nostrum, legit Charisius, minus probat: verum non tantum sic loquitur Virgilius, sed etiam Statius lib. 1. Theb. ℣ſ. 518.

Emunire thoros, altosque inferre tapetas.

Emmeneſſ.

326. *Extructus.*] Aut ipse suffultus: aut (quod potius) *extructus*, pro, extructis tapetibus, notissima hypallage Virgiliana. Et signate *extructus*, quo apparatum, & magnificentiam intelligas. Hor. Od. 3. lib. 2. *extructis in altum divitiis.* & Sat. 1. l. 1. *quid habet pulchri constructus acervus?* Cato apud Fest. *Gloria, atque honore, quomodo quisque sibi struxit.* Inde *struices* dicuntur rerum omnium apparatus & copiæ. Ex Virg. Stat. 2. Theb.

Fuderat Assyriis extructa tapetibus alto
Membra toro. —— Cerda.

Toto proflabat pectore somnum.] Periphrasis est, ne verbo humili stertentem diceret. *Servius.*

320. *Toto proflabat pectore somnum.*] Quod ait de Rhamnete, eum toto pectore somnum proflare, cum supra universe de Rutulis dixerit, *passim vino somnoque per herbam corpora fusa* jacuisse; haud dubie de quiete minime tacita, sed ronchos egregie trahente, stertenteque accipiendum est. Quem soporem Cælius Aurelianus medicus, elegantissime *sorbilem* nuncupavit: & Plautus in Milit. L. *Sorbet dormiens.* P. *Quid sorbet?* L. *Illud stertit volui dicere: sed quia consimile est quid stertas, quasi sorbeas.* Pontanus.

Toto proflabat pectore somnum.] Stat. 3. Theb.

—— effusi passim per tecta, per agros
Serta inter, vacuosque mero crateras anhelum
Proflabant sub luce Deum. ——

Et lib. 5. clarius ad Virg. Musam,

—— Helymum temeraria Gorge
Evinctum ramis, altaque in mole tapetum
Efflantem somno crescentia vina, superstans
Vulnera disjecta rimatur veste. ——

Quod vero hic *proflabat*, Soph. in Ajace, φυσῶντ᾽ ἄνω πρὸς ῥῖνας. *Cerda.*

327. *Rex idem, & regi augur.*] Ostendimus alibi & reges antiquitus sacerdotio fungi solere. Et postea urbe condita, tanta dignitas augurandi scientiæ accessit, ut reges in eorum collegium adscribi voluerint. Talem Poëta facit hic Rhamnetem & regem & augurem. *Hortenſ.*

328. *Sed non augurio potuit depellere pestem.*] *Augurio* hic pro scientia augurii, & ostendit per transitum fati necessitatem nulla peritia posse depelli. Est autem Homericus versus,

Ἀλλ᾽ οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν. *Servius.*

Sed non augurio, &c.] Similis sen-

 tentia

Tris juxta famulos temere inter tela jacentis,
Armigerumque Remi premit, aurigamque sub ipsis
Nactus equis; ferroque secat pendentia colla.
Tum caput ipsi aufert domino, truncumque reliquit
Sanguine singultantem: atro tepefacta cruore
Terra

tentia Orestis apud Soph. in Elect.

Καὶ μάντις ὢν ἄριστος, ἐσφάλλου πάλαι·

At cum Vates esses optimus, errasti jamdudum.

Apollon. quoque libr. 2. *ἀλλά μιν οὔτι μαντοσύναι ἐσάωσαν· sed neque illum vaticinia servarunt.* Et lib. 4. de Mopso vate, *οὐ φύγεν αἶσαν μαντοσύναις· non fugit fatum vaticiniis.* In hæc nos incidimus. Germanus adducit Xenophontem, qui ait, vates sæpe, cum aliis futura prævideant, sibi ipsis non præcavere. Non est alienus affectus ille Hom. 6. Iliad. de Axylo, qui cum benignus esset erga omnes, eosque humaniter exciperet largissimis opibus,

Ἀλλ' οἱ οὔτις τῶν γε τότ' ἤρκεσε λυγρὸν ὄλεθρον·

Tamen nemo ab illo depulit acerbum fatum.

Neque ille Statii 2. Theb. *heu nihil auguriis adjuta propinquis.* Cerda.

329. *Temere.*] Passim, fortuito, negligenter, vel humi, vel periculose, ut in consuetudine solemus dicere temerarios homines. *Temere*, significat & facile. Plautus, *Magnus est hic fluvius, non hac temere transiri potest:* Significat & subito. Ennius, *Quod tam temere itis citate catomecariis?* * Significat sine causa. Ennius, *Haud temere est quod tu tristi cum corde gubernas.* Servius.

Temere.] Ostendit hos ita vino fuisse oppressos, ut cecidisse potius, quam corpora ad quietem tradidisse, viderentur. *Donatus.*

330. *Armigerumque premit Rhemi.*] Romanus, Porcius, & plerique alii codices antiqui, legunt *armigerumque Remi premit.* Nam *Remus* primam corripit. Ovid. *Interea crescente Remo, crescente Quirino.* Scribitur præterea passim absque adspiratione. *Pierius.*

Armigerumque Remi.] Inter munia armigerorum, tum hoc imprimis, adesse domino suo excubanti. Cicer. *Quis est iste Lollius? armiger Catilinæ, stipator sui corporis, comes excubitorum.* Lucilius lib. 1. Itin.

Officiis regerem cum Regia tecta magister,

Armigerasque pii Principis excubias.

Cum vero dominus una cum auriga, cum armigero, cum famulis interficitur, repræsentatur cædes facta à Diomede lib. 6. Iliad. ubi Axylum interficit, cum quo una *θεράποντα Καλήσιον, famulum Calesium,* qui *ἵππων τότ' ἔσκεν ὑφηνίοχος, erat equorum auriga.*] Cerda.

Premit.] Opprimit, occidit. *Servius.*

Sub ipsis equis.] Circa ipsos equos. *Idem.*

331. *Secat.*] Quod non fit sine mora. Hoc veniebat ex securitate agentis & ignoratione patientis ex nimia ebrietate. *Donatus.*

Secat.] Hom. Iliad. 13. *κεφαλὴν δ' ἀπὸ δειρῆς κόψεν Ὀϊλιάδης. Cerda.*

Pendentia colla.] Quasi ebriorum: aut ita jacentium ut colla penderent. *Servius.*

333. *Singultantem.*] Cum singultu animam efflantem. *Idem.*

Singultantem.] Credo exprimi Homericum *ἀσθμαίνοντα, anhelantem.* ubi Diomedes lib. 10. Iliad. interficit Rhesum. Pulchre dixit Sid. epist. 2. lib. 2. de aqua *flexilis plumbi meatibus implicita singultat.* Cerda.

Atro.] Potest & superioribus adplicari, ut sit intellectus, *sanguine singultantem atro*; potest & sequentibus jungi, sed melius sequentibus. *Servius.*

334. Nec

Terra toriq; madent. nec non Lamyrumq; Lamumque,
Et juvenem Sarranum, illa qui plurima nocte
Luserat insignis facie, multoque jacebat
Membra deo victus: felix, si protenus illum
Æquasset nocti ludum, in lucemque tulisset.
Inpastus ceu plena leo per ovilia turbans
(Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle

334. *Nec non Lamyrumque Lanumque.*] In Romano codice & in Porcio *Lamyrum*, in aliquot aliis *Lemurum*, in Oblongo *Limyrum*. denique quot codices, tot nominis varietates. Omnes vero uno consensu incipiunt ab *L* litera. *Pierius.*

335. *Plurima nocte Luserat.*] Pro *plurimum luserat* dixit, vel per plurimam noctem. *Servius.*

Plurima.] Pro *plurimum* Grammatici; ego κατὰ subaudio. Sic Arist. in Plut. *οἰμώξει μακρά.* ubi Grammatici etiam, *μακρὰ*, id est, *λίαν*, *πάνυ*, idque Ἀττικῶς· sed falso; imo, κατὰ *μακρὰ lugebis multa.* Ibid. *δειλότατόν ἐστ' ὁ πλοῦτος· plutos res est timidissima.* ubi subaudi κατὰ. *Cerda.*

337. *Deo.*] Vel vino, vel somno. *Servius.*

Deo victus.] Ostendit hunc sola ebrietate oppressum esse. *Donatus.*

Deo victus.] Ambigue Servius, de vino explicat Donatus, Scaliger l. 4. c. 16. & alii; sed videtur potius accipiendum de somno, & præcipue quidem, cum felicem dicat fore, si vigilasset. Certe de somno jam olim accepit Lactantius Statii interpres ad lib. 2. Theb. ubi Statius plane Virgilii locum superiorem vs. 166. & 316. imitatus *somnum* similiter *deum* vocat:

Insomnem ludo certatim educere noctem
Suaserat: effusi passim per tecta, per agros
Serta inter, vacuosque mero crateras anhelum
Proflabant sub luce deum, &c. Emm.

Protenus.] Hic, porro tenus. *Serv.*

338. *In lucem.*] Usque ad lucem; ut Martial. *In lucem semper Acerra bibit,* Vide Alciat. 2. Parerg. c. 23. Hom. l. 16. Odyss. ἐς ἠῶ. *Cerda.*

339. *Inpastus,*] In hac Comparat. multus decor est, multus affectus, multus impetus. Leo enim præterquam quod *vorat*, etiam *trahit*. Sane quum iratus est, quod ore apprehendit, succutit, atque inter mandendum fremit, &c. Scal. lib. 5. cap. 3. *Taubm.*

Per ovilia turbans.] Perturbans ovilia: nam Tmesis est. *Servius.*

Per ovilia turbans.] Pro, *perturbans.* Vide Victor. l. 27. c. 16. Gifanius exponit, vagans, errans. *Taubm.*

340. *Vesana fames.*] Nam vere hæc in furias, & rabiem agit. Sic 2. Æneid. de lupis famelicis, *Exegit cæcos rabies.* Et Calab. lib. 8. dat fami *ἀναιδέα θυμόν·* nihil enim famelica rabie inverecundius. Pari verbo Joseph. cap. 7. lib. 7. Bell. Judaic. *ἀναίδειαν* ait τοῦ *λιμοῦ.* Cyrus apud Xenophont. lib. 6. dicit, neminem ita fortasse esse, ut possit *λιμῷ μαχόμενος στρατεύεσθαι, contra famem pugnando stare in acie.* Calaber libro quarto de fame ait, *αἰνὴ ἀνάγκη.* &, *λιμὸν ἀταρτηρόν.* Joannes Chrysostomus de hoc malo in Oratione Luciani Martyris, *ἁπάντων γὰρ θανάτων οὗτός ἐστι χαλεπώτατος.* Cujus rei postea reddit rationem hanc: *καθάπερ γὰρ δήμιός τις τοῖς σπλάγχνοις ἔνδον καθήμενος ἅπαντα καταξαίνει τὰ μέλη, πυρὸς παντὸς καὶ θηρίου σφοδρότερον κατεσθίων πάντοθεν τὸ σῶμα, διηνεκῆ τινὰ καὶ ἄρρητον παρέχων ὀδύνην.* Ab hac crudelitate, & tortione deinde eandem famem vocat *γαστρὸς τὴν τυραννίδα, ventris tyrannidem.* Qui multa de hoc

Molle pecus, mutumque metu: fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes. incensus & ipse
Perfurit, ac multam in medio sine nomine plebem
Fadumque Herbesumque subit Rhœtumque Abarimque

Igna-

hoc malo volet, adeat Joseph. lib. 7. Bell. Jud. c. 7. & 8. & locis aliis. Illud imprimis notabile de femina, quæ hostes contumeliis concitabat, ut se interficerent: putabat enim mortem esse malum levius fame. Hæc est ea femina, quæ postea filium suum interfecit, coxit, edit. *Cerda.*

341. *Mutumque metu.*] Scilicet pecus: nàm male quidam accipiunt *mutum fremit*, de leone. quod si dixeris, vacat *metu*. Servius.

Mutumque metu.] Eadem conjunctio amata Lucretio lib. 1.

Mutu metu terram genibus summissa petebat.

Et quidem Lucret. de metuente Iphigenia; nam metus loquelam adimit: sic ergo *pecus mutum* in summo metu. Cic. 2. Tusc. ait, pueros dolores ferre, neque erumpere in querelas *metu*. Et in Verr. *Metu, conscientiaque peccati mutum, atque exanimatum.* Sic 12. Æneid. *Stat pecus omne metu mutum.* Calab. lib. 3. inducit hinnulos τρεμέοντας φθόγγον ἐριβρύχμοιο λέοντος· *trementes ad vocem leonis graviter frementis.* Quo in tremore ἀφθόγγους capio. *Cerda.*

Fremit ore cruento.] Est hoc, quod Sil. lib. 2. de hac fera, *murmure anhelo infrendens.* Et lib. 4. Epig. βαρὺ βρύχημα λέοντος. Vox hæc propria leonis. Pollux lib. 5. λεόντων δὲ βρύχημα. Ammon. βρυχᾶται ὁ λέων Suidas, βρύχων τοὺς ὀδόντας ὁ λέων. Hinc est, ut *fremori*, quo passim utuntur Latini in rugitu leonis, respondere queat βρύχημα. *Idem.*

343. *Incensus & ipse Perfurit.*] Exemplo Nisi. *Servius.*

Perfurit.] Plus quam *furit*. Scal. l. 4, 16. *Taubm.*

Sine nomine plebem.] Bene expressit & bellatoris peritiam, & tyronis inconsideratam aviditatem. Nam Nisus reges interemit: Euryalus sævit in plebem. ut Salustius, *Ex insolentia avidus male faciendi. Sine nomine* autem dixit, sine gloria, quorum per humilitatem non sunt omnibus nota nomina, atqui adjecit *nomina*, nam ait *Fadum, Hebesumque subit*: Ergo aut sine dignitate & nobilitate, aut seorsum plebem dicit, & seorsum nobiles, quorum nomina inseruit. *Servius.*

Sine nomine plebem.] Demosthenes in Chersoneso, ἀνώνυμον καὶ ἄδοξον, quibus opponit ἐνδόξους καὶ γνωρίμους. Soph. in Elect. ἀγαθοὺς opponit νωνύμῳ. Nam νώνυμος idem qui ἀνώνυμος Græca decurtatione. Sil. lib. 8.

Cetera in obscuro famæ, & sine nomine vulgi.

Ennius in Alexandro, *Multi alii adventant, paupertas quorum obscurat nomina.* A quo fortasse Virg. in 5.

Multi præterea, quos fama obscura recondit.

Inde est, ut sæpe *nomen* pro gloria. Horat. Od. 9. lib. 3.

Multi Lydia nominis.

Liv. libro primo. *Magnas opes, magnumque nomen sibi fecerunt.* Gerda.

344. *Fadumque Hebesumque subit.*] In antiquis plerisque codicibus, *Heresum* legas. In nonnullis omnino perperam, utraque consonante inserta *Herbesum.* nempe ut lectori liceret, quam mallet expungere, sive *Hebesum*, sive *Heresum* agnosceret. *Pierius.*

Rhetumque Abarimque.] In codicibus nonnullis transpositis consonantibus, *Arabimque* legere est. In aliquot aliis *Abratimque*, in nonnullis *Rhæcumque Fabrumque*. Sed de nomine *Rhæcus* & *Rhætus*, alibi dictum. *Idem.*

345. Igna-

Ignaros; Rhœtum vigilantem, & cuncta videntem:
Sed magnum metuens se post cratera tegebat:
Pectore in adverso totum cui comminus ensem
Condidit adsurgenti, & multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam; & cum sanguine mixta
Vina refert moriens. hic furto fervidus instat.

Jam-

345. *Ignaros.*] Ad omnes pertinet, excepto Rhœto, qui solus sciens occisus est, & conspiciens universa. *Donat.*

Rhœtum vigilantem.] Hoc loco non tantum Rhœti timor, sed & Euryali audacia comprobatur. *Servius.*

Vigilantem.] Hic solo timore periit: qui nec clamare, nec ire contra ausus est. *Donatus.*

346. *Se post cratera tegebat.*]Quippe ebrius, & ita non scuto. Sicut 2. Georg. Centaurus ebrius pugnat *cratere*. Consule & Ovid. lib. 12. Metam. Virg. Homerum sapit, qui 6. Iliad. ὁ δέ μιν σκέπει χρύσεον φάσγανον. *Cerda.*

348. *Condidit.*] Notat Germ. dictum imitatione Hom. qui 16. & 20. Iliad. πᾶν δ' εἴσω ἔδυ ξίφος. Itaque ut Hom. *totum gladium*, Virg. *ensem condidit*. Sic in 2. *capulo tenus abdidit ensem.* Idem.

Condidit adsurgenti.] Impetus adsurgentis ictum juvit. Sicut aper saltu aut pondere venientem ictum adjuvat. *Taubmannus.*

Et multa morte recepit Purpuream.] Multi hoc distinguunt, ut sit sensus talis, Educit gladium multo cruore purpureum. Alii *multa morte recepit*, ut sit, Eduxit gladium cum multo cruore. & sic inferunt, *Purpuream vomit ille animam:* secundum eos, qui animam sanguinem dicunt. *Servius.*

Recepit.] Eduxit. ut, lib. 2. *Hastamque receptat Ossibus hærentem*, vel secundum Homerum, ἔλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή. Cornutus *nocte* legit, & adnotavit virum *nocte* pro *morte*; an cum multa nox esset? *Idem.*

349. *Purpuream.*] *Purpura* nigra est cum rubore. Sic sanguis propter copiam vini, nigrior in eo fuerat. *Donatus.*

Purpuream vomit ille animam.] Propter cruorem, & ejus colorem; nam & Homer. αἷμα vocat πορφύρεον, *sanguinem purpureum.* Quo respectum à Plin. loquente de purpura l. 9. c. 38. *Laus ei summa color sanguinis concreti, nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens, unde & Homero purpureus dicitur sanguis.* Aristot. lib. 1. de Anim. Critiam adducit, qui putabat animam hominis esse sanguinem. De versu porro illo vulgatissimo Hom.

Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα
κραταιή,

lege Ælian. libr. 16. Var. Hist. cap. 1. atque etiam Eustathium in Homerum ipsum. Quos duos tametsi ad explicandum Virgilium traducant aliqui, assentire his nequeo. Apage enim, ut de occisione purpuræ sermo sit in Virgilio, fortasse neque in Homero. Itaque Virg. tantum dicit; *vomit animam purpuream.* id est, purpurantis coloris sanguinem, in quo posita vita. Lege, si placet, locum Theocriti apud Athen. lib. 12. super versu illo Hom. *Cerda.*

Cum sanguine mixta Vina refert.] Ovid. 12. Metamorph.

Sanguinis ille globos pariter, cerebrumque, merumque
Vulnere & ore vomens. ——

Stat. 5. Theb.

—— *jugulisque modo torrentis apertis*
Sanguine commisto redeuntem in pocula Bacchum. Idem.

350. *Vina refert.*] Proprie, quæ paulo ante potaverat. *Refert* autem, rejicit; Græci, ut ille, dicunt ἀναφέρει, hoc est, qui in tantum potando vigilare-

Jamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum, & religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus,
(Sensit enim nimia cæde atque cupidine ferri)
Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.
Pœnarum exhaustum satis est: via facta per hostes.
Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armaque craterasque simul, pulchrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis

Cingula,

gilaverat, ut metuens post magnum cratera se tegeret. *Servius.*

Hic furto fervidus instat.] In Oblongo codice *huic* invenias scriptum. *Pier.*

Hic furto fervidus instat.] Scilicet Euryalus, qui furebat latenter: ut sit *furto*, nocturno prælio. Nam *fures* ideo dicti sunt, quod furvo, id est, nigro tempore furta committunt: aut re vera *furto fervidus:* quia Messapi galeam sustulit, & Rhamnetis phaleras. *Serv.*

Hic furto fervidus instat.] Hic tanto magis perficiendis cædibus operam dabat, quanto videbat occasionem multiplicem suffragari. *Furto*, quia sæviebat latenter nocturno prælio: furtivas cædes persequitur. *Donatus.*

Furto.] Curtius l. 4. etiam *furtum* adhibet nocturno bello, his verbis: *Parmenio peritissimus inter duces artium belli, furto, non prælio opus esse censebat, intempesta nocte opprimi posse hostes.* Idem scribit Plutar. in vita Alexandri. Regem enim Parmenio hortabatur, ἐπιχειρῆσαι νύκτωρ τοῖς πολεμίοις, καὶ τῷ σκότῳ τὸ φοβερώτατον συγκαλύψαι τοῦ μέλλοντος ἀγῶνος· *hostes noctu aggrederetur, tenebrisque contegeret summum instantis belli terrorem.* Cerda.

351. *Ubi ignem Deficere.*] In codicibus aliquot antiquis *ibi ignem*, ut sit redditio caussæ, cur ad Messapi socios tenderet. *Pierius.*

353. *Deficere extremum.*] Utrum ignem extremum; an deficere extremum? *Servius.*

Religatos.] Non resolutos, sed diligenter ligatos. Unde addidit *Re*, id est, ex militari consuetudine optime ligatos. *Idem.*

Rite.] Ex more. *Idem.*

354. *Sensit enim.*] Parenthesis. *Id.*

Nimia cade.] Id est, illum.* *Idem.*

Ferri.] Φέρεσθαι. *Idem.*

355. *Absistamus, ait: nam lux, &c.*] Hom. 10. Iliad.

Ἀλλ' ἴομεν, μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἐγγύθι δ' ἠώς·

Sed eamus, jam enim nox elanguet, & aurora appetit.

Adducit & Ursinus illud Georgiæ. ἀλλά γε τὸ φῶς πολεμεῖ τοῖς τοιούτοις· *sed lux pugnat pro istis.* Cerda.

Lux inimica.] Proditrix. *Servius.*

356. *Pœnarum exhaustum satis est.*] Bene *exhaustum*, ut ostendat eos avidos cædis fuisse, & cruoris hostilis. *Idem.*

Via facta per hostes.] Ut, *Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam.* Idem.

357. *Multa virum solido argento.*] Mira arte, tempus expressit, quo necesse erat hæc omittere. *Idem.*

358. *Pulchrosque tapetas.*] Secundum Græcos per masculinum genus. *Serv.*

359. *Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis Cingula.*] Phaleræ ornamenta equorum sunt: & est sermo Græcus τὰ φάλαρ' εὐποίητα. *Cingulum* autem hominum, generis neutri est. Nam animalium, fœminino genere dicimus *has cingulas.* Idem.

Phaleras.] Non desunt, qui phaleras ab equis traducant ad equites, dicant-

que,

que, eas fuisse ornamentum non modo equorum, sed etiam equitum. Verum solum fuere equorum. Lux clara à Virgil. 5. Æneid. *equum phaleris insignem.* Juven. Sat. 11. *ut phaleris gauderet equus.* Sertorii equum Plutar. inducit φαλάρων ἀνάπλεον πολυτελῶν. Appian. in Libyc. ἵππον χρυσοφάλαρον. Itaque *phaleræ tantum sunt equorum.* Cum legis frequenter in Scriptoribus, phaleras datas equitibus, intellige ad usum equorum. Et magnum profecto argumentum, quod facta mentione phalerarum, fiat quoque signate mentio equitum. Cum Liv. scripsit lib. 9. decretum in Comitiis, *ut plerique nobilium aureos annulos, & phaleras deponerent*, significat (me interprete) ut equites detraherent, & ab manibus annulos, & ab equis phaleras. Vis probem? Audi Val. Max. cap. 3. lib. 9. *offensi annulos aureos sibimet ipsis, & phaleras equis suis detractas abjecerunt.* Loquitur videlicet de re eadem. de qua Liv. Inde & Plin. signatissime lib. 33. cap. 1. *Sed & phaleræ positæ, propter quas nomen equitum adjectum est: annulos quoque depositos à nobilitate.* Verba illa Sueton. August. cap. 25. *Dona militaria aliquanto faciliùs, phaleras, & torques, quicquid auro, argentoque constaret, quam vallares & murales coronas, quæ honore praecellerent, dabat*, capio etiam de phaleris equorum, nam *torques* quidem equitum erant. Sic Calpurn. apud Liv. lib. 32. donat equites suos phaleris. Objicies forsan, mittit Cædicus Tyburti has phaleras in donum. Sed cur non mitti possint Tyburti ad usum equi? sicuti in 8.

Ille mihi insignem pharetram, Lyciasque sagittas
Discedens, chlamydemque auro dedit intertextam,
Frænaque bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.

Cujus rei est etiam exemplum in Xenoph. lib. 4. ἑλλ. ὁ δὲ δεξάμενος, φάλαρα ἔχοντα περὶ τῷ ἵππῳ Γ' ἀδῶ τὰ γραφέως παγκαλα, περιελὼν ἀντίδωκεν αὐτῷ. Rem enim eandem Plutar. narrat in vita Agesilai; & ait, phaleras ab equo detractas donatas juveni. Esse præterea quæpiam in auctoribus, quæ difficile traducantur ad equos, ut phaleræ illæ vigintiquinque, quas Siccius Dentatus retulit ab hostibus, auctore Valer. lib. 3. c. 2. In cujus etiam donis Dionys. adhibet lib. 10. στρεπτὰς, καὶ φάλαρα, illos collo, has pectori, ut quivis suspicetur. Cum quo alludit Juvenal. Sat. ult. & ψι. ultimo,

Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

Sed Juvenalem quidem de phaleris equorum capiunt non mali interpretes Britannicus, & Autumnus. Deinde vir doctus Carol. Paschal. lib. 10. de Coron. c. 19. phaleras constituit inter ornamenta capitis, & militares cristas, aitque esse, τὰς περιμετωπιδίους ἀσπιδίσκους· *scutula circa frontem.* Suidas hoc scutulum, aut clavum galeæ φάλον vocat, & origo vocis ἀπὸ τ φάλων· sic enim dicuntur coni galearum. Ergo quid vetat de his insignibus capi posse auctores aliquos? Nihil video, quod pugnet. Hoc vero contra me non est, qui tantum conor contra illum, qui in lib. de Mil. Rom. scripsit, *phaleras pependisse demissas ad pectus.* Itaque pectora hominum phalerata fuisse pernego. Nec est, quod mihi Silium objicias, qui lib. 15.

—— phaleris hic pectora fulget,
Hic torque aurato circumdat bellica colla.

Nam huic nihil credo. Neque enim est princeps classicus in Latio. Cum enim vidisset in Scriptoribus datas phaleras militibus & torques, putavit illico κατ' ἀλήθειαν illas gestandas esse ab hominibus in pectore. *Cerda.*

Aurea bullis Cingula.] Hæc cingula equorum quoque sunt, ut & phaleræ. Nec facile cedam, si quisquam alio detorqueat, & putet hæc cingula fuisse ad usum Rhamnetis, non equi, præeunte mihi ad hanc rem Apulejo lib. de Deo Socratis, ubi ait: *Neque enim in emendis equis phaleras consideramus, & balthei polimina inspicimus, & ornatissimæ cervicis divitias contemplamur: si ex argento, &*

Cingula, Tiburti Remulo ditiſſimus olim
Quæ mittit dona, hoſpitio cum jungeret abſens,
Cædicus: ille ſuo moriens dat habere nepoti.
Poſt mortem bello Rutuli pugnamque potiti.

Hæc

to, & auro & gemmis monilia variæ gazæ dependent: ſi plena artis ornamenta capiti & collo circumjacent: ſi frana calata, ephippia fucata, cingula bullis aurata ſint, &c. Hic locus, ut contuenti apparebit, factus eſt ex locis Virgilii nonnullis; nam & poſtea ſubjicit locum 3. Georg. *Argutumque caput, &c.* & illud de *dependentibus monilibus* ſumptum eſt ab lib. 7. Æneid. In cingulo itaque non potuit ad alium locum alludere, niſi ad illum, in quo ſum. Non ad illum lib. 1.

Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ;

neque ad illum lib. 12. *notis fulſerunt cingula bullis Pallantis pueri.* Nam in utroque ſermo eſt de cingulis militaribus virorum; baltheos etiam vocant. In hoc uno de cingulis equorum; & nullibi alias hæc vox in Virg. eſt. *Idem.*

Bullis.] Attingit hac vocula ornatum cingulorum, de quo alibi loquor. Itaque non aurea cingula, ſed tantum bullæ; ut, *purpurei criſtis juvenes.* Sunt bullæ, claviculi. *Idem.*

360. *Tiburti Remulo ditiſſimus olim Quæ mittit dona.*] Conſuetudo erat apud majores, ut inter ſe hominis hoſpitii jura mutuis muneribus copularent, vel in præſenti, vel per internuntios. Senſus ergo nunc talis eſt, Cædicus quidam Tyburti Remulo, cum eum ſibi abſens hoſpitio vellet adjungere, miſit phaleras & cingula bullis aureis, hoc eſt clavis inſignita. Remulus moriens nepoti ſuo cognomini hæc reliquit, qui poſtea victus à Rutulis eſt, & occiſus: poſt cujus mortem apud Rhamnetem Rutulum, ab Euryalo hæc reperta ſunt munera. Quod autem dixit *Tyburti Remulo*, aut Tyburtino intelligimus, hoc eſt de Tybure, ut ſit dativus ab appellativo veniens hic Tyburs. aut *TyburtI*, hoc eſt filio TyburtI, ab eo quod eſt hic Tyburtius hujus Tyburtii, ut ſit *TyburtI Remulo*, ſicut Deiphobo Glauci. *Servius.*

361. *Cum jungeret abſens.*] Aut cum ſe illi jungeret, aut cum jungeretur. *Idem.*

362. *Suo moriens dat habere nepoti.*] Nepoti Remulo, quem ſupra avo cognominem diximus. Nam quotiens aperte non ponitur nomen filii vel nepotis, cognominem eum eſſe intelligimus avo vel patri, quorum nomen aperte poſitum invenimus: & econtra ſi filii vel nepotis poſitum nomen fuerit, prætermiſſum autem parentum, cognomines eos eſſe intelligamus, neceſſe eſt. *Idem.*

Dat habere.] Græca forma, ut, ἔδωκεν ἔχειν. Ita Hom. 17. Iliad. δῶκε φέρειν. & 6. δῶσιν τῷ θεράποντι καταξέμεν. & 7. δῶκε φορῆναι. Stat. 1. Thebaid. *reddit habere.* Totus vero hic locus texitur ad imitationem Hom. 10. Il. ubi galea, quæ Ulyſſi imponitur abeunti Trojam ad explorationem, narratur fuiſſe Amyntoris, deinde Autolyci, mox Aphidamantis, poſtea Moli, ab hoc perveniſſe ad Merionem, demum ad Ulyſſem. Eſt etiam locus ſimillimus Theocriti in Europa, ubi aureus calathus permutat poſſeſſores plures. Nam illum Vulcanus dat Libyæ, Libya Telephaëſſæ, Telephaëſſa Europæ. *Cerda.*

363. *Poſt mortem.*] Scilicet Remuli, ſecundum ſupra dictum ſenſum. Nam Donatus dicit, poſt mortem Niſi & Euryali, bello potiti ſunt Rutuli: quod non procedit, ſi diligenter advertas. Sane ſciendum hunc locum unum de XIII. Virgilii, ſive per naturam obſcuris, ſive inſolubilibus, ſive emendandis, ſive ſic relicti ſunt, ut à nobis per hiſtoriæ antiquæ

Hæc rapit, atque humeris nequicquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
Induit. excedunt castris, & tuta capessunt.
Interea præmissi equites ex urbe Latina,
Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, & Turno regi responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
Jamque propinquabant castris, murosque subibant.

Cum

tiquæ ignorantiam liquide non intelligantur. *Servius.*

Bello Rutuli pugnaque potiti.] In Romano codice, *prædaque potiti* legitur. in aliis quibusdam manu scriptis *pugna*. Pierius.

*364. *Nequicquam.*] Non fruiturus: & est, *nequicquam aptat*: non, *nequicquam fortibus.* Servius.

Nequicquam.] Quia omnia in morte perditurus erat. *Donatus.*

365. *Galeam Messapi.*] Non occisi Messapi abstulit galeam, (nam dimicaturus est paulo post) sed invenit jacentem, & sustulit. *Servius.*

Habilem.] Aptam & convenientem. Scal. l. 4. 16. *Taubm.*

Cristisque decoram.] Bene præmittit dicens *decoram.* nam ejus splendore prodente, Euryalus capitur. Denique Nisus hac ratione non proditur, cui habenti inferiorem galeam, habiliorem galeam Alethes permutavit. *Servius.*

366. *Excedunt castris.*] Rutulorum scilicet. nam supra dixit, *Castra inimica petunt.* Idem.

367. *Præmissi equites.*] Hos neque alio loco à Turno missos usquam dixit, nec prius de eis mentionem fecit: dubitatur ergo à quo sint, vel quibus præmissi, vel cur præmissi, cum eos constat, aliis jam in campo positis advenire. *Idem.*

Ex urbe Latina.] Non est contrarium illi loco, ubi ait, *Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas*: quo modo à Latina urbe auxilia venire commemorat. Intelligimus enim Latinum in principio discordiæ, & tumultus paulum se abstinuisse: postea tamen nec suorum copias, nec propria denegasse consilia; nam eum & cœtui, & fœderibus interfuisse dicturus est. *Idem.*

368. *Legio campis instructa moratur.*] Proprie. nam *legiones* peditum sunt: *turmæ* vero equitum. *Idem.*

369. *Turno regi.*] In omnibus bonis, *regis*, dicitur inventum, nam quasi absurdum est, duobus positis, Turnum potius quam Latinum responsa dare. *Id.*

370. *Tercentum.*] Quia Romani equites primo trecenti fuerunt. De singulis enim curiis deni dabantur, quas triginta fuisse diximus. An *Tercentum.* ut *ἐννέα πόδ᾽ ἔσαν?* *Idem.*

Tercentum.] More Rom. Tot enim primo fuere: cum de singulis Curiis, quarum xxx. erant, deni darentur. Et recte *scutatos* vocat: nam *scuta* Equitum, & in longum producta erant; ut peditum *Clypei*, qui rotundi. Vide Not. Æn. 2. vs. 227. *Taubm.*

Scutati omnes.] Armati, à parte totum. Non clypeati. nam clypei, peditum sunt: scuta equitum. *Servius.*

Volscente magistro.] Proprie. nam magister equitum dicitur more Romano, quod dictatori adjungi solet. *Idem.*

Volscente magistro.] In Romano codice, in Mediceo, in Porcio, & in aliquot aliis, *Volcente* legere est: & ita passim *Volcens* absque *s* inter *l* & *c*. *Pierius.*

371. *Muros subibant.*] Muros Trojanorum. Et est locutio de Cicerone, *Poteris ne ejus orationem subire.* Servius.

Cum procul hos lævo flectentis limite cernunt:
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit inmemorem, radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volscens:
State, viri. quæ caussa viæ? quive estis in armis?
Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra:
Sed celerare fugam in silvas, & fidere nocti.
Objiciunt equites sese ad divortia nota

Hinc

Muroque subibant.] Vetera aliquot exemplaria *muros* habent. *Pierius.*

372. *Lævo limite.*] Respiciens situm regionis locutus est. *Servius.*

373. *Sublustri noctis in umbra.*] *Sublustris nox* est habens aliquid lucis. Horatius, *Nocte sublustri nihil astra præter vidit & undas.* Idem.

Sublustri noctis in umbra.] Umbra noctis, quæ sereno cælo habet aliquid luminis. *Donatus.*

Sublustri noctis in umbra.] Videtur indicare *νύκτα ἀμφιλύκην, τὸ μὴ καθαρὸν φῶς, ἀλλ' ἔτι σκοτῶδες.* Hom. Il. κ. *ἦμος δ' ὅτ' ἄρ πω ἠὼς ἔτι δ' ἀμφιλύκη νύξ· λύγη γὰρ σκοτία.* Dicitur item *λυκόφως,* & *λυγόφως.* Livius lib. 5. *Nocte sublustri cum primo inermem, qui tentaret viam, præmisisset, &c.* Quam lucem eleganter Apollonius lib. 2. descripsit: *ἦμος δ' οὔτ' ἄρ πω φάος ἄμβροτον, οὔτ' ἔτι λίην ὀρφναίη πέλεται, λεπτὸν δ' ἐπιδέδρομε νυκτὶ φέγγος, ὅ τ' ἀμφιλύκην μιν ἀνεγρόμενοι καλέουσι.* & Aratus *ἀμφιλύκης* meminit, *ἢ ἔτι πάντων ἄλλων οἵ τ' ὠκεανοῦ ἀρύονται ἀστέρες ἀμφιλύκης, οἵ τε πρώτης ἔτι νυκτός.* *Germanus.*

374. *Immemorem.*] Amentem. *Inflammus tamen immemores*, vel incuriosum, vel incautum. *Servius.*

Radiis.] *Lunaribus* intelligendum. *Idem.*

375. *Haud temere.*] Particula hæc modo non sine caussa significat: alias fortuito, alias male, alias improvide, alias passim. ut, *Temere inter tela jacentes*; alias facile. Plautus, *Rapidus fluvius est hic, non hac temere transiri potest,* quæ pro loco accipiuntur & intelleguntur: adverbio qualitatis sane relatum est hoc loco. *Idem.*

Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volscens.] In codicibus nonnullis *haud temere visum* absque *est.* Sosipater, ubi *temere* pro *negligenter* positum ait, versum ita citat, *Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volcens.* nomine *Volcens*, uti superius adnotatum est, absque *s* in medio scripto. *Pier.*

376. *State viri, &c.*] Mira brevitate omnia interrogat. *Donatus.*

State viri, quæ causa viæ? &c.] Æmulatur Stat. 2. Theb.

Ac prior; unde viri? quidve occultatis in armis?

Et lib. 10. *Exclamat; prohibete gradum quicunque.* Tale & illud Liv. lib. 23. ubi præfectus Romanæ classis ad fugientes quosdam: *Cum quæreret, qui, & unde, & quo tenderent cursum?* Quod hîc *state* Diomedes ad Dolonem, *μίμνε, mane.* Et Aristoph. Plut.

Ποῖ, ποῖ; τί φθέγγῃ; οὐ μενεῖτον;

Cerda.

377. *Nihil illi tendere contra.*] Hoc est, nihil contra responderunt. nam *tendo* contra sermonem tuum, est respondeo tibi. tendo contra iter tuum, est occurro tibi. ergo *nihil contra tendebant*, id est, nihil respondebant è contra. *Servius.*

378. *Fidere nocti.*] Quod Ovid. 13. Metamorph. *& se committere nocti.* A quo accepit Prop. Eleg. 16. lib. 3. *Committam mene tenebris?* Cerda.

379. *Ad divortia.*] Viæ in diversa ten-

Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant.
Silva fuit, late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densi conplerant undique sentes:
Rara per occultos lucebat semita callis.

Eurya-

tendentes; hoc est, ad diverticula viæ militaris. Terentius, *Ubi ad ipsum venit diverticulum.* Diverticula autem sunt semitæ transversæ, quæ sunt à latere viæ militaris. *Servius.*

Ad divortia.] In Sidon. est quidpiam huic simile epist. 9. lib. 2. licet in re læta: *Jam primum sagacissimis in hoc exploratoribus destinatis, qui reditus nostri iter aucuparentur: domus utraque non solum tramites aggerum publicorum, verum etiam calles compendiis tortuosos, atque pastoria diverticula insedit, ne quo casu dispositis officiorum insidiis elaberemur.* In Curt. est lib. 3. *Armati quoque, qui eos persequebantur, nota diverticula petere cœperunt.* Nam Virgilii *divortia*, diverticula sunt. Liv. lib. 44. dixit: *Prope divortium itinerum castra posituri erant.* Græci ἐκτροπὰς dicunt. Qua voce Latinis characteribus usus Varro apud Nonium in *Spissum.* ubi enim multi legunt *exstrophas*, legendum, *ectropas.* Nonius *divortium* explicat *separationem.* Favet illi Cic. qui synonymicῶs *dissidium*, cum ait in Cluentiana; *Sæpe fieri divortia, atque affinitatum dissidia videmus.* Ibi, *Ecce autem subitum divortium, discedit à Melino Cluentia.* Inde ad matrimonia, ut in adductis Tullii. Sunt qui putent, peti vocem ab aquis, quæ ab uno loco derivantur, divertuntque in varia. Favent loca Livii, & Ammiani. Prior lib. 38. *Ad divortia aquarum castra posuisse.* Posterior lib. 15. *divortia riparum adradens.* Sed Virg. sermo sumptus est, ut puto, à venatoribus, quod liquidum tam ex Sidonii verbis adductis, quam ex istis Nazianz. Orat. 20. νέων προκαταλαμβανόντων τὰς διεξόδους τῆς θήρας· *Juvenes viarum exitus venaturi præoccupant.* Cerda.

380. *Aditum coronant.*] Melior lectio *abitum*, quam *aditum.* Cingunt enim silvam ne abeant, non ne adire possint. *Servius.*

Abitum coronant.] In Romano codice, in Oblongo, & in Mediceo *aditum* legitur, quamvis meliorem lectionem *abitum* Servius esse dicit, ut in Porcio, & plerisque aliis. *Pierius.*

Aditum coronant.] Legendum fortasse *abitum.* Nam infra;

Nisus abit, jamque imprudens evaserat
hostes.

Sententiam ita extulit Josephus lib. 7. Bell. c. 26. ubi sermo est etiam de silva cincta equitatu, πρῶτον μὲν τοῖς ἱππεῦσιν ἅπαν κυκλοῦται τὸ χωρίον. Et Stat. 2. Theb. *densaque nemus statione coronant.* Cerda.

381. *Silva fuit, &c.*] Brevis descriptio, & qua ea sola continentur, quæ errorem Euryalo facere possint. Huc separati sunt quos discerni non oportuit. *Donatus.*

Dumis, atque ilice nigra.] Talem locum Hesiod. exhibet in Theb. ἐν ὄρει πυκασμένῳ ὕλῃσι· *in monte denso silvoso.* Nost. 4. Georg.

Et caligantem nigra formidine lucum.

Et in 6. *densa ferarum tecta.* Ovid. Fast.

Est nemus, & piceis, & frondibus ilicis
atrum.

In 5. Fast. *nemus arboribus densum.* Stat. 6. Theb. sylvam vocat opulentam *larga umbra.* Lucan. lib. 3. ubi de luco antiquissimo,

Obscurum cingens connexis aëra ramis.

Cerda.

383. *Rara per occultos ducebat semita callis.*] Legitur & *lucebat.* quod si est, *Rara* pro raro accipiendum, ut sit, Raro lucebat, herbis scilicet in aliquibus locis intervenientibus. Si *ducebat*, intelligimus inter calles pecorum raram fuisse semitam, hoc est, hominum viam, & non

Euryalum tenebræ ramorum onerosaque præda
Inpediunt, fallique timor regione viarum.
Nisus abit: jamque inprudens evaserat hostis,
Atque lacus; qui post Albæ de nomine dicti
Albani: tum rex stabula alta Latinus habebat.
Ut stetit, & frustra absentem respexit amicum:
Euryale, infelix qua te regione reliqui?

Quave

& non ostendit quo ducebat, sed intelligamus euntes. *Servius.*

Rara per occultos, &c.] Sunt hæ semitæ, & occulti calles, quos Sallust. Jugurth. vocat *tramites occultos.* & statim de locis, ubi hi tramites, *ea consita arbustis, pecore, atque cultoribus frequentabantur.* Sidon. etiam dixit epist. 9. lib. 2. *calles compendiis tortuosos, atque pastoria diverticula.* Explico Virgilium per Sallustium, & Sidonium; nam Serv. accipit *raram semitam inter calles pecorum.* Hæsit, credo, etymo, nam callis à pecorum callo. Sic in 4. *Calle angusto*, de via trita formicarum gressibus. Utrobique Poëta intelligit *τρίβους, καὶ τετριμμένους τόπους·* sic enim Græci vocant factos *ὑπὸ τῶν ὁδοιπορούντων, à viatoribus.* Cerda.

384. *Euryalum impediunt.*] *Impedio te* dicimus per accusativum, & casus mutari non potest, nisi deseras verbum; ut dicas *impedimento mihi est.* Sciendum sane multas inferri in Euryalum excusationes. *Servius.*

385. *Regione viarum.*] *Regionem* hic rectum iter dixit, ab eo, quod regat tramitem. *Idem.*

386. *Nisus abit.*] Bene meminit velocitatis, quam ei in quinto dedit: ut, *Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus Emicat.* Idem.

Inprudens.] Scilicet remanentis Euryali, aut *imprudens* suasisse; alii *imprudens*, valde prudens accipiunt *Idem.*

387. *Atque lacus, qui post Albæ, &c.*] Omnino sic legendum, non *locos.* Juvenal. Sat. 4.

Utque lacus suberant, ubi quanquam diruta servat
Ignem Trojanum, & Vestam colit Alba minorem.

Propert. Eleg. 22. lib. 3.

Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda.

Strabo lib. 1. loquens de monte Albano, ἔχει δὲ καὶ τοῦτο λίμνην, *habet hic mons adjacentem lacum.* Sed quidem de lacu Albano mentio multa in Livio, Plinio, Valerio, Plutarcho in vita Camilli, aliis, qui loquuntur de victoria parta adversus Vejentes. Inde fortasse Martialis Epig. 1. lib. 7. per *Thetin* lacum hunc intelligit, cum ait:

Hoc tibi, Palladiæ seu collibus uteris Albæ,
Cæsar, & hinc Triviam prospicis, inde Thetin.

Porro de duplice Alba Italiæ (nam vere duplex fuit, non una, ut male volunt aliqui) vide Strabonem, & reliquos Geographos. Plinius discriminat vocans *Albam Albanorum*, &, *Albam Albensium.* Cerda.

Lacus.] Ita omnino legendum docet Erythræus & alii. Nam Alba inter montem excelsum & Lacum magnum exstructa est. Vide Dionys. Alii leg. *locos.* Taubm.

Albæ de nomine.] Vel porcæ, vel civitatis, vel regis Albani, cui successit Procas. *Servius.*

Qui post Albæ de nomine dicti Albani.] Albæ Regi successisse Procam, ait Servius. Sed Livius eum Aventino successisse dicit. *Pierius.*

390. *Infelix qua te regione reliqui?*] Se infœlicem dixit, qui dolet: non illum, propter quem dolet. *Servius.*

Euryale, infelix.] Duplex est lectio: vel

Quave ſequar? rurſus perplexum iter omne revolvens
Fallacis ſilvæ, ſimul & veſtigia retro
Obſervata legit, dumiſque ſilentibus errat:
Audit equos, audit ſtrepitus & ſigna ſequentum.
Nec longum in medio tempus; cum clamor ad auris
Pervenit, ac videt Euryalum: quem jam manus omnis
Fraude loci & noctis, ſubito turbante tumultu,
Oppreſſum rapit, & conantem plurima fruſtra.
Quid faciat? qua vi juvenem, quibus audeat armis
Eripere? an ſeſe medios moriturus in enſes
Inferat,

vel infelix Euryale, vel, Euryale, ego infelix qua regione reliqui te? Sed magis ad ſe refert, cui labores & pericula jam peracta, repetenda ſint. *Donatus.*

391. *Quave ſequar?*] Suaves ſunt Grammatici, qui hæc vocant adverbia. Tu ſemper ſubſtantivum ſubaudi, ut hoc loco, *quave regione ſequar?* Sic, *hac*, *illac*, *iſtac*, ſubaudi via. *Cerda.*

Iter omne revolvens.] Urbanus hucuſque verba Niſi vult eſſe: alii, poetæ dant, *Rurſus perplexum iter omne revolvens.* Servius.

392. *Fallacis ſilvæ.*] Ut Niſus uſquequaque ſequar, dixiſſe videatur. *Idem.*

Veſtigia retro Obſervata.] Par hiſtoria 2. Æneid. ubi Æneas, *& veſtigia retro obſervata ſequor per noctem.* Contra Catull. *inobſervabilis error.* Eſt vero hoc, quod alibi, *veſtigia torſit.* Nonnus lib. 40. ita, ἴχνος ἐκάμψε. *Cerda.*

393. *Obſervata.*] Id eſt, obſervans. *Servius.*

Silentibus.] Pro ipſe ſilens, aut ſilentibus, *cum tacet omnis ager.* Idem.

394. *Signa ſequentum.*] Militarem ſonum dicit, qui varius eſt. nam interdum canit, ut inſequantur eos, qui fugiunt: interdum receptui. *Idem.*

395. *Nec longum in medio tempus.*] Inter auditum ſonum, & viſum Euryalum, & eſt eclipſis. *Idem.*

Nec longum in medio tempus.] Omnino hæc phraſis Græca eſt, & ab Euripide in Heracl. uſurpata: χ᾽ ὡων μέσῳ πολὺς χρόνος, ἐν ᾧ διεργασθῇ τ᾽ ἄν & in Ione: ὁ δ᾽ ἐν μέσῳ χρόνος πολὺς δὴ τοῖσδε ὑπομνήμασι· & Æſch. in Suppl. μῆκος δ᾽ οὐδὲν ἐν μέσῳ χρόνῳ *Germanus.*

397. *Fraude loci & noctis.*] *Fraude loci*, difficultate loci; *noctis*, pro tenebris, & obſcuritate fraudem appellat. Quidam, *noctis ſubito turbante tumultum* legunt, ut ſit *noctis tumultus*, nocturno tumultu explorantium dicit. * *Servius.*

Fraude loci.] Eſt Euryali capti defenſio ne per inertiam videatur factus eſſe captivus. *Donatus.*

398. *Oppreſſum rapit.*] Hoc eſt, Quem jam manus omnis rapit, nam male quidam *Videt, rapit* accipiunt. quod ſi admiſeris, vacat *Quem jam manus omnis.* Servius.

Conantem.] Quaſi nihil proficientem, ideo *fruſtra*: nam hoc eſt conari. Cicero in Oratore quaſi opponens: *Nos conamur, Demoſthenes perficit.* Dædalus 6. Æneid.

Bis conatus erat caſus effingere in auro.
Sed nihil tandem, ideo, *Bis patriæ cecidere manus.* Itaque *conari* dicit irritum ſtudium. *Cerda.*

399. *Quid faciat.*] Mire adfectum ſuum poëta interpoſuit. *Servius.*

400. *In hoſtes.*] Quidam *In enſes* legunt, & melius hoc putant, quam *in hoſtes.* Idem.

Inferat, & pulchram properet per volnera mortem?
Ocius adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, & sic voce precatur:
Tu, dea, tu præsens nostro succurre labori,

Astro-

401. *Pulchram properet per volnera mortem.*] Aut deest *adire*, aut deest *ad*, ut sit ad mortem properet, aut certe antique *properet mortem*, ut, Plautus, *Properate prandium.* Ennius, *Festinant festinant diem.* Serv.

Pulchram properet per voln. mortem.] Ex Pind. Pyth. Ode ζ. *μὴ φίλα ψυχὰ βίον ἀθάνατον σπεῦδε.* *Germ.*

Properet mortem.] Ita Plautus, *properare obsonia.* V. N. Aulularia act 2,3. *T.*

Properet mortem.] Similiter active Horat. lib. 3. Carm. Od. 24. in fine:

Indignoque pecuniam
Heredi properet, &c.

Sic infra *propinquare* lib. 10.

—— *tu rite propinques*
Augurium. & Sil. Ital. lib. 2.
—— *ipsa propinqua*
Effectus. —— & eod. lib. *mortem licet arma propinquent.* Emmeness.

Pulchram mortem.] Gloriosum enim est pro amico deficere. Et *Pulchram* ex persona poetæ dictum, vel certe *pulchram* ad eum, qui hoc putat. *Servius.*

402. *Ocius.*] Pro ociter. *Idem.*

Ocius adducto torquens, &c.] Cito reduxit cum hastili dexteram: cito ideo, ne locum mutarent, qui Euryalum tenebant. Reductio autem manus ideo fit, ut fortius exeat telum. *Donatus.*

403. *Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur.*] In Romano codice, & aliquot aliis legere est, *altam ad Lunam:* quod nequaquam displicet. In Porcio *altam Lunam et.* Cujusmodi quidem lectio agnoscitur à Prisciano, ubi tam *et*, quam *atque* poëtice nonnunquam postponi notat, aliter vero non, exemplo hinc ex Virgilio citato, *Suspiciens altam Lunam et, sic voce precatur.* Plerisque tamen eruditis placet magis absque ulla copula carmen legi. Est & *ore precatur* in anitquis aliquot codicibus, quod parvi refert. *Pierius.*

Suspiciens altam Lunam.] Quid si à multiscio Poëta allusum ad morem, quem aperit Scholiast. Theocriti? *τοῖς ἔρωτι συνεχομένοις τὴν σελήνην μεταχαλεῖσθαι συνηθές· consuetum invocari Lunam amantibus.* Firmat exemplo Euripid. qui tale quiddam agere inducit Phædram in Hipp. *Cerda.*

Sic voce precatur.] Frequentissimum est Homero ante similes ictus, atque incursus hostiles precari Numina. Omitto illum, & do Pind. Od. 1. Olymp. apud quem Pelops ante certamen cum Oenomao sic ad Neptunum;

—— *ἐμοὶ μὲν ἐπεὶ*
Ἄεθλος γ' ὑποκείσεται, τὺ δὲ
Πρᾶξιν φίλαν δίδοι.

Ab Ulysse apud Eurip. aggrediente facinus contra Cyclopem fit precatio ad Vulcanum, & Somnum: illum, quia torre inflammandus Cyclops; hunc ut dormiat. Ab Elect. apud Soph. ut Dii juvent conatus Orestis in mactando Ægystho. Quod vero hic *voce precatur*, Hom. 5. Iliad. in precibus Diomedis, *ἠρᾶτο βοήν.* Quod Homericum satis indicat, nullum esse pleonasmum in Virgilio. Latinus enim tantum constructionem mutat. Nam *voce precari*, nihil est aliud, quam tollere vocem ad precandum. *Idem.*

404 *Tu dea.*] Ut possis. *Donatus.*

Tu dea, tu præsens, &c.] Ex perlustrato toto hoc loco ita Stat. 6. Theb.

Diva potens nemorum (tibi enim, tibi crinis honori
Debitus, eque tuo venit hæc injuria voto)
Si bene quid genitrix, si quid venatibus ipse
Promerui, ne (quæso) sinas hoc omine Thebas
Ire, nec Arcadiæ tantum meruisse pudorem.

Dea autem cum respectu ad morem, & reli-

Aſtrorum decus & nemorum Latonia cuſtos;
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, ſi qua ipſe meis venatibus auxi,
Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi;

Hunc

religionem Romanam. Nam Luna culta in hoc populo, ut Dea, illi templum ſacrum, cujus meminit Tac. 15. Ann. in mentione enim aliorum templorum: *vetuſtiſſima religione, quod Serv. Tullius Lunæ*, &c. Quem in locum vide Lipſium. *Cerda.*

Tu præſens noſtro ſuccurre labori.] Non dicit quæ præſens es, ſed *præſens ſuccurre*, id eſt, loco ſtatuto & conſuetudinis ejus, ut de vicino & proximo ducat opportunas invocationes. *Faune precor miſerere*, inquit: & *Nymphas venerabar, Gradivumque patrem Geticis qui præſidet arvis.* Et in repetitione *Tu dea, tu præſens*, major emphaſis videtur. *Servius.*

Tu præſens.] Servius exponit Præſens ilico. Sed cur non potius *præſens*, propicia, favens, ut illud in Buc. *Nec tam præſentis alibi cognoſcere Divos.* Pier.

404. *Præſens.*] Favens, lib. 3. Georg. ✝ſ. 452.

Non tamen ulla magis præſens Fortuna laborum eſt.

Et lib. 1. Georg. ✝ſ. 10.

Et vos agreſtum præſentia numina Fauni.

Et Ecl. 1. ✝ſ. 42. Vid. Lambin. ad Horat. lib. 1. Carm. Od. 35. ✝ſ. 2. *Emm.*

405. *Aſtrorum decus.*] Laudat quam rogat, ut benevolam reddat. *Donatus.*

Aſtrorum decus.] Lunæ elogium. Manil. lib. 1. vocat *dominam Phœben.* ἐν π. Θηβ. πρέσβιστον ἄστρων νυκτὸς ὀφθαλμός. Itaque par elogium cum Sole; nam ſicut hic diei oculus, ita illa noctis. Et *aſtrorum decus* ait Poëta, quia Luna quoque aſtrum eſt, ſicut & Sol. Scholiaſt. ibi: καὶ Πίνδαρος ἄστρον φησί. Ab Stat. lib. 8. Luna *ſoror ignea Phœbi.* Recte *ignea*; nam & Græci φωσφόρον vocant, & ſacra Biblia φωστῆρα. ubi etiam illi datur principatus, ut Soli; nam de illa εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτός. *Cerda.*

406. *Si qua.*] *Qua* vacat & hic, & in ſequenti. *Servius.*

Si qua, &c.] Oſtendit quod meritum nihil proficeret, niſi pro ſe pater feciſſet. *Tholum* autem dicunt medium tecti, in rotunditatem collecti. Petit autem quod facile eſt, non liberationem ſui & ſocii, ſed turbationem globi. *Donatus.*

408. *Suſpendive tholo.*] *Tholus* proprie eſt veluti ſcutum breve, quod in medio tecto eſt, in quo trabes coeunt: ad quod dona ſuſpendi conſueverant. Quæ tam diu *dona* dici poterant, quam diu non profana fierent, ſicuti in libris Sacrorum refertur. Bene autem venatorem inducit numen invocare ſilvarum. Alii *tholum* ædium ſacrarum dicunt genus fabricæ Veſtæ & Pantheon*: Alii tectum ſine parietibus columnis ſubnixum. Ædes autem rotundas tribus diis dicunt fieri debere, Veſtæ, Dianæ, vel Herculi vel Mercurio. *Servius.*

Suſpendive tholo.] Nam de præda olim diis immolabant, & partes etiam quaſdam interdum de tholo (quod medium tecti eſt in rotunditatem collecti) eis ſuſpendebant & conſecrabant: ut Dianæ aprorum capita & cervorum cornua. Turneb. l. 4, 22. *Taubm.*

Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.] *Tholos* & *faſtigia* conjungit quoque Arnobius lib. 6. Adverſ. Gent. *Quid quod multa ex his templa, quæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigiis.* *Tholum* autem eſſe in medio tecto præter Arnob. confirmat quoque Vitruv. lib. 4. De Architect. c. 7. dum inquit: *In medio tecti ratio ita habeatur, uti quanta diametros totius operis erit futura, dimidia altitudo fiat tholi præter florem.* ad quem locum vid. Philander. Ex hoc dona, quæ Diis offerebantur, ſuſpendi ſolebant,

Hunc sine me turbare globum, & rege tela per auras.
Dixerat: & toto conixus corpore ferrum
Conjicit. hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit adversi in tergum Sulmonis, ibique

Fran-

lebant: unde apud Stat. 1. Silv.

— *& dives præda tamen accipit omni*
Exuvias Diana tholo.

& lib. 2. Theb.

figamque superbis
Arma tholis.

Tholus Italis *Cupala*, nobis *laterna* dicitur. *Figi* verò dicuntur dona, quæ in Deorum templis suspendebantur. Ita supra lib. 1. Æn. ỳs. 287. *arma* dicuntur *figi*, ad quem locum vid. quæ dicta. *Emmeness.*

409. *Turbare globum.*] Sana petitio. Nam quia tot vincere impossibile fuerat, petit ut saltem eos perturbet telorum beneficio. *Servius.*

Rege tela per auras.] Per noctem, in qua sine auxilio numinis recti jactus esse non possunt. *Idem.*

Rege tela per auras.] Sic Hom. Iliad. ε. βέλος δ' ἴθυνεν Ἀθήνη. Commode scilicet Nisus ad teli directionem invocat Lunam: τοξικῆς γὰρ προστάτης, ut docet Eustath. ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη ἐνομίζοντο διὰ τὴν ἀντιβολίαν αὐτῶν ἀλληγορικῶς, ἢ διὰ τὸ συμβάλλεσθαι τοῖς τοξεύουσι. Unde & Maro de Apolline: *Direxti tela Corpus in Æacidæ.* Germ.

Rege tela.] Par verbum 6. Æneid. *direxti tela.* Verbo Virg. Lucanus l. 7.

—— *superos sperare secundos,*
Ipsi tela regent per viscera Cæsaris. ——

Illud vero lib. 6. *direxti* Claud. imitatur, 4. Hon. *qua dirigat arte sagittas Armenius.* Omnes ab Hom. qui 1. Il. βέλος δ' ἴθυνεν Ἀθήνη, *telum rexit Pallas.* & 17. Ζεὺς πάντα βέλεα ἰθύνει. His opponit idem Hom. ἐτώσια πίπτει ἔραζε· *irrita cadunt in terram*; quia videlicet non à Diis regebantur. Affero locum Eurip. in Phœniss. qui fortasse obversatus est Poëtæ, cum hæc scripsit,

Ἐπηκλίνη δ' Παλλάδος χρυσάσπιδος
Βλέψας πρὸς οἶκον ηὔξατο. ὦ Διὸς κόρη,
Δὸς ἔγχος ἡμῖν καλλίνικον ἐκ χερὸς
Εἰς στέρν' ἀδελφοῦ τῆσδ' εἰπ' ἀλένης βαλεῖν,
Κτανεῖν θ'. ——

Cerda.

410. *Toto connixus corpore.*] In Romano codice *conisus.* Ac de geminatione quidem apud antiquos adeo rara, superius dictum. Quantum vero pertinet ad *x* vel *s* in participii forma reponendas, Valerius Probus sentire videtur, eandem esse appellationem in proprio nomine, in appellativo, & participio, *Niso* Hyrtaci filio, *niso* participio, & *nisuque immotus eodem.* Quare *connisus* ex Probi sententia scribendum. *Pierius.*

Ferrum Conicit. hasta.] De ferro ad hastam transiit. *Conicit*, pro coicit. Nam *conicit* antiquum est. *Servius.*

411. *Hasta volans noctis, &c.*] Expressum hic beneficium deæ & humanæ fortitudinis robur. Hastam enim Rutuli Sulmonis scutum excipit, & per scutum penetrans in præcordia transit. *Donatus.*

Diverberat.] Ita in 5. Dares, *& verberat ictibus auras.* Stat. lib. 8.

Aëriam Rhodopem solida nive verberat Arctos.

Cerda.

412. *Et venit.*] Ad verbum Hom. 17. Iliad. δι' αὐχένος ἤλυθ' ἀκωκή· *venit cuspis per cervicem.* Quintil. Declam. 315. *tela illa in nos, & in oculos venientia.* Idem.

Adversi in tergum Sulmonis.] *Tergum* pro *tergus* dixit. Salustius, *Tergis vinciebant*, pro *tergoribus.* ut intelligamus hastam in scutum venisse, & illic esse conlisam: ut *frangitur*, sit pro colliditur. Fisso scuti ligno etiam præcordia penetrasse, aliter non procedit.

Nam

Frangitur, ac fisso transit præcordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, & longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt. hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure;

Dum

Nam si hastam re vera fractam accipiamus, ratione caret quod dicit, *Fisso transit præcordia ligno.* Alii re vera in tergum volunt esse percussum, quod falsum est. nam quo modo ante fissum lignum esset, & sic præcordia penetrata? Sciendum tamen locum hunc esse de his, quos supra insolubiles dictum est. *Servius.*

Et venit adversi in tergum Sulmonis.] Hunc locum perplexos habere Grammaticos docet Turneb. l.29.c.25. quod & *tergum*, & *adversum* dicat; cum tergum sit in averso: itaque *tergum* pro clypeo ipsis hic accipi; malle tamen se *adversum* hic interpretari, qui erat è regione, etsi non adverso pectore, ut in eodem libro, *ardentem, cadisque insana cupido Egit in adversos*; pro eo, quod est, in eos, qui ante eum ex adverso ei erant, etsi tergum averterant & fugerant. Unde & mox, *hinc raptas fugientibus ingerit hastas In tergum.* Hastam porro sic fractam esse ipso impetu, ut finderetur: ita lignum & hastile fissum, & ipsa fissione acuminatum præcordia transisse; quod fissorum fragmenta asperentur in aciem plerumque, & penetrabilia reddantur. *Germ.*

413. *Fixo transit præcordia ligno.*] In veteribus codicibus *vel fisso* legi, à *findo*, quod agnoscit Servius, vel lectionem abrasam, & modo *fixo*, modo *fracto*, aliena manu repositum. *Pierius.*

Ligno.] Quidam humiliter dictum accipiunt. *Servius.*

414. *Vomens calidum de pectore flumen.*] Lucret. 2. *Sanguinis expirans calidum de pectore flumen.* Germanus.

Calidum de pectore flumen Frigidus.] Recedente enim eo, quod in corpore calidum est, frigus repente succedit. *Singultus* vero sanguinem sequens, animæ luctantis argumentum erat. Nam hic plena descriptio est morientis ex magno ictu. *Taubmannus.*

415. *Frigidus.*] Nonio exponitur *mortuus.* Similiter *frigus* pro *morte* posuit Horat. lib. 2. Sat. 1.

—— *O puer, ut sis*
Vitalis metuo, & majorum ne quis amicus Frigore te feriat.

ad quem locum consule Lambin. *Emm.*

Et longis singultibus ilia pulsat.] In Romano codice *pulsant*, sed melius unitatis numero. *Pierius.*

416. *Diversi circumspiciunt.*] Pacuvius in Medea, *Diversi circumspicimus, horror percipit.* Sallust. Jugurth. *Diversi rem quærere.* Cerda.

Hoc acrior idem.] Quod latuerat, & quod ei primus prospere cesserat jactus. *Servius.*

417. *Telum librabat ab aure.*] Gestus jaculantis exprimitur: duobus autem generibus manualia tela mittuntur, aut enim ab aure, aut à latere tela jaciuntur. *Idem.*

Summa librabat ab aure.] Summa copia scriptoris: nam supra dixit *adducto lacerto.* Donatus.

Telum vibrabat.] In codicibus plerisque omnino *vibrabat* legitur: sed in emendatioribus *librabat.* *Pierius.*

Librabat.] Inde libratores antiquis. Tacit. lib. Ann. 13. *Libratoribus funditoribusque attributus locus, unde eminus glandes torquerent, ne qua pars subsidium laborantibus ferret, pari undique motu.* Germanus.

Librabat ab aure.] Sil. lib. 5. *tum librat ab aure intorquens jaculum.* Ovid. 2. Metamorph.

Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam. ——

Dum trepidant. iit hasta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectoque hæsit tepefacta cerebro.
Sævit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam
Auctorem, nec quo se ardens inmittere possit.

Tu

Notat vero Scal. in Eleg. 11. libr. 4. Prop. *jaculari à capite*, esse è Græco more, producto hoc Euripidis testimonio ex Hippol.

Καὶ πρὸς χαίταις ξανθὰν ῥῖψαι
Θεσσαλὸν ὅρπακα,
Ἐπίλογχον ἔχουσ' ἐν χειρὶ βέλος.

Sed quidem *τὸ ab aure* tantum notat magnam vim adhibitam à jaculatore; idem quod sup. *adducto lacerto*. Sic enim major fit impetus. Neque aliter capiendus Hom. Iliad. 23. *δίσκου οὖρα κατωμαδίοιο*. Sunt autem *οὖρα*, *ὁρμήματα*, id est, *impetus*. Ergo ait Hom. *impetus disci jactati ab humero*. Quia retro adducitur discus, & veluti ab humero jacitur ad majorem vim. Eundem impetum in Prudentio agnosco, qui Psychom.

——— *dextra sublimis ab aure*
Erigitur, mediumque ferit librata cerebrum. Cerda.

418. *Dum trepidant, iit hasta Tago.*] In codicibus antiquis *it* omnino per synæresin. Sive *it* præsentis temporis omnino sit, & vi subsequentis adspirationis producatur, quod magnum literatissimis viris negotium facessit: meliore tamen parte in eorum sententiam concedente, qui concisionem factam ex, *ivit*, autumant, ut in Terentiano prologo *existimat*, pro existimavit: quam lectionem Donatus agnoscit, licet apud Priscianum, in hoc citato versu, neque *it*, neque *iit* legatur, sed *volat hasta Tago per tempus utrumque*. Sed & illud observatione dignum, quod Carisius monet *tempora* pluraliter tantum dici, quamvis Virgilius singulari usus, ut hoc loco. *Pierius.*

It hasta Tago.] Si *τὸ it* præsentis est temporis; insequens *it*, vim literæ habebit, ut ejus adminiculo syllaba brevis producatur: cum hic nulla incidat cæsura, quæ id faciat. Quanquam Mart. Capella tradat, *Syllabam, quæ desinat in t literam, esse communem*. Alii tamen hic *iit* legunt; quia sequatur, *hæsit*. Vide *Erythr.* Indic. *Taubm.*

Per tempus utrumque.] Congrue dicit telum per tempus utrunque transisse: ait enim, *Diversi circumspiciunt*: hoc est, huc & illuc ora circunferunt, per quam opportunitatem potuit telum tempus utrumque transire. Asper tamen dicit, *Per tempus utrumque*, hoc est, inter tempus utrumque, ut è contra, *Hunc inter fluvio Tyberinus amœno*: id est, per hunc. Quod si est, intelligamus eum in fronte esse vulneratum. *Servius.*

Per tempus utrumque.] *Asper* (auctore Servio) exponit; Inter utrumque tempus. ut eum in fronte vulneratum intelligamus. Notetur autem *Tempus* etiam priore numero pro parte capitis dici: contra quam Sosipater putat. Ita Lucret.

Tum vacuum tempus linquunt,

id est, animum, qui in capite est, auctore Turnebo. Catull. Carm. 57.

Cana anilitas tempus movet tremulum.

Taubmannus.

419. *Stridens.*] Ab Ennio, ut jam notant omnes, qui lib. 11. Ann.

Missaque per pectus, dum transit, striderat hasta. Cerda.

Tepefacta cerebro.] Alibi, *Et fixo ferrum in pulmone tepescit*. Servius.

420. *Sævit.*] Crescit ira, quoniam auctor facti non apparebat. *Donatus.*

Atrox Volscens.] In antiquis codicibus *Volcens*, uti dictum, absque *s*. Atque ita scribendum inferius, *Volcentem petit, in solo Volcente moratur*. Pierius.

421. *Auctorem.*] Puto allusum ad Græcum *αὐτόχειρα*, cum sermo sit de cæde facta. Nam tametsi ea vox ad alia

tradu-

Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas
Persolves amborum, inquit: simul ense recluso
Ibat in Euryalum. tum vero exterritus amens
Conclamat Nisus: nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me, (adsum qui feci) in me convertite ferrum,
O Ru-

traducatur, ut cum Soph. in Antig. dixit, αὐτόχειρα τάφου, *auctorem sepulcri*, sed præsertim illa in bello, cædibus hæret. *Cerda.*

422. *Interea.*] Donec ille invenitur. *Servius.*

Calido mihi sanguine pœnas.] Ennius in primo, *Nam mi calido das sanguine pœnas.* Idem.

Calido mihi sanguine pœnas.] Nonn. lib. 22. θερμὸν ἀποπτύων ῥόον αἵματος, *calidum expuens fluctum sanguinis.* & sup. Noster,

Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen.

Itaque in Virg. est *calido sanguine*, & id verius. & Calab. lib. 1. θερμῷ δ' αἵματι πάμπαν ἰδίει. Sed cum nondum sanguis fusus esset ab Euryalo, cum ruebat Volscens, posset aliquis dubitare, an potius dicat, *calido mihi*, id est, irato. Nam verba caloris ad iras transferri omnes sciunt. Aristoph. in Vespis dixit,

Θερμὸς γὰρ ἀνὴρ οὐδὲν ἧττον τῆς φακῆς.

ubi *calidus* est, audax & furiosus, sumpta metaphora à lentibus coctis in lebete. Ex Philost. lib. 7. vit. Apollon. cap. 7. τοῖς θερμοῖς τῶν θηρίων, *calidis belluis.* id est, iratis. Josephus tamen lib. 1. Bell. cap. 13. dixit de Herode, significato alio longe elegantissimo, θερμὸς ἐκ τῶν ὅπλων. ut & Plutar. in Pelopid. μετὰ τῶν ὅπλων θερμῶν. *Cerda.*

423. *Persolves amborum.*] Aut occisorum: aut tuas & Nisi. Nam duos eos fuisse novit. supra enim ait, *State viri.* Servius.

424. *Ibat in Euryalum.*] Adoriebatur Euryalum. Apul. lib. 9. Metam. *Qui* (canes) *simul signo solito pastorum incensi atque inflammati sunt, furiosa rabie conciti, & latratibus etiam absonis horribiles eunt in homines.* Emmeness.

426. *Amplius.*] De cetero, posthac; interdum & quantitatem significat, ut Terentius, *Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius.* Servius.

Tantum potuit.] Hoc quamvis ad animum Nisi pertineat, tamen sympathiam etiam poëta ex sua persona fecit. *Idem.*

427. *Me, me.*] Subaudis *interficite*, & est interrupta elocutio dolore turbati. *Idem.*

Me, me, adsum q.] Voces sunt perturbati, qui quod animo tenebat, non potuit semel effundere. Ait ergo, *Me*: ut cum deesset continuatio verborum sequentium, ait iterum, *Me.* Tertio ubi se paulatim colligere cœpit, adjunxit; *Adsum, qui feci.* Quarto, *In me convertite ferrum.* Certe magna subtilitate dispositum est. *Taubm.*

In me convertite ferrum.] Ab his illi affectus Petroniani in Sat. *Quod sentique, proclamabat, facinore opus est, nudo ecce jugulum, convertite huc manus, imprimite mucrones; ego mori debeo, qui amicitiæ sacramentum delevi.* Audi & verba Juliæ loquentis cum natis apud Herodian. lib. 4. πρῶτον ἐμὲ φονεύσατε, καὶ διελόντες, ἑκάτερος παρ' ἑαυτῷ μέρος θαπτέτω. *Me primam occidite, me dividite, dimidiumque uterque apud se partem sepeliat.* Quintilian. Declamat. 59. *Quicquid est istud, ego feci: qualecunque istud est, meum consilium est.* Agnosce vero in Niso verum amantem: *In me* (inquit) *ferrum convertite.* Plato in Convivio: καὶ περὶ τούτου τεθνάναι ἂν πολλάκις ἕλοιτο, καὶ μὴ ἐγκαταλιπεῖν

O Rutuli. mea fraus omnis: nihil iste nec ausus,
Nec potuit: cælum hoc & conscia sidera testor.
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus
Transabiit costas, & candida pectora rumpit.

Volvi-

λιπεῖν γε τὰ παιδικά, ἢ μὴ βοηθῆσαι κινδυνεύοντι· *Mori se prius eligat, quam dilectum derelinquere, & periclitanti non succurrere.* Imitationem si quæras, fortasse ducta ab Eurip. apud quem Hecuba videns filiam Polyxenam duci ad cædem, ita loquitur ad Ulyssem, & Græcos alios:

Κεντεῖτε (με) μὴ φείδεσθ', ἐγὼ τέκον Πάριν,
Ὃς παῖδα Θέτιδος ὤλεσεν, τόξοις βαλών. *Cerda.*

428. *Fraus.*] Hic est noxa, & culpa. Vide Lexicon Schardii, ubi notat, *fraudem* veteres dixisse pro delicto. Gloss. *fraus, αἰτία.* Cum Soph. ore Ismenæ dixit in Antig. καὶ ξυμμετίσχω, καὶ φέρω τῆς αἰτίας, *sio socia, & fero culpam,* nihil aliud significavit, quam fraudem sororis redundare in sororem. *Idem.*

Nihil iste nec ausus.] In Romano, *neque ausus:* quod licet parvi sit momenti, elegantioris tamen ingenii viri numerorum hujusmodi varietate delectari solent. *Pierius.*

429. *Nec potuit.*] Validior argumentatio ex impossibilitate. ut, *Quid Troës potuere?* Et, *Non ea vis animo: nec tanta superbia victis.* Servius.

Cælum hoc.] Apud Soph in Antig. Rex Creon cœlum obtestatur, δι' Ὄλυμπον. Chorus apud eundem in Elect. Διὸς ἀστραπάν. Vicina ista. Sic & Stat. 2. Theb.

Parce per has stellis interlabentibus umbras.

Apud eundem Juppiter 3. Theb.

Arcem hanc æternam, mentisque sacraria nostræ.

Nazianz. Orat. 27. αἰσχυνοίμην μὲν ἂν τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, ἃ καὶ τοῖς παλαιοῖς ἔθος μαρτύρεσθαι. *Cerda.*

Et sidera conscia testor.] Veteres omnes codices legunt, *& conscia sidera,* adjectivo præjecto. *Pierius.*

Cælum hoc & sidera conscia testor.] Sic supra lib. 3. Æn.

—— *per sidera testor,*
Per superos atque hoc cœli spirabile numen. & lib. 4.

—— *per sidera juro,*
Per superos, &c.

infra lib. 12. vſ. 197.

—— *terram, mare, sidera juro.*

& iterum:

Testatur moritura deos & conscia fati Sidera. Emmeness.

430. *Tantum infelicem nimium dilexit amicum.*] Contra illud, Cur ergo venit? dicit, Tantum amicum dilexit, ut cum nihil posset, tamen veniret. *Servius.*

Tantum infelicem, &c.] Eadem ratio est in Calab. lib. 1. ubi Podarcus interficitur nimium in bello furens propter interfectum amicum, quem summopere amabat. Verba ejus, ὃ γὰρ μέγα φίλαθ' ἑταίρων, *hunc apprime è sociis diligebat.* Cerda.

432. *Transadigit costas.*] In Rom. codice, *transabiit* legitur. & in aliquot aliis *transadiit:* quod ab aliquot eruditis receptum video. In Porcio, & plerisque aliis manu scriptis, *transadigit* omnino scriptum est. Sed usus loquendi est, *ut adigo ferrum,* aut *ensem* enuntiemus, non *ensis adigit,* & jam dictum est, *Ensis adactus.* quare vel *abiit* vel *adiit* melius videtur. *Pierius.*

Transadigit.] Ita Sill. l. 4.

—— *transegit pectora mucro.*

Id. lib. 6.

—— *lævum per luminis orbem Transigitur.*

Tacitus l. 14. *Gladio seipsum transegit.*

At

Volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix conlabsa recumbit.
Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens; lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnis

Vol-

At Vett. Cod. *Transadiit costas:* quod quidam probant præ altero. *Taubm.*

Transabiit costas.] Stat. 2. Theb. ✠s. 9.

Transabiit costas cognatis ictibus ensis.

& lib. 9.

Hasta viri trans pectus abit.

Emmeness.

Et candida pectora rupit.] Romanus codex cum aliquot aliis, *pectora candida* epitheto, quod miserationem movere posset, ultimo loco apposito. *Pierius.*

Et pectora candida rumpit.] Ita Fabricius, auctore Donato & MSS. dixit, *Pectora*; & adjecit πάθος, *candida:* item *rumpit*; non *rupit*, κατ' ἐνέργειαν. *Taubm.*

433. *Volvitur Euryalus leto.*] Aut septimus est, aut dativus: aut si dativus fuerit, figuratum est, id est, in lethum. ut, *It clamor cælo.* Servius.

435. *Purpureus veluti cum flos succisus aratro L.*] Habetur ratio comparationis. videtur enim Euryalo Hyacinthum comparare, qui pulcherrimus fuit, & post mortem conversus in florem est. *Idem.*

Purpureus, &c.] Ad totum corpus refertur hæc comparatio, *papaver* vero ad cervicem & ad caput. *Donatus.*

Purpureus veluti cum flos.] Apoll. l. 3. ἔρνεά πη τοιάδε Διὸς ἄσπετον ὀμβρήσαντος, φυταλιῇ νεόθρεπτα κατημύουσιν ἔραζε κλασθέντα ῥίζηθεν ἀλωάων πόνος ἀνδρῶν, τὸν δὲ κατηφείη καὶ οὐλοὸν ἄλγος ἱκάνει κλήρου σημαντῆρα φυτοτρόφον. Ut autem *lapso* vel *lasso papavera collo* Maro, Hom. Il. θ. μήκων δ' ὡς ἑτέρωσε κάρη βάλεν, ἥ τ' ἐνὶ κήπῳ καρπῷ βριθομένη νοτίῃσί τε εἰαρινῇσιν, ὣς ἑτέρωσ' ἤμυσε κάρη πήληκι βαρυνθέν. Uterque autem poëta respexisse videtur papaveris genus erraticum, oblongo capite, quod ῥοιάδα proprie vocant, quia facile deciduo sit flore, & parvo negotio procumbat. Ad ῥοιάδα autem alludere videtur Nicand. Θηρ. eo loco, περιβρίθουσά τι μήκων θυλακίς. Catull. *Nec meum respectet ut ante amorem, Qui illius culpa cecidit velut prati Ultimus flos, prætereunte postquam Tactus aratro est:* & idem: *nullo contusus aratro.* Germ.

Purpureus, &c.] Comparatio Hom. Iliad. θ. ✠s. 308. de qua Scal. l. 5. c. 3. *Taubmannus.*

Purpureus veluti cum flos.] Id est, *pulcher*, nam color hic ob præstantiam pro pulchro poni solet, ut Turneb. l. 28. c. 46. Vid. l. 1. Æn. ad ✠s. 591. Comparationem hanc Virgilii imitatus etiam est in Hyacinthi morte describenda Ovid. lib. 10. Metam. ✠s. 190. & seqq. *Emmeness.*

436. *Languescit moriens.*] Duplex similitudo & pulchritudinis & gestus. *Servius.*

Languescit moriens, lassove, &c.] *Languescere*, Nonio interprete, hic est *deficere, dissolvi*; ut & lib. 11. Æn. ✠s. 68.

Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi.

& *lasso collo*, pro, *marcente, gravato*, ut idem Nonius. *Emmeness.*

Lassove papavera collo Demisere caput.] Homeri est & comparatio & figura. nam & ille sic ait, ut multorum unum diceret caput. *Servius.*

Laxove papavera collo.] Antiqui plerique codices *lasso*. Porcius, Vitalianus & aliquot alii *lapso* habent. *Pierius.*

438. *At Nisus ruit in medios.*] In

Oblonga

Volſcentem petit: in ſolo Volſcente moratur.
Quem circum glomerati hoſtes hinc comminus atque hinc
Proturbant. inſtat non ſecius, ac rotat enſem
Fulmineum; donec Rutuli clamantis in ore

Con-

Oblongo *ac*, in quibuſdam aliis *et*. Sed enim locus ipſe exigere videtur *at*. Pierius.

Solumque per omnis.] An per obſtantes, an protegentes? *Servius.*

439. *Volſcentem petit.*] Appetit. Petitiones enim proprie dicimus impetus gladiatorum. Unde Cicero, *Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari nullo modo poſſe viderentur, parva quadam declinatione & ut ajunt corpore effugi.* Idem.

Petit.] Sermo ſumitur à gladiatoribus. Omnia ſunt gladiatorum, petitiones, vitationes, declinationes, effugia. Notum illud, *Non te peto, piſcem peto.* Græci ὁρμᾶν, &, ὁρμὰς, *petere*, *petitiones*. Itaque *vitatio* & *petitio* directe oppoſitæ in hoc ludo. Cic. de Oratore: *Gladiatores videmus, nihil vitando facere caute, nec petendo vehementer.* Præclare: nam qui petit, vehemens eſt; qui vitat, cautus. Vide qua vehementia petat Niſus, nam *ruit*: vide quo cautu Volſcens à ſuis ſervetur. Ab eodem ludo Seneca de Conſol. ad Martiam cap. 9. *Alium percuſſiſti, nec petiſti.* Eodem trahe illud pro Ligario, *cujus latus ille mucro petebat?* Cerda.

Moratur.] Perſeverat. *Servius.*

440. *Quem circum glomerati.*] Pugnæ hujus imaginem habet Nonn. l. 22. Dionyſ. ubi,

Καὶ μέσος ἀντιβίων κυκλούμενος ἔνθεος ἀνήρ·

Et medius inter hoſtes circulo incluſus divinus vir. Iterum:

Συμφερτοὶ δ᾽ ἕνα μοῦνον ἐκυκλώσαντο μαχητὴν

Τυπτόμενον ξιφέεσσι, καὶ οὐκ ἀλέγοντα μαχαίρης·

Conferti unum ſolum circulo cingebant bellatorem,

Qui petitus gladiis omnium gladios contemnebat.

Talem in Androm. exhibet Eurip. Pyrrhum. Omitto locum longiſſimum. *Cerda.*

Quem circum glomerati hoſtes, &c.] Sic infra ℣ſ. 689.

Et jam collecti Troës glomerantur eodem.

lib. 2. Æn. ℣ſ. 727.

—— neque adverſo glomerati ex agmine Graji.

& de apibus lib. 4. Georg. ℣ſ. 79.

Fit ſonitus, magnum mixtæ glomerantur in orbem.

Verbi etymologiam vide ad lib. 2. Æn. ℣ſ. 341. *Emmeneſſ.*

441. *Proturbant.*] Modo confodiunt, ut paulo poſt, *Confoſſus.* Servius.

Proturbant.] In antiquis aliquot *perturbant.* Sed omnino melius *proturbant.* Pierius.

Non ſecius.] Non ſegnius. *Servius.*

Non ſegnius.] In antiquis codicibus *non ſecius.* Quod nonnulli etiam per *e* ſcribunt: quod nequaquam docti probant. *Pierius.*

Segnius.] Serv. & vett. cod. leg. *Secius*: ſcil. quam vulneratus. ut 5. Æn. ℣ſ. 862. *Taubm.*

Rotat.] Sil. lib. 2. *rotatque coruſcum Mucronem.* ubi *coruſcum*, quod Virg. *fulmineum.* Hom. vulgariter Iliad. 22. τινάσσων φάσγανον ὀξύ· *quatiens acutum enſem.* Et quidem ſermo eſt de Hectore, & in vitæ periculo, ubi occaſio furendi. *Cerda.*

442. *Fulmineum.*] Explicui jam, & addo, viſum mihi indicari à Poëta vim Niſi eſſe ſupra mortalem, ut qui non tam gladium, quam fulmen verſaret. Ita de Auguſto, *fulminat* lib. 4. Georg. quem locum adi, & quæ dixit lib. 6. ubi Scipiadæ *duo fulmina belli.* Ita & Simocatta

Condidit adverso, & moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese projecit amicum
Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,

Nulla

catta lib. 2. cap. 7 ducem Romanorum supra mortalem indicat, & à cœlo missum, cum de illo scribit: οἷα λαίλαψ ἐπιβαλάττ@-, ἢ ῥαγδαῖος σκηπτὸς ἐνσκήψας· *Irruit ut maris turbo, aut fragore ruptum fulmen.* Et lib. 6. Anth. cap. 15. Epig. 23. Rex Philippus dicitur κεραύνιος, *fulmineus*? Affinis vero Virgilius Homero, qui de ferro hastarum 10. Iliad. λάμφ' ὥς τε στεροπὴ πατρὸς Διός· *fulgebat velut fulgur patris Jovis.* Val. 1. Arg. de gladio *ardenti ferro*, Ab Philostrat. in Heroïc. hasta Achillis dicitur ἀστράπτουσα, ut instar fulguris. Et adhuc de ipso gladio 14. Il. ἄορ ἴκελον ἀστεροπῇ, *ensem similem fulguri.* Idem.

Clamantis in ore.] Simile mortis genus habet Hom. 16. Iliad. ubi Idomeneus percutit ferro Etymanta κατὰ στόμα, *in ore.* De Crastino ait Jul. 3. Civil. cecidisse in pugna, *gladio in os adversum conjecto.* Stat 2. Theb.

Dum clamat subit ore cavo Theumesia cornus.

Silius lib. 3.

—— calamumque volantem
Dum clamat, paulo excipiens transmisit hiatu.

Non abit illud lib. 7. *hæsit enim sub gutture vulnus*; quem locum adi. *Idem.*

In ore Condidit adverso.] Archaismos est. ut supra, *Pectore in adverso totum cui cominus ensem Condidit* Servius.

443. *Moriens animam abstulit hosti.*] Sic lib. 4. *Exstinxti te, meque soror.* & Soph. Antig. θανὼν ἔτ' ὄντα συνθανεῖν με· *mortuus vivam me occidisti.* Tale illud Ennod. in Declamat. *Dum vincitur, triumpharet.* Sed hoc pertinet ad ὀξύμωρον, de quo in 7. *Cerda.*

Moriens animam, &c.] Interfecit: & animadverte, morientem interficere. Scal. l. 4, 16. & l. 3. c. 26. *Taubm.*

444. *Tum super exanimem, &c.*] Imitatione Il. ρ. ὁ δ' ἀγχ' αὐτοῖο πέσε πρηνὴς ἐπὶ νεκρῷ· & Musæus: ἀλλήλων ἀπόναντο καὶ ἐν πυμάτῳ περ ὀλέθρῳ. *Germanus.*

445. *Placidaque ibi demum morte quievit.*] Aut proprium mortis epitheton est: aut ex affectu pereuntis dictum est, qui cum amico moriebatur. *Serv.*

Quievit.] Ex formulis defunctorum. Sic in 6. de Palinuro, *ossa quierunt.* Cicer. ex Poëta vetere lib. 1. Tuscul. *ubi remissa vita corpus requiescit à malis.* Tibul. lib. 2.

Sic bene sub tenera parva quiescit humo.

Ovidius:

Ossa quieta precor tuta requiescite in urna.

& sexcenta alia. Inde in Inscriptionibus sepulcrorum dictum REQUIETORIUM. & Cassiod. cap. 8. lib. 7. *Defunctorum sacram quietem.* Cerda.

446. *Fortunati ambo.*] Prosphonesis est. Mire horum mortem non luctu aut misericordia, sed felicitatis testimonio prosequitur. *Servius.*

Si quid mea carmina possunt.] Verecunde. *Idem.*

Fortunati ambo, &c.] Silius pari ἐγκωμίῳ lib. 4.

Felices lethi, pietas quos addidit umbris,
Optabunt similes ventientia secula fratres,
Extremumque decus memori celebrabitur ævo,
Si modo ferre diem, miserosque videre nepotes
Carmina nostra valent, nec famam invidit Apollo.

Et lib. 2.

At vos sidereæ, quas nulla æquaverit ætas,
Ite decus terrarum animæ. ——

Stat. lib. 10.

Vos

Nulla dies umquam memori vos eximet ævo:
Dum domus Æneæ Capitolî immobile saxum
Acco-

Vos quoque sacrati, quamvis mea carmina surgent
Inferiore lyra, memores superabitis annos.
Forsitan & comites non aspernabitur umbras,
Euryalus, Phrygiique admittet gloria Nisi.

Statius signate ἔπος suum *lyram* dixit, opponens tubæ Maronis, cui ille comparatus lyricen est, non ἐποποιός· & ideo *inferiore*, quia Lyrici inferiores Epicis. Præstant enim Epici reliquis Poëtis. Ad fortunam hanc & locum Virg. videtur allusisse Horat. Od. 13. libri primi:

Felices ter, & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die.

Cerda.

Fortunati ambo, &c.] Divinum est elogium summi Poëtæ. quod cum aliis comparat Scalig. l. 5. c. 16. *Taubm.*

448. *Domus.*] Familia. *Servius.*

Capitolî immobile saxum Accolet.] In urbe Roma Jovis templum non fuit, quod cum jam devotum à Prisco Tarquinio vellet Superbus Tarquinius ædificare, cœpit auguriis captare qui mons huic templo esset aptissimus. Et cum in omnibus Tarpejus esset inventus (in quo erant multa diversorum numinum sacella) actum est, ut exinde ad alia templa numina evocarentur sacrificiis, quo posset libere & sine piaculo templum Jovis exædificare. Cumque omnes dii libenter inde migrassent, Terminus solus, hoc est limitum deus, descendere noluit, sed illic remansit. Tum de hoc ipso sacrificatum est & deprehensum, quod Terminus cum Jove remanens æternum urbi imperium cum religione significaret. Unde in Capitolio superna pars tecti patet, quæ lapidem ipsum Termini spectat. nam Termino non nisi sub divo sacrificabatur. Hinc ergo nunc dixit, *Capitolî immobile saxum Accolet:* quia Terminus non est revulsus de loco. *Servius.*

Capitolî immobile saxum.] Quamvis in vetustis codicibus *Capitolii* geminato *ii* scribatur, eo modo, quo Terentius Scaurus hujusmodi genitivos scribi præcipit: hoc tamen loco, ne synalœpha ex tribus vocalibus distinctis fiat, *Capitolî* unico *i* scribendum censuerim, facta synæresi, ut prius erat in Porcio. Quæ vero Servius de Termino, eadem fere apud Aulum Gellium habentur. Lactantius tamen libro contra Gentes primo, *saxum hoc à Romanis cultum* dicit, *propter illius memoriam: quod pro Jove objectum est Saturno devorandum.* Pierius.

Dum domus, &c.] *Domus Æneæ* familiam Juliam significat, è qua Augustus erat. cui prærogativa quadam concessa erat ad Capitolium habitatio, Patriciis omnibus denegata, auctore Victore & Plutarcho. Unde non, *incolet*; sed *accolet*, dixit. Ad domum autem Augusti locus erat, qui *sedes Imperii Romani* dicebatur. Etsi vero de toto Capitolio intelligi potest, quod de *saxo immobili* canit: tamen Grammaticis (vide Serv.) ad *Terminum*, id est, limitum deum, qui non potuit, ut reliqui dii, evocari, & exaugurari, referri magis placet. Porro *pater Romanus*, est Imperator: cum præsertim Imperatores *Patres patriæ* dicerentur, &c. Turn. l. 22. c. 15. T.

Capitolî.] Originem vocis aperit Cato lib. de Orig. *Capitolium dictum à capite invento fluente sanguine, dum Jovini templi fundamenta jaceret Princeps Tarquinius.* Varro lib. 4. Ling. Lat. *Capitolium dictum, quod hîc, cum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput humanum inventum dicitur.* Dionys. lib. 4. circumstantias adhibet inventi capitis, nimirum *fuisse hominis recens cæsi, cujus vultus vivo esset similis, & sanguinem ex eo capite calidum & recentem manasse.* Adhi-

Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.
Victores præda Rutuli ſpoliiſque potiti
Volſcentem exanimum flentes in caſtra ferebant.
Nec minor in caſtris luctus, Rhamnete reperto
Exſangui, & primis una tot cæde peremtis,
Sarranoque Numaque. ingens concurſus ad ipſa
Corpora, ſeminecesque viros, tepidaque recentem
Cæde

Adhibet etiam omen hoc: *Veſtris civibus Romani renuntiate, fatale eſſe, ut locus ille, in quo caput inveniſtis, totius Italiæ ſit caput. Atque ab eo tempore locus, à capite ibi invento, Capitolinus eſt dictus.* Affinia verba Livii lib. 1. *Secutum aliud magnitudinem Imperii portendens prodigium eſt. Caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi dicitur apparuiſſe. Quæ viſa ſpecies haud per ambages arcem eam Imperii, caputque rerum fore portendebat.* Idem lib. 5. cum reſpectu ad hunc locum: *Hic Capitolium eſt, ubi quondam capite humano invento reſponſum eſt, eo loco caput rerum, ſummamque Imperii fore.* Nomen viri, cujus hoc caput, omnes, ut vides, tacent: aperit Arnobius lib. 6. ubi Romanis inſultat, qui maluerint, *ex Toli capite Capitolium, quam ex nomine Jovio nuncupare.* Sed putat Scal. in Conject. Arnobianum hoc meram eſſe fabulam, & ad nobilitatem gentis excogitatam. *Cerda.*

Immobile ſax.] Reſpexit huc Mart. l. 8.
Tarpeia ſummi ſaxa dum patris ſtabunt.
Taubmannus.

449. *Pater Romanus.*] Romanum Imperatorem capit Turneb. l. 22. c. 15. cum præſertim omnes *Patres patriæ* dicerentur, & hoc imprimis titulo affectus Auguſtus, in cujus gratiam hæc Poëta. Sic & Auſon. Theodoſium compellat,

Tu modo te juſſiſſe, Pater Romane, memento.

Chryſantas apud Xenoph. lib. 3. Cyropæd. Ἀλλὰ πολλάκις μὲν δὴ, ὦ ἄνδρες, καὶ ἄλλο τι κατενόησα, ὅτι ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ· *Etiam alias ſæpe, ô viri, animadverti, nihil intereſſe inter Principem bonum, & patrem bonum.* Id eſſe verum, in uno Cyro oſtendit. Lege illum, & me alibi, ubi hoc firmo. *Cerda.*

450. *Victores.*] Irriſorie, tanquam qui magnum putarent, ſi trecenti duos vicerunt, cum duo tres interemiſſent. *Donatus.*

Præda Rutuli ſpoliiſque potiti.] Non ſolum ſuis eos armis exuerunt, ſed etiam illa præda, quæ Rutulis fuerat ante detracta. *Servius.*

451. *Volſcentem exanimum.*] In Romano codice *Volcentem exanimem.* In aliis *exanimum.* utrumque receptum à Grammaticis. *Pierius.*

452. *Nec minor in caſtris luctus.*] Decens repetitio. *Servius.*

454. *Serranoque Numaque.*] Decima Antapodoſis, quæ fit quotiens commemorantur ea, quæ non ſunt ante prædicta. Neque *Numam* induxit occiſum. *Idem.*

Numaque.] Atqui *Numam* lib. 10. perſequitur Æneas. Niſi alius fuerit cognominis. Vide Macrob. l. 5. c. 15. *T.*

455. *Tepidaque recentem Cæde locum.*] Hypallage eſt, tepidum locum recenti cæde. Unde multi legunt, *Tepidumque recenti Cæde locum.* Servius.

Tepidumque recenti Cæde locum.] Ita quidem habetur in Romano codice. Sed in Oblongo, & quibuſdam aliis *tepidaque recentem Cæde locum* legitur. Quam hyppallagen figuram agnoſcit Servius. In Porcio una mutata dictione, eadem tamen elocutionis figura, *tepidaque madentem Cæde locum* habetur. *Pierius.*

Cæde locum, & plenos ſpumanti ſanguine rivos.
Adgnoſcunt ſpolia inter ſe galeamque nitentem
Meſſapi, & multo phaleras ſudore receptas.
Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Jam ſole infuſo, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipſe,
Suſcitat, ærataſque acies in prœlia cogit

Quiſ-

456. *Cæde.*] Id eſt, ſanguine, Gr. more, quibus φόνος etiam *ſanguis* dicitur. Vide Turn. lib. 18. c. 3. *Taubm.*

Spumantem ſanguine rivos.] Spumas tunc habet ſanguis cum effunditur, nam poſtea conquieſcit. Unde bene dixit, *Spumantem rivos*: quia præmiſit, *Semineceſque viros*. Servius.

459. *Et jam prima novo.*] Lucretianum eſt. Et bene deſcripturus cædes & bella moroſe diem oriri facit. *Idem.*

Et jam prima, &c.] Expreſſus clariſſime locus Calab. lib. 4. ubi ad exortum lucis, tumultus quoque belli exortus. Verſus Græci ſunt,

Ἀλλ' ὅτε δὴ κεφαλὰς μὲν ἐπ' ἀντολίην ἔχον ἄρκτοι
Δείγμενοι ἠελίοιο θοὸν φάος, ἔγρετο δ' ἠώς,
Δὴ τότ' ἀνέγρετο λαὸς ἐϋσθενέων Ἀργείων
Πορφυρέων Τρώεσσι φόνον, καὶ κῆρ ἀΐδηλον. *Cerda.*

Spargebat lumine terras.] Ab Lucretio, qui libro ſecundo:

Primum Aurora novo cum ſpargit lumine terras.

Inde & 12. Æneid.

Poſtera vix ſummos ſpargebat lumine montes
Orta dies. —— Lucan. 3. Pharſ.
Ut matutinos ſpargens ſuper æquora Phœbus
Fregit aquis radios. ——

Boët. lib. 2. de Phœbo: *lucem ſpargere cœperit.* Idem.

460. *Tithoni croceum, &c.*] Habetur hic verſus 1. Georg. 447. & 4. Æneid. 585. Furius Antias lib. 1. Ann.

Interea Oceani linquens Aurora cubile.

Lycophron etiam dixit de Aurora, Τιθωνὸν ἐν κοίτῃσι λιποῦσα· *Tithonum linquens in cubili.* Idem.

Aurora.] Novum quidpiam vidi in Calab. quod in alio nemine. Sciunt omnes auroram adduci in deſcribenda veniente luce: ille (quod miror) lib. 4. in veniente nocte. Verſus ſunt:

Ἠὼς δ' ὠκεανοῖο ῥόον εἰσαφίκανεν,
Κνεφαίην δ' ἄρα γαῖαν ἐπήϊεν ἄσπετος ὄρφνη·
Aurora autem ad Oceani altum gurgitem pervenerat,
Et nigram denſa tenebra invaſerant terram. Idem.

461. *Jam rebus luce retectis.*] Supra, *Et rebus nox abſtulit atra colorem.* Serv.

Jam rebus luce retectis.] Sunt antiqua exemplaria, in qubus *receptis* ſcriptum ſit, quaſi res noctu auferri videantur, die vero reddi. Sed enim *retectis* omnino receptius. *Pierius.*

Jam rebus luce retectis.] Ita etiam 5. Æneid. de Aurora, *radiiſque retexerit orbem.* Et quia omnia retegit, ideo illam vocat Heſiod. πολυδερκῆ, ab cernendo. Sic contra 6. Æneid. *rebus nox abſtulit atra colorem.* Cerda.

463. *Æratas.*] Reſpectum ad ævum Heroum, teſtificante Pauſ. in Lacon. ἐπὶ τῶν Ἡρώων τὰ ὅπλα ὁμοίως χαλκᾶ ἦν πάντα· *Heroum ævo arma omnia fuerunt ærea.* Probat ex Homero deſcribente ſecurim Piſandri, & ſagittam Merionæ: ex haſta Achillis, ex enſe Memnonis, quæ omnia ærea. Mox adjicit, ταῦτα

μὲν δὴ

Quisque suos, variisque acuunt rumoribus iras.
465 Quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis
Præfigunt capita, & multo clamore sequuntur,
Euryali & Nisi.

Ænea-

τῶ δυίσηρῳ ἴχοντα ἔπος· *Hæc ita esse pro comperto habemus.* Loquitur autem Pausan. cum discrimine ad ferrum, quod negat in ævo Heroum, ut inspicienti quæ in eo præcedunt, de oraculo quodam, notum fiet. Clare etiam Hesiod. in ἔργ.

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι.
Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο. μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

His inerant ærea quidem arma, & domus æreæ.
Ære enim operabantur. neque dum erat ferrum nigrum.

Hoc ego Pausaniæ, atque Hesiodi verissimum puto: nec me movent docti, qui contra scripserunt; & assero, pessime reddi Græcos per *ferrum*, cum illi dicunt χαλκόν. Objicies mihi officinam Vulcani, quæ ante bellum Trojanum, in qua ferrum, dicente Virg.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro.
Deinde ferri inventionem, quæ præcessit ea tempora: nam Virg. 1. Georg. *At Chalybes nudi ferrum.* Tertio aliquot loca Poëtarum, qui ferri meminerunt in illo ævo. Quarto, quod fortissimum, cap. 4. Genes. dici de Tubalcain, fuisse malleatorem operum æris, & ferri. Expedio omnia unico verbo. Ferrum fuit, fateor, in ævo Heroum, & etiam ante illud: sed rarum, neque satis, ut tu tibi hanc veniam assumas, ut cum in Græcis χαλκὸν legis, possis *ferrum* interpretari. Venæ ferri passim postea apparuerunt: sed rarum fuisse priscis, liquidum ex creberrima mentione æris, ex paucissima ferri. Unde & in loco Genes. æs præponitur ferro: ait enim, χαλκοῦ χαλκοῦ καὶ σιδήρου. Et attende, artificem tam æris, quam ferri, dici χαλκέα ab ære, non à ferro. Frequentius enim in eo ævo metallum dedit nomen artifici. Ita enim explico Aristotelem in Poëticis, ubi ait, χαλκέας, τοὺς τὸν σίδηρον ἐργαζομένους, non aliter, ac τὸν κεκερασμένον, τὸν οἶνον. Sententia est; ita artifices ferri, dici ærarios, ut vinum mistum aqua, dicitur vinum. *Idem.*

464. *Quisque suos.*] Scilicet comites. nam plenum est, *Æratasque acies.* Servius.

Quisque suos.] Est hoc, quod Homerus Iliad. 3. κέλευσε δ' οἷσιν ἕκαστος ἡγεμόνεσσιν· *Quisque ducum suis imperavit.* Cerda.

Acuunt rumoribus iras.] Quia duo ausi sunt per eorum castra transire. *Servius.*

Acuunt rumoribus iras.] Ex Euryali & Nisi audacia motas. *Taubm.*

466. *Præfigunt capita.*] Hoc genus contumeliæ hostilis frequentissimum fuit, sive Poëtas, sive Scriptores alios consulas; sive Græcos, sive Latinos; sive barbaros, sive cultos homines. De Maxentio Tyberi hausto ait auctor Paneg. Constantini, illius caput tota urbe latum *suffixum hastæ.* Senec. Rhetor. Controvers. 17. de Tullii capite, *appensum conto caput.* Trebonii caput *fixum in pilo* est apud Ciceronem in Philipp. quo ludibrio illum affecit Dolabella. Tacitus lib. 1. Hist. de capitibus Galbæ, & Pisonis, Otthone invadente Imperium, *præfixa contis capita gestabantur.* Apud Plut. caput Gracchi suffigitur δόρατι. apud Cedrenum caput Maniacis Tyranni ἐπὶ δόρατος· & caput Nicephori ἐπὶ ξύλου. Apud Justinum l. 24. caput Ptolemæi *lancea fixum.* apud Claud. Ruffini caput pendet de *cuspide summa*, quod etiam scribit Hieronymus in epistol. ad Heliodorum. Vide & Silium lib. 2. in quo simile ludibrium. Omitto infinitos. *Cerda.*

467. *Euryali & Nisi.*] Volunt nonnulli

Æneadæ duri murorum in parte ſiniſtra
Oppoſuere aciem, (nam dextera çingitur amni)
Ingentiſque tenent foſſas, & turribus altis
Stant mæſti: ſimul ora virûm præfixa movebant,

Nota

nulli clamorem eſſe militum: ſed melius hoc à poëta dictum accipimus. nam Rutuli, eorum non noverant nomina: ut ſit, quin etiam capita Euryali & Niſi præfigunt in arrectis haſtis, & cum magno clamore comitantur. *Servius.*

Euryali & Niſi.] Hæc nomina inſtar completi verſus habuit etiam 5. Æneid. ℣ſ. 294. & 322. Et hinc conjiciunt eruditi quidam, Poëtam judicio & alios imperfectos verſus reliquiſſe. *Taubmannus.*

468. *Æneadæ duri, &c.*] Durantes in labore. In matre autem Euryali oſtendit quid poſſit dolor, cum oblita ſexus & ætatis, tantum fureret. Denique accuſat eorum, quæ & ſi facta fuiſſent, nihil tamen prodeſſent. *Donatus.*

Murorum in parte ſiniſtra.] Aliud agens ſitum caſtrorum oſtendit, præterea & proœconomia eſt, quia poſtea caſtris per fluvium Turnus evadit. *Serv.*

Murorum in parte ſiniſtra.] In Romano codice *murorum parte* legitur, abſque *in.* Pierius.

Murorum in parte ſiniſtra.] Locum hunc explicat Serv. lib. 7. Æneidos ad illud de Tyberi, *& multa flavus arena,* ita ſcribens: *Sciendum exitum Tyberini fluminis naturalem non eſſe, niſi circa Oſtiam, ubi prima Æneas caſtra conſtituit; nam aliter non procedit, quod ait,*

—— murorum in parte ſiniſtra
Oppoſuêre aciem, nam dextra cingitur amni.

Poſtea enim in Lauro Lavinio caſtra fecit ingentia, quorum veſtigia adhuc videntur. Hæc Servius. Sed certe legenti Virgilium nulla alia apparent hæc caſtra, quam prima. *Cerda.*

469. *Cingitur amni.*] *Amne* debuit dicere: nunquam enim bene in *i* exeunt, niſi quæ communis ſunt generis: ut *docilis, agilis*, ſed ideo auſus eſt ita ponere ablativum, quia ut ſupra diximus, apud majores hic & hæc *amnis* dicebatur. *Servius.*

Cingitur amni.] Curtius libro tertio, *Cingitur fluctibus,* Sed Poëta cum cura de *amni*, dixit, *cingitur*, notans etymologiam. Nam *amnis* ab ambiendo, & cingendo. . Ad eum modum, quo Homerus lib. 2. Odyſſ. οἱ δ' ὕδωρ κρητῆρσιν ἔμισγον. ubi cum *cratere* conjungit *miſceo.* Nam, ut expendit Euſtathius, κρατὴρ παρὰ τὸ κεραννύναι, *crater à miſcendo.* Cerda.

470. *Tenent foſſas.*] Tuentur, defendunt. *Servius.*

471. *Stant mæſti.*] Livius libro quadrageſimo ſecundo: *Mæſtitia ex male geſta re.* & lib. 6. *Præ indignitate rerum ſtupor, ſilentiumque.* Dicunt boni interpretes, Virgilium in ſua Æneide repræſentare ſæpiſſime Romanas hiſtorias. Quid ergo, ſi in hoc ſucceſſu repræſentatus ſucceſſus Craſſi apud Plutarch. Ut enim Rutuli ſuffigunt capita horum juvenum in haſtis, ita Parthi τὴν κεφαλὴν τοῦ Ποπλίου κομίζοντες ὑπὲρ αἰχμῆς ἀναπεπηγυῖαν· *Caput Publii* (erat hic filius Craſſi) *ſuffixum haſtæ ferebant*, videlicet oſtentantes illud patri. Ut hic Rutuli *multo clamore ſequuntur*, ita ibi Barbari προσεφέροντο κλαγγῇ καὶ παιᾶνι φοβερώτεροι· *ferebantur cum clangore, & pæanibus formidabiliores.* Ut hic Trojani ad dirum ſpectaculum *ſtant mæſti*, ita ibi τοῦτο τὸ θέαμα Ῥωμαίων ὑπὲρ ἅπαντα τἆλλα δεινὰ τὰς ψυχὰς κατέκλασε, καὶ παρέλυσεν· *Hoc ſpectaculum ſupra reliqua omnia acerba animos debilitavit, & infregit Romanorum.* Quid, ſi conſideres clauſos ibi Romanos tanquam muro, & vagantes circum illos Parthos? *Cerda.*

Ora virûm præfixa videbant.] In Romano

Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit, matrisque adlabitur auris
Euryali.

mano codice, in Oblongo, in Mediceo, & quibusdam aliis pervetustis *movebant* legere est cum paraphrasi, *Commovebant*, ex Servii commentariis desumpta. *Pierius.*

Ora virûm præfixa videbant.] Totum hunc locum adumbrat Stat. Thebaide decima, ubi Amphion

— clausis ipse insultare Pelasgis
Tendit, & abscissos sociorum ostendere vultus,

& qui erant in urbe,

— ut exertos enses, & cæde recenti
Arma rubere notant, novus assilit æthera magnus
Clamor, & è summo pendent cupida agmina vallo,
Noscere quisque suos. —

Cerda.

472. *Nota nimis miseris.*] Hoc plus commovebantur, quia etiam abscissi vultus, necdum agnitionis amiserant notas. *Servius.*

473. *Pinnata.*] Quidam volunt ideo hic famam pinnatam à poëta inductam, quæ tumultum & res adversas nuntiet, ut illud tangere videretur, quod qui bellum nuntiaret, *pinnatas literas* diceretur adferre. *Idem.*

Pennata.] In Romano codice *pinnata.* de qua scribendi ratione alibi satis dictum. *Pierius.*

Volitans pennata per urbem, &c.] Stat. 2. Theb. *hæc totis perfundit mœnia pennis.* & 3. de eadem, *antevolat.* Ammian. lib. 18. *per aërios tractus famam præpetem volitare.* Horat. quoque Od. 2. lib. 2. *pennam* dat famæ, & Petron. *volucer notis conterrita pennis Fama volat.* Rem, quam hic attingit Serv., explicant versus Juvenalis, Satyra quarta,

Surgitur, & misso proceres exire jubentur
Concilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & festinare coactos,
Tanquam de Cattis aliquid torvisque Sicambris
Dicturus, tanquam diversis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola penna.

Huc pertinent verba veteris in Persium glossographi: *veredarii dicuntur à vehendo, quia festinanter in equis currunt, nec descendunt de equis, antequam responsa sua liberent: habent pennas in capite, unde intelligitur festinatio itineris.* Quæ verba præeunt, ut intelligam in literis, quarum meminit Servius, appingi solitas pennas, cum res celeriter esset indicanda. *Cerda.*

Pinnata per urbem Nuntia Fama ruit.] Quemadmodum in rebus tristibus nunciandis in epistola figi solebat *pinna*, ita è contrario rebus lætis figebatur *laurus.* Testatur hoc vetus Juvenalis interpres ad Sat. 4. *Antea, si quid nunciabant consules in urbem, per epistolas nunciabant: si victoriæ nunciabantur, laurus in epistola figebatur: si autem aliquid adversi, pinna figebatur.* Laureatarum literarum meminit Ælius Lampridius in Alexand. Severo, cap. 58. *Ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ sunt delatæ.* *Lauri* & *pinnæ* simul Statius l. 5. Silv. ✝ſ. 89. *— quæ laurus ab arcto*

Quid vagus Euphrates, quid ripa binominis Istri,
Quid Rheni vexilla ferant: quantum ultimus orbis
Cesserit, & refluo circumsona gurgite Thule.
Omnia nam lætas pila attollentia frondes,
Multaque fumosa signatur lancea penna.

Hinc & ipsi tabellarii res adversas nunciantes πτεροφόροι dicti. Plura vid. apud Cl. Salmasium ad Æl. Lamprid. d. l. *Emmeness.*

474. *Fama ruit.*] Explico instar fluminis, est enim *ruo* verbum aquarum, applaudente hoc Simocattæ loco l. 2. Hist. cap. 17.

Euryali. at subitus miseræ calor ossa reliquit.
Excussi manibus radii, revolutaque pensa.
Evolat infelix, & femineo ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima

cap. 17. καὶ πολὺς τῇ πόλει ἐπικύμαινε θρύλλος. ubi famæ invadenti urbem dat *inundationem*, quasi ferretur *fluctuabunda*; ait enim, ἐπικύμαινε. Inde statim pari consecutione, *matrisque allabitur aures Euryali.* hic enim *allapsus* aquarum est. Ut noster, *nuntia fama*; ita & Val. 1. Arg. & Stat. 6. Theb. initio. *Cerda.*

475. *Subitus miseræ.*] Potest pro *subitus miseræ*, vel pro subito miseræ; ergo & genitivus potest esse. *Servius.*

476. *Excussi manibus radii.*] Bene *excussi*, quasi nescienti: melius quam si diceret *projecti*. Idem.

Excussi, &c.] Scaliger lib. 5. c. 3. Confert Andromachæ fletum ab interitu Hectoris, in 22. Iliad. cum Euryali matre. Et hujus, *inquit*, anus Virgilianæ conquestio adeo sublimis est, adeo rara, ut sapientibus sustulerit audaciam imitandi:

Hunc ego te, Euryale, adspicio?

& quæ sequuntur. Affectus tot, tanti, tam frequentes, ut excutiat animum potius, quam lacrimas mihi. Summa, nihil omissum cælesti Poëtæ illi. Omnia signate, ex natura, ex arte, ex eruditione: sententiæ, numeri, figuræ, simplicitas, candor, ornatus, incomparabilia; atque uno ut absolvam, Virgilii. *Vide plura ibidem.* Taubm.

Radii.] Instrumentum esse ad texendum ignorat nemo. Quid huic respondeat Hispano idiomate non ita certum; vulgus nominat *lancaderam*: ego puto esse aciculam, qua subtegmini adduntur fila; & ab longitudine dici *radium*. Ut oliva oblonga, *radius*, & virga geometrica. *Cerda.*

477. *Evolat infelix.*] Similes doloris notas invenies in Dionys. lib. 3. Antiq. in sorore Horatianorum, dolente de uno Curiatiorum interfecto, cui ipsa erat desponsa. Livius etiam lib. 1. paria cum Dionysio. Apud Hom. Iliad. 22. Andromacha morte Hectoris audita, μεγάροιο διέσσυτο μαινάδι ἴση· *domo exiit furenti similis.* Vide & in Stat. 3. Theb. pulcherrimam imitationem Virg. ubi Ide duos filios in bello amittit. Sed & feminam consternatam dolore euntem per media agmina ita describit Eurip. in Iphig Aulid. στείχουσα ἐπτοημένη Δαναῶν δι' ὄχλου. *Idem.*

Femineo ululatu.] Impatienti: ut, *Fæmineo prædæ & spoliorum ardebat amore.* Servius.

478. *Scissa comam.*] Nota hæc doloris maxima. Curt. l. 3. de feminis nobilibus dolentibus: *laceratis crinibus, abscissaque veste.* & de matre Darii: *laceratis crinibus humi corpus abjecit.* De dolente Nonn. l. 23. τίλλε χαίτην. Quo verbo, & ad rem eandem utitur Chrysost. Hom. de Morte, sed reprehendens Gentiles, μὴ τρίχας τίλλοντες μὴ βραχίονας γυμνοῦντες, μὴ ὄψιν σπαράττοντες· *non crines evellentes, non nudantes brachia, non lacerantes faciem.* De Græcis plorantibus Achillem mortuum Calab. lib. 3.

Χαίτας ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους
ἐκτίλλοντες·
Pilos ex capite radicitus evellentes.

Eurip. Orest. de lugente Helena, ἀπέθρισε τρίχας. & de Agamemnone in magno dolore Iliad. 10.

Πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας.

Cybele apud Claud. 3. Rapt. *fractas cum crine avellit aristas.* Addes hæc exempla infinitis, quæ alii invenerunt. *Cerda.*

Amens.] Vere Alexis:

—— τῶν μετρίων αἱ μείζονες λῦπαι
Ποιοῦσι νοῦ μετάστασιν·
—— *qui medium excedit dolor,*
De sede mentem turbat. Idem.

479. Pri-

Prima petit, non illa virûm, non illa pericli
Telorumque memor: cælum dehinc questibus inplet:
Hunc ego te, Euryale, aspicio? tune illa senectæ
Sera meæ requies potuisti linquere solam,

Crude-

479. *Prima petit.*] Ideoque *prima*, quia solent in extrema necessitate etiam mulieres muros ascendere: ut, *Ipsæ de muris matres.* Servius.

Non illa virûm, non illa pericli.] Unum pudoris est, aliud salutis. *Idem.*

480. *Telorumque memor.*] Hanc impatientiam matris Euryali illo loco poëta præmisit, cum Euryalus nec profectionem suam ad requirendum Æneam scire significat, & tantopere commendat Ascanio, nam & Nisus propter illam dicit nolle Euryalum sibi comitem jungere, quod sciret, si quid ei accidisset, intolerabiliter eam laturam. *Idem.*

Cælum dehinc questibus inplet.] Verissime scripsit Eurip. in Supp.

Τὸ γὰρ θανόντων τέκνων
Ἐπίπονόν τι κατὰ γυναῖκας
Εἰς γόους πέφυκε πάθος.

Cerda.

481. *Hunc.*] Talem. Et est conquestio matris Euryali plena artis Rhetoricæ. nam pene omnes partes habet de misericordia commovenda à Cicerone in Rhetoricis positas. *Servius.*

Hunc te aspicio?] A qualitate cædis. *Idem.*

Hunc ego te, Euryale, aspicio?] Ad hoc deducta est infelicitas mea, ut post illum ætatis tuæ florem hunc te videam mater, hoc est, occisum, & triumphum præbentem hostibus. *Donatus.*

Hunc ego te, Euryale, aspicio?] Cicero in Rhetoricis, *Octavus locus per quem aliquid dicitur esse factum, quod non oportuerit, hoc modo, Non affui, non vidi, non postremam ejus vocem audivi, non postremũ ejus spiritum excepi.* Item, *Inimicorum in manibus mortuus est: hostili terra turpiter jacuit insepultus: à feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit:* qui loci omnes hic à Virgilio tanguntur. Quantum vero pertinet ad Grammaticen, Sosipater Soloecismum notat transmutatione fieri, *quum finitiva pronomina pro qualitatis significatione ponuntur*, hoc citato versu, *Hunc ego te, Euryale, aspicio, pro talem.* Pierius.

482. *Sera meæ requies.*] Euander, *Mea sola & sera voluptas.* Et *Requies* hic pro solatio. *Servius.*

Sera senectæ requies.] V. N. 8. Æn. ✝. 582. *Taubm.*

Potuisti linquere solam.] Ab intercepto solatio. *Servius.*

Potuisti linquere solam.] Hoc queritur apud Soph. Electra:

Μόνη γάρ εἰμι, σοῦ τ' ἀπεστερημένη.

Iterum loquens cum sorore sua, *καὶ μόνα λελειμμένον.* Hoc dolet mater quæpiam libro 3. Epig.

Ὀρφάνιον κλαίω γῆρας ὀδυρομένη.

Andromacha apud Hom. Iliad. 24. *μὲ χήρην λείπεις*, & plenius lib. 22. ubi,

——— *αὐτὰρ ἐμὲ στυγερῷ ἐνὶ πένθεϊ λείπεις*
Χήρην ἐν μεγάροισι. ———

Par conquestio Pelei interfecto Neoptolemo apud Eurip. And.

Ὦ φίλος, δόμον ἔλειπες ἔρημον.

Adlubescit & affectus ille Theocritius εἰδ. 2.

Νῦν δὲ μόνη ἐοῖσα πόθεν, τὸν ἔρωτα δακρυσῶ;

Elect. apud Eurip. in Orest. *πῶς μόνη σωθήσομαι;* Eadem apud Soph.

Μόνη γὰρ ἄγειν οὐκέτι σωκῶ
Λύπης ἀντίρροπον ἄχθος.

De eadem Chorus ad excitandam conquestionem,

Πρόδοτος, καὶ μόνα σαλεύει.

Et ipsa, ut eandem excitet de se, & de sorore: *οὔτις ἡμῖν ἐστὶν*, &, *μόνη γάρ εἰμι.* *Cerda.*

Crudelis? nec te, ſub tanta pericula miſſum,
Adfari extremum miſeræ data copia matri?
Heu, terra ignota canibus date præda Latinis
Alitibuſque jaces! nec te tua funera mater
Pro-

483. *Crudelis.*] Cum potuiſti linquere ſolam cum pius eſſes. *Serv.*

Crudelis.] Scalig. l. 4, 48. Mirum, quantum afferat affectus vox, quæ in principio carminis ponitur poſt expletam ſententiam: quæ vox illi tamen appoſita apponit & ſenſum. Neque poſt τὸ *Crudelis* nota interrogationis ponenda, ſed poſt τὸ *ſolam?* Enim vero plus placuit additamentum illud illius vocis, *Crudelis*, geſtu ſuſtineri. Ita 4. Æn.

Et mediis properas Aquilonibus ire per altum:
Crudelis. Taubm.

Sub tanta pericula.] *Sub* pro *in*, ut 1. Æn. *Namque ſub ingenti luſtrat dum ſingula templo.* Servius.

484. *Affari extremum.*] Anchiſes, *Sic ô, ſic poſitum, adfati diſcedite corpus.* Terentius, *Quin igitur dum licet loquimini mecum Antipho?* Idem.

Matri.] Melius *matri*, quam ſi dixiſſet *mihi*. Idem.

485. *Terra ignota.*] Duplex conqueſtio, quod jaceret inſepultus in terra, deinde in ignota. Primam illuſtro ex Hom. apud quem Hecuba Iliad. 22. dehortatur Hectorem à pugna, quod non defleretur ἐν λεχέεσσι, *in lectis*. Componebantur quidem mortui in lecto, & ibi accipiebant ſuorum lacrymas. Eod. lib. Achilles morienti Hectori ita inſultat,

—— οὐδ' ὥς σέ γ' ἐπὶ πότνια μήτηρ
Ἐνθεμένη λεχέεσσι γοήσεται· ——

Pergo ad alteram. Erat acerbiſſimum mori inter ignotos & peregrinos. Hoc dolet Electra de ſuo Oreſte apud Eurip.

Νῦν δ' ἐκτὸς οἴκων, κἀπὶ γῆς ἄλλης φυγὰς
Κακῶς ἀπώλου, σῆς κασιγνήτης δίχα.

Inde cura illa Gentilium, ut ſaltem cineres in patriam terram referrentur. Sic apud Soph. in Elect. finguntur Phocenſes retuliſſe Oreſtis cinerem peregre mortui,

Ὅπως πατρῴας τύμβον ἐκλάχοι χθονός. *Cerda.*

Canibus date præda.] Non ſolum morte, ſed mortis accidentibus cruciatur. *Donatus.*

Canibus data præda.] Fabric. malit, *date præda.* ut 8.

—— *decus addite divis.*

Gr. ἑλώρια κὴ κύρματα κεῖσαι. *Taubm.*

Latinis.] Id eſt, Latinorum. *Serv.*

486. *Jaces.*] Proprie. Inſepulti enim dicebantur *jacere.* De Priamo, qui nec ſepultus, nec crematus, *jacet ingens litore truncus.* Prop. Eleg. 7. lib. 1.

Longe caſtra tibi, longe miſer agmina ſeptem
Flebis in æterno ſurda jacere ſitu.

Senec Rhetor. Suaſ. *Si occidetur Cicero, jacebit inter Pompejum patrem filiumque, & Afranium, Petrejumque.* Hi omnes inſepulti. Priam. 22. Iliad. optans inſepultum fore Achillem, ut à canibus devoretur, eodem verbo concipit has furias: vult enim illum eſſe κείμενον, *jacentem.* Cerda.

Nec te tua funera mater.] Id eſt, funerea. Nam apud majores *funereas* dicebant eas, ad quas funus pertinebat, ut ſororem, matrem. nam præficæ, ut & ſupra diximus, ſunt planctus principes, non doloris. *funeras* autem dicebant, quaſi *funereas*, ad quas pertinet funus: vel derivavit veteres ſecutus, ut *funeram* pro *funeſta* diceret, ut *homo ſcelerus*, ſicuti *ſceleſtus* vel *ſceleroſus* dicebatur. Plautus in Pſeudulo, *Feritur ſinapis ſcelera.* In eadem, *Nunc jube venire Pſeudolum ſcelerum caput*, id eſt, ſceleſtum. *Servius.*

Nec te tua funera mater.] J. Cæſar Scaliger lib. 4. 16. Servius ait, *Funera*, pro funerea, i. funeſta. Non placet: cum is nul-

Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens; tibi quam noctes festina diesque
Urgue-

is nullum auctorem designet: sed exponit, *Produxi te*, *tua funera*: id est, ad funera. quasi perturbatio mutilam faceret orationem. At vero J. Scaliger, ad illud Ennii epitaph. apud Cic.

Nemo me lacrumis decoret: neque Funera fletum
Faxit: quur? volito vivo per ora virûm;

notat, *Funeras* apud Rom. dici illas, quæ defuncto sanguine proximæ (ut mater, avia, uxor, socrus, soror,) funeris ergo lessum faciebant, & veris lacrimis suas genas perfundebant. Eas Solon ad verbum ἐπικηδείας vocat, &c. *Funera matris* meminit Virg. 9. Æn. *Hac ille*: quæ & Servius Dan. agnoscit, & G. Fabricius explicat his verbis: *Funeræ* sunt doloris participes: ut ad quas funus pertinet: *Præficæ*, planctus alieno in funere ministræ, quæ mercede conducebantur. *Funeræ* producebant cadavera: *Præficæ* sequebantur. *Funerarum* questus parietibus continebatur: *Præficarum* clamor ad libitinam & in publico personabat. *Taubm.*

487. *Produxi.*] Producebant enim defunctum proximi, aut certe heredes, ex penitiore ædium loco (ubi extremus ejus spiritus à carissimis erat exceptus: ubi per intervalla conclamatus; ubi denique calida aqua ablutus & unctus à pollinctoribus) alba veste indutum in domus vestibulum, atque ibi lecto collocabant; cauto, ut corpus foras spectaret, facie pedibusque in publicum versis. Hoc vocabant Græci προτίθεσθαι. Latini *Collocare*. Et quia πρόθεσιν vel Collocationem præcedebat solennis illa Productio, totum hoc *Producere* Virgilius appellavit. Hæc P. Merula in Comment. Annal. Ennii p. LVII. auctore Jos. Scaligero. Etiam Turneb. lib. 19, 16. *producere* hic προτιθέναι interpretatur, quod sit, ante ædes mortuos proponere ad exsequias. Idem tamen Merula suspicatur Virgil. scripsisse, *Proluxi*. cum apud Festum *prolugere* dicantur, qui solito diutius lugent. *Taubmannus.*

Pressive oculos.] Oculos claudere sive (ut Varro loquitur) sugillare mortuorum solebant proximi, filii, mater aut pater. Flaccus l. 3.

——sera componunt lumina dextra.

Hoc autem interdiu facere, lege Mœnia interdictum fuit. Vide J. Meursium ad Lycophron. *Idem.*

Aut vulnera lavi.] Romana consuetudo fuit, ut mortui lavarentur, ideoque hos, qui hoc officium implebant, *pollinctores* appellatos dicunt, qui mortuis os polline oblinebant, ne livor appareret extincti. *Servius.*

488. *Veste tegens.*] En ritus alius. Ornabantur mortui vestibus ad sepulturam. Ennius in Cresphonte,

Neque terram injicere, neque cruenta
Convestire mihi corpora licuit,
Neque miseræ lavêre lacrymæ salsum
sanguinem.

Cleopatram apud Plutarch. in vita Antonii satellites Augusti invenerunt κεκοσμημένην βασιλικῶς, *Regio ornatam cultu*, mortuam videlicet. Sic enim se ipsa composuerat. Florus de eadem, *maximo induta cultu*. Cerda.

Veste tegens; tibi quam noctes, &c.] Hom. Od. τ. de Penelope: ἔνθα καὶ ἠματίη μὲν ὑφαίνεσκεν μέγαν ἱστὸν, νύκτας δ' ἀλλύεσκεν. Item Iliad. χ. Andromache sub tempus cædis Hectoris, ἱστὸν ὕφαινε μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο δίπλακα μαρμαρέην, ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσε. *Festina* autem, ἐπειγομένη, ἐποιχομένη. Sic & Propert. 4. in Ep. Areth. ad Lycotam in castris agentem: *Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.* Et Homer. Od. α. καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε ἔργον ἐποίχεσθαι. Alibi ἀνδάνειν. *Germanus.*

Tibi quam noctes, &c.] Insistit Poëta & mori, & loco Homeri Odyss. 2. Mos fuit mortalium ut sibi, & suis funebres vestes pararent. Homeri locus hic est ore Penelopes ad procos:

 Μίμνετ'

Urguebam, & tela curas solabar anilis.
Quo sequar? aut quæ nunc artus avolsaque membra
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?
Figite me, si qua est pietas; in me omnia tela
Con-

Μίμνετ' ἐπειγόμενοι τὸν ἐμὸν γάμον, εἰσόκε φᾶρος
Ἐκτελέσω (μή μοι μεταμώνια νήματ' ὄληται)
Λαέρτῃ ἥρωϊ ταφήϊον, εἰς ὅτε κέν μιν
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.
Μή τίς μοι κατὰ δῆμον Ἀχαιϊάδων νεμεσήσῃ,
Αἴκεν ἄτερ σπείρου κεῖται, πολλὰ κτεατίσσας.

Locum hunc Homeri jam alii. Sed profero à me locum alium ejusdem Hom. Iliad. 22. ubi Andromacha deplorans mortuum Hectorem, cum dixerit illum jacere, γυμνὸν, *nudum*, subjicit,

— αὐτάρ τοι εἵματ' ἐνὶ μεγάροισι κέονται,
Λεπτά τε, καὶ χαρίεντα, τετυγμένα χερσὶ γυναικῶν.
Ἀλλ' ἤτοι τάδε πάντα καταφλέξω πυρὶ κηλέῳ,
Οὐδὲν σοί γ' ὄφελος, ἐπεὶ οὐκ ἐγκείσεαι αὐτοῖς.

Cerda.

Tibi quam noctes festina diesque Urgebam.] In Romano codice *tibi quod*, & *urguebam* in aliquot veteribus, Attiano more. *Pierius.*

Festina.] Pro *festinans*: Nomen pro participio, vel à verbo derivatum, ut ab eo quod est *festino*, *festinus* dicatur, ut hic *festina*, quomodo superius *funera*. Sallustius, *In secunda cohortes festinas composuerat*, sicut ipse ab eo, quod *Propero, Circumstant properi aurigæ*, ut sit nominativus *hic properus*; & bene *festina*, nam ait superius, *Excussi manibus radii, revolutaque pensa*. Servius.

489. *Urguebam.*] Arripuit Mart. l. 8, Epig. 33.

Nec vaga tam tenui discursat aranea tela,
Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.

Ovid. 11. Metamorph. *festinat vestes.* Cerda.

Urguebam.] De verbo hoc vid. Lambinus ad Horat. Carm. lib. 2. Od. 18.

Marisque Bajis obstrepentis urges.

Emmeness.

490. *Quo sequar?*] Id est, inquiram. *Servius.*

491. *Et funus lacerum tellus habet.*] Dilaniatum cadaver. nam *funus* pro cadavere posuit. Ergo ex posteriore intelligitur prius. *Idem.*

Funus.] Aperte pro cadavere. Ita & Propert. Eleg. 17. lib. 1.

Hæccine parva meum funus arena teget?

Id est, νεκρόν. Et Eleg. 13. lib. 2.

Et si in exiguo laurus superaddita busto,
Quæ tegat extincti funeris umbra locum.

Cerda.

Hoc mihi de te.] Hoc caput intuens ait. *Servius.*

Hoc mihi de te, Nate refers, &c.] Exemplaria manuscripta magna ex parte ita legunt, *gnate refers, hoc sum terraque marique secuta.* Quod dubio procul longe venustiorem sententiam reddit. & est pathos ab inani spe, qua inducta fuerat, ut gnatum terra marique sequeretur, fœlicitatis proposita spe, nunc vero funus ejus miserabiliter intueatur. Nam illud *quæ sum terraque marique secuta*, subfrigidum nescio quid habet. *Pierius.*

493. *Figite me, &c.*] Affectum Silii audi lib. 6. Pun.

Tollite me Libyci comitem pœnæque necisque.

Ac Iocastæ apud Auctorem Thebaidos,

In me arma & ignes vertite, in me omnis ruat
Unam juventus. ——

Et statim pari furore,

—— *civis atque hostis simul*

Hunc

Conjicite, ô Rutuli. me primam absumite ferro,
Aut tu, magne pater divom, miserere, tuoque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi, mæstusque per omnis
It gemitus: torpent infractæ ad prœlia vires.

Illam

Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro.
Mea membra sparsim spargite ac divellite.

& Deianira apud Sen. cum præmisit, non sibi satis esse manu una perire, adjicit,

Coite gentes, saxa, & incensas faces
Iaculetur orbis, nulla nunc cesset manus.

Cerda.

Si qua est piet.u.] Si qua est pietas in occidendo, in me probetur. *Serv.*

494. *Me primam absumite ferro.*] Unusquisque enim in propriæ salutis desperatione, credit tum universa etiam posse consumi, unde est quod modo dixit, *Me primam.* Quasi, mortuo Euryalo, omnes Trojani perituri essent. *Idem.*

495. *At tu, magne pater divom.*] Applaudit huic sententiæ locus Soph. in Elect. ubi chorus:

Ποῦ ποτὲ κεραυνοὶ Διός; ἢ
Ποῦ φαέθων ἅλιος;
Εἰ ταῦτ' ἐφορῶντες
Κρύπτουσιν ἕκηλοι.

Petit videlicet femina κεραυνοῦσθαι, id est, *opprimi fulmine*: ut Medea apud Eurip. in summo dolore,

Αἰ, αἰ. διά μου κεφαλᾶς φλὸξ οὐρανία
Βαίη. τί δέ μοι ζῆν ἔτι κέρδος;

Et Adrastus in Supplicib.

Πυρός τε φλογμὸς ὁ Διὸς ἐν κάρᾳ πέσοι.

Thyestis etiam apud Sen.

—— *trisulco flammeam telo facem*
Per pectus hoc transmitte. ——

Affinia etiam duo alia loca Virg. Nam lib. 4.

Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras.

Et lib. 5.

Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.

Atque adeo quod in 4. & 5. *fulmine*, hic *telo.* Sic & Græci passim. Nam Herodot. βέλος ἐνέσκηψε θεός. & Soph. βέλος κεραυνοῦ. Noster, *tela Typhoëa.* Et quidem Virg. cum alibi dixit, *desjicit telo Ceraunia*, jungens *telum*, & *Ceraunia*, proculdubio institit loco laudato Soph. qui βέλος κεραυνοῦ. Est & Virgilio affinis Statius 1. Theb.

Quid meruere Argi? me me, Divûm optime, solum
Objecisse caput fatis præstabit. ——

Cerda.

496. *Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo.*] *Invisum* quidem est, hoc est, odiosum caput: ergo deest *tibi*, & si *Invisum*, quomodo *miserere?* verum misericordiæ genus est, si me etiam iratus interimas. *Servius.*

497. *Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.*] Hinc traxit illum colorem Iuvenalis, *Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo.* Idem.

499. *Torpent infractæ.*] Antea infractæ, nunc tamen torpent. Ut *Turnus ut infractos adverso Marte Latinos.* Naturaliter enim homines dolore ac miseratione franguntur. *Idem.*

Infractæ.] Notandus usus & vis hujus vocis apud classicos auctores: accipitur siquidem opposite, interdum pro eo quod Græcis ἄῤῥηκτος, interdum contraria significatione, ac si ab *infringor* verbo participium descenderet. *Germanus.*

Infractæ.] Id est, fractæ. Vide Not. 5. Æneid. ✠s. 784. *Taubm.*

500. *In-*

Illam incendentem luctus Idæus & Actor,
Ilionei monitu & multum lacrimantis Iuli,
Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.
At tuba terrebilem sonitum procul ære canoro

Incre-

500. *Incendentem luctus.*] Vix est ullus humanus affectus, qui non per flammas, aut ignes exprimatur & augeatur. Serviunt iræ, dolori, spei, invidiæ, amori; & quibus non? Firmo ea quinque breviter. De ira Simocatta cap. 17. lib. 2. *στεῖρα γὰρ ἦν πρὸς ὀργὴν ἡ τοῦ βασιλέως ψυχὴ, καὶ παρὰ τὴν θυμικὴν φλόγα ἀσυμμετρίαστος.* De dolore hic Virg. *incendentem luctus.* quod fortasse ab Homer. qui 1. Iliad. *δάκρυα ἀναπρήσας.* Idem in Odyss. *οἰμωγὴ δέδηε.* & Calab. *γόος δεδήει·* ubi *gemitus* & *luctus* cum verbo *δαίομαι*, id est, *incendor*, *ardeo.* De spe Soph. in Elect. ubi, *θάλπῃ τῷ δ' ἀνηκέστῳ πυρί; quo tanto igne incaluisti?* pro, *qua tanta spe?* De invidia Sidon. epist. 11. lib. 1. *Cui Satyricus ille morsum dentis igniti avidius impresserat.* De amore, quis ignorat? Ut vero ignis vires suas dat animo, ira vicissim (quod scitu dignum) animus igni. Inde Simocatta cap. 11. lib. 1. *πυρὶ*, id est, *igni*, dat *θυμὸν*, id est, *animum.* Et Sidon. epist. 2. lib. 2. *arcuat illi caminus sæpe ignis animatus.* Ergo egregie utrumque, videlicet, *animus ignitus*, *ignis animatus.* Cerda.

Incendentem luctus.] Augentem, incitantem animos ad lugendum. Scalig. lib. 4, 16. Ammianus lib. 14. *Incenderat audaces usque in insaniam homines.* Lucan. lib. 1.

—— tantum tamen addidit iræ,
Accenditque ducem. ——

Taubmannus.

Idæus & Actor.] Ex nominibus personarum & finem & dignitatem rei addit. Servius.

501. *Lacrimantis Iuli.*] Puero dat lachrymas, cui potest sine pudore: viris fortibus, tantum dolorem. *Idem.*

502. *Corripiunt.*] Ab Hom. qui in pari affectu,

Δάκρυα θερμὰ χέοντες ἀμαξάων ἐπάειραν·
Lacrymas calidas fundentes subduxerunt à curribus. Cerda.

Sub tecta reponunt.] Honorifice. Quod autem dicit *Corripiunt*, non injuriæ est, sed celeritatis: id est, raptim tollunt. *Servius.*

Sub tecta repertant.] In Mediceo, in Vitaliano, & plerisque aliis antiquis codicibus *in tecta reponunt* habetur. In Porcio, *sub tecta reponunt*, præpositiva ab his tantum particula variata. *Pier.*

Sub tecta reponunt.] De Didone l. 4.

—— suscipiunt famulæ, collapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt. Cerda.

503. *At tuba terribilem sonitum.*] Hemistichium Ennii. nam sequentia iste mutavit. Ille enim ad exprimendum tubæ sonum ait *Taratantara dixit.* Et multa hujusmodi Virgilius cum aspera invenerit, mutat. Bene tamen hic electis verbis imitatur sonum tubarum. *Servius.*

At tuba terribilem sonitum, &c.] Ex Ennio,

Tubaque terribili sonitu taratantara dixit.

Videtur autem Ennius respexisse ad Archilochi *τήνελλα*, & Aristophanis *θρεττανελό. Ursinus.*

At tuba, &c.] Scalig. lib. 2. cap. 32. Et *Mallius* tradit, *Heroum*, quod & *Pythium* dicitur, & *epos*, proprie esse, quod post quinque dactylos spondeo clauditur. quod implendæ tubæ heroicæ cantuique Mæonio ac Maroniano vehementer idoneum; adjuvantibus id præsertim horridis & obstrepentibus cum litteris, tum syllabis. *Taubm.*

Terribilem sonitum.] Ælianus cap. 44. lib. 2. Var. Hist. hunc sonitum vocat

asperum

Increpuit. sequitur clamor, cælumque remugit.
Accelerant acta pariter testudine Volsci,
Et fossas inplere parant, ac vellere vallum.

Quæ-

asperum & *formidabilem.* Verba illius: ἅμα δὲ ἦν τὸ μέλος ἐκεῖνο τραχὺ καὶ φοβερὸν, καὶ οἷον εἰς ὁπλιτῶν ἔξοδον ταχέως ἐκβοηθούντων μελῳδεῖσθαι σάλπιγξι. *Simul ac igitur auditum est carmen asperum, & formidabile, tuba quasi armatorum eruptionem celeriter insonante.* Agathias 2. Hist. ἄγριον ἦχον, *agrestem sonitum.* Ennod. Declam. 8. *terrorem* dat, *in tubarum clangore terrorem.* Cerda.

504. *Increpuit.*] Et insonuit, & segnitiam increpavit. *Servius.*

Increpuit.] Ita ante Virg. locuti alii. Nam Ennius in Thyeste apud Nonium,

Sed sonitus aures meas pedum pulsu increpat.

Et Plautus Amphitryone, ut signet sonitum fulminis,

Totus tremo, ita me increpuit Juppiter.

Cerda.

Increpuit.] Ita quoque Sil. Ital lib. 5.

Increpuere simul feralia classica signum,
Et tuba terrificis fregit stridoribus auras.

& lib. 14.

Nec mora, terrificis sævæ stridoribus aris
Per vacuum late cantu resonante profundum
Incubuere tubæ.

Ubi pro *incubuere* ex Gronovii restitutione legendum *increpuere.* Eum vide lib. 3. Observat. c. 8. *Emmeness.*

Cælumque remugit.] Transfer, ut illustres hunc locum, quæ jam lib. 8. ad illud,

Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.

Cerda.

505. *Acta testudine.*] *Testudo* scutorum est connexio, curvata in modum & similitudinem testudinis, cum à militibus aliqua civitas obsidetur, & fit ut murus ejus subruatur. Namque in armorum generibus milites sumunt ab animalibus nomina, ut aries. Salustius, *In modum ericii militaris.* Inventor autem testudinis Artemon Clazomenius fertur, idemque arietis repertor dicitur. Scuta gestare Curetes primi invenerunt, galea Thracicum tegmen est. Thoraces Thorax quidam rex dicitur invenisse; Lycaon Arcas gladium longiore lamina produxisse narratur; Peleus primus machæram dicitur invenisse: Arpen, id est, curvum gladium in modum falcis, à Perseo inventam multi dixerunt. *Servius.*

Acta testudine.] *Testudo*, Gr. συνασπισμὸς, id est, *conscutatio*, junctio est corporum armorumque, & scuta partim lateribus applicita, partim capitibus superlata & quasi connexa. Optime eam Livius describit lib. 44. *Juvenes quidam Romani, ludicro Circensi ad usum belli verso, &c.* Vide ibidem: ut & Ammianum lib. 26. & Lucan. lib. 3. Quæ omnia de industria tractavit J. Lipsius lib. 1. Poliorcet. Dial. 5. *Taubmannus.*

Volsci.] Non mirum, quia dicit Volscos, cum & Camilla de Volscis sit, ut, *Et Volsca de gente Camilla.* Namque pars aliqua Tusciæ dat Turno auxilia, cum Tuscos dixerimus specialiter Æneæ favere. Item econtra pars Venetiæ auxilium præstat Æneæ, quam Turni fuisse superius diximus. *Servius.*

506. *Fossas inplere parant.*] Vertit ordinem: nam ante est ut impleatur fossa, tollantur valli: & sic testudine accedatur ad murum. Quanquam possimus intelligere etiam ad fossas eos facta venisse testudine. Proprie tamen *fossas implere*, *vallum vellere*, sic enim & historici. *Idem.*

Ac vellere vallum.] Male in Romano codice pro *vellere*, *pellere* est, sumptum ex inferiori versu, ubi recte, *Pellere vallo missilibus certant*, scriptum est. *Pierius.*

507. *Quærunt pars aditum.*] Locus Hom. Iliad. 12.

Ἴθυσαν δ' ἐπὶ τεῖχος ἀολλέες. οἱ μὲν ἔπειτα

Κορ-

Quærunt pars aditum, & scalis adscendere muros;
Qua rara est acies, interlucetque corona
Non tam spissa viris. telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Adsueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Pos-

Κροσσάων ἐπέβαινον ἀναχυθεῖα δ' ὑφ' ἐχεσ' ἴχοντες.

Hunc ad mœnia aditum, atque ascensum ἀμβατὸν vocat Hom. Iliad. 6. & ἄνοδον Josephus cap. 4. lib. 7. Bell. *Cerda.*

509. *Telorum effundere contra Omne genus.*] Proprie: tela enim non jaciuntur in subjecto, sed funduntur: & dicendo *Omne genus telorum*, ostendit telum vocari omne quod jacitur. Græci τὰ βέλη ἀπὸ τ̃ βάλλειν· sicut Latine *tela*, ἀπὸ τ̃ τῆλε, id est, longe. *Servius.*

Effundere.] Plus est quam mittere. ille enim effundit cui magna est copia, nec mittendi propter copiam metuit finem. præterea etiam quæ emitti non possunt, fundimus: & fusa proficiunt, ut est aqua calida, pix fervens & soluta, & oleum candens. *Donatus.*

Telorum effundere contra, &c.] Expressit Homericum illud in Iliad. ε. — πρῶτες δ' ἐπὶ δ' ὑφ' ἴχθυαι Ὀξέα παμφανόωντα. *Ursinus.*

510. *Detrudere contis.*] Nam scalis ad eos perveniebant. Quanto autem Rutulorum laudatur instantia, tanto præferuntur Trojani. *Donatus.*

Duris detrudere contis.] Sunt qui hîc, *longis contis.* Certe Nonius: *Conti hastæ longiores, & robustæ.* Sed nihil muto. Nam si *hastæ robustæ*, etiam *duris.* Contos ait Lips. caruisse saurotere, id est, ima cuspide: nam Sil. lib. 15.

Sustentata genu per campum pondera conti
Sarmatici, prona adversos & urgebat in hostes.

Etenim σαυρωτὴρ nocuus esset genibus. Notabis, duplex fuisse genus conti, alterum missile, alterum statarium. De hoc extremo capiendus Poëta. Strabo clare lib. 10. κοντὸς ἀμφοτέρας τὰς χεῖρας ἀποδίδωσι, καὶ γὰρ ὑστάδην χρῶνται, καὶ κοντοβολοῦντες. Animadvertit Eustath. in lib. 9. Odyss. nunquam Homerum usum hac voce pro militari telo, sed pro nautico. κοντὸν ὅπλον οἶδε ναυτικὸν ὁ ποιητὴς, οὐ μὴν πολεμικόν. Sed hoc nihil impedit. Certe Græci alii inter militaria tela posuere. Vide Pollucem lib. 1. cap. 10. & lib. 10. c. 31. ibi δορὺ κοντός. hîc ἀκοντίσματα κοντοί. Latinis fuere milites *contati*, de quibus Veget. *Cerda.*

511. *Adsueti longo.*] Docet usum in rebus omnibus plurimum posse. *Serv.*

Adsueti longo, &c.] Polyb. lib. 10. πολλὰ γὰρ οὐ μόνον τ̃ δυσχερῶν, ἀλλὰ καὶ τ̃ ἀδυνάτων εἶναι δοκούντων κατὰ τὰς ἀρχὰς, μετὰ ταῦτα χρόνου καὶ συνηθείας τυχόντα, ῥᾷστα πάντων ἐπιτελεῖται· *Sæpe enim ea, quæ initio non difficilia tantum esse, verum omnino non posse fieri videbantur, mox ut accessit tempus & consuetudo, facillima omnium evadunt.* Cerda.

Adsueti.] Ut quos belli decennalis Trojani calamitas fecerat doctiores. *Taubmannus.*

512. *Saxa quoque, &c.*] Milites Jugurthæ apud Sallust. eo loci, quo Zamum defendunt ab aggressu Romanorum: *Contra ea oppidani in proximos saxa volvere, sudes, pila*, &c. Ammian. lib. 20. *Contra hæc oppidani superstantes propugnaculis celsis, lapidibus eminus, telorumque genere omni ad interiora ferocius se proripientes arcebant.* Eodem lib. *Lapidibus subjectos incessebant, & telis.* Et lib. 21. agnosces idem belli genus, ubi *pedites obtriti sint saxis immanibus.* Et apud Hom. Iliad. 12. ubi

Poſſent tectam aciem perrumpere: cum tamen omnis
Ferre libet ſubter denſa teſtudine caſus.
Nec jam ſufficiunt. nam, qua globus imminet ingens,
Inmanem Teucri molem volvuntque ruuntque:
Quæ ſtravit Rutulos late, armorumque reſolvit
Tegmina. nec curant cæco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, ſed pellere vallo
Miſſilibus certant:

Parte

ubi defenſio fit *χερμαδίοισιν εὐδμήτων ἀπὸ πύργων*, *lapidibus ex turribus bene ædificatis.* Quem locum exploraſſe credendus eſt Virgilius. Apud Calab. quoque lib. 11. Trojani in Græcorum teſtudinem ſaxa jaciunt, & perrumpunt, *καθύπερθε* (inquit) *Τρώϊοι υἷες βάλλον χερμαδίοισι. Cerda.*

Infeſto volvebant pondere.] Hoc eſt, infeſti ponderis. *Servius.*

513. *Tectam aciem.*] Ita pulchre vocat teſtudinem; nam ſub ea tecti milites. Quod Lucan. arripuit lib. 3.

Ut tamen hoſtiles denſa teſtudine muros
Tecta ſubit virtus, armiſque innexa priores
Arma ferunt, galeamque extenſus protegit umbo.

Alluſit fortaſſe Poëta ad Calab. lib. 11. in quo hæc ſunt

Ἀσπίδας ἐντύναντο, βάλλον δ᾽ ἐφύπερθε κάρηνα,
Θέντες ἐπ᾽ ἀλλήλοισι, μιῇ δ᾽ ἢ ἅπαν ἤρμοσεν ὁρμῇ,
Φαίης κεν μεγάροιο κατηρεφὲς ἔμμεναι ἕρκος.

Scuta inſtruxerunt, & ſuper capita extulerunt
Inter ſe conſerta, totaque ſeries uno impetu cohæſit,
Dixeris ſane id munitum eſſe domus tectum.

Cerda.

Cum tamen omnes Ferre libet.] In Mediceo *juvat* ſcriptum eſt. *Pierius.*

514. *Subter denſa teſtudine.*] Hoc eſt, ſubter teſtudine. *Servius.*

Subter denſa.] In codicibus aliquot antiquis *ſupter* per *p* legitur, & hic & alibi. *Pierius.*

Subter.] Lubet audias hoc loco verba Agrætii Grammatici veteris diſcriminantis quatuor particulas. *Super eſt, quod eminet: ſupra, quod ſubſtratum aliquid habet: ſubter, quod ab re aliqua ſuperiore premitur, & conculcatur: ſubtus, quod demiſſum altius non contingitur.* Cerda.

515. *Nec jam ſufficiunt.*] Diu jam non ſuſtinent. *Servius.*

516. *Ruuntque.*] Hic *ruunt*, pro *dejiciunt.* Idem.

Ruuntque.] 1. Æn.

—ſpumas ſalis ære ruebant.

Terent. Adelph. *cæteros ruerem, agerem, raperem, &c.* Taubm.

517. *Armorumque reſolvit Tegmina.*] Hic oſtendit armorum connexionem eſſe teſtudinem. Lucanus de teſtudine, *At poſtquam virtus incerta virorum Perpetuam rupit defeſſo milite cratem, Singula continuis ceſſerunt ictibus arma.* Serv.

518. *Cæco Marte.*] Vide varietatem & flexus boni Poëtæ. Quoties recurrit ad teſtudinem, novo ſemper modo effert: audis enim *tectam aciem, armorum tegmina, cæcum Martem.* Credo autem omnino alluſum ad gladiatores Andabatas, qui pugnabant tectis oculis galea, ac proinde cæcorum more. Vide interpretes ad Martialem, & unum Lipſium lib. 2. Saturn. c. 11. Itaque *cæcus Mars* Poëtæ tegentis milites teſtudine eſt, ut *cæcus Andabata* tegens oculos galea. *Cerda.*

520. *Miſſilibus.*] Scilicet *jaculis*; ſemper

Desidiæ cordi; juvat indulgere choreis:
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O verè Phrygiæ, neque enim Phryges, ite per alta
Dindy-

dicit; *Et tunicæ manicas:* χειρεδυτὰς enim, id est, tunicas *manicatas*, sive (ut Plaut. Pseud. act. 2. sc. 4. vocat) *manuleatas* significat, quæ viris probro erant apud veteres Romanos, qui *colobio*, id est, tunica manicis defecta utebantur. Hinc & Cic. Act. 2. probro Catilinæ objecit, quod manicatis ac talaribus tunicis esset. Videatur Turnebus libro 22, 15. & lib. 29, 25. Agellius lib. 7. cap. 12. & J. Meursius Com. in Lycophr. Alexandram, & J. Bapt. Pius Annot. Post. c. 58. denique & Proverb. Στηλιτικὴ πληγή. *Taubm.*

Fulgenti murice.] Purpura. Hanc autem vitio & dedecori apud majores fuisse constat. Juvenalis, *Peregrina ignotaque nobis Ad scelus atque nefas quæcunque est purpura ducit.* Servius.

Fulgente murice.] De Murice vide quæ diximus ad Ecl. 4. ✝︎ſ. 44. *Emm.*

615. *Desidiæ cordi.*] Vobis sunt, & est ab animo argumentum. *Serv.*

Choreis.] Servavit hoc loco naturam syllabæ, quam in sexto metri caussa corripuit. Ut, *Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.* Idem.

616. *Et tunicæ manicas.*] Tunicæ vestræ habent manicas, quod etiam Cicero vituperat, dicens, *Manicatis ac talaribus tunicis.* Nam colobiis utebantur antiqui. Sane *habent* bis subaudiendum. *Idem.*

Et tunicæ manicas.] Χειρίδας, ἐνδῦναι δὲ χειροδυτὰς significat. Aug. lib. 1. De doct. *Talares ac manicatas tunicas habere apud veteres Romanos flagitium erat:* unde & Græcis μακρόχειρα, *tunica manicata.* Lampr. *Macrochiras ex purpura ad usum suum revocavit.* Germanus.

Et habent redimicula mitræ.] Illud dicturus fuerat, Habetis in pileis redimicula: quod convertit in vituperationem majorem, dicens, *Religatas habetis mitras.* Nam *pilea*, virorum sunt: *mitra* fœminarum, quas *calanticas* dicunt. *Mitra* autem proprie Lydorum fuit, ut, *Mæonia mentum mitra.* quem habitum imitati sunt Trojani. Alii *mitras* meretricum esse voluerunt, quod hic est tanquam effœminatis objectum. *Servius.*

Redimicula.] Erant hæc vincula, quibus mitræ ipsæ illigabantur. Id clare colligas ex Achille Alexandrino l. 3. καὶ ἐπισκευάσαντες μίτραις τε, καὶ ζώσμασιν ἐνδεδυμένην, τὴν σκευὴν ταύτην ἐπικρύψωμεν· *Adornantes puellam mitris, & vittis indutam, apparatum istum occultabimus.* Itaque, *ridimicula* sunt, quæ Achilles vocat ζώσματα. Ovidius misso nomine verbum intulit in Epist. *mitra redimire capillos.* Quod vero Achilles ζῶσμα, Herodotus (citante Stob. περ. ἐπιορκ.) vocat εἵλικα, quasi dicas, *volutionem*, aut *circumvolutionem.* Ait enim, πρὸς δὲ χειρὸς ἀντίληψιν εἵλικα μίτρης ἐδησάμενον· *ut autem manus apprehenderet, ligavit circumvolutionem mitræ.* Fortasse & Nonnus lib. 26. easdem vittas intelligit per κρήδεμνα, id est, *reticula.* Ait enim λύσατε μίτρην, ῥίψατέ μοι κρήδεμνα· *solvite mitram, abjicite mihi reticula.* Propert. Eleg. 29. lib. 2. *ligamina* vocat, eo versu:

Quæ cum Sidoniæ nocturna ligamina mitræ.

Utramque vocem conjunxit Pollux capite 24. lib. 4. μίτρας, ἀναδήματα. Jam vero connexa mentio mitræ & redimiculi, ut jam unum, jam alterum enuntietur. Testis Ovid. in Epist. qui de Hercule,

Ausus es hirsutos mitra redimire capillos.

Et de eodem in eadem Epist.

Detrahat Antæus duro redimicula collo.

Vides in primo versu *mitram* solum, in altero *redimiculum:* sed neutrum sine alio. *Cerda.*

617. *O veræ Phrygiæ.*] Ipsos vitupera-

Dindyma; ubi adsuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocant Berecyntia matris
Idææ.

raverat Phryges: nunc ad majorem injuriam *Phrygias*, non *Phryges* dixit. *Servius*.

O vere Phrygiæ.] Ita Hom. Iliad. β. & η. ἀχαΐδες, οὐκέτ' ἀχαιοί. *Taubm.*

Ite per alta Dindyma.] Montes matris deûm. *Ire* autem *per alta* sic dicit, quasi currite per Dindyma, & ducite choros per Dindyma: nec sufficit Nomano loqui injuriam Trojanorum, nisi etiam sacris numinum conjunctam faciat. Sed hoc jam quasi moriturus loquitur, hoc est enim *Digna atque indigna relatu Vociferans*, ut digna sint, quæ de suorum virtute dixit; indigna, quæ impia & in deos ausus est. *Servius.*

Dindyma.] Etymon aperit interpres Apoll. διὰ τὸ διδύμους μαστοὺς ἐν αὐτῷ ἀνήκειν. & statim: ἢ διὰ τὸ δύο ἀκρωτήρια ἔχειν· *quod assurgeret geminis jugis, habeatque duas tanquam arces & summitates.* Locum integrum imitatur Prudent. Psychom.

Ite ad nocturnas epulas, ubi cantharus ingens.

Tu reliqua. *Cerda.*

Ite per alta Dindyma.] *Dindymus* & in plurali *Dindyma* mons fuit Troadis, Deæ Cybelæ sacer; à quo & *Dindymene* fuit dicta, teste Stephano: Δίνδυμα, ὄρη τῆς Τρωάδος, ἀφ' ὧν Δινδυμήνη ἡ Ῥέα. In hoc monte sacra quoque ejus celebrabantur à Phrygibus, & quidem nocte; unde *nox Phrygia* dicuntur Statio lib. 12. Theb. ✝s. 224.

Nocte velut Phrygia, cum lamentata resultant
Dindyma, pinigeri rapitur Simoëntis ad amnem
Dux vesana chori, &c. Emm.

618. *Biforem dat tibia cantum.*] Bisonum, imparem. Et servavit eis tibiarum suarum, id est, Phrygiarum naturam. Tibiæ aut *Serranæ* dicuntur, quæ sunt pares, & æquales habent cavernas. Aut *Phrygiæ*, quæ & impares sunt, & inæquales habent cavernas. Ergo *biforem*, dissonum, dissimilemque. Non sunt pari modulatione compositæ. Ut enim ait Varro, *Tibia Phrygia dextra unum foramen habet: sinistra duo, quorum unum, acutum sonum habet, alterum gravem.* Servius.

Biforem.] Necessaria hic verba Servii; explicant enim signate de duplici foramine. Et, quid si apud Ovid. Pallas Fast. 6. his versibus,

Prima terebrato per rara foramina buxo
Ut daret, effeci tibia longa sonos.

intelligat duo tantum? Nam hæc raritas cur non de exiguo numero? Stat. 4. Theb. clare de Phrygia tibia.

Æraque, tympanaque, & biforem reticere tumultum. Cerda.

Biforem.] Bisonum, imparem. vide Cæl. l. 9. c. 7. & Aristot. lib. Polit. θ. *Taubm.*

Tibia.] Applaudit menti Poëtæ locus Aristotel. 8. Polit. c. 6. ubi improbat cantum tibiæ, aitque pueros non ea instituendos, ut quæ sit parum apta ad bonos mores, sed potius ad stimulandos animos furore Bacchi. Longissime hoc ille. Potiora sunt. ἔτι δ' οὐκ ἔστιν ὁ αὐλὸς ἠθικὸν, ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικόν. Et quæ alia matris Deûm sacra, nisi Bacchica, & furiosa, & tota ὀργιαστικά? Postea addit, τὸ κωλύειν τῷ λόγῳ χρῆσθαι τὴν αὔλησιν. Et quidem tibiam esse sacram Cybelæ, clarum, non solum ex Poëta hoc loco, sed ex multis aliis Poëtis. Omitto: & tantum do Arnob. qui lib. 7. de sacris hujus Deæ: *Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim Superi, remeare ut ad vigilias debeant. Quid dormitiones illæ, &c.* Dicit hoc, quia ministri hujus Deæ mane illam salutabant excitabantque à somno, tibiarum modulatione: vespere valere jubebant mox dormituram. *Cerda.*

619. *Tympana vos buxusque vocant Berecynthia.*] In antiquis exemplaribus

vocat

Idææ. sinite arma viris, & cedite ferro.
Talia jactantem dictis, ac dira canentem

Non

vocat numero singulari, ut cum viciniori supposito congruat. Est & *Verecynthia* per *V* digammon in codicibus nonnullis. Ut hujusmodi pleraque alia, Græcæ consonantis sono. Male vero scribunt qui syllabæ pene ultimæ adspirationem apponunt, quum *ε* sit apud Græcos *βερεκυντία*. *Pierius.*

Tympana.] Orpheus in Hymno Cybelem vocat *τυμπανοδοῦπον*, *tympanicrepam*. Clemens in Protrept. ait, Anacharsin interfecisse civem suum *τύμπανόν τι ἐπιτυποῦντα, καὶ κύμβαλον ἐπηχοῦντα* in sacris Phrygiæ matris. Et nota, *κύμβαλον* etiam nominari à Clemente: nam æreum quoque tintinnabulum in sacris hujus Deæ. Inde Hesychius illam vocat *χαλκόκροτον*. & Statius versu adducto, *Æraque, tympanaque*. Propert. quoque Eleg. 7. lib. 4.

Quæ numerosa fides, quæque æra rotunda Cybeles.

Fuerunt *instrumenta luxuriæ tympana*, ait Justin. lib. 30. Fuit vero *tympanum pellis, vel corium ligno ex una parte extensum*, verba sunt Isidori lib. 3. c. 22. Verissime hoc Isidorus. Nam Eurip. in Helen. *τύμπανα βυρσότονα*, *tympana facta ex corio*. Adjicit idem Isid. tympanum percuti virga. In hoc hæreo. Nam Catull.

Plangebant alii proceris tympana palmis.

Idem in Aty:

Quatiensque terga tauri teneris cava digitis.

Et vere tympanum describit. Sueton. etiam cap. 68. August. *Comprobavit versum in scena pronuntiatum de Gallo matris Deûm tympanizante,*

Videsne, ut cinædus orbem digito temperat?

Ovid. quoque lib. 4. Metamorph. *pulsataque tympana palmis*. Demum Lucret. lib. 2. *Tympana tenta tonant palmis*. Non ergo virga percutitur. Dicebam sup. fuisse tympanum notam mollium. Hoc idem firmat Plaut. Trucul. conjungens *mœchum, malacum, cincinnatum, tympanotribam*. Idem Pœnul.

Cur non adhibuisti, dum isthæc loquereris, tympanum?
Nam te cinædum magis arbitror esse, quam virum. Cerda.

Buxusque vocat Berecyntia.] A monte Berecynto dicta. Dicitur autem & *hæc buxus* & *hoc buxum*. ut, *Et torno rasile buxum*. Unde superfluo quidam arborem generis fœminini esse volunt, cum hoc loco etiam de ligno generis fœminini habeamus exemplum. *Serv.*

Buxus Berecyntia.] Cum supra *tibiam* dixisset, nunc *buxum* adhibet, unde fiat tibia. Ergo, ut in illo *biforem* ingessit formam, sic in *buxo* materiam. Propert. Eleg. 9. lib. 4. *cava buxa* dixit ad signandam tibiam. & Ovid. 4. Metamorph. *longoque foramine buxus*. ut & Stat. 7. Theb. *& ad inspirata rotari Buxa*. Itaque in Claud. 2. Eutrop. versu illo, *tacitas presserunt orgia buxos*, explica tibias buxeas; & ex adjuncta voce *orgia:* adduxi enim ex Aristot. superiore Nota, tibiam esse *ὀργιαστικόν*. *Cerda.*

Buxus Berecyntia.] Non abs re, cum vellet significare tibiam Phrygiam, *buxum* posuit, sed materiem tibiæ Phrygiæ propriam nominavit. Nam ut Afrorum tibiæ è *loto* erant; sic Phrygum è buxo. Turneb. l. 30. c. ult. *Taubm.*

620. *Cedite ferro.*] Aut ferrum relinquite: & est iteratio. Aut *cedite ferro*, id est, cum viri non sitis, abscindite partem virorum. *Servius.*

Cedite ferro.] Servius intelligi putat de cultris quibus sacerdotes Deæ Cybeles evirabantur. Atque ita *cedite*, parere interpretandum erit. Sed enim figuratius est dicere, *ferro*, hoc est, bello. Neque indecora est illa ejus sententiæ per diversa vocabula repetitio, quam is fere negligit *Pierius.*

621. *Jactantem.*] De suorum gloria. *Servius.*

Non tulit Aſcanius ; nervoque obverſus equino
Intendit telum , diverſaque brachia ducens
Conſtitit , ante Jovem ſupplex per vota precatus :
Juppiter omnipotens , audacibus adnue cœptis.
Ipſe tibi ad tua templa feram ſollemnia dona ,
Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem , pariterque caput cum matre ferentem ;

Jam

Jactantem.] Sæpe Virg. Poëtæ alii, & Latini omnes uſi hoc verbo ad explicandum inanem & futilem ſermonem. Id credo ab Græca elegantia. Nam Hom 18. Iliad. *ἄλιον ἔπος ἔκβαλον ἤματι κείνῳ· verbum vanum emiſit die illo.* ubi ἔκβαλεν reſpondet Latino *jecit* , aut *jactavit*. Cerda.

Dira canentem.] Ad injuriam Trojanorum. *Servius.*

622. *Nervoque obverſus equino*]Quia in arcubus nervi equini ſolent eſſe. Accius Philoctete , *Tendens nervo equino concita tela.* Idem.

Nervo equino.] Heſych. *ἱππικὴ τάσις , ἡ νευρὰ τοῦ τόξου , διὰ τὸ ἐξ ἱππείων γίνεσθαι τριχῶν· Equina intentio de nervo, qui eſt in arcu , quod fit ex equorum ſetis.* Attius: *Tendens nervo equino concita tela.* Ex triplici hoc teſtimonio Virgilii, Heſychii , Attii apparet nervos arcuum fieri ſolitos ex equinis ſetis. *Cerda.*

624. *Ante Jovem ſupplex per vota precatus.*] Atqui Apollinem debuit invocare jaculaturus ſagittas; ſed diximus ideo Jovem invocatum, quia omne initium & incrementum Jovi debetur: ut, *ab Jove principium Muſæ.* Unde nunc Aſcanius , non quid faciat, cogitat: ſed quod primum , inde invocat Jovem. *Servius.*

Precatus.] Quia primordia erant belli, recte Jovem precatus eſt. *Don.*

625. *Juppiter omnipotens.*] Hoc epitheton interdum ad gloriam numinis ponitur , interdum ad cauſam dicentis. Namque hoc loco dicendo *Omnipotens* , oſtendit eum etiam his, qui per ſe minus valent , præſtare poſſe virtutem. *Servius.*

Adnue.] Verbum expreſſum : nam nutus Deorum eſt , & Iovis imprimis. Silva exemplorum in Briſſ. Hom. 2. Iliad. dixit , *κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα. Cerda.*

626. *Ipſe tibi.*] Bene *ipſe* , quia adhuc pro Aſcanio pater ſolebat ſacrificare , nam ideo & *ſolemnia* ait , quæ fieri ſolerent, ut ſe oſtenderet, ſi victoria & pax eſſet ſecuta , etiam illius officii capacem eſſe. *Servius.*

Feram ſollemnia dona.] *Feram*, de juvenco non dicimus : ſed *adducam*. Intelligimus ergo alia dona eum ferre promiſiſſe. Singulis enim numinibus certa ſunt dona quæ offeruntur. Unde eſt, *Strueremve ſuis altaria donis*, id eſt, congruis. *Idem.*

627. *Et ſtatuam ante aras juvencum.*] Per aras ſe daturam victimam oſtendit alibi , *Si ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aras.* Quotiens enim victima reluctabatur, oſtendebat ſe improbari. Lucanus, *Diſcuſſa fugit ab ara Taurus. Juvencum* autem ſecundum Romanas ceremonias dicit. Nam Jovi de tauro non immolabatur , ut etiam in tertio diximus , niſi cum triumphi nomine ſuovetaurium faciebant : quod tamen ideo admiſſum eſt, quia non tantum Jovi, ſed & aliis diis qui bello præſunt, ſacrificabatur. *Idem.*

Aurata fronte juvencum.] Ita enim victima ornari conſueverat. *Idem.*

628. *Candentem.*] Candidum. Iuvenalis , *Duc in Capitolia magnum cretatumque bovem.* Idem.

Caput cum matre ferentem.] Hoc eſt, non juvenci matrem , ſed quæ jam peperiſſet. Unde conſuetudo permanſit, ut

vacca

Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.
630 Audiit, & cæli genitor de parte serena
Intonuit lævum: sonat una fatifer arcus.

Effu-

vacca simul & taurus auratis cornibus Jovi Capitolino immolarentur. Et æqualem matri, nondum patri. Juvenalis, *Quem jam pudet ubera matris Ducere: qui vexat nascenti robora cornu.* Idem.

Pariter caput cum matre ferentem.] Æqualem matri, nondum patri. Ita Theocrit. Id. 8. ἰσομάτορα ἀμνὸν, *agnum æqualem matri* dixit. Et videtur alludere ad ἱερεῖον τέλειον, quæ *major hostia* est & perfectæ ætatis. *Taubm.*

629. *Pedibus qui spargat arenam.*] Nam hoc uno stimulo taurus ad iras concitatur. Sic jam lib. 3. Georg. *sparsa ad pugnam proludit arena.* Lege & quæ dicam lib. 12. ubi repetitur idem hemistichium. *Cerda.*

630. *Audiit.*] In antiquis per synæresin *audit*, de quo sæpe alibi dictum. *Pierius.*

De parte serena.] Ut non caussæ sit, sed augurii. Et auspicii vis ostenderetur, solent enim tonitrua per tempestatem inferri. *Servius.*

De parte serena.] Quia sine nubibus, &, ut ait Calab. lib. 12. ἀνεφέλου οὐρανοῦ. & Hom. Odyss. 20. ait, Jovem tonuisse οὐδέ ποθι νέφος ἐστί· *cum nullibi est nubes.* Xenoph. in Hellen. lib. 7. ait, intonitum ἐξ αἰθρίας, ut etiam Aristotel. 2. Meteor. αἰθρίας οὔσης· Græci alii ἐξ εὐδίας. In Virg. & aliis clare indicatur prodigium; nam cœlo sereno & sine nubibus, fieri tonitrum, & gigni fulmina, ratio abnuit, & Philosophorum dogmata. Consule Lucret. lib. 6. Unde Hom. loco adducto cum videat intonitum innubi cœlo, colligit præberi à Jove τέρας, id est, *ostentum*, & *prodigium.* Et Plin. cap. 51. lib. 2. inter Catiliniana prodigia narrat, Herennium ictum fuisse fulmine die sereno. In re etiam prodigiosa Sen. in Thyeste, *Tonuit dies serenus.* Dio lib. 37. inter portenta belli civilis, καὶ ἄλλα δ' αὐτοῖς σημεῖα ἐκ αἰσιά συνηνέχθη, κεραυνοί τε γὰρ ἐν αἰθρίᾳ πολλοὶ ἐπέσον· *Fuere portenta alia infausta, cecidere multa fulmina sereno cœlo.* Imitationem, si quæras, ea ducta est, vel ab Ennio, qui 1. Ann.

Cum tonuit lævum bene tempestate serena.

Vel à Varrone, qui Eumenidib.

Interea tonuit bene tempestate serena. Cerda.

631. *Intonuit lævum.*] Prosperum. Ut enim supra diximus, quæ sinistra nobis videntur, intuentibus cœlum, illic dextra sunt: non quod sinistra bona sunt, sed quod dextra cœli, nobis sinistra sunt. *Servius.*

Lævum.] Quod prosperum est. quod præstantibus lævum est, idem accipientibus est dextrum. *Donatus.*

Lævum.] In hoc loco explicando, hærendum uni Dionysio lib. 2. Antiquit. Nam tritum illud, quæ nobis sunt læva, superis esse dextra, & ideo læva esse felicia, hoc (inquam) falsum est. Quid ergo Dionysius? Primo rem statuit, deinde causas adducit, tertio loquitur de Ascanio. Rem statuit hunc in modum: Τίθενται δ' ῥωμαῖοι τὰς ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιὰ ἀστραπὰς αἰσίας· *Fulgura à sinistris ad dextera Romani numerant inter fausta.* Sed quæ causæ? Perstringam Latine, quæ multis ille Græce, hærens tantum sententiæ, non verbis. Sedes, statioque captandis auspiciis ea optima est, quæ Orientem spectat, unde Sol, & Luna, & reliquæ stellæ, tam erraticæ, quam fixæ surgunt, & unde totius mundi motus initium sumit. Porro, qui Orientem spectat, Septentrionem habet à sinistra, à dextra Meridiem. Est autem Septentrio nobilior Meridie: tum, quia partes quæ ad Orientem vergunt, & istæ sunt Septentrionales, nobiliores sunt: tum, quia polus Aquilonaris semper apparet, sublimisque est; Meridionalis vero semper delitescit, depres-

Effugit horrendum stridens adducta sagitta:
Perque caput Remuli venit, & cava tempora ferro
Traji-

pressusque est. Multis hæc ille. Felicitas ista in lævo tonitru tota est Latinorum; nam ex disciplina Græcorum, non læva, sed dextra tonitrua fuerunt felicia. Xenoph. lib. 7. παιδ. ἐπεὶ δ' ἀνέβη, καὶ ἔςη βλέπων, ᾗπερ ἔμελλε πορεύεσθαι, βροντὴ δεξιὰ ἐφθέγξατο. ὁ δ' εἶπεν, ἑψόμεθα σοι ὦ Ζεῦ μέγιςε· (Cyrus) *equum ascendit, stetitque respiciens, qua erat perrecturus, fulmen dextrum insonuit, quo viso, dixit, te sequemur ô Juppiter maxime.* Cicero etiam 2. Divin. *Homericus Ulysses* (sic leg. non, *Ajax*, fuit enim hoc Tullii μνημονικὸν ἁμάρτημα) *nescio quid hoc modo nuntiat,*

Prospera Juppiter his dextris fulgoribus edit.

Versus Homeri, quem reddit Cicero, est,

Ζεὺς δέ σφιν Κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων.

Aristides orat. 5. sacror. sermon. ait, fulmen fuisse αἴσιον, *faustum*, & addit rationem, quia ἐκ δεξιᾶς, *à dextra.* Itaque alia fuit Græcorum, alia Latinorum observatio, & hæc à successu Ascanii. Atque adeo ex Latinorum præscripto Statius 3. Theb.

Si datur, & duris sedet hæc sententia Parcis,
Solvere Echionias Lernæa cuspide portas,
Signa feras, lævusque tones: tunc omnis in astris
Consonet arcana volucris bona murmura lingua.

Ex eodem Ovid. 4. Fast.

Ille precabatur, tonitru dedit omina lævo
Juppiter, & lævo fulmina missa polo.

Et Eleg. 8. lib. 1. Trist. *tonitrusve sinistri*, id est, felices. Cicero etiam in Mario,

Partibus intonuit cœli Pater ipse sinistris.
Sic aquila clarum firmavit Juppiter omen.

Rationem aliam, cur fausta læva tonitrua, in Plinio invenies cap. 54. lib. 2. *Cerda.*

Lævum.] Id est, prosperum. Cicero: *Is avi sinistra dictus populi magister esto.* id est, secundo auspicio. Cur autem *sinistra* Romanis sint felicia, disputat idem Cicero 2. De legibus. item *Cælius Godofredus* ad LL. XII. Tabb. *Meursius* aliique plures. Vide inprimis Notas Epid. act. 2. sc. 2. ad illud,

Liquido exeo foras auspicio, avi sinistra.

Taubmannus.

Sonat una fatifer arcus.] Simul ut cognovit augurium. *Servius.*

Sonat una lethifer arcus. In Romano codice, & nonnullis aliis legitur *fatifer.* Pierius.

632. *Et fugit.*] Melius *Effugit* legitur. Et figura est, *horrendum effugit.* Servius.

Effugit horrendum stridens elapsa sagitta.] Quamvis Servius *effugit* agnoscat, vetera tamen exemplaria *& fugit* legunt. & pro *elapsa, adlapsa* & *allapsa* inveni. In Romano vero codice, & in aliquot aliis ipsa venerandis vetustate *adducta* scriptum animadverti. In qua lectione ipsum jaculantis, & telum contendentis gestum aspicere videaris. Ovidius, *Viderat adducto tendentem cornua nervo.* Loco tamen hoc nonnulli volunt *allapsa* melius esse. *Pierius.*

633. *Perque caput Remuli venit.*] Figmenta hæc vulnerum plerunque non sine ratione ponunt Poetæ. Nam modo hunc ideo in capite dicit esse percussum, quia eum supra vaniloquum introduxerat, & superbum: quod vitio capitis evenit. Horatius, *Attollens vacuum plus nimio gloria verticem.* Sic Homerus, Thersiten à tergo vulneratum dicit usque ad præcordia (nam ait μετάφρενον) quia stultum induxerat. Item de Achille dicit, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Item ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς· quem legimus in talo esse vulneratum. Vel ideo per caput & cava tempora, ut divinitus misso telo nulla pars alia corporis,

Trajicit. I, verbis virtutem inlude superbis:
Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt.
Hoc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur,
Lætitiaque fremunt, animosque ad sidera tollunt.
Ætheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat
Nube sedens; atque his victorem adfatur Iulum:

ris, sed caput vulneraretur, scilicet ut hominis qui infanda & impia de religionibus dixerat, sacrilegium capite expiaretur. *Servius.*

Cava tempora ferro Trajicit. I, verbis virtutem, &c.] Est & hic quoque unus ex illis locis, qui tam varie leguntur quam variæ sunt veterum codicum manus. Nam in Romano codice, *transadigit verbis* scriptum habetur, facta nimirum injuria sententiæ, si nequeas *I verbis virtutem illude superbis*, integrum subjungere. Nam si tollas *I* verbum, totam ejus sententiæ venustatem tollas. In Oblongo codice perveteri *trajecit*, in aliquot aliis *transjecit*. Sed enim oblati etiam mihi sunt codices pervetusti, in quibus *transfigit* scriptum videas. Quare aut hic aliquid simile versibus illis exlegibus, *Nec te comitem hinc asportare Creusam.* &, *Rostrisque stridentibus*, aut quod omnino placet *trajicit* legendum: ut *i verbis* subsequatur. *Pierius.*

634. *Virtutem inlude.*] *Inludo tibi* & *insulto tibi* dicimus. Nam *inludo te* figuratum est, ut hoc loco Item, *Insulto te:* Sallustius, *Multos à pueritia bonos insultaverat.* Servius.

Verbis superbis.] Non fuisset correctiorus, etiamsi viveret. Hæc συνηχοῦσι *verbis*, *superbis*, gratiam addunt carmini. Tale illud Horat. *esse pares res:* & Ausonii,

Exerces mentes fraternas grata malis lis.

Cur vero hoc genus carminis dicatur *leoninum*, multi quærunt; & quidem Scal. lib. 2. Poët. cap. 29. *Nominis causam ignoro.* Sunt qui corruptam vocem putent. & *echinum*, aut *echoïcum* dicant vocari, cum res ista sit ἠχοῦς, echus, & sonitus. Possum suspicari corruptam esse vocem, & dici debere versus lenoninos à lenocinio, quo subblandiuntur, non leoninos. Sic Sotadicum carmen, quod non longe ab hoc, *cinædicum* appellatur, quo allusit Mart. lib. 2.

Nec retro lego Sotadæ cinædum.

Quid quod *leæna* pro meretrice usurpatur, ut lupa? ut jam non omnino male dici queant versus leonini, quasi lenocinantes. *Cerda.*

635. *Hæc Rutulis.*] Pro *talia*, vitavit pronomen. *Servius.*

636. *Hoc tantum Ascanius.*] Edixit & fecit. *Idem.*

Clamore sequuntur.] Od. o. οἱ δ' ἰύζοντες ἕποντο. *Germanus.*

537. *Lætitiaque fremunt.*] Est totum hoc militare. Amm. lib. 15. ore Constantii Imperatoris: *Quia igitur vestrum quoque favorem adesse fremitus indicat lætus.* Ita & in assensu militum Simocatt. cap. 15. lib. 2. βοὴ δὲ πολλὴ ἐκ τῆς βουλῆς ἐκεκίνητο, καὶ ταῖς εὐφημίαις κατεκελάδουν τὸ θέατρον. *Clamor multus sublatus est ab universo consessu, & fauste theatrum adfremuit.* Cerda.

Animosque.] Aut suos, aut Ascanii per favorem. *Servius.*

638. *Crinitus.*] Ἀκερσεκόμης fingitur Apollo: quod Solis radii quandam capillorum speciem referre videantur. *Taubmannus.*

639. *Acies urbemque.*] Syllepsis. *Servius.*

640. *Nube sedens.*] Ut sedent numina, Juno: *Nec tu me aëria solam nunc nube videres Digna indigna pati.* Idem.

Macte ... Victa-

Macte nova virtute, puer: sic itur ad astra;

Dîs

Victorem.] Bene ei qui unum occiderat addidit dignitatem. *Idem.*

Adfatur Iulum.] Non ita ut Iulus audiret. *Idem.*

641. *Macte.*] Magis aucte adfectatæ gloriæ. Et est sermo tractus à sacris. Quotiens enim aut tus aut vinum super victimam fundebatur, dicebant, *mactus est taurus vino vel ture.* hoc est, cumulata est hostia & magis aucta. *Macte* ergo pro *mactus esto*, vocativum pro nominativo posuit, ut Persius, *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis Censoremve tuum vel quod trabeate salutas*, pro *millesimus* & *trabeatus*: & Virgilius, *Vicinosque ignare paras invadere portus*, Pro *ignarus.* & alibi, *Quod Amasene pater*, pro *Amasenus*; sic ergo & *macte* pro *mactus*: quod autem *esto* non addidit, ab antiquitate descivit, nam veteres *macte esto* dicebant, sed hoc secutus suam consuetudinem fecit. Nam alibi, *Dives inaccessos ubi solis filia lucos*: & iterum IV. Æn. *Dives quæ munera Dido*, prætermisit cujus rei dives, cum veteres *dives illius rei* dicerent: quod ipse alibi, *Dives opum variarum*, & *Dives pictai vestis & auri.* Item cum veteres natalem diem, vel locum, vel tempus dicerent, ut Horatius, *Natalemque mares Delon Apollinis*, & Plautus in Pseudolo: *Natalem hunc mihi diem scitis esse*: Virgilius his omissis dixerit, *Phyllida mitte mihi meus est natalis Iola.* Ergo & hic ita subtraxit, nam integrum est, *macte esto nova virtute puer*: *Mactus* autem apud veteres etiam *mactatus* dicebatur, ut Ennius, *Livius inde redit magno mactatus triumpho.* Et Lucilius lib. V. *Macte, inquam, virtute simulque his versibus esto.* Et in Pontificalibus sacrificantes dicebant deo, *Macte hoc vino inferio esto.* Idem.

Nova virtute puer.] Aut magna & mira: ut, *Pollio & ipse facit nova carmina.* Aut re vera *nova*, id est, rudi quantum ad bellum. *Idem.*

Macte nova vitute puer.] Pacuvius in ea tragœdia, quam Boethuntes inscripsit: *Macte virtute esto.*
& in Duloreste:

Macte esto virtute, operaque omenque approbo.

Græcis = ὄνασο τῆς ἀρετῆς. *Ursinus.*

Virtute.] Conjunxere has voces *macte virtute*, Livius lib. 2. & 4. Lucilius, Attius, Pacuvius, Ennius, & omnes fere Poëtæ, qui post istos. Sed & alias voces reperies. Nam Stat. l. 5. Theb. *Macte animo.* Arnob. l. 7. *mactus vino.* Cassiod. epist. 3. lib. 1. *macte felicitate laudabili.* Plin. *macte ingenio.* Pacuv. in Dolorest. *macte opere.* Cerda.

Sic itur ad astra.] Aurea gnome. Bella & labores viam ad cœlum astruunt. Gloriam enim laboris esse filiam ex Æschylo citat Clemens lib. 4. Strom. cap. 4. Versiculus Phædri est,

Cœlo receptus propter virtutem Hercules.

Et Senecæ in Furente,

Non est ad astra mollis è terris via.

Cal. lib. 4. πόνος δ' ἀρχὰ κύδεος ὀρίξει· & lib. 1. πόνῳ δ' ἄρα κῦδος ὀπηδεῖ. Libro 4. Antholog. c. 8. Epig. 4.

Ἀλλ' ὁδὸς εἰς αὐλὴν Ζηνὸς, ἄεθλον ἔφυ·

Sed via in Jovis aulam, pretium est certaminis.

Et rursum Epig. 5. ejusdem capitis,

Δέρκεο μυριόμοχθε τεὸς Ἡράκλεες ἀγῶνας,
Οὓς τλὰς, ἀθανάτων αἶνον Ὄλυμπον ἔβης·

Aspice tua certamina, ô Hercules, qui multos es passus,
Quæ tolerans cœlum ascendisti domum Deorum.

Et ipse Hercules de se Epig. 7. post enumeratos suos labores, absolvit, αὐτὸς Ὄλυμπον ἔχω. & epig. 6. καὶ πυρὸς εἰς Ὄλυμπον ἐπεμάσσας. Horat. 2. Epist. de Libero, Castore, & Polluce, *recepti in templa Deorum*, videlicet, *post ingentia*

Dîs genite, & geniture deos. jure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident:
Nec te Troja capit. simul hæc effatus, ab alto
Æthere se mittit, spirantis dimovet auras,
Ascaniumque petit. formam tum vertitur oris
Antiquom in Buten. hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.

Tum

ingentia facta. Sen. de Provid. c. 5. *Humilis & inertis est tuta sectari, per alta virtus it.* Eurip. in Heracl. [illegible] *it virtus per labores.* Symm. epist. 81. lib. 9. *virtus deterioribus negotiis evilescit, & aspernatur declivem facilitatem, maximeque sudore arduum laudis admittitur.* Cerda.

642. *Dîs genite.*] Propter Venerem. *Servius.*

Geniture deos.] Propter Julium Cæsarem & Augustum. *Idem.*

Jure.] Merito. *Idem.*

643. *Gente sub Assaraci.*] Sub gente Romana. Assaracus enim pater est Capyos, avus Anchisæ. *Idem.*

Gente sub Assaraci.] Hunc quoties in ore assumit, Augustum & Cæsares signat; ut cum ait 3. Georg. *Assaraci proles.* & 1. Æneid. *domus Assaraci.* Cerda.

Fato ventura.] Magna, hæc enim bella sunt gravia, quæ fatali ratione proveniunt, ut Trojana & Thebana. *Servius.*

Fato ventura.] Quasi civilia bella non culpa Augusti acciderint, sed fatalia fuerint. Et ad hæc respectum non dubito, quia hæc unice quievere sub Augusto, cum multo ante inceptassent. *Cerda.*

Resident.] Sedabuntur, ut *tempestatem residere* dicimus. *Servius.*

644. *Nec te Troja capit.*] Vel major es quam patria, vel major es meritis quam civitas, in qua nunc es. Lucanus de Cæsare, *Plus patria potuisse tua.* Idem.

Nec te Troja capit.] Vult Brod. lib. 1. Miscell. c. 26. verba hæc sumpta à Philippi sermone laudantis generosam indolem Alexandri filii, cum is Bucephalum ascendit. Plut. in Alex. ζήτει σεαυτῷ βασιλείαν ἴσην, Μακεδονία γάρ σε οὐ χωρεῖ. *Quære tibi Regnum par, non enim te capit Macedonia.* Idipsum adnotat Henr. Steph. in præfat. ad Virg. Hunc Philippi sermonem ad Alexandrum filium versibus reddidit Claud. de 4. Cons. Hon. *Cerda.*

645. *Se mittit.*] In antiquis aliquot *misit*, præterito tempore. *Pierius.*

Spirantes.] Vitales, quibus spiramus & vivimus. *Servius.*

646. *Ascaniumque petit.*] Notandum *petit*, sine insidiis dictum. *Idem.*

Forma tum vertitur oris Antiquum in Butem.] Plerique veteres codices *formam* legunt, cujusmodi lectio abrasa est ex Mediceo. Est & *antiquum* unico *u* legere, quod olim per *c* scribebatur *anticum*, ut *posticum*. Pierius.

647. *Antiquom in Buten.*] Hic Butes semel hic nominatur, ut bis Nautes. *Servius.*

Antiquum in Buten.] Nam ætate & longa exercitatione dignus erat, cujus consilium multi facerent. *Donatus.*

648. *Fidusque ad limina custos.*] Æditurus fuit: quod, ut supra diximus, in ingenti honore apud majores fuit. Illic enim & epulabantur, & deos colebant. Consus etiam omnes illic servabant, quod etiam Plautus in Asinaria, qua inducit Sauriam servum atriensem in tota familia plurimum posse. *Ad limina*, sane figuratum. *Serv.*

Ad limina custos.] Id est, Atriensis fuit, ut ait Turn. l. 3. c. 23. & l. 30. c. 24. Servio *Æditimus* exponitur. Ea facie autem dicitur *custos ad limen*, qua *se-*

Tum comitem Ascanio pater addidit. ibat Apollo
Omnia longævo similis, vocemque coloremque,
Et crinis albos, & sæva sonoribus arma:
Atque his ardentem dictis adfatur Iulum:
Sit satis, Æneide, telis inpune Numanum
Oppe-

nus ad manum, id est, amanuensis, Ciceroni: *Homines ad lecticam*, lecticarii, Catullo: *Ad lites*, qui aptus est ad caussas & advocationes, Propertio l. 4. el. 2. eidem, *ad cyathos*, id est, pocillator ibidem el. 8. item, el. 2. *Ad baculum*, id est, pastor &c. *Taubm.*

649. *Tum comitem Ascanio pater addidit.*] Hom. 9. Iliad.

— *σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα*
Πηλεύς
— *me autem tibi comitem misit senex*
equitator Peleus.

Sed lege quæ jam sup. in hoc lib. ad illud,

Rectores juvenum, & primos dedit esse
magistros. Cerda.

650. *Omnia longævo similis.*] Homericum hoc 2. Iliad.

— *μάλιστα δὲ Νέστορι δίῳ,*
Εἶδός τε, μέγεθός τε, φυήν τ' ἄγχιστ' ἐῴκει
— *maxime ad Nestorem divinum*
Specie, magnitudine, habitu proxime
accedens.

In utroque, tam Græco, quam Latino subaudi præpositionem aliquam, in Græco κατὰ, in Latino *juxta*, ut dicat, *juxta omnia similis*. Idem.

651. *Et crinis albos.*] In Porcio, & quibusdam aliis manu scriptis codicibus *crineis flavos* habetur. Sed qui Dardanio Anchisæ armiger ante fuit, albos jam capillos habere debebat. Qui vero *flavos* reposuere forte *albos*, corrupta seculi pronuntiatione, quam emendare conatus est Adamantius, scriptum invenerant, ejusque abusionis ignari, *flavos* scribendum judicarunt. Nam *albos* in codice Delphio, & aliquot aliis antiquis omnino legi. *Pierius.*

Sæva sonoribus arma.] Strepitu terribilia. Et ut sunt sæva arma quæ habent sonorem: Ut, *aurea bullis Cingula*: An etiam *sonoribus sæva*? Servius.

Sæva sonoribus arma.] Arcum intellige, qui ad tergum cum sagittis; nam conversus in aliam formam, arma tamen retinuit. Apud Eurip. in Alcest. Apollo ipse *σύνηθες αἰεὶ ταῦτα βαστάζειν ἐμοί*, id est, *τόξα*. & Hom. lib. 1. Iliad. de eodem Deo,

Τόξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην.

Et Cal. lib. 3. etiam de Apolline,

Τοιβήιον ὤμοισιν ἔχων, καὶ ἀνάκηθέας ἰούς.

Ut vero hic *sæva sonoribus arma*: ita ibid. Cal. *Κωρυτὰς καὶ τόξα μέγ' ἴαχεν*. Etenim maxima nota armorum Apollinis fuit sonitus. Aristides in Paraphtheg. *τοὺς τοῦ Ἀπόλλωνος οἰστοὺς αὐτοὺς ἐφ' αὑτῶν ἐπηχῆσαι συνοργισθέντας αὐτῷ*. Dicit videlicet, sagittas Apollinis sponte, & nemine commovente sonuisse, quasi ipsæ quoque cum irato irascerentur, ideo *ἐπηχῆσαι συνοργισθέντας*. *Cerda.*

652. *Ardentem.*] Desiderio dimicandi. Unde, *animosque ad sidera tollunt*. Melius Ascanii intelligimus, sicut Statius de Menæceo, *Et laudibus implet honestis*. Servius.

Ardentem.] *Avidum pugnæ*, vs. 661. *Taubm.*

653. *Æneide.*] Patronymicum hoc non venit ab eo, quod est *Æneas*. Nam hic *Æneades* & *ò Æneade* faceret. *Servius.*

Æneide.] Ab eo quod est in nominativo casu *Æneida*. Donatus.

Ænide.] In Romano codice legitur *Æneade* secunda syllaba à principio correpta, per abjectionem τοῦ ἰῶτα ex diphthongo. In reliquis tamen exemplaribus *Ænide* habetur κατὰ συγκοπὴν, vel *Æneide* per diphth ei. integra dictione. Unde

Oppetiiſſe tuis. primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, & paribus non invidet armis.
Cetera parce, puer, bello. ſic orſus Apollo
Mortalis medio adſpectus ſermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Adgnovêre deum proceres divinaque tela
Dardanidæ, pharetramque fuga ſenſere ſonantem.
Ergo avidum pugnæ, dictis ac numine Phœbi,
Aſcanium prohibent: ipſi in certamina rurſus
Succedunt, animaſque in aperta pericula mittunt.

It cla-

Unde *Æneis* patronymicum fœmin. diphthongo ſoluta. Sed enim Priſcianus ait Virgilium auctoritate ſua dixiſſe *Æneiden*, quod ſecundum regulas *Æneas* eſſe debuerat. *Pierius.*

654. *Primam hanc tibi magnus Apollo.*] Dicendo *Primam*, pollicetur & aliam. *Concedere* autem ideo ſe dixit, quia ſagittarum deus eſt: & licet eum Juppiter juverit, Apollo tamen ſuum ſibi officium vindicat, quod dicit ſe conceſſiſſe, quia non prohibuit. Ea enim, quæ ab aliis numinibus poſcimus, tunc implentur, ſi non adverſentur numina, quorum propria ſunt quæ poſcimus. unde & in quarto Juno ait, *Adero & tua ſi mihi certa voluntas.* Hoc eſt, Quod in me eſt, jungam eos: reſtat ut & tu tuum velis impleri officium. *Servius.*

655. *Paribus non invidet armis.*] Pari gloriæ. Nam ut Apollo puer extinxit Pythonem in vindictam matris, ſic Numanum Aſcanius. *Paribus* ergo *armis*, id eſt, ſimilibus, non peritia, ſed triompho. *Idem.*

Cetera.] Deinceps: & eſt adverbium. Id eſt, in cæterum, eſt autem Ennianum, *Cetera quos peperiſti ne cures.* Idem.

Orſus.] Modo locutus, id eſt, pro eo, qui deſierit: alias cœpit, quod magis eſt proprium; ut, *Sic Venus, at Veneris contra ſic filius orſus.* Idem.

Apollo mortalis.] Id eſt, conſtitutus ſub hominis forma. *Donatus.*

Apollo, Mortales, &c.] Donatus hoc ita pronunciandum contendit:

— *ſic orſus Apollo Mortalis, med.*

hoc eſt, conſtitutus ſub forma hominis ſcil. *Butæ.* Quod & Fabric. obſervat: & ſic in ſuo MS. eſſe notat etiam Berſmanus noſter. *Taubm.*

657. *Medio ſermone.*] Ideo *medio*, quia non reſpondit Aſcanius. *Sermo* eſt enim duorum vel plurium oratio. *Servius.*

658. *Et procul in tenuem.*] Ovid. 1. Faſt.

Juſſit, & in tenues oculis evanuit auras.

Hom. Odyſſ. 4. λιάσθη ἐς πνοιὰς ἀνέμων. Joſephus lib. 5. Bell. cap. 5. de re alia, εἰς καπνὸν ἀρθέντος. Statius 5. Theb. *ita fatus in aëra rurſus ſolvitur.* Sed hoc jam alibi. *Cerda.*

659. *Agnovere deum proceres.*] Hom. Il. ρ. de Apolline ab Ænea agnito: Αἰνείας δ' ἑκατηβόλον Ἀπόλλωνα ἔγνω ἐσάντα ἰδών. *Germanus.*

660. *Fuga.*] Abſceſſu. & more ſuo abeuntes deos inducit agnoſci. *Servius.*

Pharetramque ſonantem.] Quia ait ſupra, *Et ſæva ſonoribus arma.* Idem.

661. *Dictis.*] Propter auditam orationem. *Idem.*

Ac numine.] Propter agnitum deum. *Idem.*

663. *Animaſque in aperta pericula mittunt.*] Plus enim quam manifeſta ſunt præſentia pericula, quando audien-

It clamor totis per propugnacula muris:
Intendunt acris arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis: tum scuta cavæque
Dant sonitum flictu galeæ: pugna aspera surgit.

Quan-

dientibus Trojanis bello prohibebatur Ascanius ne periclitaretur. *Idem.*

Animasque in aperta pericula mittunt.] Hom. lib. 9. Iliad.

Αἰεὶ ἐμὴν ψυχὴν παραβαλλόμενος
πολεμίζειν·

Meam semper animam projiciens in pugnam.

Locutionem arripuit Paneg. Constant. *Cur salutem Reip. in pericula tanta misisti?* Cerda.

665. *Intendunt acris arcus.*] Pro *ipsi acres.* Ut enim & in primo diximus, arcum unusquisque habet pro viribus suis. *Servius.*

Amentaque torquent.] Pro *tela amentis torquent:* nam *amentum*, est lorum, quo media hasta ligatur & jacitur. *Id.*

Amentaque torquent.] Proprie, nam amentata tela, tortione emittebantur. Itaque, ut fundæ dicebantur torqueri, ita amentata. Erat amentum, lorum illigatum ad mediam ferme hastam nodo quodam, qui nodus in emissu solvebatur. Glossæ: *amentum*, ὅθεν κρατεῖται ἡ λόγχη, *unde tenetur hasta.* Ibidem, *amentum*, ἅμμα ἀκοντίων, *vinculum jaculorum.* Accinunt verba Festi: *Amenta, quibus, ut mitti possint, vinciuntur jacula.* Illud Euripidis in Andromacha, μεσάγκυλα, interpretes explicant *tela amentata*; quibus opponi possunt, quæ sequuntur in eodem Tragico, ἐκ χειρῶν ἀμφίβολοι, *tela missilia.* proprie, *tela soluta.* Cerda.

Amentaque.] Ciceroni & Fabio *hastæ amentatæ* sunt fortes & sic ligatæ. Et quia amentum incitat & roborat hastam, metaphorικῶς dixit Tertullianus lib. 4. *CHRISTUS amentavit hanc sententiam: Non potestis Deo servire & mammonæ:* quod est, fortiter & serio edixit, & velut amento intorsit. Lucanus:

Cum jaculum parva Libys amentavit habena.

Videatur *J. Lipsius* Poliorcet. l. 4. Dial. 5. *Taubmannus.*

666. *Sternitur omne solum telis.*] Ab Enn. ut notarunt jam alii, qui de Scipione,

Sparsis hastis longis campus splendet, & horret.

Incrementum Stat. lib. 8. maximum est, *Nec locus ad terram telis.* Cerda.

Tum scuta cavæque, &c.] Videtur adumbrasse versum Enn. lib. 11. Ann.

Tum clypei resonant, & ferri stridet acumen.

Et lib. 15.

—tinnit hastilibus umbo:
Ærate sonitant galeæ.—

Incertus Poëta apud Varronem: *Arma sonant, fremor oritur.* Sallust. Jugurth. *strepitus armorum ad cœlum ferri.* Ammian. lib. 20. *resultantibus armis.* Ab Calab. etiam lib. 11. inducuntur cum strepitu κόρυθές τε, καὶ ἀσπίδες, *galeæ, & clypei.* Idem.

667. *Flictu.*] Pro *adflictu*, vel *inflictu*, id est, ictu. nam detraxit more suo præpositionem. Et loquutus est juxta antiquum morem. Pacuvius Teucro, *Flictus navium.* Servius.

Dant sonitum flictu galeæ.] In Romano codice, & aliquot aliis *adflictu* legitur, ex paraphrasi sumptum. Nam Servius agnoscit *flictu.* In aliquot codicibus antiquis mutato numero legitur, *Dant sonitum galeæ flictu.* Pierius.

Flictu.] Auson. epist. ad Paulin. *Cymbala dant flictu sonitum.* Cic. 2. Nat. *lapidum flictu elici ignem sæpe videmus.* Lucret. lib. 2.

—nam cita superne
Obvia cum flixere, fit ut diversa repente
Dissiliant.—

Sil.

Quantus ab occasu veniens pluvialibus Hædis
Verberat imber humum: quam multa grandine nimbi
In vada præcipitant; cum Juppiter horridus austris
Tor-

Sil. quoque, *galea horrida flictu.* Attius in Ægystho, *fligi studet.* Itaque simplex *fligo* veteribus in usu. *Cerda.*

668. *Pluvialibus Hædis.*] Sub Tauri cornu est signum, cui *Auriga* nomen est: hunc cum Tauro una clara stella conjungit. Retinet autem Auriga stellas duas in manu, quæ *Hædi* vocantur, & capram, quam Amalteam dicunt: quarum & ortus & occasus gravissimas tempestates faciunt. Oriente autem Scorpione occidunt. *Servius.*

Pluvialibus Hædis.] In ortu, & occasu pluvii sunt hœdi. Poëta ab occasu tantum sermonem arripuit, quem Statius imitatur octavo Thebaid. ad ardorem quoque belli explicandum:

— non tanta cadentibus hœdis
Aëriam Rhodopem solida nive verberat Arctos:
Nec fragor Ausoniæ tantus cum Juppiter omni
Arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis.
Cum Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres.

Theocr. εἰδ. 7.

Χ' ὅταν ἐφ' ἑσπερίοις ἐρίφοις νότ☉ ὑγρὰ διώκῃ
Κύματα. ——

Interpres Arati etiam de hœdis, σημεῖα τῶ χειμῶν☉ φέρουσιν, ὅταν ἑσπερίαν δύσιν ποιῶνται· *Edunt signa tempestatis, cum occasum subeunt.* Ovid. Eleg. 11. lib. 1. Trist. *nimbosis hœdis.* Cerda.

Pluvialibus Hædis.] Ὀμβροφόροις. *Turbidum* enim sidus esse existimatur suo ortu. Eos & Plinius l. 18. c. 26. *pluviales* appellat, & Ovid. 1. Trist. 11. Eleg. *nimbosos.* de iisdem & Rufus Festus:

—— hœdi
Sæva procellosis immittunt flabra fluentis.

Taubmmanus.

669. *Verberat.*] Stat. lib. 8. *Rhodopem nive verberat Arctos.* & lib. 5. de Jove loquens,

Talis Hyperborea virides nive verberat agros.

Ovid. 3. Fast. *verberat unda freti.* Horatius Ode prima lib. 3.

Non verberatæ grandine vineæ.

Elegantia hæc Hellenica est. Nam Hom. 11. Iliad.

— ὡς ὁπότε Ζέφυρ☉ νέφεα στυφελίξῃ
Ἀργεστᾶο νότοιο βαθείῃ λαίλαπι τύπτων·

— veluti cum Zephyrus nubes agitaverit
Velocis Noti vehementi procella verberans.

Variat Ovid. verbo *pulso* 6. Metamorph.

Induroque nives, & terras grandine pulso.

Cerda.

Quam multa grandine nimbi, &c.] Ita lib. 10.

Ac velut effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant. ——

Utrunque versum volunt duci ab illo Val. Æditui, qui in Epigram.

Aut imber cœlo candidus præcipitans.

Hectorem ita comparat Græcus lib. 11. Iliad.

Ἐν δ' ἔπεσ' ὑσμίνῃ ὑπεραέϊ ἶσ☉ ἀέλλῃ,
Ἥτε καθαλλομένη ἰοειδέα πόντον ὀρίνει.

Claud. Bell. Get. de Barbaris,

Grandinis, aut morbi ritu. —

Idem.

670. *Præcipitant.*] Pro *præcipitantur*, ut 1. Æn.

Tum prora avertit.

item, *venti ponunt.* Cicero, *Terra movet*; & alia sexcenta, omnia patiendi significatu. Vide Comm. Plaut. Mil. act. 2. sc. 7. *Taubm.*

Jupiter.] Aët. Ut Horatius, *Manet sub Jove frigido venator.* Servius.

Cum Juppiter horridus, &c.] Tale illud

Torquet aquosam hiemem, & cælo cava nubila rumpit.
Pandarus & Bitias Idæo Alcanore creti,
Quos Jovis eduxit luco silvestris Hiera
Abietibus juvenes patriis & montibus æquos,
Por-

Illud Sil. lib. 5.

Sic ubi torrentem crepitanti grandine nimbum
Illidit terris molitus Juppiter altas
Fulmine nunc Alpes. ——

Sic & Hom. Iliad. 10.

Ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀστράπτῃ πόσις Ἥρης ἠϋκόμοιο,
Τεύχων ἢ πολὺν ὄμβρον ἀθέσφατον, ἢ χάλαζαν,
Ἢ νιφετὸν, ὅτε πέρ τε χιὼν ἐπάλυνεν ἀρούρας·

Ut autem cum fulgurat maritus Junonis pulchricomæ,
Aut demittens confertissime imbrem, aut grandinem,
Aut copiosam nivem, cum nix adimplet agros Cerda.

Pandarus & Bitias.] Duplex imitatio: vel enim hæsit Homero Iliad. duodecima, ubi

—— ἐν δὲ πύλῃσι δύω ἀνέρ' εὗρον ἀρίστω,
Υἷας ὑπερθύμους Λαπιθάων αἰχμητάων.

Vel (si Macrobio credis cap. 2. lib. 6. Saturn.) Ennio, qui induxit Histros duos in obsidione erupisse portam, & stragem de obsidente hoste fecisse. *Idem.*

Idæo Alcanore creti.] Veteres aliquot codices, *nati* habent, ex paraphrasi lectione inculcata contextui. *Pierius.*

673. *Eduxit.*] Quidam pro *educavit* volunt intelligi. *Servius.*

Eduxit.] Ita sup. Arcentem dixit, *Eductum Martis luco.* Cerda.

Hiera.] Turneb. l. 22. c. 7. suspicatur leg. *Hyæna.* ut, quemadmodum quidam à cerva, cane, lupa nutriti dicuntur; ita hi à silvestri hyæna sint educati. Porro sanctissime colebatur à Trojanis *Juppiter* cognomento *Idæus.* Ei lucus erat in Ida monte, ubi educati fuerant *Pandarus* & *Bitias.* Taubm.

674. *Abietibus, &c.*] Pergit Homerica imitatio ex lib. 12.

Τὼ μὲν ἄρα προπάροιθε πυλάων ὑψηλάων, &c.

Ait Virgil. abietes *patrias*, id est, Idæas, nam in Ida nutriti hi duo. Vocat Scal. Homericam operam minorem Virgiliana. Macobrius etiam ait, superatum in hoc loco à Virgilio Homerum. Est & Iliad. 5. simile, ubi, ἐλάτῃσιν ἐοικότες ὑψηλῇσι, *similes altis abietibus.* Sc 13. Il. ait, Alcathoum stetisse in bello,

—— ὥστε στήλην, ἢ δένδρεον ὑψιπέτηλον,
—— *uti columnam, aut arborem altissimam.*

Nonn. lib. 32. de quodam adolescente, ὑψικόμῳ φοίνικι πανείκελος· *alticomæ palmæ persimilis.* Cerda.

Montibus æquos.] Idæo, vel ejus arboribus exæquandos. *Servius.*

Montibus æquos.] Recte putant qui Virgilium dicunt adjecisse animum ad hominem πέλωρον, aut πελώριον. Nam vox hæc nata, quasi πέλας ὄρους ὢν τῷ μεγέθει, *accedens magnitudine ad montem.* Inde Sen. in Thyest.

Tergemina moles cecidit, & qui montibus
Stabant pares Gigantes. ——

Quod accepit ab Apoll. qui lib. 1. de Gigantib. dixit, θεὰ τρέφεν αἰνὰ πέλωρα. Unde bene Hom. l. 9. Odyss. cum prius Polyphemum vocasset πελώριον, eo versu, ἔνθάδ' ἀνὴρ ἐνίαυε πελώριος, postea subjecit:

Καὶ γὰρ θαῦμ' ἐτέτυκτο πελώριον, οὐδὲ ἐῴκει
Ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι
Ὑψηλῶν ὀρέων. ——

Monstrum etenim horrendum erat, neque simile
Homini frumentum edenti, sed cacumini silvoso
Excelsorum montium. ——

Qui-

Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt
Freti armis, ultroque invitant mœnibus hostem.
Ipsi intus dextra ac læva pro turribus adstant
Armati ferro, & cristis capita alta corusci:
Quales aëriæ liquentia flumina circum,

Sive

Quibus multis explicat, quæ unico verbo præmiserat vocans πλώϊζον. Est & locus alius in Homero huc pertinens. Nam lib. 17. Iliad. Ajaces duos comparat monti, qui fluvium arcet, ne in agros irrumpat. *Cerda.*

675. *Ducis imperio commissa.*] Aut quæ ei commissa fuerat imperio absentis Æneæ: aut, quod est melius, quæ imperio Æneæ fuerat commissa, id est, clausa. Unde & *commissuræ* dicuntur conjunctiones tabularum secundum superiorem sensum: Contrarium est quod dixit, *Rectores juvenum & rerum dedit esse magistros.* Æneas enim abscedens principibus omnium rerum commiserat curam. Alii *ducis* Ascanium accipiunt: Alii *commissa* ideo clausa accipiunt, quia superius lectum est, *Heja ingenti clamore per omnes Condunt se Teucri portas.* Quietis enim rebus portæ patebant, per quas se Teucri sub adventum hostis receperant. Propterea quod ait, *Namque ita discedens præceperat optimus armis Æneas, si qua interea fortuna fuisset, Non æquo dare se campo, non obvia ferre Arma viros, sed castra fovere.* Sane *commissam* deest *sibi* vel *illis*, Pandaro & Bitiæ; ne contrarium sit quod dixit, *Rectores juvenum & rerum dedit esse magistros.* Scimus enim quod Mnestheo & aliis ducibus imperaverat Æneas ad petenda proficiscens auxilia, ne portas aperirent. ut, *Castra modo, & tutos servarent aggere muros.* Item legimus Mnesthea & Serestum ductores fuisse, & rerum magistros, non Pandarum & Bitiam. Unde apparet, quia hunc locum male intellexit Donatus dicens, *Commissam portam*, id est creditam Pandaro & Bitiæ, qui duces non erant. Ergo melius est ut *commissam* dicamus clausam, quam creditam Pandaro & Bitiæ. *Servius.*

676. *Mœnibus.*] Pro *in mœnia.* Idem.

677. *Pro turribus.*] Aut vice turrium: aut pro defensione. *Idem.*

Pro turribus adstant.] In veteribus nonnullis *instant* legitur, sed *adstant* melius. *Pierius.*

Pro turribus adstant.] Sic illud,

Et Sagarim & summis stantem pro turribus Idam.

Verbum *astant*, signat defensionem, ut Sophocles in Antig.

Πορθῶντα τὴν δὲ γῆν. ὁ δ' ἀντιστὰς ὑπὲρ.

Ad verbum, *contra staret.* Cerda.

Pro turribus adstant.] Scal. l. 5. c. 3. hæc cum Homericis contendit, de quibus Macrob. l. 5. c. 11. *Taubm.*

678. *Armati ferro.*] Aut bene instructi armis: aut, ut Asper dicit, ferrea corda habentes, id est, dura, & cruenta cogitantes: ut Ennium sit secutus, qui ait, *Succincti corda machæris.* S.

679. *Aëriæ.*] Quia in altum sublatæ. Sic l. 4. Epig. ὑψηλὼ κλίμακα, *aëriam scalam.* Cerda.

Liquentia flumina, &c.] *Padus* Italiæ fluvius aliquas provincias dextra lævaque contingit, inter quas & Venetiæ partem præterfluit. *Athesis* Venetiæ fluvius est Veronam civitatem ambiens & in *Padum* cadens. *Liquetia* Venetiæ fluvius est inter Altinum & Concordiam, quem nunc commemorat, nam *Liquetia* non est epitheton. nemo enim à generalitate transit ad species. Unde apparet quia *Liquetia* legendum est, & non *liquentia.* Servius.

Liquentia flumina circum.] In Oblongo quidem codice *Liquetia* legitur. Unde quidam arbitrati sunt de fluvio nobili, in foro Julii, dictum. Romanus tamen codex cum plerisque aliis *liquentia* legunt. Sæpe enim fit, ut posito

Sive Padi ripis, Athesim seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cælo
Attollunt capita, & sublimi vertice nutant.
Inrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentis.
Continuo Quercens, & pulcher Aquicolus armis,
Et præceps animi Tmarus, & Mavortius Hæmon,
Agminibus totis aut versi terga dedere,

Aut

sito genere species subjungatur. Hinc addit, *Sive Padi ripis, Athesim seu propter amœnum.* Pierius.

Liquetia.] Vulgo, *liquentia.* quam lect. tuentur Erythræus & Gifanius. At negat hoc esse epitheton Servius. item, Aldus & Fabricius, contendunt *Liquetia* legendum: qui fluvius est, dividens Marchiam Trevisanam, à Foro Julii: qui Plinio l. 3. c. 18. *Liquentia* etiam dicitur: hodie *Livenza.* Vide ibid. & Jac. Dalechampii Notas. *Taubm.*

680. *Padi.*] Venetiæ fluvius, qui I. G. *fluviorum rex Eridanus* Græco nomine dicitur. *Idem.*

Athesim amœnum.] Celebrata fluminis hujus amœnitas. Cassiod. ep. 48. lib. 3. *Hunc Athesis interfluit sonorus, amœni gurgitis puritate præterfluit, causam præstans muniminis & decoris.* Claudian. in Epith. Hon. fluvios numerans aptos voluptatibus, principe loco Athesin adhibet: imo cum aliis alia assignet, ut Mincio susurros apium, Pado electra, Tago aurum, huic uni dat choreas, versu illo, *Athesis strepat choreis.* Contra tamen scribit Auctor ἄδηλος Paneg. Constantini: *Athesis ille saxis asper, & gurgitibus verticosus, & impetu ferox.* Sed hæc extrema ad celeritatem refer: nam Sidonius epist. 5. lib. 1. *velocem Athesin, pigrum Mincium.* Quod accepit à Claud. *& velox Athesis, tardusque meatu Mincius.* Cerda.

681. *Geminæ quercus.*] Non quia tantum duæ nascuntur, sed ad istorum similitudinem respexit: id est, quando similes elevantur quercus. *Servius.*

Intonsaque cælo.] Hoc ad supradictas cristas refertur. *Idem.*

682. *Nutant.*] Manil. lib. 1. *virides nutantes vertice silvas.* Sen. in Thyest. *nutat Silva.* Enn. *capitibus nutantes pinos.* Catull. *nutanti platano.* Cerda.

684. *Quercens.*] In antiquis aliquot codicibus *Querquens* habetur. *Pier.*

Quercens.] Nomen hoc arripuit Sil. lib. 10.

Occubuit fratrisque vidit labentia membra
Querrentis, —

ubi pessime in nonnullis *Quærentis.* Cerda.

Pulcher Equicolus armis.] Ut *pulcher armis, pulcher vestibus*: & melius figuratum, quam si dixisset *pulchris armis.* S.

Pulcher Equicolus.] In antiquis partim *Equiculus*, partim *Aquiculus* legitur *Pier.*

685. *Præceps animi.*] Figurate genitivo junxit. Nam dicimus *præceps iracundia, præceps furore.* Servius.

Præceps.] Παράβολος. Cic. *projectus.* Taubmannus.

Tmarus.] In antiquis aliquot *Tmaros.* Pierius.

Mavortius Hæmon.] Non Martis filius, sed bellicosus. *Servius.*

Mavortius Hæmon.] Nomen viri (ut & *Tmarus*) à monte effictum. & bene hoc ornatur epitheto: cum in Hæmo Thraciæ monte domicilium Martis ponatur. *Taubm.*

686. *Agminibus totis.*] Deest *ab*: & significat eos primo fugatos esse, mox occisos. Aut certe alios fugatos, alios interemptos: quidam dubium putant, utrum ab agminibus totis terga dedere, an ab agminibus versi. *Servius.*

Aut versi terga dedere.] In codicibus non-

Aut ipſo portæ poſuere in limine vitam.
Tum magis increſcunt animis diſcordibus iræ,
Et jam collecti Troës glomerantur eodem,
Et conferre manum, & procurrere longius audent.
Ductori Turno, diverſa in parte furenti,
Turbantique viros, perfertur nuntius, hoſtem
Fervere cæde nova, & portas præbere patentis.
Deſerit inceptum, atque inmani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam, fratreſque ſuperbos:
Et primum Antiphaten, is enim ſe primus agebat,
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,

Con-

nonnullis *averſi terga dederunt*. Sed enim *aut* neceſſarium videtur, ut ſententia & ordo conſtent. *Pierius*.

687. *Aut ipſo portæ.*] Neque id placet, quod *ipſi* in nonnullis veteribus habetur exemplaribus. *Idem.*

Poſuere in limine vitam.] Ut, *animaſque in vulnere ponunt*. Servius.

688. *Animis diſcordibus.*] Hoſtilibus, ſcilicet Trojanorum, qui à Rutulis diſcordabant. *Idem.*

689. *Collecti Troës glomerantur.*] Tanti facti exemplo animati Trojani denſabantur ad portam, remotaque trepidatione omni, & egredi longius audebant, & alios cominus provocare. *Donatus.*

Glomerantur eodem.] In Romano codice legere est *in unum*, ſed melius *eodem*, hoc eſt, ad eandem portam, quam Pandarus & Bitias recluſerant. Fuit vero *in unum* paraphraſis. *Pierius.*

692. *Nuntius.*] Et qui nuntiat dicitur, & qui nunciatur; ſed modo hic qui nunciatur. *Servius.*

Perfertur nuntius.] Ita Soph. Elect. φέρων ἥκω λόγους· *venio ferens nuntium.* Et nota ἐκ παρέργου, ab eodem dici ἔργον pro *nuntio*, eo verſiculo, ἔργ᾽ ἔχων ἥδιστα. *Cerda.*

695. *Dardaniam ruit ad portam.*] *Ruit*, inquit, non venit, ut oſtenderet ejus fervorem, qui ſuorum necem veniebat ulturus, & qui nolebat patentis portæ occaſionem perdere, ne iterum clauderetur. *Donatus.*

Fratreſque.] Quos ſupra portam dixit tenere. *Servius.*

696. *Se primus agebat.*] Iuxta veteres *agebat*, pro *veniebat*, ut, *Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat.* Plautus in Moſtellaria: *Unde agis te?* Ut enim nos è contrario dicimus *duco me*: ita illi, *agit ſe*, ἀπὸ τοῦ ἄγειν, *ſe agebat*. Hoc eſt, incedebat. Tractus autem ſermo eſt à ratione Phyſica. Nam agitur corpus animi judicio. Unde Terentius, *Quo te agis?* Idem.

697. *Thebana de matre.*] Parentheſis eſt. Sane Thebæ aliæ Ægyptiæ, aliæ Bœotiæ, aliæ Frigiæ. *Idem.*

Thebana de matre.] Matrem hic Thebanam accipio è Thebis Hypoplaciis, quæ in Cilicia erant. Eſt enim veriſimile, Sarpedonem Lycium ex ea provincia concubinam habuiſſe potius, quam ex aliis Thebis. lib. 22. cap. 7. & lib. 29. cap. 25. *Turnebus.*

Nothum Sarpedonis alti.] Præclare, & ſignate. Eſt enim diſcrimen inter *nothum*, & *ſpurium*. Prior, qui natus ex claro & noto patre, matre obſcura & ignobili: poſterior, qui matre nota, ignoto patre. Ergo, quia non *ſpurius*, ſed *nothus*, ideo *Sarpedonis alti*. Verum diſcrimen hoc auctoribus non eſt perpetuum. De etymo vocis, varie. Tantum offero Suidam, qui ducit à parti-

Conjecto sternit jaculo. volat Itala cornus
Aëra per tenerum, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit: reddit specus atri vulneris undam
Spumantem, & fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymantha manu, tum sternit Aphidnum:
Tum Bitian ardentem oculis, animisque frementem,
Non jaculo: neque enim jaculo vitam ille dedisset:

Sed

cula *νὼ*, id est, *non*, & *θεῖον*, *divinum*; quia nothi carent divino illo, quod esse in procreatione debet, id est, legitimis nuptiis. Vide Lexicon Sim. Schard. *Cerda*.

Sarpedonis alti.] Id est, nobilis. *Servius*.

698. *Itala cornus.*] Telum de Itala cornu factum, & materiam pro opere posuit. *Idem*.

Itala cornus.] Pro, Italica. Sic Pers. Sat. 6. *Ligus ora*, pro, Ligustica. &, *juvenes jocos*, pro, juveniles. & Sat. l. 1. *Italo honore*, pro, Italico. &, *heroas sensus*, pro, heroos. *Cerda*.

699. *Aëra per tenuem.*] In plerisque codicibus *tenerum*. Sed & *tenuem* & *aëri*, & *auræ* sæpe additum invenias. *Pier.*

Tenuem.] In plerisque lib. *tenerum* est: quod probat Lambinus exemplo Lucretiani l. 1.

Aëris in teneras possint proferrier auras. Taubmannus.

Stomacho infixa.] Græcus sermo est. *Servius*.

700. *Specus vuln.*] Poëtica exaggeratio. *Specum* enim pro cavatione posuit. *Id.*

Specus atri vulneris.] Quamvis in plerisque codicibus *vulneris* legatur: & Servius *specus vulneris* agnoscat exaggeratione poëtica. Sunt tamen alii codices antiqui, in quibus *sanguinis undam* legas. *Pierius*.

Specus atri vulneris.] Sil. lib. 6. de vulnerato serpente, *Tabificam spirat saniem specus ultima.* Stat. flexu alio vocat *fundum* lib. 9. quasi è caverna exiret sanguis. Ioan. Chrysost. in laudat. prima Romani Martyris vocat vulnera *βαθείας αὔλακας*, *sulcos profundos*, & inde fluere *ῥύακας αἱμάτων*, *rivos sanguinis*. Cerda.

Undam.] Copiam sanguinis in modum undæ. Æn. 10. ☩ſ. ult. *Taubm.*

701. *Et fixo ferrum in pulmone.*] Et ferrum fixum, & pulmonem fixum possumus accipere. *Servius*.

Tepescit.] Ita sup. *trajectoque hæsit tepefacta cerebro.* Hom. 16. Iliad. *ὑπεθερμάνθη ξίφος αἵματι· incaluit gladius sanguine.* Cerda.

702. *Erymantha manu.*] Id est, gladio cominus ferit. Nam illi, de quibus superius dixit, non manu occisi sunt, sed misso jaculo. Ergo ad differentiam teli jacti, accipe *manu*, id est, gladio. *Servius*.

Aphidnum.] In cod. Romano *Achidnum*, in Oblongo *Afidnum* per *f* Latinum. In aliis *Afidum*, in aliis *Aphipnum*, denique tot varietates, quot pene codices. *Pierius*.

703. *Ardentem oculis, animisque frementem.*] Et gestu corporis, & mente commotum. *Servius*.

704. *Neque enim jaculo.*] Parenthesis. *Idem*.

Vitam dedisset.] Pro *reddidisset*. Id.

Neque enim jaculo vitam ille dedisset.] Par illud 11. Æneid. *non ille manus feritate dedisset.* Estque hoc ferme illud Hom. 9. Iliad. *οὐ μὲν γάρ κ' ἐδάμη παύροισι βροτοῖσι· non domitus ille esset paucis ab hominibus.* Et verbum *do* in hoc significato etiam est in Hom. Iliad. 11. *δώσειν ψυχὴν Ἄϊδι.* *Cerda*.

705. *Pha-*

Sed magnum ſtridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo: quam nec duo taurea terga,
Nec duplici ſquama lorica fidelis & auro

Suſti-

705. *Phalarica venit.*] De hoc telo legitur, quia eſt ingens, torno factum, habens ferrum cubitale, ſupra quod veluti quædam ſphæra, cujus pondus etiam plumbo augetur, dicitur enim ignem habere adfixum ſtuppa circundatum, & pice oblitum: incenſumque aut vulnere hoſtem, aut igne conſumit. Hoc autem telo pugnatur de turribus, quas *phalas* dici manifeſtum eſt. Unde & in circo *Falæ* dicuntur diviſiones inter Euripum & metas, quod ibi conſtructis ad tempus turribus, his telis pugna edi ſolebat. Iuvenalis, *Conſulit ante phalas, delphinorumque columnas.* Hinc *phalarica haſta*: ſicut alia muralis. Sane *phalaricam* Lucanus dixit nervis mitti tortilibus & quadam machina. ut, *Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis Obruat*: Virgilius vero ait, Turnum manu jaculari potuiſſe. Unde apparet aut à Lucano ad auxeſim illius, qui occidendus fuerat, eſſe dictum: aut à Virgilio ad laudem Turni, qui talem haſtam manu jaculatus eſt. *Servius.*

Phalarica.] Liv. l. 21. *Falarica telum miſſile, haſtili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremum, unde ferrum extabat: id, ſicut in pilo, quadratum ſtuppa circumligabant, linebantque pice. Ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus poſſet*, &c. Vide ibidem plura: nam apud Veget. l. 4. c. 18. non ſatis plena deſcriptio eſt. Dicta autem à *falis*, i. turribus ligneis. Juvenal.

Conſulit ante phalas ——

Gloſſæ vett. *Falarica*, χειροβαλλίστρα. Ennius:

Quæ valido venit contorta phalarica miſſu.

Lucanus:

Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
Obruat ——

Vide God. Stewech. ad Veget. *Taubm.*

706. *Fulminis acta modo.*] Amat tela cum impetu venientia fulminibus comparare *Servius.*

Taurea terga.] Uſurpavit pro *taurina.* Alibi *taurinis follibus.* Unde ſicut & Plinius dicit, *Derivationes firmas non habent regulas, ſed exeunt prout auctoribus placet.* Bene autem per tranſitum ejus arma deſcripſit. *Idem.*

Taurea terga.] Scutum intelligit. Corii ex bove inducti ſcutis crebra apud auctores mentio. Virg. 10. Æneid.

Cum pellis toties obeat circumdata tauri.

Stat. lib. 3.

Nec pudor emerito clypeum veſtiſſe juvenco. Idem:

—— *clypeos caſis veſtire juvencis.*

Valer. 1. Arg.

Taurea vulnifico portat, cælataque plumbo
Terga Lacon. —— Cerda.

707. *Duplici ſquama & auro.*] Id eſt, duplicibus ſquamis aureis. *Squamæ* autem ſunt loricarum cathenæ in modum ſquamæ compoſitæ. Sane *ſquamæ* & ſplendorem ſignificant, ſi à piſcibus veniat: & ſordes, ſi ab ſqualore. Sed in Virgilio ſplendorem ubique ſignificat. *Servius.*

Duplici ſquama.] Loricarum aliæ hamatæ ſeu catenatæ, quod genus Poëta inducit lib. 5. ubi exhibet loricam *levibus hamis conſertam.* Aliæ ſquammeæ, quæ habent ſolidas laminas innexas & conſertas. Herodotus Muſa ſeptima, loquens de Perſarum loricis, ait, habuiſſe ſpeciem λεπίδος σιδηρέης ὄψιν ἰχθυοειδέος, *ferreæ ſquammæ inſtar piſcium.* Ea in uſu Romanis; illam enim Lucullo dat Plut. vocatque θώρακα σιδηροῦν φολιδωτὸν, *loricam ferream ſquammeam.* Cum ait, *duplicem*, intelligit bilicem loricam, id eſt, cui duplex ordo ſquammarum loco liciorum: & ideo *fidelis*, quia major virtus in duplici ordine. *Cerda.*

Auro.] Sil. lib. 5. Flaminium

Con-

Suſtinuit: conlabſa ruunt inmania membra.
Dat tellus gemitum, & clipeum ſuperintonat ingens.
Qualis in Euboico Baiarum litore quondam
Saxea

Conſulem ſic armat,

Loricam induitur: totos huic nexilis hamos
Ferro ſquamma rudi, permiſtoque aſperat auro.

Eſt in Poëta *duplici ſquamma & auro*, idem quod, duplici ſquamma aurea, ut illud, *pateris libamus, & auro*, nulli non tritum. *Cerda.*

709. *Dat tellus gemitum.*] Sil. lib. 4.

Procumbit late porrectus in arma ruinam,
Et percuſſa gemit tellus ingentibus armis.

Pari incremento Stat. lib. 5. Theb. ubi ad pondus ſerpentis maximi inducit *arva gementia.* Calab. l. 1. μέγα δ' ἐστένεν ἄσπετος αἶα. & lib. 2. ἀγνὰ στεινέτο. ibid. γαῖα ἔβραχε. &, περιβρομέει γαῖα. *Idem.*

Et clipeum ſuperintonat ingens.] Aut ipſe *ingens ſuper clypeum intonat*: aut *ingens clypeum ſuper ipſum tonat.* Nam lectum eſt etiam *hoc clypeum*, ut probat Caper: eo magis debemus accipere. Nam Homerum imitatus eſt, qui ait, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ. *Servius.*

Et clipeum ſuperintonat ingens.] Dubitare videtur Servius an *clypeum ingens* dicendum ſit genere neutro, ut cum Homerica ſententia congruat, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ. quod alibi Virgilius expreſſit, *Sonitum ſuper arma dedere.* Sed enim Livius libro quarto de bello Macedonico, *Clypea argentea decem* ait: quod tamen de imaginibus intelligi eo loco nonnulli volunt. Aſſerit ad hæc Nonius Marcellus, *Clypeum* utroque genere pro *ſcuto* Virgilium poſuiſſe, ut eo loco, *Ardentes clypeos.* & hic *Clypeum ſuper intonat ingens. Clypeum* enim *ingens* indubitato legit Nonius: quo genere & Licinius uſus eſt. Diximus vero clariſſimos olim viros tam in genere, quam in ſcriptione differentiam poſuiſſe: aliterque *clypeum*, aliter *clipeum*, aliter *clupeum* ſignificare: cujus rei cura ſit penes eos, qui nunc etiam & hoc & hujuſmodi alia diligentiſſime perquiſivere: quorum doctiſſimos libros ſpero brevi in lucem prodituros. *Pierius.*

710. *Qualis in Euboico.*] In Romano *talis.* Sed id ex paraphraſi. *Idem.*

Qualis in Euboico.] Silius lib. 4. Muſam ſuam ornat Virgiliano ductu:

Haud aliter ſtructo Tyrrhena ad litora ſaxo
Pugnatura fretis, ſubter cæciſque procellis
Pila immane ſonans, impingitur ardua ponto.
Immugit Nereus, diviſaque cærula pulſu
Illiſum accipiunt irata ſub æquora montem.

Non longe abit Homeri comparatio Iliad. 4. ἤριπε δ' ὡς ὅτε πύργος, *cecidit uti turris.* à quo accepit Cal. lib. 3. ἀνετράπετ' ἠΰτε πύργος. Idem Cal. ibid. de Achille cadente,

Ἤριπεν ἀμφὶ νεκύεσσιν ἀλίγκιος οὔρεϊ μακρῷ.

de cadente Amyco Val. lib. 4.

—— annoſi veluti ſi decidat olim
Pars Erycis, vel totus Athos. ——

Cerda.

Qualis in, &c.] Quomodo hoc fiat, ratio petenda eſt ex Vitruvio, præſertim lib. 5. nam Grammatici non dixere. Scal. l. 5. c. 14. *Taubm.*

Euboico Baiarum litore.] Bene *Bajarum* addidit, ne Eubœam inſulam intelligeremus, unde Chalcidenſes venerunt, qui condiderunt Cumas, quæ ſunt Bajis vicinæ. Poſtumus de adventu Æneæ & Lutatius communium hiſtoriarum, Bojam Euximi comitis Æneæ Nutricem & ab ejus nomine Bojas vocatas dicunt * veteres tamen portum Bajas dixiſſe Varro à Bajo, Ulyxis comite, qui illic ſepultus eſt, & Bajas dictas tradit. *Servius.*

Quondam.] Hic *quondam*, pro expletiva poſuit. Alii *quondam* medii temporis volunt, quidam *quondam* ad perpetui-

Saxea pila cadit; magnis quam molibus ante
Constructam ponto jaciunt: sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis inlisa recumbit.

petuitatem temporis referunt, hoc est ut solet fieri. *Idem.*

711. *Saxea pila cadit, &c.*] Nulla hic libertas, neque *pilam* potuit pro columna, sed vere pilam intellexit. Quis nescit ex Vitruvio pilas ad mare construi solitas? Lege illum lib. 5. cap. 12. ubi clare pilas nominat structiones, quæ fiunt in portubus, & late docet, qui debeant fieri. Pilas describit Sidon. Paneg. Anthem.

—— itur in æquor
Molibus, & veteres tellus nova contrahit undas.
Namque Dicarchea translatus pulvis arenæ
Intratis solidatur aquis, durataq; massa
Sustinet advectos peregrino in gurgite campos.

Ut intelligas tertium vers. de pulvere, lege Vitruv. dicto loco. & lib. 2. c. 6. Seneca 3. Nat. Quæst. c. 20. *Puteolanus pulvis, si aquam attigit, saxum est.* & Plin. c. 13. lib. 35. ait, hunc pulverem Puteolanum *opponi maris fluctibus, mersumque protinus fieri lapidem inexpugnabilem undis.* Additque, fieri fortiorem *si Cumano misceatur cæmento.* Videndus etiam Strabo. & Auson. clare epist. 13. ad Paulum,

Vel quæ Bajanis pendent fluitantia pilis.

Sic enim legendum, non *palis.* Utrumque ædificium aperte discriminat Sidon. epist. 2. lib. 2. *Nec pilæ sunt mediæ, sed columnæ.* quasi in ratione fabricæ directe opponantur; & vere opponuntur. Quod cum ita sit, cur dicam, Virgilium intellexisse columnas, & libere mutasse in pilas? Nobilior multo est columna, ut ratio annuit, & versus Paulini Natali 9. Felicis,

Quæque prius pilis stetit, hæc modo fulta columnis,
Vilia mutato sprevit cæmenta metallo.

Et quia nobilior, ideo in ædificiis spectatur: pila contra, quia informis, undarum tenebris destinatur. Hæ pilæ excitabantur non solum in ipsis undis prope litus, sed etiam extra undas in ipso litore, ad arcendos fluctus maris. Sic Lucret. lib. 6.

Est quoque uti possit magnus congestus arenæ
Fluctibus adversis oppilare ostia contra,
Cum mare permotum ventis ruit intus arenam.

Virgilianas capio de eis, quæ extra aquas *Baiarum in litore.* & cum addit, *jaciunt ponto,* non est, *in ponto,* sed *ponto,* id est, *contra pontum.* Inde cum ab litore in undas corruit, ingens ille sonitus & strepitus Virgilii. *Cerda.*

Molibus.] Præclare: nam & hæc vox de structuris, quæ aut in mari, aut juxta mare. Sidon. Paneg. Anthem. *itur in æquor Molibus.* Cic. ad Attic. *Aditus insulæ munitos mirificis molibus.* Seneca in Hercule Furen. & de ipso Hercule cadente,

—— jam totus ad terram ruit,
Ut cæsa silvis ornus, aut portus mari
Datura moles. ——

Sed & Sidon. loquens de Pado epist. 5. lib. 1. *Ab alveo principali molium publicarum discerptus objectu, & per easdem derivatis tramitibus exhaustus,* &c. Quin aquam ipsam *molem* vocat Curt. lib. 3. per initia, ubi inducit Lycum *majore vi, ac mole agentem undas.* Idem.

712. *Ponto jaciunt.*] Hoc est, contra Pontum. *Servius.*

Constructam jaciunt ponto.] Antiqui omnes codices hoc numero legunt, *constructam ponto jaciunt*: sed magis placet interjectus dactylus. *Pierius.*

Sic illa.] *Sic*, protrahendum, nam cum dixisset qualis, addidit, *sic illa.* Servius.

713. *Prona trahit.*] Ita enim exædificantur. *Idem.*

Vadis illisa recumbit.] In antiquis aliquot codicibus legitur *undis inlisa.* Sed

Miscent se maria, & nigræ attolluntur arenæ.
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime Jovis imperiis inposta Typhoëo.
Hic Mars armipotens animum viresque Latinis
Addi-

vadis magis placet. Alludit autem Poëta ad portus Lucrini reparationem ab Augusto factam, quum ædificatus à Julio Cæsare corruisset. *Pierius.*

715. *Prochyta alta tremit.*] Atqui hæc insula plana est: sed epitheton de præterito traxit. Nam, ut dicit Plinius in naturali historia, *Inarimes* insula fuit alta, quæ terræ motu diffusa aliam insulam fecit, quæ *Prochyta* ab effusione dicta est, ἀπὸ τῦ προχύναι. Hanc Nævius in primo belli Punici de cognata Æneæ nomen accepisse dicit; sed *Inarime* nunc *Enaria* dicitur, & sæpe fulgoribus petitur, ob hoc quod Typhœum premat, & quia in eam ad contumeliam simiæ missæ sunt, quas Grajorum lingua ἀρίμας, id est, *Enarias* dicunt, ob quam causam Pithecusam etiam vocitant, licet diversi auctores varie dicant. Nam alii hanc insulam Typhœum, alii Enceladum tradunt premere, & putatur novè dictum *Inarimem*, quod & singulari numero, & addita syllaba dixerit, cum Homerus εἰν Ἀρίμοις posuerit, ut prior syllaba præpositionis locum obtineat. Livius in libro nonagesimo quarto, *Inarimem* in Mæoniæ partibus esse dicit, ubi per quinquaginta millia, terræ igni exustæ sunt; hoc etiam Homerum significasse vult. *Prochyta* ergo *alta*, quondam scilicet. *Servius.*

Durumque cubile.] Hoc est, mortiferum, ad pœnam statutum. *Idem.*

Durumque cubile.] Mortiferum, ad pœnam statutum. Lucan. l. 5.

—Campana fremens ceu saxa vaporat
Conditus Inarimes æterna mole Typhœus.

Ita 3. Æn. Ætna imposita est Encelado fratri hujus Typhoei. *Taubm.*

716. *Inarime.*] Audi prius imitationem, postea breviter disputabitur is error, qui falso Virgilio affingitur. Ait Hom. 2. Iliad.

Γαῖα δ' ὑπεστονάχιζε, Διὶ ὣς τερπικεραύνῳ
Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωεῖ γαῖαν ἱμάσσῃ
Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Sed ecce nubes ἀμούσων, καὶ ἀνήθων, καὶ ἀτόπων in te Maro. Cur conjunxisti divisas ab Homero voces? ille εἰν Ἀρίμοις, tu *Inarime*? non ergo Græcum intellexisti? Adeant isti ἄμουσοι Turnebum, Erythræum, Scaligerum, Modicium, qui defendunt Virgilium. Nolo hic ego illorum myriadas. Mihi satis tot Latinorum lumina, qui judicium Virgilii probant. Hi sunt Plinius, Ovidius, Statius, Lucanus, Claudianus, Silius, Valerius. Hi omnes *Inarimem* unica voce dixerunt. An ignoraret Virgilius locum, à quo non longe distabat? Et, si dixerimus in Homero legendum voce unica Εἰναρίμοις, qui convincemur? Et Plinius aperte ait libro 3. c. 6. Homerum scripsisse *Inarimem.* Et Claverius in Claud. notavit, Maximum, qui Græcus, & Homeri acerrimus explorator, scripsisse, & agnovisse Εἰναρίμην voce unica. Sed esto Homerus divisim scripserit εἰν Ἀρίμοις, cur non potuit Virgilius conjungere? quod jus poëticum, si hoc non est? *Cerda.*

Inposta.] De Sicilia imposita Giganti Pindarus Od. 1. Pyth. πιέζει, *premit.* Id.

717. *Hic Mars armipotens, &c.*] Il. τ. μένος πολυθαρσὲς ἐνῆκε. & Od. α. τῷ δ' ἐνὶ θυμῷ θῆκε μένος καὶ θάρσος. Item Il. λ. μέγα δὲ σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ — καρδίῃ. Il. ρ. ἀφίει μένος ὄβριμος ἄρης. & Il. θ. Τρώεσσιν — ἐν μένος ὦρσε. & Eurip. in Suppl. θάρσος δ' ἐνῶρσε παντὶ Δαναϊδῶν στρατῷ. & Il. ν. ἀμφοτέρω κεκοπὼς πλῆσεν μένεος κρατεροῖο. *Germanus.*

718. Sti-

Addidit, stimulos acris sub pectore vertit:
Immisitque fugam Teucris, atrumque timorem.
Undique conveniunt; quoniam data copia pugnæ,
Bellatorque animos deus incidit.
Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit Fortuna loco, qui casus agat res,
Portam vi multa converso cardine torquet
Obnixus latis humeris, multosque suorum
Mœnibus exclusos duro in certamine linquit:
Ast alios secum includit recipitque ruentis

Demens:

718. *Stimulos acris.*] Sæviendi scilicet. Nam sunt & timoris & libidinis stimuli. Notanda quoque proœconomia, quæ id agit, ut verisimile sit Turnum victorem evasisse de castris. *Serv.*

Stimulos acris sub pectore vertit.] Ita lib. 6. *stimulos sub pectore vertit Apollo.* Auctor Theb.

—— Quid est,
Quod te efferarit? quod novos suffixerit
Stimulos dolori? ——

Et Claud. 3. Hon. *virtutum stimulos.* Cerda.

Atrum timorem.] Per metalepsin: id est, turpem, odiosum. Ex eo, quod *atra* quæ sunt, inauspicata & funesta & injucunda erant. Sic Flaccus l. 4. od. 11.

—— minuentur atræ
Carmine curæ,

id est, invisæ, molestæ. Id. 2. Sat. 6.

—— ut simul atras
Ventum est Esquilias.

id est, odiosas mihi. Sic in Arte:

—— atrum
Desinat in piscem mulier ——

id est, turpem & fœdum. Turneb. l. 21. c. 7. Alii *pallidum* interpretantur, *καταχρηστικῶς. Taubm.*

720. *Undique conveniunt.*] Non dicit qui conveniunt, sed illi sine dubio, quibus Mars injecit audaciam, inventa opportunitate, irruperunt castra Trojana. *Servius.*

Quoniam.] Postquam. *Idem.*

721. *Bellator deus.*] *Mars armipotens,* ꝟ. 717. *Taubm.*

Deus incidit.] Stat. 3. Theb. *Tantus in attonitos cecidit Deus.* Cerda.

Animo deus incidit.] Tale illud Statii Theb. 1.

Pierius menti calor incidit. —— Taubm.

722. *Ut fuso germanum corpore cernit.*] Hom. Il. υ. de Polydoro interfecto, Ἕκτωρ δ᾽ ὡς ἐνόησε κασίγνητον Πολύδωρον ἔντερα χερσὶν ἔχοντα. *Germ.*

723. *Qui casus agat res.*] In Romano & in Mediceo *quis*, ut Grammaticorum præceptionibus fieret satis. Nam *quis* cum *s* dici volunt Grammatici, auctore Sosipatro, cum in quærendo: ut, *Quis te, nate, Dea.* In inferendo autem *qui* sine *s*, ut, *Ille, (vides) pura juvenis qui nititur hasta.* Est enim præpositivum *quis*, subjunctivum *qui*: quod tamen auctores non observarunt. Ut Attius, *quinam Tantalidarum internitioni modus sit.* Et Virgilius, *qui casus agat res.* Hæc Carisius. *Pierius.*

725. *Obnixus.*] Connisus, conabundus. *Servius.*

Latis humeris.] Quales plerunque sunt virorum fortium: Æneæ lib. 2. ꝟ. 721. Daretis lib. 5. ꝟ. 376. Orniti lib. 11. ꝟ. 680. *Taubm.*

726. *Duro in certamine linquit.*] Sine spe evadendi. *Servius.*

727. *Ast alios secum includit.*] Pro hostibus, quoniam multos suos exclusisset. Statius, *Par operi jactura lucro. Namque, hoste recepto, Exclusere suos.* Potest tamen & dubium esse, *Includit,* utrum hostes, an suos? *Idem.*

Demens: qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit inrumpentem, ultroque incluserit urbi;
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuo nova lux oculis offulsit, & arma
Horrendum sonuere: tremunt in vertice cristæ
Sanguineæ, clipeoque micantia fulmina mittunt.
Adgnoscunt faciem invisam atque immania membra
Turbati subito Æneadæ. tum Pandarus ingens
Emicat, & mortis fraternæ fervidus ira
Effatur: Non hæc dotalis regia Amatæ,

Nec

728. *Demens.*] Pathos per personam Poëtæ proferendum. Alibi, *Sed tum forte cava dum personat æquora concha Demens, & cantu vocat in certamina divos.* Serv.

Rutulum.] Potest accusativus esse, potest & genitivus. *Idem.*

Ultro.] Insuper. *Idem.*

730. *Tigrim.*] Cum hac fera comparari soliti viri fortes; & ideo Herculem cum illa confert Val. lib. 3. Arg. & *Martiam* vocat, quia bellicosa. Apollon. lib. 2. Excis. Hieros.

— *Indica tigris,*
Occiso pastore, pecus laceratque, trahitq;.

Cerda.

731. *Continuo nova lux.*] Tanta fuit inter cæteros dissimilitudo Turni, ut illum forma corporis & armorum qualitate quivis posset agnoscere. *Donatus.*

Lux oculis effulsit.] In Romano codice *offulsit*, ut superius. *Pierius.*

732. *Horrendum sonuere.*] Ad verbum Hom. 3. Iliad.

Δεινὸν δ' ἴαχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσιν
ἄνακτος.

Cerda.

Tremunt in vertice cristæ.] Sil. lib. 1.

Lethiferumque micant fulgentes vertice cristæ.

Stat. 3. Theb. *capiti tremit ærea cassis.* Quod Hom. 20. Iliad. νεῦστάζων κόρυθι. Prope ad Poëtas Amm. lib. 20. *acies conis galearum minacius nutans.* Idem.

Tremunt in vertice cristæ.] Comparant hæc Grammatici cum Homericis Iliad. 18. atque etiam vellicant. Sed Scal. lib. 5. c. 3. docet, hujus loci minimam laudem superare Homeri maximam quam ibi videas, ut & Pontanum in Antonio: ubi Virgilii judicium acerrime defendit. Ita 10. Æn. ỳs. 270.

Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma
Funditur, &c. Taubm.

Micantia fulgura mittit.] In Romano, Mediceo, & in Porcio *fulmina.* & verbum *mittit* numero variat. *Pierius.*

Micantia fulgura.] Lucret. lib. 4.

— *nictantia fulgura flammæ.*

Taubm.

734. *Immania membra.*] Quia Turnus *præstanti corpore.* ut in 7. & ibid. & 9. *ac toto vertice supra est.* Cerda.

737. *Dotalis regia Amatæ.*] Aut tibi data per dotem, aut quia sperabatur. Et bene *Amatæ*, quæ illum sola generum esse cupiebat, contra mariti judicium. Ergo eum mulieri probatum, non viro, dicit. Notandum sane, quia id agit, ut ostendat, non se per imprudentiam Turnum inclusisse, sed illum per temeritatem sibi minime profutura castra penetrasse. *Servius.*

Amatæ.] Reginæ. *Amatæ* vero nomen priscum est, eo enim appellari omnes consueverunt Vestales: quod ea ita fuisset dicta, quam primam Numa rapuit: Raptæ statim hoc nomen imponebat. *Hortens.*

740. *Olli*

Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides: nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus:
Incipe, si qua animo virtus, & consere dextram:
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat. ille rudem nodis & cortice crudo
Intorquet summis adnixus viribus hastam.
Excepere auræ vulnus; (Saturnia Juno
Detorsit veniens) portæque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,

Effu-

740. *Olli subridens.*] Magnam confidentiam virtutis ostendit. *Servius.*

741. *Si qua animo virtus.*] In Romano *animi*. Sed magis placet *animo*. Pierius.

742. *Priamo narrabis Achillem.*] Propter illud Sibyllæ, *Alius Latio jam partus Achilles.* Hoc autem sic dictum est ut illud, *Degenerem quem Neoptolemum narrare memento.* Servius.

743. *Rudem nodis.*] Non levem, nec pulchram, sed fortem. *Idem.*

Cortice crudo.] Viridi. Nam hastæ igni plerunque torrentur. *Idem.*

744. *Summis adnixus viribus hastam.*] Est hoc, quod Hom. 17. Iliad.

Ἐπὶ δ᾽ αὐτὸς ἔρεισε βαρείῃ χειρὶ πιθήσας. *Cerda.*

745. *Excepere auræ vulnus.*] Quicquid irritum est, & frustraneum, *abire in auras* dicebatur proverbiali schemate. Vide 5. Æneid. ad illud, *verberat ictibus auras.* Præclare admodum, quia ad Musam Virg. Valerius lib. 3. Arg. *raptumque per auras vulnus.* & Nonn. l. 11. in re simili, ἠέρα βάλλων. *Idem.*

Vulnus Saturnia Juno Detorsit veniens.] *Vulnus veniens*, id est, ictum, quo vulnerari debuit. Plerique, sed non idonei commentatores, dicunt hoc loco occisum Turnum: sed caussa œconomiæ gloriam à Poëta Æneæ esse servatam: quod falsum est. Nam si veritatem historiæ requiras, primo prælio interemptus Latinus est in arce, postea simul Turnus & Æneas, postea Mezentius ab Ascanio. *Servius.*

Saturnia Juno Detorsit.] Hoc figmento Poëtæ plenissimi. Apud Hom. Minerva Iliad. 20. & 22. detorquet telum, ne Achilles feriatur. Apud Nonnum lib. 22. Venus, & eadem apud Calab. lib. 11. Primus effert verbo ἔτραπε, alter ἀπεκόντιζε, tertius ἀπέτραπε. Sed & Hom. 8. Iliad. aliter,

Ἀλλ᾽ ὅγε τόθ᾽ ἅμαρτε. παρέσφηλεν γὰρ Ἀπόλλων·

Hic autem aberravit. avertit enim Apollo.

Itaque σφάλλω, & παρασφάλλω ad rem eandem. Virgil. vero, qui hic *detorsit*, in 10. *deflexit Venus tela.* Pulchra est poësis Ovid 8. Metamorph. ubi Diana, ne aper feriatur, qui sub tutela, ferrum abstulit jaculo misso in illum,

— *ictus ab illo est,*
Sed sine vulnere aper, ferrumque Diana volanti
Abstulerat jaculo, lignum sine acumine venit. Cerda.

747. *Telum.*] *Telum* gladium dixit à longitudine. Unde & *mustela* dicitur, quasi mus longus. *Telum* autem pro gladio posuisse illud significat, quod infert paulo post, *Consurgit in ensem.* Servius.

Telum.] Miratur Servius *telum* pro *gladio* positum. Sed enim & apud oratores invenitur. In Rhet. ad Heren. lib. primo, *Ajax in silva postquam resci-* *vit*

Effugies: neque enim is teli nec vulneris auctor.
Sic ait, & ſublatum alte conſurgit in enſem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, inpubeſque inmani volnere malas.
Fit ſonus: ingenti concuſſa eſt pondere tellus.
Conlabſos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus æquis
Huc

vit quæ feciſſet per inſaniam, gladio incubuit. Ulyſſes intervenit, occiſum conſpicatur, corpore telum cruentum educit. Eſt in Mediceo *librat*, pro *verſat* ſcriptum. *Pierius.*

Verſat.] Librat, jactat, & eſt Ennianum, *Verſat mucronem.* Servius.

Is teli.] Par, ſimilis. *Idem.*

Neque enim is, &c.] In Romano codice, in Porcio, & aliquot aliis ſcriptum, *neque enim es*, ut ſit, ideo non effugies: quia tu non *es* auctor teli neque vulneris. Tua enim evitari poſſunt, mea autem minime. *Pierius.*

Is teli.] Cum *is auctor* ſit hoc loco par auctor, ita explicante Servio, & poſtulante ſententia, mihi viſum voculam *is* Latinam natam per ἀποκοπὴν, ab Græco ἴσος. ut *at* ab ἀτὰρ· & *caput* à κεφαλή. & multa alia. Ita ut *is* nihil ſit aliud, quam ἴσος. *Cerda.*

Vulneris auctor.] Ovid. 8. Metam. *Vulneris auctor adeſt.* & 9. de eo, qui taurum percuſſit venabulo, *factique refugerit auctor.* Idem.

749. *Sublatum alte conſurgit in enſem.*] Genus feriendi Gallicanum. Saluſtius, *Regreſſi ad faciliores ictus loco cedebant.* Servius.

Sublatum alte conſurgit in enſem.] Militaris feriendi modus ſublato enſe, cujus alibi Poëta meminit; nam de eodem Turno,

Alte ſublatum conſurgit Turnus in enſem.

Et de Ænea,

Jamque aſſurgentis dextra, plagamque ferentis.

Cum vero hic Servius notet, hoc genus feriendi eſſe Gallicanum, probe Titius lib. 4. Loc. cap. 4. rem hanc illuſtrat Polybii teſtimonio hoc: οἱ Ῥωμαῖοι συνδραμόντες εἰς τὰς χεῖρας τοὺς Κελτοὺς ἀπράκτους ἐποίησαν, ἀφελόμενοι τὴν ἐκ διάρσεως αὐτῶν μάχην. ὅπερ ἐστὶν ἴδιον γαλατικῆς χρείας, διὰ τὸ μηδαμῶς κέντημα τὸ ξίφος ἔχειν. *Cerda.*

750. *Et mediam ferro, &c.*] Par vulnus 12. Æneid.

Adverſi frontem mediam, mentumque reducta
Disjicit, & ſparſo late rigat arma cruore.

Species hujus ictus ſumpta ab Homer. 4. Iliad. ubi διὰ κροτάφοιο πέρησεν αἰχμή. & alius 16. Iliad. percutitur μέσσην κὰκ κεφαλήν. in quibus ictus ſignatur per media tempora, & medium caput. *Idem.*

Gemina inter tempora.] Codices nonnulli veteres legunt *media inter tempora.* Figurata elocutione. *Mediam frontem inter media tempora. Pierius.*

751. *Inpubeſque.*] Pathos ex ætate movit. *Servius.*

752. *Concuſſa eſt pondere tellus.*] Plinius de elephanto in pugna canis c. 40. l. 8. *Ad caſum ejus tellure concuſſa.* Et nota τρόπον ut ad cadentem fratrem Bitiam *dat tellus gemitum*: ita ad Pandari caſum eadem concutitur. *Cerda.*

754. *Atque illi in partibus æquis.*] Antiqui codices omnes, quotquot vidi, legunt abſque *in*, *atque illi partibus æquis.* Pierius.

Partibus æquis Huc caput atque illuc, &c.] Iliad. 16. ἡ δ' ἄνδιχα πᾶσα κεάσθη, ſcilicet κεφαλή. & lib. 8. ἑτέρωσε κάρη μήκωνι ὣς βαρυνθέν. & quod hic *pependit*, in 13. Iliad. de re ſimili, ἐκλίνθη δ' ἑτέρωσε κάρη· *inclinatum*

Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepida formidine Troës.
Et si continuo victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu sociosque inmittere portis;
Ultimus ille dies bello gentique fuisset.
Sed furor ardentem cædisque insana cupido
Egit in adversos.
Principio Phalerim, & succiso poplite Gygen
Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergus. Juno vires animumque ministrat.

Addit

natum caput in partem alteram. Nonn. lib. 32. *αὐχένα δαΐξας.* Neque abit ictus ille Iliad. 16. ubi, penetrante ense, *ἔσχε δ' οἶον δέρμα*, *sola pellis tenuit.* nam *παρηέρθη δὲ κάρη*, *caput pependit.* Hos ictus ne putet Lector fuisse incredibiles, Plutar. scribit, Pyrrhum Regem Epirotarum ita fortiter percussisse Barbarum, ut, penetrante Pyrrhi gladio, eodem momento corporis partes dissectæ hinc atque hinc dilaberentur. *Cerda.*

755. *Huc caput.*] *Huc pependit* figurate. *Servius.*

756. *Diffugiunt, &c.*] Stat. 6. Theb. *rapit attonitos fuga cæca.* Et quidem *formido trepida* Virgilii indicat *cæcitatem* Statii, & animos attonitos, atque *ἐμβροντήτους*. Val. lib. 3.

Continuo dant terga metu, versique per agros
Diffugiunt, quæ sola salus. ——

Hom. hanc fugam 4. Il. *χώρησαν δ' ὑπό τε πρόμαχοι.* Sed cum unus Turnus tot millia hominum in fugam convertat, velim adeas Josephum cap. 3. lib. 7. Bell. Jud. expendentem hoc genus belli. Virgilii locus ducitur ab extremis versibus lib. 12. Iliad. ubi vim Hectoris ruentis intra murum Græcorum non sustinent universi Græci, omnesque fugam capessunt ad naves, ut ibi tuto lateant. Indicavi tantum locum, ne multa transcriberem. *Cerda.*

759. *Bello gentique fuisset.*] Quia illic Ascanius extinguebatur. *Servius.*

760. *Cædisque insana cupido.*] Oeconomia est, quæ excusat Turnum, cur non, à porta fugatis Trojanis, penitus deleta sint castra. *Idem.*

Cædisque insana cupido.] In veteribus aliquot exemplaribus *infanda.* Pierius.

761. *In adversos.*] Vide vers. 12. *Taubm.*

762. *Principio.*] Intra castra, post Trojanorum fugam. *Servius.*

Succiso poplite Gygen Excipit.] Ordo est, Excipit & succidit poplitem. ut, *Postibus hæsit adesis*, &, *Scuta latentia condunt.* Nam ante fuit, ut eum circumveniret insidiis. *Poples* autem sciendum *Po* brevem esse, sicut in Sereno legitur: & fit longa positione. *Idem.*

763. *Hinc.*] Deinde, nam ordinis est adverbium non loci. *Idem.*

Raptas.] De hostium cadaveribus. Nam quod dicit Donatus, *ab armigero*, non procedit. Cum solus inclusus fuerat Turnus, ut post ait, *Unus homo, quamvis possit*, sicut in *Suggere tela mihi.* & paulo post, *Tum magnam corripit hastam, Et jacit.* Idem.

764. *In tergum.*] Romanus codex *tergus* habet. Quam lectionem hoc citato versu Flavius Sosipater agnoscit adversus eos, qui pro *dorso Tergum tergi* facere, *Tergus* vero *tergoris* pro *pelle* contendebant. Nam & *Terga boum* dictum à Virgilio reperit, quum *Tergum* tantum hominis esse contenderent. Exemplis

Addit Halym comitem, & confixa Phegea parma;
Ignaros deinde in muris Martemque cientis
Alcandrumque Haliumque Noëmonaq; Prytanimque,
Lyncea tendentem contra, sociosque vocantem,
Vibranti gladio conixus ab aggere dexter
Occupat: huic uno dejectum comminus ictu
Cum galea longe jacuit caput. inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Unguere tela manu, ferrumque armare veneno:

emplis vero Virgilianis impunitas etiam illis datur, qui putant *Tergum* hominis, *Tergus* vero pecoris nominari. Nam & *Tergora deripiunt costis*: & alibi, *Venit in tergum adversi Sulmonis* legitur. *Pierius.*

In tergum.] Charisius duobus in locis lib. 1. agnoscit hic *In tergus*. Quod & Jos. Scal. probat ad illud Manilii l. 4. — *& Colchida tergore vexit*. Taubm.

Juno vires animumque ministrat.] Oeconomia, ut quod dicit possit esse verisimile. *Servius.*

Vires animumque ministrat.] Hom. de Pallade: μένος θυμὸν ἐγείρει. Id. δῶκε μένος καὶ θάρσος. *Taubm.*

765. *Confixum Phegea parma.*] Veteres omnes codices *confixa* legunt *parma*. Sed *confixum* figuratius est. *Pierius.*

Confixum Phegea parma.] Hæc sententia sæpe in Hom. & aliis, ubi una cum corpore etiam arma perforantur. Enn. lib. 15. *Configunt parmam*. Plutar. in vita Crassi exhibet Romanorum χεῖρας θυρεοῖς συμπεπερονημένας· *manus affixus una cum scutis*. Et addit miserabile spectaculum, videlicet πόδας διαμπὰξ προσπεπερονημένους πρὸς τοὔδαφος· *pedes trajectos, & solo affixos*. Cerd.

Phegea.] Hujus nominis ducem Stat. inducit 2. Theb. *Idem.*

766. *Martemque cientis.*] Pugnam agitantes. *Servius.*

767. *Alcandrumque Haliumque Noëmonaque Prytanimque.*] Homeri versus, tantum conjunctione mutata. Ἄλκανδρόν θ' Ἅλιόν τε Νοήμονά τε Πρύτανίν τε. Unde apparet non ad historiam, sed ad ornatum poëmatis hæc nomina pertinere. *Idem.*

768. *Tendentem contra.*] In se facientem impetum. *Idem.*

Dexter.] An, quod ab parte dextera hostem occupaverit Turnus? An *dexter* hic est, industria quadam dexteritate in pugnando acer? Pindarus enim od. 9. Olymp. Epharmostum cum laudat ἄχειρα appellat, καὶ δεξιόγυιον, id est, *promptum manu, & membrorum dexteritate præstantem*. An demum, ideo *dexter* Turnus, quod felix illius successus? Felicia enim dici *dextra*, sciunt omnes, ut *sinistra* infelicia. *Cerda.*

771. *Cum galea longe jacuit caput.*] Ad exprimendam celeritatem præterito usus est tempore. Potuisse autem caput cum galea longe jaci, præmissa loci altitudo significat. *Servius.*

772. *Felicior.*] Peritior. Nam in ungendis telis non est felicitas, sed peritia. Sane nec *ungo*, nec *ungentum* *u* recipit, excepto uno nomine, ut *unguen*. Unde est, *Et pingues unguine ceras*. Est autem mira brevitate inducta descriptio. *Idem.*

773. *Ferrumque armare veneno.*] Speciose dictum *armabat ferrum*, quo nos armari consuevimus. ut ex venenato ferro vehementius & perniciosius vulnus sit. *Idem.*

Ferrumq; armare veneno.] In Hom. ad illinendas sagittas quæritur φάρμακον ἀνδροφόνον, *venenum mortiferum*. Æneide

Et Clytium Æoliden, & amicum Crethea Musis;
Crethea Musarum comitem, cui carmina semper
Et citharæ cordi, numerosque intendere nervis:
Semper equos, atque arma virûm, pugnasque canebat.
Tandem ductores, audita cæde suorum,
Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus;
Palantisque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit.
Quos

etiam 10. *calamos armare veneno.* Sil. l. 3.

Spicula dirigere, & ferrum infamare veneno.

Inventum artis hujus ad Scythas referre possumus: nam illi hac arte claruerunt, scribente Aristot. lib. περ. θαυμ. pene ad exitum, hunc in modum: *Scythicum venenum, quo sagittæ inficiuntur, ex viperis parari ajunt. Observant enim Scythæ parientes, & captas mox diebus aliquot liquefaciunt, cumque satis videntur computruisse, infundunt humanum sanguinem ollulæ, quam in sterquilinium defossam cooperiunt. At ubi putridus is quoque apparet, liquorem supernatantem aquosum miscent cruore viperæ, lethaleque hoc pacto venenum reddunt.* Ex Aristotele proculdubio Plin. lib. 11. cap. 53. *Scythæ sagittas tingunt viperina sanie, & humano sanguine: irremediabile id scelus mortem illico adfert levi tactu.* Ab utroque illustrari quit Ovid. qui sæpe Scythis venenum attribuit, quo linunt sagittas. Lege hac de re Theophrastum lib. 9. hist. Plant. Nicand. Alexiph. Paulum Æginetam libro 6. cap. 88. Poëtas omnes. *Cerda.*

Ferrumque armare veneno.] Notat Quintil. lib. 8. c. 6. p. 473. duplicatam esse tralationem: *Armare ferrum*; &, *Armare veneno.* Taubm.

774. *Clytium Æoliden.*] An quod pater *Clytii Æolus* Trojanus quispiam? An quia ille genus suum referret ad *Æolum* ducem ventorum? Sic & Ulysses dictus *Æolides.* An demum, quod adlubescit, quia credibile multos *Æoles* secutos fuisse Æneam, præsertim cum dicat Strab. lib. 13. Geog. *Æoles* dispersos olim fuisse per Trojanam regionem, adeo ut quidam Trojam ipsam appellarint *Æolida*, vel totam, vel partem ejus. *Cerda.*

Amicum Crethea Musis.] Poëtam lyricum & tale est schema per repetitionem, ut sequitur, *Pulcherrimus Astur, Astur equo fidens.* Servius.

Amicum Crethea Musis.] Noluit *Musis amicis*, ut vulgus. Horat. *amico Hercule.* Propert. lib. 3. *Apolline dextro.* Pers. Sat. 5. *Jove dextro.* Amavit Theocritum, qui εἰδ. 11.

Καὶ ταῖς ἐννέα πεφιλαμένον ἔξοχα Μοίσαις.

Et novem quidem Musis præclare amicum. Cerda.

775. *Musarum comitem.*] Non re vera *comitem*, sed carminum studiosum. *Servius.*

776. *Numerosque intendere nervis.*] Rhythmos facere intentione nervorum. Nam *numeri* sunt Rhythmi, ut *Numeros memini si verba tenerem.* Ergo hoc dicit, Secundum cordas verba componebat. *Idem.*

777. *Semper equos.*] Laus hominis quod tantam Musicam non ad turpes actus, sed ad res egregias adhiberet. *D.*

778. *Audita cæde suorum.*] Servat τὸ πρέπον, ne præsentibus ducibus Turnus tot strages fecisse videretur. *Serv.*

781. *Quo deinde fugam?*] Aut vacat *Deinde*, ut *tandem*, *gentium*, *locorum*. Aut intelligimus mente eum tractasse, quod de campis milites solent ad castra confugere: & sic dixisse, *Quo deinde?* scili-

Quos alios muros, quæ jam ultra mœnia habetis?
Unus homo, & veſtris, ô cives, undique ſeptus
Aggeribus tantas ſtrages impune per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miſerit Orco?
Non infelicis patriæ veterumque deorum,
Et magni Æneæ ſegnes miſeretque pudetque?

Tali-

ſcilicet de caſtris: quo fugietis ulterius? Sic Terentius, *Quid igitur faciam?* Et hoc eſt melius. Unde & ſequitur, *Quos alios muros.* Eſt ea autem amara accuſatio. *Serv.*

782. *Quos alios muros.*] Locus plane Hom. apud quem Ajax 15. Iliad. cum Græci à Trojanis premerentur ita diſſertat exhortans Græcos,

Ἠ'έ τινας φαμὲν εἶναι ἀοσσητῆρας ὀπίσσω,
Ἠ'έ τι τεῖχος ἄρειον, ὅ κ' ἀνδράσι λοιγὸν ἀμύναι,
Οὐ μέν τις σχεδόν ἐστι πόλις πύργοις ἀραρυῖα,
Ἧι κ' ἀπαμυναίμεσθ'. ——
An aliquos putamus eſſe adjutores à tergo?
An aliquem murum fortiorem, qui viris mortem averſat?
Non equidem aliqua prope eſt civitas turribus munita,
Qua hoſtes propulſemus. ——

Cerda.

Quos alios muros.] Hanc Mneſthei increpationem ex Iliad. 15. ſumptam notat Macrob. l. 5. c. 9. Sed Scaliger ait tantum hic Poëtam ſono & ardore præ illo præſtitiſſe, ut non videatur inde quicquam deſumpſiſſe. lib. 5, c. 3. *Taubm.*

783. *Unus homo.*] Ac ſi diceret *mortalis.* Et bona extenuatio eſt, cum ſupra dixerit, *Rutulum in medio non agmine regem.* Servius.

Unus homo.] Eſt hoc, quod Achilles de uno Hectore 22. Iliad.

Ὃς κακὰ πόλλ' ἔδρεσεν, ὅσ' οὐ σύμπαντες οἱ ἄλλοι·
Qui mala multa patravit, quanta non univerſi alii.

Stat. 3. Theb.

—— *heu ſegnes, quorum labor hæret in uno.*

Videlicet multi in uno Tydeo, & victi omnes, & lib. 2. Chromis ita ſuos increpitat,

—— *unuſne, viri, tot cædibus unus*
Ibit ovans Argos? ——

Cerda.

784. *Strages ediderit.*] Tria breviter nota. Primum, dici hoc cum reſpectu ad illud, quod præceſſit:

Vos ô Calliope precor aſpirate canenti,
Quas ibi tum ferro ſtrages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quiſque virûm demiſerit Orco.

Alterum, locutionem ſumptam fortaſſe ab Tullio, qui bis, aut ter, *ſtrages edere.* Tertium, dici *ſtragem* ab ſternendo, & eſſe *ſtragem*, quod ſtratum eſt. Cui notioni cum multa præluceant, tum Livii verba hæc l. 35. *Pro ſe quiſque armis abjectis in circumjectas itineris ſilvas diffugiunt, momentoque temporis ſtrage armorum ſepta via eſt, maxime haſtis, &c. Idem.*

785. *Juvenum primos tot miſerit Orco.*] Quis neſcit illud Hom. Iliad. α.

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων. —— *Idem.*

786. *Infelicis patriæ.*] Trojæ, in qua nunc ſunt. *Servius.*

Veterumque deorum.] Penates ſignificat, quos ſemper coluere Trojani. *Idem.*

787. *Miſeretque pudetque.*] Sic Pallas, *Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.* Idem.

Miſeretque pudetque.] *Miſeret*, pertinet

Talibus accensi firmantur, & agmine denso
Consistunt. Turnus paullatim excedere pugna,
Et fluvium petere, ac partem, quæ cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum: ceu sævum turba leonem
Cum telis premit infensis: at territus ille
Asper, acerba tuens, retro redit: & neque terga
Ira dare aut virtus patitur: nec tendere contra
Ille, quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque,
Haud

net ad deos & patriam: *pudet* ad Æneam. *Donatus.*

788. *Talibus accensi.*] Ecce quantum commoda hortamina valuerunt. metuentes dudum, in plenam constantiam repente mutati sunt, & agmine denso, recuperata mentis fiducia, consistunt. *Idem.*

789. *Excedere pugna.*] In Romano codice *pugna* legitur. Sed *pugna* melius judicant eruditi viri. *Pierius.*

790. *Partem, quæ cingitur amni.*] In Romano codice, & aliquot aliis *unda* pro *amni* habetur. *Idem.*

Cingitur amni.] Ita sup. *nam dextera cingitur amni.* Cyrill. in Nahum. n. 31. πεπυργῶσθαι ποταμοῖς, καὶ τελμάτων περιβολαῖς· *muniri fluviis, & lacuum amplexibus.* iterum, ποταμοῖς τετειχισμένην· *munita fluviis.* Verbo *cingitur* notat amnis etymon. *Cerda.*

791. *Acrius hoc Teucri.*] Cum eum decedentem viderent. *Servius.*

792. *Ceu sævum turba leonem.*] Sensus hic est, Haud aliter Turnus retrocedens petebat fluvium, ac solet leo pressus multitudine: nec terga præbere, propter iram & pudorem: nec posse, licet cupiat, in venantes impetum facere. *Idem.*

Ceu sævum turba leonem.] Hæc Comp. ex Hom. Iliad. 17. sumpta est: sed Poëta noster (Scalig. l. 5. c. 3. auctore) nudis illis Homericis adjecit amictum incomparabilem; *Asper, acerba tuens.* & quum miscet virtutem cum periculo; & timorem cum aviditate. *Taubm.*

793. *Premit.*] *Premere*, verbum est venatorum. Æn. 1.

Aut spumantis apri cursum clamore prementem.

Turneb. l. 12, 12. *Idem.*

794. *Asper acerba tuens.*] Illustrat Macrob. c. 1. lib. 6. Saturn. ab Lucretio, qui lib. 5.

Asper, acerba tuens, immani corpore serpens.

Ursinus ab Aristoph. qui βλέπει γε τὸ μανικὸν, καὶ τραγῳδικὸν, *cernit furiosum, & tragicum.* Stat. 11. Theb. *hostile tuens.* Alibi, *dirum tuens.* Cerda.

Et neque terga, &c.] Qui attente legat, quæ toto hoc cursu Poëta, & mox, adeat quæ Oppian. scribit lib. 4. Κυν. facile intelliget, expressam à Virg. rationem in venando leone. Ibi ait, leonem capi νόμῳ πολέμοιο, *more belli.* Nam viri cum scutis, telis, facibus, clamoribus, omnes simul strepunt, simul invadunt: leo præ virtute non terga ostentat, tantum retro redit (ἐπιστροφάδην) & cum velit ruere, tamen nequit præ multitudine telorum. Tritum est, leones non fugere contento cursu, quamdiu cernuntur, & hoc attingit Poëta. Lege Aristot. l. 9. Hist. Animal. c. 44. ubi de leone, cum premitur à venatoribus, βάδην ὑποχωρεῖ, καὶ κατὰ σκέλος, καὶ κατὰ βραχὺ ἐπιστρεφόμενος. quia videlicet sensim se subducit, crebro subsistens, atque respectans. *Idem.*

796. *Ille quidem.*] Parenthesis. *Serv.*

Potis est.] Ille enim, *Tendere contra potis est per tela virosque.* Idem.

799. *In-*

Haud aliter retro dubius veſtigia Turnus
Inproperata refert, & mens exæſtuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaſerat hoſtes:
Bis confuſa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus è caſtris propere coit omnis in unum:
Nec contra vires audet Saturnia Juno
Sufficere, aëriam cælo nam Juppiter Irim
Demiſit, germanæ haud mollia juſſa ferentem;
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.
Ergo nec clipeo juvenis ſubſiſtere tantum,
Nec dextra valet: injectis ſic undique telis

Obrui-

799. *Invaſerat hoſtes.*] Aut ſpeciem præteriti temporis mutavit, aut tempora: nam cum dixiſſet *Invaſerat*, ſubjunxit *Vertit.* Serv.

802. *Nec contra vires audet Saturnia Juno.*] Atqui favente numine debuit etiam contra multitudinem poſſe: ſed hoc Jupiter vetuit. *Idem.*

803. *Sufficere.*] Subminiſtrare. *Id.*

Sufficere.] Elegans cum primis verbum in hac ſignificatione, pro ſubminiſtrare contra Jovem, cujus major eſt potentia, ac numen majus. *Hort.*

Cælo nam Juppiter Irim.] Initio libri reſpondet exitus ex nuntio Iridis. Sed nota illam ab Jove mitti, non itaque tantum Iris Junonis eſt nuntia. Claud. 3. Rapt.

Juppiter interea cinctam Thaumantida nimbis
Ire jubet. ———

Et apud Val. lib. 4. Juppiter Irim mittit nuntiam ad Herculem. Quin, illam eſſe Deorum omnium nuntiam ex Nonno colliges, qui lib. 26. abſolute, ἄγγελος οὐρανιώνων Ἶρις ἀελλήεσσα. Hom. Iliad. 15. abſolute etiam ἥτε θεοῖσι μετάγγελος ἀθανάτοισι. Quin Nonnus lib. 31. Megæræ adhuc nuntiam facit: & Homerus ipſorum hominum. Nam Iliad. 23. ea defert mandata Achillis ad ventos duos Borean, & Zephyrum. Scias vero propoſitum Virgilio ad imitationem Homerum 8. Iliad.

Ζεὺς δ' ὃ πατὴρ Ἴδηθεν ἰδὼν, χώσατ' ἄρ' αἰνῶς,
Ἶριν δ' ὄτρυνε χρυσόπτερον ἀγγελέουσαν;

Ex Homeri & Virgilii præſcripto Sil. lib. 9.

At non hæc Superûm fallebant prælia Regem.
Demittit propere ſuccinctam nubibus Irim,
Quæ nimios frænet motus, &c. ———

Cerd.

804. *Demiſit germanæ haud, &c.*] In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *miſit germanæ haud*, abſque ulla Synalœpha, quod nequaquam placet. *Pier.*

Haud mollia juſſa ferentem.] Melius quam Homerus hunc locum exequutus eſt. Salvo enim ſenſu vitavit & fabuloſa & vilia. Nam ille ipſas minas exſequitur. *Servius.*

Haud mollia juſſa.] Minas Jovis artificioſe ſubticuit, quas Hom. haud ſane magno cum judicio commemorare notatus eſt Interpretibus. vide Scalig. lib. 5. c. 3. *Taubm.*

806. *Ergo.*] Quia numinis eſt deſertus auxilio. *Servius.*

807. *Nec dextra valet.*] Cum dixiſſet *clypeo*, non ſubjunxit gladium, ſed *dextram*, ut oſtenderet eum, nec ſe armis tegendo, nec hoſtem telis petendo, valuiſſe. *Idem.*

Telis obruitur.] Lucanus eundem ſenſum

ſum

Obruitur. ſtrepit aſſiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, & ſaxis ſolida æra fatiſcunt;
Diſcuſſæque jubæ capiti: nec ſufficit umbo
Ictibus: ingeminant haſtis & Troës & ipſe
Fulmineus Mneſtheus. tum toto corpore ſudor
Liquitur, & piceum (nec reſpirare poteſtas)
Flumen agit: feſſos quatit acer anhelitus artus.

Tum

ſum per declamationem dicit, *Telorum nimbo peritura & pondere ferri.* Servius.

808. *Strepit aſſiduo.*] Ab Hom. etiam 12. Iliad. inferuntur galeæ percuſſæ ſaxis adſonantes κόρυθες αὖτευν βαλλόμεναι μυλάκεσσι. Ibid. αὖτη βαλλομένων σακέων. Vidiſti etiam ſup. πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε. Stat. 11. Theb. *galeæque tonant.* Cerda.

Tempora circum.] Totus locus Homeri eſt. *Servius.*

810. *Jubæ capiti.*] Pro *quæ in capite ſunt.* Idem.

Capiti.] Eſt ſextus, non tertius caſus. Sic Eclog. 6.

Serta procul tantum capiti delapſa jacebant.

Ita Stat. 4. Theb. *capiti tremit ærea caſſis*, id eſt, in capite. & Noſter in 10. *Ardet apex capiti*, pro, in capite. Inde ego exiſtimo veterem & propriam vocem fuiſſe *here*, quæ poſtea mutata in *heri*, ad eum modum, quo *veſpere*, etiamſi uſitatius ſit *veſperi*. Sed vetere uſus eſt Juven. Satyra 3.

Res hodie minor eſt, here quam fuit. —

Et Mart. lib. 1.

Et poſitum eſt nobis nil here præter aprum. Cerda.

Umbo.] Id eſt, ſcutum. Nam totum à parte ſignificat. *Servius.*

Nec ſufficit umbo.] Eſt hoc, quod Hom. 13. Il. οὐδ' ἤρκεσε θώρηξ χάλκεος· *neque erat ſatis thorax æreus.* Valer. 6. Arg. dixit, *ille diu conjectis ſufficit haſtis.* De defeſſo Tydeo Statius 2. Theb.

Tardatique gradus, clypeum non ſuſtinet umbo.

Orta eſt vox Latina à Græca ἄμβων. Cerda.

812. *Tum toto corpore ſudor, &c.*] Homer. de Ajace 16. Iliad.

— κατὰ δὲ οἱ ἱδρὼς
Πάντοθεν ἐκ μελέων πολὺς ἔῤῥεεν.
Fluebat undique multus ex membris ſudor.

Aſpaſia apud Athen. lib. 5.

Κἀγὼ ὅπως ἤκουσα χαρᾶς ὑπὸ σῶμα λιπαίνω
Ἱδρῶτι. —
Hæc ego ut audivi toto mihi corpore ſudor
Splenduit.

Plutarch. in Mario de fatigatis militibus, ἱδρῶτά τε μετὰ ἄσθματος πολὺν ἐκ τῶν σωμάτων ἀφιέντες· *manabant multo ſudore corpore anhelantibus.* Stat. 2. Theb. de fatigato Tydeo,

— *gelidus cadit imber anhelo*
Pectore. — Cerda.

813. *Et piceum (nec reſpirare poteſtas) Flumen agit.*] Ordo eſt, *Sudor piceum flumen agit*: hoc eſt, ſordidum, quia ſine reſpiratione pugnabat. *Servius.*

Piceum.] Turnebus per Tranſumptionem, *piceum* interpretatur nigrum, & ex eo multum. Multus enim humor nigricat, qui paucus pellucet, & limpidus eſt. lib. 22. c. 7. *Turneb.*

814. *Feſſos quatit æger anhelitus.*] Probus ait, *commodius hic eſt Æger quam in quinto*, *Vaſtos quatit æger anhelitus artus*, quamvis conſuetudo ſit Virgilio iſta mutandi: quidam *acer* legunt, & volunt in quinto *æger* aptius dictum de ſene, hic de juvene *acer* melius conveniet. *Servius.*

Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit. ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis;
Et lætum sociis abluta cæde remisit.

815. *Tum demum.*] Postquam se alias evadere non posse vidit. *Idem.*

Omnibus armis.] *Cum* minus est. *Id.*

Omnibus armis.] Πανοπλίαν significari vult Victorius l. 38. c. ult. *Omnibus armis* autem est, *Cum omnibus armis*, Græcorum more. Demosth. *ἱππέας ἔλαβεν αὐτοῖς ὅπλοις*, id est, *Equites cepit ipsis armis.* Taubm.

816. *Ille suo cum gurgite flavo.*] Hysterologia est, cum ille eum excepit. Non enim procedit *cum suo gurgite*, quasi posset fieri ut eum Tyberis sine suis fluentis exciperet. Sane quærunt multi cum Tyberis Æneæ faveat, cur liberaverit Turnum. Sed solvitur ista oratione: Ob hoc Turnum esse liberatum, ut major Æneæ gloria servaretur: Alii tradunt de Tybri, qui Æneæ favet nunc Turnum in Junonis gratiam esse servatum. *Servius.*

Cum.] Potuisset omittere, sed ita delectati veteres. Ennius apud Fest. in verbo *orare*, ita: *Quod te cum precibus pater orat.* Attius apud Non. in Meleag. *Pro se quisque cum corona clarum convestit caput.* Catul. Epithal. *bona cum bono nubit alite virgo.* Cerda.

Flavo.] Vide Not. 7. Æn. ỹs. 31. *Taubm.*

817. *Accepit venientem.*] In antiquis plerisque codicibus *fugientem* repositum ab iis, qui fugæ dedecus noluerint Turno illatum. Sed enim *fuga* & *fugere*, non semper in opprobrium, sed pro celeri cursu sæpissime ponitur. Sumpta vero hæc figura nimirum ex historia Coclitis, qui, rescisso à tergo ponte Sublicio, cum armis se in fluvium dedit, incolumisque ad suos enatavit. *Pierius.*

Mollibus extulit undis.] Lucr. 2. *Qua mollibus undis Litoris incurvi bibulam lavat æquor arenam.* Negat tamen Aristot. lib. Meteor. 4. aquam proprie mollem dici posse, definiens *σκληρὸν καὶ μαλακόν*, his verbis: *ἔστι δὲ σκληρὸν μὲν, τὸ μὴ ὑπεῖκον εἰς αὐτὸ κατὰ τὸ ἐπίπεδον, μαλακὸν δὲ, τὸ ὑπεῖκον τῷ μὴ ἀντιπεριίστασθαι. τὸ γὰρ ὕδωρ οὐ μαλακόν, οὐ γὰρ ὑπείκει τῇ θλίψει τὸ ἐπίπεδον εἰς βάθος, ἀλλ' ἀντιπεριίσταται. ἁπλῶς μὲν οὖν σκληρὸν ἢ μαλακον, καὶ ἁπλῶς τοιοῦτον, πρὸς ἕτερον δὲ, καὶ πρὸς ἐκεῖνο τοιοῦτον.* Idem Aristot. lib. *περὶ γενέσ. καὶ φθ.* ubi cæteras omnes qualitates ad quatuor primas refert, molle dicit ad humidum referri, non contra, his verbis: *ἔτι δὲ τὸ μὲν μαλακὸν τοῦ ὑγροῦ. μαλακὸν γὰρ τὸ ὑπεῖκον εἰς ἑαυτὸ, καὶ μὴ μεθιστάμενον, ὅπερ ποιεῖ τὸ ὑγρὸν, διὸ καὶ οὐκ ἔστι τὸ ὑγρὸν μαλακὸν, ἀλλὰ τὸ μαλακὸν τοῦ ὑγροῦ.* Videtur autem Virgilius *molles undas* accepisse, ut poëta *ἁπαλὰ νάματα*, pro delicatis. *Germanus.*

818. *Abluta cæde.*] Veteres illi cæde contaminati aqua se abluere & purificare solebant: & Romanis, post victorias, exercitum ad expiandam cædem lustrare, solemne erat: ut notat Turneb. lib. 22. c. 7. Ingeniose igitur, atque adeo facete, quod necessitatis erat, religioni tribuit Poëta. Vide & 2. Æneid. ỹs. 719.

— *donec me flumine vivo Abluero.* Taubmannus.





G. Appelmans . Sculpsit

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS
LIBER DECIMUS.

ARGUMENTUM.

Jupiter convocato deorum concilio, ad concordiam ipsos adhortatur. Ibi Venus de Trojanorum periculo, insatiabilique Junonis odio conqueritur: aliquamque tandem tot calamitatum requiem petit. Juno contra malorum omnium causam in Trojanos, veluti primos belli auctores, atque adeo in Venerem ipsam rejicit. Frustra itaque tentata reconciliatione, Jupiter, ubi nullum videt esse contentionum finem, ne aut uxorem aut filiam læderet, se neutrarum partium studia sequuturum pronuntiat, sed, pro sua æquitate omnia fatis esse permissurum. Interim Rutuli totis viribus ad oppugnationem redeunt, non minore animo obsessi se ad defensionem parant. Dum hæc in Latio geruntur, Æneas, rebus in Etruria ex animi sententia confectis, multorumque sibi populorum auxiliis adjunctis, triginta navium classe ad suos revehitur. Ibi nymphas, paulo ante in eam formam ex navibus suis transformatas, obvias habet: ex his & de classis amissione, & de suorum periculo certior redditur. Inde in hostium usque conspectum profectus, copias suas exponit. Rutuli oppugnatione desistunt, occurrentesque ad litus, terra hostem prohibere conantur. Magno utrinque detrimento pugnatur. Ibi Pallas, magna prius edita hostium strage, tandem à Turno occiditur. Cujus rei dolore percitus Æneas, magnos Rutulorum acervos amico inferias mittit: Ascanius quoque eruptione facta, suas cum patre copias conjungit. Quibus rebus permota Juno, & pro Turno solicita, impetrata à Jove venia, præsenti eum periculo eripit, objecta illi falsa Æneæ imagine, quam dum in navim quandam fugientem insequitur, vinculis à Junone ruptis, vi tempestatis ad litora Ardeæ proxima devehitur. Interim Mezentius Jovis monitu pugnæ succedens magnum tam Trojanorum, quam Etruscorum numerum prosternit; donec ab Ænea hastæ ictu vulneratus, & à Lauso filio protectus, ægre se ad obligandum vulnus ex acie recipit. Ibi Lausus quoque, dum patrem ulcisci conatur, ab Ænea interficitur, ejus rei nuntio accepto, Mezentius conscenso equo in prælium redit: ubi dum filii mortem vindicare parat, eadem, qua filius dextra concidit.

PAnditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat divûm pater atque hominum rex
Side-

1. P*Anditur interea domus omnipotentis Olympi.*] Hoc dicit, factus est dies, secundum poëticum morem: quia dicunt poëtæ matutino tempore aperiri cœlum, noctu vero claudi. Unde est illud alibi, *Ante diem clauso componet vesper Olympo.* Nam & paulo post descripturus est noctem, ut, *Jamque dies cœlo concesserat:* unde intelligamus alium diem esse consumptum; & nunc eum more solito noctis prætermisisse descriptionem. Quanquam *Panditur cœlum*, etiam simpliciter possumus accipere quovis tempore, scilicet ad numina convocanda: quod & melius est, quia ait *Interea*, id est, dum hæc egerunt. nam hæc particula præterita negotia conjungit futuris. *Servius.*

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.] Quia sunt, qui parum probent

bant epitheton *omnipotentis* Olympo applicatum, quod Jovis est peculiare, hi *omnipatentis*, quod omnibus, vel ab omni parte pateat, legendum existimarunt. Neque desunt qui *omniparentis Olympi*, legendum autument: eamque lectionem etiam Jovianus Pontanus vir literarissimus videtur agnovisse. Alii non *Olympi*, sed *Olympia* quippe domus, in antiquis exemplaribus contendunt inveniri. Nos tam nova, quam vetera illa Vaticanæ bibliothecæ exemplaria perscrutati, atque alia atque alia undecunque nacti, scriptum passim animadvertimus *omnipotentis*. Similiter in 10. *Rex omnipotentis Olympi*. Nam *Olympum* Cleantes Deorum omnium maximum judicavit. Ita *Olympi* non *Olympia* passim scriptum est. Præterea Quintilianus versum hunc quinque continuis constare dactylis ait, dubio procul, sex dicturus, si *Olympia* reperisset. Neque idem taciturus Priscianus, quum in duodecim carminibus versum hunc quinque dactylos habere dixit. *Pierius.*

Panditur interea domus, &c.] Versus hic, epitheto tantum mutato, è Nævio totus descriptus est,

Panditur interea domus altitonantis Olympi.

Videtur autem conversus ex Homeri loco Iliad. Θ.

Ζεὺς δὲ θεῶν ἀγορὴν ποιήσατο τερπικέραυνος
Ἀκροτάτῃ κορυφῇ πολυδειράδος Οὐλύμποιο. *Ursinus.*

Omnipotentis Olympi.] Turnebus. l. 29. c. 24. epitheton *Omnipotentem*, alio sensu, quam vulgus, explicat, omnia complectentem, omnibusque potentem. ut *potens* hic sit à potior: & *Omnipotens* sit, non tantum, quod omnia possit, sed quod omnibus potiatur. quomodo apud Horat. 1. Od. 5.

—— *suspendisse potenti*
Vestimenta maris Deo,

id est, Neptuno, qui mari potitur, & cujus mare sors est. Qui hic legunt *Omniparentis*, vel, ut B. Egnatius, lib. Racemation. c. 20. *Omnipatentis*, non audiunt eruditiores: ut nec H. Stephanus: cui & Turnebi explicatio displicet, eique exempla ex Horat. & Cic. aliena videntur. quin simpliciter *omnipotentem olympum* interpretatur cælum, quod omnipotens Juppiter incolit. Vide & Indic. Erythræi. *Taubm.*

Olympi.] Cœli, quasi ὁλόλαμπρος, ideo quia totum lucet. *Servius.*

Olympi.] *Olympus*, ὅλος λαμπὴς, cælum est & universus Mundi ambitus, quod undique colluceat. unde & cæli quadam similitudine sphæroides hominis caput, in quo est τὸ ὁλολαμπὲς λογιστικὸν, *Olympus* dicitur, ut & οὐρανὸς, &c. Meminit Cælius *Olympum* etiam Jovem, ut & *Olympium*: quem vide lib. 20. cap. 13. ut & Johan. Scoppam in *Face Artium Grat.* Taubm.

2. *Concilium.*] Sunt codices antiqui, ubi *consilium* scriptum inveniatur. Malunt tamen Grammatici pro congregatione concionis, aut senatus *concilium* per *c* scribi. *Pierius.*

Concilium.] Sic & Hom. librum 4. Od. orditur à deorum concione: οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο, &c. σύγκλητον vero hic innuit, licet sint, qui malint consilium per *s* scribere, ut apud Horatium *consiliantibus divis*, & superiore libro *consilium summis regni de rebus habebant*, more Græcorum, quibus βουλὴ tria significat, locum scilicet, consultores ipsos, illudque, de quo consultatio agitur: docet & Eustathius esse βουλὴν τὸ τῶν ἐντίμων συνέδριον, ὃ καὶ σύγκλητος λέγεται παρὰ τοῖς μεθ' Ὅμηρον, ἀγορὰν δὲ τὴν τῶν πλήθους συνέλευσιν. *Germ.*

Divûm pater.] Pro *divorum*, sicut *Argivûm*, *Danaûm*, *Teucrûm*, videtur accusativi singularis specie pro genitivo plurali usus. *Servius.*

Divûm pater, atque hominum rex.] Lucill. *Pater optimus Divûm*. Pers. Sat. 3. *Magne Pater Divûm.* Noluit Virgilius Homericum, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε· *Pater hominum, & Deorum*: potius Ennianum ex lib. 6. Ann.

Tum cum corde suo Divûm Pater, atque hominum Rex
Effatur. —— ——

De Diis *Pater*. Juppiter ipse apud Ovid. 9. Metamorph. *Dicor rectorque Paterque.* Cerda.

3. *Side-*

Sideream in sedem: terras unde arduus omnes,
Castraque Dardanidûm aspectat, populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus. incipit ipse:
Cælicolæ magni, quia nam sententia vobis

Versa

3. *Sideream in sedem.*] In astriferum circulum. Non enim omnes circuli astriferi sunt, sed solus superior: aut *sideream*, lucidam dixit. *Servius.*

Sideream in sedem.] Sidon. Paneg. A vidi in Deorum concilio, quod cogit,

Ipsa pavimentum sunt sidera, jam Pater aureo
Tranquillus sese solio locat. —

Claud. in suo etiam concilio, *ut patuit stellata domus.* In suo Statius lib. 1. *stellantique locat solio.* Ovid. 3. Amor. Eleg. 9.

Illi sideream mundi qui temperat arcem.

Eurip. in Hercul. ἀστρωτὰς οἴκους. *stellatas domos*, id est, cœlestes. Et in Ione, Διὸς πολύαστρον ἕδος, *Jovis pavimentum multisiderum.* Cerda.

Unde arduus omnes.] Ut alibi, *Et jam finis erat cùm Juppiter æthere summo Despiciens mare velivolum.* Servius.

4. *Castraque Dardanidûm aspectat, populosque Latinos.*] Post generalitatem intulit speciem. Consequens est enim ut omnes terras videns, cernat etiam castra Trojana. Nonnulli sane *Dardanidûm* pro *Dardanidarum* adserunt, ut sit genitivus generis masculini specie fœminina. *Idem.*

Aspectat.] Ita de Jove suo Gentiles, ut cui omnia curæ. Quamobrem in 1. Æneid. *Despiciens* inducitur

— *Mare velivolum, terrasque jacentes.*

Ab Statio dicitur *prospectans.* Ovid.

— *Terras, hominumque labores*
Prospicit. —

Homerus de illo, εὐρύοπα, ἰδὼν ἐνόησε. Periphrastice in sequenti libro, *observans oculis.* Verus Deus apud Joan. Chrys. Orat. de ira, dicitur ἀκοίμητος ὀφθαλμός. Soph. in Elect. ἐφορᾷ πάντα. Præclare vero *aspectat*, qui *arduus*; est enim *aspectare*, cernere è longinquo. Plaut. Aulul.

Multoque prius me collocavi in arborem,
Inde aspectabam, ubi aurum abstrudebat senex.

Ita legit hunc locum Joan. Guliel. et hac proprietate, & ex manu scripto, non, *expectabam.* Cerda.

5. *Bipatentibus.*] Physice dixit. Nam cœlum patet ab ortu & occasu. Est autem sermo Ennianus tractus ab hostiis, quæ ex utraque parte aperiuntur. Unde & modo *bipatentibus*, apertis intelligimus, quod intrantibus & exeuntibus pateant. *Servius.*

Tectis bipatentibus.] Δικλίσι, ἀμφιπύλοις. Poëtæ in cælo portas pingunt, quas describit Hom. Iliad. 1. Ita Isidorus *duas cæli januas* dicit, Ortum & Occasum. *Bipatens cælum* Turnebus hic duo hemisphæria, superius & inferius, intelligit: vel, quod verius putat, *Tecta bipatentia* dixit, ab ædium similitudine, quæ fores habent, quæ in dextram lævamque referantur. Quomodo Ausonius Epigr. 137. *bipatens pugillar* dixit; quod dum aperitur, duas pandit paginas. lib. 18. cap. 27. & lib. 29. cap. 24. Porro ejusmodi deorum concilium descripsit & Ovid. 1. Met. Fab. 7. & Claudianus 3. De Raptu. Statius 1. Theb. quæ Scaliger inter se comittit lib. 5. cap. 3. Poëtices. *T.*

6. *Cælicolæ magni.*] Orationis istius intentio hoc agit, ut ab odiis Trojanorum Juno revocetur. *Servius.*

Cælicolæ.] Omnium facit causam, quoniam favore Junonis, omnes contra Trojanos erant: nominatim autem uxorem suam carpere noluit. *Donatus.*

Quia nam.] Cur, quare, sermo Ennianus. *Quianam legiones cædimus ferro.* Servius.

Quia nam.] Superius in eo versu, *bîn*

Versa retro, tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.
Quæ contra vetitum discordia? quis metus aut hos
Aut

quia nam tanti cinxerunt æthera Nimbi, Pontanum diximus in libro de poëticis numeris *heu qui nam* contendisse legendum. In vetustissimo tamen Vaticanæ bibliothecæ codice, & in plerisque aliis *quia nam* legisse me professus sum, veluti etiam hoc loco habetur. Quem sermonem Ennianum esse asserit Servius. Et Valerius Probus *quianam* adverbium constare ait tribracho. Eoque adverbio usum Virgilium adjungit, *heu quianam tanti cinxerunt*. Sed enim ne illa Pontanum in omni doctrinarum genere ea ætate facile principem somniasse putem, vetusti neque quidem pauci numero Mediceus, Porcius, Vitalianus, & plerique alii codices faciunt, in quibus *quæ nam sententia* legitur: atque ita facile etiam *qui nam Nimbi*, reperiri credam. Sed enim hoc aliorum sit judicium. Illud tamen ego dissimulare non possum, quod super hoc loco Pomp. Festus ex Verrii Flacci dictatis exscripsisse se professus est: *quianam, pro quare & cur positum, & apud antiquos, ut Nevius in carmine Punici belli, Summe Deorum regnator quianam genus isti. Et in satyra, Quianam Saturnium populum pepulisti. Ennius libro septimo: Quianam dictis nostris sententia flexa est.* Atque hic Ennianus sermo, quem citat Servius. *Pierius.*

Quia nam.] Id est, Cur? V. N. Æn. 5. vers. 13. *Taubm.*

7. *Versa retro.*] Mutata, ut, *Quæ te genitor sententia vertit?* Quidam *versa retro* intellegunt, quod rursus ad discordias videntur redisse: alii *versa retro*, pro inversum acta, quasi quæ prius rectum iter pergebat derivata. *S.*

Sententia versa retro.] Ostendit non decere deos mutari, aut injustos esse. *D.*

Versa retro.] Nam Italia promissa erat Æneæ, & fatis ei debebatur. *Taubm.*

Certatis.] Aut contra vos, aut contra sententiam meam. *Servius.*

8. *Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.*] Prohibueram Italiam contra Trojanos bella suscipere. Quomodo *abnueram?* cum ipse in primo dixerit, *bellum ingens geret Italia*; sed secundum sapientes quosdam, alia est necessitas fati, alia voluntas deorum, vis nulla est, quod ipse manifestius in quinto ostendit his versibus; *Vel quæ portenderet ira Magna deûm, vel quæ fatorum posceret ordo.* Nam in primo Æneid. de ira Junonis ait, *Acti fatis maria omnia circum.* Et iterum in primo fatorum arcana se dixit narraturum, non suam voluntatem ostensurum, sed ibi secreto filiæ dicit, hic aliter, idem invidiose diis omnibus præsentibus videtur loqui, propter removendam eorum dissensionem, aut quia ait in primo *Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.* Nunc autem omnis est Italia in bella commota Junonis instinctu, quod & Alecto promisit, ut *Finitimas in bella feram rumoribus urbes.* Et Juno dixit se magis esse facturam: ut, *Ego siqua super fortuna laborum est, Ipsa regam. Abnueram* autem, prohibueram; ut contra, *annuo*, promitto significat & consentio. *Idem.*

Abnueram bello Italiam concurrere.] Non est contra id, quod dixit in Primo, *Bellum ingens geret Italia*: Æneam dixit gesturum bellum in Italia, non Italiam gesturam. Cum autem omnes deos objurgat, Junonem insolentiæ reprehendit. Venus autem nacta est tempus congruum querelis, quia vidit Jovem faventem Trojanis. *Donatus.*

Abnueram.] Prohibueram. Respicit ad id, quod Hom. 1. Il. de nutu & superciliis Jovis scripsit. Et Juppiter omnia *nutu* & *renutu* faciebat: unde & *Numinis* appellatio. Turneb. l. 26. c. 30. *Taubmannus.*

9. *Quæ contra vetitum discordia.*] Vetationem, prohibitionem meam.
Et

Aut hos arma ſequi, ferrumque laceſſere ſuaſit?
Adveniet juſtum pugnæ (ne arceſſite) tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas:

Tum

Et eſt *vetitum* ut æquum, unde eſt, *Et ſervantiſſimus æqui.* Servius.

10. *Ferrumque laceſſere.*] Pro *ferro ſe laceſſere.* Ordo autem: Quis metus ſuaſit, aut hos arma ſequi ferrumque laceſſere, non eſt enim *hos ſuaſit*, ne fiat σολοικοειδὲς, quamvis inveniatur hujuſmodi figura. ut, *Juturnam miſero, fateor, ſuccurrere fratri Suaſi*, & Ennius, *Quis te perſuaſit?* Idem.

11. *Adveniet, &c.*] Tres ſequentes verſus videtur reſpexiſſe Petron. cum ſcripſit Satyr.

Jam claſſes fluitare mari totaſque per Alpes
Fervere Germano perfuſas ſanguine turmas.

Adduco hic locum Statii 3. Theb. qui totus hæſit huic Maronis curſui. Ait enim:

—— vos, ô Superi, meus ordine ſanguis,
Ne pugnate odiis, neu me tentare precando
Certetis: ſic fata mihi, nigræque ſororum
Juravêre colus: manet hæc ab origine mundi
Fixa dies bello, populique in prælia nati.

Cerda.

Ne arceſſite tempus.] Nolite bellorum tempora præoccupare. Et bene ſatisfacit uxori cum prohibitione. Significat autem bellum Punicum ſecundum, quo Hannibal ingreſſus Italiam cum plurimis locis vicerit, præcipue apud Cannas, vicum Apuliæ, omnem populi Romani delevit exercitum *Servius.*

Ne accerſite tempus.] Impreſſi quidem omnes codices cum aliquot ex antiquis legunt *accerſite.* Sed enim Romanus, & hic & alibi verbum hoc in hanc ſententiam *arceſſite* ſcribit. & ita in Mediceo, & in Porcio, & aliquot aliis antiquis exemplaribus notatum obſervavi. Neque id in codicibus tantum Virgilianis, verum etiam apud Terentium eodem modo legi in antiquiſſimis codicibus manu ſcriptis, ubi in Andria vulgata habent exemplaria, *ubi voles accerſe:* vetera, quæ diximus legunt *arceſſe.* ita in Adelphis, pro *Ut uxorem accerſas abi*, in his *arceſſas* habetur. Sane *Accerſo*, & *Arceſſo* Terentius Scaurus unum idemque verbum putat: quod *d*, quam ipſe libenter in *c* mutat, eadem litera ſubſequente, in hujuſmodi compoſitionibus nonnunquam etiam in *r* tranſire ſoleat. Nonnulli differentiam eſſe voluerunt: ut *arceſſo* ab eo verbo ſit, quod eſt *Arceo*: *Accerſo* vero ab eo, quod eſt *Cio.* utcunque vero ſcribatur ad, eandem pertinere ſignificationem. Cariſius vero eos errare ſcribit, qui *Accerſo* ex eo, quod eſt *Arceo*, ductum putant, ſicut *Arceſſo.* intereſſe enim ait, quod *Arceſſere* eſt accuſare, *Accerſere* autem vocare. *P.*

12. *Cum fera Carthago.*] Illa æmula Romani Imperii, quæ paribus & votis, & viribus Imperium orbis agitavit. Adi Joan. Mercer. in Comment. ad librum Tertull. de Pallio. Eſt *fera*, Martia, & bellicoſa, ut Horat. Od. 5. l. 4.

—— Quis feræ
Bellum curet Iberiæ?

Cerda.

Olim.] Quandoque. *Servius.*

Romanis arcibus Exitium atque Alpes immittet.] Novum hoc & figuratum appellat Scal. l. 4, 16. pro, patefactis Alpibus immitteretur exitium. Notat autem bellum Punicum, quando Hannibal Italiam ingreſſus ad Cannas omnem R. populi exercitum delevit. Deſcripſit illud Sillius Italicus. *Taubm.*

13. *Alpes immittet apertas.*] Emphaſis eſt, non enim dixit, per Alpes

 immit-

Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.
Nunc sinite; & placitum læti conponite fœdus.
Juppiter hæc paucis: at non Venus aurea contra
Pauca refert.

O pa-

immittet exercitum, sed ipsas Alpes: quas patefecit, non sibi tantum, sed omnibus gentibus, quæ secundum Catonem & Livium muri vice tuebantur Italiam: has ante exustas, aceto infuso, Hannibal rupit. Juvenalis, *Et montem rupit aceto.* Denique loca ipsa, quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur. Quamvis legatur à Pœnina dea, quæ ibi colitur, Alpes ipsas vocari. Sane omnes altitudines montium licet à Gallis *Alpes* vocantur, proprie tamen montium Gallicorum sunt; quas quinque viis Varro dicit transiri posse, *Una, quæ est juxta mare, per Liguras: altera, qua Hannibal transiit: tertia, qua Pompejus ad Hispaniense bellum profectus est: quarta Hasdrubal de Gallia in Italiam venit: quinta, quæ quondam à Græcis possessa est, quæ exinde Alpes Græcæ appellantur.* Servius.

Alpes inmittet apertas.] Ut Alpes aperuerit, & fregerit Annibal, notum ex Polybio & Livio & *immittet*, ait, quasi ipsæ immissæ in Italiam, & infusæ, ut loquitur Manilius loquens de eodem Annibale:

— & Libyen Italas infudit in urbes.

Recte; nam ex imitatione Virgilii. Vulgariter Claud. de Bel. Get.

Post Alpes jam cuncta sibi promittit apertas. Et in Gild.

— ruptaque emissas ab Alpe Pœnus. — Cerda.

14. *Res rapuisse licebit.*] *Clarigationem exercere*, hoc est, per feciales bella indicere. Nam veteres lædere res, *rapere* dicebant, etiamsi rapinæ nullum crimen existeret, similiter satisfacere, *res reddere* dicebant. Sed Ancus Marcius cum videret populum Romanum ardentem amore bellorum, & plerunque inferre gentibus bella, nulla justa exstante ratione, & exinde pericula procreari, misit ad gentem Equiculanam, & accepit jura fecialia, per quæ bella indicebantur hoc modo, sicut etiam de Albanis retulit Livius. Nam si quando homines aut animalia ab aliqua gente rapta essent populo Romano: cum fecialibus, id est, sacerdotibus, qui faciendis præsunt fœderibus, proficiscebatur etiam pater patratus, & ante fines stans, clara voce dicebat belli caussam: & nolentibus res raptas restituere, vel auctores injuriæ tradere, jaciebat hastam, quæ res erat pugnæ principium, & jam licebat more belli res rapere. *Clarigatio* autem aut à clara voce dicta est, qua utebatur pater patratus: aut ἀπὸ τῦ κλήρυ, hoc est, sorte. nam per bellicam sortem agros hostium invadebant. Unde & κληρονόμοι dicuntur Græce, qui jure sortiuntur hereditates. *Servius.*

15. *Placitum.*] Aut mihi scilicet, aut fatis, aut, quod velim vobis placere. *Idem.*

Placitum.] Non eo inficias *placidum* per *d* in veteribus aliquot codicibus reperiri, prout in impressis, vulgatisque omnibus habetur. Romanus tamen codex, atque Mediceus, *placitum* per *t* legit. Quam lectionem agnoscere videtur Servius, quum exponit, *mihi scilicet.* Pierius.

16. *Juppiter hæc paucis.*] Habet personarum acceptionem: ut superioribus personis det breviloquium: Sic alibi, *Tum breviter Dido vultum demissa profatur.* Servius.

At non Venus aurea contra.] Quia Veneri causam necesse est reddere, ideo non pauca refert, aut quia mater dolens, aut quia inferior. *Idem.*

Venus aurea.] Passim χρυσῆ ἀφροδίτη vocatur. Et solent Poëtæ *Aureum* & *Purpureum* usurpare pro pulchro. Ita

Auctor

O pater, ô hominum divûmque æterna poteſtas;
(Namque aliud quid ſit, quod jam inplorare queamus?)
Cernis ut inſultent Rutuli; Turnuſque feratur

Per

Auctor Phallicorum *Aureum florem* dixit: Albinovanus in Eleg. de morte Druſi, *Nivem purpuream*: Horat. 4. Od. 1. *Cygnum purpureum*: Quod notat Scal. in Catalect. *Taubm.*

Non pauca.] Deorum. Nam, ut ait Catull. Carm. 52.

Verboſa gaudet Venus loquela.

Idem.

18. *O pater, ô hominum.*] Et Titianus & Catulinus, qui themata omnia de Virgilio elicuerunt & adformaverunt ad dicendi uſum, in exemplo controverſiatum has duas poſuerunt adlocutiones, dicentes Venerem agere ſtatu abſolutivo cum dicit Junoni, cauſſa fuiſti periculorum his, quibus Italiam fata conceſſerant: Junonem vero niti ſtatu relativo, per quem oſtendit, non ſua culpa Trojanos laborare, ſed Veneris. *O pater.* Generaliter *pater* accipe, non tantum Veneris. Nam ſupra ait, *Divûm pater, atque hominum rex.* Et bene in principiis ſibi favorem arte conciliat. *Servius.*

O pater, ô hominum, &c.] Romanus codex una cum Porcio, & aliis quibuſdam legunt *rerumque æterna poteſtas.* Probus Grammaticus, horum unum ſecundum Phyſicos, alterum ſecundum Mathematicos eſſe dicit. Circa res vero, Phyſica verſatur inveſtigatio. *Pier.*

O pater, ô hominum, &c.] Vide Plutarch. in Platon. quæſt. Διὰ τί τὸν ἀνωτάτω θεὸν πατέρα πάντων, καὶ ποιητὴν προσεῖπε, &c. *Germanus.*

O pater, ô hominum, &c.] Eſt hoc, quod 1. Æneid. *Divûm pater, atque hominum Rex*; & alibi: *hominum ſator, atque Deorum.* Ennius apud Varr. l. 6. Ling. Lat. aliter diſponit has voces, *Divumque hominumque pater, Rex.* Ovid. 2. Triſt. pro his alias ſubſtituit,

Jure igitur genitorque Deûm, rectorque vocatur.

Et 3. Metamorph. ita ait:

Ille pater, rectorque Deûm, cui dextra triſulcis
Ignibus armata eſt, qui nutu concutit orbem.

Alii *imperium* maluerunt ad Jovis poteſtatem ſignandam. Nam in Prolog. Ruden. Plautus: *Imperator Divûm, atque hominum.* & Horat. Od. 4. lib. 3.

Divoſque, mortaleſque turbas
Imperio regit unus æquo.

Cerda.

Hominum divûmque æterna poteſtas.] Hunc locum Probus quærit: ſed dixit unam rem ſecundum Phyſicos, alteram ſecundum Mathematicos. nam *divûm poteſtas* eſt, quia ipſe eſt æther, qui elementorum poſſidet principatum: *hominum* vero ideo, quia bona Jovis inradiatio honores hominibus tribuit. *Æterna* autem *poteſtas* adjecit propter aliorum numinum diſcretionem. Nam legimus & Apollinem divinam depoſuiſſe poteſtatem, & Herculem vel Liberum patrem non ſemper deos fuiſſe. Sicut autem hominum & rerum poteſtas eſt, an quemadmodum pro rege vel magiſtratu poteſtas ſolet dicere. *Servius.*

19. *Namque aliud quid ſit.*] Ac ſi diceret, cum pene omnes dii in favorem Junonis conceſſerint. *Namque* enim conjunctio oſtendit, eam hanc habuiſſe cogitationem: eſt autem parentheſis. *Idem.*

Implorare.] *Implorare* eſt auxilium cum miſeratione depoſcere: qua ratione bene dicimus, *Imploro te, ut auxilium miſero feras.* contra, *Imploro te ad diem feſtum*: non procedit narratio. *Idem.*

20. *Cernis.*] Ad augendam invidiam ait *Cernis*, ac ſi diceret, non eſt opus narratione, cum Trojanorum miſerias ipſe conſpicias. *Inſultent* autem, propter quod dictatus eſt, *Interea Rutuli portis circum omnibus inſtant. Inſultare* au-

Per medios insignis equis, tumidusque secundo
Marte ruat? non clausa tegunt jam mœnia Teucros:
Quin intra portas atque ipsis prœlia miscent
Aggeribus mœrorum, & inundant sanguine fossæ.

Æneas

re autem, est inimicis irridere per cavillationem. *Exultare* vero, gloriari & lætum esse. *Serv.*

21. *Per medios.*] Suos scilicet. *Idem.*

Insignis equis.] Propter illud, *Viginti lectis equitum comitatus.* Nam castra non eques inruperat, & ambiguum utrum *equis* insignis, an *equis* feratur. *Idem.*

Secundo Marte.] Ad illud respicit, *Hic Mars armipotens animos viresque Latinis Addidit.* Idem.

22. *Ruat.*] Irruat. *Idem.*

Clausa mœnia.] Ad quæ in extremis solent adflicti confugere. *Idem.*

Tegunt.] Militare verbum, & inde *tegmen* pro scuto. Sallust. Jugurth. *neque virtus, neque arma satis tegere*, id est, tegebant: Iterum; *armis libertatem, patriam, parentesque, & alia omnia tegi.* Cerda.

23. *Quin.*] Quinetiam. *Servius.*

Ipsis.] In *ipsis. Aggeribus* autem munitionibus, sed abusive. In muris autem ideo, quia ait supra, *Ignaros deinde in muris, Martemque cientes.* Idem.

Prælia miscent.] Hoc quoque verbum militare. Apollonius lib. 2. *χεροῖν χεῖρας ἔμιξε· manus manibus miscuit.* ibid. *Ἀμαζονίδεσσιν ἔμιξαν ὑσμίνην· miscuerunt pugnam cum Amazonibus.* Cerda.

Aggeribus.] *Agger* proprie dicitur terra illa, quæ, vallo facto, propius ponitur: sed abusive & muros & munimenta omnia *aggerem* dicimus: sicut modo, *Aggeribus Mœrorum*, pro munimentis. *Mœrorum* antique ait pro *murorum.* Nam veteres pleraque eorum, quæ nos per *u* dicimus, per *œ* diphthongon pronuntiabant. hinc est *Mœrorum*, pro *murorum.* Et è contra *Punio*, pro *pœnio*, quod verbum à *pœna* venit. Hinc est, *Punica regna vides:* cum *Pœnos* ubique legerimus: hoc autem facit Græca orthographia. Nam quam nos *u* habemus, illi diphthongon habent *ου*: & ideo putarunt posse pro hac litera, diphthongon poni, licet aliam. *Servius.*

Aggeribus mœrorum.] Præteribo *adgeribus* & *atgeribus*, ut habetur in exemplaribus antiquis. Illud missum non faciam multos auctoritatem Servii secutos *mœrorum* per *œ* dipthongum scriptitasse. Nam omnino esse quædam nomina ait Probus, quæ *u* literam in *œ* literas convertant. Ut puta *murorum mœrorum*, & cætera talia. In Romano tamen codice, in Mediceo, in Porcio, & plerisque aliis manu scriptis *murorum* per *u* notatum. Plura vero super hoc videris apud Servium. *Pierius.*

Mœrorum.] Legunt alii *murorum.* Possunt. Sed ex vet. lib. *mœrorum* retinui, & ita etiam Servius legit. Sane veteres, *œ*, enunciabant pro, *u.* Sic *cœrator*, pro *curator*, sic *Pœnici*, pro *Punici*; sic etiam *œti*, pro *uti.* Festus in voce *publica* ita ait, *In ponderibus publicis, quibus hac tempestate populus œtier solet.* pro, *uti solet.* Hanc enim veterem Festi lectionem defendunt Josephus Scaliger, & Gifan. in indice Lucret. aitque postremus male emendari *utier.* Sic & olim *lagœna* dictum; unde nunc *laguncula*, & *mœnire*, pro *munire.* Plaut. Capt. *vinclis mœniti sumus*, pro, *muniti.* Sed de *mœris* pro *muris* testis Lucret. qui lib. 4. *exesor mœrorum litora circum.* Idem lib. 2. *ex imis mœnita locis*, non *munita*; ut etiam notat Paschal. lib. 7. Cor. cap. 3. Varro lib. 5. Ling. Lat. *in arce classicus canat tum, circumque mœros.* Plaut. Pseud. *Oppidum admœnire.* Ennius, *rate mœrata.* Cerda.

Inundant.] Implent, & inundare faciunt. *Servius.*

Inundant sanguine fossæ.] Antiqui codi-

Æneas ignarus abest. numquamne levari
Obsidione sines? muris iterum imminet hostis
Nascentis Trojæ: nec non exercitus alter:
Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis
Tydides. equidem (credo) mea volnera restant:
Et tua progenies mortalia demoror arma.
Si sine pace tua atque invito numine Troës
Italiam petiere; luant peccata: neque illos
Juveris auxilio. sin tot responsa secuti,

Quæ

codices plerique legunt *fossas*, ut Rutuli sit subjectum. Quam lectionem agnoscere videtur Servius, dum ait, *Inundant, implent, & inundare faciunt:* dicturus nimirum *implentur*, si *fossæ* plurali nominativo legisset. *Pierius.*

Inundant fossas.] Ita legunt libri & Viri docti fere omnes; non, *fossæ*. Nam τὸ *Inundant*, active posuit: ut annotat Priscianus l. 8. & probat Fabric. *T.*

25. *Æneas ignarus abest.*] Ne merito videatur pati; neque enim potest videri fecisse bellum, qui factum esse ignorat, aut hoc ipso miserabilis, quia ignarus excessus. *Servius.*

Levari Obsidione sines.] Liberari. & oblique per Jovem invidiam commovet in Junonem. *Idem.*

Levari obsidione.] Sic contra, *premi obsidione*, in Latinis auctoribus, Livium, & Curtium intelligo. *Cerda.*

27. *Nascentis Trojæ.*] Invidiose, quia jam ruinis periclitatur, quæ modo nascitur. *Servius.*

28. *Ætolis surgit ab Arpis.*] Atqui non est venturus. Unde accipiamus Venerem, non quasi deam loqui; sed quasi unam de Trojanis: ut in primo, *Unius ob iram Prodimur.* Item, *Cœli quibus adnuis arcem.* Ne futura ignorare videatur. *Ætolis* autem *Arpis* sic dixit, ut *Cumas Euboicas*. Nam de *Ætolia* Diomedes venit, qui *Arpos* in *Apulia* condidit. *Idem.*

29. *Mea volnera restant.*] Ut possim denuo vulnerari. *Idem.*

Mea volnera rest.] Hoc mihi scil. futurum est, ut iterum à Diomede vulnerer. neque immortalem Jovis filiam exspectet casus ille mortalium armorum. De quo Hom. Il. 5. *Taubm.*

30. *Demoror.*] Expecto, sustineo, id est, ut dea mortalium armis intersim, & ipsa depugnem, & sic dixit *mortalia arma*, ut in duodecimo, *vulnus mortale.* Servius.

31. *Sine pace tua.*] Sine tua benevolentia: sine voluntate tua, sine tua concessione, ut solet dici, *pace illius dixerim.* Dicendo autem, Si ad Italiam sine deorum voluntate venerunt, dent pœnam: ostendit, fatum esse absolutum. *Idem.*

Invito numine Troës.] Syllepsis est per genus. *Idem.*

32. *Luant peccata.*] *Luant*, id est, absolvant. Dicimus autem & *luo pœnam*, sed melius est *luo peccatum*. nam peccatum solvitur pœna. Qui enim crimine tenetur obnoxius, pœna eum à pristina liberat obligatione. Contra, *luo pœnam*, non procedit quasi pœna solvatur. auctoritas tamen ista confundit licenter, more, quo solet poni, vel à sequenti quod præcedit, vel à præcedenti quod sequitur. *Idem.*

Neque illos Juveris auxilio.] Concessivus est modus iste secundum Probum: namque in artibus non invenitur. Fit autem, quotiens tædio contentionis quasi videmur concedere, quod tamen nolumus fieri; nam hoc loco id agit Venus, ut Iupiter magis præstet auxilium. *I.*

33. *Responsa secuti.*] Hoc est, si non solum

Quæ Superi Manesque dabant; cur nunc tua quisquam
Vertere jussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in litore classis?
Quid tempestatum regem, ventosque furentis
Æolia excitos? aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam Manis (hæc intentata manebat

solum prohibiti non sunt, sed eis etiam concessum est. *Serv.*

Responsa secuti.] Habentur hæc Æneid. secunda, tertia, quinta, ore Creusæ, Apollinis, Anchisæ. Nam Creusa, *ad terram Hesperiam venies.* Apollo consultus in Delo, *Antiquam exquirite matrem.* Anchises ad filium:

— Gens dura, atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. —

Cerda.

34. *Superi.*] Id est, ut Apollo. *Serv.*

Manesque.] Ut Creusa vel Anchises, vel Hector. *Idem.*

Quisquam.] Verecunde: quia contra uxorem agit apud maritum. *Idem.*

Quisquam.] Cum notet Junonem, tamen *quisquam* dicit, nam *quis*, & *quisquam*, atque etiam *quisquis* utriusque est generis, masculi, & feminei. *C.*

35. *Vertere jussa potest.*] Ita quidem scriptum est in antiquo codice Vaticanæ bibliothecæ: sed in Romano *jura* non *jussa* legitur. In Oblongo autem & aliquot aliis, *flectere jussa.* quod à plerisque doctis viris jam receptum est. *Pierius.*

Nova condere fata.] Quæ adversus quæ statuisti. *Servius.*

36. *Exustas Erycino in litore classis.*] Nunc per ἀντικατηγορίαν ad accusationem alterius transit; argumentum est enim utrum habeat voluntatem nocendi, quæ nocuit. *Erycino* autem *in litore*, secundum opinionem suam dixit. Nam alii apud Cajetam dicunt exusta navigia: unde & *Cajeta* dicta est ἀπὸ τοῦ καίεσθαι. Quamvis quatuor naves exustæ sunt, hæc tamen exaggerat. *Idem.*

37. *Quid tempestatum regem.*] Ubi que *repetam* subaudiendum est. *Idem.*

Tempestatum regem.] Æolum. Plin. l. 3. c. 9. rationem adducit, cur Æolus Rex tempestatum; nam regnavit in Strongyle, quæ flammas eructat, *è cujus fumo quinam flaturi sint venti in triduum prædicere incolæ dicuntur, unde ventos Æolo paruisse existimant.* Hinc capies versum illum Severi in Ætna:

Insula, cui nomen facies dedit ipsa rotunda.

Nam στρογγύλος, *rotundus* est, sed de rebus, & Regno Æoli latius 1. Æneid. *Cerda.*

Ventosque furentes.] Ab hoc furore dicti *phrenetici*, à Varrone in Marcip.

Venti ab axe frigido tum eruperant.
Phrenetici Septentrionis filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, syros.

Vide Hippocratem lib. de Flatibus discriminantem inter flatum, aërem, ventum. *Idem.*

38. *Æolia excitos.*] Vid. supra ad lib. 1. ỳs. 51. *Emmeness.*

Actam nubibus Irim.] Impulsam, scilicet ut persuaderet matribus incendium navium. Aut secundum præceptum artis Rhetoricæ, rem unam in duas divisit, ut latius pateret rei acerbitas interposito alio crimine, nam per *Irim* naves exustæ sunt. Sed melius est (ut non sit iteratio) ad Turnum missam *Irim* intelligere: nec nos moveat ordo conversus. Solent enim graviora in principiis & in fine secundum artem Rhetoricam poni. *Servius.*

Nubibus.] Per nubes. *Idem.*

Actam nubibus Irim.] Æn. 5. ỳs. 607. & 9. Æn. ỳs. 2. *Taubm.*

39. *Manes movet.*] Æn. 7. ỳs 312. *Id.*

Intentata.] Ἀπείρατος. vide Victor. l. 31. c. ult. *Idem.*

Sors rerum) movet, & superis immissa repente
Alecto, medias Italûm bacchata per urbis.
Nil super imperio moveor: speravimus ista,
Dum Fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjunx
Dura; per eversæ, genitor, fumantia Trojæ
Excidia obtestor: liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Æneas

40. *Sors rerum.*] Id est, regnum. nam per sortem inter se fratres Juppiter, Neptunus, & Pluton mundi regna diviserunt: quæ Juno præter inferos in Trojanorum perniciem moverat. *Serv.*

Superis immissa.] Ac si diceret, non jam Trojanis, sed diis. Respexit autem ad illud, *Et cœli convexa per auras.* Id.

Superis.] Nescio cur Servius explicet, *Diis*: quod frigide elicit ex illo lib. 7. *& cœli convexa per auras.* Veri hic *superi* sunt homines, qui ita dicti cum relatione ad inferos. Virg. 4. Georg.

Redditaque Eurydice superas veniebat
ad auras.

quo loci vide me. Et quidem statim se Poëta explicat, cum adjicit,

—— *medias Italûm bacchata per urbes.*

Cerda.

41. *Alecto.*] Commoverat superos, ventos, fluctus, terras, homines. Restabant autem inferi, sed & hos nuper movit. *Donatus.*

Bacchata per urbes.] Non vagata, sed *bacchata*, id est, perfurit: & bene *bacchata*, quia per simulationem sacrorum Liberi patris, matres egerat in furorem. *Servius.*

Urbes.] Lavinium, Ardeam, & alias, è quibus conducti milites. *Cerda.*

42. *Super imperio.*] Id est, de imperio, & quasi de salute sua se dicit laborare. Est autem verecunda petitio & obliqua, per quam magna Jovi invidia commovetur, qui imperium Trojanis promiserat. *Servius.*

Speravimus ista.] Absolute dixit. *Id.*

Tua conjunx.] Oblique hactenus in eam locuta est: nunc doloris necessitate compellitur, ut eam nominet. *Donatus.*

44. *Conjunx dura.*] Hic distinguendum, ne incipiant esse duo epitheta, *Dura fumantia excidia. Dura* autem debere distingui ipse ex persona Junonis ostendit. *Quæ dura potentia nostra egit?* & mire *conjux*, quasi vitium mariti sit. *Nulla* autem *Regio* invidiose dixit, ut supra, *Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis*: cum à sola arceantur Italia. *Servius.*

Per eversæ, genitor, fumantia Trojæ.] Cum dicimus, *Rogo te per deos*, hoc videmur dicere, Memineris religioni curæ esse petitionem meam: sicut in primo expressit, *At sperate deos memores fandi atque nefandi.* Cum autem dicimus, *Rogo te per miserias meas*, videmur dicere, Memineris ab eo te rogari, qui miserias pertulit: ut ad misericordiam qui rogatur, miseriarum commemoratione flectatur: sicut est nunc in Veneris petitione. Nam ideo sic rogat, ut commemoratione Trojanæ infelicitatis impetret misericordiam. Alias stultum est, cum adjuratur Jupiter per excidia Trojanorum. Sallustius in primo, *Postremo ipsos colonos per miserias & incerta humani generis orare. Fumantia* autem, quæ fumaverunt, non enim fumant jam . . . * *Id.*

Fumantia.] De urbe Troja Euripides Hecub. ἣ τῦν καπνοῦται· *quæ adhuc fumat.* De præsenti quoque 3. Æneid. *fumat Neptunia Troja.* Ita vividius repræsentatur clades, quam si diceretur de elapso tempore. *Cerda.*

47. *Incolumem Ascanium.*] Scit autem

Æneas sane ignotis jactetur in undis;
Et quamcumque viam dederit Fortuna, sequatur.
Hunc tegere, & diræ valeam subducere pugnæ.
Est Amathus, est celsa mihi Paphus atque Cythera,
Idaliæque domus. positis inglorius armis
Exi-

tem in Ascanio esse summam rerum. ut, *Cui regnum Italiæ, Romanaque tellus Debentur.* Ideo est pro eo sollicita, non quia pro filio non movetur. *Servius.*

48. *Æneas sane.*] Quidam *sane* pro *valde* accipiunt, ut, Cicero pro Quintio, *Sane cæterarum rerum paterfamilias & prudens & attentus.* Idem.

Ignotis jactetur in undis.] Per ignota maria continuet errores. *Donatus.*

Æneas sane ignotis jactetur in undis.] Et *sane* & *undis* in plerisque omnino codicibus habetur. Sed Romanus codex antiquissimus, & qui apud me est, *Æneas procul ignotis* legunt: atque etiam pro *undis*, *oris*, in veteribus aliquot exemplaribus inveni. Et est concessio amaritudinis plena, *Æneas procul ignotis jactetur in oris*, dum tantum liceat mihi Ascanium in urbibus meis, aut *Amathunte*, aut *Papho*, aut *Cytheris* incolumem servare. Magis tamen placet *undis*, ut adludat obiter ad futuram Æneæ mortem. Ut in quarto, *Cadat ante diem, mediaque inhumatus harena.* Pierius.

50. *Diræ pugnæ.*] In antiquissimo codice, *duræ.* Sed in aliis omnibus *diræ.* Idem.

51. *Est Amathus.*] Amathus & Paphos Cypri insulæ civitates sunt, *Amathus* ab Amathonte. *Servius.*

Celsa Paphos.] Antiqua *Paphos*, quæ nunc *Palæpafos* dicitur, in excelso fuit posita, ex quo loco ædificia, permittente pace, in litoreis deducta sunt. *Idem.*

Cythera.] Insula est contra Laconicam Veneri consecrata. Dicimus autem *hæc Cythera*, sicut *hæc Solyma*, *hæc Artaxata.* Idem.

Est Amathus, est celsa mihi Paphos atque Cythera.] In exposito Palatino codice legere est, *Est Amathus, est celsa Paphus, atque alta Cythera.* Cui lectioni secretior ille codex majoribus literis perscriptus, non nihil adstipulatur, quamvis in eo sint literæ aliquot inversæ. Adjuvat etiam id, quod inferius Juno eadem argumenta retorquens ait, *Sunt alta Cythera.* Sunt vero codices antiqui, ubi *Amathos* scriptum sit. Sed enim ἀμαθοῦς Græce dicitur: & eodem modo proferunt Latini, ejusdem diphthongi ου servato sono. *Pierius.*

52. *Idaliæque domus.*] *Idalium*, civitas Cypri est, & hic *Idaliam* dixit, cum ipse dixerit, *Aut super Idalium.* Servius.

Idaliæque domus.] *Domum* hoc loco accipio pro templo Veneris, quod situm in Idalio, quæ vocis hujus acceptio creberrima. Cicero libro secundo de Natura: *Concinneque, ut multa, Timæus, qui cum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse, adjunxit, minime id esse mirandum, quod Diana cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.* Hom. 6. Iliad. θύρας ἱεροῖο δόμοιο· *fores sacræ domus.* Val. Flaccus primo Argonaut. *Stat casta cortina domo*, de templo Phœbi. Cyrillus Alexandrinus explicans illud Micheæ cap. 3. τὸ ὄρος τοῦ οἴκου· *mons domus*, ita ait: τουτέστιν, ὁ ἐφ' ὑψηλοῦ γηλόφου ναός· *hoc est, in sublimi colle templum.* Quin ναοὶ apud Græcos, id est, *templa*, dicuntur παρὰ τὸ ναίειν, *ab habitando.* Itaque præclare Virgilius octavo Æneidos *habitat Deus*, quem locum vide. *Cerda.*

Inglorius.] Sine triumphis, immemor gloriæ. Cicero in Tusculanis. *Quæ de vita inhonorata & ingloria dici solent.* Servius.

53. Exi-

Exigat hic ævum. magna ditione jubeto
Carthago premat Ausoniam. nihil urbibus inde
Obstabit Tyriis. quid pestem evadere belli
Juvit, & Argolicos medium fugisse per ignis?
Totque maris vastæque exhausta pericula terræ,
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quærunt?

Non

53. *Exigat hic ævum.*] Antiqua pleraque exemplaria *exiget* indicandi qualitate legunt. Non in deposcendi figura. Nam illud, *Magna ditione jubeto Carthago premat Ausoniam*, separatum est membrum per concessionem. *Pier.*

Ævum.] Hic vitam, alias ætatem. *Servius.*

Exigat ævum.] Lucretius lib. 4.

—— & ut sterili Ventre exigit ævum.

Ursinus.

54. *Carthago premat Ausoniam.*] Militare verbum. Stat. Theb. 7.

Jam pronis Gradivus equis Ephyrea premebat

Litera. ——

Infra, *arva aliena jugo premere.* Cui verbo respondet τείρω, quo sæpissime Homerus utitur, ut cum ait 6. Iliad. τείρουσι δυσώνυμοι υἷες Ἀχαιῶν. Ibidem: τείρεσθαι Τρῶας. & sæpe. *Cerda.*

Nihil urbibus inde Obst. Tyriis.] Id est, ab Ascanio Tyrii nihil timebunt: & verum est. nam Scipio vastaturus est Africam. *Servius.*

Quid pestem evadere belli Juvit.] In fine jam agit miserabiliter, sicut egit in principiis. Nam hoc præcipit ars Rhetorica, ut epilogi & principia pari argumentatione tractentur. *Pestem* autem incendium significat: ut, *Et toto descendit corpore pestis*, cum de navibus loqueretur incensis. *Idem.*

Pestem evadere belli.] Pestem in re belli Livius quoque usurpat lib. 25. *Fusa extemplo est Romana acies, sed adeo ne fugæ quidem iter patuit, omnibus viis ab equite insessis, ut ex tanta multitudine vix mille evaserint: ceteri passim alii alia peste absumpti sunt.* Respondet huic Homericus ὄλεθρος, ut 6. Iliad. τῶ μὴ τις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον· *Horum nullus effugiat gravem pestem.* Quod Homerus dicit ὑπεκφυγεῖν, Virg. *evadere.* quod ille ὄλεθρον, hic *pestem.* Ita Joseph. c. 21. lib. 7. Bell. κίνδυνον ὀλέθρου. *Cerda.*

56. *Fugisse per ignis?*] Exprimit quid sit pestem belli evadere. *Servius.*

Medios fugisse per ignes.] In Romano codice, in Mediceo, in Porcio & nonnullis aliis antiquis *medium* legitur: quod multo magis placet. *Pierius.*

57. *Exhausta pericula.*] Ut in quarto Æneidos, *bella exhausta.* Summa laus Æneæ, quippe qui labores exhauserit, non tantum delibarit: qui *ipso periculo augustior factus*, quod de Augusto Florus lib. 4. *Cerda.*

58. *Recidivaque Pergama.*] Renascentia. Tractus est autem hic sermo ab arboribus, quæ aliis sectis repullulant. ergo illud *solum recidivum* dicimus, quod postea renascitur. unde modo *Recidiva Pergama*, quæ fiunt ab his, qui superstites sunt Trojanis periclis. *Servius.*

Recidivaque Pergama.] *Recidiva* quidem in multis habetur exemplaribus tam recentibus quam vetustis; tractum sermonem de arboribus, quæ aliis sectis repullulant, ait Servius. Qui quidem longe eruditius mihi videtur exposuisse alibi, *post casum restituta*, eo versu, *Et recidiva manu posuissem Pergama victis.* Ut enim à *cado cadivus*, ita à *recido recidivus*, quod si a *cædo*, *seco*, deduceretur secunda syllaba produci deberet. his tamen ita disputatis & codex Romanus, & alter pervetus, qui apud me est, *redivivа* legunt. Quod non ita proprie dictum nonnulli putant.

Non satius cineres patriæ insedisse supremos,
Atque solum, quo Troja fuit? Xanthum & Simoënta
Redde oro miseris: iterumque revolvere casus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Juno
Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis

Rum-

tant. Sextus tamen Pompejus ubi *redivivum* esse, ex vetusto renovatum exponit, exemplum ex Cicerone citat lib. primo in Verrem: *Utrum existimatis minus operis esse unam columnam efficere ab integra novam nullo lapide redivivo.* Ita enim est in antiquo Pompeji codice. *Pierius.*

Recidiva.] Redeuntia, & duco à verbo *cado*, non ab *cædo*, nam pugnaret mensura carminis. Itaque *recidivum* est, quod iterum accidit: neque audio Grammaticos aliter explicantes. Nam necessario in Virgilio ita est vox ista accipienda, vel ex illo libri septimi:

Funestæque iterum recidiva in Pergama tædæ.

& Virgilius nihil aliud dixit, quam quod Propertius l. 4. Eleg. 1. *& Troia Roma resurges.* Iterum:

Arma resurgentis portans victricia Trojæ.

Et libro primo Æneidos, *illic fas Regna resurgere Trojæ.* & Ovid. 1. Fast. *eversuque Troja resurges.* Cerda.

Recidiva.] Vide 4. Æn. ℣ſ. 344. & 7. Æn. ℣ſ. 322. *Taubm.*

59. *Num satius.*] Deest *fuit*. Serv.

Cineres patriæ insedisse.] Sic in quarto: *Dulcesque meorum Relliquias colerem.* Idem.

60. *Atque solum, quo Troja fuit.*] Sic in tertio, *Et campos ubi Troja fuit.* Idem.

Xanthum & Simoënta Redde oro miseris.] Ambiguum est utrum dicat, redde nobis re vera antiquam Trojam: an terras alias ad similitudinem Trojæ. Nam novimus hanc fuisse consuetudinem, ut advenæ patriæ suæ sibi imaginem redderent: ut, *Effigiem Xanthi, Trojamque videtis.* Bene ergo Venus medio usa est loquendi genere, ut utrunque significaret, & antiquæ Trojæ reditum, & imperium Italiæ, quod Trojanis Juppiter ad similitudinem Trojæ fore promiserat: & magis hoc est, quod latenter desiderat atque petit. *Idem.*

Xanthum & Simoënta.] Vel revera Trojam antiquam petit; vel, quod Turnebus putat melius, sedes certas & coloniam, quæ antiquæ patriæ imaginem habeat. l. 2. c. 21. *Taubm.*

61. *Iterumque revolvere casus.*] Si ad Trojam vis referre, sic dic, Nobis redde Trojam per naufragia & pericula, id est, patiamur denuo quæ pertulimus, duntaxat nobis Troja reddatur. Si vero ad Italiam vis referre, sic intellige, Redde nobis Italiam, & libenter repetimus ea, quæ in Troja pertulimus. *Servius.*

Casus da, pater, Iliacos.] Reddantur nobis errores pristini, dummodo præsentia bella vitemus. *Idem.*

63. *Acta furore.*] Ergo injuste commota. *Donatus.*

Quid me, &c.] Ostendit Juno se invitam cogi: nam nihil rumpitur nisi magna violentia. *Idem.*

Alta silentia, &c.] Juno ubique silens inducitur. Unde ei ratio pro re, nisi ex nimia necessitate, non datur. unde est, *Acta furore gravi.* Statius, *Junonem tacitam furibunda silentia torquent.* Et notandum, quia sigillatim dicta Veneris hac oratione solvuntur. *Silentia* autem *rumpere*, loqui proprie dictum. Sciendum enim quod *vocem rumpere*, est tacere. Unde apparet usurpatione dictum esse, *Composito rumpit vocem:* id est, loquitur. nam *vocem rumpere*, silere est: *silentium rumpere*, loqui. *Servius.*

Alta silentia cogis Rumpere.] Lucretianum

Rumpere, & obductum verbis volgare dolorem?
Ænean hominum quisquam divûmque subegit
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam fatis petiit auctoribus: esto:
Cassandræ inpulsus Furiis. num linquere castra
Hortati

tianum è lib. 4.
Affirmant vulgo taciturna silentia rumpi.
Horat. 5. Od. Epod.
Sed dubius unde rumperet silentium.
Vide quæ jam secunda Æneide ad illud, *composita rumpit vocem.* Nugatur in explicatione loci hujus Servius. Nam *vocem rumpere*, non est tacere, ut ille affirmat. Notat tamen, Junonem solitam induci silentem, neque loqui nisi coactam, unde & Statius,
Junonem tacitam furibunda silentia torquent. Cerda.

Silentia rumpere.] *Vocem rumpere*, est tacere, auctore quidem Servio. Vide Notas 2. Æn. ad ℣ſ. 129. *Taubm.*

Alta silentia cogis rumpere.] Vid. Erythræum voce *Rumpere.* Emmeneſſ.

64. *Obductum dolorem.*] Celatum jam, & diuturna cicatrice coopertum. nam *obduci vulnera* dicuntur, quæ cicatrice clauduntur. *Servius.*

65. *Ænean hominum quisquam.*] Ad illud, *Quæ superi manesque dabant:* & celans quæ facta sunt, ea, quæ non sunt facta, commemorat. Nam non Æneas, sed Turnus Junonis instinctu bella commovit. *Idem.*

Ænean, &c.] Nititur colorare falsa: nam Æneas bellum non movit, sed instinctu Junonis Latini. *Donatus.*

66. *Sequi.*] Petere, ut, *sidera voce sequentem.* Utitur autem replicatione rerum objectarum: post enim sequitur resolutio. *Servius.*

67. *Italiam petiit fatis auctoribus.*] In codicibus nonnullis admodum vetustis legere est, *Italiam fatis petiit auctoribus.* Quod nonnulli putarunt *t* literam posse reddere syllabam communem, quum ejusmodi scansionis ratio cæsuræ debeatur. Ut apud Ovidium VII. Metamorphoseos, *Dissimilemque animum subiit Æeta relictus.* quod imperite nonnulli depravarunt, qui *subiit pater Oeta relictus* legendum censuere: ignari nomen αἰήτης in eam formam contrahi non posse. Aliquot ex iis codicibus, qui *petiit auctoribus* habent, *petit* unico *i* scribunt: sed id longiore linea notatum, ut duorum vicem subeat. Ut *inferIs* Choriambici dimensione unico *i* notatum in antiquo lapide legi, quem C. Curtius, C. L. Antiochus pater, Et Aricina Nais mater Basso filio posuerunt. ita enim est,

DEBVIT HOC NATVS NOBIS PRAESTARE DVOBVS,
VT CINERES PATRIOS DEDERET INFERIS. *Pierius.*

Italiam fatis petiit auctoribus.] Producitur hoc loco ultima syllaba in *petiit.* Similia exempla vide apud Nic. Heinsium ad Ovid. l. 1. Metam. ℣ſ. 114. *Emmeneſſ.*

Fatis auctoribus.] Num hic responsis? quia hoc sequitur. *Servius.*

Fatis auctoribus.] Ab jure sumpta locutio, ut, *auctor ego audendi*; &, *auctor Apollo.* Est in jure auctoritas, veneratio quædam, ac dignitas, cui credendum sit. Vide Simonem Schardium. Ideo *auctoribus fatis*, quibus religiose credendum, & venerabunde. *Cerda.*

Esto.] Modo est concedentis adverbium, nam Græcum est. Illo autem loco verbum est, *Esto nunc, Sol, testis.* Servius.

68. *Cassandræ inpulsus furiis.*] Bene *furiis* plurali numero, quod de vaticinantibus non dicitur, ergo ut videantur merito esse decepti, qui Cassandræ insaniam crediderunt. quod nunc falso à Junone dicitur, sicut ex verbis probatur Anchisæ, qui ait, *Aut quem tum vates Cassandra moveret?* Idem.

Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamque fidem, aut gentis agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quæ dura potentia nostri
Egit? ubi hic Juno, demissave nubibus Iris?
Indignum est, Italos Trojam circumdare flammis
Nascen-

Num linquere castra.] Illa ait, abest: hæc ait, reliquit, ut ipsi adsignet culpam, & est status finitivus, non tam dicendum abisse quam reliquisse. *Serv.*

69. *Vitam comittere ventis.*] Non qui enavigavit hoc dixit, sed *ventis*, id est, incertis & inanibus rebus. *Idem.*

70. *Num puero summam belli.*] Quod Venus ad miserationem, hæc ad indignationem posuit; Et est aggeratio ab ætate. *Idem.*

Num puero.] Hoc quoque falsum est: nam senioribus rem reliquit, & pugnam committere vetuit. *Donatus.*

Summam belli.] Julius libro primo Civil. *summa ei belli administrandi permittitur.* Vellejus: *Summam Imperii alicui tradere.* In his omnibus subaudienda *res.* Nam Livius libro quadragesimoquarto: *Summæ rei discrimen detrectare.* Est autem locutio sumpta à re pecuniaria, ut liquidum ex infinitis locis Pandectarum. Tantum profero verba legis 5. tit. 1. lib. 17. *Servo quoque dominus si præceperit, certa summa rem vendere, ille minoris vendiderit, &c.* Hinc locutionem sumpsit Lucretius libro quinto: *Sicut summarum summa est æterna.* & lib. 6.

Nil sint ad summam summaï totius omnem. Cerda.

71. *Tyrrhenamque fidem.*] Inire societatem cum inimicis gentibus Turno. *Fidem* autem auxilium petens, an *fidem* sacramentum, quod adhibetur ad belli societatem? *Agitare* autem ad gentes pertinere melius est. Ergo *Tyrrhenam fidem* extrinsecus accipiendum invocare, aut petere: aut certe disrumpere fœdera, quæ Turnus cum Tyrrhenis inierat. Sciendum sane, Turnum auxiliorum causa ad Mezentium confugisse. *Servius.*

Fidem.] Opem & auxilium. ut hoc exponit Don. ad illud Terent. Andr. act. 4, 3. *Dii vestram fidem!* Taubm.

Gentes quietas.] Nam licet vellent in bella prorumpere, tamen erant quietæ, propter illud oraculum, *Externos optate duces.* Servius.

72. *Quis deus in fraudem?*] Interrogatio. *In fraudem* autem periculum: ita enim in jure lectum est*, *Fraudi erit illa res*, id est, periculo. *Idem.*

In fraudem.] Id est, in damnum. Servius ait Juris verbum esse, & hic periculum significare. quod tamen negat Connanus JC. aitque, *fraudem* nusquam in Jure poni pro periculo, sed ubique pro damno. Ita Cic. pro S. Rosc. Am. *Id erit ei fraudi*, id est, pœnæ, odio, damno. *Taubm.*

Quæ dura potentia nostra.] Ad illud respicit, *Si nulla est regio Teucris, quam det tua conjunx Dura.* Servius.

73. *Ubi hic Juno?*] Melius, quam si dixisset *ego*, ut, *Degeneremque Neoptolemum narrare memento.* Idem.

Demissave nubibus Iris.] Hom. πέμψη. Noster commodius *demissa*, quia ex alto. Sic in exitu lib. 9. Æneid.

— *Aëriam cœlo nam Juppiter Irim Demisit.* —

& in exitu 5. *Irim demisit Olympo.* Quod si aliquando *misit*, addit alibi præpositionem, ut in 5. & 9. *Irim de cœlo misit.* pari consecutione in 9. *detulit in terras*, loquens de Iride. Addit *nubibus* quæsite, nam nubes sunt Junonis. *Cerda.*

Nubibus Iris.] Propter illud, *Aut actam nubibus Irim.* Servius.

74. *Indignum est, Italos Trojam circumdare*

Nascentem, & patria Turnum consistere terra:
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.
Quid face Trojanos atra vim ferre Latinis?
Arva aliena jugo premere, atque avertere prædas?
Quid soceros legere, & gremiis abducere pactas?

Pacem

cundare flammis.] Rhetoricum est. Nam quotiens aliqua non possumus solvere, paria opponimus: quod nunc Juno facit, nam negare non potest, nec solvere: quia obsidentur Trojani. Unde dicit, indignum est Trojanos obsideri, aliena eos matrimonia præripere dignum est. Sic in Bucolicis, *Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Tris pateat cœli spatium non amplius ulnas,* quod quia non potuit solvere, & ipse objecit, *Dic quibus in terria inscripti nomina regum Nascantur flores,* Idem.

75. *Nascentem.*] [illegible] Idem.

76. *Cui Pilumnus avus.*] Comparat genus Turni Æneæ, dicens etiam Turni *avum* deum esse. Varro *Pilumnum* & *Picumnum* infantium deos esse ait, eisque pro puerpera lectum in atrio sterni; dum exploretur an utilis sit qui natus est. Piso, *Pilumnum* dictum, quia pellat mala infantiæ, sed *Pilumnus* idem *Sterculinus*, ut quidam dicunt, qui propter pisum inventum, quo fruges confici solent, ita appellatus est. Si ergo proavus Latini est, non Turni avus, nam Sterculini Picus, Pici Faunus, Fauni Latinus est filius, sed in his nominibus abutitur poëta, *Idem.*

Cui Pilumnus avus.] Per comparationem Æneæ & Veneris, & sui & Turni extollit causam suam, & deprimit adversariorum. *Donatus.*

Cui Pilumnus avus.] Comparat genus Turni cum Ænea, vide infra, *v.* 619. *Taubm.*

Diva Venilia mater.] Hoc ad Veneris obtrectationem dicit. *Diva Venilia mater.* Nam *Venilia* Nympha est: *Pilumnum* autem *avum* Turni, ideo dicit, ut à vicino, nobilis genere esse videatur, sicut est Æneas. Nam paulo post dictura est ipsa Juno, *Pilumnusque illi quartus pater.* Sane hanc *Veniliam* quidam *Salaciam* accipiunt Neptuni uxorem. *Salaciam* à salo, *Veniliam* quod veniam det exigentibus. *Servius.*

77. *Atra face.*] Sævo bello: & belli diffinitio est. Nam non facibus Trojani pugnaverant, sed ferro, id est, bello. *Idem.*

Face atra.] Id est, bello sævo. *Atrum* etiam Turneb. l. 4. c. 16. exp. infestum, dirum, perversum & injustum. quod *niger color* sit infaustus. *Taubmannus.*

78. *Avertere prædas.*] Invidiose, nam nihil rapuerant. *Servius.*

Avertere prædas.] Verbum juris, pro furari, & rapere. Vide Brisson. de verb. significat. & Schardium in Lexico juris. Statius 4. Theb. *Sidonias avertere prædas.* lib. 47. Pand. tit. 9. leg. 3. ubi, Ego existimo *aversores* proprie dici, qui furantur pecora, ut qui illa avertant ad locum alium. Nam Virg. ipse lib. 8.

Quatuor à stabulis præstanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante juvencas.

Inde explico illud lib. 1.

Non nos aut ferro Lybicos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas. Cerda.

79. *Legere.*] Furari: unde & *sacrilegi* dicuntur, qui sacra legunt, hoc est, furantur. Alibi, *Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper.* Servius.

Gremiis abducere pactas.] Id est, sponsas. Nam ante usum tabularum, matrimoniis cautiones sibi invicem emittebant, in quibus spondebant, se consentire in jura matrimonii, & fidejussores dabant. Unde & admissum est

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?
Tu potes Ænean manibus ſubducere Graiûm,
Proque viro nebulam & ventos obtendere inanes:
Et potes in totidem claſſem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra juviſſe, nefandum eſt.
Æneas ignarus abeſt: ignarus & abſit.
Eſt Paphus Idaliumque tibi, ſunt alta Cythera.
Quid gravidam bellis urbem & corda aſpera tentas?

Noſne

ſponſum & *ſponſam* ut dicamus à ſpondendo. Cæterum proprie *ſponderi* puellæ eſt. ergo *ſponſus* non qui promittitur, ſed qui ſpondet & ſponſores dat. Sane exaggeratio eſt nimia in eo, quod ait, *gremiis abducere*: tanquam jam uxores. *Servius.*

Gremiis abducere pactas.] *Pactas*: Sponſas: ut reſpiciat legis Juliæ providentiam, & Divi Severi & Antonini inſcripta, quibus in ſponſam admiſſa ſtupra vindicantur: quod nec matrimonium qualecunque, nec ſpem matrimonii violare permitterent. *Germ.*

80. *Pacem orare manu.*] Propter, *Centum oratores auguſta ad mœnia regis Ire jubet.* Servius.

Pacem orare.] Æn. 7. yſ. 153. De hac procctheſi Scal. l. 3. c. 71. Poët. *Taubmannus.*

Præficere puppibus arma.] Propter illud, *Scuta virûm fluvio pictaſque innare carinas.* Scilicet quando ad petenda auxilia navigavit. *Servius.*

Præficere puppibus arma.] In aliquot antiquis codicibus legere eſt, *& præficere.* Quod hoc loco videtur emphaſin habere. *Pierius.*

82. *Proque viro nebulam.*] Injurioſe *pro viro* rem inanem dicit, aut quando cum Venus à Diomede liberavit, vel Neptunus ab Achille, quod Veneri, quia in ejus gratiam factum eſt, imputatur. *Servius.*

Proque viro.] Iliad. ε. ubi eum Venus à Diomede liberat: item Il. υ. ubi, in gratiam Veneris, Neptunus eundem ab Achille liberat obventu nebulæ. *T.*

Ventos inanes.] Vacuos: & eſt nebulæ diffinitio. *Serv.*

83. *Et potes in totidem claſſem convertere Nymphas.*] Licet hoc Mater deûm fecerit, tamen Veneri imputatur. Aut, quia dicunt, ipſam eſſe Matrem deûm. *Idem.*

84. *Nos aliquid Rutulos contra juviſſe nefandum eſt.*] Confeſſio eſt, non enim negat ſe juviſſe, ſed attenuat dicendo *aliquid.* Idem.

Nos aliquid.] Extenuat factum ſuum: verum Venus affuit cauſæ, cui dii & fata favebant. *Donatus.*

85. *Æneas ignarus abeſt.*] Ea quæ ſolvere non poſſumus, irridemus: ut hoc loco. ſic in Bucolicis præmiſit, *Divini opus Alcimedontis*: poſtea per irriſionem, *Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit.* Servius.

86. *Eſt Paphus, Idaliumque tibi.*] Pari amaritudine Juno eadem ad Jovem apud Stat. Theb. *ſunt impia late Regna tibi.* ubi multa ejus orationis adumbrantur ab iſtis Virgilianis. *Cerda.*

87. *Gravidam bellis urbem.*] Alibi *Populoſque feroces Contundet.* *Urbem* autem provinciam dicit, quo modo, *Italiam quæro patriam.* Servius.

Gravidam bellis urbem.] Supra, *gravidam imperiis.* Sic & Græci transferunt, nempe & Nonnus, ἐμπλαχίνε ἐγκύμονα κόσμον? & Epig. πόλιν δίοπλιν ἐγκυον ... & ὁπλοτόκον ἵππον· & τ' Ἑλλάδα ... Plutarch. *Germanus.*

Gravidam bellis, &c.] Ducit metaphoram ab feminis geſtantibus uterum.

Sic

Nosne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
Objecit? quæ caussa fuit consurgere in arma
Europamque Asiamque, & fœdera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovive Cupidine bella?

Tunc

Sic Durateus *gravis* dicitur sexta Æneide, quasi prægnans. Vide eum locum. An in voce *urbem* intelligat Italiam, ut vult Servius, an vere urbem Latini, ut ego volo, ad rem nihil. In illis, *corda aspera*, allusum ad militarem Italiæ ferocitatem, quam fuse Numanus extulit lib. 9. ab illo, *Durum ab stirpe genus*, &c. *Cerda.*

88. *Nosne tibi fluxas.*] Status relativus, per quem ostendit, Venerem magis Trojanis caussam fuisse periculorum. *Fluxas.* Molles, quæ possent etiam sine inimicis perire. *Res* ergo *fluxas:* rempublicam fluxam dicit; vel *fluxas*, labefactatas. *Servius.*

Res vertere fundo.] Νειόθεν, ἐκ πυθμένων Soph. in Trachin. Lucr. l. 3. *&* *in summa pietatem evertere fundo.* Germ.

89. *Qui Troas Achivis.*] Ideo masculinum genus posuit, quia dei Arsenothelеis sunt, ut dictum est supra, ideo dicit *Qui*, de Venere; & in subauditione ponuntur ea, quæ non possumus dicere aperte. *Servius.*

90. *Consurgere in arma.*] Pro *consurgendi*, Infinitus modus verbi, pro participio. *Idem.*

91. *Fœdera solvere furto.*] Legitur in historiis, quod Trojani cum Græcis fœdus habuerunt. Unde etiam receptus est Paris hospitio, & sic commisit adulterium. Ergo *Fœdera solvere furto*, est amicitias adulterio dissipare. nam *furtum* est adulterium: ut, *Et dulcia furta:* an quod Paridem victum à Menelao subripuit morti, an quod Pandarus dissipavit, ut sit, per furtum? * Et eversi Ilii hæc est vera caussa. nam fœdera, quæ inter Græcos & Trojanos fuerunt, ita soluta sunt. Hercules cum expugnato Ilio filiam Laomedontis Esionam Priami sororem Telamoni dedisset, profecti sunt legati cum Priamo, & eam minime repetere potuerunt, illis dicentibus se eam habere jure bellorum. Unde commotus Priamus misit Paridem cum exercitu, ut aliquid tale abduceret: aut uxorem regis aut filiam, qui, expugnata Sparta, Helenam rapuit. Hinc ergo Virgilius utrunque tangit: & istam historiam, quam modo diximus, & propter judicium Paridis, quamvis fabula sit illa res, & à poëtis composita. *Idem.*

92. *Me duce.*] Quæ graviora sunt argumenta in fine servat. *Donatus.*

Dardanius.] Non propter injuriam Æneæ hoc posuit, qui *Dardanus* dicitur: Nam perite dubium nomen elegit, qui contumeliam communicaret Æneæ. *Servius.*

Me duce Dardanius, &c.] Recte putat Ursinus allusum in hoc tractu ad versus, qui habentur Iliad. ultima per initia, ubi fit mentio Paridis.

Ὃς νείκεσσε θεὰς, ὅτε οἱ μέσσαυλον ἵκοντο.

Et insuper,

Τὴν δ' ᾔνησ'. ἥ οἱ πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν. *Cerda.*

Spartam expugnavit.] De historia est. Nam cum sollicitata Helena Parin sequi noluisset, egressus ille civitatem obsedit: qua eversa Helenam rapuit: unde postea recipi meruit à marito. *S.*

93. *Tela dedi.*] Aut bello, aut amore Alexandri. *Idem.*

Fovique.] In antiquis fere omnibus *fovive* legitur, non inepte. *Pierius.*

Cupidine.] Eo scilicet, quo in amore Paridis Helena compulsa est. *Servius.*

Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud justis adsurgis, & inrita jurgia jactas.
Talibus orabat Juno, cunctique fremebant
Cælicolæ adsensu vario. ceu flamina prima,
Cum deprensa fremunt silvis, & cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum pater omnipotens, rerum cui prima potestas,
Infit. eo dicente deûm domus alta silescit,

Et

94. *Tunc decuit.*] Similis locus 4. *Tunc decuit cum sceptra dabas.* & Plaut. in Trinum.

Sero, atque stulte prius quod cautum oportuit, &c.

In clade Solymorum paria multa, ubi ab obstinatis Titi mandata non audiuntur invitantis ad pacem, ac propterea rebus jam perditis, qui confugiunt ad misericordiam, occiduntur. *Cerda.*

Decuit metuisse.] Optima est elocutio; nam utrumque præteriti est temporis. Si enim dixeris, *Decet metuisse:* incongruum est, quia *Decet* præsentis est, *Metuisse* præteriti. *Servius.*

Sera.] Pro *sero.* ut, *Nec sera comantem Narcissum.* Idem.

95. *Irrita.*] Vana, substantiam non habentia. *Idem.*

Jactas.] Ventilas. *Idem.*

96. *Orabat.*] Loquebatur. Unde & *oratores* dicti sunt. nam *rogabat* si dixeris, non procedit, quia magis conviciabatur. *Idem.*

97. *Adsensu vario.*] Quia pars Veneri, pars Junoni favebat. *Idem.*

Ceu flamina prima, Cum deprensa fremunt silvis.] Non subito deprensa, sed aut in silvis detenta, aut intellecta. *Idem.*

98. *Et cæca volutant Murmura.*] Non tempestatis facit comparationem, sed signi tempestatis futuræ. Quadam enim arcana ratione fit, ut sit murmur in silvis ante ventorum adventum. Unde ait, *Cæca murmura:* ut, *Cæcique in nubibus ignes*, quorum ratio non appareret: *Terrificant animos.* Sic in Georgicis, *Continuo ventis surgentibus, aut freta ponti Incipiunt agitata tumescere, & aridus altis Montibus audiri fragor.* Idem.

Cæca murmura.] Quadam enim ratione arcana fit, ut sit murmur in silvis ante ventorum adventum. Lucan. lib. 5. in persona nautæ:

Sed mihi nec motus nemorum, nec litoris ictus,
Nec placet incertus qui provocat æquora delphin. Taubm.

100. *Rerum cui summa potestas.*] In Romano codice, *prima potestas.* Pier.

101. *Infit.*] Nam cum sibi potestas decernendi sit, aperte loquitur. *Donatus.*

Eo dicente, &c.] Ait Macrob. lib. 6. Saturn. cap. 2. propositos Virgilio ad imitandum hos Ennii versus,

Mundus cœli vastus constitit silentio,
Et Neptunus sævis undis asperis pausam dedit.
Sol equis iter repressit ungulis volantibus,
Constitere amnes perennes, arbores vento vacant.

Vide etiam, qua majestate dicentem Jovem inducat Statius Thebaide prima:

——— mista convexa Deorum
Majestate tremunt, radiant majore sereno
Culmina, & arcano florentes lumine postes.
Postquam jussa quies, siluitque exterritus orbis,
Incipit ex alto. ———

Non

Et tremefacta solo tellus; silet arduus æther:
Tum Zephyri posuere: premit placida æquora pontus.
Accipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios conjungi fœdere Teucris
Haud licitum; nec vestra capit discordia finem:
Quæ cuique est Fortuna hodie, quam quisq; secat spem,
Tros

Non dubium, quin Ennius, & alii aspiraverint ad Euripidem in Bacchis, ubi loquente Baccho fit silentium:

> *Σίγησε δ' αἰθὴρ, σῖγα δ' εὔλειμος νάπη*
> *φύλλ' εἶχε: θηρῶν δ' οὐκ ἂν ἤκουσας βοήν.*

Tu adi Claudianum 1. Rapt. ubi mira silentia ad dicentem Plutonem. Ov. 8. Metam. de Neptuno,

> —— *movit caput æquoreus Rex,*
> *Concussitque suis omnes assensibus undas.*

Cerda.

Et dicente.] Carpit Macrob. l. 5. c. 13. Poëtam, quod Jovem nunc demum tanta cum majestate describat, cum tamen in 1. & 4. & 9. volumine induxerit sine tumultu & absque mundi obsequio loquentem. Sed Scal. lib. 5. c. 3. itemque J. Jov. Pontanus in Anton. p. 151. summo cum judicio factum esse docent. *Taubm.*

102. *Tremefacta solo tellus.*] Loquente Jove stupor elementorum omnium ostenditur per naturæ mutationem. Nam & quicquid in æterno motu est, quievit & contra, terra mota est semper immobilis. Unde Horatius, *Et bruta tellus.* Servius.

103. *Tum Zephyri posuere.*] In antiquis aliquot, *Et Zephyri.* Pierius.

Zephyri posuere.] Salustius, *Jam repente visus sævire Tagus.* Servius.

Premit placida.] Id est, premendo reddit placida. *Idem.*

104. *Accipite ergo animis.*] Totus hic locus de primo Lucillii translatus est libro, ubi inducuntur dii habere concilium, & agere primo de interitu Lupi cujusdam ducis in republica: postea sententias dicere. Sed hoc quia indignum erat heroico carmine, mutavit. Et induxit primo loquentem Jovem de interruptis fœderibus, cujus orationem interrupit Venus: post secuta Junonis verba sunt, quibus redarguit Venerem. Unde nunc Juppiter illud, quod omiserat, reddit, dicens, Ergo, quoniam pacem esse non vultis, ea, quæ sum dicturus, accipite: Et hoc significat versus, qui subsequitur. *Idem.*

Accipite.] Non potuit sedare partes, sed sic dimisit, ut nullam præferret, ne aut filiam aut uxorem læderet: seque æquum omnibus pollicitus est. *Donatus.*

Accipite.] Antiqui aliquot codices *adcipite* scribunt, incolumi præpositione. Sed enim antiquissimum est *Accipere cc* geminato scribere. Siquidem Velius Longus ait Lucillium instituisse, *Accipio* & *accurrere* geminato *cc* notare. *Pierius.*

105. *Quandoquidem.*] Bene dicendæ sententiæ ordinem servat. nam sicut & in Salustio, & in Philippicis legimus, antequam dicatur sententia, ejus præmittitur ratio: quod hodieque in usu est. *Servius.*

106. *Haud licitum est.*] Et *licuit* dicimus, & *licitum est:* sicut & *placuit*, & *placitum est.* Terentius, *Ubi sunt cognitæ, placitæ sunt.* Idem.

107. *Quæ cuique est fortuna hodie.*] Specialiter Jupiter pro Trojanis agit, sed hac arte, ut videatur totum pro Junone loqui: & re vera verba pro Junone sunt, sed altius intuens deprehendit Trojanorum favorem. Nam dicendo *Nulli favebo*, & in statu fore res in quo sunt hodie, Trojanis se favere significat,

Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo:
Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur,
Sive errore malo Trojæ monitisque sinistris.
Nec Rutulos solvo. sua cuique exorsa laborem
Fortu-

gnificat, quorum ducis adventu statim victoria consequeretur. Et vult nihil valere ea, quæ aut Venus conquesta fuerat de absentia Æneæ, aut Juno de Turni parentibus dixerat, in ejus scilicet commendationem. *Serv.*

Quæ cuique est Fortuna.] Non placet *quæcunque*, ut in vetustis aliquot codicibus habetur. *Pierius.*

Secat.] Sequitur, tenet, habet: ut, *Ille viam secat ad naves.* Unde & *sectas* dicimus, habitus animorum & instituta Philosophorum circa disciplinam. *Servius.*

Secat spem.] Ut 6. & 12. Æn. *viam secat*: Scal. 4. c. 16. Ita & J. Palmerius Spicileg. fol. 63. præter Servium & Eryth. docet, Virgilium *secare* pro sequi dixisse. unde sint apud Agell. *Sectores*, qui empta sua persequuntur: & *Sectio*, ea ipsa persecutio. ut apud Cæsar. de B. Gall. *Sectionem ejus universam Cæsar vendidit.* unde & *Seculum* & *Secundus*; & *Secta*, ille nimirum habitus animorum & institutum circa disciplinam. At Turneb. lib. 29. cap. 24. ad illud Horat. 1. Sat. 10.

—— *magnas plerunque secat res*;

Interdum *Secare*, ait esse transigere, definire, absolvere. ut hic *Secare spem* sit, quasi desecare & proinde sumere. cum, quicquid desecat, id sibi sumat. Gr. ἀποτέμνεσθαι dicunt. *Taubm.*

108. *Tros Rutulusve.*] In aliquot antiquis codicibus *Rutulusne* legitur. *Pierius.*

Fuat.] Id est, fuerit: futuri temporis est verbum defectivum. *Servius.*

Fuat.] Antiquum pro *fuerit*. Terent. Hecyr. *Fors fuat pol.* Propert. Eleg. 33. lib. 2.

Cum Tyberi Nilo gratia nulla fuat.

Ita legit Josephus Scal. non *fuit*, ut in vulgatis. Quam etiam lectionem in Tibullo agnoscit,

Ferreus ille fuat, qui, te, cum possit, habere,
Maluerit prædas stultus & arma sequi.

Sed hæc vocula affatim est in veteribus. Ennius in Hectoris Lytris:

At ego omnipotens te exposco, ut hoc consilium
Achivis auxilii fuat. ——

Pacuvius in Dulorest. *Responsa explanas, mandat ne mater fuat.* Attius in Bruto, *Qui recte consulat, Consul fuat*: & in Diomede, *Argos me referam, nam hic fuam nobilis*, id est, ero aut fuero. Usus eadem vocula Lucret. lib 4.

Quodque aliis cibus est, aliis fuat acre venenum.

& lib. 5.

Quanta hæc cunque fuat, tanta hinc videatur in alto. Cerda.

Tros Rutulusve fuat.] Ab antiquo *fuo*, idem quod *sum*. Plaut. Amphitr. 3. 4. 2.

Nec quisquam tam audax fuat homo, qui obviam obsistat mihi.

& Mercat. 5. 2. 3.

Ecquis nam deus est, qui mea nunc lætus lætitia fuat.

Facit in præterito *fuvi*: ut idem in Prol. Pœn. ẏs. 110.

Quo genere gnata, qui parentes fuverint. Emmeness.

109. *Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur.*] Sive malo fato Italorum obsidentur castra Trojæ, sive Trojani malo errore, & monitis adversis ad Italiam venerunt: neminem absolvo. Unde propter Amphibologiam sic distingue, *Italûm*: & infer, *Castra obsidione tenentur*, scilicet Trojanorum. Ipsi enim obsidentur, non Itali. *Servius.*

111. *Nec Rutulos.*] Hoc & de Trojanis dictum accipe. *Idem.*

Solvo.] Absolvo. nam Aphæresim pertulit

Fortunamque ferent. rex Juppiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentis atraque voragine ripas
Adnuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi. solio tum Juppiter aureo
Surgit, cælicolæ medium quem ad limina ducunt.

Interea

tulit *solem*. *Monitis* autem *sinistris*, propter, *Cassandræ impulsus furiis*. Idem.

Exorsa.] Facta initia, actus hodierni diei. Id est, secundum sua cœpta habebit eventum. *Idem.*

Laborem fortunamque.] Periculum, fortunam, felicitatem. *Idem.*

Sua cuique exorsa laborem, &c.] Ut quisque sementem fecerit, ita metet. Quod quisque intriverit, hoc erit illi exedundum. *Pontanus.*

113. *Fata viam invenient.*] Scit enim hoc esse fatale, ut Æneas imperet in Italia. Et videtur hic ostendisse, aliud esse fata, aliud Jovem. *Servius.*

Fata viam invenient.] Huic sententiæ affinis Livius lib. 2. *Nihil aliud opus esse, quam indici, ostendique bellum: cetera sua sponte fata, & Deos gesturos.* Germanus huc confert illud Eurip. in Medea: τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός, *Deus viam invenit earum rerum, quæ sunt inopinatæ.* Huc etiam possunt spectare quæ Erasmus conjungit Chil. 2. Cent. 3. cap. 41. *Cerda.*

Invenient.] In Mediceo codice, *inveniant* scriptum est imperative; ut sit sententiæ perlatæ pronuntiatio: non tamen expungendum est *invenient*, quum id quoque suam habeat orationis majestatem. *Pierius.*

Stygii per flumina fratris.] Hypallage est, Per Stygia flumina fratris. Et bene etiam jurejurando statuta confirmat: ut rem immobilem necessitate constituat. *Servius.*

Stygii per flumina fratris.] V. N. Æn. 9. ℣s. 104. *Taubm.*

115. *Totum nutu tremefecit Olympum.*] Hoc Homeri est, μέγαν ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. *Servius.*

Et totum nutu tremefecit Olympum.] Dio Chrys. Orat. 12. ait loquens de Jove γῆν σειομένην, καὶ κινούμενον Ὄλυμπον ὑπὸ νεύματι βραχεῖ τῶν ὀφρύων: Catullus ab Homero sumpsit *concutio*. Eodem verbo Claud. 3. Rapt. ubi de Jove,

Dixit, & horrendo concussit sidera motu.

Seneca in Agamemn. in Choro act. 2.

Cujus nutu simul extremi
Tremuere poli. ——

& Stat. 3. Theb.

—— *terras cœlumque, fretumque*
Attremere oranti. ——

Calaber. lib. 12. majestatem Jovis egregie repræsentat, quam rem hic Maro intendit.

Ἵκετο δ' Οὐλύμποιο ῥόον μέγα, σὺν δ' ἐτίναξεν
Αἰθέρα πάντα χολούμενος. ἄλλοθι δ' ἄλλαι
Βρονταὶ ὁμῶς στεροπῇσι μέγ' ἔκτυπον. ἐν δὲ κεραυνοὶ
Ταρφέες ἐξεχέοντο ποτὶ χθόνα, καίετο δ' ἀήρ.
Ἄσπετος. ἀθανάτοισι δ' ὑπὸ φρένας ἔμπεσε δεῖμα.
Πάντων δ' ἔτρεμε γυῖα καὶ ἀθανάτων περ ἐόντων. *Cerda.*

116. *Hic finis.*] Et masculini & fœminini generis hæc vox est. In fœminino usurpata jam supra libr. 2. Æn. ℣s. 554. ad quem locum consule Servium. Plura exempla vide apud Nonium. *Emmeness.*

117. *Cælicolæ medium.*] Poëtice mores hominum ad deos refert, ut magistratum deducunt. *Servius.*

Ad limina ducunt.] Celebrat Rom. consuetudinem deducendi Consulem e curia domum. *Taubm.*

118. *In-*

Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere cæde viros, & mœnia cingere flammis.
At legio Æneadûm vallis obsessa tenetur:
Nec spes ulla fugæ. miseri stant turribus altis
Nequicquam, & rara muros cinxere corona.
Asius Imbrasides, Hicetaoniusque Thymœtes,
Assaracique duo, & senior cum Castore Thybris,
Prima acies. hos germani Sarpedonis ambo
Et Clarus & Themon Lycia comitantur ab alta.

Fert

118. *Interea.*] Redit ad narrationem, quam posuit in fine noni libri. *Donatus.*

Portis circum omnibus instant.] Instant portis omnibus circum, id est, circum circa fusi. Nam modo *Circum*, adverbium loci est. *Servius.*

120. *Ast legio.*] Prolepsis, nam legionis nomen Trojani temporis non fuit. *Idem.*

Ast legio.] MSS. & Aldus Fabric. *At* leg. recte. *Taubm.*

Vallis.] Intra vallos, id est, fossarum fustes, qui *valli* vocantur. Nam munitio ipsa, *vallum* neutro dicitur genere: & hoc dicit, Tenebantur Trojani intra vallos, quos ipsi posuerant, ne eorum castra facile irrumperent Rutuli. *Vallum* enim, non modo obsidentium, sed obsessorum debemus accipere. *Servius.*

121. *Nec spes ulla fugæ.*] Miserrimum & ultimum præsidium fuga est: tamen etiam hoc carebant. *Idem.*

Iasius Imbrasides.] Romanus codex *Asius* legit. Nam *Iasius* quadrisyllabi forma est, & ut *Iasion.* Ut apud Ovidium, *Iasiona Ceres.* quod imperite quidam legunt, *Iasona flava Ceres.* In aliquot vero aliis antiquis omnino codicibus *Lasius* legitur. Sane quidem Homerus *Asium* inter Trojanos proceres recenset, sed apud eum *Hyrtaci* non *Imbrasi* ille filius appellatur. *Pierius.*

Imbrasides.] Imbrasi filius. *Servius.*

Hicetaonius.] Hicetaonis filius: Et bene ex varietate syllabarum quæsivit ornatum. Nam patronymica aut in *des*, aut in *ius* exeunt, quibus & uti possumus. Quæ enim in *mon* terminantur, ad nos transire non possunt. *Idem.*

124. *Senior cum Castore Thybris.*] Possumus & in solum *Thybrim* senem accipere: & *Castorem* etiam si legamus, *Et senior cum Castore Thybris.* Nam Amphibologia est. *Idem.*

Senior cum Castore Thybris.] In Romano codice *Thymbris* legitur: quod ne forte ridiculum videatur, sciendum est dictionem, quæ *Tybris* est apud Latinos Θύμβριν apud Græcos dici, ut apud Hesychium & Stephanum. Theocritus Καλὸν κατὰ Θύμβριδος ὕδωρ, à quo Syracusanos fluvium hunc nostrum appellasse indicat Servius in tertio Æneidos. Sed ibi, ut plerumque alibi, corruptus. Sed ne de nomine tantum proprio *Thymbrin* dici debere putet, pro Romano fluvio *Thybrin* quoque scriptum in antiquissimo codice Virgiliano ostendit mihi Angelus Colotius. *Pierius.*

125. *Prima acies.*] Hoc est, magni viri: & est diffinitio eorum, qui in prima acie fuerunt: unde laudis magis est, nam hoc dicit, *magni viri.* Ordinis enim esse non potest, quia res in muro est. *Servius.*

Germani Sarpedonis.] Aut inter se germani Sarpedonis filii: aut Sarpedonis fratres ex eadem matre. *Idem.*

126. *Et clarus Ethemon Lycia comitatur ab alta.*] Bona codicum pars, ex iis præsertim, qui vulgati sunt, unum tantum proprium nomen ponere videntur,

Fert ingens toto conixus corpore ſaxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrneſſius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Meneſtheo.
Hi jaculis, illi certant defendere ſaxis,
Molirique ignem, nervoque aptare ſagittas.

Ipſe

tur, ut *Sarpedonis* fratres innominati ſint, & his comes *Ethemon* accedat, & *clarus* ſit epitheton. Romanus vero codex una cum veteribus pleriſque aliis legunt, *& Clarus & Hæmon Lycia comitantur ab alta.* Ut nomina hæc fratrum *Sarpedonis* fuiſſe noris. *Clarum* quippe, *Hæmonemque. Clarus* enim pro nomine proprio ſive hominis, ſive inſulæ primam corripit. Atque *et*, ſive quod monoſyllabum eſt in principio pedis, ſive quod cæſura Tritimemeris, ſive quod ſequitur adſpiratio, produci poteſt. In aliquot etiam exemplaribus antiquis legere eſt, *Ida comitantur ab alta*, non *Lycia*. Nempe quod Epitheton monti, potius quam provinciæ congruat. Sed enim Servius *Alta* pro nobili poſitum ait. Pluribus enim de cauſſis *Lycia* nobilis. *Pierius.*

Lycia alta.] Nobili, quos comitantur qui ſunt *Lycia ab alta*. Servius.

127. *Fert ingens toto, &c.*] Quidam ſine effectu ferentem ſaxum improprie inductum accipiunt, ſed hoc ita reſolvunt, quod qui jactum ſaxum refert, unius tantum rei eventum oſtendit, qui *ferentem* dicit, longum jactum notat. *Idem.*

128. *Haud partem exiguam montis.*] Par incrementum orationis eſt in Nonno lib. 29. ubi,

Καὶ λασίῃ παλάμῃ σκοπιὴν λοφόεσσαν ἀείρων·
Et hirſuta manu ſcopulum montanum attollens.

Et rurſum lib. 39.

Χειρὶ λαβὼν πρηῶνα θαλασσοτόκοιο κολώνης,
Ῥίψεν ἐπ᾽ ἀντιβίοισιν· ——
Arripiens manu cacumen rupis natæ in mari,
In hoſtes projecit. ——

Valer. Flacc. lib. 6. Arg. dixit: *Tum ruit ut montis latus.* Ammian. lib. 14. *Hoſte diſcurſatore rupium abſciſſa volvente.* Comparat Seneca Suaſ. 1. locum hunc Virgilii cum loco Homeri, tametſi verba Senecæ corrupta ſint. Ego puto Rhetorem ibi dicere, diſci poſſe ex Virg. magna dicere, nec tamen *inſana*, ſic enim legendum, non *ſana*. Cerda.

Lyrneſius.] Id eſt, Phryx. *Acmon* ergo & *Meneſtheus* filii *Clytii*: nam *Lyrneſos* civitas eſt Phrygiæ, unde fuit Briſeis, quam civitatem Achilles expugnavit. *Servius.*

Lyrneſius Agmon.] Antiqua exemplaria *Acmon* per *c* ſcribunt. Sunt vero omnino adeo cognatæ litteræ c & g, ut vix pronuntiatione diſtingui intelligantur. Eſt & illud in quibuſdam codicibus antiquis, quod ſæpe *c* pro *s* ponitur: quia poſteriora tempora figuram *s* literæ, ſi Græce ſcriberent, ad ſimilitudinem *c* litteræ Latinæ delinearunt. Quare non mirum ſi etiam *Lyrnecius*, pro *Lyrneſius* ſcriptum inveniatur. *Pier.*

129. *Meneſtheo.*] Non *Mneſtheo*, de quo paulo poſt dicturus eſt, nam non ſtat verſus: ita tamen ut meminerimus in ultima ſyllaba eſſe Synæreſim propter rectam ſcanſionem. *Servius.*

Meneſtheo.] Servius omnino dactylum vult in quinta ſede, *Meneſtheoque*. interjecta vocali *e* inter *m* & *n* omnino legendum contendit. Neque deſunt vetuſti codices, qui eodem ſcribant modo. Antiquiora tamen exemplaria verſum ſpondaicum faciunt, dum *Mneſtheo* legunt. Ultimæ enim duæ ſyllabæ in unam coëunt κατὰ συνίζησιν. *Pierius.*

130. *Hi jaculis.*] Rutuli ſcilicet. *Servius.*

Illi certant.] Trojani. *Idem.*

131. *Molirique ignem.*] Quid eſt *moliri*?

Ipſe inter medios, Veneris juſtiſſima cura,
Dardanius caput ecce puer detectus honeſtum:
Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum,
Aut collo decus aut capiti: vel quale per artem
Incluſum buxo aut Oricia terebintho

Lucet

liri? num injicere, an tentare jacere? & ſubaudiendum*, *alii atque alii.* Serv.

Nervoque aptare ſagittas.] Hom. 8. Iliad. de Teucro loquens, ὀϊστὸν θῆκε δ' ἐπὶ νευρῇ. Et flexu alio. 4. Iliad. ἐπὶ νευρῇ κατεκόσμει πικρὸν ὀϊστόν. *Cerda.*

132. *Veneris juſtiſſima cura.*] De quo merito curet, quia ei debebatur imperium. *Servius.*

Veneris juſtiſſima cura.] Ita Pind. Od. 1. Olymp.

Θεὸς ἐπίτροπος ἰ-
Ὢν τεαῖσι μήδεται
Ἔχων τε τοῦτο κᾶδος Ἱέρων
Μερίμναισιν· ——

Deus cuſtos tuis providit curis habens hanc ſolicitudinem, ô Hieron. Apollon. 1. Arg. filium vocat βιότοιο κηδεμονίας· *vitæ curas.* Cæſar apud Lucan. lib. 5. de ſuis caſtris: *Sunt iſta profecto curæ caſtra Deis.* Auſon. in Moſell.

Auguſtus pater, & natus, mea maxima cura. Cerda.

133. *Caput detectus.*] Sine galea: quaſi non pugnaturus: propter, *Cætera parce, puer, bello.* Intererat autem quaſi dux. *Servius.*

Caput detectus.] Id eſt, ſine galea, ut non pugnaturus. nam audierat 9. Æn. ỽſ. 656.

Cætera parce, puer, bello.

Erat autem inter duces quaſi dux. *Aut* reſpexit ad Jul. Cæſarem, qui aliquando cum hoſte ſigna nudo capite contulit. *Aut* denique Romanorum more dixit, qui vulgo petaſum aut pileum noſtro more non gerebant; ſed plane intecto erant capite; niſi in quinque temporibus; *In Sacris, Ludis, Saturnaliis, Peregrinationibus* & *Militia.* Id quod evidentiſſimis argumentis convincunt Turneb. l. 8. c. 4. *Alciatus* παρέργων l. 8. c. 10. *Ant. Guibertus* J. C. in Polyhiſtore. c. 1. inprimis *J. Lipſius* lib. 1. Elect. cap. 23. & De Amph. c. 19. & H. Salmuth. ad Guid. Pancirollum. *Taubmannus.*

Ecce.] Pro admiratione & demonſtratione. *Servius.*

Honeſtum.] Pulchrum. Terentius, *Ita me dii bene ament, honeſtus eſt.* Idem.

Caput honeſtum.] Id eſt, pulchrum. Ter. Andr. Act. 1, 1. *forma honeſta ac liberali eſt.* Ubi *honeſta*, ad formam; *liberali* ad vultum refert Donatus. *Taubm.*

134. *Micat.*] Scilicet Aſcanius: micat quaſi gemma. *Servius.*

Qualis gemma micat.] Non diſſimili poëſi Silius lib. 12. ad pulchritudinem quoque exornandam:

Quale micat, ſemperque novum eſt, quod Tyburis aura
Paſcit ebur, vel qui miro candoris honore
Lucet in aure lapis, rubris advectus ab undis. Cerda.

Quæ dividit aurum.] Quæ eſt in medio annuli aurei. *Taubm.*

135. *Aut collo, aut capite.*] Figurate eſt. nam commune eſt colli vel capitis decus. *Servius.*

136. *Oricia terebintho.*] *Oricos* civitas eſt Epiri, juxta quam naſcitur *terebinthus* nigrum lignum habens, folia in buxi ſpeciem. Retulit autem comparationem ad candidum vultum, qui erat nigris crinibus cinctus. *Idem.*

Oricia Terebyntho.] Multi *Oricia* per e ſcribendum curarunt. Vulgatiora exemplaria per θ *Orithia.* Verum *Oricus* per ω μέγα Civitas eſt Ionio ſinu, & *Oricæ* Paludis in Epiro, ſua in Europa mentionem facit Hecatæus, & ab utroque nomine *Oricius* deducitur. Quæ dicta volui, quia ſunt qui *Orithon* per θ, & ita *Orithia* ſcribendum libris jam editis autumant. Sed & *Terebynthum* per *y* in

pene

Lucet ebur: fusos cervix cui lactea crinis
Accipit, & molli subnectens circulus auro.
Te quoque magnanimæ viderunt, Ismare, gentes
Volnera dirigere, & calamos armare veneno,
Mæonia generose domo: ubi pinguia culta

Excer-

pene ultima male scribunt, quæ ἰῶτα est apud Græcos. In quo omnia corrigenda sunt exemplaria Latina. Prætérivi vero de industria, quod in quibusdam veteribus codicibus, *Coricia* legitur, quum *Oricia* in longe pluribus legatur. *Pierius.*

Oricia terebintho.] Nobilem hanc fuisse Propertius quoque indicat Eleg. 7. lib. 3.

Sed thyæ thalamo, aut Oricia terebintho.
Et Q. Serenus,

Nec non resinas ex Oricia terebintho.
Provenit etiam aliis in locis, tum in Cypro, & Cycladibus insulis, teste Dioscor. lib. 1. cap. 93. quæ loca non ita dissita ab Epiro, ubi *Oricos*. Cerda.

137. *Cervix lactea.*]Mollicellum attributum. Apul. l. 3. *plumeam lacteamque cutem.* Nonnus lib. 11. de puero Ampelo, καὶ δέμας εἶχε γάλακτι πανείκελον· *Habebat corpus lacti persimile.* Sed de hoc attributo alibi. Ovid. in epist. Acontii ad ebur decurrit,

Hoc faciunt flavi crines, & eburnea cervix. Idem.

138. *Subnectit circulus auro.*] In codicibus nonnullis admodum vetustis, *Subnectens* legitur. *Pierius.*

Subnectit circulus auro.] Sil. Ital. l. 1.

—— flavam qui ponere victor
Cæsariem, crinemque tibi, Gradive, vovebat
Auro certantem, & rutilum sub vertice nodum.

Crines enim in vertice colligebant, ac *modo* vel *circulo* revinciebant, eumque auro & argento ornabant. Inde Homer. Iliad. P. ỷs. 52.

Πλοχμοί θ', οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο.

Capillique, qui auroque & argento revincti erant. Emmen.

139. *Magnanimæ gentes.*] Hic est ordo, aliter non stat versus, est autem prosphonesis. *Servius.*

Ismare.]Modo nomen est proprium. nam *Ismarius* appellativum facit, à monte Ismaro Thraciæ. *Idem.*

140. *Vulnera dirigere.*] Pro *dirigentem. Vulnera* autem *dirigere*, id est, sagittas, quibus fiunt vulnera; est autem ὑστεροπρότερον. Ut, *Insequitur infesto vulnere Pyrrhus:* & acerrime expressit inevitabiles sagittas, dicens eum *vulnera*, non tela dirigere. *Idem.*

Calamos armare veneno.] Hujus mali mentio sæpe in Ovid. videlicet Eleg. 10. lib. 3. Trist.

Nam volucri ferro tinctile virus inest.
& lib. 6. de Pont. Eleg. 10. lib. 4. & alibi. Silius lib. 4.

—— Scythicis armata venenis
Colchis. ————
Vide quæ dixi 9. Æneid. ad illud pene in exitu, *ferrumque armare veneno.* Stat. eodem sensu 1. Theb. *pestifera arma.* Cerda.

Calamos armare veneno.] Aristot. *Pharmacum Scythicum* vocat, quo cuspides telorum veteres inungebant: cujus etiam componendi rationem docet in *De Miraculis auditis.* Taubm.

141. *Mæonia.*]Lydia, quæ ante *Mæonia* vocabatur. Ergo ideo *generose*, quod Lydius. *Servius.*

Mæonia.] Lydiam intelligit, ut perspicuum fit ex Strabone lib. 13. ubi loquens de urbe Sardi: *Ea Lydorum caput fuit, quos Homerus Mæonas vocat, posteriores Mæones dixerunt. Hos quidam diversos à Lydis dicunt, quidam eosdem; sed præstat, ut eosdem dicamus.* Cerda.

Mæonia.] Perperam vox hæc scribitur per æ, cum sit scribenda per œ: Græcis enim Μαιονία. Fuit sic dicta

Lydia

Exercentque viri, Pactolusque inrigat auro.
Adfuit & Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere mœrorum sublimem gloria tollit;
Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.

Illi

Lydia à fluvio *Mæone*, ut docet Stephanus: Μαιονία, ἡ Λυδία, ἀπὸ Μαίονος ποταμοῦ, τοῦ περὶ τὴν Ἀχαΐδα γῆν ῥέοντος, &c. & Scholiastes Homeri Iliad. K. ꝟs. 431. Μῄονας interpretatur Λυδούς. *Emmeness.*

Pinguia culta.] Aut figuratum est, quæ exercendo culta faciunt, aut *culta* pro arvis. *Servius.*

Pinguia culta, &c.] Hom. sic πίονα ἔργα non semel. πακτωλὸν autem Græci χρυσορρόαν. & χρυσόρρυτον, & Sophocl. in Philoct. οὐ χρυσόν. *Germ.*

142. *Pactolusque inrigat auro.*] *Pactolus* & *Hermus* Lydiæ flumina sunt, aurum trahentia sicut Tagus. Sed *Pactoli* fabula talis est; Midas rex cum ibi regnaret, Silenus captus ab ejus sociis & vinctus est, miseratione vel prudentia eum & resolvi fecit, & omni adfabilitate fovit, quibus rebus ille gratiam rependens, præstitit Midæ, ut quidquid tetigisset in aurum verteretur, sed cum ille quæcunque contigisset in aurum convertens, fame periclitaretur, ex præcepto in *Pactolum* fluvium abluendi gratia se mittere jussus est, in quem se cum jecisset, ferendi auri naturam flumini dedit, ipse destitit in aurum, quæ contingebat, mutare. *Inrigat* autem *auro* mire, cum ramenta quædam auri inveniri dicantur. *Servius.*

Pactolusque inrigat auro.] In Romano codice, non sine dulci aurium pruritu, *Pactolos* legitur. In aliquot aliis, *Pactolus & irrigat.* Sed *Pactolusque*, vel *Pactolosque irrigat* plurium codicum consensu comprobatur. *Pierius.*

Pactolusque inrigat auro.] Hoc elogio insignis semper hic fluvius: Maximus Tyrius dissert. 34. χορηγεῖ τι δὲ καὶ οἱ ποταμοὶ ταῖς βασιλέως ἡδοναῖς, Πακτωλὸς χρυσὸν, Νεῖλος πυρὸν, Χοάσπις ὕδωρ· *Suppeditant flumina voluptates Regi, Pactolus aurum, Nilus frumentum, Choaspis aquam.* Strab. lib. 13. dat huic fluvio χρυσοῦ ψῆγμα πολὺ· *multa auri ramenta.* Quin adjicit Crœsi divitias ad hunc amnem referendas. Eadem Dio Chrysost. Orat. 78. & Philostratus lib. 6. de vita Apoll. cap. 16. *Cerda.*

143. *Pulsi Turni.*] Alludit ad illa noni lib. *Turnus paulatim excedere pugna*, idque Mnesthei & verbis, & factis. Verbis, ibi: *Talibus accensi firmantur.* Factis, nam *fulmineus Mnestheus.* Idem.

144. *Aggere murorum.*] *Mœrorum* hoc loco scriptum est in Romano codice. In aliis *Murorum.* Pierius.

145. *Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.*] Iste quidem hoc dicit, sicut Ovidius, qui *Capyn* de Trojanis esse commemorat: *Ille dedit Capis repetita vocabula Trojæ.* Cœlius, qui Trojanum *Capyn* condidisse *Capuam* tradidit, eumque Æneæ fuisse sobrinum. Alii hunc *Capyn* filium Capeti volunt esse Tyberini avum, ex quo fluvius Tyberis appellatus est, eumque *Capuæ* conditorem produnt: Alii *Capyn* Samnitem, condidisse *Capuam* confirmant. Sed *Capuam* vult Livius à locis campestribus dictam, in quibus sita est: Constat tamen eam à Tuscis conditam de viso falconis augurio, qui Tusca lingua *Capys* dicitur: unde est *Capua* nominata. Tuscos autem omnem pene Italiam subjugasse manifestum est. Alii à Tuscis quidem retentam & prius *Aliternum* vocatam: Tuscos à Samnitibus exactos *Capuam* vocasse: ob hoc quod hanc quidam Falco condidisset, cui pollices pedum curvi fuerunt, quemadmodum falcones aves habent, quos viros Tusci *Capuas* vocarunt. Varro dicit propter cœli temperiem & cespitis fœcunditatem campum eundem *Capuanum*, sive

Campa-

Illi inter ſeſe duri certamina belli
Contulerant: media Æneas freta nocte ſecabat.
Namque ut ab Euandro caſtris ingreſſus Etruſcis
Regem adit, & regi memorat nomenque genuſque;
Quidve petat, quidve ipſe ferat, Mezentius arma
Quæ

Campanum dictum, quaſi ſinum ſalutis & fructuum. *Servius.*

Hinc nomen Campanæ ducitur urbi.] Aliter alii: nam καμπὸς vox priſca *planiciem* ſignificat, & tota *Campania* plana eſt. Maluit Poëta gloriam hanc dare viro Trojano, ut ſæpe alias, in Auguſti gratiam: addo & verius, ut liquidum ex ſimillimis argumentis. Nam quis ignorat multa oppida Italiæ duxiſſe nomem à viris Trojanis? Virgilium ſequutus eſt Lucan. lib. 2. nam de Capua loquens:

Mœnia Dardanii tenuit Campana coloni.

Silius lib. 11. loquens de Capua:

——— *& Dardana ab ortu*
Mœnia. ——— Iterum:
——— *Cui nomina liquit* ———
A Jove ducta Capys magno cognotus Iulo. Cerda.

147. *Contulerant.*] Nocte interveniente peregerant. *Servius.*

Media Æneas freta nocte ſecabat.] Aut media nocte, aut freta media. *Idem.*

Media.] Sunt, qui reprehendunt Virgilium, quod interdum ἀμφιβολίας interſerat. Nam hic, ajunt, *media* eſſe poteſt aut *freta*, aut *nocte*, ἀτόπως. nihil ἀμφιβόλως Virgilius. vicinitas amphiboliam adimit. Itaque *media* ſunt *freta*; quia vox *freta* conjunctior, viciniorque eſt τῷ *media*, & vox *nocte* remotior. Quæ ſolutio facilis expediendis multis locis Virgilii. Ita Homer. 12. Iliad. cum ſcripſit,

Αὐτὰρ ἐπεὶ Τρώων μὲν Τρώων θάνον ὅσσοι ἄριστοι,
Πολλοὶ δ᾽ Ἀργείων οἱ μὲν δάμεν, οἱ δ᾽ ἐλίποντο.

Vicinitas adimit dubitationem. nam οἱ μὲν δάμεν, id eſt, πολλοὶ Ἀργείων. οἱ δ᾽ ἐλίποντο, id eſt, Τρώων ἄριστοι. *Cerda.*

Media Æneas, &c.] Redit P. ad hiſtoriam de rege Tarchonte, quam 8. Æneid. ℣ſ. 608. reliquerat. *Taubm.*

Secabat.] Anacreon de tauro:

Περᾷ δὲ πόντον εὐρύν,
Τέμνει δὲ κῦμα χηλαῖς.

Homer. Odyſſ. 13.

— ῥίμφα θέουσα θαλάσσης κύματ᾽ ἔταμνεν.

Apollon. 4. Arg. πόντον ἔτεμνε νηῦς. Oppian. 1. Hal. τέμνει κῦμα. &, ἄγρια κύματα τέμνει. Latini ſæpe. Horat. Od. 1. lib. 1. *nauta ſecet mare.* Ovid. Eleg. 3. lib. 5. Triſt. *ſcindere puppe fretum.* Mitto infinitos. *Cerda.*

148. *Namque ut ab Euandro.*] Rem antea obmiſſam breviter exſequitur. *Servius.*

Caſtris ingreſſus.] Græcorum hoc, qui præcipua quadam elegantia verbis motus adjungunt tertium caſum, non quartum, ut Latini. Lib. 12. Iliad. κάππεσον ἐν κονίῃσι· *ciderunt pulveribus*, pro, in pulvere. Ibidem, πέλασσεν νήεσσι θοῇσι· *Acceſſit navibus velocibus*, pro, ad naves, & νηυσὶ πεσέεσθαι· *præcipitaturos navibus*, pro, in naves. Xenophon Anab. προσχωροῦσιν αὐτῷ πολλοί, καὶ λέγουσι· *Multi accurrunt illi, & dicunt*, pro, ad illum. *Cerda.*

149. *Regem adit.*] Inſtanti tempore adit. *Servius.*

Et regi memorat.] Tria dixit, *memorat*, *edocet*, *admonet*. *Memorat* ergo nomen & genus, & quid petat, & quid ferat. *Edocet* Turni violenta pectora, quæ arma conciliet. *Admonet*, quæ ſit humanis rebus fiducia. *Nomen*, ut cognoſcat. *Genus*, ne ab ignobili putet ſe rogari. *Donatus.*

150. *Quidve petat.*] Scilicet auxilium. *Servius.*

Quidve ferat.] Auxilii viciſſitudinem. ut ſupra Euandro, *Accipe, daque fidem.*

Quæ ſibi conciliet, violentaque pectora Turni,
Edocet: humanis quæ ſit fiducia rebus
Admonet, inmiſcetque preces. haud fit mora: Tarchon
Jungit opes, fœduſque ferit: tum libera fati
Claſſem

fidem. Multi autem *quidque petat, quidque ipſe ferat* dicunt oportuiſſe dici, ſed mutatam conjunctionem: neque enim ex alterius perſona exponitur, ſed totum ex Æneæ, & ideo *Que*, conjunctione opus fuiſſe, *ve* enim proprie *vel* ſignificat, ut ſic, *Nec patris Anchiſæ cineres maneſve revelli.* Servius.

Mezentius arma Quæ ſibi conciliet.] Injicit latenter timorem, ut forte poſſit collectis auxiliis Mezentius in regna remeare, à quibus fuerat ante depulſus. *Idem.*

151. *Conciliet.*] Fullonum eſſe hoc verbum ſcribit Varro lib. 5. Ling. Latin. & inde in alia promanaſſe. Sed, ſi fas cuilibet divinare, à ciliis palpebrarum duco, cum demulcentur ſomno. In ſomni enim lenitudine cilia dicuntur conciliari, à qua re itum in alia ſignificata. A quo non abhorret ſententia Euſtathii in verſum primum lib. ult. Odyſſ. ubi Mercurius dicitur Κυλλήνιος, *Cyllenius.* Quo loci poſtquam præmiſit ita dictum vel à monte Arcadiæ, vel ab Heroide, ſubjicit, κατ᾽ μὲν τὴν ἀλληγορίαν Κυλλήνιος, ὁ τοῦ ὕπνου δοτὴρ, καὶ τὰς πύλας τῶν κύλων, ἢ κυλεάδων ἔχων· Eſt vero Mercurius pater eloquentiæ, blanditiarum, conciliationis. *Cerda.*

Violentaque pectora Turni.] Superba: ut eſt illud, *Quos illi bello profugos egere ſuperbo,* id eſt, violento. *Servius.*

152. *Humanis quæ ſit fiducia rebus.*] Latenter hoc dicit, Nolite putare fixam eſſe & ſtabilem felicitatem. magna eſt enim rerum varietas, invicem accipietis auxilia. *Idem.*

153. *Admonet inmiſcetque preces.*] Partim rogat, partim admonet hoc eſſe tutum ſolatium humanæ vitæ, ſi vel mutua dentur auxilia, vel in proſperis poſiti, etiam objecta conſiderent: & eſt ſuperioris verſus expreſſio. Nam edocet quid peteret, & quid eum ſolicitabat. *Admonet* vero vel cauſſa Mezentii, vel quia inſtabilis eſt & vaga fortuna. *Idem.*

Admonet.] Præclare opponit. *Admoneo* enim ſæpiſſime, fortaſſe ſemper, cum verborum acerbitate. Hanc itaque precibus opponit, ut ſententia ſit: jam increpitans, jam precans. Quæ dixi de verbo *admoneo* firmat Plaut. Pſeud. ſcen. *Malus, & nequam,* ubi de ſervo malo,

Qui officium facere immemor eſt, ni admonitus.

Expende, non ait, *admonitus verberibus, fuſtuario,* &c. etiamſi hoc intelligat. Nam *admoneo* hæc & ſimilia includit κατ᾽ ἐξοχήν. In Columella vidi, *verberibus boves admonere*; locus excidit. Seneca epiſt. 47. *verberibus muta admonentur.* & lib. 1. de Clement. cap. 14. *admonere verberibus.* Tacit. 5. Ann. *puerili verbere moneri.* Horat. Sat. 6. lib. 1. *Sol acrior admonuit.* ubi conjunctim acritudo, & *admoneo.* In 6. Eclog. *Cynthius aurem vellit, & admonuit.* In quibus ineſt reprehenſio. Ennod. epiſt. 16. lib. 8. *monitorem* pro reprehenſore ponit. *Cerda.*

Tarchon.] Hoc nomen ubique Græce ponit, excepto uno loco: ut eſt, *Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni.* atque id propter metrum. *Servius.*

154. *Jungit opes.*] Clarum exemplum, ut videas *opes* ſignificare generatim, neque determinandas ad rem unam. Itaque divitiæ, milites, agri, oppida, caſtella, amicitiæ, clientelæ, favores, *opes* ſunt. *Cerda.*

Ferit.] Facit, ex more Romano propter porcum, qui de lapide feritur. *Serv.*

Libera fatis.] Exempta neceſſitate fatali, qua pugnare non poterat propter illud, *Externos optate duces.* Idem.

Libera

Classem conscendit jussis gens Lydia divûm,
Externo commissa duci. Æneïa puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones:
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Æneas, secumque volutat
Eventus belli varios: Pallasque sinistro

Adsi-

Libera fatis.] In Romano codice & Oblongo *fati* singulari numero genitivo casu legitur: quod minime contemnendum est. *Pierius.*

Libera fatis.] Id est, defuncta & exempta fatis: *vel*, non retinentibus amplius fatis. Significatur, auctore Turnebo lib. 2. c. 21. libere licuisse militatum ire Hetruscis, nihil refragantibus fatis: cum Æneæ externo duci commissi essent. nam duce Etrusco ne militarent in Mezentium, Vatum effatis ante moniti fuerant. Vide 8. Æn. ℣s. 496. & seqq. Apud Euripid. in Phœniss. est, θεσφάτων ἐλεύθεροι. quod Pimpontius huic, *libera fatis*, mire respondere putat. Alii leg. *libera fati.* Taubm.

155. *Gens Lydia.*] Per derivationem *Lydia gens*, nam *Lydia provincia*, proprium est. *Servius.*

157. *Prima tenet.*] More viri fortis in principiis est. Alibi, *Princeps ante omnes densum Palinurus agebat Agmen.* Idem.

Prima tenet.] An ideo *prima*, quia ante alias? an *prima*, id est, princeps, & prætoria? quam secunda Æneide vocat *Regiam* eo versu: *Flamma cum Regia puppis extulerat.* & Diodorus l. 20. ναυαρχίδα, & alibi στρατηγίδα, ut quæ princeps aliarum navium, & in qua ipse dux. Ita & Silius lib. 15.

Emicat, ac prima stans Scipio puppe profatur.

Signat videlicet navem prætoriam. Sed quid si *prima* est quartus casus pluralis? Fortasse. Nam 5 Æneid. ita audis,

Emicat Euryalus, & munere victor amici

Prima tenet. ——

ac tunc sententia erit, Æneæ puppis tenet maria prima, id est, it ante reliquas. Sic & Valer. 4. Arg. Minyæ *alta tenent.* Cerda.

Rostro Phrygios subjuncta leones.] Pro *subjunctos leones habens.* Vult pro jugo rostrum navis fuisse. Leones autem singulos, in singulis navis partibus fuisse depictos. Sane hoc loco notant Critici, quemadmodum tam cito potuerint fieri naves Æneæ: quod excusat pictura, quam solam mutatam debemus accipere. Ergo hanc navem Æneæ ab Etruscis datam intelligamus: quidam volunt hanc navem ex his esse quibus Æneas ad Euandrum erat evectus, & ad Etruriam terra esse portatam. *Serv.*

Phrygios subvecta leones.] In Mediceo, in Porcio, & aliis plerisque codicibus antiquioribus scriptum observavi *subjuncta*, quod longe venustius est. Præterea autem lectionem eam, quæ *subjecta* legit: quod non ita placet. *Pierius.*

158. *Gratissima.*] Propter illic navigia fabricata. *Servius.*

159. *Hic magnus sedet Æneas.*] Id est, in puppi; nam hic locus Principis, ut jam dixi: hic adjicio Homerum Il. 7. ubi Principes Græcorum sunt νηὶ παρὰ πρύμνῃ Ἀγαμέμνονος. & in 11. Agamemnon ipse est νηὶ παρὰ πρύμνῃ, *ad puppim navis.* Ovid. de Ceyce principe navigationis 11. Metamorph. 1. *stantemque in puppe.* Ab Silio Scipio inducitur in puppe lib. 15. *Cerda.*

Secum volutat.] Ita Agamemnonem describit Homer. 11. Iliad. πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα; *multa animo volventem.* Idem.

160. *Eventus belli varios.*] Licet ha-

beret

Adfixus lateri jam quærit sidera, opacæ
Noctis iter, jam quæ passus terraque marique.
Pandite nunc Helicona, deæ, cantusque movete;
Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris
Ænean, armetque rates, pelagoque vehatur.
Massicus ærata princeps secat æquora tigri:

Sub

beret fortissimum militem, cogitabat tamen incerta bellorum. *Servius.*

Pallasque sinistro Adfixus lateri.] Merito. Cessit enim Pallas Æneæ, ut seni, ut regis magni filio, denique ut dea nato. J. Goropius, qui ex hoc etiam loco vult probare, priscis honestiorem locum fuisse sinistrum, fallitur, ut docuit Lipsius elect. l. 2. c. 2. & J. Drusius Quæsitis per epist. CXVII. Vid. & Turneb. lib. 14. c. 24. *Taubm.*

161. *Jam quærit sidera.*] Deest de Ænea; Et *quærit sidera*, num de sideribus quærit? an ipsa sidera? id est, recenset: aut num causa quærendi quod cupiat vicem discere. * *Servius.*

162. *Noctis iter.*] Aut per quæ nox decurrit: aut quæ intuentes nautæ iter peragunt noctibus. *Idem.*

Jam.] Modo. ut, *Jamque hos cursu, jam præterit illos.* Idem.

Quæ passus terraque marique.] Num quia audiendo res gestas Æneæ, incendatur & ipse ad imitandi cupiditatem? *Idem.*

163. *Pandite nunc Helicona, deæ.*] Parnassus mons est Thessaliæ juxta Bœotiam, quem locum aliquando Aones tenuerunt, qui in duo finditur juga, Cithæronem Liberi, & Heliconem Apollinis & Musarum. Ex quo fons manare dicitur, quem Pegasi ungula protulisse fertur, qui vocatur Hippocrene. *Idem.*

Pandite nunc Helicona, deæ.] Hom. ἔσπετε νῦν Μοῦσαι. *Pandite*, signate Poëta, ut is, qui velit esse in secreto Helicone ad pangenda carmina, quæ *secessum, & otia quærunt.* Ideo Claud. 1. Rapt.

Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum,
Et vestri secreta poli. ——

Et in lib. 1. in Ruff. *Vos pandite vati Pierides.* & Præfat. de Bell. Gild.

Pandite defessum reduces Helicona sorores,
Pandite, permissis jam licet ire choris.

Manilius pari aura lib. 5. loquens cum Musis, *vestros extendite fines*, ut qui velit intro penetrare. De Titio ait Horat. epist. 3. lib. 1. solitum fastidire ad condenda carmina, *lacus, & rivos apertos*, quasi vellet profundos & occultos fontes. Ovid. 8. Metam. in re simili, *totumque Helicona.* Cerda.

Cantusque movete.] Dixi jam ad 7. Æn. ubi idem versus. *Idem.*

164. *Tuscis.*] *Tusci* à frequenti sacrificio sunt dicti ἀπὸ τοῦ θύειν. Unde *Tuscos populos* bene dicimus: *Tusciam* vero non debemus dicere, quia nequaquam in idoneis auctoribus legitur, sed aut *Etruria* dicenda est, ab Etrusco principe, aut *Lydia*, à Lydo, aut *Tyrrhena* ab ejus fratre, qui ut supra diximus, cum parte populi de Mæonia venit ad Italiam; quod ergo hic dicit Virgil. *Tuscis comitetur ab oris*, de Tuscorum finibus intelligendum est. *Servius.*

166. *Massicus ærata princeps secat æquora tigri.*] Inter auxilia accipiendum, nam Æneæ prima est navis, & licet sit catalogus, id est, inscriptio, in quo enumerantur hi, qui de Tuscia venerunt, invenit tamen aliquam varietatem quod hos cum navibus venisse commemorat, cum in septimo Turni socios per terram venisse memoraverit. Sane sciendum amare Virgilium ducibus Italis dare nomina vel fluviorum vel montium. Ut ergo supra Almonem, & Aventinum commemoravit: sic nunc *Massicum* dicit. Nam *Massicus* mons

Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Clusi,
Quique urbem liquere Cosas: quis tela sagittæ,
Corytique leves humeris, & letifer arcus.

Una

mons est, unde & *Maßicum vinum* dicitur. Plerique tamen *Maßicum* nolunt proprium nomen esse, sed appellativum, dicentes Osinium esse Massicum regem. Nam paulo post dicturus est, *Qua rex Clusinis advectus Osinius oris:* & nunc dicit, *Qui mœnia Clusi.* Multi alium Massicum, & alium Osinium esse voluerunt. *Ærata tigri* autem, cujus rostrum erat in similitudinem tigridis. namque solent naves vocabula accipere à pictura tutelarum. hinc est, *Hunc vehit immanis Triton.* Item, *& aurato fulgebat Apolline puppis.* *Tigri* autem secundum regulam dixit. nam Græca nomina, quæ genitivum singularem in *dis* mittunt, in eo tantum & in dativo crescunt: & in accusativo & ablativo paria sunt nominativo, ut *Tigris, tigridis, tigridi, tigrim, tigris, à tigri. Isis, Isidis, Isidi, Isim, Isis, ab Isi.* Si aliter invenerimus, abusivum est. Ut in Lucano, *Ocyor & cœli flammis & tigride fœtu.* Idem.

167. *Mœnia Clusi.*] Pro *Clusiis:* nam *Clusium* dicitur, & est dictum per Synæresim: sicut *Nec cura peculi*, pro *peculii. Clusium* autem est oppidum juxta Massicum, quod in Etruria condidit Clusius Tyrrheni, sive Telemachus Ulyxis. *Idem.*

Mœnia Clusi.] Σχηματικῶς, pro, Clusium, ut *montem Aventini*, lib. 8. Æneid. pro Aventino, *Urbem Patavi*, lib. 1. pro Patavio, & millena. *Cerda.*

168. *Liquere.*] In belli etiam apparatu Stat. 3. Theb.

—liquere domos dilectaque læti
Connubia, & primo plorantes lumine natos.

Et Noster lib. 7.

Hinc gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt.

Et Apollon. lib. 1. in suo catalogo:

Λάρισαν δ' ἐπὶ τοῖσι λιπὼν Πολύφημος ἵκανεν.

Et in suo Eurip. in Aulid. *τὰς ἰχάδιας λιπών. Idem.*

Cosas.] Civitas Tusciæ, quæ numero dicitur singulari secundum Salustium. Unde apparet *Cosas* hunc usurpative dixisse. *Servius.*

Urbem Cosas.] Usurpationem esse dicit Servius, *Urbem Cosas*, quum apud Sallustium singulari numero dicatur. Arusianus inter elocutionum exempla hoc observat, *Urbem* singulari numero, & nomen plurale conjunctum. *Pier.*

Cosas.] Hujus urbis meminere Strabo, & Plin. c. 5. l. 3. & *Cosam* nominant. Ptolem. *Cossas*, & duplicata consonante. In eo enim non semel *Κόσσαι*. *Cerda.*

169. *Corytique.*] *Coryti* proprie sunt arcuum thecæ: dicuntur tamen etiam sagittarum, quas & pharetras nominamus. *Servius.*

Corytique, &c.] In explicanda hac voce erravit graviter Hadrianus Junius, cujus hæc sunt: *Corytus, theca, repositoriumve arcus. Errore enim imbuti sunt Grammatici non pauci, qui sagittarum thecam, quæ pharetra est, sic appellari autumant.* Nam Sil. lib. 15.

Turba ruunt, surguntque sagittiferi coryti.

Sen. in Furent. act. 4. in Choro,

Telum Scythici leve coryti
Missum certa librare manu.

Ubi sagittam vocat *telum coryti.* Stat. libr. 4.

Terga Cydonea corytos arundine pulsat.

Ovid. Eleg. 8. lib. 5. Trist. describens feritatem Getarum,

In quibus est nemo, qui non coryton, & arcum, &c.

id est, thecam sagittarum. Agathias quoque lib. 3. Hist. ista clarissime: *οὐ γὰρ μόνον ἀσπίδας, καὶ θώρακας τυχὼν, καὶ γωρυτὰς βελῶν ἔνιοι τῶν χειμβρίων ἐπεφέροντο, ἀλλὰ στρατηλάς. Cerda.*

Corytique.] Græce γωρυτός. Ovid. Trist.

Una torvus Abas. huic totum insignibus armis
Agmen & aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Exper-

Trist. 5. el. 8. de gente Sarmatica:

In quibus est nemo, qui non Coryton & arcum,
Telaque vipereo lurida felle gerat.

& Statius lib. 9. Theb.

—— cælestibus implet
Coryton telis ——

Ad quod Luctatius interpres: *Corytos* dicitur sagittarum theca, sive pharetra. *Leves* autem pharetræ istæ dici etiam possunt, etiamsi sagittis refertæ sunt, si ab artificibus bene gestantur. Alii tamen *Corytou* thecam ipsius arcus exponunt: ut est apud Hom. Odyss. φ. ✠s. 54. & quoniam ibidem γωρυτὸς ille Ulyssis φαεινὸς, id est, *lucidus* appellatur, suspicatur Erythr. Poëtam scripsisse aut, *Coryti leves h.* aut, *Goryti levesque hum.* quem vide. *Taubm.*

170. *Una*] Ad totam classem refert. *Servius.*

Torvus.] Pro forti & aspero vel terribili. *Idem.*

Torvus.] Aut oculis distortis, aut contracto vultu. *Donatus.*

Torvus.] In Romano, *torvos.* & ita pleraque alia, quæ consulto dissimulavimus: ne delicatis quorundam auribus fastidio essemus. *Pierius.*

Armis.] Exercitu. *Servius.*

171. *Fulgebat.*] Scilicet puppis aurato Apolline. *Idem.*

Aurato fulgebat Apolline puppis.] Solebant naves tutelæ dei vel deæ alicujus assignari, cujus effigies, quæ tutela erat, in puppi depingebatur, insigne, quod parasemon in prora. Ovid. Heroid. Epist. 16. ✠s. 112.

Accipit & pictos puppis adunca deos.

& lib. 1. Trist. Eleg. 9. ✠s. 1.

Est mihi sitque precor flavæ tutela Minervæ
Navis & à picta casside nomen habet.

Denominabatur enim semper navis à parasemo. Sæpius etiam, ut ex hoc loco patet, cum tutela nihil commune habebat parasemon; nam navis hæc pro parasemo *tigrim*, pro tutela vero habebat *Apollinem.* Interdum quoque una eademque res erat tutela navis & insigne: quoties scilicet dei, in cujus tutela navis erat, effigies collocaretur in prora: & tunc nomine illius navis appellabatur, ut navis, qua vectus D. Paulus Act. 28. ✠s. 11. Μετὰ δὲ τρεῖς μῆνας ἀνήχθημεν ἐν πλοίῳ παρακεχειμακότι ἐν τῇ νήσῳ, Ἀλεξανδρίνῳ, παρασήμῳ Διοσκούροις. *Post menses autem tres navigavimus in nave Alexandrina, quæ in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum.* Hinc animalia aliasque res, quæ parasema proprie fuissent dicenda, tutelas nominaverunt. Lactant. lib. 1. cap. 11. *Navis, in qua* (Ganymedes) *impositus, tutelam habuit in aquila figuratam.* Servius ad 5. Æneid. ✠s. 116.

Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim.

à tutela sic dicta est. & Glossæ vett. *Tutela*, παράσημον τοῦ πλοίου. Vid. Salmasium ad Solin. pag. 570. & seqq. *Emmeness.*

172. *Sexcentos.*] Adeo varia est scribendi ratio si omnia consectere, ut nullum pene verbum invenias uno modo scriptum, quod alia aut alia ætas aliter non scripserit, *sexcentos* quidem nemo non per *x* notat. Sunt tamen antiqui codices, in quibus id nomen per *s* notatum invenias *sescentos*, quum tamen ætates quædam aliæ *s* in *x* mutare gauderent, ut in nomine *xecundus* fieri solitum superius indicavimus. *Pier.*

Populonia.] Civitas Tusciæ. *Matrem* autem eorum qui venerant patriam dixit, ut alibi, *Insignem quem mater Aricia misit*: quidam Populoniam, post XII. populos in Etruria constitutos, populum ex Insula Corsica in Italiam venisse, & condidisse dicunt. Alii Populoniam Volaterranorum coloniam

Expertos belli juvenes: ast Ilva trecentos
Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius, ille hominum divûmque interpres Asylas,

loniam tradunt. Alii Volaterranos Corsis eripuisse Populoniam dicunt. *Servius.*

Populonia.] Hujus urbis mentio in Plin. Mela, aliis. Est & *Populonium*, fortasse quia Ptolemæus, & Stephanus Ποπλώνιον, ut etiam Strabo libr. 5. *Cerda.*

173. *Expertos belli.*] Peritos. nam *expertes* sunt ignari. *Belli* autem potest pro *in bello* accipi. *Servius.*

Ilva.] Quidam Ilvam *Æthalen* dictam volunt, est autem Insula adjacens Tusciæ in conspectu Populoniæ. Probus *Trecentos*, subdistingui vult, ut *Insula*, sequentibus jungatur. *Idem.*

Ilva.] Hanc esse eandem, quam Plinius cap. 6. lib. 3. vocatam ait à Græcis Αἰθάλην, sive Αἰθαλίαν, Victorius defendit c. 10. lib. 12. Var. lect. contra Strabonem & Ptolemæum distinguentes Ilvam ab Æthalia. Græcum nomen illi contigit à fornacibus, in quibus ferrum coquitur, cujus ea fœcunda est. *Cerda.*

174. *Inexhaustis Chalybum generosa metallis.*] Quanto exhausta fuerit, tanto generosior, hoc est πολύγονος. Ergo *In exhaustis*, non est una pars orationis. Namque dicit Plinius secundus, *Cum in aliis regionibus effossis metallis terræ sint vacuæ, apud Ilvam hoc esse mirum quod sublata renascuntur, & rursus de hisdem locis effodiuntur.* Varro & aliud dicit, nasci quidem illic ferrum, sed in stricturam non posse cogi, nisi transvectum in Populoniam Tusciæ civitatem, ipsi insulæ vicinam. *Servius.*

Inexhaustis Chalybum generosa metallis.] Certum est, hanc insulam feracem esse ferri. Plin. c. 6. l. 3. *Ilva cum ferri metallis.* & c. 14. l. 34. *Ferri metalla ubique propemodum reperiuntur, quippe insula etiam Italiæ Ilva gignente.* Est autem ubertas ista prope miraculosa. Audi Strabonem libro quinto: τοῦτο δὲ δὴ παράδοξον ἡ νῆσος ἔχει, καὶ τὸ τὰ ὀρύγματα ἀναπληροῦσθαι πάλιν τῷ χρόνῳ τὰ μεταλλευθέντα· *Hoc admiratione dignum habet hæc insula, ut exhaustis effossionibus loca temporibus rursus repleta cernantur.* Ideo ergo *in exhaustis metallis.* & inde proprie *generosa*, ut indicet naturam insulæ. Itaque intellige vocem, & explica *generosam*, id est, fœcundam natura sua, & multis quamvis cæsis metallis subidentidem fœcundiorem. *Cerda.*

Metallis.] Explica, venis, idque ex Græcorum imitatione, qui venas auri, argenti, &c. vocant μέταλλα. Strabo libro decimotertio; μέταλλον μέγα λευκοῦ λίθου· *Metallum magnum albi lapidis,* id est, vena. Josephus libro septimo Belli Judaici capite vigesimoquinto, ἔχει δ' ὁ τόπος καὶ θείου, καὶ στυπτηρίας μέταλλα. id est, venas. Lucan. ab Græcis, *silicum lassata metallis.* Nec mihi dubium, quin Plinius *metalla* pro venis acceperit lib. 7. cap. 2. nam quæ prius dixit *metalla*, postea nominat *cuniculos.* Verba ejus: *Quibus assidue bellum est circa metalla cum gryphis, ferarum volucri genere, quale vulgo traditur, eruente ex cuniculis aurum.* Idem.

175. *Hominum divûmque interpres Asylas.*] Deorum, quos interpretatur, hominum, quibus interpretatur & divinas indicat mentes, *interpres* vocatur. Sed notandum, quod ait Nigidius Figulus, has artes ita inter sese esse conjunctas, ut alterum sine altero esse non possit. Unde his, quos perfectos vult probare Virgilius, omnium divinandi artium facit præstare scientiam, ut hoc loco. Item supra Heleno, de quo ait, *Trojugena interpres divûm, qui numina Phœbi, Qui tripodas Clarii lauros, qui sidera sentis.* Nigidius autem solus est post Varronem, licet Varro præcellat in Theologia, hic in communibus li-

Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent,
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes,

Mille

teris: nam uterque utrunque scripserunt. *Servius.*

Hom. divûmque interpres.] Vide 3. Æn. ✠. 359. *Taubm.*

176. *Fibræ.*] *Fibræ* sunt jecoris extremitates. *Servius.*

Parent.] Peritissime agnoscuntur. Quod si *parent*, obtemperant, non procedit: nam quomodo sidera aut fibræ, vel fulgura possunt obtemperare? Aut *parent*, apparent ac patent, quasi nihil ei absconditum, vel abstrusum sit. An hyperbolice tantam illi scientiam siderum vel ceterarum, quas dixit, rerum esse, ut ei parere videantur, sicut dicimus artes quibusdam esse subjectas? Sed *parent*, id est, agnoscuntur, quod ad omnia referendum est, fibras, sidera, voces avium, fulmina. nam si videntur, tantum accipias, cujus possunt videri: nec tamen intelligi. Item voces avium non videntur, sed agnoscuntur auditæ. *Idem.*

Cui pecudum fibræ, &c.] His duobus versibus maximam partem posuit aruspicinæ, & auguratus. Dicam breviter de singulis in hac Nota. Pendere sæpe fata à fibris satis indicat Tibullus, à quo Eleg. 1. lib. 2. *fibra* dicitur *nuntia* Deorum, & Eleg. 9. lib. 1. *conscia* Deorum. Inde & Ovid. 15. Metam. signate, *fibra monet.* & in 5. fibra dicitur habere *notas veri*, *monitusque Deorum.* Et Statius quarto Theb. *verum spirantibus extis.* Synesius libro de insomn. οἱ δὲ ἐν σπλάγχνοις αὐτὰ (μέλλοντα) ἀναγνόντες. Sed de hac re effusum Brissonius. Secundo loco ait sidera subdita esse huic potestati, ac proinde cœlum ipsum. De augure Tiresia Stat. 4. Theb.

Nec tripode implicito, numerisque sequentibus astra.

Calaber libro duodecimo Calchanti ait subdi ἀστέρας· *stellas.* Synesius, οἱ δὲ ἄστρα εἰδότες. Ideo *sidera parent*, ut quæ prona ad obediendum. Contemno hic nugas Servii de verbo *pareo*; & arripio notam Lævini monentis in Suetonium hoc verbum augurum esse, & aruspicum, quod Petronii, & Ulpiani auctoritate confirmat. Vide etiam Sigonium de Judiciis, & Briss. in Form. lib. 5. Tertio adhibet *linguas volucrum*, ut & 3. Æneid. ✠. 359. Stat. 3. Theb. *affatus volucrum.* Ov. Eleg. 8. l. 1. Trist.

Linguave servatæ, pennave dixit avis.

Apollon. 1. Arg. θεοπροπίας οἰωνῶν, *Vaticinia avium.* Ibidem, ὄρνιθος ὄσσαν, *avium vocem:* & de avi, ἕκαστα πιφαυσκομένην. *loquens singula.* Eurip. in Hel. πτερωτῶν φθέγματα. & Stat. 2. Theb. de quodam augure:

-- doctus aëris, & nulla deceptus ab alite.

Et in 3. Theb. ait, volucres habere *consilium*, & scientes esse *futuri.* De Idmone vate Val. 1. Arg.

Seu plenum certis interroget aëra pennis.

Synesius ubi supra, inter reliqua divinantium genera, οἱ δ' ἐν ὀρνίθων κλαγγαῖς, καὶ καθέδραις, καὶ πτήσεσι: Eur. in Ione aves vocat θεῶν ἀγγέλους φήμας· *nunciantes Deorum voces.* & in Tauris dat illis

Εὐξύνετον ξυνετοῖσι βοάν·

Vocem, quam sapientes intelligunt.

Quarto, *ignes præsagi fulminis.* quod fortasse accipiendum ait Germ. ut Διὸς σέλας apud Sophoc. in Colon. quod signum inter reliqua cœlestia ibi numeratur. De fulmine accipio Val. 1. Arg.

Cui genitor tribuit monitu prænoscere Divûm

Omina seu flammas interroget. ——

Inde idem lib. 3. *præsagaque fulmina.* & Cal. lib. 1. ait, mitti è cœlo fulmina, quibus Juppiter

Δεικνὺς ἀνθρώποισι μέγαν βαρυηχέα ὄμβρον·

Indicat hominibus vim pluviæ strepitantis.

& Hom de fulmine ait σῆμα βροτοῖσιν, *Cerda.*

177. *Præsagi fulminis ignes.*] *Præsagi,*

Mille rapit densos acie atque horrentibus hastis.
Hos parere jubent Alphea ab origine Pisæ,
Urbs Etrusca solo. sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens, & versicoloribus armis.
Tercentum adjiciunt, (mens omnibus una sequendi)
Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in arvis.

Et

sagi, futura denuntiantis, ut, *De cœlo tactas memini prædicere quercus*. Est enim Jovis filius fulmen, de quo tantum futura noscuntur, ut in octavo plenius de fulminis generibus dictum est. Alii non ipsum fulmen præsagum accipiunt, sed eos præsagos, qui inde futura prædicunt. *Servius*.

Præsagi fulminis ignes.] Διοσημείαν intelligit. De qua re Pimpont. & inprimis Camer. *de generibus Divinat.* Taubmannus.

178. *Rapit.*] Raptim ducit. *Servius*.

Densos acie.] In acie constrictos & conjunctos. *Idem*.

179. *Alphea ab origine Pisæ.*] *Alpheus* fluvius est inter *Pisas* & *Elidem* civitates Arcadiæ, ubi est templum Jovis Olympici: ex quibus locis venerunt qui *Pisas* in Italia condiderunt, appellatas à civitate pristina: unde nunc addidit, *Urbs Hetrusca solo*: cum præmisisset, *Alphea ab origine Pisæ*. Sane Pisas antiquitus conditas à Peloponeso profectis, vel ab his, qui cum Nestore ad Ilium venerunt. Alii *Pisum* Celtarum regem fuisse Apollinis Hyperborei filium, & cum Samnitibus bellum gestasse, à quorum regina, quæ post conjugis mortem imperio successerat, receptum, in Etruria oppidum suo nomine condidisse. Alii locum * ex deo privigno genitum juvenem viribus magnis *Pisas* condidisse ajunt: Cato originum I. qui *Pisas* tenuerunt ante adventum Etruscorum negat sibi compertum, sed inveniri Tarchonem Tyrrheno oriundum, postquam eorum locorum dominium ceperit, *Pisas* condidisse, cum ante regionem eandem Teutanes quidam Græce loquentes possederint. Alii, ubi modo *Pisæ* sunt, Focida oppidum fuisse ajunt, quod nobis indicio est à Peloponneso originem id oppidum trahere. Alii incolas ejus oppidi Teutanas fuisse, & ipsum oppidum Teutam nominatum, quod postea *Pisas* Lydi lingua sua singularem portum significare dixerunt; quare huic urbi à portu lunæ nomen impositum. Alii ab Epeo Trojani equi fabricatore conditum tradunt, qui cum aliis Græcis in hanc regionem rejectus est. Ubi, postquam Trojanæ captivæ metu dominarum ad quas deducebantur naves incenderunt, desperatione reditus remansit, urbemque condidit, & ab ea, quæ est in Peloponneso, *Pisas* cognominavit. *Idem*.

181. *Equo fidens.*] Id est, eques optimus. Quidam *Astur* pro *Astures* accipiunt, apud quos equi & equites optimi perhibentur. *Idem*.

Versicoloribus armis.] Depictis, per quod bellicosus ostenditur. *Idem*.

Versicoloribus.] *Versicolor* est, qui, dum vertitur, mutat colorem. *Donat.*

182. *Tercentum adjiciunt.*] Consentiunt & accedunt ejus voluntati: quod sequentia explanant. Probus *adjiciunt*, adjacent, & quasi juxta sunt, tradit. *Servius*.

Mens omnibus una sequendi.] Id est, conjurati sunt. *Idem*.

183. *Qui Cærite domo.*] Ac si diceret, qui sunt domo Carthagine. *Cære* autem, ut supra diximus, dicitur, ἀπὸ τ͂ χαίρειν, quod verbum salutandi gratia apud Græcos dici solet. Hanc Pelasgi condiderunt, qui cum sitim passi, nec usquam aquam invenientes, casu quodam fontem invenissent, in eodem loco oppidum condiderunt. Nec vi-

Et Pyrgi veteres, intempestæque Graviscæ.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyra, & paucis comitate Cupavo,

Cujus

deatur contrarium quod ait, *Ducit Agyllina nequicquam ex urbe secutos*: quasi & Turno & Æneæ præstet auxilium. nam illi Lausum fugientem secuti sunt: hi vero communi odio & consilio totius civitatis in Mezentium arma commoverunt. *Serv.*

Qui Cærete domo.] Non referam loco hoc codicum varietates, quum omnino casta lectio sit *Cærete domo*, ea elocutione, qua dictum alibi, *Qui genus unde domo.* Quaque dixit Horatius, *unde domo, Quis.* Ita in ultima scena Pænuli Plautini, *domo Carthaginenses sunt.* Et quod Romæ apud Zampolinos ostendit mihi Antonius Valla Theanen. antiqua inscriptione notatum, D. PERUSIA, quod signat *Domo Perusia.* Atque in iisdem ædibus,

POLINGENUOS DOMO
BONDINCOMAGUS.

Ex quo locus apud Plinium examinandus de oppido Bondinco in Padi hostio. *Pierius.*

Cærete domo.] Explico, qui sunt Cæretana domo, vel qui sunt domo Cæretani. Nam Plaut. Pæn. dixit, *Domo Carthaginiensis*, & posset, *domo Carthagine.* Sed de hac re dixi pluribus l. 8. ad illud, *Qui genus? unde domo?* Cerda.

Minionis.] Fluvius est Minio Tusciæ ultra centum cellas. *Servius.*

184. *Et Pyrgi veteres.*] Hoc castellum nobilissimum fuit eo tempore, quo Tusci piraticam exercuerunt. nam illic metropolis fuit, quod postea expugnatum à Dionysio tyranno Siciliæ dicitur, de qua Lucilius, *Scorta Pyrgentia.* Idem.

Pyrgi veteres.] Fortasse *veteres Pyrgi* Thusciæ, quia ab antiquis *Pyrgis* Græciæ. Nam *Pyrgos* quoque in Græcia Strabo constituit lib. 8. & credibile inde ductam coloniam. Ceterum Cato in Fragment. Originum utrunque etiam nomen conjunxit: *Pyrgus*, *Graviscæ ab aëre dictum*, ut & Plin. c. 5. l. 3. *Graviscæ, castrum novum, Pyrgi, Cæretanus amnis.* Sic Mela cap. 4. lib. 2. *Cerda.*

Intempestæque Graviscæ.] Graviscanum oppidum, alii *intempestum* dicunt ventis & tempestatibus carens: quod nulla potest ratione contingere. *Intempestas* ergo *Graviscas* accipiamus pestilentes & secundum Plinium in naturali historia, & Catonem in Originibus, ut *intempestas* intelligas sine temperie, id est, tranquillitate. nam ut ait Cato, *ideo Graviscæ dictæ sunt, quod gravem aërem sustinent.* Servius.

Intempestæque Graviscæ.] In Romano codice *Gabiscæ* legitur, Librariorum imperitia. *Graviscas* enim quod gravem aërem sustineant dictas ajunt. *Pierius.*

185. *Ligurum ductor.*] Nam Liguria post Thusciam est circa Gallos. *Serv.*

Ligurum ductor.] Explicui non cum interpretibus de Cupavone, sed de Cycno: tum, quia torqueri videtur Poëta: tum, quia Ovid. rem hanc narrans, de Cycno ait:

Nam Ligurum populos, & magnas rexerat urbes.

Cerda.

186. *Cycne.*] Cunare, quidam duci nomen datum tradunt à Cunaro monte, qui in Piceno. *Servius.*

Transierim Cigne.] Sive *Cicne*, ob cognationem. Sed enim nomen hoc in antiquis exemplaribus aliter scriptum inveni. Siquidem in eo codice, quem Pomponii Læti delicias fuisse dicunt, & in vetustis aliis plerisque, qui apud me sunt, atque etiam in aliquot aliis Vaticanæ bibliothecæ, legitur *Cinere.* In Romano *Cunare. Cycne* vero, & *Cygne* divulgatorum est exemplarium. Non enim hic *Ligurum ductor Cycnus*, sed insignis *Cycni* gestamine inducitur ob ejus *Cycni* memoriam, qui luctu

Phaë-

Cujus olorinæ ſurgunt de vertice pennæ:
Crimen amor veſtrum, formæque inſigne paternæ.
Namque ferunt, luctu Cycnum Phaëthontis amati,
Populeas inter frondis umbramque ſororum
Dum

Phaëthontis canentem molli pluma duxiſſe ſenectam fertur. *Pierius*

Cupavo.] *Hic Cupavo* ſicut declinatur *Cato*, vel *Cicero*. Servius.

187. *Olorinæ ſurgunt de vertice pennæ.*] In Romano codice, *pinnæ*, ut adſolet. In aliquot aliis, *criſtæ* notatum eſt: ſed *criſtæ* paraphraſin fuiſſe crediderim. *Pierius.*

Cujus olorinæ, &c.] Galea criſtis inſignitur, quo terribilior hoſti fiat, hinc,

Terribilem criſtis galeam.

Quin & miles criſtatus longe procerior apparet:

—— *criſtis capita alta ferentes.*

Has autem ex olorinis etiam pennis, itemque equinis ſetis componebant: ut, —— *criſtaque hirſutus equina.*
quæ ob id & *jubæ* appellabantur: ut,

—— *Grajarum errore jubarum.*

Rubræ autem hæ de cono galeæ aut duplices aut triplices conſurgebant: quare Poëta eorum ſummitates *cornua* appellat: ut,

—— *rubræ cornua criſtæ.* &,

—— *viden' ut geminæ ſtant vertice criſtæ?*

&: *Purpurei criſtis juvenes.* Taubm.

188. *Crimen amor veſtrum.*] Phaëthontem à Cycno amatum aut pie, aut turpiter accipiamus neceſſe eſt. Si turpiter, talis eſt ſenſus, Crimen veſtrum eſt, ô Cycne & Phaëthon, quod ſic amaſtis. Alii *Veſtrum*, pro *tuum* accipiunt: & ad ſolum Cycnum referunt: ut *Vos, ô Calliope, precor.* Si pie amavit, ſecundum Aſprum *Crimen* erit cauſa, ut 11. Æneid. *Et crimine ab uno diſce omnes*, ut ſit ſenſus, ô Phaëthontiades ſorores, & ô Cycne, cauſa veſtrum, id eſt, veſtræ mutationis, amor eſt: quia ſic Phaëthontem amaſtis ut periretis. *Servius.*

Crimen amor veſtrum.] Tale & illud Didonis in ep. ad Æneam,

Quod crimen dicis præter amare meum?

Et Propert. Eleg. 30. lib. 2.

Hoc ſi crimen erit, crimen amoris erit. Cerda.

189. *Namque ferunt luctu Cycnum Phaëthontis amati.*] Phaëton Clymenes & Solis filius, qui cum doleret objectum ſibi ab Epapho rege Ægypti quod eſſet non de Sole, ſed de adulterio procreatus: duce matre venit ad Solem, & popoſcit, ut ſi vere eſſet ejus filius, petita præſtaret. Quod cum Sol juraſſet per Stygiam paludem ſe eſſe facturum, petit ille, ut ejus currus agitaret. Sol poſt jusjurandum negare non potuit. Acceptis itaque curribus Phaëthon, cum exiſſet orbitam Solis, & cœpiſſet mundus ardere, à Jove fulminatus, in Eridanum cecidit, qui Padus vocatur. Hujus interitum flentes ſorores Phaëtuſa & Lampetuſa in arbores mutatæ ſunt deorum miſeratione: ut hic dicit in populos: ut in Bucolicis, in alnos. Fuit etiam quidam Ligus, Cycnus nomine, dulcedine cantus ab Apolline donatus, amator Phaëthontis, qui cum eum defleret extinctum, longo luctu in avem ſui nominis verſus eſt: qui poſtea ab Apolline inter ſidera conlocatus eſt: hujus nunc filium Cupavonem dicit habere cycni pinnas in galea ad paternæ formæ inſigne monſtrandum. *Servius.*

Namque ferunt luctu Cycnum, &c.] Meminit hujus fabulæ Plato etiam in Timæo, Pauſanias in Atticis, Lucret. lib. 5. omnium autem elegantiſſime utramque deſcribit Ovid. l. 2. Metam. Fab. 3. & 4. *Taubm.*

190. *Populeas.*] Ita omnes fabulæ. Diſſidet in 6. Eclog. Virg. qui ſorores Phaëthontis in *alnos* mutat. Apoll. 4. Arg. ait mutatas εἰς *αἰγείρας*. ubi aliqui reddunt *alnos*, aliqui *nigras populos*; fortaſſe quia Virgilius utrique arbori dat
hanc

Dum canit, & mæstum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam;
Linquentem terras & sidera voce sequentem.
Filius, æquales comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Instat aquæ, saxumque undis inmane minatur
Arduus, & longa sulcat maria alta carina.

Ille

hanc gloriam. Sed certius est *αἴγειρον* esse *populum*. Idem est doctorum certamen in reddendo Dionys. qui in *περ.* loquens de Eridano, ait electrum stillari *αἰγείροισι*. *Cerda.*

Umbramque sororum.] Ambitiose dictum, pro inter arbores de sororibus factas. Et est una de his, quæ habet Virgilius inimitabilia & sua propria. Tale est illud, *Sinuatque alterna volumina crurum.* Et, *Cum primum sulcos æquant sata.* Servius.

Umbramque sororum.] Hoc imitans Ovid. dixit, *silvamque sororibus auctam.* Et Val. I. Arg.

—— veteris sat conscia luctus
Silva Padi, & viso flentes genitore sorores.

Avienus:

Hic prius Erydani propter nemorosa fluenta
Fleverunt liquida lapsum Phaëthonta sorores,
Mutataque manus planxerunt pectora ramis. Cerda.

191. *Musa.*] Carmine, cantilena. *Servius.*

192. *Canentem senectam.*] Quia *canentem senectam* pro albo colore neoterice dictum putant: canentem senectam mollibus transegit in plumis. *Idem.*

Canentem molli pluma duxisse senectam.] Ita Soph. in Ajace, *albam senectam* dixit, λευκῷ δὲ γήρᾳ. Hom. ult. Il. πολιόν τε κάρη, πολιόν τε γένειον· *Canumque caput, canumque mentum.* Sententiam Virg. ita reddidit Claud. in 6. Cons. Hon.

Mutatumque senem plumis, & fronde, sorores.

Ab eodem præceptore proculdubio Horat. Od. ult. lib. 2

—— & album mutor in alitem
Superne; nascunturque leves
Per digitos, humerosque plumæ.

Ovid. in narratione hujus fabulæ: *canæque capillos dissimulant plumæ.* Eurip. in Hel. χιονόχρως κύκνου πτερῷ· *Nive candicans, ut cycni ala.* Cerda.

193. *Linquentem terras.*] Dissidet Ovid. qui in hujus μεταμορφώσει,

Fit nova Cycnus avis: nec se cœloque, Jovique
Credit, ut injuste missi memor ignis ab illo;
Stagna petit patulosque lacus ignemque perosus,
Quæ colat, elegit contraria flumina flammis.

Idem.

Sidera voce sequentem.] Cum cantu cœlum petentem: vel quod est re vera relatus in sidera, sicut videmus in sphæra. *Servius.*

194. *Æqualis comitatus classe catervas.*] Aut æqualiter habens per naves distributas catervas, aut ipsi duci pares virtute. *Idem.*

195. *Centaurum.*] Aut nomen navis, aut qui erat in navi pictus. *Idem.*

196. *Inmane minatur.*] Stat. 5. Thebaid. *murisque immane minantem Antæum.* Cerda.

197. *Sulcat.*] Plin. c. I. l. 12. *arbore sulcamus maria.* Claud. 4. Cons. Hon. *auratos sulcaret remige fluctus.* Ovid. Eleg. 4. lib. I. Pont. *vastum sulcavimus æquor.* Sed hoc obvium; at non obvia pulchra commutatio locutionum, nam ut aquæ sulcantur, ita contra aquæ ipsæ sulcant.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantus & Tusci filius amnis:
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen;
Mantua dives avis. sed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni:

Ipsa

sulcant. Luc. enim lib. 4. de fluvio Bagrada, *sicca sulcator arena*. Idem.

198. *Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris.*] In antiquo satis exemplari legere est *quin etiam patriis*. Hemistichium vero reliquum duabus transpositis dictionibus, in uno ex antiquioribus, qui sunt in Vaticana bibliotheca, legitur, *Patriis Ocnus ciet agmen ab oris*. Est & ubi legatur *Ognus* per g, uti *Cycnus* & *Cygnus*. Pierius.

Ocnus.] Iste est *Aucnus*, quem in Bucolicis *Bianorem* dicit. Ut, *Namque sepulchrum Incipit apparere Bianoris*. hic Mantuam dicitur condidisse, quam à matris nomine appellavit. nam fuit filius Tyberis & Mantus Tiresiæ Thebani vatis filiæ, quæ ad Italiam post parentis venit interitum: Alii Mantos filiam Herculis vatem fuisse dicunt. Hunc *Ocnum*, alii Aulestis filium, alii fratrem, qui Perusiam condidit, referunt, & ne cum fratre contenderet, in agro Gallico Cesenam, quæ nunc Bona dicitur, condidisse: permisisse etiam exercitui suo ut castella munirent, in quorum numero Mantua fuit. Alii à Tarchone Tyrrheni fratre conditam dicunt: *Mantuam* autem ideo nominatam, quod Etrusca lingua *Mantum* Ditem patrem appellant, cui etiam cum cæteris urbibus & hanc consecravit. *Mantus* vero Græce declinavit. nam si Latine vellet, *Mantonis* diceret, ut ait Plautus, *Ionis*. Servius.

Ocnus.] Filius fuit Mantûs, qui muros dedit urbi, & de matris nomine illam vocavit. *Donatus*.

199. *Fatidicæ Mantus.*] Stat. lib. 4. Theb. *Auguris fatidici*. Cerda.

200. *Muros.*] Faciunt omnes *Ocnum* conditorem Mantuæ; aliud Poëta innuit, *muros* tantum nominans, quasi Mantua fuerit *Ocno* antiquior, & tantum ab illo muris circumdata: ut Babylon à Semiramide, quæ propterea dicta est ejus conditrix. *Idem*.

201. *Dives avis.*] Majoribus præpotens. Et bene *dives avis*, quia non ab *Ocno*, sed ab aliis quoque condita sit: primum namque à Thebanis, deinde à Tuscis, novissime à Gallis, vel, ut alii dicunt, à Sarsinatibus qui Perusiæ considerant. *Servius*.

Sed non genus omnibus unum.] Quia origo Mantuanorum & à Tuscis venit, qui in Mantua regnabant, & à Venetis: nam in Venetia posita est, quæ & Gallia Cisalpina dicitur. *Idem*.

202. *Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.*] Quia *Mantua* tres habuit populi tribus, quæ & in quaternas curias dividebantur, & singulis singuli Lucumones imperabant, quos in tota Tuscia duodecim fuisse manifestum est: ex quibus unus omnibus imperat. hi autem totius Tusciæ divisas habebant quasi præfecturas, sed omnium populorum principatum *Mantua* possidebat. Unde est, *Ipsa caput populis*. Ergo Virgilius miscet novam & veterem Etruriam, ut utriusque principatum patriæ suæ adsignet, cum alioquin *Mantua* ad hæc auxilia pertinere non debeat, quod Æneas nulla à Transpadanis auxilia postulaverit, cum omnis exercitus adversum Mezentium uno loco considerit, & propterea putetur Poëta in favorem patriæ suæ hoc locutus, ut de hac sola trans Padum pro Ænea adversum Mezentium auxilia faciat venisse, & quod nec populorum nomina, nec Lucumonum retulerit. *Idem*.

203. *Tusco*

Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infesta ducebat in æquora pinu.
It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctum

Ver-

203. *Tusco de sanguine vires.*] Quia robur totum à Lucumonibus habuit. *Servius.*

204. *In se armat.*] Id est, Odio sui in arma compellit. *Idem.*

In se armat.] Armat, quia causam præbuit, quod illi in se armarent. *Donatus.*

Armat.] Stat. etiam 4. Theb. in apparatu belli: *Huic armat Larissa viros.* Cerda.

205. *Patre Benaco velatus arundine glauca Mincius.*] *Venacus* lacus est Venetiæ, de quo fluvius nascitur *Mincius.* Jure ergo dux Venetus fluvium provinciæ suæ depinxit in navi: quem Venaci filium, quia ex ipso habere originem dicit. *Servius.*

Quos patre Benaco.] In Romano codice *Vinaco* more suo scriptum est per *v* digammon. Quinetiam Adamantii Martyrii regula est, ut in iis, quæ utrum per *b* mutam, an per *v* digammon scribenda sint quærit, si *ve* producta fuerit prima sede collocata, si quidem masculini vel neutri generis existant, per *v* signari, ut *Venator, Velum, Veretrum,* τὸ μόριον, *Venabulum*, & similia. Si vero fœminina sint tantummodo, quorum origo à masculino venire non cernitur, per *b* mutam scribi debere, *besica*, *bellua*, *bestia*, designat tamen quæ duarum fuerint syllabarum, Ex quibus Beta, τὸ σεῦτλον, polysyllaba sequatur. Quare qui *Venaco* scripsere, Adamantii sententiam secuti sunt. Sed enim quam ponit ille, *Vesica* nemo nunc per *b* scribit, si Latine: à *vento* vero eam deduci tradit Caper, & *vensica* ea de caussa dicta à nonnullis. Sunt præterea multa alia, quæ nunc aliter scribimus & enuntiamus, quam Adamantius præceperit. *Vernam* enim per *v* scribimus & enuntiamus, pro servo domi nato, quem ille, uti superius diximus, tum differentiæ caussâ, tum etymologiæ per *b* scribi præcipit. *larva* etiam τὸ δαιμόνιον per *v* scribimus, ille per *b* mavult *larba*, non aliter ac *herba*, *tuba*, *turba*. Similiter nos *nævus* per *v*, ille per *b*, *næbus*, ut *cibus*, *rubus*. Contra vero, nunc omnium mos Latine scribentium est, ut *labor*, *balbusque* per *b* mutam scribantur. Ille *lavor*, ut *favor*, & *fervor* scribit. & *balvum*, ut *curvum*, *sævum*, *torvum*, per *v* digammon. Sed utrum nos, an ille melius, incompertum est mihi, quum videam non solum inscriptiones tam multas à nostri temporis usu variare: verum etiam opinatissimorum hominum sententias super hac scribendi ratione latas. Sed enim optimum factu judicaverim ita se ad usum accommodare: ne dum doctiores esse volumus, derisui habeamur. Sequamur vero M. Tullii Ciceronis exemplum, qui quum pleraque aliter quam in usu forent, enuntianda cognosceret, libentissime tamen cessit consuetudini. Neque vero nos tam multa ex marmoribus, ex nomismatis, ex tabulis æneis, ex diversorum Grammaticorum sententiis, ex veteribusque codicibus congessimus, ut omnia suscipienda censeremus: sed ut quos Grammaticorum vulgus nunc errores appellat, non imperitia, sed temporum usu evenisse commoneremus. *Pierius.*

207. *Gravis.*] Fortis: ut *Ferit ense gravem Tymbræus Osyrim.* Vel *gravis* aut animo, aut ætate, aut *gravis* propter navem, nam sequitur, *Centenaque arbore fluctum Verberat assurgens.* Serv.

Centenaque arbore.] Non ait remis, sed arboribus, ad exprimendam navis magni-

Verberat adſurgens: ſpumant vada marmore verſo.
Hunc vehit inmanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hiſpida nanti
Frons

magnitudinem, quæ plures habuit remorum ordines. Unde ait Lucanus,

Et ſummis longe petit æquora remis. Id.

Centenaque arbore.] Navem facit ἑκατόνζυγον, ut Homer. loquitur 20. Il. id eſt, *centum remorum*, aut *tranſtrorum*. Ita & Silius lib. 11.

Centeno fractus ſpumabat verbere pontus.

Eadem forma Stat. in re alia 5. Theb.

Vexit arundineam centeno vulnere ſilvam.

Propertius Eleg. 6. lib. 4. *Claßis centenis remiget alis*, id eſt, remis centenis, non velis, ut male Titius. *Cerda.*

Fluctum verberat.] In Romano codice *fluctus* plurali numero. *Pierius.*

208. *Verberat.*] Æſopus in fabella de pſittaco; ὕδωρ ἔτυπτεν, *aquam verberabat.* & 5. Æneid. *certatim ſocii feriunt mare.* Silius lib. 6. *nautarum ictus.* Apollon. 4. Arg. de navigante Tritone, κόπτε ὕδωρ, *pulſabat aquam.* & lib. 1. πέπληγον ἐρετμοῖς πόντου λάβρον ὕδωρ· *feriebant remis maris procelloſam undam.* Ovid. 11. Metamorph. *ictu ſcindunt freta.* Nonn. lib. 39. πόντον ἱμάσσοντες. ibid. πόντον ἱμάσσων. Iterum, ἱμάσσιον νῶτα θαλάσσης. Omnia ſunt *percutere*, *verberare*, *flagellare.* Eurip. in Taur. adhuc verbo alio ἔπαισαν ἅλμην. Stat. 5. Theb. *quatiunt impulſibus illi nunc freta.* Lucan. lib. 4.

Quod nec vela ferat, nec apertas verberet undas.

Auſon. Moſell. *pulſantes verbere fluctum.* Cerda.

Aſſurgens.] Exprimitur habitus remigum. Inde & lib. 5. *inſurgite remis.* Val. 1. Arg.

Inſurgit tranſtris, & remo Nerea verſat.

& 3. Æneid. *Vela cadunt, remis inſurgimus.* Quod imitatus idem Valer. l. 2. *Vela cadunt, remis inſurgitur.* & lib. 3. in re eadem, *intortis aſſurgens arduus undis.* Hæc inſurrectio tota ab annitu remigum. *Idem.*

Marmore.] Mari. *Servius.*

Marmore verſo.] Id eſt, mari. Nam Græcum eſt μάρμαρον, à nitore aquæ commotæ. *Marmor mare*, Græca ratione. quippe μαρμαρυγή, *fulgor.* Mare autem vetus vox Syra, MARATH. Scalig. l. 4. c. 16. Poët. *Taubm.*

Triton.] Pictus in navis prora ſedens, & ſic ait quaſi de vero *Tritone*, ut *Galea alta Chimæram Suſtinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.* Servius.

Inmanis Triton.] Triremis nomen, in qua *Triton* ſic pictus erat. Sic *Scyllam*, ſic *Pegaſum* nomina navium fuiſſe putat Palæphatus περὶ ἀπίστων, non monſtra, ut Poëtæ fabulati ſunt. Plinius tamen l. 9. c. 5. graviſſimis probat teſtimoniis, imperante Tiberio, *Tritonem* ea, qua hic deſcribitur forma, viſum auditumque concha canentem. V. N. Æn. 1. ✝ſ. 148. *Buccinam* autem *Tritonis*, qui Neptuni tubicen fingitur, graphice deſcribit Ovid. libr. 1. Met. Fab. 10. Notat, & explicat etiam Turneb. lib. 2. c. 21. *Taubm.*

Cærula.] *Cærula freta*, non *concha cærula*, ne non ſtet verſus, ſi *cærula* fuerit ſeptimus caſus. *Servius.*

Concha Exterrens freta.] De *Tritone* Claud. de Nupt. Honor. & Mariæ: *ſeu concha Libycum circumſonat æquor.* Duxit ex Noſtro 8. Æneid. *cava dum perſonat æquora concha.* Plin. cap. 5. lib. 9. inducit *concha canentem Tritonem*, atque & viſum, & auditum. Lucan. lib. 9. de hoc monſtro (ille Deum vocat)

—— *quem toto litore pontus*
Audit ventoſa perflantem litora concha.

Cerda.

210. *Laterum tenus.*] Ut *Crurum tenus*, ἄχρι τῶν πλευρῶν. *Servius.*

Cui laterum tenus Hiſpida, &c.] Habes hic egregiam *Tritonis* deſcriptionem, ejuſque formam. Claudianus in adducto

Frons hominem præfert, in pristim desinit alvus;
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Trojæ, & campos salis ære secabant.

Jam-

adducto loco ita describit,

—prorumpit gurgite torvus
Semifer, undosi velabant brachia crines,
Hispida tendebat bifido vestigia cornu
Qua Pristis commissa viro. —

Sidonius Epithal. Rurieii, & Iberiæ,

Squammeus huc Triton duplicis confinia dorsi,
Qua coëunt supra sinuamina tortilis auri.

& postea dat illi *Pristin.* Apollon. l. 4. Arg. *Tritonem* facit superne similem, non adhuc hominibus, sed μακάρεσσι, id est, *Diis beatis*, addit tamen:

Αὐτὰρ ὑπαὶ λαγόνων δικραίρα οἱ ἔνθα καὶ ἔνθα
Κήτεος ἀλκαίη μηκύνετο. —

Tritonum figuram hanc exhibet Pausan. Latina tantum audi: *Capitis coma persimilis est palustri apio, tum colore, tum quod capillum omnino nullum ab aliis possis discernere: reliquum corpus squamma inhorrescit minuta, sed eadem prope qua lima est duritia: branchias infra aures habent, nares hominis, rictum oris latiorem, & dentes pantheræ: oculi glauci mihi esse visi sunt, manus etiam illis sunt, digitique, & ungues ea forma, qua superiores conchyliorum testæ: pinnulæ sub ventre, & pectore pro pedibus, uti delphinis.* Cerda.

Hispida.] Horrida, setosa. *Servius.*

211. *Frons hominem præfert.*] Modo *frontem*, primam hominis partem intelligimus. nam hoc dicit, A capite usque ad ima latera, hominis monstrabatur effigies. *Idem.*

In pistrin desinit alvus.] In antiquioribus *pristin*, de quo dictum. *Pierius.*

In pristin desinit alvus.] Non abludunt verba Statii 2. Theb.

— prior haurit arenas
Ungula, postremi solvuntur in æquora pisces.

Dicendumne porro sit *Pristis*, aut *Pistris*, aut *Pristrix*, jam nos credo alibi. Tu vide Had. Jun. cap. 13. lib. 2. Animadvers. *Cerda.*

Pistrin.] Ita Claudianus itidem de Tritone semifero:

Qua pristis commissa viro. —

V. N. Æn. 3. ✝s. 427. *Taubm.*

Pristin.] Vide supra lib. 5. Æn. ✝s. 116. & lib. 3. ✝s. 427. *Emmeness.*

212. *Spumea semifero.*] Incertum utrum pictus, an ex ære factus. *Serv.*

213. *Tot lecti proceres.*] Quare Tarchonem præteriit? An quia illi omnes sub imperio ejus fuerunt? *Idem.*

Ter denis.] Triginta naves accipiamus fuisse, non ut quidam volunt, singulos duces tricenas naves habuisse. nam enumeratorum militum non convenit numerus, præsertim cum sequatur *Subsidio Trojæ*: id est, parvo auxilio. Nam apud majores bella non ambitu, sed virtute constabant. *Servius.*

Ter denis.] Ita 1. Æneid. *bis denis navibus.* ut ibi, ita & hic ad arrogantiam. *Cerda.*

214. *Trojæ.*] Aut castra Æneæ dixit: aut *Trojæ*, pro *Trojanis.* Servius.

Campos salis.] Pulchre, & quidem ab Græcis. Nam Eurip. Phœniss.

Ἰόνιον κατὰ πόντον
Ἐλάτᾳ πλεύσασα περιῤ-
ῥύτων ὑπὲρ ἀκαρπίστων
Πεδίων Σικελίας.

Lucretius lib. 5. & 6. dixit *campoque natantes.* Noster in 6. *camposque liquentes.* Plinius lib. 3. cap. 65. loquens de aquarum rotunditate: *Globum tamen effici mirum est in tanta planicie maris camporumque.* Cassiodorus l. 1. epist. 12. *Voluptuosi pisces campos liquidos transeuntes cavernas suas studiosa indagine perquirunt.* Plautus Trinum. *cæruleos campos*, quod videlicet Ruden. *vias cæruleas.*

Jamque dies cælo concesserat: almaque curru
Noctivago Phœbe medium pulsabat Olympum:
Æneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.

Atque

ruleas. Ut vero campi, qui terrarum sunt, ad aquas maris traducuntur; sic contra, grata vicissitudine, æquora, quæ proprie sunt maris, ab æquitate aquarum, dicuntur de terris. *Cerda.*

Secabant.] In aliquot antiquis codicibus, *ruebant* legitur, versu aliunde repetito. *Pierius.*

215. *Jamque dies cælo concesserat.*] Non dicit diem intervenisse: nam supra ait, *media Æneas freta nocte secabat.* Et *cælo concesserat*, pro cœlo, & deest *nocti*. Servius.

Jamque dies, &c.] Laus Æneæ, quod die nocteque continuata navigatio illum non defatigaret. Sedebat ergo & vigilabat, & cum plura cogitaret, tamen temone navem regebat & velis. *Donatus.*

Jamque dies cælo discesserat.] In antiquis exemplaribus, quod valde placet, *concesserat* legitur: quamvis *discesserat* non improbem. *Pierius.*

Jamque dies cælo concesserat.] Non dicit, diem advenisse, si per *diem* intelligas lucem: sed advenisse diem; nam videlicet alter jam dies. Itaque signat ex observatione Cujacii lib. 15. Observ. cap. 32. diem Romanorum, qui nocte media incipiebat, & altera media nocte finiebatur. Quod Plutar. scribit, imo & ita quærit ἐν Ῥωμ. Διὰ τί τὴν ἡμέραν ἀρχὴν ἐκ μέσης νυκτὸς λαμβάνουσι· *Cur à media nocte sumunt initium diei?* Plin. lib. 2. cap. 77. *Sacerdotes Romani, qui diem definiere civilem, item Ægyptii, & Hipparchus à media nocte in mediam.* Agell. lib. 3. cap. 2. ex Varrone: *Homines, qui media nocte ad proximam mediam noctem in his horis* XXIV. *nati sunt, una die nati dicuntur.* Lege integrum caput Agellii. *Cerda.*

Almaque curru.] Ait Macrob. lib. 6. Saturn. cap. 5. duci hos versus ab lineis Egnatii veteris Poëtæ lib. 1. de rerum natura,

Roscida noctivagis astris labentibus Phœbe
Pulsa loco cessit concedens lucibus altis.

Stat. 3. Theb. in descriptione noctis dixit *noctivagas umbras.* Nocti bigas dat Valer. 2. Argon.

Diva soporiferas quæ nunc trahis æquore bigas.

Et lib. 4. *Lentis hæret nox conscia bigis.* Vicinum hoc poësi illorum, qui Lunæ dant *currus*, ut Theocrit. εἰδ. 25. ἅρμα. Aut *bigas*, ut Stat. 12. Theb. *Lunaribus obvia bigis.* Aut *equos*, & hic sunt infiniti. *Cerda.*

216. *Noctivago.*] Nomen mire compositum. *Servius.*

Noctivago.] Ἄρμασι νυκτιπόλοις. Lunæ autem currui Poëtæ nunc *equos* dabant, nunc *cervos*: vel, quia eadem Diana, vel quia motus est velocis inter planetas. Eidem & *mulos* dabant: quod illa non sua sed aliena luce luceat. *Taubm.*

Phœbe.] Luna: sicut Sol *Phœbus.* Item & *Titan* Sol, & *Titanis* Luna. Describit autem noctem mediam, & dicit finitum diem secundum Romanum ritum. Quia media nocte diem numerant, & noctem similiter à medio die, nec Luna sine nocte poterant. Nec Lunæ fit sine caussa commemoratio. Nam aliter videri Nymphæ non poterant. *Servius.*

Medium, &c.] Mediam noctem ita describit lib. 6. *torquet medios nox humida cursus.* & Propert. Eleg. 10. lib. 1.

Et mediis cœlo Luna ruberet equis.

Cerda.

218. *Clavumque regit.*] Pro clavo navem regit, & dat Æneæ, sicut in quinto libro, gubernandi dedit peritiam. *Servius.*

Velisque ministrat.] *Velis* quidam dativum

Atque illi medio in ſpatio chorus ecce ſuarum
Occurrit comitum: nymphæ (quas alma Cybebe
Numen habere maris, nymphaſque è navibus eſſe
Juſſerat) innabant pariter, fluctuſque ſecabant,
Quot prius æratæ ſteterant ad litora proræ.
Adgnoſcunt longe regem, luſtrantque choreis.
Quarum quæ fandi doctiſſima, Cymodocea

Pone

tivum volunt, non ablativum, ut ſi dicamus aliquem miniſtrare convivis. *Serv.*

Veliſque miniſtrat.] Habes hoc hemiſtichium & lib. 6. Ab Noſtro Tacitus de moribus Germ. (notante Turnebo) *nec velis miniſtrant.* Et Stat. 7. Theb. (notante Pontano)

Ipſe ſedens velis, pariterque miniſtrat habenis. Cerda.

219. *Medio in ſpatio.*] Inter navigandum. *Servius.*

Chorus comitum: nymphæ.] De navibus factæ, & mire *comitum*, quia cum eo venerant. *Idem.*

220. *Alma Cybele.*] A *Cybelo* Phryge, qui primus ei ſacrum inſtituit: Mater deûm dicta *Cybele*, ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλήν, id eſt, capitis rotatione: quod ſemper Galli motu capitis per furorem, comam rotantes, ululatu futura pronuntiabant. Lucanus, *Crinemque rotantes Sanguinei populi ulularunt triſtia Galli.* *Cybele* autem Bacchius eſt. nam *Cybele* Anapæſtus eſt: ut, *Hic mater cultrix Cybele.* Idem.

Cybele.] *Cybebe* ſcriptum reperi in codice A. Colotii. ſic etiam Græci Κυβέβην dicunt. *Urſinus.*

221. *Nymphaſque è navibus eſſe juſſerat.*] Vide lib. 9. Æn. vſ. 117. *Emm.*

222. *Innabant pariter.*] Quia de navibus verſæ. *Servius.*

223. *Quot prius.*] Id eſt, quantæ, ad numerum retulit. Ergo ſubtrahit *tot.* Idem.

Quot prius æratæ ſteterant ad litora proræ.] Verſum hunc ſuperius habundare diximus: neque in veteribus codicibus, niſi adſcriptum inveniri, hic vero congruum habet locum. Cæterum in Oblongo codice, non *proræ*, ſed *naves* ſcriptum eſt. In aliquot aliis *puppes* legitur: quod ideo placet, quia uti eo loco ſuperiore dicebamus, *Proræ pelago obvertuntur, Stant litore puppes.* Pierius.

Æratæ proræ.] Quæ æreo roſtro armatæ erant: Turneb. lib. 12. cap. 12. & lib. 26. c. 23. *Taubm.*

224. *Adgnoſcunt.*] Nam propter nocturnas tenebras, alii non facile cognoſcerent. *Donatus.*

Luſtrantque.] Circundant & circumeunt. *Servius.*

Luſtrantque choreis.] Ἀμφιχορεύουσι; in Epigr. ἐν χορῷ δινεύουσι· & apud Homer. ἐδίνευον, pro eo, quod eſt, ut notat interpres, κυκλόσε ἐστρέφοντο· & Callim. εἰς Ἄρτεμιν· ἡνίκα δ' αἱ νύμφαι σε χορῷ ἔνι κυκλώσονται. *Choreis* autem, hoc eſt orbe, qui Ciceroni ſaltatorius dicitur: κυκλοτερὲς ὑπόρχημα. *Germanus.*

225. *Doctiſſima Cymodocea.*] Poëtice: ſicut & mutatio ipſa confingitur. Ergo *doctiſſima*, quæ divinitus hanc doctrinam fuerit conſecuta. Nam ſtultiſſimum eſt quod quidam ait, Ilionei navem fuiſſe, & ideo eam eſſe doctiſſimam fandi. *Servius.*

Fandi doctiſſima Cymodocea.] Alibi dixit *Cymodoce.* Sic *Calliope*, & *Calliopea*, & fortaſſis ſervanda Græca forma *Cymodoceía*, & *Calliopeía*. Sed cur Nympha hæc præ aliis doctiſſima? Neſcio cur Servius ſtultum putet, qui hoc referat ad navem Ilionei, cum in fabulis multa ſint ſimilia. *Cerda.*

226. *Pone*

Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso
Eminet, ac læva tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum adloquitur: Vigilasne, deûm gens,
Ænea? vigila, & velis immitte rudentes.
Nos sumus Idææ sacro de vertice pinus,

Nunc

226. *Pone sequens.*] Hoc quidam ideo dictum tradunt, quod adversæ videri nolunt: unde Eclog. 8. est, *Transque caput jace, ne respexeris.* Servius.

Dorso eminet.] Peritia natandi ostenditur. *Idem.*

Tacitis.] Aut ipse tacitus, aut pro tacite & leniter. *Idem.*

Subremigat.] Subnatat. *Idem.*

228. *Ignarum adloquitur.*] Aut præsentiæ suæ ignarum, aut quod è navibus Nymphæ factæ sunt. *Idem.*

Ignarum adloquitur.] In Romano codice *ignavum* Librarii omnino indiligentia scriptum est. *Pierius.*

Ignarum.] Videtur quæsita oppositio, *fandi doctissima*, id est, futurorum præscia alloquitur ignarum. *Cerda.*

Vigilasne, deûm gens?] Verba sunt sacrorum. Nam virgines Vestæ certa die ibant ad regem sacrorum, & dicebant, *Vigilasne rex? vigila.* Quod Virgilius jure dat Æneæ, quasi & regi, & quem ubique Pontificem & sacrorum inducit peritum. Et bene primo interrogat, deinde quod vigilat approbat. *Deûm* autem *gens*, propter, *Diis genite, & geniture deos.* Servius.

Vigilas?] Recte dubitat: nam tempus somnum, curæ vigilias suadebant. *Donatus.*

Deûm gens Ænea.] Similiter Sil. Ital. lib. 7.

Gens Cadmi Cleadas, fulva cui plurima passim
Casside, &c. Emmeness.

229. *Vigila.*] Credo alludere poëtam ad symbolum & vocem illam, quam exituri ad bellum duces usurpabant: *Mars vigila*, ejus custodiam implorantes. *Germanus.*

Velis immitte rudentes.] Hoc est, rudentibus vela immitte, id est, laxa, ut est illud Georg. III. *Notas odor attulit auras:* Immitti autem dicuntur rudentes, cum vela laxantur. *Servius.*

Inmitte rudentes.] Sermo ducitur ab re equestri; navis enim, ut equus fræno, sic rudentibus regitur. Duci itaque verbum *immitto* ab re equestri aperio ex Græcis, quibus *ἵημι* est *mitto*, & ejus composita plerumque ad rem equestrem, ut sunt *ἀνίημι, παρίημι, ἀφίημι, ἐφίημι.* Soph. in Elect. *δεξιὸν δ᾽ ἀνεὶς σειραῖον ἵππον, remittens dextrum Siraum equum*, pro, laxans habenas equo. Philostr. lib. 2. de vitis Sophist. *ἀφεὶς ἡνίαν· demittens habenam.* Plutarch. in Pericle, *ἐφεῖσα ἡνίαν· immittens habenam.* Inde & Propert. El. 9. l. 3.

Mollis tu captæ fautor cape lora juventæ,
Dexteraque immissis da mihi signa rotis.

Et clarissime quoque Virg. 6. Æneid. *classique immittit habenas.* Et Statius 3. Theb. *Flagrantes immisit equos.* Cerda.

230. *Nos sumus.*] Sane declamatorie hos versus explicuit. *Servius.*

Sacro de vertice.] Argute *sacro*, ne miretur Æneas deas factas. *Idem.*

Idææ sacro de vertice.] Ita Catull. in dedicatione phaselli, ait fuisse *Cytorio in jugo*, & iterum,

—— Cytore buxifer
Tibi hæc fuisse, & esse cognatissima,
Ait phasellus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine.

Catull. idem de Nupt. Pel. & Thet.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.

Et Ovid. 2. Amor.

Prima malas docuit mirantibus æquoris undis
Peliaco pinus vertice cæsa vias.

Cerda.

Pinus.] Hoc loco, secundum quartam declinationem dixit: in Bucolicis juxta

Nunc pelagi nymphæ, classis tua. perfidus ut nos
Præcipites ferro Rutulus flammaque premebat;
Rupimus invitæ tua vincula, teque per æquor
Quærimus. hanc genetrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse deas, ævumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media atque horrentis Marte Latinos.
Jam loca jussa tenent forti permixtus Etrusco
Arcas

juxta secundam, ut, *Mænalus argutumque nemus, pinosque loquentes Semper habet.* Et loquitur per diffinitiones. *Servius.*

231. *Perfidus.*] Qui post fœdus bella commovit. hinc Latinus, *Ipsi has sacrilego pendetis sanguine pœnas.* Alii è communi sermone *perfidum* Rutulum dici, quia ipsa Trojana est. *Idem.*

Perfidus.] Aliquot exemplis mihi persuasi, & miror à nemine, quod sciam animadversum, præpositionem *per* respondere aliquando Græcæ præpositioni παρά. Nam quemadmodum hæc apud Græcos falsum quiddam in compositione indicat, ac præposterum, ut παραφρονεῖν, est, *desipere*, etiamsi φρονεῖν sit *sapere*, sic in aliis infinitis: ita apud Latinos *per.* Sic *perfidus*, *perjurus*, *perfunctorius*, *perfuga*; & in quibus præpositio tantum abest à significanda perfectione, ut potius vitium notet. *Cerda.*

Ut nos.] *Ut*, pro *quoniam.* Plautus in Pseudolo, *Ut lassus veni de via, me volo curare.* Et in Mostellaria: *Eundem animum mihi oportet esse gratum, ut impetravi:* pro *quoniam.* Servius.

232. *Præcipites.*] Nomen pro adverbio, præcipitanter. *Idem.*

233. *Rumpimus.*] Propter illud, *Continuo puppes abrumpunt vincula ripis.* Idem.

Rumpimus.] In codicibus aliquot antiquis, omnino *rumpimus* habetur. Sed in Mediceo, & plerisque aliis *rupimus* præterito tempore. *Pierius.*

Rumpimus.] Alludit ad morem nautarum, qui in summa festinantia non solvebant funes nauticos, sed rumpebant. Sic in 4. *strictoque ferit retinacula ferro.* & in 3. propter metum Cyclopis, *tacitique incidere funem.* Valer. 1. Arg.

—— ardenti Æsonides retinacula ferro
Abscidit. ——

Lucanus lib. 4. *vincula ferro rumpere conatus.* & lib. 5.

Rumpite quæ retinent felices vincula proras. Cerda.

Invitæ.] Ac si diceret, malueramus tibi potius servire, quam in Nympharum numina commutari. *Servius.*

Teque per æquor Quærimus.] Id est, hæc nobis vagandi causa est, ut te invenire possimus. *Idem.*

234. *Refecit.*] Aut vacat *re*: aut quia ante navium amiserant formam, ergo alteram fecit. *Idem.*

235. *Et dedit esse deas.*] Græca figura: ut, *Donat habere viro.* Idem.

Ævum.] Immortalem. *Idem.*

Agitare.] Διάγειν, hoc est, agere. *Idem.*

236. *Tenetur.*] Verbum militare. Stat. 3. Theb. *ceu muris, valloque tenent.* Cerda.

238. *Jam loca jussa tenet.*] Ut & supra diximus, hoc κατὰ τὸ σιωπώμενον accipiendum est. nam intelligimus equites eum misisse per terram. *Servius.*

Jam loca jussa tenet forti permixtus Etrusco Arcas eques.] Enodavi hoc 8. Æneid. & hic adhuc clarius. Tripliciter copias suas Æneas divisit. Imprimis cum esset apud Euandrum, & antequam perveniret ad Tarchontem, & Hetruscos, divisit Trojanos à Trojanis: inde

Arcas eques. medias illis opponere turmas,
Ne castris jungant, certa est sententia Turno.
Surge age, & Aurora socios veniente vocari
Primus in arma jube, & clipeum cape: quem dedit ipse
Invictum ignipotens, atque oras ambiit auro.
Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris,

Ingen-

inde lib. 8.

Post hinc ad naves graditur, sociosque revisit,
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstantes virtute legit: pars cetera prona
Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.

Deinde itum est ad Tarchontem, & Hetruscos cum omnibus Arcadibus, & cum parte Trojanorum superstite, ac tunc Æneas divisit partem Arcadum, & Hetruscorum, quos ad Ascanium præmisit, unde procedunt hæc hujus loci,

Jam loca jussa tenet forti permistus Hetrusco
Arcas eques. ——

Loquitur enim hoc Cymodocea antequam Æneas descenderet. Restat tertia pars copiarum; hanc secum Æneas ductabat navibus permistam ex Arcadibus, ex Hetruscis, ex Trojanis. Duces erant, Arcadum Pallas: Hetruscorum Tarchon: Trojanorum Æneas; cui tamen Pallas, & Tarchon principatum dederant. *Cerda.*

239. *Arcas eques.*] Equitem Arcadiæ etiam celebrat Stat. 5. Theb. *monitu ducis advolat ardens Arcas eques.* Itáque Arcades equis, ut plurimum, pugnaces. Inde infra;

Arcadas insuetos acies inferre pedestres.

Firmat hoc Pausaniæ auctoritas, qui lib. 8. ita scribit: ἐπὶ τύτῳ ἢ ἐδὲ σφίσιν Α'ρκάδων πρώτοις ἵππειον Ποσειδῶνα ὀνομασθῆναι. *Idem.*

240. *Ne castris jungant.*] Aut *se* subaudis: aut *jungant* pro *jungantur.* Serv.

Ne castris jungant.] Quippe utile hostem distrahi, ne vires jungat. Tacit. 1. Annal. de Germanico: *Et, ne bellum mole una ingrueret, Cæcinam cum quadraginta cohortibus Romanis, distrahendo hosti, per Bructeros ad flumen Amisiam mittit.* Cæsar 1. Gall. *Quibus rebus Cæsar vehementer commotus, maturandum sibi existimavit, ne, si nova manus Suevorum cum veteribus copiis Ariovisti se conjunxisset, minus facile resisti posset.* Cerda.

241. *Surge.*] Sedentem excitat non dormientem. *Donatus.*

Aurora.] Antequam plene veniat lux. *Idem.*

Socios veniente vocari.] Antiquo verbo militiæ usus est, viros enim vocari significat eos, qui necessitate in bellum, non voluntate conveniunt. *Servius.*

242. *Primus in arma.*] Sunt codices antiqui, ubi *pronus in arma* sit scriptum. Sed *primus* castior lectio. *Pierius.*

Quem dedit ipse.] In codicibus aliquot antiquis legere est, *quem dedit ingens.* Sed *ipse* magis placet, & pondus habet. *Idem.*

Quem dedit.] 8. Æn. ☩ſ. 613. *Taubm.*

243. *Invictum.*] Uno verbo reddidit multa Hesiodi, qui de scuto Herculis,

—— οὐδέ τις αὐτὸ
Οὔτ' ἔρρηξε βαλὼν, οὔτ' ἔθλασε· ——

Cerda.

Ignipotens.] Vide lib. 8. *Idem.*

244. *Crastina lux.*] Deest *veniat*, hoc est, crastina lux veniat tantum, & *Crastina lux*, si ad Æneam referas, spectabis, & non irrita dicta putaris, & *crastina lux*, subaudiendum, *cum venerit*: si autem ad lucem, *spectabit* legas: *Crastina lux*, suspendendum quidam.* *S.*

 245. *Spe-*

Ingentes Rutulæ ſpectabit cædis acervos.
Dixerat: & dextra diſcedens inpulit altam,
Haud ignara modi, puppim. fugit illa per undas
Ocior & jaculo & ventos æquante ſagitta.
Inde aliæ celerant curſus. ſtupet inſcius ipſe
Tros Anchiſiades: animos tamen omine tollit.
Tum breviter ſupera aſpectans convexa precatur:
Alma parens Idæa deûm, cui Dindyma cordi,
Turri-

245. *Spectabit cædis acervos.*] Hæc eſt vera lectio: & ordo eſt, Si mea dicta irrita non putaris, craſtina lux ingenteis acervos cædis videbit. nam male quidam *ſpectabis* legunt, & ad *lucem* referunt: quod non procedit. nullus enim ſic loquitur, ô Ænea, ſi quæ dico minime credis, ô lux craſtina ingenteis cædis acervos videbis. Alii more antiquo *lux* pro *luce* accipiunt. Lucilius in tertio, *Hinc media remis Palinurum pervenio nox.* Pro *nocte*. Longus ait, *Deeſt venerit.* Unde & ipſe *ſpectabis* legit. *Serv.*

Spectabit acervos.] Prædixit futura ut dea appareret. *Donatus.*

Cædis acervos.] Stat. 5. Theb. *ingentem nocturnæ cædis acervum.* Valer. 3. Arg. vocat *aggeres* eo verſu:

At vero in mediis exſangui Rege reperto
Aggeribus. —— Cerda.

246. *Dextra diſcedens inpulit.*] Mire *diſcedens*, adjuvatur enim pulſus, recedente eo, qui impulerit. *Servius.*

247. *Haud ignara modi.*] Impulit navem libramento peritiæ & moderationis, quippe quæ navis fuerat. *Idem.*

Fugit.] Pro velociter poſuit. *Idem.*

248. *Ocior & jaculo.*] Breviter tribus comparavit, quoniam & ſagittam ventis æquavit. *Idem.*

Ocior & jaculo, &c.] Ita ludunt Poëtæ, quibus placent παράδοξα. De Delphinis Oppian. 2. Hal ait, illos volare, διὰ γὰρ, βέλος ὥστε, θάλασσαν· *inſtar teli per mare.* & lib. 1. ἔσσυτο θᾶσσον ὀϊστοῦ· *ruit ocyus jaculo.* Sed Poëta, ut credo, totum hunc locum hauſit ex imitatione Tryphiodori, quod mihi fit credibile; nam Nympha impulit manu navem, quæ ſtatim abiit celerior ſagitta; Græci locus ita habet:

—— βιῇ δ᾽ ἐπέρεισεν Ἀθλὼν,
Χεῖρας ἐπιβρίσασα εὐγλυφέων ἐπὶ μηρῶν,
Ὡς δ᾽ ἢ θεῶν ἀκίχητος ἐπέδραμε θᾶσσον ὀϊστοῦ.

Non diſſident à loco Virgilii verſus Statii 6. Theb. ubi de velociſſimis curſoribus,

—— *credas è plebe Cydonum,*
Parthorumque, fuga totidem exiluiſſe ſagittas.

Et ſupra de quodam curſore dixerat, majore incremento, poſſe *emiſſum curſu deprendere telum.* Cerda.

249. *Inde aliæ celerant curſus.*] Hoc eſt, inde aliæ Nymphæ aliarum navium curſus efficiunt celeriores, ſicut fecerat Cymodocea. An aliæ naves? *Servius.*

Inſcius.] Id eſt, rerum quas audierat. Nam credere ex aperto non poterat. *Idem.*

250. *Omine.*] Augurio promiſſæ victoriæ. *Idem.*

Animos tollit.] Audierat à nympha etiam adverſa. ergo non lætabatur, ſed quia plura nunciabantur, proſpera attollebant animos. *Donatus.*

251. *Supera aſpectans.*] In nonnullis codicibus antiquis *ſpectans* legitur. Sed magis placet *adſpectans.* Pierius.

Convexa.] Hic *convexa* epitheton eſt, quia ait, *Supera convexa*: alibi ſolum *convexa* principale eſt. *Servius.*

252. *Alma parens Idæa deûm.*] Alma

Turrigeræque urbes, bijugique ad frena leones;
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.
Tantum effatus: & interea revoluta ruebat
Matura jam luce dies, noctemque fugarat.

Prin-ma proprie tellus est, ab eo quod nos alat: abusive etiam aliis numinibus hoc epitheton datur. Terram autem ipsam constat esse matrem deûm. Unde & simulacrum ejus cum clavi pingitur. Nam terra aperitur verno: hyemali clauditur tempore. *Idem.*

Alma parens Idæa.] Ex iis tribus nominibus captavit benevolentiam. *Donatus.*

Dindyma.] Mons Phrygiæ. *Servius.*

Cui Dindyma, &c.] Æn. 9. ℣ſ. 618. & 6. Æn. ℣ſ. 784. *Taubm.*

253. *Turrigeræque urbes.*] Civitates turritæ, quas terra gerit. Unde cum turrita corona Mater deûm pingitur. *Servius.*

Turrigeræque urbes.] Inde hæc Dea πυργοφόρος. & de illa Ovid. 6. Fast.

Turrigera frontem Cybele redimita corona. Et 4.

Aut cur turrifera caput est onerata corona;
An primis turres urbibus illa dedit?

Propert. lib. 4. Eleg. ult.

Claudia turritæ rara ministra Deæ.

Claud. de Rap. *turrigeram Cybelem.* Ovid. 2. Trist. *Turrigeræ Opi.* Cerda.

Turrigeræque urbes.] Unde & *Cybele* sive *Terra*, quæ *mater deûm* est, cum corona turrita pingitur; ut & clave, qua terra Vere aperitur, & hyeme clauditur Propert.

Vertice turrigero juxta dea magna Cybelle.

Vide Serv. 3. Æn. ℣ſ. 113. & Ant. Verderium *De Imaginib. deorum.* Taubm.

Ad frena leones.] Ideo hoc fingitur, quod omnis feritas maternæ subjacet affectioni. Figurate autem leones ad frena bijugi, id est, frenati leones. *Servius.*

Bijugique ad frena leones.] Lucret. l. 2. ita de Cybele canit:

Hanc veteres Grajum docti cecinere poëtæ
Sedibus in curru bijugos agitare leones.

Ursinus.

Ad frena leones.] Id est, domiti & frenum patientes: *Turn.* V. N. Æn. 9. ℣ſ. 648. Ita Ovid. 10. Met. Fab. 17.

Dente premunt domito Cybeleïa frena leones. Taubm.

254. *Propinques.*] Facilius efficias, prosperes, matures, propitium facias: ut, *Et propius res aspice nostras.* Servius.

Propinques augurium.] Quid sit *propinquare augurium*, nemo melius Statio explicat, qui reddit eandem sententiam 3. Theb. per verbum *amico*, cum ait,

Ac prior Æclides solita prece Numen amicat. Cerda.

255. *Phrygibusque adsis.*] Ac si diceret, cultoribus tuis. *Servius.*

Adsis pede secundo.] Æn. 8.

— & tua dexter adi pede sacra secundo.

Taubm.

256. *Tantum effatus.*] Breviter ut supra dixit, propter lucem jam maturam, id est, plenam. Nam nec crepusculum, sed lux jam matura describitur. *Servius.*

Revoluta.] Id est, aperta: sicut è contrario quod involvitur clausum est. *Idem.*

Ruebat.] Non occidebat, sed oriebatur, cum impetu veniebat, quia per orbem: ut, *Et ruit Oceano nox:* Est autem hysteroproteron in sensu. ante enim est ut nox fugetur: & sic lux adveniet. *Idem.*

257. *Matura.*] Multa, quasi tempestiva, & quam jam esse oportebat, aut satis plena & clara. *Idem.*

Matura luce.] Locutio ducitur à fru-

 ctibus.

Principio ſociis edicit, ſigna ſequantur,
Atque animos aptent armis, pugnæque parent ſe.
Jamque in conſpectu Teucros habet, & ſua caſtra,
Stans celſa in puppi: clipeum cum deinde ſiniſtra
Extulit ardentem. clamorem ad ſidera tollunt
Dardanidæ è muris. ſpes addita ſuſciat iras.
Tela manu jaciunt: quales ſub nubibus atris
Stry-

ctibus. Simili locutione Lucret. lib. 4. *Semen ubi ipſa dies membris matura creavit.*

Et Tibull. l. 4. *ſeu matura dies.* Cerda.

Noctemque fugarat.] Stat. etiam in ortu diei lib. 3. Theb. *fugientibus aſtris.* Ovid. 8. Metamorph. *noctiſque fugante tempora Lucifero.* Noſter alibi, *ſtellas oriente fugarat orta dies.* Euripid. in Ione, Ἐὼς διώκουσ᾽ ἄστρα· *aurora pellens aſtra.* Idem.

258. *Sociis edicit.*] Secundum edicta Nymphæ. *Servius.*

Edicit.] Eſt *edicere*, cum auctoritate aliquid curandum jubere. *Donatus.*

Edicit.] Militare verbum. Livius lib. 12. ore Annibalis: *Primo vere edico adſitis.* & lib. 22. *legionibus ſcriptis Tybur diem ad conveniendum edixit.* Silius lib. 3. *extemplo edicit convellere ſigna.* Spartian. in Avidio: *Ad ſigna edici juſſit.* Cerda.

Signa ſequantur.] Nunquid literarum figuram faciunt pervolutam? *Signa ſequantur*: vel tubarum, vel teſſeræ, vel re vera ſigna militaria. *Servius.*

261. *Clypeum tum deinde ſiniſtra, &c.*] In antiquis pleriſque codicibus, *clipeum cum*, & *quom* legitur: hoc eſt, *quom inde extulit clipeum, Dardaniæ clamorem tollunt.* Altera tamen lectio per diſſoluta membra magis poëtica eſt. *Pierius.*

Clipeum ardentem.] Valer. 1. Arg. *& parmæ luce coruſcum.* Calab. lib. 1. dat Pentheſileæ ἀσπίδα δίαν ἀλίγκιον. & ſtatim Poëtæ, *umbo vomit aureus ignes.* Nonn. lib. 30.

Ὀμφαλὸν ἀστράπτοντα πυριβλήτοιο βοείης·

Umbonem fulminantem ſcuti, à quo jactatæ flammæ. Cerda.

262. *Clamorem ad ſidera tollunt.*] Ad excitandos ſuos, ad terrendos hoſtes. Julius 3. Civil. *clamorem univerſi tollerent, quibus rebus & hoſtes terreri, & ſuos excitari exiſtimaverunt.* Curt. lib. 3. *jam in conſpectu, ſed extra teli jactum utraque acies erat, cum priores Perſæ inconditum & trucem ſuſtulere clamorem.* Peſſime hoc Perſæ. Audi Veget. ita ſcribentem cap. 18. lib. 3. *Clamor autem* (quem barritum vocant) *prius non debet attolli, quam acies utraque ſe junxerit. Imperatorum enim, vel ignavorum eſt, vociferari de longe: cum hoſtes magis terreantur, ſi cum telorum ictu clamoris horror acceſſerit.* Ex diſciplina ergo militari Virgilius poſt editum clamorem ſubjicit, *Tela manu jaciunt.* Hunc clamorem appellari *barbaricum* & *barritum*, ſeu *baritum*, jam Lipſius aſtruxit lib. 4. Mil. Rom. dial. 11. Sed neſcio cur ille *barritum* contruſerit ad Germanos, ad vocem videlicet *baeren*, cum *barritus* vere à *barris* ſit. Vide de vociferatione c. 7. l. 3. Gymnaſt. Mercurialis. *C.*

263. *Dardanidæ è muris, &c.*] Oſtendit quid poſſit ſpes: nam qui metu fugiebant, nunc ſpe in hoſtes inſurgunt. *Donatus.*

Dardanidæ è muris.] In Romano codice, *Dardanidæ muris*, abſque *è* particula legitur adverbialiter. Reliqua exemplaria *è muris* habent. Eamque lectionem agnoſcit Probus, ubi fieri ſynalœpham ait, quum diphthongus in ſimplicem longam cadit, hoc exemplo. *Pierius.*

264. *Tela manu jaciunt.*] Aut ex Ennio, qui

Strymoniæ dant ſigna grues, atque æthera tranant
Cum ſonitu, fugiuntque notos clamore ſecundo.
At Rutulo regi ducibuſque ea mira videri
Auſoniis; donec verſas ad litora puppes

Reſpi-

qui 15. Ann. *Iſtri tela manu jacientes.* aut ex Homer. qui 12. Iliad. ἀκοντίζουσι θαμειὰς αἰχμὰς ἐκ χειρῶν· *Jaculantur è manibus crebro ſpicula.* Notet Grammaticus ſubaudiendam in Latinis præpoſitionem; nam Homer. ἐκ χειρῶν. *Cerda.*

Quales ſub nubibus atris.] Id eſt, altis modo. *Servius.*

265. *Strymoniæ grues.*] A fluvio Thraciæ Strymone, juxta quem habitant. Hæc autem comparatio non ad telorum pertinet jactum, ſed ad Trojanorum clamorem.

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς
Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό,
Αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον
Κλαγγῇ ταίγε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων. *Servius.*

Strymoniæ dant ſigna grues, &c.] Lucan. lib. 5. ita canit,

Strymona ſic gelidum bruma pellente relinquunt
Poturæ te Nile grues: primoque volatu
Effingunt varias caſu monſtrante figuras.
Mox ubi percuſſit tenſas Notus altior alas,
Confuſos temere immiſtæ glomerantur in orbes,
Et turbata perit diſperſis litera pennis.

Claudian. de Bell. Gildon. aſpirans ad Lucanum, ita ait:

Pendula ceu parvis moturæ bella colonis
Ingenti clangore grues, æſtiva relinquunt
Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo,
Ordinibus variis per nubila texitur ingens
Litera, pennarumque notis inſcribitur aër.

Neſcio vero an apte notet Servius comparationem Virgilii referendam ad clamorem Trojanorum, non ad multitudinem telorum, cum æque ad utrunque poſſit referri: & quidem apud Nonnum lib. 14. Dionyſ. ad utrunque refertur, cum ſcribit,

Κλαγγῇ μὲν ζοφόεντες ἐπὶ κλόνον ἤϊον Ἰνδοὶ,
Θρηϊκίοις γεράνοισιν ἐοικότες, οἵ τε φυγοῦσαι
Χειμερίην μάστιγα, καὶ αἰθερίην χύσιν ὄμβρου
Πυγμαίων ἀγελήδὸν ἐπαΐσσουσι κορύμβοις. *Cerda.*

Strymoniæ dant ſigna grues, &c.] Indicat loca, à quibus & ad quæ *grues* migrant. Vid. omnino Plin. Hiſt. Nat. l. 10. c. 23. & de eorum cum Pygmæis pugna l. 7. c. 2. Ut autem hic *Strymoniæ*, ſic quoque ſupra libr. 1. Georg. ℣ſ. 120. quem locum vide. *Emmeneſſ.*

Æquora tranant.] Sic 4. Æn.

—— *nubila tranat.*

Ita, *Nare apes ad ſidera cœli*, dixit. Claud. De Raptu, de Draconibus:

Nunc ſpiris Zephyros tranant.

Contra, *Volare*, de navibus, 3. Æn. Scal. l. 4. c. 16. V. N. Æn. 1. ℣ſ. 224.

—— *& mare velivolum.* Taubm.

266. *Fugiuntque notos.*] Aut quoſvis ventos frigidos. nam etiam & grues ſignificant tempeſtatem futuram: ut oſtendit ipſe Virgilius dicens, *Aut illum ſurgentem vallibus imis Aëriæ fugere grues.* Aut re vera *notos*: horum enim calorem fugiunt, cum revertuntur ad Macedoniam ex Ægypto. *Servius.*

Secundo.] Num læto? Trojanorum clamor ex gaudio. *Servius.*

267. *At Rutulo regi, &c.*] Hi enim in plano conſtituti, videre Æneam non poterant. *Donatus.*

269. *Adlabi*

Reſpiciunt, totumque adlabi claſſibus æquor.
Ardet apex capiti, criſtiſque à vertice flamma
Fun-

269. *Adlabi claßibus æquor.*] Labi cum claſſibus, aut æquore claſſem labi. quidam ita exponunt, & hoc ad phantaſiam Rutulorum referunt, quoniam, admirantibus his, unde tanta fiducia animo Trojanorum inceſſiſſet, repentina facies multarum adpropinquantium perinde viſa eſt, atque ſi ipſum æquor cum claſſibus allaberetur. *Servius.*

Totumque adlabi, &c.] Moraliter quidem: nam repentino turbatis motu omnia majora videntur. *Donatus.*

Adlabi claßibus æquor.] Non eſt paſſive poſitum, *Allabi:* Sed eſt attributio, ait Scalig. lib. 4, 16. Servius: Æquor cum claſſibus allabi. Alii hypallagen faciunt: *pro* Claſſes allabi toto æquore. Turneb. l. 29. c. 24. *Allabi, appellere*, & *applicare*, ad litus pertinere, ait. *Taubm.*

270. *Ardet apex capiti.*] Ex ſequentibus intelligimus Æneæ armorum fieri deſcriptionem. nam dicturus eſt, *At non audaci Turno fiducia ceßit:* licet talia arma conſpiceret. Si tamen primam reſpicias connexionem, quaſi de Turno videtur dicere: quod non procedit. *Apicem* tamen modo coni altitudinem dicit. Eſt autem Homeri & locus & comparatio.

Παμφαίνονθ' ὥς τ' ἀστέρ' ἐπεσσύμενον πεδίοιο
Ὅς ῥά τ' ὀμώρης εἶσιν. ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ
Φαίνονται. πολλοῖσι μετ' ἄστρασι νυκτὸς ἀμολγῷ,
Ὅντε κύν' ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν
Λαμπρότατος μὲν ὅγ' ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται,
Καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν.

Hoc autem iſte violentius poſuit: quod ille tantum ſtellæ facit comparationem: hic etiam ſtellæ peſtiferæ, reſpiciens quaſi clades Rutulis illaturus Æneas. Poſſumus tamen *Apex capiti* accipere utrumque eum fuiſſe complexum, cum dicit, *Ardet apex capiti, criſtiſque à vertice flamma Funditur*, & ſacerdotis per apicem & viri fortis facere mentionem: dicitur autem *apex* virga, quæ in ſummo pileûm Flaminum lana circumdata & filo conligata erat, unde etiam flamines vocabantur. Hoc autem nomen à veteribus tractum eſt, *Apere* enim veteres ritus Flaminum adligare dicebant, unde *apicem* dictum volunt. *Servius.*

Ardet apex capiti.] In Romano codice, *capitis* legitur. Sed enim magis placet *capiti* dativo caſu. *Pierius.*

Ardet apex.] Innuitur apex fuiſſe aureus, ardor enim κατ' ἐξοχὴν de auro. Valer. Flacc. 5. Arg. *inſignis quo baltheus arſerit auro.* Sic ſupra clypeum Æneæ *ardentem* dixit, in quo multa aurea, ut liquidum ex l. 8. in eo enim clypeo ibat maris *imago aurea.* Item, *auroque effulgere fluctus.* Stat. 4. Theb. in ſimili pictura, *fulvo moriens igneſcit in auro.* Ubi, quod Virg. *ardet*, ille, *igneſcit.* Eodem lib. *Igneus ante omnes auro micat.* Inde & fortaſſe aurea fuit chlamys Caſtoris, & Pollucis, de qua idem lib. 5. Theb. *chlamys huic, chlamys ardet & illi.* Porro ab integro hoc Maronis perluſtrato loco Claudian. de Bell. Get. ita cecinit:

Donec pulvereo ſub turbine ſyderis inſtar
Emicuit Stiliconis apex, & cognita fulſit
Canicies. ———

Inſtitit etiam Claudianus verſibus Homeri iſtis 5. Iliad.

Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,
Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ὠκεανοῖο. &c. *Cerda.*

Ardet apex capiti.] Damnat hæc oculatiſſimus explorator Macrob. l. 5. c. 13.
ac ſi

Funditur, & vastos umbo vomit aureus ignes:
Non secus, ac liquida si quando nocte cometæ
San-

ac si immodice usus sit Homeri exemplo, de Diomedis armis. Sed contra Jov. Pontanus, in *Antonio* p. 149. ut & Scalig. l. 5. c. 3. p. 575. ista acerrime tuentur. *Apex* autem hic coni altitudo est. *Taubm.*

Cristisque à vertice flamma Funditur.] Confusus nimium ordo, nisi vetera succurrerent exemplaria, ut antiquissimum illud Romanis literis perscriptum, in quo legere est, *cristisque ac vertice flamma funditur.* ita etiam in Mediceo. In aliquot aliis veteribus, *cristis ac vertice* legitur, absque *que*. Utrumlibet ex his magis placet, quam à *vertice.* Pierius.

Cristis.] Legi posse *tristis* ex Faërno Ursinus notat. Sed defendi potest vulgaris lectio, ut cristas fuisse aureas intelligat: nam ab auro illarum flammæ. Calab. lib. 1. loquens de Penthesilea,

— ἀμφὶ δὲ κρατὶ
Θῆκε κομόωσαν ἐθείρῃσι χρυσείῃσιν.

Quid si Plutar. in vita Sertorii, cum dixit, χρυσῷ κράνη κατεκόσμει· *galeas auro exornavit*, intellexit, non auratas fuisse galeas, sed exornatas aureis cristis? Ita & capiendus Nonnus lib. 30. ubi de duce Indorum, in quibus aurum effatim, ait,

Καὶ κυνέης σελάγιζεν ὑπὲρ λόφον ἀλλομένη φλόξ.

Iterum post pauca:

Καὶ σέλας ἠερόφοιτον ἀναπτομένης τρυφαλείης. *Cerda.*

271. *Et vastos umbo vomit aureus ignes.*] In antiquis nonnullis codd *æreus* legitur. Sed *aureus* rem magnifice magis amplificat. Et inferius, ubi Æneas congreditur cum Mezentio, idem habetur, *Sed sustinet aureus umbo.* Sciendum vero in eadem dictione eandem esse lectionis varietatem apud Livium l. 8. de bello Macedonico. *Et x11. clypea ærata ab ædil. Cur. P. Claudio, & P. Sulpitio Galba sunt posita*, quod in emendatioribus exemplaribus *aurata* legitur. *Pierius.*

272. *Cometæ Sanguinei lugubre rubent.*] Pro lugubriter. *Cometas* autem Latina lingua Crinitas appellamus. Has autem stellas Stoici ultra triginta duas esse dicunt: quarum nomina & effectus Abienus commemorat, qui Virgilii fabulas jam bis scripsit. Plinius etiam secundus dicit, *Cometas* stellas esse naturales, quæ apparent certis temporibus. Ita hoc quoque commemorat *cometas* fieri de planetis quinque: unde interdum bona, interdum pessima significant. nam si de Venere aut Jove fiant, meliora significant: si de Marte aut Saturno, deteriora. Nam Mercurius semper talis est, qualis ille cui cohæret. Unde & minister deorum fingitur: hinc est ergo quod ait modo, *Cometæ sanguinei*, id est, noxii. Hanc stellam Electram dicunt, cum qua Juppiter concubuit, quæ cum Trojam ardentem videret, capillum lacerabat, atque ita in astra est recepta. Sane Abienus cometarum has differentias dicit, stella quæ obliquam facem post se trahens quasi crinem facit Ippius vocatur: ista si ab occasu Solis in ortum veniat, mala Persidi & Syriæ ostendit; si ad meridiem attenderit, Africam & Ægyptum à malis revelat, solis pecoribus pestem denuntians: Si Septentrionem respexerit, Ægyptum bellis & miseriis premit. Si occidentem attenderit, gravat Italiam, & quidquid ab Italia usque ad Hispanias tendit: Si à meridie in septentrionem ierit, à bellis quidem externis securitatem denuntiat, sed seditiones domesticas significat. Alter Cometes est, cui ex gladio nomen est, nam Græce ξίφος appellatur, cujus tractus est longior, & pallidus color, neque comas habere dicitur, & hebetior ejus flamma est, qui si orientem adtenderit, Regem Persidis dolis significat appetendum, denuntiavit & bella,

Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor:

Ille

bella, etiam Syrios pari conditione involvit, & Libyam atque Ægyptum fraude & insidiis nuntiet posse * laborem: Quod si occidentem attenderit, fœdera nova regionis ejus regi significat, quæ dicit per puellam congregatam in nuptias posse dissolvi. Alter Cometes est, qui Lampas appellatur, & quasi fax lucet, hic cum orientem attenderit, omnes illas orientis partes dicit nebulis posse laborare, frugesque eorum caliginoso aëre corrumpi: Si meridiem attenderit, Africam dicit siccitate, & serpentibus posse laborare: Si occidentem spectaverit, Italiam dicit adsiduis fluminum inundationibus laborare: Si septentrionem viderit, famem gentibus Septentrionalibus significat. Est etiam alter Cometes, qui vere *Cometes* appellatur. Nam comis hinc inde cingitur. Hic blandus esse dicitur, qui si orientem attenderit, lætas res ipsi parti significat: Si meridiem, Africæ aut Ægypto gaudia; si occidentem inspexerit, terra Italiæ voti sui compos erit, hic dicitur apparuisse eo tempore, quo est Augustus sortitus imperium; tunc denique gaudia omnibus gentibus futura sunt nuntiata: Si septentrionem attenderit, prospera universa significat. Est alter *Cometes* in tympani modum, quia & valde lucet, & electri colorem habet, quem Disceum vocant, quoniam iste ex uno locon * sol & gignit orbi terrarum cædes, rapinas, bella, & cætera mala significat. Sextum *Cometem* appellari ex Regis Typhonis nomine Typhonem dicunt, qui semel in Ægypto sit visus, qui non igneo, sed sanguineo rubore fuisse narratur, globus ei modicus dicitur & tumens, crinem ejus tenui lumine apparere fertur, qui in Septentrionis parte aliquando fuisse dicitur: Hunc Æthiopes dicuntur & Persæ vidisse, & omni * malorum & fames necessitatis pertulisse, quarum plena vel in pleniores differentias, vel in Campestro, vel peto siri, siquem * delectaverit quærat. *Servius.*

273. *Sirius ardor.*] Sirius stella est in ore canis: quæ ut in tertio diximus, quantum in ipsa est pestifera est: & pro qualitate adjacentium aut vincitur, aut majoribus utitur viribus. hinc est quod cum certo tempore oriatur semper, non semper est noxia. Sed secundum Physiologicos, id circa caloris sidus putatur, quod Ida malignam vim habet, nam quod natura inimicum morem habeat propterea fieri ut ægro aquam hauriat ad restinguendam sitim. nam ideo eos, qui rabidi canis morsu continguntur, aquam refugere, & ni cito subveniatur, perire siti, quia nisus ejus animalis, quod contrarium ori sit, similiter in corpore humano sæviat. *Idem.*

Sirius ardor.] Fortasse ab Apollon. qui lib. 3.

Α'υτὰρ ὅχ' ἐ μετὰ δηρὸν ἐελδομένῃ ἐφάνθη
Υ'ψόσ' ἀναθρώσκων, ἅτε σείριος ὠκεανοῖο
Ο῝ς δή τοι καλὸς μὲν ἀρίζηλος τ' ἐσιδέσθαι
Α'ντέλλει, μήλοισι δ' ἐν ἄσπετον ἧκεν ὀϊζύν.

Maleficam hanc Sirii naturam Hom. etiam indicat 22. Iliad. ℣s. 29. Ejusdem sideris pernicies apparet ex versibus Oppiani lib. 3. ℣s. 322. Sed quæ stella *Sirius*? Video à multis absolute vocari *canem*, aut *caniculam*, aut *canem sirium*, aut *ardorem sirium*. Cicero ab Arato vocat *προκύονα*, *procyonem*. Sed certe procyon & Sirius non eadem stella, ut Zetzes probat, cum una oriatur prior alia. In situ eadem discrepantia; alii enim constituunt in capite canis, alii in ore, alii in lingua. Veritas est, sidus integrum (quod Latini minus recte dicunt *stellam canis*) dici à Græcis *ἀστροκύονα*. Habet vero *ἀστροκύων* duas præcipue stellas, unam in capite, quæ Isis dicitur, alteram in lingua, quæ

Sirius,

Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris
Nascitur, & lævo contristat lumine cælum.
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora præcipere, & venientis pellere terra.
[Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:]
Quod votis optastis, adest, perfringere dextra:

In

Sirius, aut canis, aut canicula. Inde Statius lib. 1. Silv. *nec calido latravit Sirius astro.* Scio hæc mire turbata in auctoribus, adhuc in ipsis Astrologis; sed quæ dixi certiora sunt. Et quidem Ptolomæus in lingua canis agnoscit Sirium, non in capite, ut Hyginus. Tu vide præter Plinium, & veteres alios, Hadrianum Junium cap. 5. lib. 1. Animadvers. & Delrium in Oedip. in novis Comment. ad Senecam. In Junio de Sothide non indigna scitu. *Cerda.*

Sirius ardor.] Pro, *ardore Sirii.* Sic dicta est hæc stella ἀπὸ τοῦ σειριᾶν, ab insigni luce & splendore. Aratus

— ὅς ῥα μάλιστα
Ὀξέα σειριάει.

id est, acutissime splendet. Hyginus: *Sirion appellasse propter flammæ candorem, quod ejusmodi sit, ut præter ceteras lucere videatur.* Vide Salmasium in Solin. pag. 429. *Emmeness.*

274. *Ille.*] *Ille*, elegantissime redundat, auctore Turnebo: ut & 1. Æn. vs. 7.

Multum ille & terris, &c.
Taubmannus.

Sitim morbosque ferens.] Stellam pestiferam ponit; respiciens ad cladem, quam illaturus esset Rutulis Æneas. Idem per Cometam, vs. 272. itemque grues vs. 265. innuit. Gruum enim clangor tempestatem significat, ut est 1. G. De *Sirio* morbifero & *morbo solstitiali*, aliquid etiam diximus in *Comment. nostro Plautino*, Trin. act. 2. sc. 4. *Idem.*

275. *Lævo.*] Noxio hic, ut *Si mens non læva fuisset:* alibi pro bono, ut IIII. Georg. *Si quem numina læva sinunt.* An potius *lævo*, noxio: quia canis circa Austrum est, & Astrologi notitia, quæ sunt in cœlo, sinistra vocant? quod autem ait, *Contristat lumine*. Cum de stella loqueretur quam armis splendentibus comparavit, bene hoc Statius ad ipsa arma transtulit, dicens, *Armaque in auro Tristia.* Servius.

277. *Litora præripere.*] Pro præripiendi & depellendi. *Idem.*

Litora præripere.] In antiquioribus codicibus legitur *litora præcipere:* Id vero significat, Capere ante locum: quod in historiis frequens, & apud Livium lib. 11. tertiæ Decadis, ubi passim legitur de Annibale effugium meditante, *Dum ipse longius spatium fuga præriperet.* antiquiores codices habent *præciperet.* Et eodem modo libro primæ Decadis sexto, ubi legitur, *Nobiles homines in possessionem agri publici grassari: nec, nisi antequam omnia præripiant, divisus sit, locum ibi plebi fore.* In antiquo codice, *Nisi antequam omnia præcipiant* scriptum est. *Pierius.*

Litora præripere.] Quod scriptores in re simili *occupare* dicunt aut *præoccupare*, Poëta eleganter *præripere.* Gifan. vult in Virg. legendum ex libr. vetere *præcipere*, & quia Sallust. dixit in re simili, *mons præceptus à Lusitanis*, id est, præoccupatus. Sic Virg. *si lac præceperit æstus.* & Lucret. lib. 6.

Propterea quia nimirum prius æstus ubi æris
Præcepit, ferrique vias possedit apertas.

Censeo tamen nihil in Virg. mutandum; nam mire dictum *præripere*, ad indicandam celeritatem. *Cerda.*

279. *Quod votis optastis, adest.*] Magna ars persuadentis est, ut quod cupit

fieri,

In manibus Mars ipſe, viri. nunc conjugis eſto
Quiſque ſuæ tectique memor: nunc magna referto
Facta patrum, laudes. ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egreſſiſque labant veſtigia prima.
Audentes Fortuna juvat.

Hęc

fieri, in præjudicium trahat hoc loco: quia vult Turnus ut optent pugnam ejus ſocii, dicit eos hanc ſemper optaſſe. *Servius.*

Perſtringere dextra.] Fortiter facere, & bene verbo uſus eſt militari. *Idem.*

280. *In manibus.*] Non jam in votis, ſed in manibus eſt res. *Idem.*

Eſto.] Pro *Sit:* tertia namque perſona eſt. *Idem.*

In manibus Mars ipſe viris.] Romanus codex, & alia quædam vetera exemplaria, *viri* legunt vocandi caſu. Sed neque diſplicet *viris*, hoc eſt. iis, qui *viri* erunt, *Mars* favebit. *Pierius.*

In manibus Mars ipſe, viri.] Quod votis ſemper optaſtis, ut pugnaretis, nunc contigit: ecce in manibus Mars, & præſens jam nunc pugna eſt; Lipſius: Vide Var. l. 3. c. 13. Ita Sillius,

— ſtat campus & arma,
Et Mars in manibus.

Huic contrarium, ℣ſ. 372: *Mars in pedibus. Æn.* 11. *Mars in lingua.* Taubm.

Nunc conjugis eſto, &c.] Hi quoque verſus videntur tralati ex Homero Il. ο. ſub Neſtoris perſona: ὦ φίλοι ἀνέρες ἐστὲ, καὶ αἰδῶ θέσθ' ἐνὶ θυμῷ ἄλλων ἀνθρώπων, ἐπὶ δὲ μνήσασθε ἕκαστος παίδων, ἠδ' ἀλόχων, καὶ κτήσιος, ἠδὲ τοκήων. Quibus concentu magno reſpondent & hi apud Æſch. in Perſ. ὦ παῖδες Ἑλλήνων ἴτε, ἐλευθεροῦτε πατρίδ', ἐλευθεροῦτε δὲ παῖδας, γυναῖκας, θεῶν τε πατρῴων ἕδη, θήκας τε προγόνων, νῦν ὑπὲρ πάντων ἀγών. & Il. λ. ἀνέρες ἐστὲ φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς. Ut autem hic Maro conjugis admonet, ita Il. ι. ſub perſona Achillis, ἐπεὶ ὅς τις ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων τὴν αὐτοῦ φιλέει, καὶ κήδεται. *Germanus.*

281. *Referto Facta patrum.*] Alii hic diſtinguunt, ut ſit *Referto*, id eſt, referto facta patrum & laudes. Traxit autem hoc de Salluſt. qui dicit, Hiſpanorum fuiſſe morem, ut in bella euntibus facta adoleſcentibus parentum memorarentur a matribus. Alii diſtinguunt, *nunc magna referto facta*, ut duas res dixerit, Nunc unuſquiſque & ſuorum factorum meminerit, & laudis parentum. *Servius.*

283. *Egreſſiſque.*] Si *egreſſi*, figurate dictum eſt. *Idem.*

Dum trepidi, egreſſiſque labant veſtigia.] Romanus codex, & plerique alii veteres admodum legunt, *dum trepidi egreſſique labant veſtigia*, quod magis figuratum eſt. Alii quidam codices manu ſcripti, *greſſuſque* legunt. Sed vulgatam ego lectionem non damnarim. *Pierius.*

284. *Audentes Fortuna juvat.*] Terent. *Fortes fortuna adjuvat*, poteſt hæc ſententia & ſuperioribus adplicari, & per ſe ſeparatim intelligi. *Servius.*

Audentes Fortuna juvat.] Quot huic germanæ & cognatæ ſententiæ? Ovid. Met. 10. *Audentes Deus ipſe juvat.* & 2. Faſt. *Audentes forsque Deusque juvat.* Scipio apud Liv. lib. 22. *Audendum, atque agendum, non conſultandum in tanto malo eſſe.* Martius apud eundem lib. 26. *Audeamus, quod credi non poteſt auſuros nos.* Claudius Proprætor lib. 27. *Audendum, ac novandum aliquid.* Idem ſcriptor ore ſuo lib. 8. *Vicit pars, quæ in præſentia videri potuit majoris animi, quam conſilii: ſed eventus docuit, fortes fortunam juvare.* Catilina apud Salluſt. *ſemper in prælio his maximum eſt periculum, qui maxime timent: audacia pro muro habetur.* Valer. Flacc. 4. Arg. *Deus adfuit auſis.* Terentius Phorm. *Fortes fortuna adjuvat.* Ennius lib. 7. Annal. *Fortibus eſt fortuna viris data.*

Hæc ait, & secum versat, quos ducere contra,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
Interea Æneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit: multi servare recursus
Languentis pelagi, & brevibus se credere saltu:

data. Ovid. 8. Metamorph. *ignavis precibus fortuna repugnat*. Præclare vero Poëta *audentes*, non *audaces*, ex quorundam nota. Audent enim qui fortes, audaces temerarii sunt. Ergo fortuna fortes juvat, non temerarios. Tametsi discrimen hoc non sit perpetuum, nam audacia interdum in laude. Lege Henr. Steph. l. 4. Sched. c. 29. De discrimine vero inter *audaces*, & *temerarios* Heraldum in lib. 2. Arnobii. Porro & *juvans fortuna* dicta est olim *Fortuna Fortis*, & simpliciter *Fortis*, de qua Ovid. 6. Fast.

Ite Deam læti Fortem celebrate Quirites.

Huc pertinet vetus inscriptio.

FORTVNÆ. ADIVTRICI. ET.
TVTELÆ. VAL. FLOREN-
TINVS. V. L. S.

Cerda.

285. *Versat, quos ducere contra.*] Cogitat quidem, sed non facit: ne diviso exercitu utrobique vincantur. quod sequentia indicant. Nam paulo post dicturus est, *Et rapit acer Totam aciem in Teucros*. Servius.

Et secum versat.] Vides jam hic cogitantem Turnum, qui prius tamen audax & cum fiducia: præmisit enim,

Haud tamen audaci Turno fiducia cessit.

Itaque cum hoc loco conveniunt verba Curtii lib. 3. hæc: *Cæterum, ut solet fieri, cum ultimi discriminis tempus adventat, in sollicitudinem versa fiducia est*. Phrasin Statius arripuit lib. 5. Theb. *agit versans secum*. & Valer. in re belli l. 1. Arg. *rerumque asperrima versat*. Manavit à Græcis. Heliod. lib. 6. ἔστρεφε βουλάς· *versabat consilia*. Cerda.

286. *Concedere.*] Vacat *con*. Serv.

287. *Puppibus altis.*] Non potentibus. *Idem.*

288. *Pontibus.*] Transtris navium. *Idem.*

Pontibus exponit.] Navales pontes sunt triplicis generis: vel è navibus positis ordine, supra quas injectæ tabulæ, quales exhibet Plutarch. in vita Luculli: vel ex utribus coriaceis conjunctis, & colligatis: vel illi, qui dicti cataracti pontes. De extremis capiendus Poëta. Thucyd. lib. 4. hunc seu pontem, seu scalam navium vocat ἀποβάθραν. ἐχώρει (ait) ἐπὶ τὴν ἀποβάθραν. Quem in locum vetus interpres: ἡ ἀπὸ τῶν νεῶν ἐπὶ τὴν γῆν ἔξοδος, ἀποβάθρα καλεῖται. Signatius novus interpres: ἀποβάθρα καλεῖται γέφυρα, δι' ἧς ἐκ τῆς γῆς εἰς τὰς ναῦς εἰσερχόμεθα, καὶ ἀναβαίνομεν, καὶ ἐκ τῶν νεῶν ἐπὶ τὴν γῆν ἐξερχόμεθα, καὶ ἀποβαίνομεν. Pollux etiam lib. 1. cap. 6. num. 4. de re nautica loquens, ἀποβάθρα, καὶ διαβάθρα τὴν σκάλαν καλοῦσιν. Meminit etiam lib. 10. cap. 30. loquens de naviculis piscatoriis. Sed verba Æmilii adducta, tametsi ipse non adverterit, æque respiciunt ad ἐπιβάθραν, qua voce etiam signatur pons nauticus. Itaque voces variæ, res eadem. ἀποβάθρα, ab exeundo è navi: ἐπιβάθρα, ab adeundo. *Cerda.*

Servare.] Pro servaverunt: Et *Credere*. Pro crediderunt. *Servius.*

Multi servare recursus.] Sunt codices antiqui, in quibus legatur *recessus*. Sed cursus, & recursus in hoc significato in usu est frequentiori. *Pierius.*

Multi servare recursus Lang.] Observabant sedati maris refluxum, inque *brevia*, id est, syrtes (Æn. 1. ℣. 115.) & loca vadosa desiliebant. *Taubm.*

289. *Languentis.*] Tranquilli. *Serv.*

Brevibus.] Vadis. *Idem.*

Saltu.] Ita notat præcipitantiam, ut & Stat. 5. Theb.

Per remos alii. ſpeculatus litora Tarchon,
Qua vada non ſpirant, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffenſum creſcenti adlabitur æſtu;
Advertit ſubito proras, ſocioſque precatur:
Nunc, ô lecta manus, validis incumbite remis;
Tollite,

— primis jamque offendere carinæ
Littoribus, certant ſaltu contingere terram
Præcipites. —

Et lib. 4.

Incubuere vadis paſſim diſcrimine nullo.

Et lib. 9.

Ille quoque hoſtiles ſaltu majore per undas
Irruit. —

Appian. in re ſimili lib. 5. Civil. κατεθορῶν, & ἐσήλατο. Pind. Od. 4. Pyth. ἐπ' ἀκταῖσι θορών· *proſiliens in terram.* Cerda.

290. *Per remos.*] Id eſt, ſcaphis, & deeſt *deſcendunt.* Servius.

Speculatus.] Puppim notat, qui locus Principum, ut alibi obſervatum. Eſt vero celſior pars navis. Ergo Tarchon ex puppe tanquam è ſpecula. *Cerda.*

291. *Non ſperant.*] Legitur & *ſperat*, quod melius eſt. Nam dum vada eſſe non ſperat, incidit in ea, quia fracta non remurmurat unda, *Sed mare inoffenſum creſcenti adlabitur æſtu.* Serv.

Qua vada non ſperat.] Romanus codex cum Oblongo, & aliquot aliis, legunt *qua vada non ſpirant.* ut illud in primo Georgicon, *Fervetque fretis ſpirantibus æquor.* In uno ex iis, qui *ſpirant* legunt, paraphraſis ſuperaddita, *criſpantur.* Sed magis placeret, In vorticem deſidunt. Quin etiam in aliquot ex iis, qui apud me ſunt, legere eſt, *qua vada non ſpumant.* Servius *ſperat* melius eſſe putat: quod majorem viri ferociam oſtendit. Ridiculum, quod in impreſſis aliquot codicibus *ſpectat* legitur. *Pierius.*

Qua vada non ſperat.] Nam vada eſſe non ſperans incidit in ea. Vett. cod. ut & Scal. l. 4, 16. l.

Qua vada non ſpirant, id eſt, aquas non movent: unde aeris quoque motus fit. *Taubm.*

292. *Inoffenſum.*] Monuit quidam active ſumi, id eſt, non offendens ad litora & ſcopulos. Firmo ab Ovid. Eleg. 8. lib. 1.

Detur inoffenſæ vitæ tibi tangere metam.

Id eſt, vitæ quæ offendit neminem, vitæ non offendentis. Credo, Virgilium inſtitiſſe Varroni, qui dixit *inoffenſum per æquor*, producit teſtimonium Varronis Nonius in *calx.* Cerda.

Creſcenti adlabitur æſtu.] Hic jam affluxum maris deſcribit, qui oppoſitus languenti, ac recurrenti pelago. *Idem.*

Adlabitur.] Vid. N. Æn. 6. ℣ſ. 2. *Taubm.*

293. *Precatur.*] Modo cum precibus hortatur. *Servius.*

Nunc, ô.] Reſpondent hæ duæ voculæ duabus Græcis ὢ εἶα. His Græci utebantur ad acuendos remigum animos. Monui hoc libenter, nam interpres Ariſtophanis inſigniter deceptus eſt, cum de his vocibus ſcripſit: ἔθος γὰρ εἰώθασιν οἱ ἐπιστατοῦντες ἐπέχειν τὴν ὁρμὴν τῶν ἑλκόντων. niſi credamus ſubeſſe mendum. Non enim his vocibus continebatur impetus remigum, imo incitabatur, quod liquidum ex ipſo Ariſtophane: clamatur enim à Choro viſa pace,

Ἄγε νῦν, ἄγε πᾶς,
Καὶ μὴν ὁμοῦ σὺν ἡδ' ἴσχυϊ·
Μὴ νῦν ἀνῶμεν, ἀλλ' ἐπεν-
Τείνωμεν ἀνδρικώτερον.

Poſt quæ verba ſequuntur,

Ὢ εἶα νῦν, ὢ εἶα πᾶς.

Cerda.

Validis incumbite remis.] In 5. dixit, *nunc nunc inſurgite remis.* Homerus', ἀπέρχεσθε ἐρετμοῖς, ἐμβάλλετε κώπαις· alii προσβαίειν, προπίπτειν. *Idem.*

Tollite, ferte rates; inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso;
Arrepta tellure semel. quæ talia postquam
Effatus Tarchon, socii consurgere tonsis,
Spumantisque rates arvis inferre Latinis:
Donec rostra tenent siccum, & sedere carinæ

Omnes

295. *Tollite, ferte.*] Ad celeritatem dictum est. *Servius.*

Findite rostris.] Militari felle dictum: ut etiam terra ipsa quodammodo sentiat hostis adventum. *Idem.*

Inimicam findite rostris Hanc terram.] Simili iracundia scintillat Claudianus de Bell. Gildon.

Per vada Gildonem quamvis adversa petamus,
Ad bellum nos trudat hiems: per devia ponti
Quassatis cupio tellurem figere rostris.

Locutio ducta est à re rustica. Ipse in Georg. *telluri infindere sulcos.* Horat. *findere sarculo agros.* Inde ergo ad mare, ut etiam Propert.

Et freta gemmiferi findere classe maris.

Cerda.

297. *Puppim.*] Romanus codex, Mediceus, & alii quidam pervetusti, legunt *puppes* numero multitudinis: Quod ostendit eum parvi facere navis omnes, quotquot agebat, dummodo semel arripiat tellurem, & hoc quoque magis ac magis hominis ferociam, ardoremque pugnandi indicat. *Pierius.*

Statione.] Portu temporali. nam portus est ubi hiematur. sed modo *stationem* siccum litus significat. nam hoc dicit, Potiar terra, & navem frangere non recuso. *Servius.*

Statione.] Est statio locus ad litus maris in ipsa aqua, ubi naves pro belli opportunitate consistunt. Hoc indicant verba Livii lib. 24. *Legiones primo quoque tempore Consules scribere jussi, & classem parare, ut cum eis navibus, quæ pro Calabriæ litoribus in statione essent, centum & quinquaginta longarum classis eo anno expleretur.* & lib. 27. *In Maliaco sinu is locus est, quondam frequenter habitatus, propter egregium portum, tutasque circa stationes, & aliam opportunitatem maritimam.* & lib. 30. *Classis Punica ad Uticam stationem habebat.* Cerda.

298. *Arrepta tellure.*] Aliud agens attingit morem exeuntium è mari. Hunc nosce ex Pindaro Od. 4. Pyth.

—— γίνωσκε δ' ἐπειγομένους.
Ἂν δ' εὐθὺς ἁρπάξαις ἀρούρας
Δεξιτερᾷ, προτυχὸν
Ξείνιον μάστευσεν δοῦναι.
Οὐδ' ἀπίθησέ νιν, ἀλ-
λ' ἥρως ἐπ' ἀκταῖσι θορὼν
Χειρί οἱ χεῖρ' ἀντερείσαις
Δέξατο βώλακα δαιμονίαν.

Animadvertit autem (nos) *festinantes. Quare cum subito arripuissent tellurem dextra, obvium xenium quæsivit dare. Nec vero immoriger* (recusavit) *heros, sed in litora prosiliens manu manum ejus cum firmasset, accepit glebam admirandam.* Quin tunc osculabantur terram venerabundi, quem morem alibi attigi. *Idem.*

299. *Socii.*] Id est, remiges. quos Livius *socios navales* appellat, Græci πληρώματα καὶ προσκώπους. Veneti *Ciurma*, q. Turma. *Taubm.*

Tonsis.] V. N. Æn. 7. vſ. 28. *Idem.*

301. *Siccum.*] Georg. 1.

In sicco ludunt fulicæ.

Ita & Gr. ξηρὸς τὸ νώτιον, in re maxima, opponunt. *Idem.*

Sedere carinæ innocuæ.] Sic Tacit. 2. Annal. *Quædam naves planæ carinis, ut sine noxa sederent.* Jam, *innocua*, hic est illæsæ, παθητικῶς, auctore Servio & Nonio.

Omnes innocuæ. ſed non puppis tua, Tarchon:
Namque inflicta vadis dorſo dum pendet iniquo,
Anceps ſuſtentata diu, fluctuſque fatigat,
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis:
Fragmina remorum quos & fluitantia tranſtra.

Inpe-

& Nonio. Alias *innocuum* eſt non nocens: *grando innocua tectis*, apud Lucan. Quanquam Valla l. 6. *naves innocuas* hic etiam, contra Servium, dici pertendit; quod illæ nemini nocuiſſent. Ita idem l. 9. nove dixit de Pſyllis:

—— gens unica terris
Incolit à ſævo ſerpentum innoxia morſu.

cum *Innoxius* ſit, qui non novit nocecere. *Idem.*

302. *Innocuæ.*] *Innocuus*, primo eſt, cui non nocetur. *Innoxius*, qui nocere neſcit. ſed hoc plerunque confundunt Poëtæ. *Innocuum*, quibus non ſit nocitum, alibi *litus innocuum*, quod noceat. *Servius.*

Sed non puppis tua.] Ἐπιδιόρθωσις, & προσφώνησις. *Idem.*

Sed non puppis tua Tarchon.] Periit hæc navis adhuc in ipſo portu. Propert. Eleg. 7. lib. 3. *fallit portus & ipſe fidem.* Seneca in Controv. *navem in portu mergis.* Græca paroemia, ἐν λιμένι ναυαγεῖν· *naufragium in portu.* Alia, ἐν λιμένι προσκρούειν· *in portu impingere.* Propert. iterum Eleg. 25. lib. 2. *in portu fracta carina.* Debes Paſſeratio. *Cerda.*

303. *Inflicta.*] Impacta. Metaphora à verberibus Græca origine ἐνφλίγειν, ut *inurere*. inde 9. Æn.

—— dant ſonitum flictu galeæ.

Scal. l. 4. c. 16. *Taubm.*

Dorſo.] *Dorſum* eſt durior arena, quæ remeantibus fluctibus plerunque denſetur, & in modum ſaxi dureſcit: hoc à nautis *pulvinus* vocatur. A Græcis θὶν. Homer. παρὰ θῖνα θαλάσσης. Probus *vadis dorſo*, pro vado dictum putat, ut in Georg. *Dorſo nemoris.* Servius.

Dorſo.] Alludit Maro ad Græcorum ῥαχίας, quæ eſt ut Etymol. πετρώδης τόπος περὶ ὃν περιρρήγνυται ἡ θάλασσα, καὶ ὁ κλύδων, καὶ ἡ θαλάσσης ὁρμὴ, ὅθεν τὸ νότιον ὀστῶδες ῥαχὶς καλεῖται, ὡς ἀπὸ τῆς ῥαχίας τῆς πέτρας. Interpr. Thucydidis. Vide Euſtath. in ῥαχίας πέτρας. *Germ.*

Pendet.] In re ſimili Lucan. l. 9.

Pars ſedet una ratis, pars altera pendet in undis. Taubm.

Iniquo.] Sibi nocenti. *Servius.*

304. *Suſtentata.*] Non ab alio, ut, *Fratremque ruentem Suſtentat dextra*, ſed quaſi αὐτοκινοῦσα, vel *ſuſtentata*, cum ſuſtentaretur. Melius *ſuſtentata* pro ſuſpenſa accipit, nam ideo & anceps eſt, cum huc atque illuc mutaret. *Servius.*

Fluctuſque fatigat.] Subaudis *eam.* Nam *fluctus* ſingularis eſt nominativus. *Idem.*

Fluctuſque fatigat.] Pulchra enallage. Ipſa vere navis fatigatur. Fallitur enim Servius, qui concipit, *fluctus fatigat eam.* Non ſic eſt: eſt per enallagen, ipſa fatigat fluctus. Quaſi crebritate fatigentur fluctus. Simili enallage Stat. 5. Theb. in deſcriptione tempeſtatis:

——puppemque inſana flagellat
Arbor, & inſtabili procumbens pandere curvas
Raptat aquas.——

Vere navis ipſa raptabatur aquis. *Cerda.*

305. *Exponit in undis.*] Ideo *in undis*, non *in undas*: quia non eſt loci mutatio, ſed in uno eodemque loco res agitur. *Servius.*

306. *Fragmina.*] Antique dictum, nam *fragmenta* dici debere nonnulli adſerunt. *Idem.*

Et fluitantia tranſtra.] Non placet, quod in antiquis aliquot codicibus legitur *effluitantia.* Nam ſententia et illud expoſcit. *Pierius.*

307. *In-*

Inpediunt, retrahitque pedem simul unda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora: sed rapit acer
Totam aciem in Teucros, & contra in litore sistit.
Signa canunt. primus turmas invasit agrestes
Æneas, omen pugnæ; stravitque Latinos,
Occiso Therone, virûm qui maximus ultro
Ænean petit. huic gladio perque ærea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.

Inde

307. *Inpediunt.*] Est in Statio 9. Theb. repræsentatio mali Virgiliani:

—*sed cæde nova jam lubrica tellus*
Armaque, seminecesque viri, currusque soluti
Impediunt. — Cerda.

Retrahitque pedes.] In codicibus aliquot antiquis, *pedem* legitur figurate. *Pierius.*

308. *Nec Turnum segnis retinet mora.*] Id est, nec Turnus segnis est. Scal. l. 4. c. 16. *Taubm.*

310. *Signa canunt.*] Attius in fabula, cui nomen Hellenes, *Signa extemplo canere, ac tela ad mœnia afferre imperat.* Cerda.

Primus turmas invasit.] *Primum* accipere possumus, non tantum primo incipientem, verum etiam sine aliorum societate: magnæ enim laudis instar est, ipse unus in exitium plurimorum. *Donatus.*

Invasit agrestes.] Quia supra ait, *Et latos vastant cultoribus agros.* Servius.

311. *Omen pugnæ.*] Sallustius, *Pugnam illam pro ominibus bello futuram.* Ergo ideo *omen*, quia sicut nunc, sic ubique vincit Æneas. *Idem.*

312. *Therone.*] Hoc nomen tantum in Pindaro lectum est. Et bene in honorem victoris victum laudat. *Idem.*

Therone.] Stat. 2. Theb. *Theronem* quendam inducit, cujus avi fuere terrigeni. An traxit ex Virgilio, qui *Theronem* suum facit rusticum? *Cerda.*

313. *Ænean petit.*] Apta huic loco, quæ in 9. ad illud, *Volscentem petit.* Idem.

Perque ærea scuta.] In Romano codice, in Mediceo, & in eo, qui apud me est, *suta* legitur: quod nequaquam displicet, quum pulchra sit loricæ periphrasis, à *suo suis.* Eodem vero vocabulo, sed forma alia, usus est etiam in quarto Georgicon, *Corticibus fuerint tibi suta cavatis.* Pierius.

Ærea suta.] Ita in Rom. lib. & MSS. & Ful. Ursinus legunt: atque ita omnino legendum esse, affirmat etiam G. Fabric. & Bersmanus; immo & ratio. vulgo editi, *scuta*, male, & contra morem Virgilii. *Taubm.*

314. *Tunicam squalentem auro.*] Splendentem loricam. *Squalentem auro*, Splendentem auro, & significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intertexti: *Squalere* enim dictum à squamarum crebritate atque asperitate, quæ in serpentum pisciumve coriis visuntur. Alibi, *Quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat.* Alibi, *Jamque adeo Rutulum thoraca indutus, ahenis Horrebat squamis:* quidquid igitur inculcatum obsitumque aliqua re erat *squalere* dicebatur. *Serv.*

Squalentem auro.] Advocat Agell. lib. 2. cap. 6. illud Attii in Pilopid. *ejus serpentis squammæ squallido auro, & purpura prætextæ.* Est vero auri squallor ab asperitate auri. Vide uti defendant Virgilium Agellius dicto loco, & Macrob. lib. 6. cap. 7. Fuere enim, qui reprehenderent Virgilium, ut qui nitenti auro squallorem dedisset. Sed blenni sunt hi, in quibus meræ nugæ. Eo enim modo squallor in auro, ut in nummis recentibus asperitas. Utrunque in laude. *Cerda.*

Inde Lichan ferit, exſectum jam matre peremta,
Et tibi, Phœbe, ſacrum; caſus evadere ferri
Quod licuit parvo. nec longe Ciſſea durum,
Immanemque Gyan, ſternentes agmina clava,
Dejecit leto: nihil illos Herculis arma,
Nec validæ juvere manus, genitorque Melampus,
Alcidæ comes, uſque gravis cum terra labores

Præ-

Haurit.] Modo *ferit* ſignificat: non nudum latus, ſed quod aperuerat: & putatur ὑστερολογία. Quidam Italicam elocutionem putant, cum enim à latere quis aliquem adortus gladio occidit, *hauſit illum* dicunt. *Servius.*

Latus haurit apertum.] *Latus haurit*, quia ſanguis exit. Metaphora ab utribus & doliis, è quibus vinum extrahitur facto foramine. Scal. l.4.c.16. Et notat Germ. Valens, Homerum eadem ſignificatione uſurpare ſuum ἀφύειν, Iliad. ρ'. & ξ.

— διὰ δ' ἔντερα χαλκὸς ἤφυσε.
Nonius; *confodit.* Taubm.

315. *Exectum jam matre perempta.*] In Romano codice, & aliquot aliis *exſectum* integris partibus. Miſſum facio codicem antiquum, in quo *exemptum* legitur. Ea enim paraphraſis fuit, quæ contextui mox inſerta eſt. In Oblongo perveteri exemplari, *et ſectum* legitur. quod neſcio quid leporis habere videtur *et* particula copulativa geminata *et ſectum jam matre perempta, Et tibi Phœbe ſacrum.* in quo illud etiam animadvertendum in nonnullis codicibus antiquis *fatum*, non *ſacrum* legi: quod non æque placet. *Pierius.*

316. *Et tibi, Phœbe, ſacrum.*] Omnes qui ſecto matris ventre procreantur, ideo Apollini conſecreati ſunt, quia Deus medicinæ eſt, per quam lucem ſortiuntur. Unde Æſculapius ejus fictus eſt filius: ita enim eum eſſe procreatum ſupra diximus. Cæſarum etiam familia ideo Apollinis ſacra retinebat, quia qui primus de eorum familia fuit, exſecto matris ventre natus eſt. Unde etiam *Cæſar* dictus eſt: licet varia de hujus nominis etymologia dicantur, ut diximus ſupra. *Servius.*

Tibi, Phœbe, ſacrum.] Ut qui medicinæ opera è ventre matris exſectus erat. Ejuſmodi autem homines *Cæſones* dicti; non, *Cæſares*, ut nugantur. *Taubmannus.*

Ferri.] Scil. medicorum ſecantium. *Idem.*

317. *Quod licuit parvo.*] Legitur & *Cui licuit.* Et reſpexit ad illud, quod ferrum nunc juvenis vitare non potuit, quod parvus evaſit. *Servius.*

Cui licuit parvo.] Haud temere in codicibus aliquot antiquis ſcriptum crediderim, *quod licuit.* ea quippe de cauſſa ſacrum: quod parvo licuit ferrum evadere, quum maternus uterus exſecaretur. *Pierius.*

Nec longe.] Pro *nec multo poſt*, adverbium loci pro temporis, antique. *Servius.*

318. *Sternentes agmina clava.*] Hom. Iliad. 15. σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας· *ferrea clava dirumpebat agmina.* Valer. l. 3. Arg. de ipſo Hercule, *ſocia ſed desjicit agmina clava.* Iterum, *clavam intonat.* Explicui *clavam* horum ad exemplum *clavæ* Herculeæ: & ita poſtea, *arma Herculis*, non quia vere Herculis, ſed quia ad hujus exemplum. *Cerda.*

319. *Dejecit leto.*] Sicut 2. Æn.
Demiſere neci. Scal. *Taubm.*

Nil illos, &c.] In antiquis codicibus *nihil:* & pro *nil validæ*, *nec validæ* legitur. *Pierius.*

320. *Juvere manus.*] Id eſt, ſuæ. *Servius.*

321. *Uſque.*] Tamdiu, donec. *Idem.*

Dum

Præbuit. ecce Pharo, voces dum jactat inertis,
Intorquens jaculum clamanti sistit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium infelix nova gaudia, Cydon;
Dar-

Dum terra.] Donec in terra. *Servius.*

Usque dum.] Post vocem *usque* sequi eleganter *dum*, jam observarunt Godescal. lib. de Ling. Lat. & Horatius Tursselin. de partic. c. 199. Nam Cicer. 2. in Verr. *usque dum per me licuerit.* Plaut. Truc. *usque dum vivunt, lavant.* Ovid. 3. Metamorph. *usque sequens pressit, dum retro,* &c. Fit & elegans inversio vocum. Terent. Phorm. *Dum vivat, usque ad aurem obganniat.* Cerda.

Labores præbuit.] Nove dixit cum bona præberi dicantur. an ideo *præbuit*, quod hæc Herculi profuerunt, ut ad immortalitatem per ista perveniret. *Servius.*

322. *Ecce Pharon.*] Legitur & *Pharo* ut sit dativus ab eo, quod est *Pharus.* Si autem *Pharon* legeris, figuratum est. nam de nominativo transit ad dativum, dicens *Clamanti in ore.* Idem.

Ecce Pharon, &c.] Romanus codex, & Oblongus *Pharo* absque *n* scribunt, ut *Plato, Solo,* & hujusmodi pleraque, quæ apud Latinos absque *n* litera proferri debent. Cujus rei manifestum usum videas apud Statium Papinium, *Stimulatque Agamemno volentes.* Sane C. Julius Rom. quem Sosipater scriptorem diligentissimum appellat, dictum à Virgilio notat, *Exultat Amazon.* Quamvis nullum nomen Latinum *on* literis finiatur, & ideo *Rhodum* & *Delum* accusativo dicamus, Quædam tamen esse inquit Plinius Secundus, quæ ad nos usque proprios gentis suæ vultus, formamque custodirent, ut *Pluton, Xenophon,* de quo alibi. *Pierius.*

Inertis.] Aut quod alii inertiam objecerint, aut quia, ubi pugnari oportet, loqui, inertis est. *Servius.*

323. *Clamantis sistit in ore.*] Illustrabis hunc locum his, quæ dixi lib. 9. ad illud, *Rutuli clamantis in ore.* & lib. 7. ad illud, *hæsit enim sub gutture vulnus.* Et hic adjice Stat. lib. 9. Theb. apud quem *figitur ora Lamus.* Infra audies, *loquentis vocem animamque rapit.* De Crassino Plutar. in vita Pompeji: τὶς ὤθει διὰ τοῦ στόματος τὸ ξίφος, ὥστε τὴν αἰχμὴν περίστασον ἐξέχειν κατὰ τὸ ἰνίον. Cerda.

324. *Flaventem malas.*] Flaventes malas habentem, & est ordo, *Tu quoque, Cydon miserande, jaceres,* dum sequeris Clitium flaventem prima lanugine malas, id est, dum adolescentem sectaris, cujus amore flagrabas, *Qui juvenum tibi semper erant.* Servius.

325. *Infelix.*] Ad amorem detorqueo. Qui alium depereunt, dicuntur amare infeliciter, ut etiam misere. Sic amans Medea ab Eurip. δύστηνος. Sic & in 1. Æneid. Dido bibens longum amorem *infelix* dicitur. Nec alio sensu Propert. Eleg. 1. lib. 2.

Huic misero fatum dura puella fuit.

Id est, perdite amanti. Horat. Od. 8. lib. 2. *miseræ virgines.* Cerda.

Infelix nova gaudia Cydon.] De Cretensibus accipimus, quod in amores puerorum intemperantes fuerunt: quod postea in Laconas, & in totam Græciam translatum est, adeo, ut Cicero dicat in libris de republica, *Opprobrio fuisse adulescentibus, si amatores non haberent.* Propter quod poëta *Cydonem* inducit amatorem. Novimus autem Cydonas Cretenses dici. Sane *Cydon* quando nomen est proprium, *Cy* naturaliter poducit: si appellativum, corripit *Cy.* ut, *Parthus sive Cydon, telum immedicabile torsit.* Tamen Statius etiam in proprio corripuit, ut, *Hæc regi promissa Cydon hac lampe dabamus.* Quod fecit abutens licentia, qua utimur in nominibus propriis. *Nova gaudia.* Ex-

Dardania ſtratus dextra, ſecurus amorum,
Qui juvenum tibi ſemper erant, miſerande, jaceres:
Ni fratrum ſtipata cohors foret obvia Phorci
Progenies ſeptem numero, ſeptenaque tela
Conjiciunt. partim galea clipeoque reſultant
Inrita; deflexit partim ſtringentia corpus
Alma

go quem tum primum amare cœperat. *Servius.*

Nova gaudia.] Semper hic Vates eſt παρθενικός. Titillantem libidinem nunquam nominat, quidquid tale eſt complectitur *gaudii* nomine, & hic παιδικὰ intelligit, quæ tamen caſtiſſime nominat *gaudia*. Ab eo Horatius Od. 6. l. 3.

Mox juniores quærit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit,
Cui donet impermiſſa raptim
Gaudia, luminibus remotis.

Et Propert. Eleg. 14. lib. 2.

Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.

Et adhuc de vitio τῆ παιδεραστεῖν idem Propert. Eleg. 4. lib. 2.

Hoſtis ſiquis erit nobis amet ipſe puellas,
Gaudeat in puero ſiquis amicus erit.

Martialis Epig. 42. lib. 9. dixit *gaudia fœda* de monſtroſæ libidinis genere. Valer. 3. Arg. *nec dum ſoboles, nec gaudia de te.* Nemeſian. *gaudia ſumet.* Nam & verbum *ſumo* nequitiæ eſt, ut liquidum ex Martiali l. 10. & ex Petron. Sat. Lucretius lib. 4. *præſenſit gaudia corpus.* Cerda.

326. *Stratus.*] Deeſt *pene.* Servius.

Securus amorum.] Hoc loco, * aliter *Securus amorum Germanæ*, id eſt, contemnens, non curans. *Idem.*

Securus amorum.] Id eſt, explicatore Jul. Scalig. c. 16. l. 4. Poët. *privatus ſecretuſque ab amorum cura.* Cerda.

327. *Miſerande.*] Pro *miſerandus.* Nam pro nominativo vocativum poſuit: ut contra, *Socer arma Latinus habeto.* licet illic poſſit accipi, Socer arma Latinus habeat. nam *habeto* & ſecundæ & tertiæ perſonæ eſt. tamen etiam & alibi nominativum pro vocativo legimus. ut, *Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum.* Servius.

328. *Stipata cohors.*] Id eſt, unanimiter veniens. *Idem.*

329. *Septem numero.*] Hoc eſt pro *ſeptem*, & deeſt *quia*; veteres enim ita enunciabant: Lucilius in IIII. *Hi præ ſe portant mihi ingentes munere piſces Triginta numero* * An potius proprie? Credibile eſt enim ut ſæpius jecerint. *Idem.*

Septenaque tela.] Pro *ſeptem* more ſuo, ut *bina* pro duobus, *Frenaque bina.* Idem.

330. *Reſultant irrita.*] Homericum eſt: nam Iliad. 14. ἅλιον πηδῆσαι ἀκοντα· *fruſtratum jaculum exiluiſſe.* & Calab. lib. 3. αἰχμὴν ματιδίην· *vanam cuſpidem.* Homer. ſæpe, ἤμβροτε, ἀπήμβροτε, ἡμάρτησε. *Cerda.*

331. *Deflexit partim ſtringentia corpus Alma Venus.*] Quidam ἐμφατικώτερον putant, id eſt, jam ſtringentia: alii participium præſens pro futuro accipiunt, id eſt, quæ niſi eſſent deflexa ſtringere habuerant. Male ait Donatus hoc loco ante dictorum oblitum eſſe Virgilium, quod poſt Jovis prohibitionem bellis facit numina intereſſe, non reſpiciens Jovem magis hortatum eſſe deos in fœdera, quam à bellis prohibuiſſe. Nam & paulo poſt, & tam Juno quam Juturna bellis intererunt. *Servius.*

Stringentia.] Sic inf. *magnique femur perſtrinxit Achatæ.* Nec alio ſenſu in 5. *ſtringat ſine palmula cautes.* & in 9. *levis haſta Themillæ ſtrinxerat.* Hac voce indicatur leve & inefficax vulnus. Similem ictum belle Homer. 4. Iliad. ἀκρότατον δ᾽ ἄρ᾽ ὀϊστὸς ἐπέγραψε χρόα φωτός.

Alma Venus. fidum Æneas adfatur Achaten :
Suggere tela mihi, (non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos) steterunt quæ in corpore Grajûm
Iliacis campis. tum magnam corripit hastam,
Et jacit. illa volans clipei transverberat æra
Mæonis, & thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextra: trajecto missa lacerto

Proti-

φωτός. Etenim scriptio calami non penetrat papyrum, aut ceram, tantum signat. Sic & Iliad. 13.

Εἴσω ἐπιγράψαι τέρενα χρόα νηλέϊ χαλκῷ·

Calab. lib. 10. & Hom. Iliad. 21. ad signandum hunc levem ictum ἐπιγράβδην dixerunt, videlicet cum corporis superficies tantum telo strictim scribitur. Hom. Odyss. 22. λίγδην, id est, *leviter*. De hoc genere vulneris & Lucianus ἐπιλίγδην· cui voci opponit ille *βαθεῖαν πληγήν· profundum vulnus.* Nonnus lib. 29. *χαράσσετο μηρὸς ὀϊστῷ· signabatur femur telo.* Idem lib. 22. *κατέγραφεν* dixit ad rem eandem. Nec minus præclare Virg. 12. Æneid. *summum degustat vulnere corpus.* Talem ictum notat Valer. lib. 3. Arg. *extrema sonuit sita casside cuspis.* Ait enim perstrictam cassidem extremam à volante cuspide. *Cerda.*

332. *Achaten.*] Omnia nomina quæ in *tes* exeunt, vocativum in *a* mittunt, ut *Achates Achata*, *Timætes Timæta.* Servius.

333. *Suggere tela mihi, &c.*] Ordo est, *Suggere tela mihi:* quæ in campis Iliacis in Græcorum stetere corporibus. nullum enim mea in Rutulos dextera sine causa jaculabitur telum eorum, quæ jam sunt cæde hostium comprobata. Qui vero *steteruntque in corpore Grajûm* per conjunctionem, non per pronomen legunt, hi neque sic haud debuisse dici putant, & mutatam à poëta conjunctionem. Aliique conjunctionem pro *enim* ponunt, ut, *Primaque oriens erepta juventa est.* Servius.

334. *Steterant quæ in corpore Grajûm.*] In antiquis aliquot codicibus *steterunt* legitur. ut illud, *Obstipui steteruntque comæ.* Pierius.

336. *Transverberat.*] Scindit. *Servius.*

Transverberat.] Homer. sæpe, διὰ πρὸ δ᾽ ἦ χαλκὸν ἔλασσεν. Quo verbo explicat transmissam hastam, ἐπέρησεν, & ἐξεπέρησεν· id est, *penetravit*, quod verbum est Iliad. 13. *Cerda.*

Æra.] Æreas laminas clypeorum alibi attigi. *Idem.*

337. *Meonis.*] In antiquis codicibus plerisque cum diphthongo *Mæonis.* Pierius.

Thoraca.] Dicitur indumentum, quo bellator usque ad pectus munitur. *Donatus.*

Cum pectore rumpit.] In Romano codice *rupit* est præterito tempore. In aliis *rumpit.* Pierius.

338. *Huic frater subit.*] *Huic subit*, id est, prope. *Servius.*

339. *Trajecto missa lacerto.*] Quæ fuerat missa retroacto lacerto. *Idem.*

Trajecto missa lacerto.] Servius *trajecto, retroacto* exponit. At cur non potius transfosso, ut hastæ impetu lacertum intelligamus trajectum, quum subsequatur, *Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.* Pierius.

Trajecto lacerto.] Id est, retro acto ut quidem Serv. & alii explicant. Ego malim projecto, & ad jactum quasi excusso atque extenso brachio. Ita Cic. Orat. 3.

Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem:
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Ænean petiit: sed non & figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatæ.
Hic Curibus, fidens primævo corpore, Clausus
Advenit,

Orat. 3. *Brachium procerius projectum, &c.* Taubm.

340. *Protinus.*] Jugiter, continue. *Servius.*

Protinus.] Id est, jugiter, continue, porro & sine intermissione: Serv. & Nonius. Ita usurpatur Æn.7. ℣. 601. & Æn. 3. ℣. 416. *Taubm.*

Fugit.] De telo emisso, & ad celeritatem indicandam. Ita Stat. 4. Theb.

Hastam intorsit agens, liquido quæ stridula cœlo
Fugit, & adverso celsæ stetit aggere Dirces.

Sic de Camilla hastæ alligata lib. 11.

Infelix fugit in jaculo stridente Camilla. Cerda.

Servatque tenorem.] Currendi modum & impetum, licet trajecto jam Mæone. Lucret. l. 5. de mari:

—labendi conservans usque tenorem.

Claudianus 3. Rapt.

Explorat abiens truncos, rectique tenorem
Stipitis, & certo pratentat brachia nixu,

id est, teretem trunci proceritatem. Eleganter etiam Lucan. l. 3.

Lancea-Haud unum contenta latus transire quiescit:
Sed pandens perque arma viam perque ossa, relicta
Morte fugit: superest telo post vulnera cursus. Taubm.

341. *Moribunda.*] Morienti similis. Quod ita esse etiam Sallustius ostendit, qui ait, *Quasi vitabundus per tramites & occulta loca exercitum ductare.* Nam Jugurtha non vitabat legatum, sed se eum vitare simulabat. nam quia nomen est, ideo significat similitudinem, non passionem; Quod si participialiter diceretur, à passivo veniret. Omnia enim à passivo participia, in *dus* exeunt. *Moribunda*, similis morienti, non enim participialiter aliquid significat, sed nominis habet significationem. nominis autem significatio similitudinem habet, non passionem. Quando dico *Moriturus est*: vere moriturus est. *Moribundus* autem, non vere, sed similis morienti est. unde & Sallustius dicit, *Quasi vitabundus.* Servius.

Nervis.] Aut necessarie additur *nervis*, aut nervis tantum pependit. *Idem.*

342. *Jaculo.*] Notent locum istum Grammaticelli, qui nescio quid discriminis afferunt inter *hastam*, & *jaculum.* Ecce, quam prius hastam dixerat, nunc vocat jaculum. Sic in versu, ex 11. Æneid. Camilla fugit *in jaculo*, quod prius *hastam* dixerat. Et cur non hasta sit *jaculum* à jaciendo? sicuti βέλος ἀπὸ τοῦ βάλλειν. Homerus enim sæpe βάλλειν de hasta & βαλεῖν: ac proinde βέλος hasta quoque erit. *Cerda.*

Fratris de corpore rapto.] Si diceret *fratrum de corpore raptum*, speciosius esset: quod ideo omisit, quia *Alcanoris* tantum vulneraverat manum, in *Mæonis* vero hæserat corpore. *Servius.*

344. *Est licitum.*] Quoniam non contradixerat. *Idem.*

Femur.] *Femur* dicitur: quia lectum est, & declinatur *hujus femoris.* Illius vero ablativi non invenitur nominativus, *Latus Eripit à femine.* licet Caper in libris enucleati sermonis dicat *femen*, sed non ponat exemplum. ergo aut *hoc femur*, aut *hoc femen*; Nam *femus* penitus non dicimus. *Idem.*

345. *Hic Curibus fidens, &c.*] Hoc est *tunc.* Et est ordo, Tunc fidens primævo

Advenit, & rigida Dryopen ferit eminus hasta,
Sub mentum graviter pressa, pariterque loquentis
Vocem

primævo corpore advenit Lausus Curibus: qui erat de Curibus, ut Verres Romulia. Aut *fidens Curibus*, id est, multitudine: ut, *Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Lausus.* Idem.

Viribus hic fidens primævo corpore Lausus.] In hoc membro codices tam impressi, quam manu scripti, tam veteres, quam novi multipliciter variant. In omnibus tamen venerandæ antiquitatis codicibus pars illa prior eodem consensu legitur, *hic Curibus fidens.* quod etiam Servius submonuit. Deinde *Lausi* nomen ad hanc usque ætatem quorundam omnino veterum codicum adsensu admissum est, quum *Clausus*, à quo gens *Claudia* derivarit, Sabinorum ductor alibi nominetur à Virgilio, *Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Clausus.* & hic vetera quædam exemplaria *Clausus* habent. Sed interim eorum stuporem prætereamus, qui Numitorem Curibus populis clausum stipatumque, quod juventuti primævæ fideret, Æneam telo petiisse interpretantur. Sane vero quod *advenit* in impressis codicibus omnibus legitur: neque non in aliquot ex vetustioribus, in Oblongo illo Pomponianis deliciis *advolat* habetur. *Pierius.*

Clausus.] Legunt hic aliqui *Lausus*, secuti obvia exemplaria: sed in correctioribus est *Clausus*. Hoc retinui. Nam Cures, aut Curetes, qui in Sabinis sunt, ejus sunt comites: & l. 7. legis,

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus. ——

Atqui Lauso Agyllini sunt comites, non Cures, ut habet in eodem libro. Deinde non hinc longius fit mentio Lausi ita integra & plena, ut hoc loco delibanda non fuerit. *Cerda.*

346. *Rigida.*] Id est, Tenens eam, non vibrans & jaciens. *Servius.*

Rigida.] Quo sensu accepi, possis Valerium lib. 3. Arg. *rigido transcurrens demetit ense.* Cerda.

Eminus.] Notandus locus. Nam cum *eminus* sit, quasi è manu, hic tamen non hasta mittitur, tantum fit ictus ea retenta, & pugnatur cominus. Itaque huc traho versum Ennii in Hectoris Lytris:

Quem mea cominus machæra, atque hasta hostivit è manu.

Ubi *è manu* est, pro *eminus*, & tamen *cominus* dicitur pugnatum. Ergo in Virgilio *ferit eminus* est, ferit è manu. Aut si velis, accipe aliter. Quia longa est hasta, ideo *eminus*, cum oppositione ad pugnam, quæ fit gladiis, quibus dicimur pugnare cominus, quia hi breviores. Dices, nonne hasta semper ad jactum? Non, Lector, in promptu est Strabo lib. 10. cujus hæc sunt, διττὴ γὰρ ἡ τῶν ὅπλων χρῆσις, ἡ μὲν ἐκ χειρὸς, ἡ δὲ ὡς παλτοῖς. καθάπερ καὶ ὁ κοντὸς ἀμφοτέρας τὰς χρείας ἀποδίδωσι, καὶ γὰρ συστάδην χρώμεθα, καὶ κοντοβολοῦντες. Vide & sequentem Notam. *Cerda.*

347. *Sub mentum graviter pressa.*] Par omnino locus 17. Iliad. ubi Menelaus Euphorbum occidens,

—— κατὰ στομάχοιο θέμεθλα
Νύξ', ἐπὶ δ' αὐτὸς ἔρεισε, βαρείῃ χειρὶ
πιθήσας.

Quasi manu urgeret, & premeret, ac perforaret. Et Stat. 2. Theb. dixit, *nitentem hastam*, ut qua fieret nixus. Versus est, *à jugulo nitentem sustinet hastam.* Lucanus lib. 4. *Et jugulis pressere manum.* Stat. 11. Theb. *alte ensem germani in corpore pressit.* Itaque non semper hasta mittebatur; sed, ea retenta, fiebat & ictus, & nixus. Hoc volunt versus Homeri, & primus locus Statii. Neque aliud est illud Plutarchi in vita Pompeii, παίσας ἐκ χειρὸς δόρατι· *percutiens hasta cominus.* Ubi ἐκ χειρὸς notat retentam hastam, non jaculatam. *Idem.*

Vocem animamque rapit trajecto gutture: at ille
Fronte ferit terram, & crassum vomit ore cruorem.
Tris quoque Threïcios Boreæ de gente suprema,
Et tris, quos Idas pater & patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. accurrit Halæsus
Auruncæque manus: subit & Neptunia proles,
Insignis Messapus equis: expellere tendunt

Nunc

348. *Loquentis Vocem animamque rapit.*] Quasi in media voce, & clamore vitam eripuerit; quem affectum in Dolone interfecto à Diomede habet Homer. 10. Iliad.

Φθεγγομένου δ' ἄρα τοῦ γε κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη.

Inde illud lib. 9. *clamantis sistit in ore.* Adi & Stat. 2. Theb.

Dum clamat, subit ære cavo Theumesia cornus,
Nec prohibent fauces, atque illi, voce repleta,
Intercepta natat prærupto in sanguine lingua.

Præclare Hesiod. in Scuto mortem vocat λαθήφθογγον, quod vocem adimat. Calab. lib. 11. *πείρησεν δ' ἅμα στόμα χαλκὸς γλῶσσαν ἔτ' αὐδήεσσαν· ferrum per os transfixit loquentem adhuc linguam.* Stat. 10. Theb. *penitus cervice recisa verba solo vultusque cadunt.* Valer. lib. 3. Arg. *ultima frustra verba ciens.* Idem.

349. *Fronte ferit terram.*] Ita Hom: Odyss. 22. *ὁ δὲ χθόνα τύπτε μετώπῳ.* & iterum,

Δύπησεν δὲ πεσών, χθόνα δ' ἤλασε παντὶ μετώπῳ.

Idem.

350. *Tres quoque.*] Agellius lib. 13. c.19. observat, Poëtam hic *tres* quidem, at in seqq. versu *tris* scripsisse, magna judicii subtilitate, & sonitus suavitate. Vide ibid. *Taubm.*

Boreæ de gente suprema.] Aut originem ducentes de Zeto & Calai, qui filii Boreæ & Orythiæ Nymphæ fuerunt: ut *de gente*, de genere accipiamus. Aut certe in Hyperboreis montibus natos: unde est origo venti Boreæ. *Suprema* autem pro supremi Boreæ: Si autem, ut quidam volunt, *Boream* principium generis accipiamus, erit *suprema* dictum pro summa; quod si ventum intelligimus, *suprema* ultima modo, sicut dictum est, initium flandi Boreas concipit. * *Servius.*

351. *Ismara.*] Civitas Thraciæ à monte Ismaro dicta: hic enim fœminino *Ismara*, quia patriam dixit, ibi neutri, id est, *juvat Ismara Baccho Conserere.* Idem.

352. *Occurrit Halesus.*] In antiquis, *obcurrit Alæsus* diphthongo *æ* in media sita syllaba: quæ tamen raro in codicibus antiquis habetur: sed ita Græci scribunt hujusmodi nomen Ἄλαισος absque etiam adspiratione. *Pierius.*

353. *Auruncæque manus.*] Glossar. vetus: *Aurunci, οἰκήτορες Ἰταλίας.* Scal. ad Fest. A Tybri usque ad Laurentum sunt *Pelasgi, Sicani* & *Aurunci.* Taubmannus.

354. *Expellere tendunt.*] Hoc est, loco se invicem movere contendunt. *Servius.*

Expellere tendunt, &c.] Expressus Homeri locus ex 12. Iliad. ubi neque Lycii possunt Græcos pervincere, neque Lycios Græci. Græca Ursinus habet. Abstineo. & tu vide longissimam pugnam ejusdem Vatis 17. Iliad. ad corpus Patrocli, ubi neutri cedunt Græci, & Trojani, sed diu stant in eodem gradu & compressu. Et quæ Poëta addit, *Nunc hi, nunc illi,* imitatur Stat. 8. Theb. ——*nunc turba recedit,*

Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit, & aufert. Cerda.

355. *Limi-*

Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipso
Ausoniæ. magno discordes æthere venti
Prœlia ceu tollunt, animis & viribus æquis.
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedunt:
Anceps pugna diu: stant obnixi omnia contra.

Haud

355. *Limine.*] Decenter dictum, hoc est, in litore. *Servius.*

356. *Magno æthere.*] In magno aëre. nam veluti in æthere non sunt, sed in aëre. sic supra, *Atque æthera tranant Cum sonitu*: pro aëre. *Idem.*

Magno discordes æthere venti, &c.] Omitto duo loca Statii è secundo, & octavo lib. Theb. quæ jam Collector, & locum Ennii, quem tantum citat, atque Homeri è lib. 9. Iliad. & addo à me alia, in quæ ipse incidi. Ergo Homer. lib. 16. Iliad.

Ὡς δ' Εὖρός τε, Νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλοιιν
Οὔρεος ἐν βήσσῃς βαθέην πελεμιζέμεν ὕλην.

Et postea addit,

Ὣς Τρῶες, καὶ Ἀχαιοὶ ἐπ' ἀλλήλοισι θορόντες
Δῄουν, οὐδ' ἕτεροι μνώοντ' ὀλοοῖο φόβοιο.

Nonnus lib. 32. pari comparatione exprimit furorem belli,

Ἄπλοος ἀντιπόροις βακχεύετο πόντος ἀήταις.

Calab. etiam lib. 2. Æthiopas, & Græcos ita comparat, *νεφῶν συνιόντων.* Stat. 5. Theb. signatissime ad Virg.

Sic ubi diversis maria evertere procellis
Hinc Boreas, Eurusque, illinc niger imbribus Auster.

Signatissime (inquam) nam *diversæ procellæ* Statii, est id, quod in Poëta præcessit, *Nunc hi, nunc illi.* Audi Musam Valerii 3. Arg.

—— contextis umbonibus urgent,
Cæruleo veluti cum Juppiter agmine nubem,
Constituit, certant Zephyri, frustraque rigentem
Pulsat utrinque Notus: pendent mortalia longo
Cerda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis. Cerda.

357. *Prœlia ceu tollunt.*] *Αἴρειν πόλεμον*, sæpe apud Æschyl. *Germanus.*

358. *Non mare cedit.*] Lucanus l. 5. eodem sensu dixit, *dubius pontus*, videlicet inter Zephyrum, & Eurum. Infra iterum,

Et dubium pendet, vento cui pareat, æquor.

Et Ovid. 8. Metamorphos. de nave contrariis malis agitata,

Vim geminam sentit, paretque incerta duobus.

Cerda.

359. *Anceps pugna diu.*] Hom. *μάχην*, & *νίκην ἑτεραλκέα* vocat, *ἑτεραλκῆ, ἑτερομερῆ, ἀλλοπρόσαλλον.* *Germanus.*

Obnixa omnia contra.] Mare mari, nubes nubibus, venti ventis. Legitur & *obnixi*: ut referatur ad ventos. *Servius.*

Stant obnixi omnia contra.] In antiquis omnibus exemplaribus, præsertimque Vaticanis tribus, legere est *stant obnixa omnia contra.* reliqui fere omnes abrasi, in quibus *obnixi* adulterina lectione repositum. Nam *obnixa* cum Servii quadrat interpretatione dicentis, *Mare mari, nubes nubibus, venti ventis.* Neque vero parum me moverit Arusiani Messi observatio, dum is elocutionis modum, quo *obnoxius contra illa* dicimus hoc exemplo probat, *Stant obnixi omnia contra*, ubi de ventis dubio procul intelligit: si *omnia* sit præpositionis appositum. Dici vero & *obnoxius huic rei* ex Georgicon tertio, & Æneidos duodecimo comprobatur, *Arboris obnixus trunco.* Pierius.

Stant obnixi.] Livius lib. 8. *in suo quisque gradu obnixi, urgentes scutis.* Cerda.

361. Haret

Haud aliter Trojanæ acies aciesque Latinæ
Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late
Inpulerat torrens, arbustaque diruta ripis,
Arcades, insuetos acies inferre pedestris,
Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci,
Aspera quis natura loci dimittere quando

Suasit

361. *Hæret pede pes.*] Pro *pedi.* Nam est Antiptosis: & versus est Homeri:

Ἀσπὶς δ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ. *Servius.*

Hæret pede pes.] Ita ante hunc Furius Annal. lib. 4.

Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.

Macrob. lib. 6. cap. 3. & lib. 5. cap. 13. Post Virgil. Statius l. 8. Theb.

Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo,
Ense minax ensis, pede pes, & cuspide cuspis.

Contendit hunc locum cum Homerico Scal. l. 5. c. 3. Poët. Criticis vehementer vapulantibus. *Taubm.*

362. *Rotantia.*] Ut *Eleusinæ matris volventia plaustra: Rotantia* ergo, quæ rotantur. *Servius.*

Saxa rotantia Intulerat torrens.] Sic & Lucret. lib. 1. *Vortice torto Corripiunt, rapidoque rotantia turbine portant.* Hom. Il. ν. ἀντικρὺ μεμαώς ὀλοοίτροχος ὥς ἀπὸ πέτρης ὅντε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάρροος ὤσῃ ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἴχματα πέτρης, &c. *Germ.*

363. *Torrens.*] Non Tyberis, sed quicunque alius fluvius ad tempus crescens. *Servius.*

Torrens.] Tunc siccus, ideo *impulerat*, ut qui tunc non impelleret. Et torrens quidem est, qui in æstate siccus: fluvii perennes sunt. Et hoc unicum discrimen. Plinius lib. 5. c. 28. *Amnis Indus in Cybiratarum jugis ortus recipit LX. perennes fluvios, torrentes vero amplius centum.* Sic etiam opponit Sen. epist. 40. *perennis sit unda, non torrens.* Cerda.

364. *Arcadas insuetos acies inferre pedestris.*] Quia saxis, quæ torrens intulerat, impediti Arcades, omissis equis pedestrem pugnam insueti inierant, & à Latinis pellebantur. Et *Arcadas* Accusativus pluralis est, cujus ultima syllaba ideo brevis est, quia nominativus pluralis *es* terminatur: ut *hi Arcades*, item *delphines*, *delphinas*. Serv.

Acies inferre.] Verbum militare. Cæsar 2. Gall. *signa inferre, & manipulos laxare jussit.* Liv. lib. 6. de Camillo: *signiferum secum arreptum in hostes rapit, infer miles, clamitans, signum:* Cerda.

365. *Latio sequaci.*] Metonymia pro Latinis, ut alibi, *Invadunt urbem somno vinoque sepultam.* Servius.

366. *Aspera quis natura loci, &c.*] Mihi non dubium, quin ista ducta sint ab Hom. Iliad. 12. Ibi ait Polydamus,

Ἀφραδέως διὰ τάφρον ἐλαύνομεν ὠκέας ἵππους.

Et reddit rationem, quia fossa ἀργαλέη περάαν· *difficilis est transitu*, ut in qua sint σκόλοπες, id est, *pali.* ac propterea ἔνθ' οὔ πως ἐστὶν μάχεσθ' ἱππεῦσι· *ibi nullo modo licet pugnare equitibus.* Inde demum ventum ad consilium hoc,

Ἵππους μὲν θεράποντες ἐρυκόντων ἐπὶ τάφρῳ,
Αὐτοὶ δὲ πρυλέες σὺν τεύχεσι θωρηχθέντες
Ἕκτορι πάντες ἑπώμεθ' ἀολλέες. ——

De Sarmatis ait Tacit. *nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum:* quia videlicet assueti equis, quæ quidem ignavia & Arcadibus contigit; nam semper assueti equis, sicut & de Parthis lib. 6. Annal. *illis sola in equite vis.* Cerda.

Dimis-

Suasit equos; unum quod rebus restat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris:
Quo fugitis, socii? per vos & fortia facta,

Per

Dimittere quando.] *Quando* siquidem. Et est Romanæ militiæ. nam in locis impeditis equos militibus dabant, & pedestri certamine confligebant. *Serv.*

Dimittere quando suasit equos.] In antiquis aliquot *demittere* legitur. Nam *dimittere*, in diversas partes mittere significat: & *Dimissus Senatus*, quia alius alio domum quisque suam revertens, ingreditur. Juniores tamen Grammatici volunt *demittere* deorsum mittere significare, neque unquam accipi pro relinquere. *Pierius.*

368. *Nunc prece, nunc dictis virtutem incendit amaris.*] Illustro hanc sententiam ab Hom. qui de utroque Ajace Iliad. 12.

Ἄλλον μειλιχίοις, ἄλλον στερεοῖς ἐπέεσσι
Νείκεον. ——

Alium blandis, alium duris verbis
Increpabant. ——

Male νείκεον, nam tantum duris convenit, non blandis. Ab Nonno lib. 29. ubi de duce Indorum,

Ἄλλον ὀκνείῃ μεταινύμενος, ἄλλον ἀπειλῇ.

Alium mansuetudine revocans, alium minis.

Ab Josepho, qui l. 1. Bell. c. 8. ἀπειλητὴς ἅμα, καὶ σύμβουλος ὢν ἑκάστοις. *Erga singulos interminator simul, & consiliator.* In eodem lib. cap. 13. τοὺς μὲν παρακαλῶν, τοῖς δὲ ἀπειλούμενος. Ab Statio, qui 2. Theb. *Justis miscens tamen aspera cœpit.* Petron. Sat. *Postquam precibus iracundiam misceri.* Ab Livio, qui de Annibale lib. 21. *Varie militum versat animos, castigando, adhortandoque.* Ab Prudent. qui in Psychom.

Instimulans animos nunc probris nunc prece mista.

Ab Ovidio, qui secundo Metamorph. *precibusque minas regaliter addit.* Supra in hoc lib. *Admonet, immiscetque preces.* Cerda.

369. *Quo fugitis?*] Hoc amare dictum est. jam preces sequuntur. *Serv.*

Quo fugitis?] Cum omnia teneant hostes. *Donatus.*

Quo fugitis, socii.] Homerus decimosexto Iliados Πόσε φεύγετε; Alibi, Πῆ φεύγεις; Comparat hanc orationem Julius Scaliger cum multis Homericis. Addo à me verba Fabii apud Livium libro secundo: *Hoc jurastis milites? fugientes vos in castra redituros? &c.* Prudentium, qui Psychom.

Quo ruitis? cui colla datis? quæ vincula tandem,
Proh pudor, armigeris amor est perferre lacertis?

Ubi sermo est de fuga virtutis ad vitium. Silium, apud quem Scipio lib. 4.

At Consul toto palantes æquore turmas
Voce tenet, dum voce viget. Quo signa refertis?
Quis vos heu vobis pavor abstulit? horrida prima
Si fors visa loci, pugnæque lacessere frontem,
Post me state viri. ——

Et post pauca:

Quo fugitis? quæ spes victis? Alpesne petemus?

Volo autem adeas initio orationis diligentiam Jul. Scaligeri lib. 3. cap. 70. expendentis illustres versus ex Rhetorica argumentatione. *Cerda.*

Per vos & fortia facta.] Adjurat eos per ipsorum facta, quoniam non habet puer proprios titulos, nam est ei prima militia. *Servius.*

Per vos & fortia facta.] Magnus stimulus, si cuique proponas, quod olim egregie fecerit. Ideo postea, *devictaque bella.* Marcellus apud Livium lib. 27. *Qui pavor hic? qui terror? quæ repente, qui, & cum quibus pugnaretis, oblivio animos invasit? Nempe iidem sunt hi hostes, quos vincendo, & victos sequendo priorem æstatem absumpsistis.* Titus apud Josephum lib. 7. Bell. capite primo

Roma

Per ducis Euandri nomen, devictaque bella,
Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudi,
Fidite ne pedibus. ferro rumpenda per hostis
Est via, qua globus ille virûm densissimus urguet:
Hac vos & Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt: mortali urguemur ab hoste
Mortales: totidem nobis animæque manusque.

Ecce,

Romanos hortatur, quod turpe esset desides esse homines *τῆς γῆς ὀλίγου ἅπασης, καὶ θαλάσσης κρατοῦντας victores universæ terræ, & maris.* Annibal apud Polyb. lib. 3. ait turpem esse fugam in his, qui essent memores pugnarum, quas in itinere jam pugnavissent; *μνημονεύων τὸ πλῆθος τῶν μεταξὺ πολέμων.* Idem Annibal apud eundem, adhortans suos ante Cannensem pugnam ita ait: *ὅτι δὲ κατὰ τὸ συνεχὲς τρισὶ μάχαις τηλικαύταις ἐξ ὁμολόγου νενικήκατε Ῥωμαίους, ποῖος ἂν ἔτι λόγος ὑμῖν ἰσχυρότερον παραστήσαι θάρσος αὐτῶν τῶν ἔργων. Cerda.*

370. *Per ducis Euandri.*] Melius *ducis*, quam si dixisset Regis, hoc enim nomen exprimit ducentem in prælia: Sallust. *Quo cupidius in ore ducis se quisque bonum & strenuum ostentantes.* Non dixit proconsulis. *Servius.*

Per ducis Euandri.] Apte victoris patris nomen inducit ad commovendos milites. Apud Curtium libro 3. sub ipsum belli discrimen: *Victor ad hac Atheniensium Philippus pater invocabatur.* Cerda.

Devictaque bella.] Finita, exhausta. nam hostis vincitur, non bellum. *Serv.*

371. *Spemque meam.*] Exspectationem, quam sustineo. Quasi dicat, Euander pater meus, Dux insignis vester, multa bella virtute confecit, gloriosus semper remeavit. Ergo filius ejus, & nunc primum ductor vester effectus, cui cum triumphis paternis certamen est, primum non similis redibit? *Taubmannus.*

Subit.] Succedit, ut *Cui deinde subibit.* Servius.

Laudi.] Ut solet virtuti, potest proprie intelligi. *Idem.*

Quæ nunc subit æmula laudis.] In Romano codice, & plerisque antiquioribus codicibus *laudi* dativo casu legitur. *Pierius.*

372. *Fidite ne pedibus.*] Dativus est *pedibus*. nam *fido tibi* dicimus. *Servius.*

Ferro rumpenda per hostis Est via.] Liv. lib. 4. *Ferro via facienda est.* Et in Cannensi prælio, *ferro, atque audacia iter fit, quamvis per confertos hostes.* Et lib. 22. *Neque enim inde votis, aut imploratione Deûm; sed vi, ac virtute evadendum esse: per medias acies ferro viam fieri.* Et lib. 9. ore Dictatoris Romani: *Locis angustis milites deprehensi, nisi quam victoria patefecerimus viam nullam habemus.* Catilina apud Sallust. *Quocunque ire placet ferro iter aperiendum est.* Cerda.

373. *Qua globus ille virûm densissimus urget.*] In Romano codice *quo* & *urguet* Attiano more habetur. Ita inferius, *Mortali urguemur ab hoste.* Pier.

374. *Hac vos & Pallanta ducem patria alta reposcit.*] Hoc vult patria, ut per cædes hostium revertamur. *Servius.*

Hac vos, &c.] Cum sententia sit, per cædes redeundum in patriam, quadrant in hunc locum verba Alexandri apud Curtium lib. 4. *Tot terrarum spatia emensis, tot amnibus, montibusque post tergum objectis iter in patriam & Penates manu esse faciendum.* Cerda.

375. *Numina nulla premunt.*] A facili argumentatur dicens non cum deo, sed contra mortales bella tractamus. *Servius.*

377. Ecce

Ecce, maris magna claudit nos objice pontus:
Deest jam terra fugæ. pelagus Trojamne petemus?
Hæc ait, & medius densos prorumpit in hostis.
Obvius huic primum, fatis adductus iniquis,
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dedit: hastamque receptat

Ossibus

377. *Ecce maris.*] Quod est efficax, in fine posuit. nam dicit eos quo fugiant non habere, cum terra ab hostibus teneatur: mare autem pedibus transire non possint: castra vero ingredi turpissimum sit. Aut certe etiam hoc impossibile, si ab hostibus obsidentur, ut quidam volunt, intelligentes. Et rapit acer totam aciem, in Teucros scilicet suam quam ducebat cæteris relictis. *Idem.*

Magna claudit nos obice pontus.] Periphrasis. Id est, mari claudimur: Modo usus habet ut *hic obex* dicamus: unde quidam *magno obice* legunt. Antiqui etiam *hæc obix* dicebant, secundum quod est *magna obice*. Hinc est quia nonnulli vitant generis dubietatem, & legunt *magni*, scilicet *maris*. Caper tamen in libris dubii generis, probat dici & *hic obex* & *hæc obex*: quod ut diximus, hodie de usu recessit. *Idem.*

Ecce, maris magno claudit nos objice Pontus.] *Magno* virili genere in impressis omnibus codicibus legas. In antiquis vero *magna* fœminino genere. Idque recepisse Servius videtur, quum dixit, *Quidam magno objice legunt.* Atque nonnullos ad evitandam ambiguitatem legere malle *magni*, scilicet *maris*. Usque adeo vates, summus loquendi, scribendique artifex, sub ferulam, si Deo placet, revocatur à Grammaticis, qui nolunt amplius *hic* & *hæc obex* dici: ut veteribus dicere concessum est. Est & illud adnotandum *obice* unico *i* in antiquis codicibus scribi. *Pierius.*

Claudit.] Claudianus de Bello Gildon. *Tyrrhena clauditur unda.* & de Bello Getico, *obice ponti.* Est, *claudit nos pontus magno obice*, idem quod, dividit nos magno obice, ait Jul. Scalig. l. 4. Poët. cap. 16. *Cerda.*

Pelago Trojamne petetis.] *Pelago* impressa omnia legunt exemplaria, quum tamen in vetustioribus omnibus *fugæ pelagus* legatur, quod alii viderint. Præterea pro *petetis*, *petemus* persona prima in plerisque codicibus habetur. In aliquot ex iis, qui apud me sunt, *petamus*, quod figuratius est. *Pierius.*

Trojam.] Id est, castra Trojanorum. *Servius.*

379. *Densos prorumpit in hostis.*] Ut eos hortaretur exemplo. *Idem.*

380. *Fatis iniquis.*] Exitum præoccupavit futurum. *Idem.*

381. *Magno pondere.*] Hoc est, magni ponderis: ut, *Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis*, pro æris cavi. *Idem.*

Hic magno vellit dum pondere saxum.] In Romano codice *vellit magno*. Sed quod ibidem *cum*, pro *dum* positum est, non placet. lege vero *hunc* accusativo casu. *Pierius.*

Magno vellit dum pondere saxum.] Ita etiam apud Stat. 2. Theb. Tydeus,

Saxum ingens, quod vix prima cervice gementes
Vertere humo, murisque valent inferre juvenci,
Rupibus avellit. —

Cerda.

383. *Qua spina.*] Apud Homer. 14. Iliad. Archelochus vulnus excipit ἐν ἀστραγάλῳ, videlicet in vertebra spinæ. *Idem.*

Receptat.] Ideo, frequentativo usus est; quia ossibus inhærentem hastam

facile

Ossibus hærentem. quem non super occupat Hisbo,
Ille quidem hoc sperans: nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis,
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Sthenelum petit, & Rhœti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercæ.

Vos

facile avellere minime poterat. Et expressit moram quandam & molitionem extrahentis. Ergo *receptat*, est frequenti concussione divellit. Tale est & illud, *Clypeoque sinistram Insertabam aptans*. Servius.

384. *Quem non super occupat.*] Quem super Lagum subauditur *stantem*, ideo autem desuper, quia Pallas ad evellendam hastam fuerat inclinatus. *Idem.*

Occupat.] Sermo militaris. Ovid. 8. Metamorph. *occupat audentem*. Infra in hoc lib. *occupat os flammis*. Hom. Iliad. 16.

Φθάῃ ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσαι·

Præveniat hasta meæ perculsus animum perdere.

Calab. libr. 11. παρφθάμενος δαΐξειν· *præveniens vulneras*. Iliad. 13. φθάμενος βάλε δουρί. Plutar. in Pompejo, φθάνει παίσας δόρατι. Calab. libr. 10. τὸν ὑποφθάς. Homerus Iliad. 23. hujusmodi pugnatorem vocat ὑποφθάμενον. *Cerda.*

385. *Nam Pallas ante ruentem, Dum furit.*] Ordo est, nam eundem Pallas ante excipit, id est, dolo interimit. Ille enim incautus fuerat, furens propter crudelem mortem sodalis. unde & incautus fuerat. *Servius.*

386. *Incautum.*] Par nota in exitio Amycei apud Val. lib. 4. Arg. qui perit gerens se incaute, & nimium furenter, ait enim:

Sævit inops Amycus, nullo discrimine sese
Præcipitans. ——

Apud Cal. lib. 1. cadit telo Penthesileæ Podarcus, cujus propter interfectum amicum θυμὸς ὀρίνθη· *commotus est animus*. Cerda.

387. *Tumido in pulmone.*] Et naturaliter tumido, & quia furebat. *In pulmone* autem *recondit*, Archaismos est, pro *in pulmonem*. Servius.

Tumido in pulmone.] Qui ab reliquis Græcis πνεύμων à flatibus, ab unis Atticis dicitur πλεύμων, unde per metathesin vox Latina *pulmo*. Usurparunt πλεύμονα Aristoph. in Irene, & Hippocr. lib. de ossium natura, non longe ab initio, & alias sæpe. In lib. de internis affectionib. ἐὰν πλεύμων οἰδήσῃ· *si pulmo intumuerit*. & lib. 3. de Morbis, πλεύμων οἰδέων· *tumens pulmo*. Ceterum hic ictus habetur etiam 9. Æneid. *ferrum tumido in pulmone tepescit*. Et Eurip. in Ione, ἔσω τόξα πνευμόνων λαβεῖν· *sagittas accipere intra pulmonem*. Ibidem loquens de dolore, ἔτυπεν πνευμόνων τῶν δ᾽ ἔσω· *percussit intra pulmones*. Cerda.

389. *Hinc Sthenium petit.*] Pro *tunc*, loci adverbium pro temporis. *Servius.*

Hinc Helenum petit.] In antiquis plerisque codicibus, *Stelenum* habetur: unde Librarii *s* & *t* in adspirationem convertere. In Romano vero codice, *Stevelum* legitur: sed absque adspiratione. Id vero nomen apud Græcos per θ notatur Σθένελος. *Pierius.*

Helenum.] Servius in Comment. *Sthenium* legit, quem sequerer, nam *Helenus* Trojanum est nomen. Itaque indecorum, hominem Trojani nominis educi in Trojanos. *Cerda.*

Rhœti de gente vetusta Anchemolum.] Hæc fabula in Latinis nusquam invenitur auctoribus. Abienus tamen, qui totum Virgilium jambis scripsit, hanc commemorat, dicens Græcam esse. Rhœtus ergo Marrubiorum rex fuerat in Ita-

Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia Laride, Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error.
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam

in Italia, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit novercam: hanc privignus stupravit. Qua re cognita cum eum pater insequeretur, & ad pœnam vocaret, fugiens se ille contulit ad Daunum. Merito ergo in bello Turni, Dauni filio Anchemolus gratiam reddit. *Gente* autem *vetusta*, ideo, quia à Forco deo marino originem ducere legitur. Hoc totum Alexander Polyistor tradit, quem Lucius Sylla civitate donavit. *Servius.*

390. *Vos etiam gemini.*] Ut supra, *Tu quoque flaventem prima lanugine malas.* Idem.

Vos etiam gemini, &c.] Huic loco ita hæsit Sil. lib. 2.

Vos etiam primo gemini cecidistis in ævo
Eurymedon fratrem, & fratrem mentite Lycorma.
Cuncta pares, dulcisque labor sua nomina natis
Reddere & in vultu genitrici hærere suorum.

Cerda.

392. *Suis.*] Etiam suis. Lucanus, *Et amissum fratrem lugentibus offert.* Et est absolutum suis omnibus, non suis parentibus tantum. *Servius.*

Indiscreta suis.] Claud. in 4. Consf. Hon. ita de utroque Castore,

Haud aliter summo gemini cum patre Lacones,
Progenies Ledæa, sedent: in utroque relucet
Frater, utroque soror: similis chlamys effluit auro,
Stellati pariter crines. juvat ipse Tonantem
Error, & ambigua placet ignorantia matri.
Eurotas proprios discernere nescit alumnos.

Statius etiam Thebaide sexta:

—geminis eadem omnia, vultus,
Currus, equi, vestes: par & concordia voti
Vincere, vel solo cupiunt à fratre relinqui.

De Eurymedonte, & Lycorma Silius l. 2.

— geminæque notis decepta figuræ
Funera mutato revocabat nomina mater.

Et post pauca;

Tunc etiam ambiguos cecidit super inscia natos.

Porro de lectione integri Siliani loci vide Modicium. Plinius lib. 6. cap. 12. inter alia exempla: *Magno Pompejo Vibius quidam è plebe, & Publicius etiam servitute liberatus, indiscreta prope specie fuere similes, illud os probum reddentes, ipsumque honorem eximiæ frontis.* Idem cap. 29. lib. 10. *indiscreta redderem similitudine.* Sed Plin. caute *prope* addidit, ut vides, nam omnino *indiscretas effigies* ipsemet negat cap. 1. lib. 7. Plaut. Men. de hac omnimoda similitudine:

Neque aqua aquæ, neque lac est lacti, crede mihi, usquam similius,
Quam hic tui est, tuque hujus. —

Utramque comparationem ab lacte, & aqua assumit idem ad rem eandem in Mil. Philo in l. de Temulent. ita etiam ait: *ἐπὶ τῶν διδύμων ἡ φύσις χρησαμένη τῷ αὐτῷ πολλάκις χαρακτῆρι, παρὰ μικρὸν ἀπαραλλάκτους ὁμοιότητας ἐτύπωσε.* *Cerda.*

Gratus error.] Horat. 2. epist. lib. 2. *mentis gratissimus error.* Est hoc quod idem Od. 4. l. 3. *amabilis insania.* Prosper. Aquitan. lib. de Promiss. loquens de Jacobo assimilato fratri Esau, *factus est gratus error parentibus.* Idem.

393. *Discrimina.*] Differentias. *Servius.*

At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas.]

Nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abstulit ensis:
Te decisa suum, Laride, dextera quærit;
Semanimesque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas accensos monitu, & præclara tuentes
Facta viri, mixtus dolor & pudor armat in hostis.
Tum Pallas, bijugis fugientem Rhœtea præter

Tra-

Pallas.] Non abit affectus ille Æschyli in ἑπτ'. Θηϐ. ἀλλ' ἐπὶ φόνῳ διακρίθητε· *sed estis in morte discriminati.* Pari aura cum Virgilio Lucan. lib. 3.

Discrevit mors sæva viros, unumque relictum
Agnorum miseri sublato errore parentes, &c. Cerda.

394. *Thymbre.*] Pro *Thymber*, metri caussa Metaplasmum fecit. Ipse enim superius *Thymber* dixit. *Servius.*

Caput Euandrius.] Docet Martianus Capella syllabam ubique esse commu nem, quæ desinat in *T* literam. Politianus c. 71. *Taubm.*

Euandrius abstulit ensis.] Possessivum est modo, non patronymicum. *Servius.*

395. *Decisa suum.*] Mire *suum*, tanquam dominum, à quo fuerat separata. *Idem.*

Te decisa suum, &c.] Sensus est, brachium dextram decisam requisivisse, & digitos aliquo subsultu & motu, qui à convulsione committitur, veluti prius ministerium affectasse. *Germanus.*

Dextera quærit.] Ex Musa Maronis Ovid. & Stat. Prior 6. Metamorph. in historia Philomelæ:

—— forcipe linguam
Abstulit ense ferox, radix micat ultima linguæ,
Ipsa tacet, terræque tremens immurmurat atræ,
Utque salire solet mutilatæ cauda colubræ,
Palpitat, & moriens dominæ vestigia quærit.

Posterior lib. 7. Theb.

—— dividuum trans corpus hiantes
Truncum oculi quærunt, animus caput. ——
Cerda.

396. *Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.*] De Ennio sublatum est, ille enim ait, *Oscitat in campis caput à cervice revulsum, Semianimesque micant oculi, lucemque requirunt.* Quem versum ita ut fuit ad suum carmen transtulit Varro & Attacinus. *Servius.*

397. *Arcadas, &c.*] Vehementer movetur virtus alieno exemplo, maxime ducis. *Donatus.*

Tuentes.] Modo intuentes, alias defendentes significat. *Servius.*

398. *Dolor, & pudor.*] Sic de Mezentio, *Æstuat ingens Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu.* Alii *dolorem* alicujus studii ardorem, & promptam gloriæ cupiditatem veterum more dictum volunt, ut Græci πόνον appellant. Lucilius in quinto, *Nam omnibus unus dolor receptus labosque.* Idem.

Dolor, & pudor.] In Romano codice pro *pudor*, legitur *furor*. Sed enim *pudor* magis placet: quia viderunt juvenem Pallanta strenue facientem, à quo tam acriter reprehensi fuerant. *Pierius.*

Mistus dolor & pudor.] Præclare conjungit. Arist. lib. 1. Rhet. cap. 6. pudorem per dolorem explicat, nam vicini affectus, ἔστω δὲ αἰσχύνη λύπη τις καὶ ταραχὴ περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα. Calab lib. 13. etiam conjungit, αἰδὼς, καὶ χόλος ἀμφεχύθη. Neptunus apud Homerum 13. Iliad. admonet Græcos ponant ante oculos αἰδῶ, καὶ νέμεσιν. Livius lib. 2. *Nunc indignatio, nunc pudor pectora versare.* Sane ab dolore indignatio est. *Cerda.*

399. *Fugientem Rhœtea præter.*] Id est, præterfugientem. *Servius.*

400. Hec

Trajicit. hoc ſpatium, tantumque moræ fuit Ilo:
Ilo namque procul validam direxerat haſtam:
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren: curruque volutus
Cædit ſemanimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut optato, ventis æſtate coortis,

Diſperſa

400. *Hoc ſpatium, tantumque moræ fuit Ilo.*] Hoc tantum ſpatium, & hæc ſola mora quo minus Ilus periret. De cujus morte cum nihil dicat, intelligendum eſt. *Idem.*

Tantumque moræ.] Cum Rhœteus dicatur *mora* Ili, ejus mortem ſuſpendit, recte quadrat illud veteris Poëtæ, à quo Hector dicitur *belli mora*, quia illo vivente ſuſpenſa fata Trojana. Tale & illud Latronis apud Senecam Rhet. ſuaſ. 2. *Si nihil aliud erimus, certe belli mora.* Et Lauſus infra in hoc libro dicitur *mora* patris Mezentii: ait enim Poëta, *ipſumque morando ſuſtinuit*, id eſt, ſuſtinuit Æneam. *Cerda.*

401. *Ilo namque.*] Id eſt, in Ilum. *T.*

402. *Intercipit.*] Quia intercipi aliena dicuntur. *Servius.*

Teuthra.] Ab eo, quod eſt *hic Teuthras*, ſicut *Æneas.* Idem.

403. *Tyren.*] Ab eo, quod eſt *hic Tyres.* Idem.

Fratremque Tyren.] In Romano codice, *Tyrin*: quia ſcilicet ητα nunc aliter pronuntiatur apud Latinos, aliter apud Græcos. Τύρην enim eſt à nominativo Τύρης. *Pierius.*

Curruque volutus.] Plenus hac re Homer. cujus duces ſæpe è curru pugnant, è curru cadunt ὕπτιοι καὶ πρηνέες. & 5. Iliad. ἤριπε ἐξ ὀχέων. Nihil frequentius. *Cerda.*

404. *Semianimis*] Poteſt & *ſemianimis*, ab eo, quod eſt *ſemianimus*, legi. *Servius.*

Cædit calcibus arva.] Ita infr. in hoc lib.

Sternitur infelix Acron, & calcibus atram
Tundit humum exſpirans. —

Ludit Nonnus lib. 22. in re luctuoſa,

Καὶ πόδας ἀμφελέλιξεν ἔχων ὀρχηθμὸν ὀλέθρου·

Vibrabat pedes habens tripudium mortis. Eodem lib. de moriente χθόνα ποσσὶν ἀράσσων· *terram pedibus cædens.* Hom. aliquoties λὰξ in re eadem. & Il. 14. οὔδει πλῶντο κνῆμαι καὶ γοῦνα πεσόντος· *lapſæ in terram ſunt tibiæ & genua cadentis.* Et Odyſſ. 18. λακτίζων ποσὶ γαῖαν. Inde apud Æſch. Supplicib. πατήματα ἀνδρῶν, & ἀπολακτισμοὶ βίου, quaſi *vitæ calcitramenta.* Cerda.

405. *Optato.*] Id eſt, ex voto. Per æſtatem enim venti frequentes optantur, & quaſi contingere videntur ex voto: quia difficili æſtate validiores ſunt. *Servius.*

Ac velut optata ventis æſtate cohortis.] *Optata* quidem in vulgatis codicibus habetur. Sed enim antiqui omnes, quotquot habui, *optato* legunt adverbialiter, quod admittere videtur Servius, dum interpretatur *ex voto.* Sed ejusquoque exemplaria paſſim corrupta ſunt. Hoc vero ita legendum: *optato, id eſt, ex voto: per æſtatem enim venti frequenter optantur, & quaſi contingere videntur ex voto*: quod ſi *optata* legas, nihil ad Servii paraphraſin: ſed contrarium ſenſum habebit: ut æſtas optetur ventis ſurgentibus. Quare *optato* omnino mihi legendum videtur. *Pier.*

Ac velut, &c.] Scal. l. 5. c. 5. *Taubm.*

Ventis æſtate coortis.] Hanc cauſam Ovidius attigit lib. 7. Metamorph. ubi de favilla, *utque ſolet ventis alimenta aſſumere.* Et Hom. qui lib. 11. πάντῃ δ' εἰλυφόων ἄνεμος φέρει, præceſſit πῦρ, *circumvolvit in omnem partem ventus, rapitque ignem.* Sic & 2. Æneid. flammæ

 anima-

Dispersa inmittit silvis incendia pastor:
Correptis subito mediis, extenditur una
Horrida per latos acies Volcania campos:
Ille sedens victor flammas despectat ovantis.
Non aliter sociûm virtus coit omnis in unum:
Teque juvat, Palla. sed bellis acer Halesus
Tendit

animatur *furentibus Austris.* Apud Aristotelem l. 1. Meteor. hujus rei magna mentio. Calab. lib. 1. ait de igne, *μαίνεται ἐπειγομένου ἀνέμοιο· furit concitante vento.* Et in eodem libro grassantur flammæ ἐπαπείρχοντος ἀήτεω· *urgente vento.* Et *æstate* ait Virgilius, ut ibidem Calab. *ἐπὶ θάμνοις αὐαλέοισιν· in virgultis aridis.* Cerda.

406. *Dispersa.*] Ex diversis locis. *Servius.*

Inmittit.] Græci, πῦρ ἐμβάλλειν. *Cerda.*

407. *Mediis.*] Absolute dixit. *Servius.*

Mediis.] Τοῖς διαχειμένοις. Eustath. in illud Homeri δαῖε οἱ ἐκ κόρυθος. Il. ε. χρήσιμα δὲ εἰς τὸ κατανοῆσαι τὸ τοῦ διομήδους πῦρ, καὶ σταλαγμὸν ῥηθὲν περὶ τινὸς τὸ, πυρὶ ἄρα ἐώκει ὁ ἄνθρωπος ἐξάπτοντι πάντα τὰ διακείμενα. *Germ.*

Extenditur una.] Sicut duces diversis locis commissa prælia continuaverant. *Servius.*

Extenditur.] Sic placuit Poëtæ exprimere vagantem iguem. Nonnus lib. 45. Dionys. πολυσχιδὲς ἀλλόμενον πῦρ, & κατάσσυτον, & περιφόρητο. *Divisus & saltans ignis, concitatus, raperetur.* Aptissime Joan. Chrysost. ut Christi Euangelium in omnem partem dispersum explicet, ait igne vehementius terrarum orbem occupasse, πυρὸς σφοδρότερον πάντων ἐπῄει τὴν οἰκουμένην. Et Græci passim, ἐπινέμεσθαι de igne, & βόσκεσθαι ab hac illius vagantis natura, & depascentis omnia. *Cerda.*

408. *Acies Vulcania.*] Ideo abusus est: quia comparatio ad bellum pertinet. nam de igne *aciem* dicere, nimis incongruum: est enim *acies Vulcania,* vis ignis, quæ late per campos effunditur. *Servius.*

Acies Vulcania.] Inepte Servius, *De igne aciem dicere, nimis incongruum est.* Imo *nimis poëtice,* ait Erythræus. verissime. An insolitum est, ut ignis *pugnet,* & *hostis* sit? Deinde, nonne ignis omnia devastat veluti hostiliter? cur non ergo dicetur *acies?* & sane qui diceret *exercitum flammarum,* poëtice admodum loqueretur. Inde Sallust. Jugurt. *igni ager vastabatur.* Tertio, acumen est in Poëta ex acumine ignis. Quippe acies dicta ab fronte acuta in quam desinit, nam ea forma solet collocari: atque ignis etiam acuminata est forma, Græce πῦρ: imo ab illo acuminata omnia, ut pyramis, pyrum, pyrinxi. Congrue itaque *acies Vulcania* cum respectu & ad formam ignis, & militiam. *Cerda.*

Acies Vulcania.] Id est, vis ignis, qui veluti exercitus est Vulcani. Plautus *violentiam Vulcani* dixit. *Taubm.*

409. *Ille sedens.*] Non quasi Pallas pugnantibus suis nihil agit, sed comparatur illius securitati hujus voluntas. *Servius.*

Victor.] Voti compos, ἐπιτυχών. *Id.*

Ovantis.] Abusio est, non proprietas. *Servius.*

410. *Non aliter sociûm virtus coit.*] In Oblongo numerus ita mutatus, *non aliter virtus sociûm coit.* Pierius.

Coit omnis in unum.] Id est, compellit. Unanimiter omnes fortiter faciunt. *Servius.*

411. *Sed bellis acer.*] *Sed* modo inceptiva particula est, ut in Salustio sæpius, sicut *At* interdum: nam non est conjunctio ratiocinantis. *Idem.*

Hale-

Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque:
Strymonio dextram fulgenti deripit ense
Elatam in jugulum: saxo ferit ora Thoantis,
Ossaque dispersit cerebro permixta cruento,
Fata canens silvis genitor celarat Halesum;
Ut senior leto canentia lumina solvit.
Injecere manum Parcæ, telisque sacrarunt

Euan-

Halesus.] In aliquot antiquis *Alæsus* per *æ* diphthongon, ut superius dictum, & absque ulla adspiratione. *Pierius.*

412. *Seque in sua colligit arma.*] Scuto se tegit: Alibi, *Et se collegit in arma.* Servius.

Seque in sua colligit arma.] Seneca verbo *contrahi* dixit lib. de Tranq. c. 8. *Habiliora sunt corpora pusilla, quæ in arma sua contrahi possunt.* Cui verbo opponit *superfundi*; sequitur enim statim, *quam quæ superfunduntur, & undique magnitudo sua vulneribus objecit.* Cerda.

414. *Dextram fulgenti diripit ense.*] Non in antiquo tantum codice Romano, verum etiam in quibusdam aliis pervetustis, hoc loco legitur *deripit* per *e*, significat enim hoc separationem: sed aliud quid in *diripere.* Pier.

415. *Elatam in jugulum.*] Jugulo suo vulnus minantem. *Servius.*

416. *Ossaque dispergit.*] *Dispergit* instanti tempore legitur in vulgatis exemplaribus. In antiquioribus vero omnibus, quos præ manibus habuimus, *dispersit* præterito. *Pierius.*

417. *Fata canens.*] Quasi divinus. Alii *cavens* legunt, secundum quod non statim & divinus: cavere potuerat & ab aliis audita. *Servius.*

Fata canens.] In codicibus nonnullis, *fata cavens* legitur: quod non ita Servio satisfacit. *Pierius.*

418. *Canentia lumina.*] Aut Hypallage, pro *ipse canens.* aut physicam rem dicit. Dicuntur enim pupillæ mortis tempore albescere. *Servius.*

Canentia lumina.] Calab lib. I. ἄψεα πάντα λῦσε μόρος· *membra omnia mors solvit.* Prudentius Hym. 10. Cathem. morte dixit *resolutos artus.* Joannes Chrysostomus Orat. 3. de Natura Dei, ἐκλύονται dixit in re simili. Itaque eo modo, quo membra reliqua dicuntur solvi morte, quia defecta suo vigore, sic etiam oculi. τὸ *canentia lumina* refero ad senectutem. Id rimor ex Hippocr. ita scribente lib. περὶ σαρκῶν· ἡ δὲ κόρη καλεομένη τῶν ὀφθαλμῶν, μέλαν φαίνεται διὰ τοῦτο, ὅτι ἐν βάθει ἐστὶν, καὶ χιτῶνες περὶ αὐτὸ εἰσὶ μέλανες. Hinc colligo, illum, cui præ senectute tunicæ deciderint, albis esse oculis. Et quia id frequentissime in senibus accidit, ideo sæpissime visuntur illi hoc habitu. *Cerda.*

419. *Injecere manum Parcæ.*] Traxerunt debitum sibi. Et sermone usus est juris. nam *manus injectio dicitur, quotiens nulla judicis auctoritate exspectata, rem nobis debitam vindicamus.* Servius.

Telisque sacrarunt Euandri.] Multis experimentis ostenditur Virgilium subtiliter & aliud agentem ritum vetustissimorum sacrorum referre. Hic ergo cum dicit, *telisque sacrarunt Euandri,* docet quidquid destinatum diis, id sacrum appellari. Perveniri autem ad deos non posse, nisi libera onere corporis fuerit anima, quod nisi morte fieri non potest: opportune ergo hic sacratum Halesum loquitur, cum imminebat interitus. *Idem.*

Injecere manum.] Proprietatem humani & divini Juris hic exsecutus est.

 Quippe

Euandri, quem sic Pallas petit ante precatus:
Da nunc, Thybri pater, ferro quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halesi.
Hæc arma exuviasque viri tua quercus habebit.
Audiit illa deus, dum texit Imaona Halesus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non cæde viri tanta perterrita Lausus,

Pars

Quippe *manus injectione*, pæne mancipium designavit. Cur vero sacrum faciat *Halesum*, Macrob. lib. 3. cap. 7. Sed accuratissime Cælius lib. 12. c 11. & Des. Heraldus ad Arnob. lib. 2. Vide & Not. Eclog. 9. *Taubm.*

Injecere manum Parcæ.] Conversa phrasi Lucan. lib. 3.

—— quanta est ea gloria genti
Injecisse manum fatis.

pro, Inferre sibi mortem. *Germanus.*

420. *Petit.*] Petit telo, & precatur verbis. *Donatus.*

421. *Da nunc, Thybri pater.*] Vicinum invocat numen, circa cujus ripas bella tractantur: sic supra, *Tu dea, tu præsens nostro succurre labori.* Servius.

Da nunc, Tybri pater.] In Romano codice familiari errore, *Tybre* scriptum est. *Pierius.*

422. *Fortunam.*] Signate & quæsite. Græcis τύχη est fortuna; & de telis, quæ assequuntur scopum τυχεῖν dicunt, si secus, ἀποτυχεῖν. inde tela, εὐτυχῆ, id est, *fortunata*, & δυστυχῆ, quæ ἱπώσια, ut loquitur Homerus, id est, *infortunata* & *irrita*. Et 13. Iliad. δουρὶ τυχὼν, quod sæpissime inculcat. *Cerda.*

Viam.] Valer. lib. 3. jure simili *iter* dixit, *pectore rumpit iter.* Infra etiam de vulnere, *una eademq; via, &c.* Id.

Duri.] Aut fortis, aut asperi & crudelis in hostes. *Servius.*

423. *Tua quercus.*] In tuis ripis creata. Sane superius de speciebus stativi augurii dictum est, in quibus capillorem esse diximus, quod hoc loco tangit. *Capillor* autem dicitur cum auspicato arbore capitur & consecratur Jovis fulguri, dicit enim his versibus, *Da nunc Tybri pater ferro quod missile libro Fortunam, &c. Hæc arma exuviasque viri tua quercus habebit:* hic ergo cum *arborem* nominat, videtur veteris ritus inducere mentionem. *Idem.*

Hæc arma exuviasque viri tua quercus habebit.] Claud. 1. in Ruff.

—— si latior adsit
Gloria, vestita spoliis donabere quercu.

Admonet autem Servius, excusus ex schedis Danielis, allusum à Poëta ad veteris ritus mentionem, quo capillata, aut capillatis arbor dicebatur, in qua capillus tonsus, tanquam exsuviæ, suspendebatur, & arbor illa Jovi consecrabatur. Hæc est sententia Servii, etiamsi verbis admodum deformata. *Cerda.*

424. *Audiit.*] Modo *exaudiit*, & ad effectum deduxit. Paulo post tantum *audiit.* Ut, *Audiit Alcides juvenem.* Servius.

Dum texit.] Dum spoliat. Nam tempus præsens est, non præteritum, ab eo quod est *tego.* Sic Plautus, *Ego hunc hominem hodie texam pallio.* Et *texit te*, primam syllabam corripuit, ut tantum positione longa sit. *Idem.*

Dum texit Imaona.] In aliquot antiquis *Imæona* per æ diphthongon legitur. Sed in pluribus *Imaona.* Sed neque placet *Abanthum*, ut in Romano codice legitur, quum *Abas Abantis* declinetur: quare *Abantem* rectius. *Pierius.*

425. *Arcadio telo.*] Ut illustres hunc locum, lege quæ dedi lib. 9. ubi Poëta exhibet Mezentii *Hetruscum pinum.* Cerda.

Inermum.] Et *inermem* dicimus & *inermum.* Servius.

426. *At non cæde viri tanta.*] Notetur

Pars ingens belli, finit agmina: primus Abantem
Oppositum interimit, pugnæ nodumque moramque.
Sternitur Arcadiæ proles, sternuntur Etrusci;
430 Et vos, ô Graiis inperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt ducibusque & viribus æquis.
Extremi addensent acies: nec turba moveri
Tela

tur locutio poëtica. Vide quæ adduxi lib. 9. ad illud, *Purpurei cristis juvenes*. Alius diceret, *At non cæde viri tanti*. Ita infra, *socii cesserunt æquore jusso*, pro, jussi. *Cerda.*

Perterrita finit agmina.] Subaudis *esse*. Servius.

427. *Pars ingens belli.*] Ut hic de Lauso, ita in hoc libro de Horode, *pars belli haud temnenda*. Cerda.

Primus Abantem.] Ideo *primus*, quia comites ejus exemplum secuti sunt, nam infert, *Sternitur Arcadiæ proles, sternuntur Etrusci*. Et, *Agmina concurrunt ducibusque & viribus æquis*. Serv.

428. *Oppositum.*] Obstantem, fortiter pugnantem: & quidam dubium volunt utrum pugnæ oppositum, an nodum pugnæ, quod est melius. *Idem.*

Oppositum interimit.] In Romano codice utraque orationis parte integra *interemit* scribitur pene ultima correpta: non enim præteritum est. *Pierius.*

Nodumque moramque.] Bene addidit *moram*, ne nodum alium acciperemus. Nam *nodus*, proprie est densa peditum multitudo: sicut *turma* equitum, ut lectum est in disciplina militari. Modo autem *nodum* pro difficultate posuit, quæ vix possit resolvi. *Servius.*

430. *Grajis inperdita corpora Teucri.*] Quos Græci perdere nequiverunt. *Teucros* vero accipimus, quos secum duxit Æneas. nam ait, *Quorum de numero qui sese in bella sequantur Præstantes virtute legit*. Alias non procedit. nam paulo post erupturi sunt, qui obsidentur in castris. *Inperdita* autem quis ante hunc? *Idem.*

Grajis inperdita corpora:] Similiter Statius lib. 3. Theb. ỷ. 83.

— *nunquam tibi sanguinis hujus*
Jus erit, aut magno feries inperdita Tydeo
Pectora, &c. Emmeneſſ.

432. *Extremi addensent acies.*] Lucanus, *Quantum pede prima relecto Constringit gyros acies*. *Denseo* autem secundæ conjugationis est. *Idem.*

Addensent.] Ita legit Servius, Fabricius, H. Stephanus, Lamb. Aldus, itaque MSS. & libri antiqui, in secunda Conjug. non, *addensant*. Hor. 1. Od. 28.

Mista senum ac juvenum densentur funera.

Itaque Horatium, Ovidium 3. Met. & 15. Virgilium etiam atque alios scripsisse, docet Gifanius Indice Lucret. *Taub.*

Nec turba moveri Tela manusque sinit.] Lucanus, *Gladiosque suos compressa timebat*. Quidam sane *turbam* multitudinem accipiunt, nam plurali numero *turbas* perturbationes dixerunt, & strepitus, unde & Terentium *turbas* lampadas propter strepitum volunt dixisse, cum parcus senex perperam per publicum duci suadeat, nec strepitum per turbas adhiberi. *Servius.*

Nec turba moveri Tela manusque sinit.] Lucanus, etiamsi de re alia, lib. 4. *nulli telum vibrare vacabat*. Sed egregius ejusdem locus, & in eodem libro, & de re Virgilii:

— *non arma movendi*
Jam locus est pressis, stipataque membra teruntur,
Frangitur armato collisum pectore pectus.

Et postea magno incremento, *compressum turba stetit omne cadaver*. & supra dixerat,

Vix impune suos inter convertitur enses.

Ammian. lib. 4. *nec exsertare lacertos,* nec

Tela manuſque ſinit. hinc Pallas inſtat & urguet.
Hinc contra Lauſus, (nec multum diſcrepat ætas)
Egregii formæ; ſed quîs fortuna negarat
In patriam reditus. ipſos concurrere paſſus
Haud tamen inter ſe magni regnator Olympi:
Mox illos ſua fata manent majore ſub hoſte.
Interea ſoror alma monet ſuccurrere Lauſo
Turnum; qui volucri curru medium ſecat agmen.
Ut vidit ſocios; Tempus deſiſtere pugnæ.
Solus ego in Pallanta feror; ſoli mihi Pallas
Debetur: cuperem ipſe parens ſpectator adeſſet.

Hæc

nec criſpare permiſſi tela; videlicet præ multitudine hominum. *Cerda.*

435. *Sed quîs fortuna negarat, &c.*] Homer. 6. Iliad.

— τοὶ δ' ἔτι πάλιν οἶκον ὃ νέοντο.

Et lib. 12. de alio quodam, οὐδ' ἄρ' ἔμελλε, ut

Ἂψ ἀπονοστήσειν ποτὶ Ἴλιον ἠνεμόεσσαν.

Horat. Od. 13. Epod. de Achille non redituro è Troja,

Unde tibi reditum certo ſub tegmine Parcæ
Rupêre, nec mater domum cærula te revehet.

Pindar. Od. 8. Pyth. παθητικῶς ait:

— τοῖς οὔτε νόστος ὁμῶς
Ἐπάλπνος ἐν Πυθι-
Ἀδι κρίθη, οὐδὲ μολόντων
Παρ' ματέρ', ἀμφὶ γέλως
Γλυκὺς ὦρσεν χάριν. —

Calab. ibant (inquit) Trojani ad bellum ἀνόστοισι πόδεσσι. Et de alio quodam, οὐδ' αὖθις ἑὴν νοστήσατο πάτρην. Iterum οὐ μὰν παλίνορσοι ἐς Ἑλλάδα νοστήσαντες. Omitto Calabrum, qui hoc affectu frequentiſſimus. Claudian. 2. Eutrop. pari affectu,

Protinus excitis iter irremeabile ſignis
Arripit, infeſtoque jubet bubone moveri
Agmina. —

Apollon. 1. Arg. οὐ μὲν ἔμελλεν νοστήσειν Κήρινθον ὑπότροπος. *Idem.*

438. *Mox illos ſua fata manent.*] Eurip. in Rheſ. ἔσται γὰρ αὐτῷ θάνατος ἐξ ἄλλης χερός. & Od. σ. ἀλλ' οὐδ' ὣς φύγε κῆρα πέδησε δὲ καὶ τὸν ἀεθλιον Τηλεμάχου ὑπὸ χερσὶ καὶ ἔγχεϊ ἶφι δαμῆναι. & Il. ο. ἤδη γάρ οἱ ἐπώρνυε μόρσιμον ἦμαρ Παλλὰς Ἀθηναίη ὑπὸ Πηλείδαο βίηφι. Orph. Argon. τῷ δ' ἄρα μόρσιμον ἦεν ὑφ' Ἡρακλῆϊ δαμῆναι. *Germanus.*

Majore ſub hoſte.] Sub hoſtilitate. Nam ſub adverſis hoſtibus pereunt. *Servius.*

439. *Monet ſuccurrere Lauſo.*] Expoſitio talis eſt, monitus à ſorore continuo ſecat agmen, atque ut vidit ſocios, &c. *Idem.*

Monet ſuccurrere Lauſo.] *Succurrere* paſſim in vulgatis eſt codicibus. In pluribus vero manu ſcriptis, præſertimque Vaticanis, *ſuccedere* ſcriptum animadverti. Neque tamen nuſquam *ſuccurrere* legitur. *Pierius.*

441. *Tempus deſiſtere pugnæ.*] In Romano codice *pugna* eſt auferendi caſu. *Idem.*

Tempus deſiſtere.] Abeſt verbum *ait*, aut ſimile, ad indicandam celeritatem. Ita lib. 4. *Præcipites vigilate viri, &c.* & ſtatim, *ſequimur te ſancte Deorum.* & aliis locis, ubi deſunt verba *ait, inquit,* & talia. *Cerda.*

442. *Feror.*] Pro *ferri debeo*, id eſt, redibo. *Servius.*

443. *Cuperem ipſe parens ſpectator adeſſet.*]

Hæc ait; & socii cesserunt æquore jusso.
At Rutulûm abscessu juvenis, tum jussa superba
Miratus, stupet in Turno, corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu.
Talibus & dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis,

Aut

adesset.] Aspere & amare dictum, multa enim mala graviora videntur, si ante oculos nostros eveniant, quam si audiantur. Tale est ut in secundo de Polyte: *Qui nati coram me cernere lethum Fecisti*, non enim objicit Pyrrho quod occiderit, quia hoc jus belli exigebat: sed quare vidente patre, & his similia, ut, *Impositique rogis juvenes ante ora parentum.* Et, *An fratris miseri lethum ut crudele videres?* Et, *Vidi oculos ante ipse meos*; &, *Victum tendere palmas Ausonii videre.* Servius.

Cuperem ipse paren.] *Ipse*, scilicet qui amat: *ipse*, qui inimicis meis auxilia subministrat: *ipse*, à quo missus est contra me. *Donatus.*

Spectator.] Quia graviora sunt quæ videntur, quam quæ audiuntur. Quod leoni Turnum, & tauro Pallantem comparet, jam eventus rei demonstrabit. *Idem.*

444. *Æquore jusso.*] Pro *ipsi jussi*: & est usurpatum participium. Nam *jubeor* non dicimus: unde potest venire *jussus*. Sic ergo hic participium usurpavit, ut Horatius verbum, dicens, *Hæc ego procurare & idoneus imperor & non invitus.* Ergo satis licenter dictum est, adeo ut huic loco Probus hic correptum *ce*, longum posuerit. *Servius.*

Æquore jussi.] In Mediceo, & antiquis aliquot exemplaribus *jusso* legitur: quod figurate dictum agnoscit Servius. *Pierius.*

Æquore jusso.] Pulchra hypallage. Vide lib. 9. ad illud, *Purpurei cristis juvenes.* Cerda.

445. *Tum.*] Deinde. *Servius.*

Jussa superba.] In Oblongo codice perveteri *dicta*: sed *jussa* magis placet. *Pierius.*

446. *Miratus.*] Quidam codices antiqui *miratur* habent: quod non ita placet. *Idem.*

Stupet in Turno.] Id est, in Turnum intuens. *Servius.*

Stupet in Turno.] Arripit Val. 1. Arg. ubi de Achille puero, *stupet in ducibus.* Cerda.

447. *Lumina volvit.*] Ab hoc affectu & in tuendo energia, non abit Valer. lib 4. Arg. ubi, —— *oraque longo*
Comminus obtutu mirans tenet. —— Ibid.
Ille virum circa mirantia lumina volvit.
Ut vero Noster *obit* de visu, ita idem eodem lib.
Ore renidenti lustrans obit, & fremit ausum.
Lucan. lib. 5. *totoque vagantia cæle lumina.* Ut autem Pallas hostem suum, sic Taurea Campanus initurus singulare certamen cum Asellio apud Livium lib. 23. inducitur hostem suum *diu perlustrans oculis.* Est hoc plane, quod Eurip. in Ione;
Πάντα τοι βλέφαρον διώκω·
Moveo palpebras omnem in partem. C.

Omnia.] Quæ omnia? an circa Turni arma & corpus? *Servius.*

448. *Tyranni.*] Regis superbi. *Idem.*

449. *Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis, Aut letho.*] Argumentum dilemmatum, quod adversarium ab utraque parte concludit. *Idem.*

Spoliis opimis.] Quæ dux duci detrahit, ut diximus, spolia opima sunt. *Id.*

Aut spoliis, &c.] Macrob. cap. 1. lib. 6. Saturn. ait ductum hoc ab illo Attii in Tragœdia, cui titulus *Armorum judicium.* ubi,
Nam tropæum ferre me à forti viro pulchrum est:

 Si

Aut leto insigni: sorti pater æquus utrique est.
Tolle minas. fatus medium procedit in æquor.
Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.
Desiluit Turnus bijugis: pedes apparat ire
Comminus. utque leo, specula cum vidit ab alta
Stare

Si autem & vincar, vinci à tali, nullum est probrum.

Homer. simili sæpe sententia, ut cum ait 12. Iliad. ἤ τῳ κῦδος ὀρέξομεν, ἠέ τις ἡμῖν. Et lib. 13. Iliad. Idomeneus ita loquitur:

Αἴψά κεν ἠὲ φέροιτο μέγα κράτος, ἠὲ φεροίμην.

Id est, vel me Æneas interficeret, vel ego illum, nam de Ænea loquitur. & ibid.

—— ὄφρα τάχιστα
Εἴδομεν ἤ τῳ εὖχος ὀρέξομεν, ἠέ τις ἡμῖν.

Tale & illud libri extremi,

Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Aut habeat victos, &c.

Catull. etiam de Nupt. Pelei dixit:

Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.

Et Ennius apud Priscianum:

Nunc est illa dies, qua gloria maxima sese
Ostentat nobis, seu vivimus, seu moriamur.

Cerda.

450. *Aut leto insigni.*] Vere hoc: est enim mors insignis, quæ infertur à viro forti. Ovid. lib. 9. Metamorph.

Magnaque dat nobis tantus solatia victor,

id est, Hercules. Vide, si placet, Delrium Nostrum in Nov. Comment. ad Sen. in Herc. Oet. ℣s. 812. ubi verba Attii, quæ adduxi, revocat ad numeros poëticos. *Idem.*

Sorti pater æquus utrique est.] *Sorti* pro casui & fortunæ. *æquus*, hoc est, æquo animo feret si occidero, quia dixerat Turnus, *Cuperem ipse parens spectator adesset.* Servius.

452. *Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.*] Præsagio mortis futuræ eorum. *Idem.*

Frigidus Arcadibus, &c.] Imitatur hunc locum Valer. lib. 4. Arg. ubi Castor timet, viso Polluce fratre progrediente ad certamen contra Amycum. Versus sunt:

—— nudo steterat jam pectore Pollux,
Cum pavor & gelidus defixit Castora sanguis.

Aurora apud Calab. lib. 2. cum videret filium Memnonem pugnantem contra Achillem δείδιε παιδί· *timuit nato.* & prius dixerat, invitam illam ascendisse in cælum, οὐρανὸν αἰπὺν οὐκ ἐθέλουσα. Ovid. 10. Met. dixit, *fugitque & color, & sanguis*, in magno metu. Sed videat Lector, an Virgilius alluserit ad stupiditatem quandam Arcadum. Juven. Sat. 7. *læva in parte mamillæ Nil salit Arcadico juveni.* Ubi discipulum ineptum ad doctrinam vocat *juvenem Arcadicum*, cui *nihil salit* in sinistra pectoris parte, id est, qui excors pene est. Fulgentius *sensus Arcadicos* dixit de hominibus, quibus pingue ingenium. Inde ergo,

Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.

quibus verbis notatur stupor. *Cerda.*

453. *Pedes apparat ire.*] Ne videatur pugnæ iniquitate vicisse. *Servius.*

454. *Utque.*] A comparatione, subjicit utriusque ferociam: Turnum comparat leoni, Pallantem tauro. Adjecit, *meditantem prælia*, quia & Pallas tum primum belli certamina cœperit meditari. *Donatus.*

Specula cum vidit ab alta.] Hoc ad currus altitudinem spectat: leo ad Turni violentiam atque feritatem. & est ordo, *Utque leo advolat*: talis est Turni imago venientis. *Servius.*

455. *Medi-*

Stare procul campis meditantem in prœlia taurum,
Advolat. haud alia & Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missæ fore credidit hastæ,
Ire prior Pallas, si qua fors adjuvet ausum
Viribus inparibus; magnumque ita ad æthera fatur:
Per patris hospitium, & mensas, quas advena adisti,
Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis:
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem, magnumque sub imo
Corde premit gemitum, lacrimasque effudit inanes.
Tum

455. *Meditantem prælia taurum.*] Duo exemplaria antiquiora Vaticanæ bibliothecæ legunt, *meditantem in prælia.* Pierius.

457. *Contiguum.*] Postquam vidit eum venisse intra jactum teli, scilicet ut possit feriri. *Servius.*

Contiguum.] Est hoc, quod omnes, *intra jactum teli.* quod & ipse usurpat l. 11. & infr. in hoc l. simili sententia,

Atque oculis spatium emensus quantum
satis hastæ.

Sophoc. pulchre, ξύμμετρος βάλλειν. Eurip. in Herc. ἐντὸς ἴση τοξεύματος. *Cerda.*

458. *Ire prior Pallas.*] Subaudis, *Voluit ire:* Alii *Ire* pro *it* legunt, ut sit Infinitivus pro indicativo. *Servius.*

Si qua.] Si quando. *Idem.*

Fors.] Fortuna: & dictum est propter illud, *Audentes fortuna juvat.* Id.

Si qua fors adjuvet ausum.] Vide in hoc lib. ad illud, *Audentes fortuna juvat.* Cerda.

Ausum.] Num pro *audentem*? Serv.

Ausum.] Id est, *audentem*, explicante Servio. Nihil enim frequentius Græcis, quam commutatio participiorum, & uni Homero frequentissimum. Ita lib. 9. *volvenda dies*, pro, *voluta.* Ita Horat. *veniens in ævum*, pro, *in ævum venturum.* Cerda.

460. *Per patris hospitium.*] Deest mei. *Servius.*

Per patris hospitium, & mensas, &c.] Obtestatur Herculem per hospitii jus cum patre Euandro quondam lib. 8. *hæc limina victor Alcides subiit.* Quasi diceret Pallas: Etsi Deus factus es meritis tuis, fuisti tamen aliquando homo, fuisti hospes patris mei, fuisti conviva, habes ubi vicem reddas. *Donatus.*

461. *Te precor, Alcide.*] Supra contra inferiorem hostem, fluminis imploravit auxilium: nunc contra hostem majorem viribus, deum invocat virtute præstantem. *Servius.*

462. *Cernat semineci, &c.*] Ad illud quod ait Turnus, *Cuperem ipse parens spectator adesset:* hic dixit, *Ipse suum cernat interitum.* Idem.

Cernat semineci sibi, &c.] In Oblongo codice *cernant* numero multitudinis legitur: cujus suppositum erit, *lumina morientia*, in quo etiam *mortalia* scriptum est: sed ut alterum illud non improbarim, ita hoc minime receperim, quum *morientia* magis faciat ad sententiam. *Pierius.*

463. *Victoremque ferant morientia lumina Turni.*] Donatus dicit *meminerint:* sed melius est *sustineant*, quasi pondus & pœnam; nec enim meminisse oculi possunt. *Servius.*

465. *Corde premit gemitum.*] Attingit rem naturalem. Nam cum gemitus reprimi possit, certe non lacrymæ.

Empe-

Tum genitor natum dictis adfatur amicis:
Stat sua cuique dies. breve & inreparabile tempus
Omni-

Empedocles apud Plutarch. in Quæst. Natur. ait, τ̃ αἵματ☉- ταραχθέντ☉- ἐκκρίνεσθαι τὸ δάκρυον, *ab conturbato sanguine exprimi lacrymas.* ὥσπερ (ait ille) γάλακτ☉- ὀῤῥόν. *sicut serum à lacte.* Itaque Hercules, ut fortis, gemitum comprimit; lacrymas nequit, quia naturales. *Cerda.*

Lachrymasque effundit inanes.] Hic ostendit eventum futurum. *Servius.*

Lachrymasque effudit inanes.] In aliquot antiquis codicibus, *Lacrumasque effundit inanis.* sed *effudit* præteritum magis placet, posito *Audiit.* Pierius.

466. *Dictis amicis.*] Homer. sæpe, ἐπέεσσι φίλοισι. *Cerda.*

Inanes.] Quæ periturum juvare contra fatorum sententiam non possent. *Taubmannus.*

467. *Stat sua cuique dies.*] Sectis philosophorum poëtæ pro qualitate negotiorum semper utuntur: nec se unquam ad unum alligant, nisi quorum hoc propositum est, ut fecit Lucretius, qui Epicureos tantum secutus est. Scimus autem inter se sectas esse varias. Unde fit ut in uno poëta aliqua contraria inveniamus, non ex ipsius vitio, sed ex varietate sectarum. Illud nanque quod ait in quarto, *Sed misera ante diem*, Epicureorum est, qui casibus cuncta concedunt. Nunc quod dicit, *Stat sua cuique dies*, Stoicorum est: qui dicunt fatorum statuta servari. Sane prudenter fecit ut fluxam & vagam opinionem Epicureorum daret homini, id est, sibi (nam illud ex persona poëtæ dictum) hanc autem validam daret Jovi. Nam Stoici & nimiæ virtutis sunt & cultores deorum. *Stat* autem, fixa est. *Dies* vero, Tempus vitæ: nam fœminino usus est genere. Nam cum masculino dicimus, re vera diem significamus. Sane prudenter negaturus à causa cœpit, quia qui rogat dum suspensus expectatione est, potest audire causam cur sibi postea negatum sit. Cæterum si statim neges, nec admittit excusationem, ideo negaturus Juppiter sic cœpit. *Servius.*

Stat sua cuique dies, &c.] Seneca in Furen.

Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli jusso cedere licet.
Nulli scriptum proferre diem.

Silius lib. 3.

Et pace, & bello cunctis stat terminus ævi.

Ante hos Lucret. lib. 3.

Certa quidem finis vitæ mortalibus adstat.

Et adhuc ante omnes Homer. 6. Iliad.

Μοῖραν δ' ὄ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν.

Et lib. 16. ait mortalem omnem πεπρωμένον αἴσῃ. Iliad. 12. οὐκ ἐστὶ φυγεῖν βροτὸν, id est, κῆρας. Apollon. 1. Arg. loquens de Parca, τὴν γὰρ θέμις οὔποτ' ἀλύξαι θνατοῖσιν. Soph. Antig.

Ἀλλ' ἁμοιριδία τις δύνασις, δεινά.

Lege Clementem lib. 6. Strom. ubi conjungit ad hanc ipsam rem Archinum, Demosthenem, Phænoclem. Seneca epist. 101. ita scripsit: *Stat quidem terminus nobis, ubi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit.* & ad Marciam, cap. 20. *fixus est cuique terminus, manebit semper ubi positus est.* Cerda.

Stat sua cuique dies.] Vide Salmas. in Plin. Exercit. p. 118. & seqq. *Emm.*

Breve tempus vitæ.] Quia quandoque finitum: ipse paulo post, *Rhœbe diu, res si qua diu mortalibus ulla est, Viximus.* Item Cicero, *Quid est enim hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum?* Servius.

Breve, &c.] Quid hac re certius? Sophoc. apud Stob. de hominibus, σκιαῖς εἰκότες. Ab Silentiario in Epig. dicitur βί☉- ἀντιμεθελκόμεν☉-. Horat. *vitæ summa brevis.* Lucret. *brevis est hic fructus homullis.* Cum Phocylides illam rotæ comparavit, ὁ βί☉- (dixit) τροχός,

Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojæ sub mœnibus altis
Tot nati cecidere deûm: quin occidit una
Sarpedon mea progenies. & jam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad ævi.

Sic

τροχὸς, quid aliud, quam brevitatem innuit; Joann. Chrysost. Orat. 6. contra Judæos βραχὺς ὁ παρὼν βίος. Sed cesso ab eruditione facile parabili, cum præsertim opus sit Senecæ integrum *De Brevitate vitæ*. Cerda.

368. *Omnibus est.*] Magna consolatio, quæ ostendit non esse dolenda communia. Quis enim indignetur contingere eum quod omnium est? *Servius.*

Sed famam extendere factis.] Contra illud quod occurrebat, vitanda esse ardua si communis omnibus mors esset, brevis vita: dicit ideo amandas esse virtutes, ut vitæ brevitas fama & gloriæ meritis possit augeri. *Idem.*

Sed famam extendere, &c.] Pulchra gnome. Cum vita sit brevis, sit fama æterna. Apto hic verba Sallustii in præfat. Catil. *Quo mihi rectius esse videtur, ingenii quam virium opibus gloriam quærere: & quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxime longam efficere.* Et reddit rationem, quia cum reliqua fluxa sint, tamen *virtus, clara, æternaque habetur.* Quod consentanee ad Virgilium, qui ait esse *opus virtutis famam extendere.* In 6. Æneid. etiam legis,

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Eo sensu, quo Poëta, dixit Horat. de Roma, *extendat nomen.* Cerda.

Sed famam, &c.] Vid. Scalig. l. 5. c. 3. *Taubmannus.*

469. *Opus.*] Officium. *Servius.*

Trojæ sub mœnibus altis, &c.] Pertinet huc locus Isocratis ἐν Ἑλεν. ἐγκωμ. ubi ait, τοὺς ἐξ αὐτῶν γεγονότας ἀπέστερψαν (θεοὶ) τῶ ἀγώνων τῶ περὶ Τροίαν. *Suos filios Dii Trojani belli discriminibus abstulerunt.* Mox numerat Sarpedonem filium Jovis, Memnonem Auroræ, Cycnum Neptuni, Achillem Thetidis, qui omnes ibi occubuere. Adeo, ut mihi videatur huic loco Isocratis institisse Virgilius. Est & locus Calabri huic aptandus, lib. 1. ubi sermo est de Marte, postquam ejus filia Penthesilea in Trojano bello ceciderat,

—— ὀψὲ δέ οἱ κῆρ
Μνήσαϑ' ὅσοι καὶ Διὸς ἐνὶ πτολέμοισι δάμησαν
Υἷες, οἷς οὐδ' αὐτὸς ἐπήρκεσεν ὀλλυμένοισιν.

& lib. 3. ubi Calliope consolans Thetidem de extincto Achille,

—— καὶ γὰρ Ζηνὸς ἐριβρεμέταο ἄνακτος
Υἷες ὁμῶς ἀπόλοντο, κακῇ περὶ κῆρε δαμέντες.

Et postea mors dicitur οὐδὲ θεῶν ἀλέγουσα, *nec Deos curare.* Thetis quoque apud Eurip. in Androm. queritur hunc in modum,

Κἀγὼ γὰρ, ἣ ἄκλαυστα ἐχρῆν τίκτειν τέκνα,
Ἀπώλεσα παῖδα. ——

Cerda.

470. *Gnati deûm.*] Ut Achilles Thetidis, Memnon Auroræ, Martis Ascalaphus. *Servius.*

Nati deûm.] In antiquis *gnati*, ex Valerii Frontonis distinctione. *Pierius.*

471. *Sarpedon.*] Secundum Virgilii declinationem, ut, *Nothum Sarpedonis alti*, ultima habebit accentum in nominativo. secundum Homerum, qui & *Sarpedonos* & *Sarpedontos* facit, & ultima & penultima syllaba habet accentum. *Servius.*

Etiam Turnum.] Multi *Et jam* legunt, ut sit *Ecce:* & pertinet ad consolationem. sic ait, *Periturus est ille, qui vincit.* Idem.

472. *Fata vocant.*] In codicibus aliquot, *manent* legitur: sed *vocant* magis

Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginaque cava fulgentem deripit ensem.
Illa volans, humeri surgunt qua tegmina summa,
Incidit, atque viam clipei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.

Hic

gis placet, quia magis facit ad consolationem, si pœna non differatur. & *vocant* instare significat. *Pierius.*

472. *Metas.*] Fines. ut, *His ego nec metas rerum, nec tempora pono.* Serv.

Pervenit.] Bene ad exprimendum celerem mortis adventum, præterito usus est tempore. *Idem.*

Metasque dati pervenit ad ævi.] Locutio sumpta ab metis equestris cursus. Duco sententiam Virgilii ab illo Homer. 16. Iliad. *εὕρετο τέκμωρ· invenit finem.* & alibi, θανάτοιο τέλος δέ. & τέλος θανάτοιο κάλυψεν ὀφθαλμούς. Diceret Seneca Rhet. Cont. 8. *Fecit adolescens jam felicitatis suæ finem.* Cerda.

473. *Rutulorum rejicit arvis.*] Respiciendo fecit partem feliciorem. ut, *Aspice nos hoc tantum*, quidquid enim Juppiter videt admodum juvat. *Rejicit.* *Re* naturaliter brevis est, & eam pro longa posuit. Sic alibi, *Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis.* quod licet possit excusari: quia cum facit *rejeci*, inter duas vocales *i* posita, producit superiorem, ut dicamus longam eam esse spe qua per declinationem longa futura est: tamen quia in hoc re argumentum magis est quam ratio, dicamus ectasim factam, quæ poëtis plerunque conceditur. *Servius.*

Oculos Rutulorum rejicit arvis.] Servius ita explicat: *Respiciendo fecit partem feliciorem.* Fallitur: nam *rejicere oculos* non est respicere, sed avertere oculos. Inde 3. Georg. *rejice*, id est, amanda, extermina, dimove, & *rejiculæ oves.* Ergo sententia est: Avertit inde oculos, nulli parti auxilium præbens, omnia permittens fatis. Ad eum modum, quo Homer. dixit 13. Iliad. de Jove:

Τοὺς μὲν τρῆσι πόνον τ' ἐχέμεν καὶ ὀϊζὺν
Νωλεμέως. αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε
φαεινώ.

Et Statius dixit in re simili de Jove, *visusque nocentibus arvis abstulit.* Cerda.

475. *Fulgentem diripit ensem.*] Ne jacto telo inermis esset. *Servius.*

Fulgentem.] Nudatum gladium intelligit, ut Cicer. 5. Tuscul. *fulgentem gladium è lacunari, seta equina appensum.* Est ergo Virgiliana locutio tota poëtica: quasi diceret: Cum diripuisset, nudassetque gladium, fecit illum fulgere. *Cerda.*

Diripit.] In Romano codice, *deripit* more suo, uti superius. *Pierius.*

476. *Humeris surgunt qua tegmina summa.*] In nonnullis Vaticanæ bibliothecæ codicibus, & in iis, qui apud me sunt, *humeri* habetur genitivo casu: quod magis placet. & pro *summa*, *prima* legitur in Romano codice. *Idem.*

477. *Viam molita.*] Hoc est, cum difficultate quæsivit: per quod & soliditas clypei, & minus firmus hastæ jactus ostenditur. *Servius.*

Molita.] Quasi cum difficultate, per quod & soliditas clypei & firmus hastæ jactus ostenditur. Ita Lucret. lib. 5. *arva moliri ferro*, id est, magno cum labore invertere & exarare. *Taubm.*

478. *Strinxit.*] Tactu modico præteriit, ita enim ab antiquis dicebatur, & est significatio levis vulneris. *Serv.*

Strinxit.] Indicat vulnus levissimum. Inde Ovid 8. Metamor. *summum distrinxit arundo corpus.* & quia *distrinxit*, ideo sequitur, *exiguo rubescit sanguine setas.* Sed de hoc locutus sum jam in hoc libro. *Cerda.*

479. Ferro

Hic Turnus ferro præfixum robur acuto
In Pallanta diu librans jacit, atque ita fatur:
Aspice, num mage sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat; at clipeum, tot ferri terga tot æris,
Cum pellis toties obeat circumdata tauri,

Vibranti

479. *Ferro præfixum robur.*] Periphrasis hastæ. *Servius.*

Ferro præfixum robur acuto.] Homer. sæpe δόρυ, vel ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ. Sed pulchre lib. 15. Iliad. κατὰ στόμα εἱμένα χαλκῷ. præcessere ξυστὰ, *vestiti ære ad summum conti.* ad verbum, *vestiti conti ære ad os.* Cerda.

481. *Num mage sit.*] Legitur & *Nunc magis est.* Unus tamen est sensus. Sed si *mage* legamus, propter metrum dictum est, pro *magis*: sicut etiam *pote* pro *potis*. Persius, *Qui pote vis dicam nugaris cum tibi calve?* Quod adeo in usum venit, ut etiam in prosa inveniatur. Cicero in Verrinis, *Mage condemnatum hominem in judicium adducere non posse.* Servius.

Penetrabile.] Pro *penetrale* dicitur. nam quod penetrat, *penetrale* dicitur: quod autem penetratur, *penetrabile.* Id.

Penetrabile.] Active, ut Georg. *frigus penetrabile.* Germanus.

482. *Tot ferri terga.*] Non dicit quot terga, sed multa. *Servius.*

Tot ferri terga tot æris, Cum pellis toties obeat circundata tauri.] In antiquis nonnullis codicibus reperitur *cum*, sive *quom*: non *tot*, hoc pacto, *Dixerat; at clipeum quom ferri terga tot æris, Quom pellis toties obeat circundata tauri.* Sed omnino melius, ut in vulgatis. *Pierius.*

Tot ferri terga, &c.] Hic ornatus fuit in scutis Heroum, ut interius essent è coriis bubulis bis aut ter replicatis, exterius vestirentur laminis ferreis, æreisve. De scuto Idomenei lib. 13. Il.

Τὴν (ἀσπίδα) ἄρ' ἐγ' ἐν ῥινοῖσι βοῶν,
καὶ νώροπι χαλκῷ
Δινωτὴν φορέεσκε, δύω κανόνεσσ' ἀραρυῖαν.

Sed cui usui esset ferrum in scutis jam Lips. aperuit. Non enim credendum, tegi scutum lamina ferri integra. Nam quæ vires illi sustinendo? Tantum enim ferrum inducebatur ad oram clypei. Vide illum, ne actum agam. Sed addo ego usum alium ferri; nam cum scuta fierent è cratibus, & tegerentur corio, necessarium erat ferrum ad crates vinciendas. Et ita interpretor verba Taciti, *Ne scuta quidem ferro nervove firmata.* Cerda.

Ferri, æris.] Unum tantum dicit, non duo. Æs vox est communis, ut æs argenteum, aureum, ferreum. Ergo ait vestitum scutum ære ferreo. Sed per hendiaden dixit, *tot ferri terga, tot æris*, ut, *pateris libamus, & auro*, id est, aureis pateris. Et ita fortasse explicandus Oppianus lib. 1. Cyneg.

Καὶ χαλκὸν σελαγεῦντα, καὶ ἀστράπτοντα σίδηρον·

Et æs fulgidum, & scintillans ferrum.
Id est, æs ferri cum scintillante fulgore. *Idem.*

483. *Cum pellis.*] Quidam *pellis* humiliter dictum accipiunt. *Servius.*

Cum pellis toties obeat.] Quis nescit, quæ de septemplici Ajacis scuto Homerus; & Ovid. Oppian. etiam lib. 1. Cyn. de scuto, ἑπταβόειον. Idem l. 4. hanc habet scutorum fabricam:

Πλεκτὰ σάκη τεύχουσιν ἐϋστρέπτοισι λύγοισι
Καρτερὰ, καὶ πλευρῇσι συνάρμενα· καὶ δὲ βοείας
Ἀζαλέας τανύουσιν ἐπ' ἀσπίσιν ὀμφαλοέσσαις.

Nexos umbones fabricant lentis ex viminibus,
Firmos & lateribus convenientes. pelles autem bubulas
Siccas extendunt super clypeos rotundos.

Scutum Hectoris vocat Homer. ῥινοῖσι πυκινὴν, ab frequentia multarum pellium,

Vibranti cuspis medium transverberat ictu,
Loricæque moras & pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum frustra de volnere telum:
Una eademque via sanguis animusque sequuntur.

Cor-

lium. & lib. 15. scutum Teucri τετραβόειον, *quadruplum*. Calab. lib. 3. ἀσπίδα πολυβόειαν. *Cerda*.

484. *Vibranti cuspis medium.*] In aliquot, *vibranti medium cuspis*, mutato numero. *Pierius*.

Vibranti ictu.] Lib. 11. *spicula vibrant*. l. 9. ỳs. 769. *vibranti gladio occupat*. lib. 2.

—— *linguis vibrantibus angues*.

Æn. 8. ỳs. 661. Æn. 12. ỳs. 919. dixit *tela coruscant*. Taubm.

Cuspis ingens.] Ita accipiendum, ne sit incongruum de puero *ingens pectus*. Sane *cuspidem* abusive pro hastæ mucrone posuit. *Servius*.

Cuspis.] *Cuspidem* pro hastæ mucrone posuit; auctore Servio: & recte enim *Cuspis* σαυρωτὴρ est, & ea pars hastæ, quæ solo depangitur, quoties stat erecta. Vid. N. Æneid. 12. ỳs. 510. *Taubm*.

485. *Et pectus perforat.*] Hic subdistinguendum: ut *ingens* (sicut diximus) ad superiora possit referri. *Servius*.

Et pectus perforat ingens.] Male Servius, qui ita jungit, *Cuspis ingens perforat pectus*. imo *cuspis perforat corpus ingens*. Nullus lepor in carmine, in quo adjectiva postponuntur longo intervallo. In bonis Poëtis exempla rara hujus vitii (nam sic nuncupo) fortasse nulla. Quid quod vere Pallas fuit ingens corpore? Galeoti Martii in lib. de Doctr. Promiss. capite trigesimosexto hæc sunt verba: *Gigantes fuisse sacra narrat historia, & Romæ tempore Henrici III. inventum est cadaver Pallantis, quem Turnus occidit, tantæ magnitudinis, ut longitudine sui Romanos muros æquaret.* Commeminit ejusdem rei Magius capite quarto libri Miscel. & Dalecamp. in Plinio. Neque contra hoc est versus Virgilii lib. 11. Æneid. *arsurasque comas obnubit amictu.* Nam Poëta hoc κατὰ πρόληψιν, ait Magius; præsumebat enim Poëta fore, ut cremaretur. Quin narrationem hanc Poëta astruxit, nam cum Euandri planctum describit, nullius meminit cremationis, quod non subticuisset, ut neque aliorum, qui una cum Pallante conciderunt. *Cerda*.

486. *Rapit calidum, &c.*] Est hoc fere illud Lucan. lib. 3.

—— *jaculum lethale revulsum*
Vulneribus traxere suis. ——

Idem.

De vulnere.] In Romano legitur *de pectore*. Pierius.

Una eademque via.] Hic eadem est moduli ratio, quæ inferius lib. 12. *Uno, eodemque tulit partu*, figura, quæ συνώνυμος dicitur. Quantum ad sententiam versus, videtur convenire illud Hom. Il. ξ. ψυχὴ δὲ κατ' οὐταμένην ὠτειλὴν ἔσσυτ' ἐπειγομένη. *Germanus*.

487. *Sanguisque animusque sequuntur.*] In Romano codice, & aliquot aliis, *sanguis animusque*, absque particula copulativa priori loco. Sed enim ea repetita in similibus plena venustatis est, nisi versum etiam elanguescere anima deficiente velimus. *Pierius*.

Sanguisque.] Adimunt aliqui, in his Gifanius, particulam *que*, & legunt, *sanguis animusque*. Quia veteribus *sanguis* producebatur in fine. Sic Val. lib. 3. Arg.

—— *modo tela sacerdos*
Porrigat, & justa sanguis exuberet unda.

De lectione versus Lucr. lib. 1. lege eundem Gifan. in Indic. *Cerda*.

Animusque.] *Animus* pro *anima*: nam *animus*, consilii est: *anima*, vitæ. Quidam secundum Epicureos animam per totum corpus divisam esse volunt, & exinde posse fieri, ut quis amputata

parte

Corruit in vulnus: sonitum super arma dedere:
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus super adsistens,
Arcades, hæc, inquit, memores mea dicta referte
Euandro. qualem meruit, Pallanta remitto.

Quis-

parte corporis vivat: animum vero esse τὸ ἡγεμονικὸν animæ, sine quo vivere non possumus: Ergo secundum sectam sibi notam Poëta locutus. *Servius.*

Animus.] Pro, anima, Græcorum imitatione. Nihil enim frequentius in Homero, quam θυμὸς, pro, ψυχὴ: ut cum ait 13. Iliad. θυμὸς ᾤχετ' ἀπὸ μελέων· pro, mortuus est. Et quoties in illo, θυμὸν ὀλέσσαι; *Cerda.*

488. *Corruit in vulnus.*] In Oblongo codice pervetusto *concidit* legitur. Sed *corruit* majorem habet vim. *Pier.*

Corruit in vulnus.] Lucr. 4. *Namque omnes plerumque cadunt in vulnus, & illam Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu.* Germanus.

Sonitum super arma dedere.] Homeri est, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ. *Servius.*

Corruit in vulnus: sonitum super arma dedere.] Hoc carmen ita interpretatus est Ennius in Annal. lib. 16.

Concidit, & sonitum simul insuper arma dederunt.

A. Furius Antias Annal. lib. 1.

Ille gravi subito devinctus vulnere habenas
Misit equi, lapsusque in humum defluxit, & armis
Reddidit aratis sonitum. Ursin.

Super arma dedere.] Æn.9. ☩ſ.709. *Taubmannus.*

489. *Terram petit ore.*] Quia præcessit, *corruit in vulnus.* Lucan. 4. *ferientia terram corpora.* Sen. in Hercul. Fur. *terram petivit ore.* Cerda.

Terram petit ore cruento.] Vid. Æn. 11. ☩ſ. 418. *Taubm.*

490. *Quem Turnus super adsistens.*] In Romano codice versus integer, his additis dictionibus, *sic ore profatus.* Alii nugas alias addidere. *Pierius.*

Super adsistens.] Prudent. Psychom.

Quam super assistens Patientia, vicimus, inquit.

Cyrillus Alexandrinus in Micheam numero 44. ἔθνη κεισομένης κατοχησόμενα. explicat scilicet insultantiam, qua jacentes opprimi solent. Et in Joelem num. 42. συμβαίνει γὰρ ἐν πολέμοις καταστρέφειν τοὺς πίπτοντας, ἐπαγάλλεσθαι δὲ τοῖς κειμένοις τοὺς κεκρατηκότας, καὶ αὖ μάλα ἐπικαυχᾶσθαι. Ab Josepho libro septimo Belli capite primo, qui mortuos conculcabant dicuntur ἐπιβαίνοντες, ut à Virgilio *super assistens.* Cerda.

Sic ore profatur.] Ablegant aliqui hoc hemistichium. Possunt, meo judicio, nam statim sequitur, *inquit:* ac proinde otiose hic *profatur.* Scio in Homero talia inveniri. Sed Maronis alia vox, alia Musa. *Idem.*

491. *Referte Euandro.*] Potest hic & distingui: potest & supra referri, ut sit, Euandro remitto qualem meruit filium. *Servius.*

492. *Qualem meruit Pallanta remitto.*] Insultans Turnus & successu superbior factus describitur. Fieri autem non potuit, ut hostis & Euandro, & Pallanti infensus, pro malefactis benevolentiam redderet: unde sub imagine humanitatis, dum sponte patri reddit occisum, etiam patrias pœnas conatur exigere. supra enim professus est, quid animi gereret: nam dixit:

Solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas
Debetur: cuperem ipse parens spectator adesset.

Quod quia factum non est, alio genere cupiebat impleri: ut qui cadentem filium spectare in campo non potuisset, in sedibus suis positus videret occisum. Levius enim, ut supra dictum

Quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est,
Largior. haud illi stabunt Æneïa parvo
Hospitia. & lævo pressit pede, talia fatus,
Exanimem, rapiens inmania pondera baltei,
Inpressumque nefas: una sub nocte jugali

Cæsa

est, dolemus, si audiantur mala: gravius vero, si videantur. *Donatus.*

Qualem meruit.] Refert hoc Scaliger ad elogium Pallantis. Lege caput quadragesimum lib. 3. Poët. *Cerda.*

Pallanta remitto.] Scilicet ad sepulturam. Clare Justin. libr. 12. *funera remitteret.* Idem.

493. *Quidquid.*] Pro *quodcunque.* Plautus in Bacchidibus, *Quidquid est nomen sibi.* Servius.

Solamen humandi est.] Solatium dolentis scilicet patris. Quia hoc solatium vivorum est humare defunctos. *Idem.*

Largior.] Fuit hæc liberalitas magnorum ducum. Æneas interfecto Lauso,

—— *teque parentum*
Manibus, & cineri, si qua est ea cura, remitto.

Noto humanitatem hanc elucere in hoc heroïco opere. Nescias enim, qua incivilitate duces suos Homerus inducat, cupidos quippe semper trahendi ad se mortuos, ne donarentur sepultura. Sic Hectorem Achilles, & nisi pretio non restituit. quid incivilius? Est integer liber Iliados de certamine circa cadaver Patrocli. Quo libro nihil ego vidi ἀτοπώτερον. Idomeneus libro decimotertio Iliados interfectum Othryoneum gloriabundus ad naves ducit, ut rem egregiam. Millena hæc in Homero. Quanto gloriosius dare absque pretio, & vere largiri, ac nolle λύτρα, aut ἄποινα? Qua de re vide Notam Scaligeri capite duodecimo libri tertii Poëtices. *Cerda.*

494. *Stabunt.*] Constabunt. Hoc ergo dicit, *non illi parvo:* non parvo periculo constabunt Æneæ hospitia, & est proverbialis sensus. *Servius.*

Haud illi stabunt Æneïa parvo Hospitia.] Tale illud Ovid. 2. Fast.

Heu quantum Regnis nox stetit una tuis!

Et Juvenal. Sat. 3. *magno hospitium miserabile.* Cerda.

496. *Exanimum.*] Antiqui codices libentius *exanimem* scribunt per *e*, ut observatum sæpe. Sed utrumque receptum à Grammaticis. *Pierius.*

Rapiens.] Homer. sæpissime, ἐσύλα, ἐξενάριξε. Poëta sæpissime, & signate *rapio* ad hanc rem, ut cum ait,

Hæc rapit, atque humeris nequicquam fortibus aptat.

Exempla obvia. Rapit enim victor, id est, repetit, quod suum est; nam victi hostis bona cedunt victori. Simile verbum, videlicet ἁρπάζω, aliquando Homer. habet, ut 13. Iliad.

Δηΐφοβος μὲν ἀπ' Ἀσκαλάφου πήληκα φαεινὴν
Ἥρπασε. —— *Cerda.*

Baltei.] Potest & Synæresis esse *baltei:* potest & hypermetrus versus esse, nam sequens à vocali inchoat. *Balteus* autem, in numero singulari masculini est tantum generis. Juvenalis, *Balteus & tunicæ & cristæ.* In numero vero plurali, & neutri, ut idem Juvenalis, *Quotiens rumoribus ulciscuntur baltea.* Servius.

497. *Inpressumque nefas.*] Insculptum nefas Danaidum. Donatus tamen *Impressum* dicit, coactum: quod à patre sunt compulsæ facere: Sane fabula talis est, Egyptus & Danaus fratres fuere, sed cum inter eos contentio de Mensidis imperio fuisset, multis sæpe adductus contumeliis Danaus fratri Egypto cessit imperio, ... * ad Peloponnesum perrexit, cuius cives, ibi rex factus, à suo nomine Danaos appellavit; quod cum Egyptum momordisset, veritus ne Danaus de filiabus

Cæsa manus juvenum fœde, thalamique cruenti:
Quæ Clonus Eurytides multo cælaverat auro:
Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus.
Nescia mens hominum fati sortisque futuræ,

Et

bus per generos & nepotes auxilia conquireret, fraude concepta filiis suis quinquaginta fratris filias in matrimonium postulavit, quas Danaus, dolorem exilii retinens mox promisit, sed cum factæ essent nuptiæ, sponsæ omnes sponsos suos, monente patre Danao, nuptiali nocte necaverunt; sola Ypermestra servato Linceo fugam dedit, qui post adeptus patruum Danaum interemit. Hæ Danaides apud Inferos hanc pœnam habuisse dicuntur, ut in dolium pertusum aquam mittant. *Servius.*

Inpressum.] Ita lib. 5. *Cratera impressum signis.* Persius Satyra secunda ita, *incusaque pingui auro dona.* Hoc esse Græcis ἐμπείρειν, & ἐμπαίειν, jam advertit Casaub. unde τέχνη ἐμπαιστικὴ, quæ signa operibus imprimit. Par illud Georgicon, *& numeros impressit acervis.* Cerda.

Nefas.] Declinatione caret. *Servius.*

Nefas.] Lucan. l. 4. de his, qui se mutuis vulneribus confecerunt, *Bellorum fecere nefas.* Cerda.

Sub nocte.] Pro *in nocte.* Servius.

Una sub nocte jugali.] Hujusmodi cælatura triste augurium detulit Turno, futurum scilicet, ut ipse nuptiarum caussa esset periturus. *Donatus.*

499. *Bonus Eurytion.*] Laus ab artifice: ut, *Mira quem fecerat arte Lycaon.* Item, *Divini opus Alcimedontis.* Serv.

Quæ bonus Eurytion, &c.] Eurytion passim in codicibus impressis habetur. Sed in antiquis *Eurytides* uno omnium consensu positum est. Epitheton vero illud *bonus* in manu scriptis exemplaribus variat. Nam Oblongus codex, Mediceus, & aliquot ex iis, qui apud me sunt, *Clonus* habent. Romanus una plus litera *Clonius.* Alius codex pervetustus *Comus.* Sed quum *Eurytides* sit patronymici forma: *Clonus*, quod in codicibus emendatioribus habetur, pro nomine proprio mihi magis placet. Legendum igitur, *quæ Clonus Eurytides.* Pierius.

Bonus.] Vide Ecl. 5. ꝟ. 1. *Emm.*

Cælaverat auro.] Non auro cælaverat, sed in auro. *Servius.*

500. *Ovat.*] Jactat, gloriatur. & est ordo: quo spolio potitus ovat, gaudetque. *Idem.*

Quo nunc Turnus ovat spolio.] Sic Hom. Il. σ. τὰ δὲ κορυθαίολος Ἕκτωρ αὐτὸς ἔχων ὤμοισιν ἀγάλλεται, οὐδέ ἑ φημὶ δηρὸν ἐπαγλαϊεῖσθαι, ἐπεὶ φόνος ἐγγύθεν αὐτῷ. *Germanus.*

501. *Nescia mens hominum.*] Hoc ad Turnum pertinet. Quia propter hunc periturus est balteum, quem nunc se sustulisse lætatur. *Servius.*

Nescia mens hominum.] Pulchra sententia; est enim satis improvida mens hominum. inde ab Pind. Od. septima Olymp. in mentibus hominum ponuntur ἀμπλακίαι ἀναρίθμητοι· *errores innumeri.* Et Od. 12.

Σύμβολον δ᾽ οὔπω τις ἐπιχθονίων
Πιστὸν ἀμφὶ πράξιος ἐσ-
σομένας εὗρεν θεόθεν.
Τῶν δὲ μελλόντων τετύφλωνται φραδαί.
Πολλὰ δ᾽ ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔ-
πεσεν.

Signum nondum quisquam mortalium de re futura nactus est divinitus: Sed futurorum excæcatæ sunt cognitiones, multaque hominibus in contrarium accidunt. De Amyco Valer. lib. 4. Arg.

—— *urgentis post sera piacula fati*
Nescius. ——

Ennodius Declamatione decima: *Quoties futuri mens nescia proximitate mortis incurreret?* & Lucanus libro quarto, *incertaque fata.* Iterum, *incerto venturæ tempore vitæ.* Cerda.

Et servare modum rebus sublata secundis.
Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum
Intactum Pallanta, & cum spolia ista diemque
Oderit. at socii multo gemitu lacrimisque
Inpositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum rediture parenti;

Hæc

Nescia mens hominum.] Quia propter hunc balteum occiditur, Æn. 12. ꝟs. 949. *Taubm.*

502. *Servare modum.*] Nunquam nescia, ideo nec servare * *Servius.*

Et servare modum, &c.] Pulchra etiam hæc, secunda quippe hominem extollunt, & transversum agunt. Prudentissime, ad mentem Maronis Paulus Consul apud Livium lib. 45. *In secundis rebus nihil quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cum quid vesper ferat incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferent, nec adversa infringent.* Cerda.

Sublata.] Elata. *Servius.*

503. *Magno cum optaverit emtum.*] Magno emptum scilicet pretio. Sic & alibi, *Et magno mercentur Atridæ*; sensus autem talis est: erit tempus quo Turnus optabit quovis pretio redimere, ne ipse Pallantem occidisse videatur. *Idem.*

Tempus erit, magno cum optaverit emtum, &c.] Plena locutio; nam cum dicimus, *erit, cum*, ellipsis est, & subaudiendum *tempus*. Ut vero hic Turnum optaturum dicit pretio redimere, ne Pallantem occidisset, ita quoque apud Silium Ital. lib. 5. Dido ait:

— *feroque emptum volet impia Roma*
Non violasse mei corpus mucrone Sichæi.

Emmeness.

Cum.] Post *erit* eleganter *cum*, præsertim cum vocibus temporis. Ita & Græci χρόνος ἔσται, ὅτε. Lib. 1. Georg. *tempus veniet, cum.* & 5. Æneid. *Septima æstas vertitur, cum.* Cerda.

Emtum.] Claud. de Bell. Gild. *hæc damnis genitor Cannensibus emi.* Vide lib. 9. Æneid. ad illud, *Qui vita bene credat emi, &c.* Idem.

505. *Multo gemitu.*] Lacrymis, minus est hic, *cum.* Servius.

506. *Impositum scuto, &c.*] Ex more militari, quo mortui educebantur in scutis. Ennius in Andromacha de Astyanacte præcipitato, *Puerumque, ut laverunt, collocant in clypeo.* In Andromach. (inquam) nam male Andromedam citat Nonius. Huc allusum à Philippo libro primo Epigrammatum, ἀσπὶς τύμβου κόσμος μέγας· *clypeus magnus honos sepulcri.* Et libro tertio de Trasybulo mortuo, [illegible] ἀσπίδος ἤλυθεν ἄπνους. Clemens in Protrept. *Quod si etiam Corybantum velis orgia considerare, hi cum suum fratrem occidissent, caput mortui purpura contexerunt, & coronatum sepelierunt, ferentes in clypeo æneo ad radicem montis Olympi.* Statius lib. octavo,

Fertur Atys, servans animam jam sanguine nullo,
Cui manus in plaga, dependet languida cervix
Exterior clypeo, crinesque à fronde supini.

Sil. lib. 5.

Interea examimem mæsti super arma Sichæum
Portabant Pœni, corpusque in castra ferebant.

Quæ Silii Musa nata ab illa Nostri infra in hoc lib.

At Lausum socii exanimum super arma ferebant
Flentes ingentem, atque ingenti vulnere victum.

Quem locum vide. *Cerda.*

507. *O dolor atque decus.*] Duos hos versus

Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert:
Cum tamen ingentis Rutulorum linquis acervos.
Nec jam fama mali tanti, sed certior auctor
Advolat Æneæ, tenui discrimine leti
Esse suos: tempus versis succurrere Teucris.
Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen
Ardens

versus plerique à poëta dictos volunt. Alii à sociis qui reportant cadaver. Dolor autem propter illud, *Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.* Serv.

Decus.] Propter illud, *Cum tamen ingenteis Rutulorum linquis acervos.* Idem.

O dolor atque decus magnum rediture parenti.] In Romano codice, *parentis*, quippe *dolor & decus.* Sed omnino magis placet *parenti* acquisitivo casu. *Pier.*

O dolor atque decus.] Conjunctio hæc plausibilis aliis ab uno Virgilio. Auson. ep. 5.

Et decus, & dolor es conjugis Ausonii.

Sidonius:

Germani decus, & dolor Mamerci.

Martial. Epig. 14. lib. 11.

Romani decus, & dolor theatri.

Non dissidet ab conjunctione illud 5. Æneid. *quem semper acerbum, semper honoratum.* Nec illud Martial. Epig. 4. l. 7.

—— *tueque*

Terretur barbarus, & fruitur.

Cerda.

Decus magnum.] Ita etiam conjunxit Catul. *magnum dedecus urbis.* Idem.

Decus rediture parenti.] Ut supra, *decus addite divis.* Germanus.

508. *Hæc te prima dies bello, &c.*] Aptissime ad hunc locum charissimus meus Morlan. & in paucis doctus, aptabat Senecam, & Claudianum. Ille in Hercul. Oet.

—— *cecidit Oecalia inclyta,*

Unusque Titan vidit, atque unus dies

Stantem, & cadentem. ——

Hic de Bell. Get.

—— *quibus attulit idem*

Principium, finemque dies. ——

Adde ex Nota Germ. Soph. qui in Tyran. ἡ δ' ἡμέρα φύσει σε, καὶ διαφθερεῖ & Calab. qui lib. 1. loquens de Penthesilea,

—— λυγραὶ δέ μιν ἀτρεμώτονον

Κῆρες, ὅπως πρώτην τε, καὶ ὑστάτην ἐπὶ

δῆριν ἐλθέμεν. Cerda.

509. *Acervos.*] Supra:

Ingentes Rutulæ spectabis cædis acervos,

& *tot stragis acervos.* Prudentius lib. 2. Hymn. loquens de Barbaris, quos vicit Stilico:

Corpora famosis olim ditata rapinis

In cumulos congesta jacent. ——

Attius ante omnes in Epinausimache,

En Scamandrum undam sanctam salso
obtexi sanguine,

Atque acervos alta in amni corpore ex-
plevi hostico.

Sed quia Poeta dicit *ingentes acervos*, visum Ursino duci ab Helvio Cinna, qui,

Nec tam donorum ingentes mirabere a-
cervos. Cerda.

510. *Certior auctor.*] Id est, nuntius verus. *Servius.*

511. *Advolat Æneæ.*] De morte Pallantis scilicet, ut postea inferantur, quæ præterea addit. *Idem.*

Tenui discrimine leti.] Modico mortis interstitio. per quod magna Pallantis virtus ostenditur: quo interempto omnis est in fugam conversus exercitus. *Idem.*

512. *Versis.*] Fugatis. *Idem.*

Versis succurrere Teucris.] In Romano codice hoc etiam loco *succedere* legitur, uti superius, *Succedere Lauso.* Pierius.

513. *Proxima quæque, &c.*] Comparat hunc locum Scaliger cum Homeri ductu, & Latino dat palmam, l. 5. c. 3. nam *Æneæ iram, non lacrymis, aut*

Ardens limitem agit ferro; te, Turne, superbum
Cæde nova quærens. Pallas, Euander, in ipsis
Omnia sunt oculis: mensæ, quas advena primas
Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone creatos

Qua-

obtutu furioso, aut dentium concußione declaravit: sed verborum suppreßione, & animi impetu: nam statim accepto nuntio sine verbis, proxima quæque gladio metit, &c. Cerda.

Metit.] Qui metit facile secat segetes, & obstantia removet: sic Æneas. facile cedebant qui obstabant. *Donatus.*

Metit.] Traductio hæc aliis placita. Stat. 1. Theb. *mors fila sororum Ense metit.* Horat. Od. 14. lib. 4. *Primosque & extremos metendo.* Vetus Poëta apud Tull. loquens de fragili mortalium vita, *Metenda est fruges, sic jubet necessitas.* Oppian. lib. 4. Hal. synonymice conjungit, τάμε, ἐκόλουσεν, ἤμησε. *scidit, mutilavit, messuit.* Inde est, ut Poëtæ frequenter recurrant ad aristas in re belli, ut cum ait Nonnus lib. 22.

— σὺ δὲ στρατὸν ἔθερισας Ἰνδῶν,
Ἀνέρας ἀμάων. —

Et iterum:

— ἐπασσυτέρῃσι δὲ ῥιπαῖς
Κυανέης ἤμησε σιδήρεα λήϊα χάρμης.

Calaber lib. 3.

Ὡς δ᾽ ὅτε λήϊον αὖον ὑπ᾽ ἀμητῆρσι πέσῃσι.

Ex his illustro Catullum de Nupt. Pelei,

Namque velut densas prosternens messor aristas,
Sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Trojugenûm infesto prosternens corpora ferro. Cerda.

Latumque per agmen, &c.] *Latum limitem ardens agit*, id est, facit. sic melius quam si dicas, *latum per agmen.* Et sic intelligamus, aut per ordinem, aut per Hypallagem. nam & supra sic ait, *Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam.* Servius.

514. *Limitem agit ferro.*] De Virginio Livius lib. 3. *Ille ferro, quocunque ibat, viam facere.* Est hoc, quod de Camillo terribiliter inter Volscos grassante idem lib. 6. *Itaque quocunque se intulisset, victoriam secum haud dubiam trahebat.* De Scipione juvene Sil. l. 4. paternam mortem ulciscente:

Continuo cessere globi, latusque repente
Apparet campo limes, metit agmina tectus
Cælesti clypeo, & sternit super arma jacentum
Corpora, & auctorem teli, multasque paternos
Ante oculos animas, optata piacula, mactat.

Cerda.

Superbum cæde nova.] Par sententia illa, quæ præcessit in hoc lib. de Mnestheo,

— quem pulsi pristina Turni
Aggere murorum sublimis gloria tollit.

Et Poëta quidem reddit Homeri ὀλβάμενον. Hac enim voce ille sæpissime afficit duces suos post præclarum quodvis facinus. *Idem.*

515. *Pallas, Euander, in ipsis Omnia sunt oculis.*] Erat rectum, *Pallas, Euander, mensæ, quas advena primus Tunc adiit, dextræque datæ, In ipsis omnia sunt oculis.* Sed perite scissa est narratio, per quam animus Æneæ perturbatus ostenditur. *Servius.*

Pallas, Euander, in ipsis Omnia sunt oculis.] Petron. Sat. sic videtur imitatus Poëtam:

Arma, cruor, cædes, incendia, totaque bella
Ante oculos volitant. —

Et Stat. 11. Theb. *Omnibus ante oculos iræ Jovis.* Cerda.

516. *Mensæ, quas advena primus Tunc adiit.*] In Romano codice *primum.* In aliis quibusdam *primas.* Idem tamen facit *primus*, sed figurate. *Pierius.*

517. *Tunc adiit.*] Quidam *tunc*, pro *quondam* accipiunt. *Servius.*

518. *Qua-*

Quatuor hic juvenes; totidem, quos educat Ufens,
Viventis rapit, inferias quos inmolet umbris,

Capti-

518. *Quatuor hic juvenes.*] Emphasis virtutis, quod multos, quod juvenes, quod armatos, quod rapit: minus enim fuerat si dixisset *capit*, unde in XI. *Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris Inferias.* Servius.

Quatuor hic juvenes, &c.] Mira virtus hominis, qui tanta facilitate tot hostes rapiat. *Donatus.*

Quatuor.] Signate; nam ex infelicitate numeri paris, qui & sacer mortuis, & semper infelix apud veteres. Ergo Virg. octo juvenes, quatuor & quatuor vivos servat ad inferias. Ita in 6.

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos.

Et in 3.

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

Ad Patrocli funus Achilles Iliad. 21.

Ζωοὺς ἐκ ποταμοῖο δυώδεκα λέξατο κούρους
Ποινὴν Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος.

Apud Herodot. lib. 3. decernitur pro singulis Persarum interfectis δέκα τῶν Αἰγυπτίων τῶν πρώτων ἀνταπόλλυσθαι. *Cerda.*

Quatuor, &c.] Numerum parem elegit: quia de sacris inferorum res est. Mos autem erat in sepulcris virorum fortium captivos necari. V. N. 11. Æn. ✠ſ. 82. *Taubm.*

519. *Inferias quas inmolet umbris.*] *Inferiæ* sunt sacra mortuorum ab inferis dictæ. Sane mos erat in sepulchris virorum fortium captivos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, qui à bustis bustuarii dicti sunt.

Ὅ δ᾽ ἐπὶ κάμε χεῖρας ἑταίρων,
Ζωοὺς ἐκ ποταμοῖο δυώδεκα λέξατο κούρους
Ποινὴν Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος. *Servius.*

Viventis rapit, inferias, quos inmolet umbris.] Usitatum Græcis (accepere ab his Latini) fundere humanum sanguinem ad sepulcra mortuorum, placandis illorum manibus. In Heliod. lib. 9. & 10. Hist. Æth. magna est moris hujus mentio de juvenibus, qui servati in bello ad mactationem. De Gallis Diodor. lib. 5. χρῶνται δὲ καὶ τοῖς αἰχμαλώτοις ὡς ἱερείοις πρὸς τὰς τῶν θεῶν θυσίας. Sueton. August. cap. 15. *Scribunt quidam trecentos ex dedititiis electos utriusque ordinis ad aram Divo Julio extructam Idib. Martiis hostiarum more mactatos.* Valer. Max. *Marium occidit Sylla pertractum per ora vulgi ad sepulcrum Lutatiæ gentis.* Et apud Calab. lib. 3. in funere Achillis,

—— πολλοὺς δ᾽ ἐφύπερθε βάλοντο
Τρώων δηώσαντες ὁμῶν περικαλλέας υἷας.

Pyrrhus apud Plut. multos hostium interficit, ὥσπερ ἐναγισμόν τινα τῷ παιδὶ τελέσας, καὶ λαμπρὸν ἐπιτάφιον ἀγωνισάμενος. Vates quidam apud eundem in vita Themist. ἐκέλευσε τῶν νεανίσκων κατάρξασθαι, καὶ καθιερῶσαι πάντας. Ergo illud Sen. in Troadib.

Quod si levatur sanguine infuso cinis,
Opima Phrygii colla cædantur gregis,
Fluatque nulli flebilis matri cruor.
Quis iste mos est? quando in inferias homo est
Impensus homini? ——

prolatum non tam ex ignoratione moris, quam ex rei invidia. Sed quidem morem hunc natum à Græcis, ut initio dixi, clare aperit Eurip. Troadib. ubi Hecuba ita loquitur:

Οἴ μοι ἐγὼ τάφῳ πρόσπολον ἐκκόμαι.
Ἀτὰρ τίς ἦδ᾽ ἦν νόμος; ἢ
Τί θέσμιον, ὦ φίλος, Ἑλλάνων;

Inde Græcis parentationes dictæ αἱμακουρίαι. qua voce usus Pind. Od. 2. O-

lymp.

Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam contenderat hastam;
Ille astu subit: at tremebunda supervolat hasta.
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios manis, per spes surgentis Iuli,
Te precor hanc animam serves natoque patrique.
Est domus alta: jacens penitus defossa talenta

Cælati

lymp. ab sanguine puerorum, qui fusus. *Cerda.*

520. *Captivo sanguine.*] Pro *captivorum:* ut, *Captivi pendent currus.* Item, *Captivaque vestis Congeritur:* & est, ut dictum est, speciosius ornatus. *Servius.*

521. *Mago.*] Dativus est, ut supra, *Ilo namque procul.* Idem.

Contenderat.] Adversum jecerat. *Id.*

Inde Mago procul infensam quum tenderet hastam.] Varia versus lectio est apud codices antiquos. Impressi vero vulgatique omnes conveniunt in epitheto *infensam.* Sed in Romano *infestam* est. Præterea *cum tenderet* vulgo legitur. Sed in Romano *contorserat.* Oblongus vero, atque aliquot alii eadem forma, unica dictione *contenderat.* Tu vero videris, sive *cum tenderet*, sive per interpositionem, *Procul infensam contenderat* legi placeat, utrum *Mago* sit dativi casus, ut Servius putat. *Pier.*

522. *Ille astu.*] *Astu* pro scientia bellica. *Servius.*

Subit.] Subdidit. *Idem.*

Ille astu subit.] Aliqui explicant subsedisse Magum. Non credo, nam cum Iliad. 21. Achilles hastam conjecisset, subjicit, de eo, qui erat petendus,

—ὁ δ' ὑπέδραμε, καὶ λάβε γούνων
Κύψας, ἐγχείη δ' ἄρ' ὑπὲρ νώ-
τε, &c. —

Tale ferme illud 15. Iliad. de Polydamante, qui ὑπαιθαλιάσθη ad venientem hastam. & de Merione, qui l. 16. ad iaculantem Æneam κατέκυψε, ac tunc hasta supervolavit. *Cerda.*

Supervolat hasta.] Ad verbum Hom. ὑπερέπτατο ἔγχος. Vide lib. 9. ubi sagittæ dantur alæ. *Idem.*

523. *Et genua amplectens, &c.*] Genua cur tangerent supplices vide supra apud Servium lib. 3. Æn. ✝ſ. 607. Plin. lib 11. cap. 45. *Hominis genibus quædam & religio inest, observatione gentium. Hæc supplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc, ut aras, adorant, fortaßis quia inest iis vitalitas.* Ad quem locum vid. Dalecamp. *Emmeneſſ.*

524. *Per patrios manis, & spes surgentis Iüli.*] Per eas personas rogat, propter quod precatur. Et bene ut in belli calore, breviter omnes locos ad impetrandam veniam complectitur. *Servius.*

Spes surgentis Iuli.] Æn.6. ✝ſ.364. *Taubmannus.*

525. *Te precor hanc animam serves, &c.*] Totus hic locus est ab imitione Hom. Il. ζ. Ἄδρηστος δ' ἄρ' ἔπειτα λαβὼν ἐλίσσετο γούνων. Ζώγρει, Ἀτρέος υἱὲ, σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄποινα, Πολλὰ δ' ἐν Ἀντιμάχοιο δόμοις κειμήλια κεῖται, Χαλκός τε, χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος· & Il. κ. ζωγρεῖτ' αὐτὰρ ἐγὼν ἐμὲ λύσομαι, ἔστι γὰρ ἔνδον χαλκός τε χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος, τῶν κ' ὔμμιν χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα, εἴκεν ἐμὲ ζωὸν πεπύθοιτ' ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν. *Germanus.*

526. *Penitus defossa talenta.*] Multi enim divitias suas obruebant. Unde Horat. *Quid juvat immensum te argenti pondus & auri Furtim defossa timidum deponere terra?* Sane melius *infossa* diceret, quam *defossa:* ad quod est metri necessitate compulsus. nam fugit dubiam syllabam. Et quidam volunt tria genera argenti vel auri poëtam com-

Cælati argenti: ſunt auri pondera facti
Infectique mihi. non hic victoria Teucrûm
Vertitur; aut anima una dabit diſcrimina tanta.
Dixerat. Æneas contra cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,

Natis

complexum, ſignatum, factum, infectum; Signatum, quod in vaſis & ſignis, ut *Cælati argenti.* Infectum, quod in maſſis, ut *Infectique mihi*; atqui talentum non ad numerum ſolet, ſed ad pondus referri, niſi forte uſum temporis ſui heroicis temporibus poëta voluerit applicare. Hic eſt locus Homeri. *Servius.*

Defoſſa talenta.] Cornicatur Serv. cum ſcribit, *melius infoſſa diceret, quam defoſſa.* Nonne *deponere*, *deprimere*, *dejicere*, & millena, in ſuo quodque ſignificato ita dicuntur, ut hic *defodere*? Sed eſto hoc audaciter: potuit certe dicere, ut unus ex auctoribus linguæ Latinæ. Ceterum ad ſententiam Virgilii aſpirat Horat. Sat. lib. 1. *Cerda.*

527. *Cælati argenti.*] Explicuit hoc jam Noſter Symbolarum Collector Pontanus verbis Iſid. cap. 17. lib. 15. *Tria ſunt genera argenti, & auri, & æris: ſignatum, factum, infectum. Signatum eſt, quod in nummis eſt: factum eſt, quod in vaſis & ſignis: infectum quod in maßis, quod & grave dicitur, id eſt, maſſa.* Hæc Iſid. Verba Servii in hoc loco depravata ſunt, & corrigenda ab Iſidoro, non contra. *Idem.*

Facti infectique.] in ſpeciebus & maſſis. χρυσὸς κατέργαστος καὶ ἀκατέργαστος. Euſtath. in ψſ. Od. ν. Κεῖται καὶ χρυσὸς πολυδαίδαλος. Porro hunc locum Grammatici comparant eum Homerico Od. 11. ζώγρει Ἀτρέος υἱὲ, &c. & 10. ζώγρει τ' αὐτὰρ, &c. De quibus Scalig. lib. 5. cap. 3. eum omnino vide. *Taubm.*

528. *Non hic victoria Teucrûm Vertitur.*] In meo ſcilicet interitu. Lucanus, *Non pondera rerum, Nec momenta ſumus.* Servius.

Non hic victoria Teucrûm Vertitur.] Adducit pulcherrime Servius illud Lucani. Sed nihil expendit. Ergo credamus Virgilium in verbo *vertitur* alluſiſſe ad lances trutinarum, & ad ῥοπὴν. Cum enim majus pondus in lance una ponitur, quam in altera, tunc lanx illa vergit, & *vertitur*, ut loquitur Poëta. Inde ſtatim pari conſecutione, *haud anima una dabit diſcrimina tanta.* Nam *diſcrimen* dicitur de libræ examine, ſicut & *momentum.* Quaſi dicat: una animula nihil addet ponderis ad victoriam. Inde iterum conſequenter Æneas, *commercia Turnus abſtulit iſta:* non hic fit emptio, aut mercatio. *Cerda.*

529. *Dabit diſcrimina tanta.*] *Dabit*, aut compenſabit, aut faciet, ut, *Quæ turbas dedit.* *Diſcrimina* autem, differentiam circa eventum & victoriam. *Servius.*

531. *Argenti atque auri, &c.*] Contemnit videlicet tot opes præ aviditate vindictæ, & hauriendi ſanguinis. Itaque quadrant in hanc ſententiam verſus Claud. Bell. Get.

Inviſum miles ſitiens haurire cruorem;
Per varias veſtes, onerataque plauſtra metallo
Tranſit, & argenti cumulos, & cædit avarus
Contemptas proculcat opes: pretioſior auro
Sanguis erat, paßim neglecti prodiga lucri
Ira furens ſtrictis odium mucronibus explet.

Et poſt pauca:

Raptaque flagranti ſpirantia ſigna Corintho
Callidus ante pedes venientibus objicit hoſtis
Incaſſum. neque enim feralis præda moratur,

Sed

Natis parce tuis. belli commercia Turnus
Sustulit ista prior, jam tum Pallante peremto.
Hoc patris Anchisæ manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus galeam læva tenet, atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus adplicat ensem.

Nec

Sed justos prabent stimulos monimenta doloris. Cerda.

532. *Gnatis parce tuis.*] *Talenta parce* per accusativum, Plautine dictum, qui ait in Milite, *Parce vocem.* Qui in Virgilium declamationes scripsit, de hoc loco sic ait ex persona Æneæ, *Improbus es, qui aut regi dones, aut filios exheredes.* *Parce* autem est secundum antiquos *serva*, ut apud Lucilium & Ennium invenitur: quond autem dicit *Gnatis*, cum supra dixerit, *Gnatoque patrique*, non est contrarium. nam *liberos* etiam unum dicimus filium, adeo ut etiam Terentius filiam *liberos* dixerit: in Hecyra, *Qui illum dignum decreverint suos cui liberos committerent.* ubi pater de filia ad uxorem loquitur. Ergo usurpavit respiciens ad liberos, ut *gnatos* de uno diceret. *Servius.*

Gnatis parce tuis.] Sumptum hoc à Lucillio, & Ennio Servius notat. Sed cur *gnatis*, cum supra, *hanc animam serves natoque, patrique?* Amplector Notam Servii. Vide Agell. lib. 2. cap. 13. & Pont. qui late in hunc locum. Sed cur *parce talenta* cum quarto casu? Quia nulla sunt verba neutra, ô Lector. Ita & Terent. ex Nota Germani, *quod comparsit.* & Propert. non dissimili verbo,

Juppiter ignosce pristina furta tua.

Cerda.

Commercia.] Vicissitudines, facultatem ignoscendi, vel captivorum redemptionem. *Servius.*

Belli commercia.] Dixit, *commercia*: quia vitam auro atque argento mercabatur: Scalig. l. 5. c. 3. Pari forma Tacitus: *Sabini cæde & incendio Capitolii, dirempta belli commercia, &c.* Donatus *commercia* exponit: Humanitatem poscis, quæ inter partes aliquando solet præstari: sed istam mihi tuus ille Turnus sustulit, & inhumanitatem plenam morte Pallantis docuit. *Taubm.*

533. *Jam tum Pallante peremto.*] Pro, jam tum cum Pallantem peremit. *Servius.*

534. *Hoc patris Anchisæ manes, &c.*] Idem sentire & patrem & filium dicit, quasi hoc commodum ad illos pertineat. *Idem.*

535. *Reflexa cervice.*] Ut solent noxii. Itaque hoc ad ludibrium. Vide me 2. Æneid. ubi paria in morte Priami: & hic adjungo Prudentii locum in Psychom.

Illa cruentatam correptis crinibus hostem
Protrahit, & faciem læva revocante supinat,
Tum caput orantis flexa cervice resectum
Erigit, ac madido suspendit colla capillo.

A qua injuria non abit illa Valer. 3. Arg.

Occupat os, barbamque viri, clavamque superne
Intonat. ———

Apud Plutar. etiam in vita Pelopidæ, cum interficitur à tribus adolescentibus Alexander Tyrannus Pheræorum, cum primus premeret illius pedes, & tertius obtruncaret, secundus τὴν κεφαλὴν λαβόμενος τῶν τριχῶν ἀνέκλασεν. *Cerda.*

Reflexa cervice.] Retro tracta, more hostiarum, quæ superis immolabantur: quippe hæ cælum spectabant supinæ; ut quæ inferis, terram pronæ. De quo Cælius lib. 12. cap. 1. Cæterum hic Æneam crudelitatis arguit Lactantius lib. 5. c. 10. quod supplici non pepercerit. *Taubm.*

536. *Capulo tenus abdidit ensem.*] Romanus codex, Mediceus, & aliquot alii admodum vetusti, legunt *applicat ensem.* Pierius.

537. Nec

Nec procul Hæmonides, Phœbi Triviæque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus conlucens veste atque insignibus armis.
Quem congressus agit campo, labsumque superstans
Inmolat, ingentique umbra tegit. arma Cerestus

Lecta

537. *Nec procul Æmonides.*] Hoc nomen licet possit esse patronymicum quia in *des* exit, ut dicamus Æmonis filius: tamen melius est, ut id proprium esse dicamus, quia nunquam aliud nomen ejus aut præmissum est, aut secutum. Ergo simile est patronymico, ut sit *Æmonides* sicut *Tydides*. Servius.

Æmonides.] In codicibus aliquot antiquis huic nomini aspiratum est. *Pier.*

538. *Infula.*] Fascia in modum diadematis, à qua vittæ ab utraque parte dependent: quæ plerumque lata est, plerunque tortilis de albo & cocco. *Serv.*

Infula.] Nam sacerdotes ex more infulati. Inde Panthus 2. Æneid. ornatur infula. Et Stat. 7. Theb. Lycorea sacerdotem Phœbi exornat infula, *& excussis apparuit infula cristis.* & 2. Theb.

Tiresiæ vultus, vocemque, & vellera nota
Induitur. ——

ubi *vellera* ponit pro infula coloris albi; ut 3. Georg. *lanea infula.* & idem Stat. lib. 4.

Albaque puniceas interplicat infula cristas. Et lib. 6.

Concolor est albis & cassis, & infula cristis. Cerda.

Cui sacra redimibat tempora vitta.] Romanus ille codex secretior *sacro* legit, pro sacerdoti. Præterea sunt qui *redimeibant* per *ei* in pene ultima scribant, quod ego nusquam in his codicibus antiquis observavi. Sed recte fieri, ex frequenti scriptione hujusmodi, quæ in antiquorum monumentis passim inspicitur, & ex Lucillii instituto superius ostendimus. *Pierius.*

Vitta.] Notetur mos antiquorum ex paritate rerum. Coronæ lemniscis ornabantur, mitræ redimiculis, infulæ vittis. Neque vero otiose: nam ut lemnisci serviebant illigandæ coronæ, ut redimicula illigandæ mitræ, ita vittæ ligandis infulis. Omitto duo prima. De vittis infulatum est locus Prud. περ. στεφαν.

Mire infulatus festa vittis tempora nectens.

Itaque, cum idem in Apotheos. dixit,

Jamque insertato reserabat tempora cultro
Vittatus de more senex. ——

intellige etiam infulatum. Scio moris quoque fuisse, ut vittæ innecterentur etiam, & servirent coronis, nam Stat. 3. Theb.

Hic gemini vates sanctam canentis olivæ
Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis
Evadunt pariter. ——

Sed nisi expresse ponantur coronæ, quoties occurrit vittarum mentio in sacerdotibus, intelligi debent una cum infulis ex notissimo insigni sacerdotum. *Cerda.*

539. *Insignibus armis.*] Asper sic legit, & utitur Salustii exemplo, qui ait, *Equo atque armis insignibus.* Probus vero, *Insignibus albis* dicit legendum, ut albas vestes accipiamus, quæ sacerdotibus congruæ sunt: sicut Statius dicit de Amphiarao. *Servius.*

Insignibus armis.] Statius de Amphiarao:

Albaq; purpureas interplicat infula cristas. Taubm.

540. *Agit campo.*] Insequitur per campum. *Servius.*

Labsumque superstans.] Militaris hæc contumelia sæpe in hoc Vate. Sup. *Quem Turnus super assistens.* &, *Lævo pressit pede.* Inf. *super abjectum posito pede nixus.* Cerda.

541. *Inmolat.*] Quasi victimam, ut ille consueverat, nam hoc verbo ad sacerdotis

Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, tropæum.
Inſtaurant acies, Volcani ſtirpe creatus
Cæculus, & veniens Marſorum montibus Umbro.
Dardanides contra furit: Anxuris enſe ſiniſtram,
Et

cerdotis nomen adluſit. Sane *immolari* proprie dicuntur hoſtiæ, non cum cæduntur, ſed cum accipiunt molam ſalſam; Cato in Originibus ita ait, *Lavinus * boves immolatus prius quam caderentur profugiſſe in Siciliam.* Servius.

Ingentique umbra tegit.] Aut magnitudine corporis ſui, aut clypei, obumbrat ejus cadaver. Aut *ingenti umbra*, id eſt, morte: ut, *In æternam clauduntur lumina noctem.* Aut *ingenti umbra tegit*, ſecundum uſum accipiendum, id eſt, exultatione eum opprimit & adumbrat. Ut ſuperatos dicimus adumbratos: aut *ingenti umbra tegit*, * ut inferior tegat adverſum hoſtes à fortiore quod inſtitutum minuit cauſa ſpoliorum detrahendorum. Sequitur enim, *Arma Sereſtus Lecta refert humeris.* Id.

Ingentique umbra tegit.] Probo Urſinum referentem ad Homericum σκότος ὄσσ' κάλυψεν. & Iulium Scaligerum explicantem libro 4. Poët. c. 1. *tegit umbra magna*, id eſt, morte. Mallem cum his duobus errare, quam ſequi alios. Servius etiam inter alias explicationes hanc adhibet. Et adhuc ego firmo Homerica eloquutione, Iliad. 13.

Ἠ'ί τινα Τρώων ἐρεβεννῇ νυκτὶ καλύψαι.

Id eſt, interficere: Sed & 20. Iliad. νεφέλη δέ μιν ἀμφεκάλυψε κυανέη. Itaque hic per *nebulam*, quod alibi ſæpe per σκότος. *Umbra* ergo Virgiliana, ut ego puto, repræſentat Homeri νεφέλην: & quia νεφέλη magna eſt, ideo *umbra magna*. Cerda.

Sereſtus.] Sereſtos duos intelligamus, unum in caſtris, & unum cum Ænea. Nam Trojani nondum erupere de caſtris, ut intelligamus eum, quem ſupra dixit. Ergo duo ſunt. nec mirum, cum ipſe dixerit, quod exemplo eſſe poſſit, *Aſſaracique duo.* Servius.

542. *Lecta refert.*] Proprie dixit: nam ſpolia quæ aptantur trophæis, *legi* dicuntur, id eſt, eligi. *Idem.*

Tibi rex Gradive.] Ut, *Tibi, Phœbe, ſacravit.* Idem.

Rex.] Deorum omnium commune elogium. *Cerda.*

Trophæum.] Declinatio Latina eſt: unde penultima habebit accentum. in numero vero plurali, quia *tropæa* dicimus ſicut Græci, nec aliquid inde mutilamus, erit Græcus accentus ſicut apud Græcos, ſcilicet tertia ſyllaba à fine. *Servius.*

Trophæum.] In compluribus ex his veteribus codicibus, *tropæum* abſque adſpiratione legitur: & ita ſcribendum eſſe cenſent plerique viri doctiſſimi, ejuſque inſcriptionis uſus, in veterum monumentis non uno apparet loco. *Pierius.*

543. *Inſtaurant acies, Volcani ſtirpe creatus Cæculus.*] Κατὰ τὸ σιωπώμενον. Nam ante fuſas accipimus. Ergo *inſtaurant* adverſus Æneam. *Servius.*

Volcani ſtirpe creatus.] Notandum *ſtirpem* de patre dictam, cum ſemper de longa generis ſignificatione dicatur. *Idem.*

Volcani ſtirpe.] Notandus locus; poſuit enim *ſtirpem* pro patre. Nam Vulcanus pater Cæculi creditus eſt, ut ipſemet Vates 7. Æneid. *Cerda.*

544. *Veniens.*] Pro *qui venerat.* Servius.

545. *Dardanides.*] Patronymicum à majoribus. *Idem.*

Anxuris enſe ſiniſtram.] Quidam ex hoc volunt intelligi etiam Umbronem occiſum. Conſtat enim vere ab Ænea occiſum, ſicut ipſe hoc libro in Catalogo ait, *Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum Evaluit.* Idem.

Anxuris enſe ſiniſtram.] Torquet me

Et totum clipei ferro dejecerat orbem.
Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo
Crediderat, cæloque animum fortasse ferebat;
Canitiemque sibi & longos promiserat annos.
Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis,

Silvi-

me hic locus, & possit alios. Quæ præcedunt, capiuntur de Umbrone, quæ sequuntur, de eodem sunt, quid ergo in medio narrationis facit *Anxur*? Nam illa, *Dixerat ille aliquid magnum, &c.* de Umbrone capienda sunt. Mihi placet duplex solutio. Prima, ut *Anxur*, aut, quod potius credo, *Anxur*, sit *Umbro* ipsissimus, etiam Servio placet, qui quod imberbis adhuc dicatur *Axur*, & inde jactantia illa promittentis sibi *caniciem*, & *longos annos*. Altera, ut versus Poëtæ ita scribantur,

Dardanides contra furit (Anxuris ense sinistram
Et totum clypei ferro dejecerat orbem)
Dixerat ille, &c. ——

Et ita *Anxur* iste sit extra materiam *Umbronis*, atque adeo inclusus parenthesi; ut dicat Poëta: Furebat in *Cæculum*, & *Umbronem* Æneas, qui prius tamen Anxuris sinistram amputaverat, & orbem clypei. *Cerda.*

546. *Dejecerat.*] Plus quam perfecto usus est ad exprimendam celeritatem, uti, *Suras incluserat auro.* Serv.

547. *Dixerat ille aliquid magnum.*] Proverbialiter dictum est, ac si diceret, non mirum sic occisum esse eum, qui sibi plurimum adrogabat. Corinthus ut sordidum improbat. *Idem.*

Dixerat ille aliquid magnum.] Turneb. lib. 2. cap. 21. significari ait, infestam fuisse ei Nemesim, adversari solitam superbis, ejusque insolentiam provocasse deorum invidiam, quæ ei exitii causa fuerit. At Pimpontius & Thorius ex conjectura leg.

—— *dixerat ille aliquid magicum.*

Quasi amuletis & magicis quibusdam consecrationibus adversus vulnera se muniisset: &, *vimque affore verbo*, exponunt, carmini magico. Firmantque conjecturam suam præsertim è loco quodam Eustath. in Odyss. υ. *Εὐρυδάμας δ' ὄνομ' ἴσκε.* Statii Theb. 9. ꝟ. 730. & 7. Æn. ꝟs. 752. & seqq. & d. Quasi Poëta suo more, vanæ illi superstitioni insultare voluerit. *Taubm.*

548. *Cæloque animum fortasse ferebat.*] Forte se exæquaverat cœlo, ut de Ænea, Drances: *Quibus cælo te laudibus æquem.* Aut *Ferebat* elevabat, quod solus esset majore senectute victurus, debellatis omnibus, id est, Ænea cum suis. *Servius.*

Cœloque animum fortasse ferebat.] Æquabat cælo. vide Adag. *Cælum manibus contingere:* de istis magnidicis. Ita 11. Æn. —— *& cælum territat armis.* Taubmannus.

549. *Canitiemque sibi, &c.*] Irridet, qui futurorum scientiæ confidunt. *Donatus.*

Canitiemque sibi, &c.] Apto huic sententiæ versus Simonidis, quos Latinos fecit Buchnanus:

Divina blandis interim spes somniis
Fovet universos, vana volventes diem.
Expectat iste crastinum, ille plurimas
Messes, nec ullus non sibi mortalium
Promittit hilaremque & opulentum proximum
Annum. Sed alium tristis ante terminum
Mors occupavit, morbus alium lugubris
Extinguit, alios Martio in certamine
Domitos, nigrantes Pluto mittit ad domos.

Silius ad Nostrum aspirans, ita cecinit:

Ille (Bogus) sibi longum Clotho, turbamque nepotum
Crediderat, vanis deceptus in alite signis.

Cerda.

Longos.] Pro *multos.* Servius.

551. Sil-

Silvicolæ Fauno Dryope quem nympha crearat,
Obvius ardenti sese obtulit. ille reducta
Loricam clipeique ingens onus inpedit hasta.
Tum caput orantis nequicquam & multa parantis
Dicere deturbat terræ; truncumque tepentem

Pro-

551. *Silvicolæ Fauno Dryope quem nympha crearat.*] Faunus quidam hoc loco rusticus intelligendus est, non deus, sicut supra Anxur, quem legimus Jovem. Alii Fauni filium, sed ante quam Faunus in deorum numero reciperetur: nonnulli & nympham non deam volunt, sed Græce sponsam dictam, vel quæ recens nupta sit, ne incredibile sit ex duobus numinibus procreatum esse mortalem, quanquam hæc numina secundum Aristotelem aliquando perire credantur. nam & Eryx Veneris & Neptuni filius ab Hercule occisus est. *Serv.*

Silvicolæ.] A Nævio, & Attio (ait Macrob. c. 5. l. 6. Sat.) Prior 2. Bell. Pun. *Silvicolæ homines, bellique inertes.* Posterior in Bacchis: *Silvicolæ ignota invisentes loca.* Cerda.

Dryope.] Præclare indigetat, ut rusticam Deam signet, nam δρῦς est quercus. *Idem.*

552. *Obvius sese obtulit.*] Lucret. l. 3. *Sponte sua letho caput obvius obtulit ipse.* Ursinus.

Ille reducta.] Id est, longa. ut, *Interea videt Æneas in valle reducta.* Et intelligimus protenta hasta Tarquiti arma esse impedita. Alii *Reducta*, retroacta dicunt, quod non procedit. *Servius.*

Reducta Loricam, &c.] Significatur, hasta Æneæ transverberatum fuisse clypeum: & ita penetratam loricam, ut in ea hæreret. Ita *lorica* & *clypeus* impediebatur. Quod autem *reducta* ait, id nimirum facit, quia lacertos retro reducunt hastam mittere parantes: Turneb. lib. 2. cap. 21. *Taubm.*

553. *Clipei ingens onus.*] Locutio poëtica ad significandum clypeum ponderosum. *Cerda.*

Inpedit.] Non permisit usui esse ad protegendum Tarquitum. *Servius.*

554. *Tum caput orantis, &c.*] Insistit Homero, qui lib. 10. Iliad. de morte Dolonis ita loquitur:

Ἦ, καὶ ὁ μὲν ἔμελλε γενείου χειρὶ παχείῃ
Ἁψάμενος λίσσεσθαι· ὁ δ᾽ αὐχένα
μέσσον ἔλασσε
Φασγάνῳ ἀΐξας, ἀπὸ δ᾽ ἄμφω κέρσε
τένοντες,
Φθεγγομένου δ᾽ ἄρα τοῦ γε κάρη κονίῃσιν
ἐμίχθη.

Dat Macrobius cap. 14. lib. 5. palmam Græco, nam recitatis Homeri versibus adjungit: *vide nimiam celeritatem sulvo pondere, ad quam non potuit conatus Maronis accedere.* Huic censuræ satis ineptæ se Scaliger opponit, & recitatis Virgilii versibus, ita ait: *Astricto ambitu numerorum expedivit facti celeritatem, atque aures prævenit, sicut ille anteverterat preces.* Huic credo. Ex hac Musa Prudent. Psychom.

Tum caput orantis flexa cervice resectum.

Invenio & locum Calab. lib. 11. cui etiam potuit hærere Virg.

—— κάρη δ᾽ ἀπάτερθε κυλινδομένου
πεφόρητο
Ἱεμένης φωνῆς. —— *Cerda.*

555. *Deturbat terræ.*] Hoc est, in terram. *Servius.*

Deturbat terræ.] Lucret. lib. 5. *Deturbavit equis in terram.* Ursinus.

Truncumque repente Provolvens.] Oblongus codex, atque etiam alter publico expositus usui, neque non Mediceus, *tepentem* habent. Romanus quoque huc tendit, quamvis literis transpositis *petentem* ibi sit. *Pierius.*

Truncumque repente Provolvens.] Non dubium, quin expresserit Homericum versum Iliad. 13.

Ἦ

Provolvens, super hæc inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, jace. non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra sepulcro:
Alitibus linquêre feris: aut gurgite mersum
Unda

Ἧκε δέ μιν σφαιρηδὸν ἑλιξάμενος δι' ὁμίλου.

Est etiam locus similis 11. Iliad.

—— ἀπὸ δ' αὐχένα κόψας,
Ὅλμον δ' ὥς, ἔσσευε κυλίνδεσθαι δι' ὁμίλου.

Hoc ferme genus ludribrii expressum ad Ovid. 9. Metamorph. de Hercule interficiente Lycam,

Corripit Alcides, & terque quaterque rotatum
Mittit in Euboïcas, tormento fortius, undas.

Val. 4. Virg. *labentem propulit Heros.* *Cerda.*

556. *Super hæc inimico pectore fatur.*] Quæritur quid tantum iste commiserat, ut sic sæviret Æneas. Sed ubique de morte Pallantis objicitur dolor. *Serv.*

Super hæc.] Non est præpositio. Sed, insuper fatur hæc. *Cerda.*

557. *Istic nunc, metuende, jace.*] Archaïsmos, id est, hostilis irrisio. *Istic* autem pro *hic*,

Ἐνταυθοῖ νῦν κεῖσο μετ' ἰχθύσιν οἵ σ' ὠτειλὴν
Αἷμ' ἀπολιχμήσοντ' ἀκηδέες. *Servius.*

Istic nunc, metuende jace.] Homer. Iliad. 20. κεῖσαι Ὀτρυντείδη. Et huic loco Virgil. institit: nam statim Hom. πάντων ἐκπαγλότατ' ἀνδρῶν. pro quibus Virgil. substituit *metuende*. Calaber etiam lib. 1. bis, κεῖσο νῦν ἐν κονίῃσι. Ex his apparet, fuisse hanc militarem insultationem, quam præclare firmat locus Plutar. lib. de Deo Socratis. Θεόπομπος δὲ ἀπαντήσας ἐκ δεξιῶν, καὶ τῷ ξίφει πατάξας αὐτὸν, ἐνταῦθα, ἔφη, κεῖσο. Sed quid tandem *jace*? id est, esto insepultus. *Cerda.*

Metuende.] Qui te metuendum arbitratus es. *Donatus.*

Non te optima mater.] Utrum vere mater, an terra patria? *Servius.*

Nunc te optima.] Potius *non*. In aliquibus vero codicibus, deest *te*. Pier.

558. *Condet humi.*] Aristoteles in Epitaphiis (si illius est liber ille) tria verba usurpat, quæ respondent Latino *condo*. videlicet in Eurypili Epitaphio κρύπτει, in Homeri χθὼν κατακαλύπτει, in Laomedontis κεῦθει. Eurip. in Hel. opponit, κρυπτόμενον & ἄθαπτον. & Nonnus lib. 23. κρυπτομένοις ἀτύμβευτον πότμον. *Cerda.*

Patrio sepulcro.] Aut etiam hinc apparet Faunum hominem fuisse, aut, ut quidam volunt, potest hoc ad matrem referri, ut dicat Æneas quod mater eum sepelire non possit in sui patris monumentis, id est, in avi ejus materni. *Servius.*

Onerabit.] Pertinet hoc ad aggestionem terræ, & tangit genus sepulturæ, quæ contraria levi pulveris injectioni. *Cerda.*

Onerabit.] Val. Acidalius in Vell. Lect. legit, *honerabit*: quod veteres *Honoro* & *Honero* promiscue dixerint: & *Honorandi* verbo nihil aptius hic possit de sepulcro, & quidem paterno. *Taubmannus.*

559. *Alitibus feris.*] Σαρκοφάγοις ὀρνέοις. Plautus, *Avi me feræ similem faciam ut prædicas.* Servius.

Alitibus linquere feris.] Dicebam de hac contumelia supra. Hic adjicio Sil. lib. 2.

Deforme alitibus liquere cadaver Iberis.

Claud. 2. Ruff.

—— *infestosque jubet bubone moveri*
Agmina, Mygdonias mox impletura volucres.

Misera est conquestio illa Lucani l. 4.

—— *Libycas en nobile corpus*
Pasci aves, nullo contectus Curio busto.

Eurip. Suppl. dolens defunctorum miseriam, θηροῖν ὀρείοις βορὰν· *feris monta-*

Unda feret, piscesque inpasti volnera lambent.
Protenus Antæum & Lucan, prima agmina Turni,
Persequitur, fortemque Numam, fulvumq; Camertem,
Magnanimo Volscente satum: ditissimus agri
Qui

montanis escam. ibid. χάρματα θηρῶν· *ludibria ferarum.* Sed cum Virgil. conjungat has volucres cum piscibus, credibile illum loqui de avibus marinis, cum pugna præsertim hæc haberetur in maris litore. Horat. Od. 10. Epod.

Opima quod si præda curvo littore
Porrecta mergos juverit.

Ovid. in epist. Ariadnæ:

Ossa superstabunt volucres inhumata marinæ.

Sic & lib. 3. Epigr. ossa Erasippi dicuntur αἰθυίαις γνωστὰ μόναις· *nota solis mergis.* Cerda.

Gurgite mersum.] Hunc affectum excitat Nonnus lib. 32. Hinc ait, κύμασι τυμβεύσαιτο Νηρεύς. *Idem.*

560. *Inpasti.*] Ita avidi, ut semper credantur impasti, sicut de Harpyis dixit, *Et pallida semper Ora fame.* quasi de fame. *Servius.*

Piscesque inpasti volnera lambent.] Hom. Iliad. 21. hanc contumeliam dat Lycaoni. Ibidem pisces dicuntur ἐρεπτόμενοι, & κείροντες adipem mortui, *comedentes, rodentes.* Mentio hujus ludibrii etiam est in Apollonio libro 1. ἰχθύσι χύρμα γενέσθαι. & lib. 3. Epig. de Timocleo, τὸν δ' ἤδη φάγον ἰχθύες· *hunc pisces devorabunt.* Hunc affectum movet Ovid. Eleg. 2. lib. 1. Trist.

Et non æquoreis piscibus esse cibum.

Et Claud. Consul. Honor.

Largius Arctoos pavere cadavera pisces.

Cerda.

Lambent.] Sunt qui reprehendant Virgilium, qui dat piscibus id verbi cum careant linguis: dicuntque consideratiorem fuisse Homerum; neque advertunt dici ab eodem Homer. lib. 21. Iliad. in sermone piscium, αἷμ' ἀπολιχμήσονται· *lambent sanguinem.* Oppian. quoque (hunc Scaliger advocat) dicit de piscibus λάμπτουσι. Dicamus ergo notari hoc verbo aviditatem piscium, ideo etiam *impasti.* Nota etiam indicari à Virg. etymon piscium. Sunt enim, qui putent dictos à pascendo, in his est Isid. & alii. Ergo, *pisces impasti.* Idem.

561. *Protinus Antæum & Lycam.*] In Oblongo codice *Lyncam* est una plus litera. Romanus, *Lucam* habet, quod ridiculum forte cuipiam videbitur. Sed enim in aliquot aliis quoque codicibus, eodem modo *Lucam* scriptum inveni. Neque quod *y* in *u* mutatum sit, ut in plerisque aliis factitatum: sed quia *Lucam* eadem pene forma qua *Lucagus* apud Virgilium Latinam esse dictionem crediderim prima producta, quæ corripitur in *Lyca*, ut ibi, *Inde Lycam ferit.* & ita apud Ovidium semper. Sic etiam reliqua ejusdem analogiæ, *Lycaon, Lycurgus.* Nos vero frequenti nuncupatione Elephantos comperimus *Lucas boves* appellatos à *Lucania*, ubi primum eos viderint Romani, quare *Luca* Romanum est vocabulum. Quod vero sequebatur, satis corrupte, *Prima agmina Turnum*, ex antiquioribus exemplaribus recte jam scribi cœptum est *Turni.* Pierius.

Prima agmina.] Qui agminis erant primi. *Servius.*

562. *Fortemque Numam, fulvumque Camertem.*] Fulvum, ξανθὸν· horum in Catalogo meminit. *Idem.*

Numam.] Vellicat hæc Macrob. l. 5. cap. 15. quod *Numam*, quem Nisus 9. Æn. ✠ 454. jam occiderit, hic Æneas persequatur. Quasi vero in tanto exercitu duo unius nominis esse non potuerint? Ita & duo *Seresti* hic sunt. *Taubm.*

563. *Magnanimo Volscente.*] In antiquis codicibus vel *s*, vel *c* tantum invenias scriptum *Volsente*, vel *Volcente*:

Qui fuit Ausonidûm, & tacitis regnavit Amyclis.
Ægeon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse, Jovis cum fulmina contra
Tot

tente: quod superius adnotatum est. *Pierius.*

Satum.] A re rustica. Ennod. orat. 4. *plantam familiæ.* & Nonnius lib. 32. ubi Juppiter de filio Lacedæmone, ὃν ἠροτρίασα· *quem aravi.* Cerda.

564. *Ausonidum.*] Pro *Ausonidarum*: sicut *deûm* pro *deorum.* nam *Ausonidum* à genere fœminino venit, *hæc Ausonis*, & *hæ Ausonides.* *Ausonidarum* vero venit ab eo, quod est *hic Ausonida* & *hi Ausonidæ.* Servius.

Tacitis regnavit Amyclis.] Inter Cajetam & Terracinam oppidum constitutum est à Laconibus, qui comites Castoris & Pollucis fuerunt: & cum Glauco filio Minois in Italiam venerant, & misti cum Ausonis ab Amyclis provinciæ suæ Laconicæ civitate ci indictum nomen est. Lacones itaque isti cum secundum Pythagoream sectam à cæde omnium animalium abstinerent, & à vicinis paludibus natas serpentes occidere nefas putarent, ab iisdem interempti sunt. Unde *Amyclas tacitas* dicit, id est, Pythagoreas. nam Pythagorica est virtus quinquennale silentium. Cicero propter nimiam modestiam perisse illos ait, dum à finitimis accipiunt injurias, & tacent eas. Est & alia expositio, Cum frequenter falso nuntiarentur hostes, & inani terrore civitas concuteretur: lata lege cautum est, ne quis unquam hostis nuntiaret adventum. Post quam cum vere hostis veniret nullo nunciante, ex improviso civitas capta est. Unde *tacitæ Amyclæ* dictæ sunt, quod periere silentio. Unde Lucilius ait, *Mihi necesse est loqui: nam scio Amyclas tacendo periisse.* Vel *tacitis*, de quibus taceatur, id est, ignobiles & non dignæ aliqua opinione: vel Hypallage est, pro ipse tacitus. *Idem.*

Tacitis Amyclis.] Mihi probatur secunda caussa, quam Servius refert, tertia displicet, prima & quarta in ambiguo sunt. Sed cur secundam probo? quia præter Lucilium, Silius quoque,

— *quasque evertere silentia Amyclas.*

Hoc etiam Catullus attigit, & alludunt omnes ad Adagium, τὰς Ἀμύκλας ἡ σιγὴ ἀπώλεσεν· *silentium Amyclas perdidit.* Causam aliam à Plinio possis rimari, qui lib. 3. c. 5. *Amyclæ à serpentibus deletæ.* Ergo *tacitæ*, id est, sepultæ jam oblivione. *Cerda.*

565. *Ægeon qualis.*] Ipse est, qui & Briareus dicitur, cœli & terræ filius. Alii hunc ex terra & Ponto natum dicunt, qui habuit Cœum & Gigen fratres. Hic contra Titanas Jovi adfuisse dicitur, vel, ut quidam volunt, Saturno. *Servius.*

Ægeon.] Qui *Briareus.* vide Æn. 6. ýs. 287. *Taubm.*

Ægeon qualis, &c.] Eadem comparatione utitur Statius lib. 2. Theb. ýs. 590. & seqq. *Emmeness.*

566. *Ignem Pectoribus arsisse.*] Asper dicit *ignem* hunc na* nimium intelligendum calorem, venientem ex ferocia, ut sit, Cum vim suam crudelitatis efflaret. Alii *ignem* hunc fulminis volunt, ut sit quemadmodum in primo, *Illum exspirantem transfixo pectore flammas.* Sane notandum ignem arsisse, cum igni alia res ardeat. *Servius.*

567. *Jovis cum fulmina contra.*] Quia dicitur flammam emisisse oribus suis contra Jovem * fulmen: Homerus nihil dicit aliud, quam centum manus eum habuisse, & auxilio eum Jovi adversus Neptunum, Junonem, & Minervam fuisse, & forte aut suum ignem, aut Jovis acceptum spirasse pro eo, ut sit contra nostra, adversus Jovem, sed similiter, à pari, ut Terentius

Tot paribus streperet clipeis, tot stringeret ensis.
Sic toto Æneas desævit in æquore victor,
Ut semel intepuit mucro. quin ecce Niphæi
Quadrijuges in equos adversaque pectora tendit:
Atque illi longe gradientem & dira frementem
Ut videre, metu versi retroque ruentes
Effunduntque ducem rapiuntque ad litora currus.
Interea bijugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger: sed frater habenis
Flectit

tius in Adelphis in Capite Comœdiæ, *Ille ut item contra me habeat, facio sedulo.* Idem.

568. *Paribus.*] Id est, inter se paribus. *Idem.*

Tot paribus streperet clipeis.] Id est, centum. Platonis locus ex lib. 7. Leg. ad rem est. Γηρυόνης δὲ γένοιτό τις φύσιν ἔχων, ἢ καὶ τὴν Βριαρέω φύοιτο, τοῖς ἑκατὸν χερσὶν ἑκατὸν δεῖ βέλη ῥίπτειν δυνατὸν εἶναι. Hinc illustrabis locum Claud. qui de Bell. Get. loquens de Typhœo, *cum brachia centum Montibus armaret totidem.* Cerda.

Stringeret enses.] Quintil. Decl. 344. *antequam stringere gladium cœpisset.* Cicer. etiam dixit *stringere gladium.* Idem.

569. *Sic.*] Ut non unam manum putares, namque ad hoc pertinet comparatio, ut intelligamus eum multitudinis vice dimicasse. *Desævit* autem hic *valde sævit*; alias *sævire desivit.* Servius.

In æquore.] Sunt codices antiqui, in quibus non *in æquore*, sed *in agmine* legatur. Sed enim magis placet *in æquore:* quia multo plus dicit. *Pierius.*

570. *Intepuit mucro.*] Nimia scilicet cæde. *Servius.*

Nyphei.] In antiquis aliquot *Nipæi* absque adspiratione, & per *i* Latinum. Sed *Nyphæi* frequentius. *Pierius.*

571. *Quadrijuges.*] Propter Homœoteleuton noluit *quadrijugos* dicere, & contulit se ad aliam declinationem. nam & *quadrijugus* & *quadrijugis* dicimus, sicut *inermus* & *inermis*, *exanimus* & *exanimis.* Servius.

Quadrijuges.] In codicibus aliquot antiquis, *quadrijugos* legas. *Pierius.*

572. *Atque illi.*] Equi scilicet. Nam ad superiora retulit: quod sciendum est esse vitiosum, interposuit enim, *Adversaque pectora tendit.* Servius.

Longe gradientem.] Longis gradibus incedentem: & est militaris incessus: aut longinquo. *Idem.*

Longe gradientem.] Id est, longis gradibus incedentem. Hom. μακρὰ βιβῶντα. unde & Mars dicitur *Gradivus.* Et Cacula militaris apud Plautum Pseud. act. 4. sc. 4.

Quin hinc metamur gradibus militaribus. Taubm.

Retroque ruentes.] Homero ἐξοπίσω ἀναχάζεσθαι. *Idem.*

574. *Effunduntque ducem.*] Et hoc loco omisit occisum, ut supra, *Dardanides contra furit.* Servius.

Rapiuntque in litore currus.] Romanus codex cum altero exposito Vaticanæ bibliothecæ legunt, *ad litora currum.* Unum enim currum agebat *Nyphæus.* In quibusdam aliis codicibus manu scriptis, non contemnendæ vetustatis, legere est *rapiuntque ad litora cursus.* Sed magis placet *currus*, aut *currum:* quia facta est mentio effusi ducis. *Pierius.*

575. *Bijugis.*] Erit nominativus *hic bijugus:* nam alias *bijugibus* faceret, si esset formæ tertiæ declinationis, ut *hic bijugis, hujus bijugis* faceret. *Servius.*

577. Ro-

Flectit equos: strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto fervore furentes:
Inruit, adversaque ingens apparuit hasta.
Cui Liger:
Non Diomedis equos, nec currum cernis Achilli,
Aut Phrygiæ campos: nunc belli finis & ævi
His dabitur terris. vesano talia late

Dicta

577. *Rotat.*] Vide l. 9. ad illud, *ac rotat ensem.* Cerda.

579. *Adversaque ingens.*] Hoc est, adversus ipse cum hasta apparuit: Et bene *ingens* visus cum adversa hasta minaretur. *Servius.*

Ingens.] Ex more Epicorum, qui suis Heroïbus semper attribuunt magnitudinem corporis. Talis hic Æneas, talis Turnus, qui *toto vertice supra est.* Talis apud Homerum Ajax, Achilles, Agamemnon, Idomeneus, & plures alii: talis Apidamus apud Apoll. 1. Argon. qui μέγας. Inde etiam ab Hom. Hector ἶσος ὄρεϊ, *similis monti.* ut etiam alii. *Cerda.*

Apparuit.] Verbum tragicum ex Nota Julii Scal. Firmo exemplo, quo ille caret. In una Sophoclis pagina, ubi ad visum Orestem tragice repræsentantur affectus ab Electra, ter habetur hoc verbum, & semper pro simplici *venio*, quo tamen relicto ad φαίνομαι decurrit, id est, *apparere*, quo faciat orationem τραγικωτάτην. *Idem.*

580. *Cui Liger.*] Quamvis non parum venustatis & elegantiæ videatur habere lectio absque eo carminis imperfecti principio, *cui Liger:* ea tamen duo verba passim in antiquis codicibus reperimus: quare illa præterire religio est. *Pierius.*

581. *Non Diomedis equos, nec currum cernis Achillis.*] Duos objecit, à quibus est victus Æneas: nec tamen usquequaque: nam eorum impetus evitavit. *Servius.*

Non Diomedis, &c.] Achillem & Diomedem non vult laudare, sed illos cum Ænea deprimit in Phrygiis, quasi dicat, in quibus versabantur imbelles. *Donatus.*

Diomedis equos.] In hoc autem loco fieri allusionem ad locum Hom. ubi Æneæ equi περίτρεσαν in pugna contra Diomedem, interpretes volunt. Non placent: nam textus Virgilii diversus est ab filo Homeri. Stat. lib. 12.

Non cum peltiferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus. hic cruda virorum
Prælia. ———

Tale & illud Turni lib. 9.

Haud sibi cum Danaïs rem faxo & pube Pelasga
Esse putent. ———

Et illud Ovid. 8. Metamorph.

Discite femineis quid tela virilia præstent,
O juvenes, operique meo concedite.

Cerda.

Nec currus cernis Achillis.] In aliquot codicibus antiquis *currum* Sed hic magis placet *currus* numero plurali ad amplificationem positum. *Pierius.*

Currum.] E curru frequentius, quam ex equo suos duces pugnantes inducunt Poëtæ Epici; testis tota Ilias, tota Æneis. fortasse quia in historiis hoc pugnæ genus habet honestatem. Herodot. lib. 7. Xerxen inducit in expeditione adversus Græcos ἐφ' ἅρματος ἵππων νισαίων. Apud Xenoph. lib. 4. παιδ. Cyrus milites suos exhortatur ἐφ' ἅρματος. Hoc idem in pugna Darii contra Alexandrum attingit Curtius, & alii sæpe. *Cerda.*

583. *Vesano.*] Hic poëta adfectationem

Dicta volant Ligeri: ſed non & Troïus heros
Dicta parat contra: jaculum nam torquet in hoſtes.
Lucagus, ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos: projecto dum pede lævo
Aptat ſe pugnæ, ſubit oras haſta per imas
Fulgentis clipei: tum lævum perforat inguen.
Excuſſus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Æneas dictis adfatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga ſegnis equorum

Pro-

tionem ſuam accommodavit dicendo *veſano*. Servius.

584. *Dicta volant.*] Alluſum ad ἔπεα πτερόεντα Homeri, *alata verba*. Potius ad illud 4. Iliad. ἀνεμώλια βάζεις. proprie; *loqueris ventoſa*. nam ἀνεμώλια, ἀπὸ τῶ ἀνέμου. Calab. lib. 2. τὰ μὲν ἄρπυ ἐπεα πάντ' ἀγορεύεις. De verbis Drancis lib. 11. *Quæ tuto ſibi magna volant*. Ex his Poëtam refero, non tam ad volatum, quam ad futilitatem. *Cerda*.

585. *Dicta parat.*] Poteſt legi, *Et dicta parent contra*. Servius.

Non dicta parat.] Nam prudens norat non lingua, ſed manu utendum in bello. *Donatus*.

Jaculum nam torquet in hoſtem.] Exemplaria pleraque ex iis, quæ fuere nobis præ manibus, *in hoſtes* numero multitudinis legunt. Una enim *Lucagus*, & *Liger* impetum faciunt in *Æneam*, cujus uno tantum ictu alter moribundus volvitur, alter delapſus veniam implorat. *Pierius*.

586. *Pronus.*] Pendens in verbera. *Pronus* nomen eſt; nam & comparatur, ut *pronior*. Si autem participium eſſet, fieret vitioſa locutio ſine interpoſitione conjunctionis. *Servius*.

Pronus pendens in verbera.] De hoc habitu aurigarum lege 3. Georg. ad illud, *pronique in verbera pendent*. Hic adjicio tum formam aliam, qua uſus Hom. Iliad. 23. κλινθήτην εὐπλέκτῳ ἐνὶ δίφρῳ. *Cerda*.

587. *Admonuit.*] Præterito præſenti. *Servius*.

Admonuit.] Ita MS. & vett. codd. Alii, *Admovit*. Sed illud rectius. quod & Nonius agnoſcit, & *percutere* exponit. ita apud Columellam, *admonere flagello*. Æl. Spartianus: *Equum expaveſcentem admonuit*. Quod Caſaubonus huic ſimile ait. *Taubm*.

Projecto.] Extento, id eſt, antejacto, ut, *Projectaque ſaxa Pachyni*. Servius.

Projecto.] Habitus pugnatoris, qui projecto pede ſolet ſe librare ad ictus, & veluti pendere. Talem deſcribit Ovid. 8. Metamorph.

Ancipitemque manu tollens utraque ſecurim
Inſtiterat digitis primos ſuſpenſus in artus.

De Ænea Noſter ſequenti lib. *in clypeum aſſurgat*. & de Turno lib. 9. *alte conſurgit in enſem*. Eodem pene ſenſu Horat. Sat. 7. lib. 2. *contento poplite*. Cerda.

Projecto.] Protento. Macrob. lib. 6. cap. 4. *Taubm*.

591. *Lucage, nulla tuos currus fuga ſegnis equorum Prodidit, &c.*] Hæc adlocutio contraria eſt ſuperiori. hoc enim continet, Objeciſti mihi quod ſim & ab Achille & à Diomede converſus in fugam. Te vero, ô Lucage, nec equorum tarditas prodidit: quod mihi contigit cum à Diomede occiſus eſt Pandarus, qui in eodem curru dimicabat, nec aliqua umbra equi tui ſunt territi, quod factum ſæpius in Homero legitur: ſicut & paulo poſt, Turnum cogit imago deſerere bella. Poteſt tamen & ad illud

Prodidit, aut vanæ vertere ex hostibus umbræ.
Ipse rotis saliens juga deseris. hæc ita fatus
Arripuit bijugos. frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delapsus eodem.
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam, & miserere precantis.
Pluribus oranti Æneas; Haud talia dudum
Dicta dabas. morere, & fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.

Talia

illud referri, quo tempore eum ab Achille nube cava Neptunus eripuit, ut in quinto commemorat. Potest & ad aliud referri, quod Nisæus paulo ante ab equis suis proditus est. *Servius.*

593. *Vanæ umbræ.*] Refert hoc Germ. ad vitium quod esse in equis pavidis solet, qui umbram timens, aut suam, aut aliorum: quod vitium in Bucephalo vicisse arte Alexander traditur. Hoc puto spectare Lucanum lib. 4. nam in sermone serpentis solertissimi decipientis alios minus solertes ait,

Ludit, & iratas incerta provocat umbra,
Obliquamque caput vanas serpentis in auras
Effusæ toto comprendit guttura morsu.

Cerda.

594. *Ipse rotis saliens.*] Sarcasmos est, qui non morte dejectus est: per irrisionem dictum est. Ille enim vulneratus ceciderat. *Rotis* autem; curru, à parte totum. *Servius.*

Ipse rotis saliens.] Hæc insultatio sumpta est procul dubio ab 16. Iliad. ubi Patroclus ad cadentem Cebrionem:

Ὢ πόποι, ἦ μάλ' ἐλαφρὸς ἀνήρ, ὡς ῥεῖα κυβιστᾷ.

Pergit multis Patroclus, & ait bonos esse saltatores in Trojanis. Attingit & Nonnus lib. 39. ubi, cum fieret cædes in feras maris, de moriente Delphino ait,

Ἡμιθανὴς σκιρτητὴς χορίτιδος ἀλλὰ μολπῆς.

& statim, κυβιστῆρες ὄλεθρου. *Cerda.*

595. *Frater tendebat inermes.*] In codicibus aliquot pervetustis, *inertis* legitur. id tametsi non ita placebat: quia tamen tam multis in exemplaribus inveniebamus, duximus adnotandum. *Pierius.*

597. *Per te, per, &c.*] Confer hanc orationem cum superiore Magi ad eundem Æneam, *Per patrios manes, &c.* Cerda.

598. *Sine.*] Permitte, relinque, patere, id est, συγχώρησον. *Servius.*

599. *Haud talia, &c.*] Ardens & erectum & infensum dicendi genus. Vide Macrob. lib. 5. cap. 1. *Taubm.*

600. *Morere.*] Achilles ad Lycaonem supplicem 21. Iliad. ἀλλὰ φίλος θάνε καὶ σύ. *Cerda.*

Fratrem ne desere frater.] Sunt qui putent allusum ad illud Plat. 2. de Rep. ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη, *frater viro adsit.* quam esse formam proverbialem (τὸ λεγόμενον) ille ait. *Idem.*

601. *Latebras animæ pectus.*] Diffinitio est pectoris, id est, in quo anima latet & continetur. *Servius.*

Latebras animæ pectus.] Intelligit adactum vulnus in cor, quod vocat *animæ latebram.* Cum quo alludit sententia Hom. 15. Iliad. ubi, φίλον ἄιον ἦτορ, ad verbum *spirabatur dulce cor.* quia in corde vita, & anima. Lege Aristot. lib. 2. de Generat. Animal. ubi primas, & ultimas vivendi partes cordi attribuit. Hippocrat. lib. de Corde, in eo constituit γνώμην ἀνθρώπου. Tertullian. adversum Marcion. cor videtur intellexisse, eo versu,

Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquæ vel turbinis atri
More furens. tandem erumpunt, & castra relinquunt
Ascanius puer, & nequicquam obsessa juventus.
Junonem interea conpellat Juppiter ultro:
O germana mihi atque eadem gratissima conjunx,

Ut

Per latebras animæ sepis manante veneno.

Apulejus 4. Florid. dixit de anima, illam *in corporis latibulis delitescere.* Statius 2. Thebaid. vocat *vitæ secreta*, cum ait, —— *sæpe aspera passum Vulnera, sed nullum vitæ in secreta receptum*, id est, nullum in cor. Sic & Valer. l. 3. Arg. *Qua stomachi secreta ferit.* Sed lubet aliter Maronem illustrare. Quid si intelligat adactum vulnus, qua ἧπαρ συνάπτεται τῇ καρδίᾳ διὰ τ̃ φρενῶν, verba sunt Galeni lib. 4. de usu Part. c. 14. *hepar continuatur cordi per phrenas?* Haic enim parti χιτῶνα καὶ ἀμφίεσμα natura attribuit, *tunicam, & indumentum*, ut ibid. ait Galen. Itaque, non absurde Poëta potuit intelligere indumentum hoc ruptum fuisse per *latebras reclusas*: nam ibi est vena, qua rupta, mors statim nullo intervallo consequitur. Et fortasse vena hæc, est illa, quam Vates superiore libro dixit, *spiramenta animæ.* Vide quæ de hac vena loco laudato Galenus expendens Homeri sententiam. *Cerda.*

Recludit.] Hæc Musa Horat. Epod. 17. *Modo ense pectus Norico recludere.* Idem.

603. *Edebat.*] Quasi ad spectaculum. Unde & *munerum editores* vocantur. *Servius.*

Funera.] Cædes, ut, *quis funera fando Explicet.* Idem.

Victor Dardanius torrentis aquæ.] Probatiores illi codices Vaticanæ bibliothecæ, & aliquot alii *ductor Dardanius* legunt: quod mirifice placet: ut inferius habebimus: *Sæva jamque altius iræ Dardanio surgunt ductori.* Sunt etiam codices, in quibus non *Dardanius*, sed *Dardanus & torrentis aquæ*, legatur. Illud simplicius, hoc figuratius est. *Pierius.*

603. *Torrentis aquæ.*] Notandum quod *aquæ* addiderit, cum absolute *torrens* dicatur. *Servius.*

604. *More furens.*] Exposuit superiora Epitheta. *Idem.*

Furens.] In Romano codice, *fremens* legitur. Sed hoc loco *furens* melius est, ut *Furit immissis Volcanus habenis.* de clade enim hic loquitur, non de strepitu. *Pierius.*

Tandem erumpunt.] Solutam obsidionem ostendit. *Servius.*

605. *Ascanius puer.*] Syllepsis, ordo est, Ascanius & Juventus; nam *obsessa* & ad Ascanium pertinet. *Idem.*

606. *Compellat.*] De verbis *appello*, & *compello* in re lenocinii & amoris, quo usu hic accipit Virgil. ut etiam Ovid. 8. Metam.

Talibus agrestem compellat Oreada dictis.

dixi alibi. Hinc in jure *appellare* est, alienam pudicitiam attentare. Justinian. lib. 47. ff. tit. 10. l. 15. §. 15. *Si quis virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur: multo minus, si meretricia veste feminæ, non matrum familiarum, vestitæ fuissent.* Latet & quidpiam aliud in Virg. Est *compellare*, vocare aliquem suo nomine. Dixit ergo Juppiter, ô *Juno germana, & conjux.* Sed adimit Poëta vocem *Juno*, quia ea intelligitur in verbo *compellat.* Nam si *compellat*, certe *Juno* dixit, & repetere vocem (*Juno*) otiosum esset. *Cerda.*

608. Ut

Ut rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Trojanas sustentat opes: non vivida bello
Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli.
Cui Juno summissa: Quid, ô pulcherrime conjunx,
Sollicitas ægram, & tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret; non hoc mihi namque negares,
Omnipotens; quin & pugnæ subducere Turnum,
Et

608. *Ut rebare.*] Ut arbitrabaris verum est quod Trojani Veneris utuntur auxilio, & dictum est per Ironiam. nam superflue quidam hanc orationem simplicem volunt dictam, ut re vera dicat Juppiter per se nihil posse Trojanos, quia falsum est: adeo ut Junonis oratio ad Ironiam, non ad simplicia verba respondeat. *Servius.*

Nec te sententia fallit.] Hoc per parenthesim dictum est. *Idem.*

609. *Vivida.*] Id est, fortis: ut V. Æn. *Sed bello vivida virtus.* Idem.

611. *Cui Juno summissa.*] Et humilis: & quia intelligit obliqua Trojanorum accusatione impugnari suum pudorem, etiam ipsa respondet oblique. *Idem.*

Cui Juno submissa.] In Romano codice *&* *Juno summissa* legitur. *Pierius.*

Summissa.] Humilem esse decet, quem necessitas precandi urget. *Donatus.*

612. *Tristia.*] Vel quæ tristem faciant, vel quæ severa. Terentius, *Tristis severitas inest vultu.* Item è contra Virgilius, *Furias amnemque severum*, id est, tristem. *Servius.*

614. *Vis in amore.*] Refert hoc Germ. non ad βίαν, sed ad φίλτρον, & δυνάμιν ἐρωτοποιόν. ita ut Poëta respiciat ad prima tempora conflati amoris inter Junonem, & Jovem, cum hic transformatus in avem irrepsit sorori. Ego puto simpliciter capiendum. Solet enim amor conjugum initio esse ferventissimus, qui postea usu elanguet. Inde 14. Iliad. eget Juno tot pharmacis ad excitandum Jovem; quem locum pari aura imitatur Nonnus lib. 31. Dionys. *Cerda.*

Namque.] Puto redundare, nam sententia integra amota hac vocula. quod unicum argumentum in aliis. Hac licentia plenissimus est Homerus. Sed ita redundat in Virgilio, ut addat efficaciam. *Idem.*

615. *Omnipotens.*] *Omnipotens* hic ad nominandi casum refero, non vocandi, hoc est, παντοδύναμος ὤν, ut loco intelligamus poëtam insistere Rhetorico ἀπὸ δυνατοῦ, ut supra: *Æole, namque tibi divûm pater atque hominum rex Et mulcere dedit, &c.* & alibi: *Nate, meæ vires, mea magna potentia solus:* & 7. *Tu potes unanimes armare, &c.* Germanus.

Pugnæ subducere Turnum.] In codicibus nonnullis, *Turnum subducere pugnæ*, legitur, transpositis dictionibus. *Pierius.*

Quin.] Ut non: nam est confirmativa particula. Quidam hunc ordinem esse volunt. Namque si mihi quæ quondam fuerat vis in amore foret, non hoc mihi negares, quin possem pugnæ subducere Turnum: Alii hoc genus elocutionis accipiunt, ut per ea quæ in parenthesi posita sunt, reliquo sensui occurritur, non his quæ primo posita sunt, hic enim ad illud quod insertum est: *Non hoc mihi namque negares Omnipotens, quin & pugnæ subducere Turnum, & Dauno possem incolumem servare parenti.* Alioquin dempta hac parenthesi non congruit primum cum postremo, si ita dicas, *Si mihi quæ quondam*

Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine pœnas.
Ille tamen nostra deducit origine nomen.
Pilumnusque illi quartus pater: & tua larga
Sæpe manu multisque oneravit limina donis.
Cui rex ætherii breviter sic fatur Olympi:
Si mora præsentis leti tempusque caduco

Oratur

dam fuerat quamque esse decebat vis, quin & pugna abducere Turnum, Et Dauno incolumem possem servare parenti. Plautus in Cistellaria: *Is servus, si d abhinc annos factum est XIII. cum conspicatus est primo crepusculo puellam exponi.* Servius.

617. *Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine pœnas.*] Δεικτικὸς est. Non enim agit ut pereat: sed magis favet ejus saluti. nam statim subjicitur cur indigne fiat, *Ille tamen nostra deducit origine nomen*, ut in secundo, *Jamdudum sumite pœnas, Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.* Quod autem dicit *Pio sanguine*, Æneæ latenter eum exæquat, qui ubique inducitur cultor deorum. *Idem.*

618. *Ille tamen.*] Quanquam moriturus est, tamen ab his originem ducit. *Idem.*

Nostra.] Divina. Id est, aut Jovis, aut Junonis, aut omnium deorum. *Idem.*

619. *Quartus pater.*] Abavus: nec est contrarium quod ait supra, *Cui Pilumnus avus.* Potuit enim fieri, ut & avus ejus & atavus à Pilumno Pilumni nominarentur: Ergo per *patris* appellationem ostendit cognationem. *Idem.*

620. *Multis.*] Solet Virg. tacite mores attingere. Nolebant veteres in rebus suis certum numerum signare; nam hic expositus invidiæ, sugillationi, fascino. itaque ad avertendos cavillos dicebant *multa.* Quin, quod mirere, de re adhuc una dicebant etiam *multa.* Varro de Ling. Latin. *Olim unum dicebant multa. Itaque cum in dolium, aut culeum vinum addunt rustici, prima urna addita, dicunt etiamnum, Multa.* Inde fortasse pastor jactabundus 2. Eclog.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ,

non ausus certum numerum proferre. Huc spectant verba Festi in voce *Oppido* hæc: *Ortum est hoc verbum ex sermone inter se confabulantium, quantum quisque frugum faceret, utque multitudo significaretur, sæpe respondebatur, quantum vel oppido satis esset.* Vides, ut non dicerent certum numerum frugum. Inde, credo, ductus mos gentium, frequenter enim centenarium, aut millenarium numerum assumebant pro quovis, ut ipsa multitudine falleretur invidia. Catullus aperte ad hunc morem Epigram. 7.

Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

ubi *curiosi* sunt fascinatores & magici. Ad locum Varronis, quem adduxi, pertinet risus gentilium, quem illi solebant excitare, cum dolia vini infunderent, ne videlicet audiretur numerus certus, & sic minus obnoxii essent huic malo. De qua re illustris est locus in 6. Synod. cap. 62. hunc in modum: *Neque exsecrandi Bacchi nomen, uvam in torcularibus exprimentes, invocent, neque vinum in doliis effundentes risum moveant, ignorantia vel vanitate ea, quæ à dæmonis impostura procedunt, exercentes.* Cerda.

621. *Rex atherei breviter sic fatur.*] Ubique Reges breviter loquentes ostendit, *Juppiter hæc paucis*, &, *Tum breviter Dido vultum demissa profatur.* Servius.

622. *Si mora præsentis lethi.*] Ex Jovis

Oratur juveni, meque hoc ita ponere sentis;
Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat. sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri

Mu-

vis concessione quali arte egerit Juno cognoscitur, scilicet ut Turnus possit evadere. *Idem.*

Si mora præsentis lethi, &c.] Sic Hom. Il. π. inducit Jovem cum Junone consultantem de proferendis Sarpedoni fatis, ei impendente jam Parca. Locum hunc monet Sulpit. ex intima philosophia sumptum, quod adstructum sit à philosophis quibusdam, veritatem sempiternam ex æternitate fluentem mutari non posse, præsertim si ad omne genus humanum reique summam attineat: singulorum vero posse fata mutari, & produci. Scilicet ex hac sententia posse Turno mortem differri, sed totius belli sortem rationemque mutari non posse. cujus argumenti sunt & hi Lucani versus lib. 6. in persona Erichtûs ad Pompejum, —*conceditur arti, Unam cum radiis presserunt sidera mortem, Inseruisse moras, & quamvis fecerit omnis Stella senem, medios herbis abrumpimus annos: At simul à prima descendit origine mundi Causarum series, atque omnia fata laborant, Si quicquam mutare velis, unoque sub ictu Stat genus humanum, tunc Thessala turba fatemur, Plus Fortuna potest.*— Ejusdem sunt sententiæ & illi 7. Æn. quibus ostendit deos retardare quidem posse fata, non penitus tollere: *Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis: Atque immota manet fatis Lavinia conjux: At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.* Germanus.

Lethi.] Qui ita scribunt, ducunt hanc vocem ἀπὸ τῦ λαθεῖν, est enim mors rerum oblivio. qui vero *letum*, ducunt ἀπὸ τῦ λύειν, nam mors est corporis solutio. Etenim antiphrasim illam; *letum, quia non læta mors*, ἀφοσιοῦμαι. *Cerda.*

Caduco.] Morituro. *Servius.*

623. *Ponere.*] Facere, vel, ut quidam volunt, constituere & decernere. Alii *ponere* pro *dare*, ut XII. Æn. *Hæc pro virginitate reponit.* Sane *ponere* facere, sicut Lucilius Homerum secutus, ait, ἄλγε' ἔθηκεν, id est, fecit. Alii *ponere* putare, ut solet dici, pone me hoc fecisse. *Idem.*

Ponere.] Esse Hellenismum pro *facere*, aut *statuere*, docti admonent. Certe cum Lucan. lib. 5. dixit, *liceat scelerum tibi ponere finem*, nihil aliud voluit, quam statuere finem. & cum Hom. 4. Iliad. ἄλιον θεῖναι πόνον. In eodem lib. ἱμον θέμεναι πονον ἀτέλεστον, pro, *efficere*, aut *reddere irritum laborem.* Ibid. τὰ δὲ πάντα θεοὶ μεταμώνια θεῖεν. ad verbum, *ponant irrita.* Cerda.

625. *Hactenus indulsisse vacat.*] Id est, sufficit, ingenti arte locutus est: nam dicendo *Vacat*, ostendit supra hoc breve spatium nullam ulterius bonam stellarum inradiationem futuram: ex quo Turni fata differre non posse. Unde non ait *indulsisse licet*, sed *vacat*: ac si diceret, jam undique in mortem traditur Turnus, hoc tantum vacat spatium, id est, intervallum temporis, quasi *hoc spatium*, hic locus est ut paruamper differatur. Hinc est quod & supra ait, *Metasque dati pervenit ad ævi.* Servius.

626. *Venia ulla.*] Beneficium quod te sperat mereri. Et duas habet significationes, quod petitur, ut hic, & quod conceditur, ut, *Si qua est victis venia hostibus, oro.* Idem.

Venia ulla latet.] *Veniam* hic Servius beneficium interpretatur speratum à Junone, ut supra haud dubie *venia* pro beneficio & gratia accipitur 4. Æn. *Extremam hanc oro veniam, miserere sororis, Quam mihi cum dederis, &c.* *Germanus.*

Mutarive putas bellum; ſpes paſcis inanis.
Et Juno adlacrumans: Quid ſi, quod voce gravaris,
Mente dares? atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet inſontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror. quod ut ô potius formidine falſa
Ludar, & in melius tua, qui potes, orſa reflectas!

Hæc

627. *Mutarive.*] Deeſt *poſſe*, an mutatum iri? *Servius.*

Spes paſcis inanes.] Pro, *ſpe inani paſceris.* ita Euripid. in Bacch. ἐλπίσι ἐβόσκετο. item Æſchyl. in Agam. οἶδ' ἐγὼ φεύγοντας ἄνδρας ἐλπίδας σιτουμένους. *Spem paſcere*, ait Donatus, eſt quaſi aliquo cibo promiſſis inanibus optata nutrire. Vide & P. Victor. l. 9. c. 4. *Taubm.*

628. *Cui Juno illacrimans.*] In Romano, *cui Juno lacrumans.* Pierius.

Quæ voce gravaris.] Quæ negas fato. *Vox* enim Jovis fatum eſt. Statius, *Et vocem fata ſequuntur.* hoc enim dicit, Utinam quæ negas voce, id eſt, fato, mente præſtares. Nam ſi Jovis vox, fatum eſt, poteſt aliud fando commutare. *Gravaris* autem, negas, graviter fers: & hac elocutione non niſi per accuſativum utimur: ut ſi dicas, *gravor adventum tuum*, id eſt, graviter fero, gravor præſentiam tuam. nam & ipſe dixit, *Quæ gravaris:* aliter non dicimus in hac ſignificatione. Similiter etiam accuſativo utimur caſu, cum volumus abſolutam facere elocutionem: & per gerundi modum aliquid dicere: ut, *Petendum mihi eſt equum, codicem, byrrum.* Hinc Virgilius, aut *Pacem à Trojano rege petendum.* Sic Saluſtius, *Caſtra ſine vulnere introitum.* Nam ſi dixeris, *petendus eſt codex:* non jam per gerundi agis modum, ſed participialiter loqueris. *Servius.*

Quid ſi, quod voce gravaris.] In antiquis aliquot exemplaribus legere eſt, *quid ſi quæ voce gravaris.* Pierius.

629. *Rata.*] Firma, perpetua. *Servius.*

Rata vita.] *Rata* fere paſſim legitur, id Servius admittit. Sed in Rom. cod. *data vita* habetur. quippe qui ſuo fato, non ferro violenter moreretur. placet vero magis omnino *rata.* Pierius.

Rata.] Dicebantur *rata*, quæ confirmata, non utcunque, ſed Deorum voluntate. Martial. 10.

Dii tibi dent, quicquid, Princeps Trojane, mereris,
Et rata perpetuo, quæ tribuere, velint.

Ovid. 2. Faſt. *ſint rata dicta Jovis.* Cerda.

630. *Nunc manet inſontem gravis exitus, &c.*] Sententiam Virg. ita convertit Propert. Eleg. 1. lib. 4.

Certa feram certis auctoribus. haud ego vates
Neſcius ærata ſigna movere pila.

& Eleg. 13. lib. 13. *atque utinam patriæ ſim vanus aruſpex.* Ita Juno optat eſſe vana, & ludi. Sic & Juven. Sat. 6. *Nos utinam vani.* & Stat. 9. Theb. *ſimque augur caſſa futuri.* Idem.

Veri vana feror.] Id eſt, ſum veritatis ignara. *Servius.*

631. *Quin ô potius.*] Nonnulli *quin ut potius* ſcripſere. Exemplaria vero tria Palatina, & aliquot ex iis, quæ apud me ſunt, *quod ut ô potius* legunt: quamvis in eorum uno deſit ô. hinc aliqui, ut verſui ſuccurrerent, *quin* illud, pro *quod* poſuere. *Pierius.*

Quod ut, ô potius, &c.] Quod utinam ita ſit, ut ego potius inani formidine angar, & tu ſententiam tuam in melius referas! *Taubm.*

632. *Orſa.*] Pro dictis & fatis. *Servius.*

Orſa.] Cum alluſione ad ſtamina Parcarum; nam *ordiri* de telis. *Cerda.*

633. *Cœlo*

Hæc ubi dicta dedit, cælo se protenus alto
Misit, agens hiemem nimbo succincta per auras:
Iliacamque aciem, & Laurentia castra petivit.
Tum dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Æneæ (visu mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis; clipeumque jubasque
Divini adsimulat capitis: dat inania verba;
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis.
Morte obita quales fama est volitare figuras,

Aut

633. *Cælo se protenus alto, &c.*] Ex hac Musa Valer. 2. Arg.

Cum Dea se piceo per sudum turbida nimbo
Præcipitat. —— Idem.

634. *Nimbo succincta.*] Id est, nubibus: quia præmisit, *Agens hiemem:* quod nisi esset, splendorem acciperemus, qui est circa corpus deorum. *Serv.*

635. *Iliacamque aciem, & Laurentia castra petivit.*] Non placet quod in codicibus aliquot antiquis *tecta* pro *castra* legitur: quamvis de urbe possit intelligi. In aliquot vero aliis codicibus legere est mutato numero: *Iliacamque aciem petit, & Laurentia castra.* Pier.

636. *Tum dea.*] Potest sensu integro *dea* detrahi. *Servius.*

Nube cava.] Nominativus est *hac nubes.* nam *nubs* non dicimus, quod ait Livius Andronicus, qui primus edidit fabulam apud nos. *Idem.*

Nube cava.] Solere similes formas compingi, atque efformari non ex aëre solum, sed ex nubibus, vaporibus, exhalationibus, hoc ipso Virgil. versu probat diligentissimus Delrius lib. 2. Disq. Magic. quæstione 27. sectione 2. Fit enim uti hac rerum mistione facilius formæ & membra exprimantur, conglutinentur, condensentur. Juvo illum auctoritate Eurip. qui idolum illud, quo repræsentabatur Helena, vocat νεφέλης ἄγαλμα. Sed & cum ait, solere fieri spectra ex exhalationibus, quæ sunt ignitæ, juvo quoque illum altero ejusdem Eurip. loco in Bacch. ubi ait, formatum à Baccho spectrum ex igne. *Cerda.*

637. *In faciem Æneæ.*] Quæ Æneæ faciem habebat. Atque hoc ex decoro fictum est: ne vir fortis fugisse videretur. *Taubm.*

638. *Jubasque.*] Propter equinam caudam, quæ esse solebat in galeis. unde est, *Cristaque hirsutus equina.* Servius.

639. *Divini capitis.*] Hoc ex persona poëtæ dictum est de Ænea intuentis futura. Nam post mortem in numerum refertur deorum. *Idem.*

Inania.] Nec à membris, nec à mente venientia. *Idem.*

Dat inania verba.] Hoc est, τὰ λογοειδῆ ῥήματα καὶ φωνὰς, scilicet futilia vocabula. Unde & λογοειδία, vitium in poëmate, quando nihil doctrinæ in se solidæ habet, sed nugax est & futile: & λογοειδὴς, sermonem, orationemque referens & simulans tantum, cum nullius sit significationis. *Germ.*

641. *Obita.*] Morte suscepta & completa. *Servius.*

Morte obita.] Sumpta & completa. Imitatus Lucret. lib. 1.

Cernere uti videamur eas, audireque coram
Morte obita, quorũ tellus complectitur ossa.

& 4. —— *cum sæpe figuras*
Contuimur miras, simulacraque luce carentum.

& quæ sequuntur. *Porro* εἴδωλον hoc Æneæ Il. V. ita describitur:

Αὐτὰρ ὃ εἴδωλον τεῦξ' ἀργυρότοξος
Ἀπόλλων

Αὐτῷ

Aut quæ ſopitos deludunt ſomnia ſenſus.
At primas læta ante acies exſultat imago.
Irritatque virum telis, & voce laceſſit.
Inſtat cui Turnus, ſtridentemque eminus haſtam
Conjicit: illa dato vertit veſtigia tergo.
Tum vero Ænean averſum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo ſpem turbidus hauſit inanem:
Quo fugis, Ænea? thalamos ne deſere pactos:
Hac dabitur dextra tellus quæſita per undas.

Talia

Αὐτῷ τ' Αἰνείᾳ ἴκελον, καὶ τεύχεσι τοῖον.

Quod Scal. l. 5. c. 3. cum Virgiliana umbra confert. Eum omnino vide. *Taubm.*

642. *Aut quæ ſopitos.*] *Quæ ſomnia,* pro qualia inſomnia, quæ per ſomnum videmus. *Servius.*

Aut quæ ſopitos.] Hom. Od. ο. *τέρπε φρένας ὑπνώοντος.* Phyſice autem poëta locutus videtur, cum vigiliæ ſit ſenſuum uſus. Vide Ariſt. De ſom. & vig. & Plutarch. in Plac. ph. an ſomnus & inſomnia ſint animi & ſenſuum. *Germanus.*

Læta ante acies exultat imago.] Nonn. lib. 29. tametſi de umbra loquatur, affinis eſt admodum Virgilio,

Ὡς δ' ὅτε τις σκιόεις τύπος ἀνέρος ἄπνοος ἕρπων
Ἀγχιφανὴς, ἀχάρακτος, ὁμόδρομος ἀνδρὸς ὁδεύει,
Καὶ οἱ ἀεὶ σπεύδοντι συνέσπεται. ——
Ut autem umbratilis figura viri mortua repens
Prope apparet, & abſque ſigno, comesque cum viro incedit,
Ipſumque feſtinantem ſemper comitatur. ——

Tales umbras Auſon. in Moſell. vocat *fallaces figuras.* Eurip. in Med. *ἄψυχον εἰκὼ σώματος.* *Cerda.*

Exultat.] *Exultare* eſt gaudere: & per ſe plenum eſt. Nam *inſultare* eſt irridere inimicos: & dicimus *inſulto tibi:* licet Saluſtius dixerit, *Multos ab adoleſcentia bonos inſultaverat.* Id eſt, in ipſos impetum fecerat. *Servius.*

643. *Irritatque virum telis.*] Ideo hoc arte agit Juno, & imagine decepit Turnum: quia ſi ei ex aperto fugam ſuaderet, more viri fortis ille fugæ præponeret mortem, cum præſertim ipſe in ſequentibus dicat, *Uſque adeone mori miſerum eſt?* Idem.

Irritatque.] Impreſſi codices omnes *irritat,* r geminato ſcribunt, ſonet ut de nare canina litera. *irito* tamen ab *ira* eſt. *Pierius.*

Irritatque virum telis.] Ovid. 8. Metamorph. *hoſtemque irritat ad iram.* Vulgus Græcorum *ἐρεθίζει.* Mihi nunc ante oculos Plut. in vita Luculli. *Cerda.*

647. *Ænean averſum.*] Neſcio quo factum fato, ut typographi ſemper excudant *Æneam*, cum Virg. ſcripſerit *Ænean* terminatione Græca in, *n*, non in, *m*, quod clare indicat locus, in quo ſum: ac proinde ut hic, ita alibi ſemper ſcribendum. *Idem.*

648. *Turbidus.*] Tumens, elatus arrogantia. *Servius.*

649. *Pactos.*] Nunc paſſivum, ut, *Pacta puellæ.* Idem.

Thalamos ne deſere pactos.] Cum Lavinia, *εἰρωνικῶς.* Quaſi dicat, exſpecta, dum ſervata pactorum fide optatam duces uxorem. *Taubm.*

650. *Tellus quæſita per undas.*] Sic alibi, *En agros, & quam bello, Trojane, petiſti Heſperiam metire jacens.* Servius.

Hac dabitur dextra tellus, &c.] Mortem indicat. Tale illud Claud. de Bell. Get.

Hanc

Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat
Mucronem: nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi conjuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis, & ponte parato;
Qua rex Clusinis advectus Osinius oris.

Huc

Hanc ego vel Regno victor vel morte tenebo
Victus humum. —

Inde acre illud Marii apud Plut. in ejus vita, ἴχνος γῦ γλῶ ἐκεῖνοι, ϗ διὰ παντὸς ἕξουσι. Infra in hoc lib. *atque eadem mox arva tenebis.* Valer. 4. Arg.

Tenditur ille ingens hominum pavor, arvaque late
Occupat. —

Calab. lib. 6. νῦν μὲν δή σε κεῖσε κατὰ χθονός. Homer. 16. Iliad. τινὰ γαῖα καθέξει, *aliquem terra detinebit*, id est, cadet aliquis mortuus. & Iliad. 18. ἀλλ' αὐτοῦ γαῖα καθέξει· *sed hîc terra detinebit*, id est, hic morietur. Achilles 21. Iliad. minitans cuidam mortem, ἥ μιν ἐρύξει γῆ· *illum terra tenebit.* & adjicit, ἥ τε κατὰ καρτερόν περ ἐρύκει, id est, *quæ fortes etiam alios tenet.* Quasi dicat: ubi etiam fortissimi alii occubuerunt. *Cerda.*

651. *Vociferans sequitur.*] Sequens clamabat, nam ante dixit, & sic est secutus. *Servius.*

652. *Nec ferre vides sua gaudia ventos.*] Proverbium est, *Venti ferunt gaudia*, id est, lætantur incassum. Sic supra, *Sed auræ Omnia discerpunt.* Item, *Partem Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.* Idem.

Nec ferre videt sua gaudia ventos.] Proverbiale hoc Eurip. Suppl. λόγων δ' ἀπευκτὰ κλεύσματ' ὤν ἀέρα φερόμενον οἴχεται. Horat Od. 26. lib. 1. ait, traditurum se *portare ventis* nimirum tristitiam & metus. Nazianz. in prim. στηλ. ϗ εἰ μὲν ψευδὲς, αὖραι φέροιεν· *si falsum id est, auræ dissipent.* Apollon. 1. Arg. ἀνέμοισι δώσομεν. Tibull. Eleg. 5. l. 1.

Hæc mihi fingebam, quæ nunc Caurusque, Notusque
Iactat odoratos vota per Armenios.

Propert. Eleg. 7. lib. 4.

Fœderis heu taciti, cujus fallacia verba
Non audituri diripuêre Noti.

Marcius Epigram. contra Amorem, κωφοῖς πέμπε λάλας ἀνέμοις. *Cerda.*

653. *Forte ratis.*] Descriptio per ἔκβασιν facta: non enim à superioribus pendet, sed antedictis adjungitur: ut, *Insula Sicanium iuxta latus.* Has autem descriptiones esse aptas & raras convenit: sicut etiam Horatius docet in arte poëtica dicens, *Purpureus late qui splendeat unus & alter Adsuitur pannus.* Sunt enim ornatui. *Servius.*

Crepidine saxi.] *Crepido* est abrupti saxi altitudo. *Crepidines* etiam *templorum* dici ipsos suggestus in quibus ædes sunt conlocatæ, & *crepidines viarum*, id est, ipsæ eminentiæ dextræ sinistræque. Sane hic Antiptosis facta est propter metrum. *Conjuncta* ergo *crepidine*, pro *crepidini*: sicut, *Hæret pede pes*, pro *pedi*. Est autem ablativus pro dativo. *Idem.*

Crepidine.] Turneb. l. 28. cap. 5. è perantiquo Onomastico P. Danielis *crepidinem* exponit summitatem riparum & gradum saxeum. Et notat ipse Pimpont. Græcis etiam κρηπῖδα basin & fundamentum dici. *Taubm.*

654. *Scalis & ponte parato.*] Unum dicit, sed per duo solens suo more, ut *pateris libamus & auro*, id est, aureis pateris. Ergo, *scalis, & ponte parato*, erit parato scalarum ponte. Quippe scalas navium dici pontem, & conversim, allucebit tibi ex his, quæ dicta à me in hoc l. ad illud, *Pontibus exponit.* Cerda.

655. *Clusinis oris.*] Tusciæ civitatis. *Servius.*

Osinius.] Ipse est quem supra *Massicum* dixit. Ergo (ut diximus supra) *Osinius* proprium est, *Massicus* appellativum: licet posset fieri, ut duo nomina unius sint, ut est *Numa Pompilius*, *Alexander*

Dicta volant Ligeri: sed non & Troïus heros
Dicta parat contra: jaculum nam torquet in hostes.
Lucagus, ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos: projecto dum pede lævo
Aptat se pugnæ, subit oras hasta per imas
Fulgentis clipei: tum lævum perforat inguen.
Excussus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Æneas dictis adfatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Pro-

tionem suam accommodavit dicendo *vesano*. Servius.

584. *Dicta volant.*] Allusum ad ἔπεα πτερόεντα Homeri, *alata verba*. Potius ad illud 4. Iliad. ἀνεμώλια βάζεις. proprie; *loqueris ventosa*. nam ἀνεμώλια, ἀπὸ τῶν ἀνέμων. Calab. lib. 2. τὰ μὲν ἄρπυ ἐτώσια πάντ' ἀγορεύεις. De verbis Drancis lib. 11. *Quæ tuto sibi magna volant.* Ex his Poëtam refero, non tam ad volatum, quam ad futilitatem. *Cerda.*

585. *Dicta parat.*] Potest legi, *Et dicta parent contra.* Servius.

Non dicta parat.] Nam prudens norat non lingua, sed manu utendum in bello. *Donatus.*

Jaculum nam torquet in hostem.] Exemplaria pleraque ex iis, quæ fuere nobis præ manibus, *in hostes* numero multitudinis legunt. Una enim *Lucagus*, & *Liger* impetum faciunt in *Æneam*, cujus uno tantum ictu alter moribundus volvitur, alter delapsus veniam implorat. *Pierius.*

586. *Pronus.*] Pendens in verbera. *Pronus* nomen est; nam & comparatur, ut *pronior*. Si autem participium esset, fieret vitiosa locutio sine interpositione conjunctionis. *Servius.*

Pronus pendens in verbera.] De hoc habitu aurigarum lege 3. Georg. ad illud, *pronique in verbera pendent.* Hic adjicio tum formam aliam, qua usus Hom. Iliad. 23. κλινθῆναι ἐϋπλέκτῳ ἐνὶ δίφρῳ. *Cerda.*

587. *Admonuit.*] Præterito præsenti. *Servius.*

Admonuit.] Ita MS. & vett. codd. Alii, *Admovit.* Sed illud rectius. quod & Nonius agnoscit, & *percutere* exponit. ita apud Columellam, *admonere flagello.* Æl. Spartianus: *Equum expavescentem admonuit.* Quod Casaubonus huic simile ait. *Taubm.*

Projecto.] Extento, id est, antejacto, ut, *Projectaque saxa Pachyni.* Servius.

Projecto.] Habitus pugnatoris, qui projecto pede solet se librare ad ictus, & veluti pendere. Talem describit Ovid. 8. Metamorph.

Ancipitemque manu tollens utraque securim
Institerat digitis primos suspensus in artus.

De Ænea Noster sequenti lib. *in clypeum assurgat.* & de Turno lib. 9. *alte consurgit in ensem.* Eodem pene sensu Horat. Sat. 7. lib. 2. *contento poplite.* Cerda.

Projecto.] Protento. Macrob. lib. 6. cap. 4. *Taubm.*

592. *Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum Prodidit, &c.*] Hæc adlocutio contraria est superiori. hoc enim continet, Objecisti mihi quod sim & ab Achille & à Diomede conversus in fugam. Te vero, ô Lucage, nec equorum tarditas prodidit: quod mihi contigit cum à Diomede occisus est Pandarus, qui in eodem curru dimicabat, nec aliqua umbra equi tui sunt territi, quod factum sæpius in Homero legitur: sicut & paulo post, Turnum cogit imago deserere bella. Potest tamen & ad illud

Prodidit, aut vanæ vertere ex hostibus umbræ.
Ipse rotis saliens juga deseris. hæc ita fatus
Arripuit bijugos. frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delabsus eodem.
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam, & miserere precantis.
Pluribus oranti Æneas; Haud talia dudum
Dicta dabas. morere, & fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.

Talia

illud referri, quo tempore eum ab Achille nube cava Neptunus eripuit, ut in quinto commemorat. Potest & ad aliud referri, quod Nisæus paulo ante ab equis suis proditus est. *Servius.*

593. *Vanæ umbræ.*] Refert hoc Germ. ad vitium quod esse in equis pavidis solet, qui umbram timens, aut suam, aut aliorum: quod vitium in Bucephalo vicisse arte Alexander traditur. Hoc puto spectare Lucanum lib. 4. nam in sermone serpentis solertissimi decipientis alios minus solertes ait,

Ludit, & iratas incerta provocat umbra,
Obliquamque caput vanas serpentis in auras
Effusæ toto comprendit guttura morsu.

Cerda.

594. *Ipse rotis saliens.*] Sarcasmos est, qui non morte dejectus est: per irrisionem dictum est. Ille enim vulneratus ceciderat. *Rotis* autem; curru, à parte totum. *Servius.*

Ipse rotis saliens.] Hæc insultatio sumpta est procu. dubio ab 16. Iliad. ubi Patroclus ad cadentem Cebrionem:

Ὢ πόποι, ἦ μάλ' ἐλαφρὸς ἀνήρ, ὡς ῥεῖα κυβιστᾷ.

Pergit multis Patroclus, & ait bonos esse saltatores in Trojanis. Attingit & Nonnus lib. 39. ubi, cum fieret cædes in feras maris, de moriente Delphino ait,

Ἡμιθανὴς σκίρτησε χορίτιδος ἀγγελίης μολπῆς.

& statim, κυβιστῆρες ὄλεθρος. *Cerda.*

595. *Frater tendebat inermes.*] In codicibus aliquot pervetustis, *inertis* legitur. id tametsi non ita placebat: quia tamen tam multis in exemplaribus inveniebamus, duximus adnotandum. *Pierius.*

597. *Per te, per, &c.*] Confer hanc orationem cum superiore Magi ad eundem Æneam, *Per patrios manes, &c.* Cerda.

598. *Sine.*] Permitte, relinque, patere, id est, συγχώρησον. *Servius.*

599. *Haud talia, &c.*] Ardens & erectum & infensum dicendi genus. Vide Macrob. lib. 5. cap. 1. *Taubm.*

600. *Morere.*] Achilles ad Lycaonem supplicem 21. Iliad. ἀλλὰ φίλος θάνε καὶ σύ. *Cerda.*

Fratrem ne desere frater.] Sunt qui putent allusum ad illud Plat. 2. de Rep. *ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη, frater viro adsit.* quam esse formam proverbialem (τὸ λεγόμενον) ille ait. *Idem.*

601. *Latebras animæ pectus.*] Diffinitio est pectoris, id est, in quo anima latet & continetur. *Servius.*

Latebras animæ pectus.] Intelligit adactum vulnus in cor, quod vocat *animæ latebram.* Cum quo alludit sententia Hom. 15. Iliad. ubi, φίλον ἄϊον ἦτορ, ad verbum *spirabam dulce cor.* quia in corde vita, & anima. Lege Aristot. lib. 2. de Generat. Animal. ubi primas, & ultimas vivendi partes cordi attribuit. Hippocrat. lib. de Corde, in eo constituit [illegible] ἀνθρώπου. Tertullian. adversum Marcion. cor videtur intellexisse, eo versu,

Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquæ vel turbinis atri
More furens. tandem erumpunt, & castra relinquunt
Ascanius puer, & nequicquam obsessa juventus.
Junonem interea conpellat Juppiter ultro:
O germana mihi atque eadem gratissima conjunx,

Ut

Per latebras animæ sæpis manante veneno.

Apulejus 4. Florid. dixit de anima, illam *in corporis latibulis delitescere*. Statius 2. Thebaid. vocat *vitæ secreta*, cum ait, —— *sæpe aspera passum*
Vulnera, sed nullum vitæ in secreta receptum,
id est, nullum in cor. Sic & Valer. l. 3. Arg. *Quæ stomachi secreta ferit.* Sed lubet aliter Maronem illustrare. Quid si intelligat adactum vulnus, qua ἧπαρ συνάπτεται τῇ καρδίᾳ διὰ τῶν φρενῶν, verba sunt Galeni lib. 4. de usu Part. c. 14. *hepar continuatur cordi per phrenas?* Huic enim parti χιτῶνα καὶ ἀμφίεσμα natura attribuit, *tunicam, & indumentum*, ut ibid. ait Galen. Itaque, non absurde Poëta potuit intelligere indumentum hoc ruptum fuisse per *latebras reclusas*: nam ibi est vena, qua rupta, mors statim nullo intervallo consequitur. Et fortasse vena hæc, est illa, quam Vates superiore libro dixit, *spiramenta animæ*. Vide quæ de hac vena loco laudato Galenus expendens Homeri sententiam. *Cerda.*

Recludit.] Hæc Musa Horat. Epod. 17. *Modo ense pectus Norico recludere.* Idem.

603. *Edebat.*] Quasi ad spectaculum. Unde & *munerum editores* vocantur. *Servius.*

Funera.] Cædes, ut, *quis funera fando Explicet.* Idem.

Victor Dardanius torrentis aquæ.] Probatiores illi codices Vaticanæ bibliothecæ, & aliquot alii *ductor Dardanius* legunt: quod mirifice placet: ut inferius habebimus: *Sævæ junque altius iræ Dardanio surgunt ductori.* Sunt etiam codices, in quibus non *Dardanius*, sed *Dardanus & torrentis aqua*, legatur. Illud simplicius, hoc figuratius est. *Pierius.*

603. *Torrentis aquæ.*] Notandum quod *aquæ* addiderit, cum absolute *torrens* dicatur. *Servius.*

604. *More furens.*] Exposuit superiora Epitheta. *Idem.*

Furens.] In Romano codice, *fremens* legitur. Sed hoc loco *furens* melius est, ut *Furit immissis Volcanus habenis*. de clade enim hic loquitur, non de strepitu. *Pierius.*

Tandem erumpunt.] Solutam obsidionem ostendit. *Servius.*

605. *Ascanius puer.*] Syllepsis, ordo est, Ascanius & Juventus; nam *obsessa* & ad Ascanium pertinet. *Idem.*

606. *Compellat.*] De verbis *appello*, & *compello* in re lenocinii & amoris, quo usu hic accipit Virgil. ut etiam Ovid. 8. Metam.

Talibus agrestem compellat Oreada dictis.

dixi alibi. Hinc in jure *appellare* est, alienam pudicitiam attentare. Justinian. lib. 47. 11. tit. 10. l. 15. §. 15. *Si quis virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur: multo minus, si meretricia veste feminæ, non matrum familiarum, vestitæ fuissent.* Latet & quidpiam aliud in Virg. Est *compellare*, vocare aliquem suo nomine. Dixit ergo Juppiter, ô *Juno germana, & conjux.* Sed adimit Poëta vocem *Juno*, quia ea intelligitur in verbo *compellat*. Nam si *compellat*, certe *Juno* dixit, & repetere vocem (*Juno*) otiosum esset. *Cerda.*

608. *Ut*

Ut rebare, Venus (nec te ſententia fallit)
Trojanas ſuſtentat opes: non vivida bello
Dextra viris, animuſque ferox, patienſque pericli.
Cui Juno ſummiſſa: Quid, ô pulcherrime conjunx,
Sollicitas ægram, & tua triſtia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quamque eſſe decebat,
Vis in amore foret; non hoc mihi namque negares,
Omnipotens; quin & pugnæ ſubducere Turnum,
Et

608. *Ut rebare.*] Ut arbitrabaris verum eſt quod Trojani Veneris utuntur auxilio, & dictum eſt per Ironiam. nam ſuperflue quidam hanc orationem ſimplicem volunt dictam, ut re vera dicat Juppiter per ſe nihil poſſe Trojanos, quia falſum eſt: adeo ut Junonis oratio ad Ironiam, non ad ſimplicia verba reſpondeat. *Servius.*

Nec te ſententia fallit.] Hoc per parentheſim dictum eſt. *Idem.*

609. *Vivida.*] Id eſt, fortis: ut v. Æn. *Sed bello vivida virtus.* Idem.

611. *Cui Juno ſummiſſa.*] Et humilis: & quia intelligit obliqua Trojanorum accuſatione impugnari ſuum pudorem, etiam ipſa reſpondet oblique. *Idem.*

Cui Juno ſubmiſſa.] In Romano codice *& Juno ſummiſſa* legitur. *Pierius.*

Summiſſa.] Humilem eſſe decet, quem neceſſitas precandi urget. *Donatus.*

612. *Triſtia.*] Vel quæ triſtem faciant, vel quæ ſevera. Terentius, *Triſtis ſeveritas ineſt vultu.* Item è contra Virgilius, *Furias amnemque ſeverum*, id eſt, triſtem. *Servius.*

614. *Vis in amore.*] Refert hoc Germ. non ad *βίαν*, ſed ad φίλτρον, & δυνάμιν ἐρωτοποιόν. ita ut Poëta reſpiciat ad prima tempora conflati amoris inter Junonem, & Jovem, cum hic transformatus in avem irrepſit ſorori. Ego puto ſimpliciter capiendum. Solet enim amor conjugum initio eſſe ferventiſſimus, qui poſtea uſu elanguet. Inde 14. Iliad. eget Juno tot pharmacis ad excitandum Jovem; quem locum pari aura imitatur Nonnus lib. 31. Dionyſ. *Cerda.*

Namque.] Puto redundare, nam ſententia integra amota hac vocula. quod unicum argumentum in aliis. Hac licentia pleniſſimus eſt Homerus. Sed ita redundat in Virgilio, ut addat efficaciam. *Idem.*

615. *Omnipotens.*] *Omnipotens* hic ad nominandi caſum refero, non vocandi, hoc eſt, παντοδύναμος ὤν, ut loco intelligamus poëtam inſiſtere Rhetorico ἀπὸ δυνατοῦ, ut ſupra: *Æole, namque tibi divûm pater atque hominum rex Et mulcere dedit, &c.* & alibi: *Nate, meæ vires, mea magna potentia ſolus:* & 7. *Tu potes unanimes armare, &c.* Germanus.

Pugnæ ſubducere Turnum.] In codicibus nonnullis, *Turnum ſubducere pugnæ*, legitur, tranſpoſitis dictionibus. *Pierius.*

Quin.] Ut non: nam eſt confirmativa particula. Quidam hunc ordinem eſſe volunt. Namque ſi mihi quæ quondam fuerat vis in amore foret, non hoc mihi negares, quin poſſem pugnæ ſubducere Turnum: Alii hoc genus elocutionis accipiunt, ut per ea quæ in parentheſi poſita ſunt, reliquo ſenſui occurritur, non his quæ primo poſita ſunt, hic enim ad illud quod inſertum eſt: *Non hoc mihi namque negares Omnipotens, quin & pugnæ ſubducere Turnum, & Dauno poſſem incolumem ſervare parenti.* Alioquin dempta hac parentheſi non congruit primum cum poſtremo, ſi ita dicas, *Si mihi quæ quondam*

Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine pœnas.
Ille tamen nostra deducit origine nomen.
Pilumnusque illi quartus pater: & tua larga
Sæpe manu multisque oneravit limina donis.
Cui rex ætherii breviter sic fatur Olympi:
Si mora præsentis leti tempusque caduco

Oratur

dam fuerat quamque esse decebat vis, quin & pugnæ abducere Turnum, Et Dauno incolumem possem servare parenti. Plautus in Cistellaria: *Is servus, sed abhinc annos factum est* XIII. *cum conspicatus est primo crepusculo puellam exponi.* Servius.

617. *Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine pœnas.*] Δεικτικὸς est. Non enim agit ut pereat: sed magis favet ejus saluti. nam statim subjicitur cur indigne fiat, *Ille tamen nostra deducit origine nomen*, ut in secundo, *Jamdudum sumite pœnas, Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.* Quod autem dicit *Pio sanguine*, Æneæ latenter eum exæquat, qui ubique inducitur cultor deorum. *Idem.*

618. *Ille tamen.*] Quanquam moriturus est, tamen ab his originem ducit. *Idem.*

Nostra.] Divina. Id est, aut Jovis, aut Junonis, aut omnium deorum. *Idem.*

619. *Quartus pater.*] Abavus: nec est contrarium quod ait supra, *Cui Pilumnus avus.* Potuit enim fieri, ut & avus ejus & atavus à Pilumno Pilumni nominarentur: Ergo per *patris* appellationem ostendit cognationem. *Idem.*

620. *Multis.*] Solet Virg. tacite mores attingere. Nolebant veteres in rebus suis certum numerum signare; nam hic expositus invidiæ, sugillationi, fascino. itaque ad avertendos cavillos dicebant *multa.* Quin, quod mirere, de re adhuc una dicebant etiam *multa.* Varro de Ling. Latin. *Olim unum dicebant multa. Itaque cum in dolium, aut culeum vinum addunt rustici, prima urna addita, dicunt etiamnum, Multa.* Inde fortasse pastor jactabundus 2. Eclog.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ,

non ausus certum numerum proferre. Huc spectant verba Festi in voce *Oppido* hæc: *Ortum est hoc verbum ex sermone inter se confabulantium, quantum quisque frugum faceret, utque multitudo significaretur, sæpe respondebatur, quantum vel oppido satis esset.* Vides, ut non dicerent certum numerum frugum. Inde, credo, ductus mos gentium, frequenter enim centenarium, aut millenarium numerum assumebant pro quovis, ut ipsa multitudine falleretur invidia. Catullus aperte ad hunc morem Epigram. 7.

Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

ubi *curiosi* sunt fascinatores & magici. Ad locum Varronis, quem adduxi, pertinet risus gentilium, quem illi solebant excitare, cum dolia vini infunderent, ne videlicet audiretur numerus certus, & sic minus obnoxii essent huic malo. De qua re illustris est locus in 6. Synod. cap. 62. hunc in modum: *Neque exsecrandi Bacchi nomen, uvam in torcularibus exprimentes, invocent, neque vinum in doliis effundentes risum moveant, ignorantia vel vanitate ea, quæ à dæmonis impostura procedunt, exercentes.* Cerda.

621. *Rex ætherei breviter sic fatur.*] Ubique Reges breviter loquentes ostendit, *Juppiter hæc paucis*, &, *Tum breviter Dido vultum demissa profatur.* Servius.

622. *Si mora præsentis lethi.*] Ex Jovis

Oratur juveni, meque hoc ita ponere sentis;
Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat. sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri

Mu-

vis concessione quali arte egerit Juno cognoscitur, scilicet ut Turnus possit evadere. *Idem.*

Si mora præsentis lethi, &c.] Sic Hom. Il. π. inducit Jovem cum Junone consultantem de proferendis Sarpedoni fatis, ei impendente jam Parca. Locum hunc monet Sulpit. ex intima philosophia sumptum, quod adstructum sit à philosophis quibusdam, veritatem sempiternam ex æternitate fluentem mutari non posse, præsertim si ad omne genus humanum reique summam attineat: singulorum vero posse fata mutari, & produci. Scilicet ex hac sententia posse Turno mortem differri, sed totius belli sortem rationemque mutari non posse. cujus argumenti sunt & hi Lucani versus lib. 6. in persona Erichtûs ad Pompejum, —*conceditur arti, Unam cum radiis presserunt sidera mortem, Inseruisse moras, & quamvis fecerit omnis Stella senem, medios herbis abrumpimus annos: At simul à prima descendit origine mundi Caussarum series, atque omnia fata laborant, Si quicquam mutare velis, unoque sub ictu Stat genus humanum, tunc Thessala turba fatemur, Plus Fortuna potest.*— Ejusdem sunt sententiæ & illi 7. Æn. quibus ostendit deos retardare quidem posse fata, non penitus tollere: *Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis: Atque immota manet fatis Lavinia conjux: At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.* Germanus.

Lethi.] Qui ita scribunt, ducunt hanc vocem ἀπὸ τοῦ λαθεῖν, est enim mors rerum oblivio. qui vero *letum*, ducunt ἀπὸ τοῦ λύειν, nam mors est corporis solutio. Etenim antiphrasim illam; *letum, quia non lata mors*, ἀφοσιοῦμαι. *Cerda.*

Caduco.] Morituro. *Servius.*

623. *Ponere.*] Facere, vel, ut quidam volunt, constituere & decernere. Alii *ponere* pro *dare*, ut XII. Æn. *Hæc pro virginitate reponit.* Sane *ponere* facere, sicut Lucilius Homerum secutus, ait, ἄλγε' ἔθηκεν, id est, fecit. Alii *ponere* putare, ut solet dici, pone me hoc fecisse. *Idem.*

Ponere.] Esse Hellenismum pro *facere*, aut *statuere*, docti admonent. Certe cum Lucan. lib. 5. dixit, *liceat scelerum tibi ponere finem*, nihil aliud voluit, quam statuere finem. & cum Hom. 4. Iliad. ἅλιον θεῖναι πόνον. In eodem lib. ἰμὸν θέμεναι πόνον ἀτέλεστον, pro, *efficere*, aut *reddere irritum laborem.* Ibid. τὰ δὲ πάντα θεοὶ μεταμώνια θεῖεν. ad verbum, *ponant irrita.* Cerda.

625. *Hactenus indulsisse vacat.*] Id est, sufficit, ingenti arte locutus est: nam dicendo *Vacat*, ostendit supra hoc breve spatium nullam ulterius bonam stellarum inradiationem futuram: ex quo Turni fata differre non posse. Unde non ait *indulsisse licet*, sed *vacat*: ac si diceret, jam undique in mortem traditur Turnus, hoc tantum vacat spatium, id est, intervallum temporis, quasi *hoc spatium*, hic locus est ut paulumper differatur. Hinc est quod & supra ait, *Metasque dati pervenit ad ævi.* Servius.

626. *Venia ulla.*] Beneficium quod te sperat mereri. Et duas habet significationes, quod petitur, ut hic, & quod conceditur, ut, *Si qua est victis venia hostibus, oro.* Idem.

Venia ulla latet.] *Veniam* hic Servius beneficium interpretatur speratum à Junone, ut supra haud dubie *venia* pro beneficio & gratia accipitur 4. Æn. *Extremam hanc oro veniam, miserere sororis, Quam mihi cum dederis, &c.* *Germanus.*

Mutarive putas bellum; ſpes paſcis inanis.
Et Juno adlacrumans: Quid ſi, quod voce gravaris,
Mente dares? atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet inſontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror. quod ut ô potius formidine falſa
Ludar, & in melius tua, qui potes, orſa reflectas!
Hæc

627. *Mutarive.*] Deeſt *poſſe*, an mutatum iri? *Servius.*

Spes paſcis inanes.] Pro, *ſpe inani paſceris.* ita Euripid. in Bacch. ἐλπίσι ἐβόσκετο. item Æſchyl. in Agam. οἶδ' ἐγὼ φεύγοντας ἄνδρας ἐλπίδας σιτου-μένους. *Spem paſcere*, ait Donatus, eſt quaſi aliquo cibo promiſſis inanibus optata nutrire. Vide & P. Victor. l. 9. c. 4. *Taubm.*

628. *Cui Juno illacrimans.*] In Romano, *cui Juno lacrumans.* Pierius.

Quæ voce gravaris.] Quæ negas fato. *Vox* enim Jovis fatum eſt. Statius, *Et vocem fata ſequuntur.* hoc enim dicit, Utinam quæ negas voce, id eſt, fato, mente præſtares. Nam ſi Jovis vox, fatum eſt, poteſt aliud fando commutare. *Gravaris* autem, negas, graviter fers: & hac elocutione non niſi per accuſativum utimur: ut ſi dicas, *gravor adventum tuum*, id eſt, graviter fero, gravor præſentiam tuam. nam & ipſe dixit, *Quæ gravaris:* aliter non dicimus in hac ſignificatione. Similiter etiam accuſativo utimur caſu, cum volumus abſolutam facere elocutionem: & per gerundi modum aliquid dicere: ut, *Petendum mihi eſt equum, codicem, byrrum.* Hinc Virgilius, aut *Pacem à Trojano rege petendum.* Sic Saluſtius, *Caſtra ſine vulnere introitum.* Nam ſi dixeris, *petendus eſt codex:* non jam per gerundi agis modum, ſed participialiter loqueris. *Servius.*

Quid ſi, quod voce gravaris.] In antiquis aliquot exemplaribus legere eſt, *quid ſi quæ voce gravaris.* Pierius.

629. *Rata.*] Firma, perpetua. *Servius.*

Rata vita.] *Rata* fere paſſim legitur, id Servius admittit. Sed in Rom. cod. *data vita* habetur. quippe qui ſuo fato, non ferro violenter moreretur. placet vero magis omnino *rata.* Pierius.

Rata.] Dicebantur *rata*, quæ confirmata, non utcunque, ſed Deorum voluntate. Martial. 10.

Dii tibi dent, quicquid, Princeps Trojane, mereris,
Et rata perpetuo, quæ tribuere, velint.

Ovid. 2. Faſt. *ſint rata dicta Jovis.* Cerda.

630. *Nunc manet inſontem gravis exitus, &c.*] Sententiam Virg. ita convertit Propert. Eleg. 1. lib. 4.

Certa feram certis auctoribus. haud ego vates
Neſcius ærata ſigna movere pila.

& Eleg. 13. lib. 13. *atque utinam patriæ ſim vanus aruſpex.* Ita Juno optat eſſe vana, & ludi. Sic & Juven. Sat. 6. *Nos utinam vani.* & Stat. 9. Theb. *ſimque augur caſſa futuri.* Idem.

Veri vana feror.] Id eſt, ſum veritatis ignara. *Servius.*

631. *Quin ô potius.*] Nonnulli *quin ut potius* ſcripſere. Exemplaria vero tria Palatina, & aliquot ex iis, quæ apud me ſunt, *quod ut ô potius* legunt: quamvis in eorum uno deſit ô. hinc aliqui, ut verſui ſuccurrerent, *quin* illud, pro *quod* poſuere. *Pierius.*

Quod ut, ô potius, &c.] Quod utinam ita ſit, ut ego potius inani formidine angar, & tu ſententiam tuam in melius referas! *Taubm.*

632. *Orſa.*] Pro dictis & fatis. *Servius.*

Orſa.] Cum alluſione ad ſtamina Parcarum; nam *ordiri* de telis. *Cerda.*

633. Cæle

Hæc ubi dicta dedit, cælo se protenus alto
Misit, agens hiemem nimbo succincta per auras:
Iliacamque aciem, & Laurentia castra petivit.
Tum dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Æneæ (visu mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis; clipeumque jubasque
Divini adsimulat capitis: dat inania verba;
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis.
Morte obita quales fama est volitare figuras,

Aut

633. *Cælo se protenus alto, &c.*] Ex hac Musa Valer. 2. Arg.

Cum . Dea se piceo per sudum turbida nimbo
Præcipitat. —— Idem.

634. *Nimbo succincta.*] Id est, nubibus: quia præmisit, *Agens hiemem:* quod nisi esset, splendorem acciperemus, qui est circa corpus deorum. *Serv.*

635. *Iliacamque aciem, & Laurentia castra petivit.*] Non placet quod in codicibus aliquot antiquis *tecta* pro *castra* legitur: quamvis de urbe possit intelligi. In aliquot vero aliis codicibus legere est mutato numero: *Iliacamque aciem petit, & Laurentia castra.* Pier.

636. *Tum dea.*] Potest sensu integro *dea* detrahi. *Servius.*

Nube cava.] Nominativus est *hæc nubes.* nam *nubs* non dicimus, quod ait Livius Andronicus, qui primus edidit fabulam apud nos. *Idem.*

Nube cava.] Solere similes formas compingi, atque efformari non ex aëre solum, sed ex nubibus, vaporibus, exhalationibus, hoc ipso Virgil. versu probat diligentissimus Delrius lib. 2. Disq. Magic. quæstione 27. sectione 2. Fit enim uti hac rerum mistione facilius formæ & membra exprimantur, conglutinentur, condensentur. Juvo illum auctoritate Eurip. qui idolum illud, quo repræsentabatur Helena, vocat νεφέλης ἄγαλμα. Sed & cum ait, solere fieri spectra ex exhalationibus, quæ sunt ignitæ, juvo quoque illum altero ejusdem Eurip. loco in Bacch. ubi ait, formatum à Baccho spectrum ex igne. *Cerda.*

637. *In faciem Æneæ.*] Quæ Æneæ faciem habebat. Atque hoc ex decoro fictum est: ne vir fortis fugisse videretur. *Taubm.*

638. *Jubasque.*] Propter equinam caudam, quæ esse solebat in galeis. unde est, *Cristaque hirsutus equina.* Servius.

639. *Divini capitis.*] Hoc ex persona poëtæ dictum est de Ænea intuentis futura. Nam post mortem in numerum refertur deorum. *Idem.*

Inania.] Nec à membris, nec à mente venientia. *Idem.*

Dat inania verba.] Hoc est, τὰ λογοειδῆ ῥήματα καὶ φωνὰς, scilicet futilia vocabula. Unde & λογοειδία, vitium in poëmate, quando nihil doctrinæ in se solidæ habet, sed nugax est & futile: & λογοειδὴς, sermonem, orationemque referens & simulans tantum, cum nullius sit significationis. *Germ.*

641. *Obita.*] Morte suscepta & completa. *Servius.*

Morte obita.] Sumpta & completa. Imitatus Lucret. lib. 1.

Cernere uti videamur eos, audireque coram
Morte obita, quorũ tellus complectitur ossa.

& 4. —— *cum sæpe figuras*
Contuimur miras, simulacraque luce carentum.

& quæ sequuntur. *Porro* εἴδωλον hoc Æneæ Il. V. ita describitur:

Αὐτὰρ ὁ εἴδωλον τεῦξ' ἀργυρότοξος
Ἀπόλλων

Αὐτῷ

Aut quæ ſopitos deludunt ſomnia ſenſus.
At primas læta ante acies exſultat imago.
Inritatque virum telis, & voce laceſſit.
Inſtat cui Turnus, ſtridentemque eminus haſtam
Conjicit: illa dato vertit veſtigia tergo.
Tum vero Ænean averſum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo ſpem turbidus hauſit inanem:
Quo fugis, Ænea? thalamos ne deſere pactos:
Hac dabitur dextra tellus quæſita per undas.

Talia

Αὐτῷ τ' Αἰνείᾳ ἴκελον, καὶ τεύχεσι τοῖον.

Quod Scal. l. 5. c. 3. cum Virgiliana umbra confert. Eum omnino vide. *Taubm.*

642. *Aut quæ ſopitos.*] *Quæ ſomnia*, pro qualia inſomnia, quæ per ſomnum videmus. *Servius.*

Aut quæ ſopitos.] Hom. Od. ο. *τέρπε φρένας ὑπεργπεύδ.* Phyſice autem poëta locutus videtur, cum vigiliæ ſit ſenſuum uſus. Vide Ariſt. De ſom. & vig. & Plutarch. in Plac. ph. an ſomnus & inſomnia ſint animi & ſenſuum. *Germanus.*

Læta ante acies exultat imago.] Nonn. lib. 29. tametſi de umbra loquatur, affinis eſt admodum Virgilio,

Ὡς δ' ὅτε τις σκιόεις τύπος ἀνέρος
ἄπνοος ἕρπων
Ἀγχιφανής, ἀχάρακτος, ὁμόδρομος
ἀνδρὸς ὁδεύει,
Καὶ οἱ ἀεὶ σπεύδοντι συνέσπεται. ——
Ut autem umbratilis figura viri mortua
repens
Prope apparet, & abſque ſigno, comeſque cum viro incedit,
Ipſumque feſtinantem ſemper comitatur. ——

Tales umbras Auſon. in Moſell. vocat *fallaces figuras.* Eurip. in Med. *ἄψυχον εἰκὼ σώματος.* *Cerda.*

Exultat.] *Exultare* eſt gaudere: & per ſe plenum eſt. Nam *inſultare* eſt irridere inimicos: & dicimus *inſulto tibi*: licet Saluſtius dixerit, *Multos ab adoleſcentia bonos inſultaverat.* Id eſt, in ipſos impetum fecerat. *Servius.*

643. *Irritatque virum telis.*] Ideo hoc arte agit Juno, & imagine decepit Turnum: quia ſi ei ex aperto fugam ſuaderet, more viri fortis ille fugæ præponeret mortem, cum præſertim ipſe in ſequentibus dicat, *Uſque adeone mori miſerum eſt?* Idem.

Irritatque.] Impreſſi codices omnes *irritat*, *r* geminato ſcribunt, ſonet ut de nare canina litera. *irito* tamen ab *ira* eſt. *Pierius.*

Irritatque virum telis.] Ovid. 8. Metamorph. *hoſtemque irritat ad iram.* Vulgus Græcorum *προχειρελεῖσθαι*. Mihi nunc ante oculos Plut. in vita Luculli. *Cerda.*

647. *Ænean averſum.*] Neſcio quo factum fato, ut typographi ſemper excudant *Æneam*, cum Virg. ſcripſerit *Ænean* terminatione Græca in, *n*, non in, *m*, quod clare indicat locus, in quo ſum: ac proinde ut hic, ita alibi ſemper ſcribendum. *Idem.*

648. *Turbidus.*] Tumens, elatus arrogantia. *Servius.*

649. *Pactos.*] Nunc paſſivum, ut, *Pacta puellæ.* Idem.

Thalamos ne deſere pactos.] Cum Lavinia, *εἰρωνικῶς*. Quaſi dicat, exſpecta, dum ſervata pactorum fide optatam duces uxorem. *Taubm.*

650. *Tellus quæſita per undas.*] Sic alibi, *En agros, & quam bello, Trojane, petiſti Heſperiam metire jacens.* Servius.

Hac dabitur dextra tellus, &c.] Mortem indicat. Tale illud Claud. de Bell. Get.

Hanc

Talia vociferans ſequitur, ſtrictumque coruſcat
Mucronem: nec ferre videt ſua gaudia ventos.
Forte ratis celſi conjuncta crepidine ſaxi
Expoſitis ſtabat ſcalis, & ponte parato;
Qua rex Cluſinis advectus Oſinius oris.

Huc

Hanc ego vel Regno victor vel morte tenebo
Victus humum. —

Inde acre illud Marii apud Plut. in ejus vita, ἔχουσι γὰρ γῆν ἐκεῖνοι, καὶ διὰ παντὸς ἕξουσι. Infra in hoc lib. *atque eadem mox arva tenebis.* Valer. 4. Arg.

Tenditur ille ingens hominum pavor, arvaque late
Occupat. —

Calab. lib. 6. νῦν μὲν δὴ σὺ κεῖσο κατὰ χθονός. Homer. 16. Iliad. τινὰ γαῖα καθέξει, *aliquem terra detinebit*, id eſt, cadet aliquis mortuus. & Iliad. 18. ἀλλ' αὐτοῦ γαῖα καθέξει· *ſed hîc terra detinebit*, id eſt, hic morietur. Achilles 21. Iliad. minitans cuidam mortem, ἥ μιν ἐρύξει γῆ· *illum terra tenebit.* & adjicit, ἥ τε κατὰ καρτερόν περ ἐρύκει, id eſt, *quæ fortes etiam alios tenet.* Quaſi dicat: ubi etiam fortiſſimi alii occubuerunt. *Cerda.*

651. *Vociferans ſequitur.*] Sequens clamabat, nam ante dixit, & ſic eſt ſecutus. *Servius.*

652. *Nec ferre vides ſua gaudia ventos.*] Proverbium eſt, *Venti ferunt gaudia*, id eſt, lætantur incaſſum. Sic ſupra, *Sed auræ Omnia diſcerpunt.* Item, *Partem Mente dedit, partem volucres diſperſit in auras.* Idem.

Nec ferre videt ſua gaudia ventos.] Proverbiale hoc Eurip. Suppl. λόγων δὲ παρακέλευσμα σῶν αἰθὴρ φερόμενον οἴχεται. Horat Od. 26. lib. 1. ait, traditurum ſe *portare ventis* nimirum triſtitiam & metus. Nazianz. in prim. στηλ. καὶ εἰ μὲν ψευδὴς, αὖραι φέροιεν· *ſi falſum id eſt, auræ diſſipent.* Apollon. 1. Arg. ἀνέμοισι δίδομεν. Tibull. Eleg. 5. l. 1.

Hæc mihi fingebam, quæ nunc Eurusque, Notusque
Iactat odoratos vota per Armenios.

Propert. Eleg. 7. lib. 4.

Fœderis heu taciti, cujus fallacia verba
Non audituri diripuêre Noti.

Mæcius Epigram. contra Amorem, κωφοῖς πέμπε λάλας ἀνέμοις. *Cerda.*

653. *Forte ratis.*] Deſcriptio per ἔκβασιν facta: non enim à ſuperioribus pendet, ſed antedictis adjungitur: ut, *Inſula Sicanium juxta latus.* Has autem deſcriptiones eſſe aptas & raras convenit: ſicut etiam Horatius docet in arte poëtica dicens, *Purpureus late qui ſplendeat unus & alter Adſuitur pannus.* Sunt enim ornatui. *Servius.*

Crepidine ſaxi.] *Crepido* eſt abrupti ſaxi altitudo. *Crepidines* etiam *templorum* dici ipſos ſuggeſtus in quibus ædes ſunt conlocatæ, & *crepidines viarum*, id eſt, ipſæ eminentiæ dextræ ſiniſtræque. Sane hic Antiptoſis facta eſt propter metrum. *Conjuncta* ergo *crepidine*, pro *crepidini*: ſicut, *Hæret pede pes*, pro *pedi.* Eſt autem ablativus pro dativo. *Idem.*

Crepidine.] Turneb. l. 28. cap. 5. è perantiquo Onomaſtico P. Danielis *crepidinem* exponit ſummitatem riparum & gradum ſaxeum. Et notat ipſe Pimpont. Græcis etiam κρηπῖδα baſin & fundamentum dici. *Taubm.*

654. *Scalis & ponte parato.*] Unum dicit, ſed per duo ſolens ſuo more, ut *pateris libamus & auro*, id eſt, aureis pateris. Ergo, *ſcalis, & ponte parato*, erit parato ſcalarum ponte. Quippe ſcalas navium dici pontem, & converſim, allucebit tibi ex his, quæ dicta à me in hoc l. ad illud, *Pontibus exponit.* Cerda.

655. *Cluſinis oris.*] Tuſciæ civitatis. *Servius.*

Oſinius.] Ipſe eſt quem ſupra *Maſſicum* dixit. Ergo (ut diximus ſupra) *Oſinius* proprium eſt, *Maſſicus* appellativum: licet poſſet fieri, ut duo nomina unius ſint, ut eſt *Numa Pompilius*, *Alexander*

Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Conjicit in latebras: nec Turnus segnior instat:
Exsuperatque moras, & pontis transilit altos.
Vix proram attigerat; rumpit Saturnia funem,
Avolsamque rapit revoluta per æquora navem.
Illum autem Æneas absentem in prœlia poscit:
Obvia multa virûm demittit corpora morti.
Tum levis haud ultra latebras jam quærit imago,

Sed

xander Paris, Numanus Romulus. Alii volunt non eundem esse *Maßicum* quem *Osinium*, nam duas civitates supra commemorat, Clusium & Cosam, & tradunt potuisse fieri, ut hic *Osinius*, rex quidem unius de memoratis fuerit civitatibus, sed sub imperio *Maßici* egerit: Nam & Rhamnetem & Romulum, quos in ducum ordinem non numeravit, reges fuisse dixit. Alii hunc postea κατὰ τὸ σιωπώμενον volunt venisse, quia in catalogo ejus non meminit. *Idem.*

Osinius.] In codicibus aliquot antiquis, *Osinius* legitur insolitum nomen. *Pierius.*

Clusinis Osinius oris.] E civitate Thusciæ. *Osinius* supra ✱. 167. *Maßicus* dicitur. Hunc etiam locum, quem Macrob. l. 5. c. 15. vellicat, defendit Pontanus in Antonio Dial. 4. *Taubm.*

658. *Transilit altos.*] Hoc sermone festinantis celeritas indicatur. *Servius.*

659. *Vix proram.*] Ἀσύνδετον, sic enim melius. *Idem.*

Proram.] Vide etymon apud Lil. cap. 21. de Navig. arripio illud, ut quasi πρώϊρα dicatur, quia præcedat. *Cerda.*

Rumpit Saturnia funem.] Debuit dici, *cum rumpit Saturnia funem*: ut, *Vix è conspectu Siculæ telluris, Cum Juno æternum servans*: Ideo autem *rumpit*, ne deprehenso dolo Turnus in bellum rediret. *Servius.*

Rupit Saturnia funem.] In veteribus codicibus pene omnibus, *rumpit* instanti tempore legitur. Res enim narratur in ipso actu. *Pierius.*

660. *Avulsamque rapit revoluta per æquora navem.*] In antiquis omnino, *avolsam.* Sed etiam in nonnullis *advulsam* per *ad*, quod ad se traxisse significat. Scribe vero *navim* per *i* ex antiquis codicibus. *Idem.*

Avulsamque rapit.] Apollon. 1. Arg. θύελλαι ἁρπάγδην φέρον· *procellæ raptim egerunt*, scilicet navem. Seneca epist. 109. *etiamsi subitus turbo toto navim meam mari raperet.* Cerda.

Revoluta per æquora navem.] Ὑπαλλαγὴ est, revolutam navem. *Servius.*

661. *Illum autem Æneas absentem in prælia poscit.*] Sic melius, quam sicut nonnulli volunt, *Ille autem Ænean absentem in prælia poscit:* ut sicut Urbanus, *Obvia multa virûm demittit corpora morti*, de navibus inventis intelligatur: quod non procedit. nam *absens* dicitur qui recedit: quod nunc Turno congruit, non Æneæ, qui interest præliis. *Ille* * *autem Ænean* legunt quod si ita est: quia Æneas *Multa virûm demittit corpora morti.* Idem.

662. *Demittit corpora morti.*] Hom. 1. Il. ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν, ubi signate προΐαψεν, ut Noster *demittit*. Sic alibi, *demisit neci*, &, *demittimus Orco.* itaque Ἄϊδι, *morti*, *neci*, *Orco*, pro eodem. *Cerda.*

663. *Tunc levis.*] In antiquis codicibus, *tum levis.* Pierius.

Levis imago.] Certe *levis*, quia comparata jam somnio, quo quid levius? Inde illud de imagine, *volucrique simillima somno.* Præclare apud Ovid. 9. Metam. Biblys admiratur, *an habent &*

somnia

Sed sublime volans nubi se inmiscuit atræ:
Cum Turnum medio interea fert æquore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratusque salutis,
Et duplices cum voce manus ad sidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton' me crimine dignum
Duxisti, & talis voluisti expendere pœnas?
Quo feror? unde abii? quæ me fuga, quemve reducet?
Lau-

somnia pondus? ut quibus nihil sit levius. *Cerda.*

664. *Nubi se inmiscuit atræ.*] Ita solent Poëtæ. De abeunte Apolline l. 11. Iliad. ἀνέμοισι μίγη, καὶ ἄϊστος ἐτύχθη: & lib. 1. ψυχὴ δ᾽ ἐμίγη αὔραις. De anima Patrocli Il. 32. ἤϋτε καπνὸς ᾤχετο. Tale & illud Eurip. εἰς αἰθέρ᾽ οἴχεται, in Helena ibid. οὐρανῷ κρύπτεται. *Idem.*

665. *Medio.*] Ad medium. *Serv.*

Turbo.] Vis venti. *Idem.*

666. *Respicit.*] Conferatur hæc fuga Turni, oratio, affectus, cum fuga Alarici ab Italia oratione, affectibus apud Claud. de 6. Conf. Honor. *Cerda.*

Ignarus rerum.] Id est, artis, per quam evaserat. Hoc est nesciens hoc pro salute sua factum, ideoque & ingratus, nam & queritur. *Servius.*

Ingratusque salutis.] Hominem acceptæ salutis ingratum repræsentat Horat. eo versiculo:

Invitum qui servat, idem facit occidenti. Cerda.

Ingratusque salutis.] Pro *caussa salutis*: vel, ingratus de accepta salute, & nullam gratiam habens pro illis, quæ pro salute ejus facta erant: quippe qui auctorem nesciret. Ita & Gr. ἀχάριστος τῆς σωτηρίας. Notat & Scal. l. 4. c. 16. *Taubm.*

667. *Duplices cum voce manus.*] Nam *habitus orantium hic est*, (ait Apul. lib. de Mundo) *ut manibus extentis ad cœlum precemur.* Arrian. de Epict. l. 4. c. 10. πρὸς τὸν θεὸν ἀνατείνας τὰς χεῖρας. De Dario precante ad Solem Athen. pari verbo lib. 13. ηὔξατο τῷ ἡλίῳ τὰς χεῖρας ἀνατείνας. Hom. Iliad. 18. εὔχετο χεῖρας ἀνασχών. Sic Lucr. lib. 5. *pandere palmas ante Deûm delubra.* Ovid. 19. Metam. *Fessa malis, tendensque ad cælum brachia.* Cerda.

Ad sidera tendit.] In antiquis plerisque codicibus *tollit* habetur. *Pierius.*

668. *Omnipotens genitor.*] Duo Antonomasiva pro uno proprio: ut, *Tritonia Pallas.* Servius.

Tanton'.] Pro *Tantone*, & constat mutilatas partes orationis accentum in eodem loco habere, in quo etiam integræ habuerunt. nam μόρια, id est, minores particulæ, ut *que*, *ve*, *ne*, *ce*, quotiens junguntur aliis partibus, ante se accentum faciunt, qualislibet sit syllaba quæ præcedit, sive brevis, sive longa: ut, *Musaque*, *Hujusce*, *Illucce*, *Tantone*, *Adduce*: & hæc mutilata similiter proferuntur, scilicet sub eodem accentu. *Idem.*

Tanton'.] Erudite quidem Servius *tanton'* scribendum procuravit. Sed enim ejusmodi scriptionis usum parcissime inveni in veteribus exemplaribus, in aliquot, ubi habebatur, lectionem eam nonnulli cultro etiam impetere ausi sunt. Priscianus tamen ubi de *ne* particula agit, eam frequentissime ait interrogativam esse. ut illud, *Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas*, & in decimo, *tanton' me crimine dignum.* Pierius.

669. *Expendere pœnas.*] Nam præcessit *crimen*, & hoc sequuntur pœnæ. Inde conquestio illa apud Ovid. 9. Metam. *patior sine crimine pœnam*, quia, *viximus innocuæ.* Cerda.

670. *Quo feror? unde abii?*] Bene variavit adverbia & pronomina. *Serv.*

Quemve reducet.] *Quem*, qualem: ut,

Laurentisne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me meaque arma secuti;
Quosne (nefas) omnis infanda in morte reliqui?
Et nunc palantis video, gemitumque cadentum
Accipio. quid ago? aut quæ jam satis ima dehiscat
Terra

ut, *Hunc ego te Euryale aspicio?* & quasi nescius sui est in tanta rerum permutatione. *Serv.*

Quemve reducet.] Romanus codex, & alii nonnulli *reducit* legunt, præsenti tempore. De regressu enim suo in patriam loquitur. Est etiam in quibusdam codicibus manu scriptis, *Quæ me fuga, Quæve reducet.* Hoc est quo nunc fugio? Quo vero pacto revertar? Sed enim Servius agnoscit *quem.* Hoc est qualem. & hæc castior est lectio apud plures. *Pierius.*

Quemve reducet?] Dici *quem*, pro, *qualem* notat Serv. itaque particula (*quem*) respondebit Homerico τόν. qua particula usus ille pro, *quem*, aut *aliquem* sæpe; ut cum ait 4. Iliad. πόλιν τὴν ἐθέλω, *urbem, quam volo.* Eadem locutio in aliis non Poëtis. *Cerda.*

671. *Laurentisne.*] Quasi deliberatio est. *Servius.*

Laurentisne iterum, &c.] Pleni his affectibus Poëtæ omnes. dabo paucos illustrando Virgilio. Ajax apud Soph.

Καὶ ποῖον ὄμμα πατρὶ δηλώσω φανεὶς
Τελαμῶνι, πῶς με τλήσεταί ποτ' εἰσιδεῖν
Γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ.

Menœceus apud Eurip. Phœniss.

Ποῖ δῆτα φύγω; τίνα πόλιν; τίνα ξένων;

Polymestor apud eundem in Hecub.

Πᾶ στῶ; κάμψω, πᾶ βῶ.

Videatur longus Senecæ locus de Medea, ab illis verbis, *At quo remittis? &c.* Cerda.

672. *Quid manus illa virûm?*] Syllepsis per genus. nam à manu, id est, multitudine, ergo à fœminino ad masculinum dicendo *manus* transitum fecit. Ergo figuratum & per genus & per numerum: Est autem mira defectio, id est, quid dicunt? *Servius.*

Qui me meaque arma secuti.] Par dolor Menelai apud Hom. 17. Iliad. ubi veretur, ne quis Græcorum irascatur sibi, videlicet

—— εἰ μέν κε λίπω
Πάτροκλον, ὃς κεῖται ἐμῆς ἕνεκ' ἐν-
θάδε τιμῆς.

Hæc eadem ratio reddita est à Pub. Crasso filio Marci Crassi, qui Publius, cum moneretur, ut fugeret à bello, respondit, ait Plutarch. οὐδένα δεινὸν οὕτως ἔσεσθαι θάνατον ὃν φοβηθεὶς Πόπλιος ἀπολείψει τοὺς ἀπολλυμένους δι' αὐτόν. *Cerda.*

673. *Quosve nefas.*] Asper *quosne* legit, & adnotavit *ne* pro *ve*, quasi expletiva particula. *Servius.*

Infanda in morte reliqui.] Vetustiora pleraque exemplaria, *infanda morte* legunt, absque *in* præpositione: quam elocutionis figuram sæpissime apud Virgilium inveneris. *Pierius.*

674. *Palantis video.*] Intelligimus eum non longe à terris fuisse. nam quod ait supra, *Medio fert æquore*; ut diximus, *ad medium* accipiendum est. Aut quia *medium* dicitur omne quod est inter finem & initium: ut, *Interea medium Æneas jam classe tenebat.* Servius.

Gemitumque cadentum accipio.] Hinc apparet de Ænea dictum, *Obvia multa virûm demittit corpora morti.* Idem.

675. *Accipio.*] Vetustissimum est *adcipio* scribere. Sed uti superius dictum, primum omnium Lucillius *c* in hoc verbo geminavit, teste Velio Longo. *Pierius.*

Quæ jam satis ima dehiscat Terra.] In Romano codice *dehiscet* futuro tempore legitur. Sed *dehiscat* figuratius & elegantius. *Idem.*

Ima terra.] Dolet sibi infœlicium vota sublata: nam in mari constitutus optare

Terra mihi? vos ô potius miserescite, venti.
In rupes, in saxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte

optare sibi hiatum non potest terræ. *Imam* autem *terram*, prudenter dixit, quæ sustinet & continet maria. *Serv.*

Quæ jam satis ima dehiscat Terra mihi.] Solentissima imprecatio. Hector ita Paridi 6. Iliad. ὥς κεν οἱ αὖθι γαῖα χάνοι. Diomedes sibi lib. 8. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Nec solum hoc verbo auctores, sed aliis: ut cum Adrastus apud Eurip. Suppl. κατά με πέδον γᾶς ἕλοι. Calab. lib. I. per κεύθω. ὡς εἴ με χυτὴ κατὰ γαῖα κεκεύθῃ. Xenoph. lib. 7. de expedit. Cyri communiore verbo, εὔχομαι μυρίας ἐμὲ γε κατὰ τῆς γῆς ὀργυιὰς γενέσθαι. Quidam apud Stat. 5. Theb. *quam me prius ima sub umbras Mergat humus.* Cerda.

676. *Vos ô potius.*] In Mediceo legere est *terra mihi ò vos ò potius*. Adverbio exclamationis repetito. *Pierius.*

Miserescite venti.] Pro petentis qualitate, nonnunquam etiam mors videtur esse miseratio, ut hoc loco. Item supra, *Figite me, si qua est pietas. Miserescite* autem quis ante hunc? ab eo, quod est *miseresco* & *miserescimus*. Serv.

Miserescite venti.] Vult ab his rapi in saxa, in rupes, & mergi syrtibus, &c. Itaque fortasse lustratus Poëtæ locus Hom. 6. Iliad. ubi ita complorabunda Hecuba:

Ὥς μ' ὄφελ' ἤματι τῷ ὅτε με πρῶτον τέκε μήτηρ
Οἴχεσθαι προφέρουσα κακὴ ἀνέμοιο θύελλα
Εἰς ὄρος, ἢ εἰς κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,
Ἔνθα με κῦμ' ἀπόερσε.

Itaque quod Græcus εἰς ὄρος, Latinus *in saxa, in rupes*, quod ille εἰς κῦμα θαλάσσης, hic *sævisque vadis immittite syrtes*. Sed cum dicat *miserescite venti*, huc pertinet illud veteris Poëtæ apud Tullium 5. Tuscul. *Te, Apollo sancte, fer opem, teque, omnipotens Neptune, invoco, vosque adeo venti.* Tale & illud lib. 5. Æneid. *ventosque in vota vocavit.* Cerd.

677. *Turnus adoro.*] Id est, juxta veteres, qui *adorare* adloqui dicebant, nam ideo & *adoria* laus bellica, quod omnes cum congratulatione adloquebantur eum, qui in bello fortiter fecit. Alii *Adoro* pro *oro*, ut *Ad* vacet, & sit metri caussa additum. *Servius.*

Adoro.] Dixi supra *adorare* esse proprie contingere. Fortasse melior mens alia, ut *adorare* sit manum ad os admovere, eamque osculari: ita enim cultus exhibebatur. Ducunt me in hanc mentem Plinius, & Apuleius. Prior ait: *in adorando dexteram ad osculum referimus:* Poster. 1. Apolog. *Nulli Deo ad hoc ævi supplicavit, nullum templum frequentavit, si fanum aliquod prætereat nefas habet adorandi gratia manum labris admovere.* Hinc jam viri eruditi explicuere locum Iobi cap. 31. & alium 3. Reg. cap. 19. & unus Pithœus locum Salomonis, qui de accipiente eleemosynam ait, *osculatur manus αὐτῦ suas*, non αὐτῦ. quam lectionem interpres reddidit: *osculatur manus dantis*, quia ipse legit αὐτῦ cum potuisset *suas*, quia legi posset αὑτῦ, juxta morem, quem aperui. Et quidem locus Iobi aperte pro Pithœo. Ex his de adoratione capio Minutii locum hunc: *Cæcilius, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labiis pressit.* Admoneo, qui velit in Virg. capere per verbum *adoro*, loquor, aut precor, posse; ut dicat: loquor ad vos, precorque, ô venti, ferre ratem, &c. Festus: *adorare apud antiquos significabat agere, unde oratores.* Ovid. 4. Fast. *Hetruscas Turnus adorat opes*, id est, precatur confugitque ad opes Hetruscorum. Ita & Apul. 3. As. *Accusator quidam senior exsurgit, & populum sic adorat.* Cerda.

Adoro.] Pro, *oro*: metri caussâ, ut ait Servius. Propert. l. 1. 4.

— *maneat sic semper adoro.*

Juvenal.

— *& pugnis concisus adorat.*

Ferte ratem, ſæviſque vadis immittite Syrtes:
Quo neque me Rutuli nec conſcia fama ſequatur.
Hæc memorans, animo nunc huc nunc fluctuat illuc;
An ſeſe mucrone ob tantum dedecus amens.
Induat,

Ita *adeſſe* pro *eſſe* dixerunt. item *adſtare* pro *ſtare*: *accredere* pro *credere*. Taubmannus.

678. *Syrtes.*] Ubi arenoſa ſunt litora *ſyrtes* vocantur. Ergo immittite me ad ſæva vada ſyrtium: aut ad arenoſa loca, aut revera *ad ſyrtes*, id eſt, ad mundi extrema, quo me nec fama comitetur, id eſt, ubi me nemo ſciat deſertorem eſſe. *Servius.*

679. *Quo neque me Rutuli, &c.*] Optat eſſe, ubi agnoſcatur à nemine. Tale illud Tibull. Eleg. ult. lib. 4.

Qua nulla humano ſit via trita pede.

Et propert. Eleg. 1. lib. 1.

Ferte per extremas gentes, & ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.

Cerda.

681. *Mucrone induat.*] Aut καταχρηστικῶς dixit *induat*, pro *feriat*: aut Hypallage eſt, pro mucronem ſuo induat corpore. Si enim *induere*, eſt veſtire; non mucrone corpus induitur, ſed induitur mucro corpore, id eſt, tegitur, & veſtitur. *Servius.*

An ſeſe mucrone Induat.] Multa Servius ſuper hac elocutione, qui *mucrone* ablativo caſu legit. Sed enim Romanus codex, *mucroni* in acquirendi ponit caſu. quaſi dicat, det ſe in mucronem. Magis tamen placet Hypallage, quum in aliis pleriſque *mucrone* legatur. In Priſciani tamen codicibus, *mucronem* accuſativo caſu legitur, ejuſmodi conſtructionis aliis etiam exemplis poſitis, ait enim, *Coronatur illam rem, & illa re. quo modo etiam ludnit.* Hor. *Magna coronari contemnat Olympia.* Virgilius, *Induit albos cum vitta crines.* Et, *An ſeſe mucronem ob tantum dedecus amens Induat.* Apud Cæſarem tamen cum ablativo caſu dictum invenies. Ut in bello Veneto: *Acutiſſimis ſtipitibus induebantur.* Pierius.

An ſeſe mucrone Induat.] Deliberatio hæc proficiſcitur vel à ſummo dolore. Abſcantius apud Stat. l. 5. Silv.

Ut juvenis magno flammatus pectora luctu,
Nunc implet ſævo viduos clamore Penates,
Nunc ferrum laxare cupit. ——

Vel à gloriæ aviditate, quam ſe ſperabat conſequi ex voluntaria morte. Lucan. lib. 4.

Par animi laus eſt, & quos ſperaveris annos
Spernere, & extremæ momentum abrumpere lucis.

Nihil enim veteres illi glorioſius exiſtimarunt, quam ſe interficere ad fugiendam omnem contumeliam. Hujus opinionis magnus patronus Seneca eſt. Vel tertio demum in hanc deſperationem adductus eſt ex repentina rei mutatione. Vere enim dixit Thucyd. *Frangi bominum feroces ſpiritus re illa, quæ repente accidit, & præter expectationem, ac longe aliter quam erat opinio.* Græca ſi quæras, ſunt: δυλοῖ γὰρ τὸ φρόνημα τὸ αἰφνίδιον καὶ ἀπροσδόκητον, καὶ τῷ πλείστῳ παραλόγῳ συμβαῖνον. *Cerda.*

An ſeſe mucrone Induat.] Alii dicerent, *ait* Scal. l. 4, 16. ſe in mucronem induat: *aut*, Mucronem ſuo pectore induat: ἐνδύειν. Cæſar l. 7. de B. Gall. *Se ipſi acutiſſimis vallis induebant.* Priſcian. l. *An ſeſe in mucronem ob t.* quod Cic. ita locutus ſit Verr. 2. *Vide in quot laqueos ſe induerit.* Sic & Plautus Caſ. act. 1, 1. *tu te in laqueum induas.* Dicendi genus inde natum, quod, quæ inhærent corpori, è veſtimento videntur: ut notat Turneb. lib. 29. cap. 24. *Taubmannus.*

682. *Cru-*

Induat, & crudum per costas exigat ensem:
Fluctibus an jaciat mediis, & litora nando
Curva petat, Teucrumque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam: ter maxima Juno
Continuit; juvenemque animi miserata repressit.
Labitur alta secans fluctuque æstuque secundo:
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.

At

682. *Crudum.*] Crudelem, cruentum. *Servius.*

Exigat.] Aviditas mori cupientis ostenditur. *Idem.*

Crudum per costas exigat ensem.] In Romano codice *durum* legas, quod forte non displiceat; in aliquot aliis *crudum per costas dirigat.* Sed *exigat* omnino receptius. *Pierius.*

684. *Se reddat in arma.*] Id est, armis. Scal. l. 4. c. 16. *Taubm.*

Ter conatus erat, &c.] Sic & supra: *His conatus erat casus effingere in auro, Bis patriæ cecidêre manus.* Germ.

685. *Ter conatus, &c.*] Hom. 5. Il.

Τρὶς μὲν ἔπειτ' ἐπόρουσε κατακτάμεναι μενεαίνων,
Τρὶς δέ οἱ ἐστυφέλιξε φαεινὴν ἀσπίδ' Ἀπόλλων.

Apollon. lib. 3. Arg.

Τρὶς μὲν ἐπειρήθη, τρὶς δ' ἔσχετο.

Sed si veram imitationem Virgiliani loci quæris, ea est Iliad. 8. ubi Diomedes furens ab Jove continetur, ut Turnus ab Junone. Versus sunt:

Τρὶς μὲν μερμήριξε κατὰ φρένα, καὶ κατὰ θυμὸν,
Τρὶς δ' ἄρ' ἀπ' Ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητίετα Ζεύς.

Ab his etiam locis Ovid. lib. 11. Met.

—— quater impetus illi
In medios fuit ire rogos, quater inde repulsus
Concita membra fugæ mandat. —— C.

Utramque viam.] Et gladio se transfigere, & ad litus natare. *Taubm.*

686. *Animi miserata.*] Pro *animo miserata.* Nam figurate locutus est, sicut, *O præstans animi juvenis*, pro, *animo*, id est, illa re. *Servius.*

Animo miserata.] Variant exemplaria, dum quædam *animo* quædam *animi* legunt. In quibusdam ultima syllaba vitiata subditiciaque. Sed enim Arusianus Messus in exemplis Virgilianarum elocutionum *animi* genitivo casu agnoscit una cum Servio, quæ lectio est codicis Medicei. *Pierius.*

688. *Dauni defertur ad urbem.*] Ex voto Junonis, quæ supra,

—— quem & pugnæ subducere Turnum,
Et Dauno possem incolumem servare parenti. Cerda.

Ad urbem.] Ardeam: & ideo sic longe ne ex propinquo statim rediret: & ut eum affectus retineret parentis. *Servius.*

689. *At Jovis interea monitis.*] Id est, novimus sacrilegum esse Mezentium, novimus quoque Jovem etiam exhortatum esse alios deos, ut à bello desisterent: & dixisse, *Rex Juppiter omnibus idem.* quomodo ergo procedit, *At Jovis interea monitis?* Dicimus primo Jovem justitiæ favere, non partibus: quod si est, jure Mezentium in Turni locum facit venire: ut justum prælium inveniatur, ne una pars penitus sit à ducibus destituta. Quod autem dicitur, sacrilegum Juppiter admonere non debuit: non admonet ut vincat, sed ut possit perire. Illud etiam frustra quæritur quemadmodum numini sacrilegus obedire potuerit, cum Mezentium non aperte Juppiter moneat, sed injiciat tale desiderium. Unde est, *Dîne hunc ardorem mentibus addunt Euryale? an sua cuique deus fit dirà cupido?* Servius.

Monitis.] Hic dativus venit ab eo,

quod

At Jovis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrosque invadit ovantes.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille (velut rupes, vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis expostaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cælique marisque;
Ipsa inmota manens) prolem Dolicaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum Palmumque fugacem:
Sed

quod est *hæc monita*, nam & *hos monitus* dicimus. Unde Persius, *Hos pueris monitus patres infundere lippos*. Sed à quarta declinatione, nec singulari dativo utimur, nec plurali. nam unum nomen est de his, quæ licet duplicem habeant declinationem, tamen aliquibus eorum casibus propter auctoritatem non utimur: sed, *Laurui lauribus*, cum & *hujus laurus* & *ab hac lauro* dicamus. *Servius*.

At Jovis interea, &c.] Quæ hic Serv. de sacrilegio vana sunt: vere incitatus est à Jove etiamsi malus, ad eum modum, quo 4. Iliad. Pallas Jovis præcepto excitat in Græcos filium Lycaonis etiam contra fœdera, ut hoc flatu bellum accenderetur. Inde Hom. τῷ φρένας ἄφρονι πεῖθεν. Ut ergo hoc Pallas, cur non & Juppiter ad bellum concitet furentem hominem? Ceterum ad exemplum Virg. inducentis ad reparandam aciem Mezentium, Statius Capaneum lib. 10.

Turbidus interea ruptis venientia portis
Agmina belligeri Capaneus agit æquore campi. Cerda.

691. *Concurrunt Tyrrhenæ acies.*] Quæ specialiter odio Mezentii in bellum ruebant. *Servius*.

Atque omnibus uni.] Non dissimile illud Livii lib. 26. de Navio & ejus virtute: *Postquam jam ad signa pervenerat Hispanorum, tum undique in eum tragulæ conjectæ, is prope tota in unum acies versa. Sed neque hostium multitudo, neque telorum vis arcere impetum ejus viri potuerunt.* Similia de Mezentio Virg. nam statim illum cum rupe comparat. *Cerd.*

Omnibus uni.] Nam odio Mezentii specialiter in bellum ruebant Tyrrheni sive Etrusci. *Taubm.*

692. *Uni odiisque.*] Bene repetitur *uni*, ut ostendat conspirationem Etruscorum olim Mezentio incumbere. *Serv.*

693. *Ille velut.*] Scal. l. 5. c. 3. *Taubm.*

Prodit in æquor.] Extenditur. hinc Juvenalis, *Quod pelago occurrunt medio, longeque relinquunt Italiam.* Servius.

694. *Obvia ventorum, &c.*] Hanc rupis contemnentis omnes impetus immobilitatem ita repræsentat Homer. 15. Iliad.

Ὅς (πρὼν) τε καὶ ἰφθίμων ποταμῶν ἀλεγεινὰ ῥέεθρα
Ἴσχει, ἄφαρ δέ τε πᾶσι ῥόον πεδίον δὲ τίθησι
Πλάζων, οὐδέ τί μιν δονέει ῥηγνῦντε ῥέοντες.

Nazianz. Orat. 28. de marinis rupibus ait, κύμασι βαλλόμεναις. *Cerda.*

Ponto.] Contra pelagus. nam dativus est. *Servius.*

695. *Vim cunctam.*] Id est, violentiam, impetum. *Idem.*

Cælique marisque.] Sicut Mezentius odiorum & telorum totius exercitus. *Idem.*

696. *Inmota manens.*] *Manens* participii vox in Romano codice est, & in Mediceo, & in quibusdam aliis. In Oblongo *manet* verbum. *Pierius.*

697. *Fugacem.*] Modo velocem, vel fugientem. *Servius.*

698. *La-*

Sed Latagum saxo; atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam: poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit; armaque Lauso
Donat habere humeris, & vertice figere cristas.
Nec non Euathen Phrygium, Paridisque Mimanta
Æqua-

698. *Latagum occupat os.*] Pro *Latagi os occupat.* & est Græca figura in Homero frequens, ut si dicas ἔκρουσεν Ἀχιλλέα τὸν πόδα, id est; *Achillem percussit pedem,* pro *percussit Achillis pedem.* Id.

Saxo, atque ingenti fragmine montis.] Unum dicit per duo, ut non hinc longe observabam. Itaque sententia est; ferit Latagum saxo fracto ab monte. *Cerda.*

699. *Occupat os.*] Bene notat Serv. dici hoc Græca figura. Tale illud 4. Iliad. ὁππότε κεν μιν γυῖα λάβῃ κάματος *si quando ipsum membra occuparet defatigatio.* Ibidem:

Τὸν δ' ἔβαλε πρῶτος κόρυθος φάλον
ἱπποδασείης.

Hunc percussit primus galeæ conum equisetæ:

ubi τὸν, & φάλον non concordant. Sed percussit τὸν, id est, hostem. iterum; τὸν βάλε στῆθος *ipsum*, id est, hominem, *percussit pectus.* & 18. Iliad. σέβας δέ σε θυμὸν ἱκέσθω, *tangat reverentia animum tuum.* ad verbum, *tangat reverentia te animum.* Demum huc pertinet tritum illud Hom. τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψεν. Sed in his omnibus subaudienda est præpositio κατὰ, ut dicat, κατὰ πόδα, γυῖα, στῆθος, θυμὸν, ὄσσε. Ita in Virg. syntaxis est, *occupat faciem ad os*, id est, ea parte faciem occupat, qua est os. *Idem.*

Poplite Palmum.] Ea parte qua plurimum poterat. *Servius.*

Poplite] Ita lib. 9. *Et succiso poplite Gigen excipit.* Apud Hom. 12. Iliad. quispiam κατ' ἰγνύην βεβλημένος ὀξέϊ χαλκῷ. *Cerda.*

700. *Segnem sinit.*] Qui vulneratus nihil jam efficere possit. *Servius.*

701. *Donat habere.*] Græca figura, ut, *Argenti magnum dat ferre talentum.* Idem.

702. *Nec non Euantem Phrygium Paridisque Mimanta, &c. Occubat: ignarum Laurens habet, &c.*] In his versibus illud observavi, in Romano codice, *Mimanta* per *m* secunda syllaba scribi, non per *n*, ut in vulgatis plerisque codicibus habetur. Inde *Theano* per vocalem quartam, non per primam. Græce enim Θεανὼ. Si quis vero quæsierit quid sibi velit structura illa duriuscula, *urbe paterna occubat. ignarum Laurens habet ora Mimanta*, sciat is *ignarum* ab Aulo Gellio legi passivo significato; quem ipsum hunc Virgilianum locum & Plauti & Sallustii auctoritate subfulsit, dum nonnulla recenset nomina, quæ in dextrum lævumque latus vestigia torquent. Quoniam vero in vetustis aliquot codicibus, & *occubat*, & *ignarum*, utramque dictionem subdititiam priore abrasa lectione perspicias, nonnulli qui & ingenio & eruditione valent, codicum characteribus observatis, suspicati sunt *ignarum* adulterinam esse dictionem, & ex duabus unam effectam. Ac si legeretur, *urbe paterna occubat hic. carum Laurens habet ora Mimanta.* & sententiam candidiorem futuram & elocutionem elegantem. *Hic*, quippe *Paris*, de quo dictum occubuisse, Servius etiam agnoscit, *carum* vero *Mimanta* ipsi *Paridi*, cui & æqualis & comes fuerat. Sed enim non ego hæc ita asseruerim, ut contra A. Gellii auctoritatem stare velim: qui præsertim apud Ovidium eandem hujus nominis formam observaverim lib. Metamorph VII. *Jamque aderat Theseus proles ignara parenti.* Quod minus advertentes interpretes *ignota* ibi legendum putavere. Sed enim quo minus omnia possimus assequi, id etiam facit, quod multa toto opere relicta sunt

Æqualem comitemque: una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, & face prægnans
Cisseïs regina Parim creat: urbe paterna
Occubat: ignarum Laurens habet ora Mimanta.

Ac

sunt imperfecta, vel ipso Virgilii de se testimonio. Quare non ego quicquam succensuerim cuipiam, qui nonnulla conniventibus oculis præterierit. Ut ea quoque tam multa, quæ in subsequenti comparatione perquiruntur: *ac velut ille canum.* ubi unum ex duodecim locis obscuris esse Grammatici volunt. *Pierius.*

703. *Una quem nocte.*] Sapit hic locus illum Homericum 18. Iliad. ubi de Polydamante filio Panthus,

Ἕκτορι δ' αὖ ἦεν ἑταῖρος· ἰῇ δ' νυκτὶ γένοντο. *Cerda.*

Una nocte.] Græci *μονονυχὶ* & *αὐτονυχί.* *Germanus.*

Theano.] Mater Minantis. *Servius.*

Theano.] Dicitur quædam *Theano* ab Hom. 6. Iliad. esse uxor Antenoris, ut etiam ab Triphyodoro. Aliarum, quibus id nominis, mentio in aliis Poëtis. Itaque nihil frequentius, quam nomen unum per alios vagari. Quæ ratio facilis expediendis multis Poëtarum locis, in quibus apparet dissidium. *Cerda.*

705. *Cisseis.*] Hecuba filia Cissei, secundum Euripidem in Hecuba, *Πολύδωρος Ἑκάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως.* Nam secundum alios Dymantis est. Quod autem ait, *Face prægnans*, hæc ratio est: quia antequam pareret, faculam se peperisse vidit in somnis. *Servius.*

Cisseis regina.] Sensus est: Theano Mimantem peperit ea ipsa nocte, qua soror ipsius Hecuba *Cissei F.* Paridem: quæ quidem paulo ante facem se parere in somnis viderat. Ita Helena ad Parid. apud Ovid.

Fax quoque me terret, quam se peperisse cruentam
Ante diem partus est tua visa parens.

Porro annotat J. Hartungus, hoc exemplum Genethliacorum disciplinam impugnare: & simile esse in Iliad. 18. *Taubmannus.*

Parim creat.] Plus est, quam si diceret face prægnans * incendit Parin. *Servius.*

Urbe paterna Occubat.] Subaudis, *Pariq.* Quod ut non diceret, metri est necessitate compulsus. Nam deest *qui*, ut sit *qui urbe paterna.* Idem.

706. *Ignarum Laurens habet ora Mimanta.*] Scilicet casus sui: vera tamen lectio est *Ignarum*, id est, ignoratum, qui nesciretur: & est supina significatio, sicut in quarto, *Liquitque volatile ferrum Nescius*, pro *qui nesciebatur.* Alii Ypallagen volunt esse, ut *Minas in Laurenti ora ignota jacet.* Idem.

Ignarum.] Passive capias, id est, *ignoratum.* Quare Mima ignoratus? An quia sine elogio sepulturæ, & monumenti titulo? fortasse. An quia ita deformatus à Mezentio icta facie, ut non posset miser agnosci? fortasse hoc quoque. Ad hunc modum Valer. lib. 4. Arg. de his, qui interfecti ab Amyco:

—— *capitum mœstissimus ordo.*
Respicias, quibus adverso sub vulnere nulla
Jam facies, nec nomen erat. ——

Ubi enim facies alicujus non agnoscitur, neque quis sit agnoscitur. Sic de Priamo *sine nomine corpus*, quia avulsum caput. *Cerda.*

Ignarum.] Id est, ignoratum, qui nesciretur. Sallustius: *More humanæ cupidinis ignara visundi.* Ita & *Nescius* passive usurpatur à Plauto Rud. act. 1. sc. 5. *Quæ in locis nesciis nescia spe sumus.* Vide Agell. l. 9. c. 12. *Taubm.*

Laurens habet ora Mimanta.] Conquestio frequentissima in Poëtis. Erat enim tristissimum occumbere longe à patria. Inde itaque quæsitus dolor à

Poëta,

Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multoſque palus Laurentia, ſilva
Paſtus arundinea, poſtquam inter retia ventum eſt,
Subſtitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos.
Nec cuiquam iraſci propiuſve accedere virtus:
Sed jaculis tutiſque procul clamoribus inſtant.

Haud

Poëta, quod cum Paris in patria occubuiſſet, non idem beneficium contigiſſet Mimanti, cum æquales in aliis eſſent. *Cerda.*

Minanta.] *Mimanta* legendum, à *Mimante* Thraciæ monte. *Hart.*

707. *Ac velut ille.*] Antiqui *Ille* vel magnitudini, vel nobilitati adſignabant, ut, *multum ille & terris*, &, *Pœnorum qualis in arvis Saucius ille gravi.* Servius.

Ac velut ille.] Tò *Ille*, ornatus tantum gratia adjectum, docet Gul. Canterus, Nov. Lect. lib. 3. cap. 26. ita IX. Æn. ỳſ. 809. *Taubm.*

708. *Actus.*] Coactus in retia. *Servius.*

Actus aper.] Hoc in ſua comparatione expreſſit Sil. lib. I.

Fulmineus cum Spartanis latratibus actus
Cum ſilvam accurſu venantum perdidit, &c. —— Cerda.

Multos Veſulus, &c.] Expendit Scal. magnum fuiſſe aprum, quia *multos annos.* Non putant Poëtæ alii Lectori ſatisfacere, niſi clare rem dicant, ut cum Claud. 3. Stil.

—— *& ſi quis defenſus arundine Rheni*
Vaſtus aper nimio dentes curvaverat ævo.

Sic ὀρεστέρου λέοντος Eurip. in Bacch. *Idem.*

709. *Defendit.*] Texit. ut, *Hic mihi dum teneras defendo à frigore myrtos.* *Veſulus* autem Mons Liguriæ eſt juxta Alpes. Liguria autem cohæret Tuſciæ, de qua fuerat Mezentius. unde eſt ſatis congrua comparatio. Sane de hoc Veſulo quidam duo flumina Rhodanum & Padum naſci dicunt, quorum unus, id eſt, Rhodanus, in Tyrrhenum mare, alter, id eſt, Padus, in Adriaticum fluit. *Servius.*

Multoſque.] Pro *multoſve.* non enim vicina eſt palus Laurentia à monte Veſulo, ut poſſit unus idemque aper intelligi. Sane *Laurentia* pro *Laurens*, nam hæc eſt vera & recta derivatio. *Idem.*

710. *Paſtus.*] Pro *paſtum.* nam ſupra ait, *Quem.* Ergo Antiptoſis eſt. *Idem.*

711. *Inhorruit armos.*] Id eſt, armis inhorruit. Aut certe in armos horruit, per quod erectas ſetas accipimus. *Idem.*

Inhorruit armos.] In armos horruit, & erexit ſetas. Porro hanc Comp. committit Scaliger lib. 5. cap. 3. cum Hom. Iliad. II. & 12. quem vide. *Taubmannus.*

712. *Iraſci.*] Deeſt *eſt.* Serv.

713. *Tutis clamoribus.*] Præter periculum. Id eſt, ipſi tuti. *Idem.*

Clamoribus inſtant.] *Pythius* apud Germ. Valentem, item H. Stephanus in Schediaſmate Virgil. & qui inſtar omnium mihi eſt, Joſ. Scaliger, Prolegom. in Manilium emendatæ Editionis, huic verſui continue jungunt illos duos: *Ille autem imp.* &, *Dentibus infrendens, &c.* quod feræ magis, quam Mezentio, judicio omnium ſanorum, conveniant. Ita Lucan. l. 6.

Sic Libycus denſis elephas oppreſſus ab armis
Omne repercuſſum ſqualenti miſſile tergo
Frangit, & hærentes mota cute diſcutit haſtas. Taubm.

Haud aliter, justæ quibus est Mezentins iræ,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro:
Missilibus longe, & vasto clamore lacessunt.
Ille autem inpavidus partes cunctatur in omnis,
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.
Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Grajus homo; infectos linquens profugus hymenæos:
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis & pactæ conjugis ostro:

Inpa-

714. *Justæ iræ.*] Quasi quibus odium est propter mortua corpora, ut, *Mortua quinetiam jungebat corpora vivis, Componens manibusque manus.* Servius.

716. *Vasto clamore.*] In Oblongo codice, *magno.* sed plus est *vasto.* Pier.

717. *Cunctatur.*] Se per omnes partes disponit. *Servius.*

718. *Dentibus infrendens.*] Est hæc nota irarum. De apris iisdem Hom. 12. Iliad. *κόμπος ὀδόντων, dentium stridor.* quod lib. 13. repetit. De fera quapiam maris Val. lib. 2. Arg. *Fulminens quatit ora fragor.* Cyrill. Alexandrinus Comment. in Amos num. 30. inter reliquas notas iræ, quibus impius debacchatur adversum justos, *τῶν ἁγίων κεφαλαῖς ἐπιτρίζων τοὺς ὀδόντας.* & Commentar. in Mich. num. 68. *οἱ καὶ ὀδόντας αὐτῷ δυσσεβῶς ἐπιτρίζοντες, καὶ ὀργὰς ἐπιθήγοντες, καὶ πᾶν εἶδος συνιστῶντες ἐπιβουλῆς.* De irato Achill. Hom. 19. Iliad. *τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλε.* Hanc dentium notam intelligit Tertull. Apolog. verbis illis *infrendite, inspumate.* Ad hanc fortasse notam allusum à Martiali Epigr. 2. lib. 13. ubi loquens de invido, quod vitium cognatum iræ, *quid dentem dente juvabit rodere?* quippe invidi strepunt. Itaque aliud agens hanc allusit. De irato serpente Oppian. 2. Cyn. *ὀδόντας πεφρικότας.* &, *ἐπικροτέει γένειον. Cerda.*

Tergo.] Scuto. ut, *Et venit adversi in tergum Sulmonis.* Servius.

719. *Corithi de finibus.*] *Corithus* est & civitas Tusciæ, & mons, & pater Dardani rex. Unde nunc ad quosvis potest referri *de finibus Corithi.* Idem.

Corythi de finibus.] De hac civitate vid. supra lib. 3. Æn. ℣s. 170. *Emm.*

720. *Grajus homo.*] Oriundo quidem Græcus, sed qui nunc de Tuscia venisset ad bellum. *Servius.*

Grajus homo.] Suffecisset *Grajus* absque τοῦ *homo*: verum locutio nunc est integra; in omni enim adjectivo masculino absolute posito deest *homo.* Vid. Sanct. Minerv. lib. 4. pag. 306. & seqq. *Emmeness.*

721. *Miscentem.*] Perturbantem. *Servius.*

Hunc ubi miscentem, &c.] Putat Ursin. simile esse illud 5. Iliad.

Τὸν δ' ἴδεν Αἰνείας ἀλαπάζοντα στίχας ἀνδρῶν·

Hunc autem vidit Æneas devastantem ordines virorum.

De Ulysse 4. Iliad. *προμάχοισι μιγέντα· propugnatoribus mistum.* & de Achille 18. *οὐδ' ἐς Ἀχαιοὺς μίσγετο· neque Græcis miscebatur*, videlicet ad pugnandum. Noster lib. 2. Georg. *horrida miscent prælia.* & Liv. lib. 2. *miscere certamina.* Cerda.

722. *Purpureum pennis.*] Galeam significat purpureas cristas habentem, aut certe *purpureum pennis*, pulchrum, bene galeatum: ut, *Purpurei cristis juvenes*, id est, pulchri. *Servius.*

Purpureum pennis.] Hypallage, nam non ipse purpureus, sed cristæ. Consule, quæ lib. 9. ad illud, *Purpurei cristis juvenes.* Tu hic colorem nota, qui pla-

Inpastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans,
Suadet enim vesana fames, si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum;
Gaudet hians inmane, comasque arrexit, & hæret
Visce-

cuit amanti juveni in gratiam sponsæ: hic enim color amantium est. Huc pertinet nobilis illa inventio purpuræ apud Pollucem, quem colorem Hercules puellæ suæ attulit loco egregii muneris. Oenone apud Ovid. in Epist.

Dum moror in summa fulsit mihi purpura prora:
Pertimui, cultus non erat ille tuus.

Nam scilicet erat Helenæ, in cujus gratiæ testificationem purpurea vela Paris appendit, quibus visis intellexit Oenone Paridem jam amore captum. Hoc colore voluit Antonium demereri Cleopatra. Inquit enim Plutarch. *τὸ μὲν ἱστίον ἁλουργὲς ἐκπεπετασμένον.* Athen. lib. 13. *πορφύρας ἐπιβάλλων* de re Anacreontis impense amantis. Idem Anacreon dormire se ajebat *ἁλιπορφύροις τάπησι.* *Cerda.*

Pactæ conjugis.] Hic ordo est, conciliata primo, dein conventa, dein pacta, dein sponsa. *Servius.*

723. *Inpastus, &c.*] Scal. l. 5. c. 3. hæc cum Homericis Iliad. 3. vs. 23. comparans: Ecce, inquit, quomodo dixit *πεινάων*; *Impastus.* in utroque verbo moles est. Cæterum ornamenta sunt maxima: *fugacem capream*: &, *cervum in cornua surgentem*: *κεραὸν* & *πεινάων*: *vesana fames*: amentes enim famelici fiunt etiam homines, atque efferantur. Unde Lucanus,

— nescit plebs jejuna timere.

Notabis etiam verbum: *suadet.* facetum est. non dixit, *Cogit.* Superavit hisce: superavit illis, *Gaudet hians inmane*: &, *comas arrexit.* Illud autem, *μάλα γάρ τε ἐσθίει.* impensius, *hæret Visceribus super accumbens.* In cavea enim hoc vidimus: quanto magis urgebatur pertica, tanto acrius premebat vitulum. Nonne est generosior oratio, quam *μάλα κατεσθίει*? Epiphonema pulcherrimum. Sic enim *lavat os sanguine*, ut diu post lambat. *Taubm.*

724. *Vesana fames.*] Alibi, *Et malesuada fames.* *Servius.*

Vesana fames.] Præclare, nam fames in rabiem agit. Dicebam de hoc malo libro nono, ubi etiam fames *vesana* dicitur. Hic profero Oppian. 3. Hal.

Ὡς οὐδὲν λιμοῖο κακώτερον, οὐδὲ βαρείης
Γαστρὸς, ἣ κρατέει μετ' ἐν ἀνθρώποισιν ἀπλήτως.

Græcus *κρατέει*, quod Virg. *suadet.* Addit, quod imprimis ad rem Virg. de eadem fame,

— πολλοὺς δὲ παρὰ φθάμενοι νόοιο
Εἰς ἄτην ἐτίνυσε, καὶ αἴσχεσιν ἐγκατέθηκε.

Itaque, quod Virgilius *vesaniam*, ille *turbationem mentis.* Statius libro sexto Thebaidos de famelico leone *rabiem* dixit. *Cerda.*

Fugacem.] Velocem. *Servius.*

725. *Surgentem in cornua.*] Id est, crescentem, cornibus eminentem. *Id.*

Surgentem in cornua cervum.] Id est, capite arduo; Scal. l. 4. c. 16. cornibus eminentem; Servius. ita Ovid. 10. Metamorph.

— aut celsum in cornua cervum;

annotante Turneb. l. 1. c. 23. Gr. *ἔλαφος αἰπύκερως.* *Taubm.*

726. *Gaudet.*] Ita de leone Oppian. 4. Cyn. cum videt prædam *κεχαρημένος ἦτορ* exhilaratus corde. & Homer. *ἐχάρη* de eodem. *Cerda.*

Hians inmane.] Anacreon ait dedisse naturam leonibus *χάσμ' ὀδόντων*, *hiatum dentium.* Idem.

Comasque arrexit.] Naturale enim est, ut irati leones erigant jubas. *Servius.*

Comasque arrexit.] In aliquot antiquis, *Comas adrexit*, absque particula copulativa. Sed ea apposita magis implet. *Pierius.*

727. *Visce-*

Visceribus super incumbens: lavit inproba teter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron, & calcibus atram
Tundit humum exspirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec jacta cæcum dare cuspide volnus:

Obvius

727. *Visceribus super accumbens, &c.*] Exemplaria quædam pervetusta legunt *super imcumbens.* In Romano *lavat:* in reliquis *lavit:* quod secutus est Balbus, *Lavitur patrios ubi victor ad amnes.* *Lavo* enim *lavas*, & *lavo lavis*, Probus & alii literati agnoscunt. *Pierius.*

Visceribus super.] Græcanicum; ita scilicet, πλευρῆς ἄπο. ἐκεῖνον μέτα. ἀνδρὸς πέρι. & millena. *Cerda.*

Lavit.] Ab eo, quod est *lavo lavis.* nam hoc verbum & primæ est conjugationis, & tertiæ: à qua nunc ait *lavit.* Item Horatius, *Lavit amne crines.* Item alibi, *Neque dulci mala vino lavere.* Ergo *lavitum*, & *lavit*, sicut Plautus in Pseudolo, *Easque lachrymis lavis*, id est, humectas. *Servius.*

Lavit inproba teter Ora cruor.] Pro *lavat*, ut Nonius cap. 10. v. *lavit.* Ponitur autem pro *polluere*, teste eodem cap. 6. *Improba* vero *ora*, pro, *insatiabilia*, ut lib. 1. Georg. vs. 119. *improbus anser*, (ubi vid. quæ dicta) vel *sæva*, ut Nonius cap. 4. *Emmeness.*

730. *Calcibus.*] Dixi supra ad illud,
Cadit semianimis Rutulorum calcibus arva. Cerda.

Calcibus tundit humum.] Πάθος à modo: de quo Macrob. l. 4, 4. Hom. λακτίζων ποσὶ γαῖαν. *Taubm.*

731. *Infracta.*] Aut nimium fracta, aut re vera infracta. *Servius.*

Oroden.] Istum Oroden virum fortem intelligimus in fugam necessitate esse conversum. Nam ipse paulo post dicturus est certari * socios. *Pars belli haud temnenda viri, jacet altus Orodes.* Idem.

732. *Fugientem non est dignatus Oroden Sternere.*] Mezentius haud se dignum est arbitratus Oroden sternere fugientem, nec ei à tergo non videnti vulnus dare, hoc enim appellat *cæcum vulnus.* Quæ enim esset ista gloria, fugientem & aversum ferire? *Donatus.*

Fugientem haud est dignatus Oroden, &c.] Illum esse imbellem satis, qui contentus est aspicere hostium νῶτον, nec se dare in eorum conspectum Plutarch. in Mario ait. Pertinet apprime ad rem Virg. locus Hom. 13. Iliad. ubi Idomeneus laudat Merionem, quod hostem nunquam percuteret ἐν αὐχέν', οὐδ' ἐν νώτῳ. sed semper ἢ στέρνων, ἢ νηδύος ἀντιάσειε, ad inferendum vulnus. Rhesus apud Eurip. ait,

Οὐδεὶς ἀνὴρ εὔψυχος ἀξιοῖ λάθρᾳ
Κτεῖναι τὸν ἐχθρὸν, ἀλλ' ἰὼν κατὰ στόμα.

De Theseo Stat. 12. Theb.

—tædet fugientibus uti
Thesea, nec facilem dignatur dextra cruorem. Cerda.

733. *Nec jacta cæcum.*] Unum sensum & duos extulit. *Cæcum vulnus* autem, quod adverso infigitur. *Servius.*

Cæcum vulnus.] Duo dicit: neque fugientem voluit interficere, neque cum hasta. De fugiente jam superiore Nota, de hasta in hac. Est *cæcum vulnus*, quod fit cum hasta, aut sagitta, aut etiam gladio, si illo punctim ferias: Contra si cæsim ferias aliquem, ut solet fieri frequenter cum gladio, vulnus hoc non est cæcum, imo patens, & latum. Ratio est, quia primum illud vulnus latet in imis visceribus, neque apparet, sagitta scilicet aut hasta penetrante, ad eum modum, quo libro quarto, *& cæco carpitur igni.* Sed profero

Obvius adversoque occurrit, seseque viro vir
Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis.
Tum super abjectum posito pede nixus & hasta:

Pars

fero Euripidem, cujus longe elegantissimo loco maxime invitor ad meam explicationem. In Hercul. Fur. Lycus dixerat, ignavissimum fuisse Herculem, quia nunquam cominus cum gladio pugnasset, sed semper eminus cum arcu & sagittis. Defendit Herculem Amphitryo, ac dum defendit profert hunc versum,

Τυφλοῖς ὁρῶντας οὐ τύπτει τοξεύμασιν·

Vulnerans videntes cacis telis.

Vides, ut *caca* dicantur tela, non quæ à tergo ingeruntur, imo quæ videntibus, ait enim ὁρῶντας. Non ergo *cacum vulnus* in Poëta, quod infertur à tergo, & non videnti. Aperio obiter cognatam locutionem Hom. 11. Iliad. ubi κωφὸν βέλος, *surdum telum*, pro imbelli. Silius lib. 11. dixit, *caco exitio*. Eurip. in Heracl. licet alio sensu, οὐκ ἐς ἐν ὄψει τραῦμα. Ex dictis explico locum Martial. Epig. 60. l. 7. ubi ait,

Stringitur in densa nec caca novacula turba,

id est, non fiunt jam cædes. Est enim *caca novacula*, quæ tota conditur in corpus. Qui enim explicant de novacula non visa, aut de furunculis secantibus crumenas, videant an possint; cum *cacum vulnus* Virgilii, & *caca tela* Eurip. contra illos pugnent. *Cerda.*

734. *Seque viro vir.*] Tale illud, *legitque virum vir.* Idem.

735. *Furto.*] Insidiis. *Servius.*

Furto.] Etiam in re belli dixit lib. 9. *hic furto fervidus instat,* & Stat. l. 9.

Ausus erat furto dextram jactare Leontius.

Calab. lib. 3. *insidias*, dixit, & *furtim* in re simili.

Κρύβδα δ' ἀνάλκιδες αἰὲν ἀγαυοτέρους λοχόωσι.

Furtim imbelles semper clariores excipiunt insidiis.

Homerus sæpissime de eadem re λάθρῃ. *Cerda.*

736. *Pede nixus & hasta.*] Deest *ait.* Servius.

Pede nixus.] *Nixus* per *x* omnia tam vulgata, quam manu scripta notant exemplaria. Probus, ut alibi dictum, id participium ejusdem formæ dicit esse cum *nisus* proprio nomine. *Pierius.*

Pede nixus.] Hoc genus contumeliæ sup. attigit Virg. in illis, *Cui Turnus super assistens, & lævo pressit pede.* Iliad. 13. & 16. ὁ δὲ λὰξ ἐν στήθεσι βαίνων. ibid. λὰξ προσβάς. Ovid. 8. Met.

Ipse pede imposito caput exitiabile pressit.

Val. 4. Arg. post interfectum Amycum à Polluce:

At super insistens Pollux, ego missus Amyclis.

Josephus lib. 7. Bell. Jud. cap. 5. πεσόντα γὰρ αὐτὸν ὁ Ἰωνάθης ἀποσφάττει προσδραμὼν, ἔπειτα ἐπιβὰς τῷ νεκρῷ, τότε ξίφος ᾑμαγμένον ἀνέσειε, καὶ τῇ λαιᾷ τὸν θυρεόν. & cap. 1. ejusdem lib. σώματα πατεῖν. Cedren. pag. 590. τῷ στήθει προσερείσας τὸ γόνυ· *apprimens genu pectori.* & pag. 419. τοῖς ποσὶ τὸν αὐχένα τότε πατήσας. Ad hoc genus contumeliæ allusum ab Cyrill. Alexand. in Michæam numero 71. κείσονται δὴ ὑπὸ πόδας τῶν πεπτωκότων οἱ πάλαι νενικηκότες. & ab Claud. Bell. Get. ubi hostis Romanus,

—— *patrii nomen juraverat Istri,*

Non nisi calcatis loricam ponere rostris.

Quia, ut mortui victi premebantur pede, ita ille volebat rostra. Hæc vero hostilis insultantia destinabatur etiam ad rapienda commodius interfecti spolia, ut in Achille vides, qui lib. 21. Iliad. post occisum Asteropæum,

—— Ἀχιλλεὺς δ' ἄρ' ἐπὶ στήθεσσιν ὀρούσας

Τεύχεά τ' ἐξενάριξε. ——

Respexit huc Ovidius, cum lib. 4. Fast. sermone à victoribus eorumque insultantia petito de Roma scribit:

Victorem terris impositura pedem. Cerd.

737. *Haud*

Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes.
Conclamant socii lætum Pæana secuti:
Ille autem exspirans: Non me, quicumque es, inulto,
Vi-

737. *Haud temnenda viri.*] Aspet *viris* legit. Ut ait, all* haud temnenda, alioqui ipse ait, *Fugientem haud est dignatus Oroden Sternere.* Servius.

Pars belli haud temnenda viris, &c.] In Mediceo codice *viri* legitur, cum paraphrasi, quæ vocandi casum innuat. *Pierius.*

Altus.] Magnus. ut, *Sic pater ille deûm facit, sic altus Apollo.* Servius.

Jacet.] Signate *jacet.* Senec. 2. Benef. c. 12. *eo more jacuisset, quo victi hostes victoribus jacuere.* & Hercules apud Eurip. de filio, quem interfecerat, *πέπτωκε μοὶ*, *jacet*, aut, *cadit mihi.* & in Elect. *χείμαρον πέδῳ jacentem in solo*, de hoste interfecto. *Cerda.*

Altus Orodes.] *Alti* significatio plenam tenet laudem. Ita in laude urbis Romæ exprimenda cum nihil fortius reperisset Poëta, ait,

——*atque altæ mœnia Romæ,*

Æneid. 1. ✝ſ. 11. Et quid si ad ἔτυμον respexit, παρὰ τὸ ὄρος: ut sit Ὀρώδης, *montis instar.* Taubm.

738. *Pæana secuti.*] *Pæan* proprie Apollinis laus est: abusive & aliorum dicitur. Unde Pindarus opus suum, quod & hominum & deorum continet laudes, *Pæanas* vocavit. Quamvis quidem alium *Pæana* esse, alii Apollinem velint, sed vere *Pæan* Apollo: tamen *Pæana* carmen esse victoriæ Æschylus docet, quod ideo Apollini dicatum est, quia malorum avertendorum potens est; unde & ab Homero ultricem immittens pestilentiam inducitur. *Serv.*

Lætum Pæana.] Carmen, quo milites se invicem acuunt successu aliquo allucente felici. Inde Plato epist. 7. πολεμικὸν vocat Pæanem *bellicum*, ut qui caneretur in ipso bello, quam rem hic exhibet Virg. Plutar. in vita Marcelli perscrutans causas Jovis Feretrii, καὶ γὰρ νῦν ἐν ταῖς μάχαις, ὅταν διώκωσι τοὺς πολεμίους, πυκνὸν τὸ φέρε, τυπτέ σιν, παῖε, παρεγγυῶσιν ἀλλήλοις· & quidem παιᾶν ἀπὸ τοῦ παίειν, *ferire.* Sunt hæc consona his, quæ in Hym. Apollinis scribit Callimachus, ubi ait, cantus hujus originem esse non post interfectum Pythonem, sed eum interficeretur; nam tum populus Delphicus clamabat, ἰὴ, ἰὴ παιῆον, ἵει βέλος. Latona etiam fertur, cum invaderetur à Pythone, sic exhortata puerum Apollinem, ἰὴ παῖ, ἰὴ παῖ. Itaque hic primus ortus Pæanis, sed postea hic rhythmus traductus ad celebrandam victoriam. & hæ sunt, quas ᾠδὰς ἐπινικίους vocat Cyrill. in Amos num. 11. & Cedren. pag. 562. ita conjungit, μετὰ παιάνων, καὶ ἐπινικίων εὐφημιῶν, istæ autem post victoriam. Et hunc, credo, cantum intellexit Appian. in Libyc. ubi scripsit, βοῆς δ᾽ ὡς ἐπὶ νίκης γινομένης. Inde Josephus lib. 7. Bell. Jud. cap. 16. μετὰ κρότου, καὶ χαρᾶς ἐπαιάνιζον ἐπὶ τῇ νίκῃ. Ubi verbum, ἐπαιάνιζον ducit te ad Pæanem. Hom. Iliad. 22. ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν. & Oppian. lib. 5. Hal. νίκης παιήονα κυδαίνοντες. Assumptus est præterea Pæan ad res alias longe à bello diversas. Ad luctum, testis Lysias in orat. Funeb. ἠχοῦντος δ᾽ ἐν τούτῳ συμμεμιγμένου ἑλληνικοῦ καὶ βαρβαρικοῦ παιᾶνος. Vidi etiam ejus usum in conviviis. Profero testem Demosth. qui de Fals. Legat. καὶ συνεστεφανοῦτο, καὶ συνεπαιάνιζε Φιλίππῳ, καὶ φιλοτησίας προὔπινε. Et quidem Pæanem cantatum in conviviis hac forma, ἰὼ Pæan, Athenæus scribit lib. 15. Videatur & Clemens lib. 2. Pædag. c. 4. *Cerda.*

739. *Ille autem exspirans.*] Solent Poëtæ morti vicinis scientiam futurorum tribuere. Ita & Hector Achilli mortem prædicit: cujus verba Scal. cum his Orodis confert, lib. 5. cap. 3. *Taubmannus.*

740. *Nec*

Victor, nec longum lætabere: te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mixta Mezentius ira;
Nunc morere. ast de me divûm pater atq; hominum rex
Viderit. hoc dicens eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos & ferreus urguet

So-

740. *Nec longum lætabere.*] Duo dicit: Nec diu lætaberis, nec diu me indefenso: Homeri autem more, morienti dedit scientiam futurorum. *Longum* autem pro *longe*, nam nomen est pro adverbio. *Servius.*

Nec longum lætabere.] Tale illud Claud. 1. Ruff. *non ulterius bacchabere demens*. & lib. 2.

Nec mea securus ridebis vulnera victor. Tale & illud apud Hom. 16. Iliad. ubi, cum maxime exultaret Hector spoliis Achillis, tunc illi canitur *σχεδόθεν δέ οἱ ἦεν ὄλεθρος*. & apud Calab. lib. 4. gloriabundo Ajaci canitur, nescire *ὅττι κακὸν μόρον ἔντυε δαίμων*. & ibidem Ajax ipse gloriabundis Trojanis ita canit:

Οὐ μάλα θαρσήσειεν, εἰ ζώοντος ἐμοῖο.

Τὸ *longum* est, in longum tempus, ut illud, *æternumque sedebit*, id est, in æternum tempus. Apage, ut ista sint adverbia, sed vere adjectiva, quæ pendent à præpositionibus. Nam Livius lib. 4. *in æternum urbe condita*. Centena hæc. *Cerda.*

Te quoque fata.] De verborum horum dispositione, Scal. l. 4. c. 48. *Taub.*

742. *Subridens.*] Per iracundiam ridens loquitur. Unde per irrisionem dictum accipitur. *Servius.*

743. *Ast de me divûm pater, atque hominum rex Viderit.*] Id est, viderit utrum Mezentio possit nocere ille, quem vos deorum & hominum creditis esse rectorem. *Idem.*

Nunc morere. ast de me, &c.] Achilles ad Hectorem Iliad. 22.

Τέθναθι. κῆρα δ' ἐγὼ τότε δέξομαι, ὁππότε κεν δὴ
Ζεὺς ἐθέλῃ τελέσαι, ἠδ' ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.

Bene censet Scal. plus militis spirare Mezentium quam Achillem, qui sic,

Morere, fatum ego tunc suscipiam, cum Juppiter voluerit perficere, & Dii alii immortales.

Quid hoc ad illud? *Tu morere, de me Juppiter viderit*, quasi contemneret eas minas. Præclare scripsit Claud. 2. Entrop. quæ possis nunc in Mezentium vibrare:

——— *omne futurum*
Despicitur, suadentque brevem præsentia fructum,
Et ruit in vetitum damni secura libido,
Dum mora supplicii lucro, serumque quod instat
Creditur. ———

Eurypilus apud Calab. lib. 6. ita respondet Machaoni:

Νῦν μὲν δὴ σὺ κεῖσο κατὰ χθονός, αὐτὰρ ἐγώ γε
Ὕστερον οὐκ ἀλέγω, κἂν εἰ παρὰ ποσσὶν ὄλεθρος
Σήμερον ἡμετέροισι πέλῃ λυγρός. ———

Cerda.

744. *Eduxit corpore telum.*] Quo facilius posset perire. Lucanus, *Non eget ingestis, sed vulsis corpore telis.* Servius.

745. *Dura quies.*] Blanda & contraria. sic dictum ut *somnus ferreus*. Est autem Homeri comparatio,

Ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Servius.

Olli dura quies oculos, &c.] Senec. *Nox oculos premit*. Horat. de sopore hoc mortis ait, *urget*, ut & Virgil. statim. Quæ duo verba *premo*, & *urgeo* non abludunt ab hac *dura quiete*. Neque Hesiod.

Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen,
Partheniumque Rapo, & prædurum viribus Orsen:
Messapus Cloniumque Lycaoniumque Ericeten;
Illum infrenis equi labsu tellure jacentem,
Hunc peditem pedes. & Lycius processerat Agis:
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitæ
Dejicit: Authronium Salius, Saliumque Nealces,
Insi-

siod. Theog. qui de Somno & Morte δεινοὶ θεοὶ, *graves Dii.* Cerda.

Ferreus urguet Somnus.] Hom. supra, χάλκεον ὕπνον· & Epig. lib. 5. ἔρχεο Κωνσταντῖνε, τί χάλκεον ὕπνον ἰαύεις; sic & κοιμᾶσθαι Sophocli in Elect. pro interire, & εὕδειν Æschylo in Eum. & Plutarch. πάλιν τί πε φησὶ θάνατον εἶναι χάλκεον ὕπνον, τὴν ἀναισθησίαν ἡμᾶς διδάξαι πειρώμενος, aliorsum, quam hic poëta, ferrum somni referens. Ut autem hic Maro *æternam noctem*, Catul. *Nox est perpetuo una dormienda:* Horat. *Ergo Quintilium perpetuus sopor Urget.* G.

Ferreus somnus.] Expressit Hom. 11. Il. χάλκεον ὕπνον. De quo Turn. l. 19. c. 16. & Scal. l. 5. c. 3. & l. 4, 16. & l. 3. c. 10. *Taubm.*

In æternam clauduntur lumina noctem.] Homerus Iliad. 8. τανηλεγέος θανάτοιο, quasi dicat, *mortis longam quietem afferentis.* Quod Horat. Od. 9. l. 4. *urgetur longa nocte.* & Od. 11. lib. 3. *longus sopor*, pro morte; & Od. 24. lib. 1. *perpetuus sopor*, pro eadem: & Catullus,

Nox est perpetua una dormienda.

Propert. Eleg. 15. lib. 2. *Nox tibi longa venit*, id est, mors. Seneca Trag. in Octav.

—— inferûm sedes, toros
Stabiles futuros spondet æterna domus.

Cerda.

Noctem.] Sumi *noctem* pro morte ex adductis liquidum, tum ex Æschyl. ἐν χοηφ. τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ. Quem ad locum interpres: ἀντὶ τοῦ αἰώνιος θάνατος. Ait videlicet dici, noctem acranton pro morte perpetua. Horat. *Jam te premet nox.* Sen. in Oet. *Nox oculos premit.* Idem.

747. *Cædicus Alcathoum.*] Hoc loco est confusio in aliquibus nominibus: nam quis sit Trojanus, quis sit Rutulus ignoratur. *Servius.*

Partheniumque Rapo.] Reprehendunt Poëtam, quod nomina confuderit. At Turn. l. 29. c. 24. eum calumnia liberat: aitque, nominibus distinctas esse nationes, cum Latina nomina voluerit esse Rutulorum, Græca Trojanorum. *Taubm.*

748. *Rapo.*] *Rapon* dicitur sicut *Tarchon*, sed metri caussa detraxit *n*, propter Synalœpham: sicut supra, *Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni tuta tenebant.* Servius.

750. *Infrenis equi.*] Casu equi asperrimi, qui frenorum sperneret regimen. *Infrenos* autem etiam homines dicimus: ut, *Hinc Numidæ infreni cingunt.* Dicimus & *infrenus*, & *infrenis*, sicut *inermus* & *inermis.* Idem.

Infrenis equi.] Ἵππος ἀχάλινος, ἀχαλίνωτος, effrenis: supra *infrenare currus* alia significatione dixit. *Germ.*

Processerat Agis.] Scilicet contra Messapum dimicaturus: quem nequivit. nam à Valero antequam ad Messapum perveniret, occisus est. *Servius.*

Processerat Agis.] In codicibus aliquot antiquis *Ages* legitur. In aliquot etiam *Hargis*. Sed *Agis* receptum. *Pier.*

752. *Haud expers.*] Non ignarus virtutis parentum. *Servius.*

753. *Dejicit Atronium Salius.*] Pro *Atro-*

Insignis jaculo & longe fallente sagitta.
Jam gravis æquabat luctus & mutua Mavors
Funera: cædebant pariter pariterque ruebant
Victores victique: neque his fuga nota, neque illis.
Dî Jovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, & tantos mortalibus esse labores.
Hinc Venus, hinc contra spectant Saturnia Juno:
Pallida Tisiphone media inter millia sævit.

At

Atronium, at Cronium in quibusdam codicibus inveni. Sed *Atronium* in castigatioribus. *Pierius.*

754. *Insignis jaculo, &c.*] In Romano codice pro *insignis*, *insidiis* legitur. Mox quæ fuerint insidiæ subjungit, *Jaculo & longe fallente sagitta.* Sed *insignis jaculo* omnino recepta lectio. Est & *sagicta* per *ct*, quam diximus à sagaci ictu dictam. *Idem.*

Jaculo, & longe fallente sagitta.] *Jaculo* pro *longe fallentis sagittæ.* nam ἓν διὰ δυοῖν dixit. ut, *Hamis auroque trilicem.* Item, *Molemque & montes insuper altos:* An *longe*, valde? *Servius.*

Longe fallente sagitta.] Dixi jam lib. 9. ubi par hemistichium; ℣s. 572. *Cerda.*

755. *Jam gravis æquabat luctus, &c.*] Eurip. ἦν δ' ἀγὼν ἰσόῤῥοπος. Hom. Il. θ. ἔνθα δ' ἅμ' οἰμωγή τε καὶ εὐχωλὴ πέλεν ἀνδρῶν ὀλλυώντων καὶ ὀλλυμένων. Et Eurip. in Suppl. συνῆψαν ἀλκὴν, καὶ χερῶν, ἡσσῶντό τε· idem, ἔκτεινον, ἐκτείνοντο, καὶ παρηγγύων κελευσμὸν ἀλλήλοισι. Sophocl. in Antig. κτανόντας τε καὶ θανόντας βλέποντες ἐμφυλίως. Calab. 8. μάχη δ' ἔχεν ἶσα τάλαντα. *Germ.*

Mavors.] Fortuna bellica. *Servius.*

756. *Funera.*] Mortes. *Idem.*

Cædebant.] Legitur & *cedebant*, id est, terga vertebant: secundum quod *ruebant*, insequebantur significat. Si autem *cædebant*, id est, occidebant: *ruebant*, id est, cadebant. *Idem.*

757. *Neque his fuga nota, nec illis.*] In antiquis *neque*, quod repetitum venustius videtur. *Pierius.*

758. *Iram miseratur inanem.*] Generaliter dicit omnem iram bellicam. ubi enim tam inanis iracundia est, quam in bello, ubi ut pereamus irascimur? Aut quia nulla causa tam justa est, ut propter ea bellum geri debeat, nam ideo ait, & *tantos mortalibus esse labores.* An *inanem* non juste conceptam? sic inanes fletus Aristei, ut qui scilicet tanti non fuerint, propter quos ille sic lamentaretur. *Servius.*

759. *Amborum.*] Pro *utrorumque.* Idem.

Et tantos mortalibus esse labores.] Θεοὶ ῥεῖα ζώοντες Homero. unde Lucretius lib. 11.

Nam prô sancta deûm tranquilla pectora
pace,
Quæ placidum degunt ævum, vitamque
serenam. Ursinus.

Et tantos mortalibus esse labores.] Ait Macrob. lib. 5. cap. 16. Virgilium accepisse occultissime hoc ab Hom. nam is cum dixisset, θεοὶ ῥεῖα ζώοντες, quo significat Deos sine labore vivere, Virgil. hoc dissimilate expressit; cum Deos induxit miserantes labores mortalium, quibus scilicet ipsi carent. Vide hunc in locum Collectorem Symbolarum. Certe si vera est Macrob. conjectatio, potuisset locum alium commode afferre ex lib. Iliad. 24. ubi ita ait,

Ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι
Ζώειν ἀχνυμένοις. αὐτοὶ δέ τ' ἀκηδέες εἰσί.

Cerda.

761. *Pallida Tisiphone.*] Non ipsa dea,

At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo: quam magnus Orion,
Cum

dea, sed effectus furiæ, id est, furialis ardor, hoc est, insania. *Servius.*

Tisiphone media inter millia sævit.] Sic supra lib. 8. *sævit medio in certamine Mavors.* Apud Hom. 18. Iliad. in scuto Achillis inter sævientes milites versantur Ἔρις, Κυδοιμὸς, Κήρ· *Contentio, Tumultus, Fatum.* Optima est Calabri poësis lib. 11. hæc,

Ἐν γὰρ δὴ μέσσοισιν Ἔρις, στονόεσσα δ' Ἐνυὼ
Στρωφῶντ', ἀργαλέῃσιν Ἐριννύσιν ἴκελαι ἄντην,
Ἄμφω ἀπὸ στομάτων ὀλοὸν πνείουσαι ὄλεθρον·
In medio eorum Contentio, & Bellum tristisonans
Versabantur, sævis Furiis assimiles,
Ambuque è faucibus funeream spirantes necem.

Omitto longum ejusdem locum l. 10. ubi *Contentio, Timor, Pavor* volitant inter acies. Stat. 11. Theb.

Sed mala Tisiphone trepidis inserta ministris
Astat, & inferno prævertit vota Tonanti. Cerda.

763. *Turbidus.*] Ex hac Musa Sil. libr. 5.

Turbidus extemplo trepidantes milite mæsto
Invadit cuneos. ——

Repræsentat mihi Virgilianus versus hominem πνεύματος ἀκμαίου γέμοντα, ut loquitur Plut. in vita Sertor. id est, *plenum vividi spiritus.* Nam hæc vox in Poëtis non turbatum hominem notat, sed turbini similem, ut cum de Myrmidonibus ait Cal. lib. 11. βίην ἀτάλαντον ἀέλλῃ ἐν στέρνοισιν ἔχοντες· *habentes in pectoribus vim similem procellæ.* Idem.

Ingreditur.] Verbum militare. De Neptuno eunte ad bellum Iliad. 13. καρπαλίμως ποσὶ προβιβάς. ibid. de Deiphobo, κοῦφα ποσὶ προβιβάς. ibidem inducit Othryoneum ὕψι βιβάντα. ibid. Hector προποδίζων, & προβιβῶντα & Ajax μακρὰ βιβάζων. Plenus Homer. Idem.

Orion, Cum pedes incedit medii per maxima Nerei Stagna.] *Orion* (ut etiam in primo diximus) OEnopionis filius regis fuit, ei concessus ab Jove, Mercurio, Neptunoque susceptis hospitio. Hic venator immensi corporis fuit, qui quodam tempore susceptus à rege OEnopione cum vellet ejus filiam vitiare, ille iratus opem Liberi patris, cujus erat filius, imploravit: Is Satyros misit, qui soporem infunderent *Orioni*, & sic velut vinctum OEnopioni traderent arbitrio ejus puniendum. Tum ille OEnopion, sopito ejus oculos tulit. Cæcus itaque *Orion* cum consuleret quemadmodum oculos posset recipere, responsum est ei posse hoc fieri, si per pelagus ita contra Orientem pergeret, ut loca luminis radiis Solis semper referret. Quod ille efficere ita potuit: nam cum audisset strepitum Cyclopum Jovi fulmina fabricantium, sono ad eos ductus est, unum de his suis humeris superposuit, & eo duce oraculi præcepta complevit. Non autem incongrue fingitur potuisse ire per medium pelagus, quasi filius pro parte Neptuni. Hæc autem comparatio pertinet ad solam corporis proceritatem. Alii hunc *Orionem* tantæ magnitudinis dicunt fuisse, ut nulla eum altitudo maris ingredientem potuerit morari, unde inter sidera receptus. Sane *Pedes incedit* pro *incessit*, præsens pro præterito. *Per maxima* autem *Nerei stagna.* Epitheto elevavit Tapinosim more suo. *Servius.*

Quam magnus Orion.] Par illa comparatio Calab. lib. 2. de Achille,

—— ὡς δ' ἐνὶ μέσσοις
Ἤϊε, Τιτήνεσσι πολυσθενέεσσιν ἐοικώς·
—— *qui per medios ibat*
Prævalidis Titanibus similis.

De prodigiosa mortalium olim magnitudine

Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam ſcindens, humero ſupereminet undas;
Aut ſummis referens annoſam montibus ornum,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit:
Talis ſe vaſtis infert Mezentius armis.
Huic contra Æneas, ſpeculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. manet inperterritus ille,
Hoſtem magnanimum opperiens, & mole ſua ſtat:
Atque

tudine nos alicubi, & tu vide Magium l. 1. c. 4. Miſcell. *Cerda.*

764. *Cum pedes incedit.*] Hinc ſuam Muſam ornavit Claud. lib. 3. Rapt.

—— rapitne Typhœïa cervix
Inarimem? fractane jugi compage Veſevi
Alcyoneus per ſtagna pedes Tyrrhena cucurrit?

Similis & illa poëſis lib. 3. Æneid. de Cyclope,

—— graditurque per æquor
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.

Poſſis Poëtam referre ad fabulam, ut omnes ante me interpretes, quippe Orion à patre Neptuno impetravit, ut ſuper mare graderetur. Sed quid ſi Poëtæ mens alia? itaque referre poſſum comparationem ad Orionem ſtellam incumbentem mari, & excitantem procellas: talis erat inter vaſta armorum Mezentius. Ducor in hanc mentem verſibus Theocrit. *εἰδ.* ζ. cui videtur Poëta hæſiſſe. Ait ille,

Ἔσσεται Ἀγεάνακτι καλὸς πλόος ἐς Μιτυλάναν,
Χ' ὤταν ἐφ' ἑσπερίοις Νότος ὑγρὰ διώκῃ
Κύματα, χ' Ὠρίων ὅτ' ἐπ' ὠκεανῷ πόδας ἴσχῃ. *Idem.*

765. *Stagna.*] Turneb. lib. 3. c. 19. notat, Græcos etiam λίμνην crebro appellare *mare*, atque etiam *Oceanum.* Simili forma Apollonid. in Epigr. de Urinatore dixit νηρῆος τενάγη, quæ hic *Nerei ſtagna.* Noſter tamen epitheto elevavit tapinoſin. *Taubm.*

Viam ſcindens.] Lucretius libro ſecundo, *vias reſcindere.* Oppianus 1. Hal. ἄδυτον τμήξωσι θαλάσσης. *Cerda.*

Viam ſcindens.] Æn. 6.
Ille viam ſecat ad naves.
Taubmannus.

Humero ſupereminet undas.] Proceritatem quidem corporis aptius ſignificare non potuit. Tradunt tamen alii *Orioni*, qui venator immenſi fuit corporis, à patre Neptuno hoc datum eſſe, ut ſuper mare ambularet: ut *Iphiclo*, ſuper ariſtas ſegetis. Vide Servium & Turneb. lib. 27. cap. 28. *Idem.*

766. *Referens.*] Pro *ferens* more antiquo, nam *re* abundat. *Servius.*

Aut ſummis referens, &c.] Ditabunt locum iſtum, quæ dixi 9. Æneid. ubi Pandarus, & Bitias comparantur quercubus. *Cerda.*

768. *Talis.*] Ita etiam poſt comparationes Hom. ut 4. Iliad. τοῖος ἔην Τυδεύς. & 16. τοῖοι Μυρμιδόνων ἡγήτορες. & ſæpe alibi. *Idem.*

770. *Inperterritus.*] Prima eſt compoſitio, non ſecunda. nam hoc eſt *Perterritus*, quod & *territus*: & tunc eſt vera compoſitio cum ſermonis natura convertitur: Sane *imperterritus* quis ante hunc? *Servius.*

771. *Mole ſua ſtat.*] Hoc eſt, in ſæva mole, ut dicitur in veſtigio. *Idem.*

Stat.] Verbum militare: quod cum multa probent, placet adducere locum Joann. Chryſoſt. ex Orat. 23. in Epiſt. ad Epheſ. εἰ γὰρ ἐπὶ τῶν πυκτευόντων καὶ παλαιόντων τοῦτο πρὸ τῶν ἄλλων παρεγγυᾶ τὸ ἑστάναι, πολλῷ μᾶλλον ἐν τοῖς

Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastæ:
Dextra mihi deus, & telum quod missibile libro,
Nunc adsint: voveo prædonis corpore raptis
Indu-

πολέμοις καὶ τοῖς στρατιωτικοῖς πράγμασι. Cerda.

772. *Spatium emensus, quantum satis hastæ.*] Speciosissima elocutio. *Servius.*

Quantum satis hastæ.] Hom. 15. Il.
—— ὅσον τ' ἐπὶ δουρὸς ἐρωὴ
Γίνεται, ὁππότ' ἀνὴρ σθένεος πειρώμενος ἧσι·
& Iliad. 16.
Ὅσση δ' αἰγανέης ῥιπὴ ταναοῖο τέτυκται. Cerda.

Quantum satis hastæ.] ita Æn. 11.
Jamque intra teli jactum progressus uterque.
Supra:
—— contiguum missæ fore credidit hastæ.
& Soph. ξύμμετρος βάλλειν. *Taubm.*

Spatium emensus, quantum satis hastæ.] Silius lib. 4.
Haud mora, jam tantum campi dirimebat ab ictu,
Quantum impulsa valet comprendere lancea nodo.
& lib. 12.
—— mediumque jacebat
Tantum ad bella loci, quantum transmittere jactæ
Sufficeret hastæ. Emmenesf.

773. *Dextra mihi deus.*] Sic dictum est, ut, *In manibus Mars ipse viri*, ut non alium sibi putet deum esse sacrilegus, quam dextram & fortitudinem. *Servius.*

Dextra mihi deus.] Procedunt hæc ex impietate Mezentii, qui dextram suam, & gladium putaret Deum esse, neque se egere veris Numinibus. De Annibale Sil. 11. *Cui nunc pro fœdere, proque Justitia est ensis.* Ab eodem l. 5. Flamminius inducitur simili impietate ita loquens, *divus sat magnus in hostem Augur adest ensis.* Est hoc quod Eurip. in Ione,
Ὅδ' ἀσπὶς, ἔγχος δ', ἥδε σοὶ παμπησία.
Et de Polynice idem in Phœniss.
Ὦ πλησιμφύς δὲ χεῖρα τῷδε φασγάνῳ,
Τὰ πῖς ἱμαντῷ τὸ θεράσυς παρέξομαι.
Apud Plutar. Crassus tantum abfuit, ut curaret Deorum prædictiones, ut ridens dixerit ad circumstantes, qui pavefacti & perculsi, ἀλλὰ τῶνγε ὅπλων οὐδὲν ἂν ἐκφύγῃ τὰς χεῖρας. quasi unis tantum armis fideret, non religioni. Apud Homer. Iliad. 9. Ulysses ait de Hectore, illum in pugnis nihil colere Deos, οὐδέ τι τίει θεούς. & ibid. Hector ipse loquens de Deorum auguriis, ita ait: τῶν οὔ τι μεταπρέπομ', οὐδ' ἀλεγίζω. De Capaneo Stat. 2. Theb. *Virtus mihi numen, & ensis.* & lib. 10. ita superbissime idem Capaneus,
—— ades ô mihi dextera tantum,
Tu præses bellis, & inevitabile Numen,
Te voco, te solum, Superûm contemptor, adoro.
Idem Capaneus apud Eurip. Suppl. ait deleturum se Thebas, θεοῦ θέλοντος, ἤντε μὴ θέλῃ. Deriades dux Indorum apud Nonn. lib. 21. ait se contemnere Saturnum, Jovem, Bacchum, vinum etiam Bacchi donum, & pro his omnibus esse suam hastam, οἶνος, ait, ἐμὸς πέλει ἔγχος. & lib. 29. θεομάχος vocatur, ut qui in Deos pugnaret. Hasta Cænei Proverbio celebrata est, quam ille à civibus coli, & ejus nomine jusjurandum concipi cogebat. Principes quidam barbari in Ammian. l. 17. *Eductisque mucronibus, quos pro Numinibus colunt, juravere se permansuros in fide.* Cerda.

Telum quod missile libro.] In Oblongo *vibro*. Sed enim hæc dictio sæpe confusa aliis etiam locis reperitur. *Pier.*

774. *Voveo.*] Consecro, & dico. *Servius.*

Voveo.] Lege Briss. in Form. Rom. *Cerda.*

Prædonis corpore raptis.] *Prædones* sunt

Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropæum
Æneæ. dixit, stridentemque eminus hastam
Injicit: illa volans clipeo est excussa, proculque
Egregium Antorem latus inter & ilia figit:
Herculis Antorem comitem, qui missus ab Argis
Hæserat Euandro, atque Itala consederat urbe.
Sternitur infelix alieno volnere, cælumque

Aspi-

sunt qui populandam alienam invadunt provinciam. Ut alibi, *Perfidus alta petens abducta virgine prado.* Serv.

775. *Tropæum.*] *Tropæum* dictum est, ἀπὸ τῆς τροπῆς, id est, ab hostium conversione, quod qui hostem fugasset, merebatur tropæum: qui autem occidisset, triumphum, ἀπὸ τοῦ θριαμβεύειν, id est, ab exultatione. Sciendum sane Lauso propriam ideo nihil profuisse pietatem, quod in eum pater mente sacrilega munera transferebat deorum, & ei occisorum spolia devovebat. *Idem.*

778. *Anthorem.*] Erit nominativus *hic Anthores*, quomodo *Diores*. Nam si *Anthor* fuerit nominativus singularis numeri, metri ratio non procedit. omnia enim Græca nomina in *or* terminata, in obliquis casibus corripiuntur. Ut *Hector Hectoris*, *Nestor Nestoris*, *Castor Castoris*. Idem.

Egregium Antorem.] Sunt qui nomini adspirationem addant. In Romano tamen codice, & quibusdam aliis antiquis absque adspiratione notatur. Nonnulli etiam *Anctorem* scribunt *c* littera superflua. Quamvis ita etiam sit in Capri codicibus de elegantiis, ubi *procul*, & *longe* & *prope* significare dicit. Inepte vero quidam & hic & ibi *auctorem* scripsere, inversa *n* littera. Citat porro Probus locum, *Herculis Antorem comitem*, ubi nomen *Antores* ita declinari dicit, ut *Diores*. Pierius.

Anthorem.] Erit Nominativus *Anthores*, sicut *Diores*. Nam si *Anthor* esset, corriperetur; ut *Castor*, *Castoris &c.* atque ita quidem Servius. L. Hortensius tamen, & forte rectius, legit, *Antonem*: qui natus ex *Antone* Herculis filio; unde & *Antoniorum* familiam deducit Plutarchus in *Anton.* Aut fuerit comes Herculis, ut placet Poëtæ; qui apud Euandrum ab illo relictus. *Taubm.*

779. *Missus ab Argis.*] Profectus, ut, *missus in imperium magnum.* Serv.

781. *Alieno volnere.*] Telo, quod in Æneam fuerat destinatum. *Idem.*

Alieno volnere.] Nihil hac Tragœdia frequentius in Homero. Sed si velis veram imitationem, ea est 13. Il. ubi Deiphobus hastam jacit in Idomeneum, quæ perlata in scutum ejus, inde resiluit, & percussit Hypsenorem, ἧπαρ ὑπὸ πραπίδων, *in hepar sub præcordiis.* Similium ictuum plenus Calaber, à quo nihil libo, sicuti neque ab Statio, Valerio, aliis. Ceterum quod Virg. *alieno vulnere*, pulchre dixit Sil. lib. 7. quempiam cecidisse, *telo non in sua vulnera misso.* Virgilii vocem præclare imitatur Claud. 6. Hon.

Nec solis hic cursus equis: assueta quadrigis
Cingunt arva tigres, subitæque aspectus arena
Effundit Libycos aliena valle cruores.

Cerda.

Alieno volnere.] Vulnere, quod alii intentabatur, scil. Æneæ. Scal. l. 4, 16. *Taubmannus.*

Cælumque aspicit.] Ut, *Alto quæsivit cælo lucem.* Item, *Hausit cælum, mentemque recepit.* Naturaliter enim morientes cupiunt satiari extremo lucis aspectu. *Servius.*

Cælum aspicit.] Tale illud lib. 4. ubi moriens Dido, *Quæsivit cœlo lucem.* Infr. in hoc lib. de Mezentio, *contra Tyrrhenus ut auras Suspiciens hausit cælum;*

lum;

Aſpicit, & dulcis moriens reminiſcitur Argos.
Tum pius Æneas haſtam jacit: illa per orbem
Ære cavum triplici, per linea terga, tribuſque
Tranſiit intextum tauris opus, imaque ſedit
Inguine, ſed vires haud pertulit. ocius enſem
Æneas, viſo Tyrrheni ſanguine lætus,
Eripit à femine, & trepidanti fervidus inſtat.

Inge-

lum; videlicet jam moriturus. Ennius quoque,

Semianimeſque micant oculi, lucemque requirunt.

Apud Joſephum lib. I. Bell. Jud. c. 21. moriens Herodes, ἐκλύει τοὺς ὀφθαλμούς. Eurip. in Herc. etiam de morituris, φῶς ἀναβλέψεσθε, *aſpicietis lucem.* Ovid. 10. Metamorph. etiamſi non de moriente, *timidumque ad lumina lumen Attollens.* Cerda.

782. *Dulcis moriens reminiſcitur Argos.*] Intra Phyſica ſigna moriturorum, etiam hoc legitur, patriæ aſpectum deſiderare perituros: ut, *Et Tyrios deſerta quærere terra:* An ex facti pœnitentia, qui ad patriam redire contempſerat. *Servius.*

Tum pius Æneas haſtam jacit.] Totus hic locus ex his Homeri verſibus in Iliad. γ'. converſus eſt: Ἦρα καὶ ἀμπεπαλὼν προΐει δολιχόσκιον ἔγχος, Καὶ βάλε Πριαμίδαο κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἴσην, Διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄμβριμον ἔγχος, Καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο, Ἀντικρὺ δὲ παραὶ λαπάρην διάμησε χιτῶνα Ἔγχος. *Urſin.*

783. *Illa per orbem Ære cavum triplici, per linea terga, &c.*] Miſſum facio *ære cavo* in Romano codice, non enim ita placet ut *cavum.* Illud non prætererim, ubi, *Per linea terga* in aliis codicibus habetur, in Romano, *ter linea terga* legi, quod maxime placet. Sunt etiam codices, in quibus non *linea*, ſed *lignea* legitur, uti ſuperius de Sulmonis ſcuto transfixo à Niſo, dictum eſt, *Fiſſo tranſit præcordia ligno.* Scuta enim viminum textu, vel bracteolis ligneis primum contexuntur: mox tergoribus ſuperinductis, laminis etiam æreis vel auro vel argento muniuntur. *Pierius.*

784. *Linea terga.*] Lino enim tegebantur ſcuta, ut poſſent inhærere picturæ. *Servius.*

Linea terga.] Lino enim tegebantur ſcuta, ut poſſet inhærere picturæ; ait Servius. Alexander tamen ab Alex. l. 6. cap. 22. Genial. Dierum, annotat; priſcos *linteis* etiam *thoracibus* depugnaſſe, & equis etiam operimenta fuiſſe lintea, quæ ferreis laminis, inſtar plumæ, necterentur: munimentum contra omne telum inſuperabile: ita ut eos Hiphicrates cum æneis commutarit. Vide & Bayſium c. 8. *Taubm.*

785. *Intextum tauris opus.*] Pro *tergis.* Plautus, *Ubi vivos homines mortui incurſant boves.* Servius.

Tribus tauris.] Cal. lib. 3. ſcutum vocat πολυβόειον. *Cerda.*

Intextum tauris opus.] Similiter *taurus* pro taurino corio occurrit apud Sil. Ital. lib. I.

Tum pretio mercata ſolum, nova mœnia ponit,
Cingere qua ſecto permiſſum littora tauro.

Dionyſ. in Perieg. verſ. 197.

Καρχηδὼν ἣν μῦθος ὑπαὶ βοὸς μετρηθῆναι. *Emmeneſſ.*

Imaque ſedit Inguine.] Hypallage eſt, *ima haſta*, pro *in imo inguine.* Servius.

788. *Eripit.*] Homeri, & Apollonii ἐρυσσάμενος, & primi σπασσάμενος, & Nonni lib. 28. ἐρύσσας, & aliorum ἕλκων, frigida omnia ſunt cum Maroniano *eripit.* Pari frigore torpent Latini, qui in ſumma ira & præcipitantia *educunt*, *ſtringunt*, *trahunt* gladios. Tacitus à Noſtro I. Ann. *ferrum à latere diri-*

Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus; lacrimæque per ora volutæ.
Hic mortis duræ casum, tuaque optima facta,

(Si

diripuit. Ovid. 10. Metamorph. *vagina diripit ensem.* Cerda.

A femine.] Ut etiam supra diximus, secundum Caprum erit nominativus *hoc femen:* licet nusquam lectum sit, ut etiam ipse commemorat. *Servius.*

Femine.] Ita Charisius lib. 1. l. *femine:* nec aliter uterque Servius, itemque MSS. & vett. codd. quod unice probat Indice Lucr. Gifanius. *Taubm.*

A femore.] In Mediceo & antiquis aliis exemplaribus *à femine* legitur: Et *femen* nominativum agnoscit Servius ex Capro, & ita legendum esse Grammatici veteres asseverant. C. Julius Romanus Tibullum citat, qui *femini* dixerit eo versu, *Implicuitque femur femini,* non *femori,* quasi sit hoc *femur* hujus *feminis.* *Femen* enim nominativo, ut *semen* nondum legimus (ait is) à veteribus adsertum. Sane vero & Sosipater hoc Virgiliano versu *femine* agnoscit. Cujus hæc sunt verba: *Hoc femur hujus femoris, sed frequentius hujus feminis huic femini dictum, & femina quam femora. Ideo Tibullus hoc ipsum erudite custodit, cum dicit, Implicuitque femur femini, & Virg. eripit à femine.* Pierius.

789. *Ingemuit cari, &c.*] Aptabis huic facto Lausi sententiam Eurip. Supplicib.

— τοῖς τεκοῦσι γὰρ
Δύστηνος, ὅστις μὴ ἀντιδεχλεύει τέκνων.

& quidem Lausus in maximo periculorum inservit. Vide apud Liv. lib. 7. historiam Manlii adolescentis, qui admodum studiosus pro patre Manlio, cum tamen pater in filium crudelis fuisset. Absolvit scriptor: *Eoque id laudabilius erat, quod animum ejus tanta acerbitas patria nihil à pietate avertisset.* Eurip. in Herc. ait, liberos debere ὑπὲρ πατρὸς θνήσκειν. Ceterum à Poëta Sil. lib. 4. in enarrando Scipionis juvenis facinore, ita:

Hinc puer, ut patrio defixum corpore telum
Conspexit, maduere genæ, subitoque trementem
Corripuit pallor, gemitumque ad sidera rupit.

Historiam ita narrat Liv. lib. 21. *Periculum Consulis intercursu tum primum pubescentis filii propulsatum.* Latior est Polyb. lib. 10. Attingit Val. Max. & Romani omnes Scriptores, atque Stat. 3. Silv. & Senec. 3. Benef. c. 33. Simile quidpiam de Antilocho Nestoris filio Xenoph. lib. de venatione: Ἀντίλοχος δὲ τοῦ πατρὸς ὑπεραποθανὼν τοσαύτης ἔτυχεν εὐκλείας, ὥστε μόνος φιλοπάτωρ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀναγορευθῆναι. De eodem Antilocho Pind. Od. 6. Pyth. ὃς ὑπερέφθιτο πατρὸς, *qui pro patre occubuit.* Vide & Calabrum l. 2. atque etiam Epigramma octavum Ausonii in Epitaph. Heroum, & Dionem Chrys. Orat. 11. Hi omnes, & plures alii meminere facti Antilochi. Sophocl. in Antig. ait, optandos esse filios, ut sint qui injurias ulciscantur factas parentibus, ὡς καὶ τὸν ἐχθρὸν ἀνταμύνωνται κακοῖς. *Cerda.*

790. *Lacrimæque per ora volutæ.*] Non viri fortis, sed filii est consideranda persona. *Servius.*

791. *Hic.*] In hoc loco, vel in bello. nam adverbium est. *Idem.*

Mortis duræ.] Quæsite, & proprie. Mors juvenum *acerba* dicitur, quia immatura, ac proinde etiam *dura*, nam hæc vox dicitur de fructibus arborum non maturis. Cui morti *mitis* opponitur, id est, senilis. *Cerda.*

Optima facta.] Alii *optime* legunt, est autem prosphonesis. *Servius.*

Tuaque, optime, facta.] Alii; *tuaque optima facta.* Sed illud rectius censet Fabric. Est enim apostrophe Poetæ ad Lausum impii patris pium filium. *Taub.*

792. Si

(Si qua fidem tanto eſt operi latura vetuſtas)
Non equidem nec te, juvenis memorande, ſilebo.
Ille pedem referens, & inutilis, inque ligatus
Cedebat, clipeoque inimicum haſtile trahebat.
Prorumpit juvenis, ſeſeque immiſcuit armis:
Jamque adſurgentis dextra plagamque ferentis
Æneæ ſubiit mucronem, ipſumque morando
Suſtinuit. ſocii magno clamore ſequuntur;

Dum

792. *Si qua fidem tanto eſt operi.*] *Si qua* pro *ſi*, ut, 1. Æneid. *Anthea ſi qua*, aut pro ſi quam fidem, & quæritur, *Si qua fides*, an de proterito, an de futuro dicat. *Tanto* autem *operi*, non de ſuis carminibus dicit (nec enim ſibi arrogaret,) ſed *Tanto operi*, id eſt, pietati & virtuti tuæ. Nam hic eſt ſenſus, Ego quidem facta tua, ô Lauſe, & mortem ex pietate venientem non ſilebo: ſi tamen credet vetuſtas ex ſceletato homine pium filium fuiſſe procreatum. *Serv.*

Si qua fidem tanto eſt operi, &c.] In antiquis aliquot exemplaribus, *tanto operi*, abſque *eſt*, nulla facta colliſione legitur. Nam *o* etiam alibi apud Virgilium non in Græcis tantum dictionibus, ſed etiam in Latinis libera evaſit ab eliſione, ut eo loco, *Mæonia generoſe domo, ubi pinguia culta.* Quodque alibi citavimus, *Antiqua è cedro Italuſque paterque Sabinus.* Neque tamen diſplicet *tanto eſt operi*, quod etiam plerique vetuſti codices habent. *Pierius.*

793. *Nec te, juvenis memorande, ſilebo.*] Ad hanc lucem Sil. lib. 11.

—— *neque enim juvenis non digna ſileri*
Tranſmittam tua cœpta libens, famamque negabo,
Quanquam imperfectis, magnæ tamen indolis auſis.

Apto & verba Sen. de Tranquil. c. 14. *Sed non raptim relinquetur magnus vir, & cum cura dicendus, dabimus enim te in omnem memoriam.* Cerda.

794. *Pedem referens.*] Liv. lib. 21. *Senſim referre pedem.* Plaut. Epid. *retuleris pedem.* Hom. & Cal. ἐπίσω χάζετο. *Idem.*

Inutilis.] Pro vulnere debilitatus. *Servius.*

Inque ligatus.] Pro *illigatuſque*, & eſt Tmeſis cum Hyſterologia. *Idem.*

795. *Inimicum haſtile.*] Cujuſdam quaſi picturæ pompa deſcribitur. *Idem.*

796. *Proripuit juvenis.*] In Romano codice, *prorupit* legitur: quod ideo quadrare videtur, quia ſequitur, *Seſeque immiſcuit armis.* Pierius.

797. *Jamque adſurgentis dextra.*] Ordo eſt, Jamque ſubiit mucronem Æneæ dextræ adſurgentis, & plagam ferentis. *Subiit* autem *mucronem* juxta uſum præſentem accuſativo junxit, cum alibi antique dativo junxerit, ut, *Muroque ſubibant*, quod ſuis locis plenius dictum eſt. *Servius.*

Jamque aſſurgentis dextræ, &c.] In antiquiſſimo codice Romano, *adſurgentis dextram* accuſativo caſu legitur. Ut ſit ordo, Subiit dextram Æneæ jam adſurgentis, & mucronem ferentis plagam. Dicet vero Mezentius inferius, *Ut pro me hoſtili paterer ſuccedere dextræ, Quem genui.* Pierius.

Subiit mucronem.] Eſt hoc, quod Apollon. l. 2. ἀΐξαντος ὑπ' ἔγχει. & quod Lucan. *ſtare ſub ictu.* Sumptum eſt à gladiatoribus, quorum unus *ictum ſubit*, alter, *habet ſub ictu.* Et huic *eſſe ſub ictu*, aut *ſubire mucronem* contrarium eſt *ſubducere cervicem*, etiam in ludo gladiatorio, ut clare habetur ex Sen. l. de Tranquill. c. 11. *Cerda.*

798. *Morando ſuſtinuit.*] Moram injiciendo ejus impetum luſit. *Servius.*

800. *Dum*

800 Dum genitor nati parma protectus abiret:
Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hostem
Missilibus. furit Æneas, tectusque tenet se.
Ac velut, effusa si quando grandine nimbi

Præ-

800. *Dum genitor nati parma.*] De historia est. nam Scipio Africanus cum esset vix annorum decem & septem, patrem suum defendit in bello, nec cessit viginti septem confossus vulneribus. *Idem.*

Genitor nati parma protectus.] Confert huc Germ. Philostr. qui, ὑπερασπίζειν τοῦ πατρός. Et ego Plutarch. orat. 1. de Alex. Fortuna, ubi ὑπερίσχε τὴν πέλτην. & Appianum, qui lib. 2. Civ. ὑπερασπιστὰς vocat, qui alium clypeo tegunt. *Cerda.*

802. *Furit Æneas.*] Dolore scilicet quod sibi Mezentius esset ereptus, & est integrum quanquam furit, tenet se tamen. *Servius.*

Tectusque tenet se.] Hujus loci phrasis adducit me, ut credam vix quidquam immutandum ex illo Lucillii versu: *His te versibus interea contentus teneto.* Nam quamvis vir doctus Lipsius nuper insolentia hujus sermonis structuræ motus, sic versum restituendum putarit, *His tu versibus interea contentus, Terenti*: malo in Lucillio auctoritate hujus loci, qui & salvis legibus linguæ Latinæ defendi potest, antiquam lectionem conservare: quam & fieri potest imitatum hoc in loco fuisse Maronem, ut cujus nec illud est multum dissimile supra lib. 1. *sese tulit obvia silvas* & 3. *Verane te facies, verus mihi nuntius affers.* Germ.

Tectusque tenet se.] Imaginem hujus tutelæ sub scuto vide in Homer. 13. Iliad. ubi Deiphobus,

—— ὁ δ' ἠλεύατο χάλκεον ἔγχος
Κρύφθη γὰρ ὑπ' ἀσπίδι πάντοσ' ἐΐσῃ

Eodem lib. de Idomeneo ait, κρύφθη γὰρ ὑπ' ἀσπίδι *latuit sub scuto.* &, τῇ ὑπὸ πᾶς ἐάλη. Nonnus lib. 30. οὐδέ ἑ δοῦρον ἐκάλυπτε μαχητήν. Ceterum cum de Ænea ita prædicet Philost. in Heroïcis, ἐκπλήττεσθαι γὰρ ὑπὸ οὐδενὸς φόβου· τὸ γὰρ δύναται τι, καὶ λελογισμένον ἐν αὐτοῖς μάλιστα τοῖς φοβεροῖς ἔχειν· *nullo illum terrore mentis affectum: ac tum maxime illum mentis & rationis fuisse compotem, cum inter pericula versaretur.* quis locus huic commodior, quam is, ubi inter tot millia telorum ita se gessit sui compos, ut non tueretur, quod alius faceret, cum nocumento sui, sed sisteret tectus clypeo, donec nubes ea detonaret? Hanc peritiam dat Homer. Hectori Il. 16. qui

Ἀσπίδι ταυρείῃ κεκαλυμμένος εὐρέας ὤμους
Σκέπτετ' ὀϊστῶν τε ῥοῖζον, καὶ δοῦπον ἀκόντων. *Cerda.*

803. *Effusa si quando grandine.*] Præteritum pro instanti posuit. *Servius.*

Ac velut effusa, &c.] Stat. 8. Theb.

—— non tanta cadentibus Euris
Aëriam Rhodopen solida nive verberat Arctos:
Nec fragor Ausoniæ tantus, cum Juppiter omni
Arce tonat: tanta quatitur nec grandine Syrtis
Cum Libya Boreas Italos niger attulit imbres.

& lib. 1. *telorum aut grandinis instar Riphææ.* Vides ut semper *grandinem* assumpserit hærens Virgilio. Nam *nix solida* grando est. Objicies: Nonne & Virg. lib. 11. *fundunt simul undique tela Crebra, nivis ritu?* Hoc aliud est, Lector, ut suo loco excutiam. Ammian. lib. 14. dixit, *ritu grandinis undique convolantibus telis.* & Sen. epist. 45. *tela grandinis more dissultant.* & Cedrenus de Turcis loquens, χαλαζηδὸν ἐκπεμπόντων τὰ βέλη. *missis sagittis instar grandinis.* Cerda.

Ac velut.] Scalig. lib. 5. cap. 3. *Taubmannus.*

Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola, & tuta latet arce viator
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit; in terris ut possint, sole reducto,
Exer-

804. *Præcipitant.*] Præcipitantur. *Servius.*

Omnis campis diffugit arator.] Integrum hunc excursum potuit capere à Cal. lib. 8.

Ὡς δ' ὅτε μηλοβοτῆρες ἐνὶ σταθμοῖσι μένωσι
Λαίλαπα κυανέην, ὅτε χείματος ἦμαρ ἵκηται.
Ut cum opiliones in stabulis permanent
Propter cæruleum turbinem, cum tempus ingruit tempestatis.

Quod porro Virgilius addit, *ut possint Sole reducto, &c.* Calab. οὔ τι ἐς νομὸν ἀΐσσουσι, *neque procedunt ad pascua*, videlicet ἄχρις μέγα λωφήσῃ χεῖμα, *donec tempestas desævierit.* Demum absolvit, ὣς οἵ γ' ἐν τείχεσι μίμνον, *ita illi intra muros se continent.* Quod sequitur, τρομέοντες ὁμοκλὴν δυσμενέων, *timentes impressionem hostium*, noluit Virg. sed pro, τρομέοντες, *sustinet*, quod virile, & forte. *Cerda.*

805. *Agricola, & tuta.*] Fabricius è Donato & vett. cod. legit: *omnis & agricola: tuta &c.* Cum *A* in cæsura communis sit vocalis. Tibullus:

Te canit agricola, magna cum venerit urbe.

Ovidius,

Nomen Amicitia, nomen inane Fides.

Taubmannus.

Tuta latet arce.] Quod scilicet se perite à tempestate defendunt, ut aut ante quæ tuetur. * *Servius.*

Arce.] Dignus locus, qui animadvertatur. *Arx* est omnis locus, qui hostes arcet. Ergo, quemvis locum, qui arcet grandinem, aut alias injurias temporis *arcem* vocat. Itaque, quæ sequuntur in versu altero explicant hanc *arcem*, ut sententia sit: Latet arce arboris, aut saxi. Idem est etymon *arca.* Non enim dicta, quod arceat, id est, contineat res: sed quod arceat, id est, repellat inde fures. *Cerda.*

806. *Alti fornice saxi.*] Concavi arationis curvæ. *Servius.*

Alti fornice saxi.] Antipater lib. 6. Epig. c. 11.

Ἴδρις ἀνὴρ κοιλῶπιν ὀρειάδα δύσατο πέτρην,
Ζηνὸς ἐλαστρηθεὶς γομπαγεῖ νιφάδι.
Vir prudens latebras montanæ rupis adivit,
Cum solidus terram verberat imber humum.

Reddidi γομπαγῆ νιφάδα, *imbrem solidum*, & possem *nivem solidam*, id est, *grandinem*, hærens vestigiis Statii, quem jam præmisi: nam *nix compacta* nihil est aliud, quam grando. A voce *fornix* est verbum *fornicor*, cujus contrarium *pandio, pandas.* Nam Plin. lib. 16. c. 42. *Populus contra omnia inferiora panditur, palma è contrario fornicatur.* Cerda.

807. *Dum pluit.*] Hic distinguendum. Nam si junxeris, *Dum pluit in terris*, erit Archaïsmos, debuit enim dicere *in terras*: tamen sciendum Hemistichium hoc Lucretii esse, quod ita, ut invenit Virgilius ad suum transtulit carmen. *Servius.*

In terris ut possint.] Et viator & rusticus, quibus opera sunt in terris. *Idem.*

Dum pluit in terris.] Ex Lucret. qui lib. 6.

Cum pluit in terris, & venti nubila portant.

Itaque quamvis videatur dicendum *in terras*, tamen prælatum est judicium Lucretii, & prælata est antiquitas, quæ non insolens Heroicis Vatibus. Illam interpunctionem quorundam, *Cum pluit; in terris ut possint, &c.* negligo; legendum enim sine distinctione, *Cum pluit in terris*, ex judicio, ut dixi, Lucretii, & ex vetustate. *Cerda.*

808. Ex-

Exercere diem: sic obrutus undique telis
Æneas nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet, & Lausum increpitat, Lausoque minatur:
Quo moriture ruis, majoraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille

808. *Exercere diem.*] Hypallage est, pro, ut ipsi per diem exerceri possint. *Servius.*

809. *Nubem belli.*] Bellantium impetum sustinet donec deferveat. Et bene translationem fecit à vicina comparatione. *Idem.*

Nubem belli, dum detinet omnes, Sustinet.] In vulgaris quidem omnibus exemplaribus, & aliquot antiquis *Detinet* legitur, hoc est moratur. Sed enim illa mihi lectio castissima videtur, quam in antiquissimo cod. Romano reperi, *nubem belli, dum detonet, omnem sustinet:* pulcherrima Metaphora, & conflictui maxime commoda: quia præsertim dixerat *Nubem belli*, & alibi dixit, *fulminat Æneas armis.* Præterea Servius lectionem hanc videtur agnovisse, dum exponit, *dum detonet, donec defervat.* Superius vero illud, *dum pluit*, in eodem Romano codice *uu* geminato *pluvit* scriptum est. Inde *pluvia.* Sed hoc idem in aliis quoque auctoribus, antiquisque codicibus observes. *Pierius.*

Nubem belli, dum detonet, omnem.] Sic lego, non *detinet*. non *omnes*, ut in aliquibus, sed *omnem*. Exorno τὸ *nubem belli*; Pind. Od. 4. Isthm.

Τραχεῖα νιφὰς πολέμοιο.

& Od. 10. Nem. πολέμοιο νέφος. quod sumpsit ab Hom. qui 17. Iliad. πολέμοιο νέφος περὶ πάντα κεκάλυπτο. Eadem locutio est in Opp. 1. Hal. in Nonno lib. 22. & 29. νέφος Ἰνδῶν, νέφος ἀνδρῶν. in Eurip. Hecub. in Plut. in vita Marii. Apud eundem Annibal vocat Fabium Max. νεφέλην, ὅτι μετὰ ζάλης καὶ καταιγίδων ὄμβρον ἐκρήξει. Eurip. in Taur. vocem mutavit, κλύδωνα (inquit) πολεμίων προσκείμενον. Latini eodem spiritu. Prudent. Psychom. *Telorum nimbos.* Claud. in Seren. *bellica nubes.* Innumera hæc. *Cerda.*

Nubem belli.] *Bellum* hic pro prælio sumptum est: ut à Græcis πόλεμον & μάχην confundi notat Tusanus. Sic & *belli nubes* Hom. Il. ρ. πολέμοιο νέφος dicitur. *Taubm.*

Dum detonet.] Florus lib. 4. c. 2. etiam in re belli. *Syllana tempestas latius, intra Italiam tamen, detonuerat.* Cerda.

811. *Quo moriture ruis.*] Fortitudinem Æneæ condivit pietate: quam Lauso, quia patrem texerat, noluit afferre mortem: sed & monuit ipsum atque increpuit. Tandem vero non nisi irritatus eum morte affecit, & coactus, & invitus. Dementi enim & insultanti juveni quid faceret? &c. *Taubm.*

Majoraq; viribus audes.] Ioan. Chrysost. Orat. de sept. fratrib. Machab. τί ποτε τοῦτο ἀρχή ἐστιν; τὴν ἀτελεστάτην ἡλικίαν πρὸς τὰ ἀγωνίσματα εἰς τὰ σκάμματα ἄγεις; Præclare dixit Quintilan. Declam. 315. *Rudes annos cum gravissimo hoste acerbissimo in prælio componere.* Est summa stultitia aggredi, quod vires nequeant. Inde præceptum Horatii in re Poëtica ad Pisones:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & tentate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. ——

Et Propert. præclare Eleg. 9. lib. 3.

Turpe est, quod nequeas capiti committere pondus. Cerda.

812. *Fallit te incautum pietas tua.*] Quod credis idcirco me pium tibi veniam posse concedere: quia & ipse pietatis intuitu dimicas pro patris salute. *Tua* autem *pietas*, prudenter est additum:

Exsultat demens. sævæ jamque altius iræ
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcæ fila legunt: validum namque exigit ensem
Per medium Æneas juvenem, totumque recondit.
Transiit & parmam mucro levia arma minacis,

Et

tum: quasi non à parente discedens. *Servius.*

Fallit te incautum pietas tua.] Huc allusum ab Stat. lib. 5. Silv. *& Lydi pietas temeraria Lausi.* Cerda.

813. *Exsultat demens.*] Quippe juvenis, & cui non satis ἔμπεδος νόος, ut Hom. loquitur, *mens firma.* Possis Lauso accinere illud Il. 23. νέον νίκησε νεοίη· *juvenem juventus decepit*, id est, explicante ibid. eodem Hom. παρήορος, καὶ ἀεσίφρων· *levis, & stolidus.* Idem.

Altius iræ surgunt.] Notat Germ. indicari Physicam iræ rationem, quæ cum procedat ex fervente & ebulliente circa cor sanguine, factum, ut Poëta dixerit, altius iras surgere. Sic supra hoc lib.

Haud tulit Æneas tanto fervore furentes.

Et Calab. lib. 3. de irato Achille,

—— ἀμαιμακέτοισι χόλοισι
Ἔζεεν αἷμα μελαινόν, ἰσλοδρόμοιο μελχαδῆς.

Idem.

815. *Fila legunt.*] Proprium fuerat *Rumpunt*: tamen *Legunt*, aut colligunt, aut rumpunt, est autem transeunt, ut *Litoraque Epiri legimus.* Servius.

Parcæ fila legunt.] Calab. lib. 3. instante jam morte Achillis,

Ἤδη γάρ οἱ κῆρες ἀμείλιχοι ἀμφεποτῶντο.

Eodem lib. μοῖραι ἐπεκλώσαντο. Pulcherrime ait idem lib. 11.

Κῆρες ὁμῶς φορέοντο βελέμνῳ. ——

Nonnus lib. 32.

Πασσυδὲν ἀλίσθησαν ὁμόζυγοι εἰς λίνα μοίρης.

In lib. 5. Epig. ad verbum, ὕστατα μοίρης λίνα. iterum, πὰρ ἐσχατίης λίνα μοίρης. Claud. 2. Eutrop.

Tandem fila tibi neverunt ultima Parcæ.

Sil. l. 4. *non dabit ultro Clotho dura, &c.* Tale & illud veteris Poëtæ apud Tull. 2. Tusc. ubi clades dicitur *glomerata*; id est, neta, à Parcarum glomere. & Ovid. Metamorph. 10. *fata retexere*, pro vitam de novo inchoare. & Calab. l. 11. μοῖραι μακρὸν βίου τέλος ἐκλώσαντο. *Cerda.*

Exigit ensem Per medium.] Poëtica est descriptio. nam re vera fieri non potuit, ut gladius transiret per medium corpus juvenis, & in corpore juvenis absconderetur. nam *Exigit*, est agens trans corpus. *Servius.*

816. *Totumque recondit.*] Talem ictum, cum scilicet gladius integer figitur, explicat Poëta illo versu, *capulo tenus abdidit ensem.* & Hom. 16. Iliad. πᾶν δ᾽ ὑπερθερμάνθη ξίφος αἵματι. ibid. πᾶν δ᾽ εἴσω ξίφος. *Cerda.*

817. *Transilit & parmam mucro.*] In Romano, & in Oblongo, *transiit* habetur. Est tamen & *transilit* in antiquis aliquot codicibus. *Pierius.*

Parmam.] Id est, levia arma, non clypeum. *Minacis* autem non Lausi. non enim ipse minatus fuerat. Ergo ordo est, Mucro minacis, scilicet Æneæ. Aut si ad Lausum referas *Minacis*, nunc audacis & fortis. *Servius.*

Transiit & parmam mucro.] Homer. Iliad. λ. διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄβριμον ἔγχος, καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο. *Germanus.*

Levia arma minacis.] Quidam codices legunt *minantis.* Romanus duabus mutatis dictionibus, *media arma minaci* legit. Sed omnino mos ejus Librarii fuit, ut nonnunquam superfluum ponere, nonnunquam ob negligentiam præterire. *Pierius.*

Levia arma.] Allusum proculdubio ad militem velitem, cui erat parma, & talem fingit Poëta Lausum. Nam parma

Et tunicam, molli mater quam neverat auro:
Inplevitque ſinus ſanguis: tum vita per auras
Conceſſit mæſta ad manis, corpuſque reliquit.
At vero ut voltum vidit morientis & ora,
Ora modis Anchiſiades pallentia miris,
Ingemuit miſerans graviter, dextramque tetendit:
Et mentem patriæ ſtrinxit pietatis imago.
Quid tibi nunc, miſerande puer, pro laudibus iſtis,
Quid

ma breve fuit ſcutum. Uti explicandus Polybii locus, qui parmam facit ultra modum, lege Lipſium. *Cerda.*

818. *Molli mater quam neverat auro.*] Hoc affectu Stat. 9. Theb.

Ipſe bis Oebalio ſaturatam murice pallam,
Lucenteſque auro tunicas (hoc neverat unum
Mater opus) tenui collectus in ilia vinclo. Idem.

819. *Inplevitque ſinum ſanguis.*] Mire expreſſus eſt ſinus tunicæ ſanguinem excipiens, nec tramittens. *Servius.*

Inplevitque ſinum ſanguis.] Ex Hom. 20. Iliad. μέλαν αἷμα κόλπον ἐνέπλησε· *niger ſanguis implevit ſinum.* Cerda.

Vita per auras Conceſſit mæſta ad manis.] *Vita*, id eſt anima. Et abuſive dictum eſt. nam ad inferos ſimulachrum pergit, non anima. *Servius.*

Vita per auras conceſſit ad manis.] Quaſi volaret anima. quod clare Cal. lib. 3. ψυχὴ δὲ κατ' ἀΐδος ἐξαπολήθη, & lib. 11. πέπλατο θυμός. Nonnus lib. etiam 11. ἀπέπτατο θυμὸς ἀλήτης. Sed imitatio tota eſt ab Hom. qui de Patroclo lib. 16. Iliad.

Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδος δὲ βεβήκει.

Sed Noſter rectius volatum per *auras* intellexit, ut Stat. 11. Theb. *fugit in vacuas jam ſpiritus auras.* Cerda.

820. *Corpuſque reliquit.*] Potuit ſine hoc ſenſus eſſe. *Servius.*

822. *Anchiſiades.*] Non pro libidine, ſed ex judicio, quia ſtatim dicturus, *Et mentem patriæ ſubiit pietatis imago.* Cerda.

823. *Ingemuit miſerans graviter.*] Quidam antiqui codices legunt *ingemuit graviter miſerans dextramque tetendit.* Pierius.

Ingemuit miſerans graviter.] Pietas magni ducis. Talem ſcis eſſe magnum Alexandrum, & Paulum Æmil. De illo Curt. l. 5. *Ad corpus demortui (Darii) perveniens, tam indignam illo faſtigio mortem lacrymis proſecutus eſt.* De hoc Liv. 45. *Illacrymaſſe dicitur ſorti humanæ, quod qui paulo ante, &c.* Sermo eſt de Perſeo Rege Macedonum. Hom. 5. Iliad. ſed non de hoſte,

Τὸν δὲ πεσόντ' ἐλέησε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος.

Τὸ *ingemuit graviter* eſt, quod Cal. l. 1. μέγα δ' ἄχνυτο. & ἀλίαστον ἀνετείρετο θυμός. & lib. 3. ἀκηχέμενος, & ἀχνύμενος κατὰ θυμόν. & ἀλίαστον πένθος ἀέξων. atque etiam ἀλεγεινὸν ὑπὸ κραδίῃ πέσεν ἄλγος. & οἶκτρον ἐστονάχησεν. item συνεχὲς βεβολημένος ἦτορ ἀνίῃ. Homer. 18. Il. σμερδαλέον δ' ᾤμωξεν. *Cerda.*

824. *Et mentem p., &c.*] Affectus à ſimilitudine paſſionis, quam Gr. ὁμοιοπάθειαν vocant. *Taubm.*

Subiit.] Aliqui hic legunt *ſtrinxit*, fortaſſe quia ſup.

Atque animum patriæ ſtrinxit pietatis imago.

Hom. ult. Iliad.

— τῷ δ' ἄρα πατρὸς ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο. Cerda.

825. *Pro laudibus iſtis.*] Quia & contra fortiorem, & pro patris ſalute dimicare conatus eſt: nam ideo & pluraliter *Laudi-*

Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus lætatus, habe tua: teque parentum
Manibus & cineri, si qua est ea cura, remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem;
Æneæ magni dextra cadis. increpat ultro

Cun-

Laudibus dixit. Alii *laudibus* pro virtutibus, ut solet à Poëta dictum tradunt. *Servius.*

Pro laudibus istis.] Id est, pro *virtute*, ut volunt aliqui. Ita accipiunt illud 1. Æneid. *sunt hic sua præmia laudi.* & 5. *primam merui qui laude coronam.* ut velint. Ego ab istis longe. Aliud est enim sequi ex virtute laudem, & hoc volunt hæc loca: aliud laude significari virtutem, & hoc est ἄτοπον. Sunt in his rebus peccata enormia. *Cerda.*

826. *Pius Æneas tanta dabit indole dignum.*] Propter vitandam adrogantiam tertia persona usus est: Ut, *Et quisquam numen Junonis adoret?* Indoles autem proprie imago quædam virtutis futuræ. *Servius.*

827. *Quibus lætatus habe tua.*] Moris enim fuerat, ut cum his rebus homines sepelirentur, quas dilexerant vivi. *Idem.*

Arma, quibus lætatus, habe tua.] Donat arma ad sepulturam. Sic Græci Penthesileam mortuam remiserunt ad Trojanos σὺν τεύχεσιν. Virg. non semper spolia detrahit, præsertim in sermone Æneæ; Heroem suum hac laude ornans, juxta illud Plat. 5. Polit. ἀνελεύθερον ᾗ οὐ δοκεῖ, καὶ φιλοχρήματον, νεκρὸν συλᾶν. Laudatur Themistocles à Plut. qui dux, cum cerneret hostium cadavera plena armillis, & aureis torquibus dixit cuipiam se comitanti ἀνελοῦ σεαυτῷ, σὺ γὰρ οὐκ εἶ Θεμιστοκλῆς. Si quando vero Æneas inducitur deprædans hostem, id fit cum decoro, aut causa religionis, ut excitetur trophæum. *Cerda.*

828. *Si qua est ea cura.*] Aut more illo dixit, quod solet, sepulturam ad ipsa cadavera non pertinere: licet umbris, sicut in sexto legimus, prosit, ut *Si qua est ea gloria signat.* Item de Pallante, *Vano mæsti comitamur honore.* Aut certe siqua est cura Mezentio, hoc est patri sacrilego, qui superos inferosque contemnit. An de tota hac re dubitat. *Servius.*

Manibus & cineri, si qua est ea cura.] Sæpissime Poëtæ cum hoc cautu, ex vagante Ethnicorum opinione, qui nihil esse post vitam putabant. Soph. Elect.

—— ὥστε τῷ τεθνηκότι
Τιμὰς προστάττειν, εἴ τις ἔστ' ἐκεῖ χάρις.

Cal. lib. 3.

—— μέγα κῦδος ὀρέξαμεν ἢ αὐτῷ
Ἔχλοες, εἴ γέ τις ἐστὶ καὶ Ἄϊδος ἀνθρώποισιν
Ἤ νόος, ἠὲ θέμιστες.

Notetur sæpe à Virgil. conjungi *manes*, & *cinerem*, ut hoc loco, & lib. 4.

Id cinerem, aut manes credis curare sepultos?

Iterum:

Nec patris Anchisæ cineres, manesve revelli.

Quia videlicet putabant veteres manes una cum cineribus includi. Inde Prop. Eleg. 13. lib. 2.

Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula testa meos.

Et Eleg. 5. lib. 4. malum imprecans, *Nec sedeant cineri manes.* Scio non fuisse perpetuam hanc veterum doctrinam, nam Ovid. cum hominem dividat in partes quatuor, *manes, carnem, spiritum, umbram*, sic subjicit,

Terra tegit carnem, tumulum circumvolat umbra,
Orcus habet manes, spiritus astra petit.

Cerda.

830. *Æneæ magni dextra.*] Sic alibi, *Nomen tamen haud leve patrum Manibus,*

hoc

Cunctantis socios, & terra sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comtos de more capillos.
Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Volnera siccabat lymphis, corpusque levabat
Arboris adclinis trunco. procul ærea ramis
Dependet galea, & prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circum juvenes: ipse æger, anhelans

Colla

hoc referes, telo cecidisse Camillæ. Serv.

Æneæ magni dextra cadis.] Ita Ovidius 12. Met.

Quisquis es, ô juvenis, dixit, solamen habeto
Mortis, ab Æmonio quod sis jugulatus Achille.

Accius:

Nam trophæum ferre me à forti viro pulchrum est.
Sin autem & vincar, vinci à tali nullum est probrum. Taubm.

832. *Sanguine turpantem.*] Non ipsum turpantem, sed ut accidit ita dixit. *Servius.*

Comtos de more capillos.] Antiquo scilicet more, quo viri sicut mulieres componebant capillos: quod verum esse & statuæ nonnullæ antiquorum docent, etiam personæ, quas in Tragœdiis videmus similes in utroque sexu, quantum ad ornatum pertinet capitis. *Idem.*

833. *Interea.*] Dum hæc geruntur. Et omnino sic est apud Poëtas *Interea*, sicut apud Sallustium, *Eodem tempore.* Idem.

834. *Volnera siccabat lymphis.*] Siccabat aqua, sed & nove & Physice locutus est. nam cum aqua omnia infundantur, hic ait *siccari vulnus aqua*, & ratio vera est, quia fluxus sanguinis aquarum frigore continetur. *Idem.*

Levabat.] Inclinatione recreabat. *Idem.*

Vulnera siccabat lymphys, corpusque levabat Arboris acclivis trunco.] Exemplaria complura, Romanum, & quædam alia, legunt *lavabat*: quippe quia præjectum est, *Vulnera siccabat lymphis.* Sed enim non desunt codices veteres, in quibus *levabat* legatur: & eam lectionem agnoscit Servius. Qua vero ratione levaret membra, tam vulneribus, quam certamine fatigata subjungit, *Arboris acclivis trunco.* Id quod in antiquis *adclinis* scribitur, quod Servius exponens, inclinatione recreabat, ait. *Pierius.*

835. *Acclivis.*] Quis ante hunc. *Servius.*

Acclivis.] Ἐπικλινής. supra, *Arboris obnixus trunco.* Nempe *acclinis* per *n*, non *acclivis*, docti legunt cum D. Lambino Horat. Satyr. lib 2. *Acclinis falsis animus*, à *clino*, *clinas*: unde & apud Lucr. lib. 2. *clinamen principiorum.* Simile est quid huic Virgilii loco illud Cæsaris lib. 6. Bel. Gal. *His sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant, atque ita paulum modo acclinata quietem capiunt.* Callim. in Delo: ἀπὸ δ᾽ ἐκλίνθη ἔμπαλιν ὤμοις φοίνικος ποτὶ πρέμνον. *Germanus.*

Procul.] Modo juxta: ut, *Serta procul tantum capiti delapsa jacebant.* Serv.

Ramis dependet.] In Romano codice *ramo.* Unus enim satis erat ad sustinendam galeam. *Pierius.*

836. *Gravia arma quiescunt.*] Cur illa pendeant, hæc in terra sint, docuit dicendo *gravia*, unde & *quiescunt* dixit. Bene ergo *gravia*: ut galeam, arma, & levia intelligamus. Et talis est figura, sicut illa Sallustii, *Leonem atque alias feras.* Ergo & leo fera est. *Quiescunt* autem quasi in terra posita: quoniam galea quæ pendebat, poterat & moveri. *Servius.*

837. *Stant lecti circum juvenes.*] In aliquot

Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam:
Multa super Lauso rogitat, multumque remittit,
Qui revocent, mæstique ferant mandata parentis.
At Lausum socii exanimem super arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti volnere victum.
Adgnovit longe gemitum præsaga mali mens.

Cani-

aliquot antiquis codicibus *stant circum lecti proceres* legitur. Sed hæc majestas negotio bellico non videtur congruere: quare melius *juvenes*. Pierius.

Anhelans.] Hom. sæpe ἀσθμαίνων. Et quidem Mezentius ἐκ φόνε ἀργαλέοιο καὶ ἄρεος ἀμπνύων, ut loqueretur Calab. lib. 1. *à difficili cæde, & Marte respirabat.* & Valer. 4. Arg.

Tunc fessas posuere manus, tunc arida anheli
Pectora. —— Cerda.

838. *Colla fovet.*] Sustinens se arboris trunco. *Servius.*

Fusus propexam in pectore barbam.] Barbam in pectus infusam habens. Archaïsmos autem est quod ait *in pectore*, pro in pectus; sicut alibi, *Mediis effusus in undis*: pro, In medias undas. *Propexam* autem quis ante hunc? *Idem.*

Propexam in pectore barbam.] Malunt nonnulli *perpexam*. Sed *propexam* in antiquioribus habetur. *Pierius.*

Fusus propexam in pectore barbam.] Stat. 6. Theb. *tergoque & pectore fusam Cæsariem.* Val. 2. Arg. dixit, *effusis crinibus.* Ovid. 1. Fast.

Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam.

Juvenal. Sat. 13. *propexis in pectore barbis.* Cerda.

839. *Multa.*] Pro multum. sicut, *Et pede terram crebra ferit*, pro crebro. *Serv.*

Multumque remittit.] Hoc pro sæpe. *Idem.*

Multosque remittit.] In Romano codi. legitur *multumque remittit.* Sed magis placet *multos*, quod nescio quid vehementius habet, quum & instantiam, & iterationem nuntiorum ostendat. *Pierius.*

841. *Lausum.*] In XII. tabb. est: *Neve funeris ergo lausum habento.* Suspicatur Palmer. Spicileg. fol. 156. *lausum* (qui aliis *lessus*) aut ab hoc *Lauso* dictum; aut *Lausus* ipse à *lauso* isto funebri: ut *Protesilaus Hippolytus*, alii quidam omen, sive rem habuerunt nomen, &c. *Taubm.*

Super arma ferebant.] Supra scutum, sicut supra: *Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.* Servius.

Super arma ferebant.] Illustravi hunc morem supra in hoc libro, & adjicio illud Lacænæ, quæ, cum filio præberet ἀσπίδα, *clypeum*, adjecit, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν, verba sunt Plutarch. de Instit. Laced. *aut hunc, aut super hunc.* Quam sententiam ita leges apud Auson.

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc (inquit) aut in hoc redi.

Plutarchus in Apophthegmat. Laconic. ubi agit de excelso animo, quo Tynichus Thrasybuli filii mortem tulit, scribit exstare Epigramma in laudem ipsius Tynnichi, cujus hoc est primum distichon:

Τὰν Πιτάναν Θρασύβουλος ἐπ' ἀσπίδος ἤλυθεν ἄπνους,
Ἑπτὰ πρὸς Ἀργείων τραύματα δεξάμενος.

Vide versiones Ausonii, Xilandri, Raphaëlis, & hanc meam,

Mortuus in clypeo Thrasybulus ab agmine venit,
Qui tulerat septem vulnera pro patria.

Cerda.

841. *Ingentem, atque ingenti volnere.*] Homeri dictum, Κεῖτο μέγας μεγαλωστὶ λελασμένος ἱπποσυνάων. *Servius.*

843. *Præsaga mali mens.*] Stat. 5. Theb.

Canitiem multo deformat pulvere, & ambas
Ad cælum tendit palmas, & corpore inhæret.

Tan-

Theb. *jam certa malorum Mentis ab augurio.* Curt. lib. 3. *divinatio animi præsagientis.* Val. 1. Arg.

At subitus, curaque ducem metus acrior omni,
Mensque mali præsaga quatit. —

Claud. Bell. Get. simili sententia,

Sed malus interpres rerum metus omne trahebat
Augurium pejore vita. —

Prædicant quippe omnes divinitatem præsagientis animi præsertim in re mœsta. Auctor Thebaidos, *magna præsagit mala paternus animus.* Euripides Andromach. *πρόμαντις θυμός.* Josephus capite vigesimo libri Bell. Judaic. *προμαντευομένης ἤδη καθ' ἑαυτὴν τῆς ψυχῆς.* Philo lib. de Cherub. *ἤκουσα δέ ποτε καὶ σπουδαιοτέρου λόγου παρὰ ψυχῆς ἐμῆς εἰωθυίας τὰ πολλὰ θεοληπτεῖσθαι, καὶ περὶ ὧν οὐκ οἶδε μαντεύεσθαι.* *Quin & doctius quiddam audisse memini à mea anima, quæ nonnunquam divino spiritu correpta solet ne sibi quidem nota prodere oracula.* Sed signatius ad Virgilium Æschylus in Pers. *κακόμαντις θυμός.* & Philo idem in Flaccum: *μαντικώτατον γὰρ ἑκάστου ψυχὴ, καὶ μάλιστα ἡ ἐν κακοπραγίαις.* Homerus decimo octavo Iliad. *ὄσσοντο γὰρ ἄλγεα θυμῷ.* *Cerda.*

844. *Caniciem immundo deformat pulvere.*] Exemplaria omnia vetustiora, quæ versamus, *Multo deformat pulvere* legunt, quod miseriam auget. Sed *immundus* proprium est epitheton pulveris. Desumpta vero est ex Homero sententia, ubi de Achille, occiso Patroclo hæc miseriarum signa describuntur, *ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν χεῦ' ἀπὸ κεφαλῆς.* quod ita etiam Catullus expressit: *Caniciem terra, atque infuso pulvere fœdans.* Pier.

Canitiem immundo deformat pulvere.] Hunc morem in luctu, & dolore multi attigerunt. Euripides Supplic. de flentibus, *ἀμφὶ δὲ σποδὸν κάρᾳ κεχύμεθα.* *fundimus pulverem circum caput.* Aristippus apud Heliodorum libro primo Hist. Æth. capiti suo aspergit pulverem. Græci apud Cal. lib. 3. lugentes mortem Achillis, *ᾔσχυναν ἄδην ψαμάθοισι κάρηνα· pulveribus turpabant affatim capita.* De Justino Imperatore ad nuntium eversæ Antiochiæ terræ motu, scribit Auctor Miscellæ lib. 15. *Præ dolore sacco induitur, aspergiturque cinere, exutus purpura & diademate.* Stat. 6. Theb.

—*squallentiaque ora*
Sparsus, & incultam ferali pulvere barbam.

Val. 3. Arg. *multaque comas deformat arena.* De Electra Claud. 3. Rapt.

Tum laceras effusa comas, & pulvere cano
Sordida siderea raptus lugebat alumnæ.

Cerda.

Caniciem immundo deformat pulvere.] Ita in Ceiri:

Intonsos multo deturpat pulvere crines.

Infra, Æn. 12. Catullus:

Caniciem terra atque infuso pulvere fœdans.

Mos vel ex historia sacra notus nobis. *Taubmannus.*

845. *Ad cælum tendit palmas.*] Increpans deos, quasi sacrilegus. Et sciendum non eum uno eodemque tempore potuisse & corpori inhærere, & manus ad cœlum levare: licet Poëta ista conjunxerit. *Servius.*

Corpore inhæret.] Aut inhæret Lauso suo corpore: aut certe Hysterologia est: ut sit hæret in corpore. Melius tamen ut sit Antiptosis, pro *corpori*: ut, *Hæret pede pes*, pro *pedi*. Idem.

Corpore inhæret.] Similis species Euand. lib. 11. super defuncto nato:

Procubuit super, atque hæret, lacrymansque gemensque.

Et Phœnicis apud Calab. lib. 3. qui fusus super cadaver Achillis mortui, *ἀμφιχυθεὶς* (ait) *δέμας.* & Græci alii inducuntur,

Εἰλό-

Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hoſtili paterer ſuccedere dextræ,
Quem genui? tuane hæc genitor per volnera ſervor,
Morte tua vivens? heu, nunc miſero mihi demum
Exſilium infelix! nunc alte volnus adactum!
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulſus

Εἰλόμϐμοι περὶ νεκρὸν ἀμύμονος ἀνακτος.

Apud Hom. quoque Achilles ipſe hæret defuncto Patroclo, libro decimo octavo Iliad. *χεῖρας θέμϐμος ςήθεσσιν ἑταίρυ, manus admovens pectori amici.* Tale & illud Albinov. ad Liviam, *artus complector inanes.* Sic & Anna 4. Æn.

Semianimemque ſinu germanam amplexa fovebat. Cerda.

846. *Tantane me tenuit, &c.*] Tangit vitium quod Græci φιλοψυχίαν vocant, & φιλοζωίαν, vitæ retinendæ mollem & turpem cupiditatem. Supra: *quæ lucis miſeris tam dira cupido?* Germanus.

Tantane me tenuit, &c.] Germana huic ſententiæ illa Caſſii apud Plut. in vita Brut. Cum en. Caſſius amiciſſimum Titinnium interfectum putaret, etiamſi falſo, ita ſtatim, φιλοψυχῦντες ἀνεμείναμϐμ ἄνδρα φίλον ἁρπαζόμϐμον ὑπὸ τ̃ πολεμίων ἰδεῖν· *Dum nimium vitæ ſumus cupidi, ſuſtinuimus amicum ab hoſtibus fuiſſe correptum.* Cerda.

847. *Hoſtili ſuccedere dextræ.*] In antiquis Priſciani codicibus hoc citato verſu, *Succumbere* pro *ſuccedere* habetur, quum tamen reliqui omnes Virgiliani codices, quos inſpexi, *ſuccedere* legant. *Pierius.*

848. *Per vulnera ſervor.*] Aut re vera *per vulnera*, quia per totum ejus corpus mucro tranſierat: aut invidioſe *vulnera* ait, pro vulnus; ſicut Terentius, *Non perpeti meretricum contumelias?* Cum una eſſet Thais de qua loquebatur. *Servius.*

Tuane hæc genitor per vulnera ſervor.] Neſtor apud Auſon. in Epitaph. ita loquitur,

Objecit ſeſe cujus pro morte peremptus Filius, & nati vulnere vivo pater. Cerda.

849. *Morte tua vivens.*] Quia cecidiſti pro me. Scalig. l. 4. c. 16. *Taubm.*

Exſilium infelix! nunc alte volnus adactum.] Solatio enim viventis filii utrunque fuerat ante tolerabile. *Serv.*

Heu, nunc miſero mihi demum Exilium infelix.] In vetuſtis pleriſque codicibus *exitium* eſt, quod non æque placet. Ait enim ſe facile tolerare exſilium potuiſſe, dum in tali nato conquieſceret, quo erepto, *exſilium* demum *infœlix* eſſe. Quia vero ſequitur, *Nunc alte vulnus adactum*; recte etiam legi poteſt *exitium infelix*, quum omnino filium ſequi decreverit, neque eo perempto velit ſupervivere. Inde in Æneam dicit, *Hæc via ſola fuit, qua perdere poſſes.* *Infœlix* autem, quod videat ſe dediſſe cauſſam cædis. *Infœlix*, quod fruſtra ſe morti ſubtraxerit, quum eam nunc ultro appetere cogatur. *Pierius.*

850. *Nunc alte volnus adactum.*] Macrob. lib. 4. cap. 4. ita ſcribit: *Tacite quoque, & quaſi per definitionem pathos movere ſolet: cum res, quæ miſerationem movet, non dilucide dicitur, ſed datur intelligi, ut cum Mezentius dicit, nunc alte vulnus adactum. Quid enim aliud ex hoc intelligendum, quam hoc altum vulnus eſſe amittere filium?* Sed miſſo Macrobio tu Poëtæ ſermonem refer ad ludum gladiatorium, in quo *alte ferire* dicebatur, & *alta vulnera.* Cerda.

851. *Idem ego.*] Qui nunc cauſſa tuæ mortis fui, qui feci ut exulis & ſacrilegi filius eſſe diceremis. *Servius.*

Maculavi crimine, &c.] Sæpiſſime accidit,

Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.
Debueram patriæ pœnas, odiisque meorum:
Omnis per mortes animam sontem ipse dedissem.
Nunc vivo: neque adhuc homines lucemque relinquo:
Sed linquam. simul hoc dicens attollit in ægrum
Se femur; &, quamquam vis alto volnere tardat,
Haud dejectus, equum duci jubet. hoc decus illi,
Hoc solamen erat: bellis hoc victor abibat
Omnibus. adloquitur mærentem, & talibus infit:
Rhœbe,

accidit, ut parentum clades in filios redundet. Audi Tacitum 16. Annal. *Quid Agrippino objectum, nisi tristem patris fortunam? quando & ille perinde innocens Tiberii sævitia concidisset.* Cerd.

852. *Pulsus ob invidiam.*] Excusat, ne merito expulsus esse videatur. *Serv.*

854. *Omnis per mortes.*] Per omnia mortis genera: nam una mors est, aut *per mortes omnes*, id est, per diversa supplicia: aut quasi non una tantum morte dignus. *Idem.*

Omnis per mortes.] Macrob. l. 4, 6. Q. d. debueram me cuivis periculo, sine ullius mortis metu, objicere. *Taubmannus.*

Dedissem.] Aliquot exemplaria *dedisse* legunt, ut conveniat cum verbo *debueram.* Pierius.

856. *Attollit in ægrum.*] Vides ægrum, & tamen euntem ad bellum pro filii cæde. Quadrant illa Cal. lib. 2.

Παιδὸς ἀποφθιμένοιο ποθὴ ποτὶ μῶλον ἄγεσκε
Πὰρ δύναμιν. ——
Extincti filii amor in prælium trahebat,
Præter vires. —— Cerda.

857. *Vis alto vulnere tardat.*] Alti vulneris violentia. *Servius.*

Quanquam vis alto volnere tardat.] In vetustis codicibus quibusdam legitur *quamquam sese alto vol. tardet.* Sed enim Servius *vis* agnoscit. *Pierius.*

Vis alto volnere tardat.] Ita lib. 2. *& vulnere tardus Ulyssi.* Plutarch. in vita Luculli, χαλῶς ὑπὸ τραυμάτων ἀγχειμένος. Ovid. 10. Metamorph. *incessit passu de vulnere tardo.* Objicies: qui hic *alto vulnere*, cum supra de hasta Æneæ, quia hoc vulnus intulit, *vires haud pertulit?* Non certe vulnus altum, si hasta absque viribus. Solvi potest, nam vulnus etiamsi altum, non ita tamen, ut Mezentium privaret vita, ideo *vires haud pertulit*, id est, non fuit in hasta satis virium, quæ necessariæ ad mortem. *Cerda.*

858. *Haud dejectus.*] Non dejectus animo. *Servius.*

Hoc decus illi, &c.] Majore affectu quam cura designavit equum Mezentii: ut & *felicem* eum faceret, non solum *fortem.* quem etiam fidelem agnovit, quum *mœrentem* dixit. Scalig. l. 3. c. 3. *Taubm.*

859. *Bellis hoc victor abibat.*] Talis equus, de quo Pind. Od. Olymp.

Ὅτε παρ' Ἀλφεῷ σύτο, δέμας
Ἀκέντητον ἐν δρόμοισι παρέχων,
Κράτει δὲ προσέμιξε δεσπόταν·

Quando juxta Alpheum concitus ferebatur, præbens ad cursum corpus non stimulatum, ac dominum victorem fecit. Talem equum πολεμήϊον vocat Callimachus Hymn. Cereris, & ἀεθλοφόρον *bellatorem, reportatorem præmiorum.* Tales Achillis equi, qui ita loquuntur l. 19. Iliad.

Καὶ λίην σ' ἔτι νῦν γε σαώσομεν ὄβριμ' Ἀχιλλεῦ·
Et te nunc adhuc servabimus fortissime Achilles. Cerda.

860. *Adloquitur mærentem.*] Tristem. Hæc enim animalia secundum Home-

Rhœbe, diu (res si qua diu mortalibus ulla est)
Viximus. aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Æneæ referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,
Occum-

Homerum sunt tristia, quando indicant dominorum mortem futuram. Et proprie *adloquitur* dixit, est enim adloqui consolari. Est autem Homeri comparatio,

Τὸν δ' ἄρ' ὑπὸ ζυγόφιν προσέφη πόδας αἰόλος ἵππος
Ξάνθος. ἄφαρ δ' ἤμυσε καρήατι, πᾶσα δ' χαίτη
Ζεύγλης ἐξεριποῦσα παρὰ ζυγὸν, οὖδας ἵκανεν. *Servius.*

Alloquitur mœrentem & talibus infit.] In codicibus aliquot antiquis, *adloquitur mœretem, ac talia fatur.* Pier.

861. *Rhœbe diu (res si qua diu mortalibus ulla est)*] Hoc loco notant Virgilium Critici, quod homini sacrilegó dedit prudentem sententiam: quam rem ratio naturalis excusat. ea enim quæ per naturam movent animos, in quamvis personam cadunt. Illa vero sunt tantum prudentum, quæ non nisi consilio & ratione deprehenduntur. Unde & Terentius servis dat plerunque sententias prudentissimas quidem, sed quæ se per naturam offerunt cunctis: ut, NE QUID NIMIS. Servius.

Rhœbe.] Ducit Eryth. equi hujus nomen ab *ῥοιβέω*, quod est *emico*, & de celeritate, & de militari virtute; quod utrumque equo competit. Nam de equo lib. 11. *Emicat arrectisque fremit*, &c. Hic vero sermo ad equum ductus ab variis sermonibus jam Homero excogitatis, quibus inducit suos Heroas loquentes cum hac fera. Silius quoque lib. 4. ad equum Garganum,

Nos, Gargane, vocant Superi ad majora, videsne
Quantus eat Chryxus? jam nunc tibi præmia pono,
Illum Sidonio fulgentem ardere tapeta,
Barbaricum decus, & fulvis donabere frænis.

Vide, si otium, insaniam Caji Imperatoris apud Xiphil. in tractando equo, quem diligebat. *Cerda.*

Aut hodie victor, &c.] Illustrabis satis hanc partem his, quæ dixi sup. in hoc lib. ad illud,

Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut letho insigni. ——

Nam & hoc dicit Mezentius, *aut eris victor aut occumbes.* & adjice Hom. 18. Iliad. ubi Hector de Achille loquens,

Ἤ κε φέρησι μέγα κράτος, ἤ κε φεροίμην.

Tum etiam multa, quæ 9. Iliad. Achilles in hanc sententiam, ubi mortem præponit turpi vitæ & fugæ. Ex loco Virg. Hippomedon apud Stat. ita alloquitur equum Tydei,

Quod superest, charos i saltem ulciscere manes,
Aut sequere, exterrem neu tu quoque læseris umbra
Captivus, timidumque equitem post Tydea portes. Idem.

Spolia illa cruenta.] Arma Æneæ Lausi cruore perfusa. Unde intulit, *Et caput Æneæ:* per quod etiam spolia Æneæ intelligimus. nam Lauso nihil detraxerat. Dixit autem, *Arma quibus lætatus, habe tua.* Si autem *cruenti* intellexeris, scilicet crudelis, sic enim convenit personæ loquentis. *Servius.*

863. *Lausique dolorum.*] Num Lausi dolorum, ut *Lachrymas dilectæ pelle Creusæ.* Idem.

864. *Aut aperit si nulla viam vis.*] Aut si nullam ostenderit fortitudo rationem. *Aperit* autem, præsens pro futuro. *Idem.*

Aperit si nulla viam vis.] Si virtuti adversus eventus est. Scalig. l. 4. c. 16. *Taubmannus.*

865. Pari-

Occumbes pariter. neque enim, fortissime, credo
Jussa aliena pati, & dominos dignabere Teucros.
Dixit, & exceptus tergo consueta locavit
Membra, manusque ambas jaculis oneravit acutis;
Ære caput fulgens, cristaque hirsutus equina.
Sic cursum in medios rapidus dedit. æstuat ingens
Uno

865. *Pariter.*] Subaudi *mecum.* Sed fuit veteris elegantiæ hanc vocem ponere absolute. Sallust. Jugurth. *Munificus nemo putabatur, nisi pariter volens.* &, *Pariter omnes viles sunt.* Plura his Godesc. advocato Varrone, Plauto, Terentio. *Cerda.*

Neque enim, fortissime, credo, &c.] Quod digneris habere dominos Teucros, scilicet ignavos. Nam hoc intelligimus ex eo quod dixit equo, *Fortissime.* Plerunque enim ex alterius personæ vituperatione vel laude, quid de alia dicatur, agnoscimus: ut hoc loco Trojanos vituperatos ex equi laude cognoscimus. Item alibi è contra, *Et nunc ille Paris*, scilicet adulter. nam illic ex persona Paridis vituperatur Æneas. *Servius.*

Neque enim, fortissime, &c.] Omnino allusum ad Hom. 17. Iliad. ubi equi Achillis dicuntur ἀλεγεινοὶ ἀνδράσι γε θνητοῖσι δαμήμεναι, & à nemine posse subjungi currui, ἢ Ἀχιλῆϊ, *quam ab Achille.* Itaque quodvis aliud imperium essent obtrectaturi. Quæ de Bucephalo Alexandri scribuntur, nota sunt omnibus. De Pegaso Claud. assentans Honorio, —— *melioraque pondera passus Bellerophonteas indignaretur habenas.* Cerda.

Credo.] Græci omnes οἶμαι, & unus præterea Homerus hoc dixit verbo ἔλπομαι. Exemplum est 16. Il. ℣s. 194. *Idem.*

867. *Exceptus tergo.*] Equo se præbente exceptus: quod fieri plerunque conspicimus. *Servius.*

Exceptus tergo.] Non enim poterat ascendere, sed ex superiori loco se in equo composuit. *Donatus.*

Exceptus tergo.] Ennod. Paneg. *His dictis, excipit te tergo sonipes, lituorum desideriis inquietus.* Cerda.

868. *Jaculis oneravit.*] Aviditas sævientis exprimitur, ut sæpius. *Servius.*

869. *Ære caput fulgens.*] Quia supra, *procul ærea ramis Dependet galea.* Idem.

Cristaque hirsutus equina.] Jubæ equorum fuere in hoc usu. Plenus Hom. Iliad. 6. Hector habet κόρυθ' ἱππιοχαίτην. & Patroclus lib. 16. κυανέην ἱππουριν. & lib. 17. Hippothoo datur ἱπποδάσεια κόρυς, *galea equina hirsuta.* Eadem datur Acamanti 6. Iliad. & eodem lib. forma alia vocat λόφον ἱππιοχαίτην. & alia lib. 12. ἱπποκόμων τρυφαλειῶν. Sic lib. 13. ἱππόκομοι κόρυθες. Meminit ejusdem Soph. Antig. ξουθ' ἱπποκόμοις κορύθεσσι. Theoc. etiam εἰδ. 16.

Ζώννυται, ἱππείη δὲ κόρυν σκεπάζεται ἔθειρᾳ.

Armatur, & juba equina tegunt galeam.

Sed & Herod. l. 7. Æthiopibus attribuit pelles frontium equinarum cum jubis, atque auribus, ea dispositione, ut jubæ essent pro cristis, aures inferius rigerent. Demum Sil. lib. 8. *& equina Curio crista.* Velim notes, quoties in Scriptoribus legis tantum *jubas* nulla re addita, capiendas esse de equinis, nam proprie *juba* equi est, non leonis, ut cum Silius dixit de Flamminio Consule,

Triplex crista jubas effundit crine Suevo. Cerda.

870. *Sic cursum in medios rapidus dedit.*] In antiquissimo codice Romano legere est, *sic cursu in medios rapidus redit.* Pierius.

Æstuat.] Verbum ad magnos animi affectus

Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
[Et Furiis agitatus amor, & conscia virtus:]
Atque hic Ænean magna ter voce vocavit,
Æneas adgnovit enim, lætusque precatur:
Sic pater ille deûm faciat, sic altus Apollo,
Incipias conferre manum.

Tantum

affectus indicandos. Ita Nonnus l. 31. de ira Junonis,

Καὶ φθονερὸς πραπίδεσσι χόλος διεπάφλασεν Ἥρης·

Ira invida in visceribus Junonis æstuavit.

Nam παφλάζω, & διαπαφλάζω de æstu maris dicuntur. Horat. Epist. 1. lib. 1. de appetente res varias,

Æstuat, & vitæ disconvenit ordine toto.

Sic *æstus* à Virg. de curis, à Propertio de amore Eleg. 33. l. 2. ad finem. Demum nullus est affectus, qui non exprimatur hoc verbo. Quam ad rem unicum est testimonium hoc Maronis, in quo *æstuat pudor, insania, luctus, amor, virtus.* vide quot affectus. *Cerda.*

871. *Uno in corde pudor.*] *Uno* autem pro eodem: tribus vero adfectibus conturbatum significat, pudore, ira, dolore; quæ potentia sunt singula. *Serv.*

Imo in corde pudor.] Multa quidem exemplaria vetera, *uno in corde* legunt. Sed *imo* magis placet. In Mediceo autem codice, non *pudor*, sed *dolor* habetur. Sed neque tacebo quamvis ineptum mihi videatur, in codicibus aliquot manu scriptis legi, non *pudor*, sed *puer.* quo itidem modo, iisdemque dictionibus peccatum est in eo Propertii versu, *Si puer es, alio traice tela,* quum legendum sit, *Si pudor est, alio traice tela puer.* Pierius.

Mixtoque insania luctu.] Duo affectus cognatissimi ira & dolor. Stat. 5. Theb.

At juvenis magno flammatus pectora luctu.

Nam *flammas* ad iram refero. Idem lib. 11. *crudescunt luctibus.* Cruditas enim ad iram pertinet. Ovid. 9. Met:

— utq; dolor rabiem collegerat omnem.

De equis Darii Curt. lib. 3. *dolore efferati.* Utramque pestem Aristot. conjungit 2. Rhet. cap. 2. imo iram definit per dolorem. ὀργὴ, ὄρεξις μετὰ λύπης. *Cerda.*

872. *Et Furiis agitatus amor.*] Carmen hoc non habetur in antiquissimo codice Romanæ notæ. Sed locum habet in duodecimo libro, ubi Poëta de Turno loquitur, ut loco suo dicetur. Neque tamen incongruum est idem carmen in diversos usus disponere, veluti alterum illud, *Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras,* & Camillæ & Turno adcommodavit. *Pierius.*

Conscia virtus.] Lucret. *sentit enim vim quisque suam.* Cerda.

874. *Æneas agnovit enim.*] In antiquis codicibus est, *adgnovit enim*, per interpositionem dictum. *Pierius.*

875. *Sic pater ille deûm faciat.*] Bene in perniciem contemptoris deorum, deos invocat. *Servius.*

Sic altus Apollo.] Et venerabilis, aut quia in excelso loco consecratus est. *Idem.*

Sic altus Apollo.] Cum respectu ad totam Iliadem, ubi Apollo semper inducitur Æneæ favens. Exploranda imprimis vigesima Ilias. Et, si velis, cum respectu ad Augustum, cujus tutelare numen Phœbus, & Augustus in Ænea repræsentatur. *Cerda.*

876. *Incipias.*] Deest *ut.* Servius.

Incipias conferre manum.] Tale illud lib. 12.

Incipe, si qua animi virtus, & confere dextram.

To *conferre manum* immutavit leviter

ab

Tantum effatus, & infesta subit obvius hasta.
Ille autem: Quid me erepto, sævissime, nato
Terres? hæc via sola fuit, qua perdere posses.
Nec mortem horremus, nec divûm parcimus ulli.
Desine. jam venio moriturus, & hæc tibi porto
Dona prius. dixit, telumque intorsit in hostem:

Inde

ab illo Lucret. lib. 4.

At contra conferre manu certamina pugnæ.

& Lucret. ab Hom. 6. Iliad. qui non *conferre manum*, sed συνάγειν ὑσμίνην, *conferre prælium*. Cerda.

877. *Tantum effatus.*] Ideo pauca, ut qui cupidus rei gerendæ. O quoties in hac re Homerus ἄτοπος, & εὐήθης! non vereor ita loqui. Plena Ilias his ante certamen inutilibus jactantiis. Non hæc certe natura iræ, præsertim in bello. Præclare Virg. de Ænea l. 2. *se suscitat ira*, quia videlicet tunc non præsens hostis. At, cum præsens est, ut hoc loco, statim advolat, & pauca loquitur. Nam visus hostis iram statim acuit. *Idem.*

Infesta hasta.] In vulnus parata, id est, protenta. *Servius.*

Infesta hasta.] Est hoc, quod sup. *adversaque ingens apparuit hasta*. Liv. l. 23. *Cum jam ante ferocibus dictis rem nobilitassent, infestis hastis concitarunt equos.* Cerda.

878. *Quid me erepto, sævissime, nato Terres.*] In antiquis aliquot codicibus legere est *terreas*: quod quamvis ex sententiæ congruitate sit elegantissime dictum, quo pacto tamen versui consultum sit, videndum. Id quidem, si quis admittere voluerit, aut Synæresin esse dicat oportet, aut Amphimacrum loco dactyli positum: quod Virgilium etiam alibi fecisse à Terentiano moniti comperimus: neque id Valerius Probus inficiari potest. Sed enim ut quid sentiam, dicam, Grammaticorum adhuc nemo loci hujus meminit tam insignis, non tacituri profecto, siquid illis tale suboluisset, quare *terres* legerim, ut longe plura habent exemplaria. *Pierius.*

879. *Qua perdere posses.*] Deest *me*. nam hoc dicit, nisi extincto filio nulla se potuisse ratione superari. *Servius.*

880. *Nec divûm parcimus ulli.*] Hoc ideo, quia Æneas invocaverat deos. ut, *Sic pater ille deûm faciat, sic altus Apollo.* Idem.

Nec divûm parcimus ulli.] Vide ut expendi explicans, & apta verba Cyclopis apud Hom. Odyss. 9.

Νήπιος εἰς ὦ ξεῖνε, ——
Ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν, ἢ ἀλέασθαι.
Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
Οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτεροι εἰμέν.
Οὐδ' ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφιδοίμην.

Talis & oratio Amyci ap. Valer. 4. Arg.

Nec lacrymæ, nec sorte preces, Superive vocati
Pectora nostra movent, aliis Rex Jupiter oris. Cerda.

881. *Desine.*] Scilicet mortem minari: quoniam libenter moriturus advenio. *Servius.*

Desine. jam venio moriturus.] In antiquis, quod magis placet, *nam venio* legitur. *Pierius.*

Desine.] Scil. me terrere metu mortis aut deorum. *Taubm.*

882. *Dona.*] Vox hæc etiam de re ingrata. Itaque hastam vocat *donum*. Ita Ovid. 9. Metamorph. *feralia dona*. & Valer. 4. Arg. ore Amyci, *Primus manu cui dona fero?* id est, cui mortem affero? Inde & Latinis locutio ista in usu, *dare morti, exitio*, &c. ut etiam

 Græcis.

Inde aliud ſuper atque aliud figitque volutatque
Ingenti gyro: ſed ſuſtinet aureus umbo.
Ter circum adſtantem lævos equitavit in orbis,
Tela manu jaciens: ter ſecum Troïus heros
Immanem ærato circumfert tegmine ſilvam.

Inde

Græcis. Nam Calab. lib. 3. *δώσω θάνατον, καὶ κῆρας ἐρυμνάς· dabo mortem, & Parcas nigras.* Firmo rem eandem Homerico teſtimonio. Nam lib. 24. Iliad. dicuntur eſſe apud Jovem *δοιοὶ πίθοι δώρων, duo dolia donorum*, quæ ipſe dat mortalibus: vas alterum *κακῶν malorum*, alterum *ἐάων bonorum.* Vides, ut tam bona, quam mala comprehendat unico *doni* nomine. Sic *præmium* apud Virg. & alios eſt ambiguæ ſignificationis. Sic & *pretium* apud Terent. in malam partem. *Cerda.*

883. *Inde aliud.*] Id eſt, jacet telum. *Servius.*

Inde aliud ſuper, atque aliud.] Illuſtrat Germ. ex Callimacho, qui in Apoll.

Ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ βάλλων ὠκὺν ὀϊστόν. —

Ex Calab. qui lib. 6. *ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ ἰὸν προϊάλλει.* Sed dici quit, alluſum ad illud Catull. *Hæc atque ille dies, atque alia, atque alia.* Cerda.

Volatque Ingenti gyro.] Circumibat Ænean ingentibus gyris, ut adverſum potius, quam averſum feriret. Æneas omnibus telis occurrebat, ſcuto ea excipiens. *Donatus.*

Figitque, volatque ingenti gyro.] Hoc genus pugnæ repræſentat Valer. 4. Arg. Mezentii ars tota poſita in fatigando Ænea, Æneæ in ſe tuendo. Itaque ille gyrare ſpacioſos orbes, hic ſe circumferre in eodem gradu. Ergo in Valer. Amycus,

Continuo Bebryx, Malea velut arce fragoſa
Turbo rapax, vix ora virum, vix tellure paſſus
Brachia, torrenti præceps agit undique nimbo,
Caſſibus involvens, totaque immanis arena
Inſequitur. ——

Contra Pollux: *vigil ille metu cum pectore & armis Huc alternus & huc.* & poſtea, *providus iſtius Servat.* Apud Nonn. lib. 22. committitur pugna equitis cum pedite, nec diſpar Virgiliano eventui. Ovid. de volante volucre, *ducitque per aëra gyros.* Cerda.

885. *Umbo.*] Scutum: nam à parte totum intelligimus. *Servius.*

Umbo.] Quicquid eſt extumidum & prominens *umbo* dicitur. Itaque nulla eſt ratio cur hæc vox arctetur tantum ad clypeum. Stat. 2. Theb. pro humero poſuit, nam de Tydeo, *clypeum non ſuſtinet umbo.* nam videlicet jam defeſſus Tydeus. Idem lib. 6. pro ſaxo, quod eſſe ſolet terminus agricolis. Verba ejus:

—— *hinc ſaxeus umbo*
Arbiter agricolis finem jacet inter utrumque.

Idem in Achill. pro rupe maris, eo verſu,

—— *undiſonæ quos circuit umbo Maleæ.*

Inde & pars illa veſtis, quæ exit ad pectus cum tumore *umbo* etiam dicitur, quo ſenſu accepit Perſ. Sat. 5. & Tertull. lib. de Pallio bis. *Cerda.*

885. *Ter circum.*] Enarravit quid eſſet, *ingenti gyro.* Servius.

Lævos equitavit in orbis.] Secundum artem militiæ. nam eques ſtans facillime ſuperatur à pedite. In lævam partem autem ideo circumibat, ut Æneæ dextram circumveniret, quæ utique nuda erat. *Idem.*

886. *Ter ſecum Troïus heros, &c.*] Quoties *Mezentius* circumiit Æneam gyris, toties *heros Troïus* occurrit ſcutum objiciens, quod jaculis jam fuerat infinitis inſertum, & ſilvæ faciem præferebat. *Donatus.*

887. *Circumfert tegmine ſilvam.*] Ab hac

Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere, & urguetur pugna congressus iniqua;
Multa movens animo jam tandem erumpit, & inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam:
Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.

Cla-

hac Musa Valer. lib. 6.

Septeno validam circumfert tegmine molem.

Ab eadem suam ditavit Stat. bis, nam lib. 5. Theb. de serpente occiso ab Apolline,

—— donec tibi Delia fixus
Vexit arundineam centeno robore silvam.

& lib. 8. loquens de Tydeo,

—— densis jam consitus hastis
Ferratum quatit umbra nemus. ——

Quint. Serenus dixit *silva capilli* ad densitatem comarum explicandam. *Cerda.*

888. *Tot spicula tædet.*] Hic ostendit quid sit, *figitque volatque.* Servius.

Spicula vellere.] Non videlicet ferrum inflectebatur in ipso scuto, hoc si esset, non evelleret. Erat sane pugnantium ars, ut tela post transfixos hostiles clypeos plicarentur inflecterenturque; ut ita dependentibus hastis gravarentur, qui gestabant clypeos, illosque abjicerent, & nudis essent corporibus ad ictus excipiendos. Hoc genus belli habes apud Plut. in vita Camilli, quæ res salutem attulit Romanis, exitium Gallis. *Cerda.*

889. *Pugna iniqua.*] Pedes contra equitem. *Servius.*

890. *Multa movens.*] Utrum in ipsum, an in equum tela torqueret: quo vulnerato Mezentius carebat effugio. *Idem.*

Inter tempora.] Id est, in frontem. *Idem.*

Bellatoris equi.] Per quem bellum geritur. aliter hominem dicimus bellatorem, qui bellum gerit. *Idem.*

892. *Tollit se arrectum quadrupes, &c.*] Τὸν ὀρθοπλῆγα Græcorum expressit. Grammatici: ὀρθοπλὴξ ἵππος ἐπαιρόμενος, καὶ πλήσσων. qui arrectum equus se tollit est ὀρθοπλήξ. Non tamen semper cernuant, qui in altum sese erigunt equi. Hæc quippe invicem contraria sunt ὀρθοπλὴξ & *cernuus.* Est ubi utrumque faciunt equi, postquam in sublime sese erexere, mox cadunt cernui. Exercit. Plin. pag. 894. *Salmasius.*

894. *Implicat.*] Impedit. *Servius.*

Cernuus.] *Cernuus* dicitur *equus*, qui cadit in faciem, quasi in eam partem cadens, quam cernimus. Unde & pueros, quos in ludis videmus ea parte qua cernunt κυβιστῶντες, *cernui* vocantur: ut etiam Varro in ludis theatralibus docet. *Servius.*

Incumbit cernuus.] Verbum *incumbere* à Græcis oriundum est auctore Scalig. l. 4. c. 16. & sonorum est ac grande, & sæpe à P. usurpatum. κύμβαχος enim *cernuum* significat: quod verbum hic apponitur, ut illud explicaretur. Sensus est: Mezentio ejecto pronus incumbit sonipes cadens in armum. Porro *cernuus* & *cernulus* in Lexico antiquo exponitur *petaurista*: & *Cernuare* πιλαυρίζειν, Varroni est, *se in caput jacere*, κυβιστᾶν. Vide Turneb. lib. 28. cap. 23. *Taubm.*

Cernuus.] Nonius: *Cernuus dicitur proprie inclinatus, quasi ad terram cernat.* ubi præter hunc Virgilii locum duo quoque alia Lucilii citat. Vide etiam Gerard. Jaon. Vossium in Etymolog. *Emmeness.*

895. Cla-

Clamore incendunt cælum Troësque Latinique.
Advolat Æneas, vaginaque eripit ensem,
Et super hæc: Ubi nunc Mezentius acer, & illa
Effera

895. *Clamore incendunt cælum.*] Implent. Et abusive dixit. *Servius.*

Clamore incendunt cælum.] Qui agnoscunt κατάχρησιν, id est, *abusionem*, ut hic *accendere*, aut *incendere* sit idem, quod *implere*, non placent. Nec testimonia Lucretii, quæ Gifan. advocat, id probant. Nam illud lib. 3.

Motibus accensus nobis per viscera sensus,

cur non capiatur de igne? & adhuc melius illud lib. 5. ubi de Sole,

Anticipat cælum radiis accendere tentans.

Itaque, nescio cur in utroque testimonio explicetur Lucretius *accensus*, id est, completus. & *accendere*, id est, complere. Aliter Virgilium explico. Nulla est κατάχρησις. Vere aër constipatus vaporibus, extenuatur, & fit rarior clamoribus & tinnitibus cymbalorum. Hæc vero extenuatio aëris proxima est dispositio ad calorem. Ac proinde dici aër potest accendi vocibus, accedente præsertim fervore clamantium, & veluti ignitis pectoribus aërem incendentium. Nam Stat. in fletu pro defuncto Archemoro dixit, *accenso clamore*; quod videlicet Calab. lib. 3.

Ἠχὴ δ᾽ ἄσπετος δι᾽ αἰθέρος ἀκαμάτοιο·

Surgebat ingens clamor per indefessum ætherem.

Est etiam alia solutio. Dicimus alicujus animum *incendere*, cum illum impellimus, commovemusque ad rem aliquam. Sic ergo dicetur *aër incendi vocibus*, nam clamoribus percutitur, agitatur, fluctuat. Plut. in vita Pompeji: ὅταν ἐν τῷ ἀέρι σάλον καὶ κῦμα ποιήσῃ, πολλὴ δ᾽ ἰσχυρὰ φερομένη, id est, φωνὴ, nam de ea loquitur. Lege illum, quærit enim ibi causam, cur aves è cœlo decidant, excitato hominum clamore. *Cerda.*

Troësque.] Hoc est Trojani; Gaudio. *Servius.*

Latinique.] Scilicet dolore. *Idem.*

Latinique.] Versus ex studio hypermeter ad significandum clamorem illum productum in longum. *Cerda.*

896. *Advolat Æneas.*] Multi hæc nolunt distingui, quasi simul fiant. *Servius.*

897. *Ubi nunc Mezentius acer, &c.*] Ita 8. Iliad. πῇ ἔβαν εὐχωλαί; Et l. 13.

—— πῇ τοι ἀπειλαὶ
Οἴχονται, τὰς Τρωσὶν ἀπείλεον υἷες Ἀχαιῶν;

Et lib. 5.

Ἕκτορ πῇ δή τοι μένος οἴχεται, ὃ πρὶν ἔχεσκες;

Et lib. 20. Apollo ad Ænean,

—— πῇ τοι ἀπειλαὶ,
Τὰς Τρώων βασιλεῦσιν ὑπίσχεο οἰνοποτάζων;

Similis locus Calab. lib. 1. ore Penthesileæ,

Πῇ νῦν Τυδείδαο βίη; πῇ δ᾽ Αἰακίδαο;
Πῇ γ᾽ Αἴαντος; τοὺς γὰρ φάτις ἔμμεν ἀρίστους.

Apud Nonnum lib. 30. reprehendens Bacchum Deus alius ita increpat,

Πῇ σέθεν ἄλκιμα θύρσα, καὶ ἀμπελόεντες ὀϊστοί;

Non abit insultatio illa in Telephum jam sanie putridum, & simulacrum hominis, non hominem, è l. 4. Epigr.

Οὗτος ὁ Τευθρανίας πρόμος ἄγριος, οὗτος ὁ τὸ πρὶν
Τήλεφος αἱμάξας φρικτὸν Ἄρη Δαναῶν.

Cur non libem aliquid ex Latinis? Ovid. 13. Metamorph.

Hostis ubi est Ajax? ubi sunt ingentia magni
Verba viri? ——

Lucanus Curioni mortuo ita insultat lib. 4.

Quid nunc Rostra tibi prosunt turbata forumque?

Lege reliqua. *Cerda.*

898. *Contra*

Effera vis animi? contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit cælum, mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in cæde nefas. nec sic ad prœlia veni,
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro;
Corpus humo patiare tegi. scio acerba meorum

Circum-

898. *Contra Tyrrhenus ut auras.*] In aliquot codicibus & legitur: quod non ita placet. *Pierius.*

899. *Hausit cælum.*] Hoc est, aërem. Lucretius, *In hoc cælo, qui dicitur aër.* & hoc dicit, postquam respiravit, & mentem recepit, post turbationem ex equi venientem ruina. *Servius.*

Hausit cælum.] Est hoc, quod l. 4. de moriente Regina Carthaginis, *Quæsivit cælo lucem.* & sup. de moriente Anthore, *cælumque aspicit.* Sed credo in Mezentio alium signari affectum, & notari verbum *ἀντοφθαλμεῖν*, *oculos contra attollere*; quod audacibus dat Polyb. lib. 3. Ait enim, *πρὸς αὐτοὺς ἀντοφθαλμεῖν ἐτόλμα.* Non est hoc alienum ab hoc loco, si quis circumstantias consideret à persona Mezentii, ut dicatur cœlum respectasse cum furore. *Cerda.*

Mentemque recepit.] Hom. Iliad. 22.

Ἡ δ' ἐπεὶ οὖν ἄμπνυτο, καὶ ἐς φρένα
θυμὸς ἀγέρθη·
*Sed ut respiravit & revocatus est in
mentem animus.*

Calab. lib. 3. *ἐν φρεσὶ θυμὸς βαιὸν ἀνέπνευσεν· in mentibus animus nonnihil respiravit.* Et recepit quidem mentem, quasi prius σφαδάζων fuisset, καὶ δυσθανατῶν. Homer. 4. Iliad.

Ἄψορρον οἱ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀγέρθη·
Iterum illi animus in pectora est revocatus. Idem.

900. *Hostis amare.*] Aspere. Et hoc Homeri est de telo dictum, quod hic ad hominem transtulit. Ille enim ait Πικρὸν ὀϊστόν. *Servius.*

901. *Nullum in cæde nefas.*] Mori viro forti nefas non est. Ergo, aut nihil acerbi in morte se passurum ait, aut nihil nefandum Æneam commissurum, si se volentem interfecerit, quia mori decreverit, si mortem filii non valuisset ulcisci. *Idem.*

Nec sic ad prælia veni.] Hoc est, ut vincerem, aut victus mortem deprecarer, Ergo libenter occumbo. Nec ego sic ut vincerem veni: hoc est, cum voluntate recumbo.* *Idem.*

902. *Hæc pepigit mihi fœdera Lausus.*] Hoc est, non cum hoc pacto à te Lausus recessit, ut ego vitam requiram. *Fœdera* autem *pepigit*, per translationem dixit: id est, sic non pugnavit Lausus, ut ullum mihi vitæ relinqueret desiderium. *Idem.*

903. *Per, si qua est, &c.*] Vide supra lib. 2. Æn. vs. 142. *Emm.*

Veniam.] Beneficium, ut, *Orantes veniam.* Servius.

904. *Corpus humo patiare tegi.*] Verebatur enim, ne cives ex veteri odio in ejus cadaver nimis sævirent. *Donat.*

Corpus humo patiare tegi.] Hoc unum enixe, nihil aliud petit apud Soph. Ajax ab Jove, & reddit rationem,

Καὶ μὴ πρὸς ἐχθρῶν τοῦ κατοπτευθεὶς
πάρος
Ῥιφθῶ κυσὶ πρόβλητος, οἰωνοῖς θ' ἕλωρ.

Eadem omnino Mezentii est ratio: vult sepeliri, quia scit concitata in se multorum odia. Hoc idem contendit ab Achille Hector jam prostratus:

Λίσσομαι ὑπὲρ ψυχῆς, καὶ γούνων, καὶ
τοκήων,
Μή με ἔα παρὰ νηυσὶ κύνας καταδάψαι
Ἀχαιῶν. *Cerda.*

Corpus humo, &c.] De hoc naturæ

 & Me-

Circumstare odia: hunc (oro) defende furorem:
Et me consortem nati concede sepulcro.
Hæc loquitur, juguloque haud inscius accipit ensem,
Undantique animam diffundit in arma cruore.

& Mezentii affectu prolixe J. C. Scaliger l. 3. c. 19. Poët. *Taubm.*

Acerba meorum.] Quasi hoc de Ænea non senserit. *Servius.*

Meorum.] Addit *odia*, quod nemo expectaret. Probe Sen. Rhet. Cont. 7. *Magnis sceleribus jura naturæ intereunt.* Nihil ergo mirum si Mezentium sui odio haberent, propter *infandas cædes*, & *facta Tyranni effera*, ut habetur l. 8. *Cerd.*

905. *Hunc (oro) defende furorem.*] Inimicorum iram & post fata sævire cupientem. *Defende* autem est prohibe: ut, *Dum teneras defendo à frigore myrtos.* Et bene petit ab Ænea sepulturam, quod scit eum ultro concedere, ut probavit in filio: petit autem non de ejus pietate dubitans, sed timens iram suorum. *Servius.*

Defende furorem.] Prohibe. Statius lib. 1. Theb. ℣s. 409.
— *haud passi sociis defendere noctem culminibus.* id est, *prohibere injuriam tempestatis non passi sunt*, ut explicat Lactant. Noster sup. Ecl. 7. ℣. 47. *Solstitium pecori defendite.* quem locum vide. *Emm.*

907. *Haud inscius.*] Liptotes figura est. non enim dixit non ignarus, sed expectans omnibus votis: ut, *Munera nec sperno*: id est, libenter accipio. In hac autem figura plus cogitatur, quam dicitur: *Servius.*

Juguloque haud inscius ac. ensem.] Animo & habitu gladiatorio sciens præbuit jugulum. Quod in arena dicebant, *Ferrum recipere.* Seneca, de Tranquillit. *Morieris expeditius, qui ferrum non subducta cervice, nec manibus oppositis; sed animose recipis.* Et qui hoc faciebant, fortiores habebantur. Videatur Lipsius Saturnal. lib. 2. cap. 22. & Turneb. l. 4, 18. Adversar. *Taubm.*

908. *Undantique animam diffundit in arma cruore.*] Ordo est. In arma undanti cruore animam diffundit, cujus sedem plerique sanguinem volunt esse. & sic est dictum hoc, quomodo illud, *Una eademque via sanguis animusque sequuntur.* Servius.

Undantique animam, &c.] Non oportet, confugias ad opinionem eorum, qui dicebant, sanguinem esse animam. Sic accipienda illa Senecæ epist. 76. *Scit sua nihil interesse, utrum anima per os, an per jugulum exeat.* Indicat certe opinionem Ethnicorum, qui putabant nihil esse aliud animam, quam sanguinem. *Cerda.*





C. Appelmans. fecit.

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER UNDECIMUS.

ARGUMENTUM.

Occiso Mezentio, victor Æneas Marti tropæum erigit. Pallantis mortui corpus magna pompa apparatu, ad Euandri urbem remittit; ubi summo & patris & suorum omnium luctu excipitur. Interim oratores à Latinis missi, dierum 12 inducias impetrant: quo temporis spatio utrique suorum cadavera perquirunt, supremoque sepulturæ honore prosequuntur. Eodem quoque tempore Venulus, quem sub belli initium legatum ad Diomedem miserant Latini, ad suos rediens, auxilia sibi denegata renunciat. Ea spe destitutus Latinus, consilio convocato, de summa belli consultat, legatosque de pacis conditionibus ad Æneam mittendos censet. Ibi Drances & Turnus, pro inveterato inter ipsos odio, se mutuis conviciis proscindunt. Interim Æneas bipartito divisis copiis, levis armaturæ equites planis itineribus ad urbem præmittit: ipse cum reliquo exercitu per loca silvis montibusque impedita, ad editiorem oppidi partem contendit. Cujus rei nuncio Laurentum perlato, concilium dimittitur: paranturque ea quæ ad urbis defensionem putantur pertinere. Turnus, cognito per exploratores Æneæ consilio, bifariam & ipse suas copias partitur. Equitibus Messapum & Camillam præficit, eosque hostium equitibus opponit: ipse cum peditibus angustias, qua necessario Æneæ ad urbem iter erat, breviori itinere occupat, atque ibi in insidiis subsistit. Interim equestre prælium committitur, diuque dubio utrinque eventu pugnatur. Ibi Camilla, magna prius edita hostium strage, dum Chloreum Cybeles sacerdotem, armorum ejus pulchritudine capta incautus sequitur, ex insidiis ab Arunte hasta trajicitur. Quam tamen sacræ virginis cædem Arnus non diu tulit inultam: nam & ipse paulo post ab Opi Dianæ ministra sagitta trajectus, offensi numinis pœnas persolvit. Camillæ nece consternati Rutuli, fugam arripiunt. Trojani urbis oppugnationem parant. Ejus calamitatis nuncio ab Acca Camillæ comite ad Turnum perlato, relictis quas obsederat angustiis suis, auxilio accurrit. Eodem subsequitur & Æneas, &, quoniam imminente jam nocte prælium committi non poterat, utrique positis ante urbem castris considunt.

OCeanum interea surgens Aurora reliquit.
Æneas, quamquam & sociis dare tempus humandis
Præ-

1. *OCeanum interea surgens Aurora reliquit.*] More suo prætermisit noctis descriptionem, quam transisse indicat præsens ortus diei: & hoc est quod ait Horatius, *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.* Quæ enim naturalia sunt, omnibus patent. *Surgens* autem quæ surrexit ἀνὰ & κτ. *Servius.*

2. *Æneas, quanquam & sociis dare tempus humandis.*] Consuetudo Romani fuit, ut polluti funere, minime sacrificarent. Si tamen contingeret, ut uno eodemque tempore funestaretur quis, & cogeretur operam dare sacrificiis, elaborabat, ut ante sacra compleret, quam funus agnosceret. Unde etiam Horatius Pulvillus in Capitolii dedicatione cum ab inimicis ei filius nuntiaretur extinctus, ut quidam putant falso, ut alii pro vero, ait *Cadaver sit*: nec voluit funus agnoscere donec templa dedi-

Præcipitant curæ, turbataque funere mens est,
Vota deûm primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis
Con-

dedicaret. Secundum quem ritum etiam Æneas inducitur ante operam dare sacrificiis: & sic ad sociorum & Pallantis sepulturam reverti. *Serv.*

Quanquam & sociis dare tempus humandis.] Sunt qui *et* particulam summoveant, &, *quanquam sociis* legendum velint. Verum sententiæ numerique concinnitas, & veterum omnium codicum consensus castiorem esse lectionem indicant, *quanquam & sociis.* & ita prius erat in Mediceo, nunc *et* inde abrasum. *Pierius.*

3. *Præcipitant.*] Urgent. Longam enim dilationem sepultura non patitur. Sane cum *quanquam* præmisisset, non intulit *tamen*, ut alibi, *Libertas quæ sera tamen respexit inertem*: cum *tamen* dixerit, non præmisit *quanquam.* *Dare* vero *tempus*, relinquere, id est ut breve, & habet emphasim propter multitudinem negotiorum. * *Servius.*

Præcipitant curæ.] Lucan. lib. 5. *Præcipitantque suos luctus.* Stat. 7. Theb. *præcipitet pugnas.* Est hoc, quod Ovid. 8. Metam. *nec plura finit tempus.* Cerda.

Turbataque funere mens est.] Funere Pallantis. κατ' ἐξοχὴν. nam est hæc consuetudo apud poëtas, ut à plebe segregent duces. Sic paulo post ait, *Interea socios inhumataque corpora terræ Mandemus.* & intulit segregans *Mœstamque Euandri primus ad urbem Mittatur Pallas.* Sic dictum est, *Relliquias Danaûm, atque immitis Achilli.* Item, *Forsitan & Priami fuerint quæ fata, requiras.* Servius.

4. *Vota deûm.*] Recte diis consecrat ejus arma, qui deos semper contempsit. *Donatus.*

Primo victor solvebat Eoo.] Antequam luctum subiret & funeraretur. *Primo* autem *Eoo*, subaudimus tempore. nam Græce ἠὼς dicitur, quam nos Auroram vocamus. Homerus ait, [illegible] ἠὼς: quod nomen Latini traxerunt per derivationem, ut dicerent, *Et latus Eois Eurus equis.* Item, *Eoasque acies.* Sane, ut etiam supra diximus, in hoc sermone prima syllaba naturaliter longa est: sed cum opus fuerit, corripitur *Eos*, aut licentia nominis proprii, aut quia eam vocalis sequitur. *Servius.*

5. *Ingentem quercum.*] Hæc arbor, ut plurimum, assumpta ad excitanda trophæa. Sidon. Paneg. Majorian. de hac re loquens, *& quercum captivo pondere curvet.* & Anth. *quercusque trophæis Curva tremit.* Stat. 2. Theb. in quercu trophæum statuit. Claud. 1. Ruff. *vestita spoliis donabere quercu.* & 2. Stil.

Ditibus exuviis tendentem ad sidera quercum.

Ita & Romulus Acronis arma, & Marcellus Britomartis opima suspendunt in quercu. Demum Virgil. 10. Æneid.

Hæc arma, exuviasque viri tua quercus habebit.

Dixi, ut plurimum: nam saltem ex Romano more. Certe Claud. 3. Rapt. abietem vestit spoliis Enceladi. & Græci aliud genus trophæi habuerunt. Aristophanis interpres in Plut. ἐστὶ δὲ τρόπαιον ὃ ἐν ταῖς νίκαις οἱ παλαιοὶ ἐποίουν, τοῖχον, ἢ λίθον μέγαν ἱστάντες. Denique erecta trophæa in hastis duabus, longiore una, breviore altera, efformatis in modum crucis. Inde proprie & vere Tertull. Apolog. *Sed & victorias adoratis, cum in trophæis cruces intestina sint trophæorum.* Quia crux formata intus latebat, ut latent intestina in corpore, & foris ostentabat militaria spolia. Et nota dici quercum *ingentem.* Nam huic gloriæ semper quærebatur arbor maxima. Plut. in trophæo Romuli, δρῦν ὑπερμεγέθη, & Stat. 2. Theb. eligit quercum, quæ *jamdudum oblita juventæ*, id est magni jam senii. *Cerda.*

Decisis undique ramis.] Sueton. in Calig. cap. 45. *truncatisque arboribus, & in mo-*

Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezentî ducis exuvias; tibi, magne, tropæum,
Bellipotens: aptat rorantis sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Per-

in modum trophæorum adornatis. Juvenal. Sat. 10.

Bellorum exuviæ truncis affixa trophæis.

Prudent. 2. Sym. ait, suspensa fragmina telorum cuidam *trunco.* Idem.

6. *Constituit tumulo.*] In colle: quia trophæa non figebantur, nisi in eminentioribus locis. Sallustius de Pompejo, *Devictis Hispanis, trophæa in Pyreneæ jugis constituit.* Ex quo more trophæa arcubus exædificatis in urbibus figuntur. Ideo autem nunc trophæum ponit Æneas, quia necdum plenam est victoriam consecutus: sed occiso Mezentio fugavit exercitum. plena victoria enim, ut supra diximus, triumphus debetur. Et persolvit vota vel propter tanti ducis interitum, vel quia fas erat etiam de primitiis belli sacrificare. *Tumulo* autem deest *in*, id est in tumulo. *Servius.*

Induit arma.] Ut *indutosque jubet truncos hostilibus armis*, sine nomine. *Idem.*

Induit arma.] Nota copiam, *induit, aptat, subligat, suspendit.* Stat. 2. Theb. *inserit.* nam *subligat* à Nostro accepit. Ab eodem Claud. 1. Ruff. Prudent. 2. Symm. *suspendit.* & Claud. 1. Ruff. *vestita quercu* dixit, quia Noster *induit*, & inf. *indutos truncos.* Sed notanda copia ejusdem Claud. 3. Rapt. qui in hac re mire exultat. Nam, *posuisse cruentam Ægida, silva exuviis superbit, victoria vestit nemus, dependent tergora, affixæ facies truncis, arbor spoliis exultat, arma sustinet, ornatur, gestat.* Demum:

Nullaque non magni jactat se nominis arbor.

Sed nemo sanus præferat hanc copiam Virgilianæ sobrietati. *Cerda.*

7. *Exuvias.*] Πανοπλίαν Mezentio detractam. Vide Alex. ab Alex. l. 2, 22. *Taubmannus.*

Tibi, magne tropæum, Bellipotens.] Videtur interrupta descriptio. Hoc per parenthesim dictum est & prosphonesin, & post reddita: *magne* autem *bellipotens* antonomasia per duo epitheta sine nomine. *Servius.*

8. *Aptat.*] Apta locat, & congrue ponit vel figit, ut *Aptatque superbis Postibus.* Idem.

Aptat rorantes sanguine cristas.] Cum hic sit locus imitationis, adducam aliquos, qui similia. Juven. Sat. 10.

Bellorum exuviæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendens.

Stat. 2. Theb.

Huic læves galeas, perfossaque vulnera crebro
Inserit arma ferens. huic truncos ictibus enses
Subligat, & tinctas membris spirantibus hastas.

Claud. 3. Rapt.

—— Phlegræis silva superbit
Exuviis, totumque nemus victoria vestit.
Hic patuli rictus, hic prodigiosa Gigantum
Tergora dependent, & adhuc crudele minantur
Affixæ facies truncis. ——

Cerda.

9. *Telaque trunca viri.*] Id est, perfracta: ita enim in trophæis poni consueverunt. Juvenalis, *Et fracta de casside buccula pendet, Et curtum temone jugum, victæque triremis Aplustra.* Vel *trunca tela*, quæ de suo clypeo legeret. Ideo enim *trunca*, quod in evellendo præfracta. *Servius.*

Et bis sex thoraca petitum Perfossumque locis.]. Duodecim vulneribus appetitum: quia, ut supra diximus, totius Tusciæ populus in duodecim partes fuit divisus: ut, *Gens illi triplex, populi sub*

Perfossumque locis: clipeumque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum, sic incipiens hortatur ouantis:
Maxima res effecta, viri. timor omnis abesto.

Quod

quaterni, qui singulis Lucumonibus parebant. Moris autem fuit ut interemptos duces omnis vulneraret exercitus. Sicut etiam de Hectore Homerus commemorat,

Οἳ καὶ θηήσαντο φυὴν, καὶ εἶδος ἀγητὸν
Ἕκτορος· οὐδ' ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρέστη.

Unde est, *Quæ circum plurima muros Accepit patrios.* Non ergo ab Ænea, sed ab his, qui *Uni odiisque viro telisque frequentibus instant*, quod ostendit Mezentius, cum sub Æneæ telis iaceret. Scio acerba tuorum circunstare odia, neque enim hoc in illo momento periculi meminisset, nisi eos cerneret imminere. *Serv.*

Bis sex.] Quanta vis fuit istius, qui duodecim plagis occidi non potuit? nam in aperto iugulo periit. *Donatus.*

Bis sex thoraca petitum.] Cæsar l. 3. bel. civ. *scuto ad eum relato Scævæ centurionis, inventa sunt in eo foramina ducenta triginta*: ut Epig. ἀσπὶ διὰ πολύτρητον. Servius notat moris fuisse veteribus, ut interemptos duces omnis vulneraret exercitus, ex illo Homeri de Hectore, οὐδ' ἄρα οὔ τις ἀνουτητί γε παρέστη, & proinde à gente Thusca Lucumonibus parente duodenis vulneribus in cadaver Mezentii sævitum: cui ego sententiæ assentiri non possum, cum ad laudem Mezentii Æneæque pertinuerit, potius vivum pugnantemque Mezentium tot in armis & corpore vulnera accepisse: quæ interpretatio superiori Cæsaris loco convenire etiam videtur. *Germ.*

10. *Clipeumque ex ære.*] Figuratius, quam si *æreum* diceret, ut alibi, *Cui pharetra ex auro.* Servius.

Clipeumque ex ære.] Reddita forma armati hominis. Ideo clypeus ad sinistram arboris, ensis ad collum militari more. Nam baltheus collo appensus, & inde ensis dimittebatur ad latus, Hanc formam armati hominis firmant verba Minutii hæc: *Trophæa vestra victricia, non tantum simplicis crucis faciem, verum & adfixi hominis imitantur.* Nam nimirum adfixa arma in cruce adfixi hominis figuram exhibebant. *Cerda.*

11. *Ensem collo suspendit eburnum.*] Vaginam eburneam. Sane *ebur*, *eboris* facit, non *eburis*, sicut *murmur*, *murmuris*. Unde quia in principalitatis declinatione varietas invenitur, etiam derivatio varia est. nam *eburneus* facit ab eo quod est *ebur*: *eboreus* ab eo quod est *ebor eboris*. *Collo* autem, id est, de collo: Paulatim de trunco arboris humanam figuram fecit, ut & sinistram illi der, & collum, quod valde quæritur an bene. *Servius.*

Ensem eburnum.] Ensem in vagina eburnea: vel ἐλεφαντόδετον ξίφος indicat, gladium ebore revinctum. *Taubm.*

12. *Stipata tegebat Turba ducum.*] Retuli ad dignitatem Principis Æneæ. Comitatum hunc Principum δορυπομπὴν vocat Artem. lib. 1. cap. 79. Idem lib. 2. cap. 3. χρὴ γὰρ τὸν ἔχοντα πορφύραν, πάντως δορύφορημα, ἢ στέφανον ἔχειν, καὶ πολλοὺς ἀκολούθους, καὶ φύλακας. Sic Coriolanum καθεζόμενον μεθ' ὄχλου Plutar. inducit ad ostentandam auctoritatem. Philo περὶ τῶν δεκ. λόγ. meminit πλῆθος θεραπόντων, ad indicandum fastum Principum. *Cerda.*

14. *Maxima res effecta viri.*] Occiso tanto duce: simul etiam trophæi ostenditur caussa. Et verecunde cum ipsius opus sit, impersonaliter ait:

Abesto.] Absit: nam tertia persona est. *Idem.*

15. *Quod*

Quod supereſt; hæc ſunt ſpolia, & de rege ſuperbo
Primitiæ: manibuſque meis Mezentius hic eſt.
Nunc iter ad regem nobis muroſque Latinos.
Arma parate animis, & ſpe præſumite bellum:

Ne

15. *Quod ſupereſt.*] De reliquo: & eſt abſoluta elocutio. ut, *Quod ſupereſt læti bene geſtis corpora rebus.* Serv.

Quod ſupereſt.] Deinceps: τὸ λοιπόν· *de reliquo*: Lucretianum, ut notat Giſan. *Taubm.*

Et de rege ſuperbo Primitiæ.] Aut hoc dicit, primitiæ iſtæ, quas fecimus, non de plebe ſunt, ſed de rege ſuperbiſſimo. Aut certe regem ſuperbum Turnum accipiamus. nam de ipſo legimus, *At Rutulum abſceſſu juvenis cum juſſa ſuperba Miratur*: ut ſit ſenſus, Hæc ſpolia & hanc primam belli partem ſuperbo Turno ſuſtulimus: Nam hoc epitheton proprium Turni eſt, quod ei Virgilius pro ingenti dat ſcelere. Apud majores enim ſuperbia ingens facinus fuit, adeo ut Tarquinius pro multis ſceleribus *Superbi* nomen acceperit. *Servius.*

Spolia & primitiæ.] Acute vidit Paſſeratius, Poëtam ἀκροθίνια notare; quæ & *Spolia* & *frugum primitiæ* ſignificant. Et poteſt videri alluſiſſe ad impietatem Mezentii, qua Rutulis imperavit, ut ſibi offerrent primitias, quas diis ſolebant. Ob quam rem & *divum contemtor* potiſſimum vocatus exiſtimatur Macrobio l. 3. c. 5. *Taubm.*

Superbo.] Latinos hanc vocem accepiſſe à Græca voce ὑπέρβιος monuit Henric. Steph. Latini enim incipientibus ab aſpirata addunt litteram ſibilantem. ſic ὗς, *ſus*, & infinita. *Cerda.*

16. *Manibus meis.*] Id eſt, virtute. Locutio Latii crebra. Propert. de Hercule Eleg. 10. lib. 4. *manibus purgatum ſanxerat orbem.* Idem.

Mezentius hic eſt.] Pro talis eſt. ut, *Hunc ego te, Euryale, aſpicio?* Id eſt, talem; & utrum per contemptum, an per commendationem hoc pronuntiandum? *Servius.*

Mezentius hic eſt.] Moris fuit in trophæis affigi nomina illorum, de quibus trophæum erigebatur, quod poſtea firmabo ad illud, *inimicaque nomina figi.* titulus itaque hujus trophæi fortaſſe fuit, *Mezentius hic eſt.* Nam τὸ *hic eſt* ſapit titulum, accedente Ovid. in epiſt. Phyll.

Hæc tua poſt illos titulo ſignetur imago;
Hic eſt, cujus amans hoſpita capta dolo eſt. Cerda.

17. *Nunc iter ad regem.*] Non enim vult tum eſſe conſultandum de bello, cum prælium erit gerendum. *Donatus.*

Nunc iter ad regem.] Imitatio clara Hom. Iliad. 22. ubi Achilles, interfecto Hectore, monet, eundum contra urbem Priami. Locum, ut longum, omitto. verſus ſignatior eſt,

Εἰ δ' ἄγετ', ἀμφὶ πόλιν σὺν τεύχεσι πειρηθῶμεν·
Eia agite, circa civitatem cum armis experiamur. Cerda.

Muroſque Latinos.] Bene quaſi hoc ſolum reſtet. & hoc dicit: Jam campeſtri ſuperavimus prælio: reſtat ut etiam obſidione vincamus. Credit enim quod ſibi jam aperte nullus occurrat: nec inaniter. nam & paulo poſt dicturus eſt Turnus, *Furta paro belli.* Et in duodecimo Latinus, *Vix urbe tuemur Spes Italas.* Servius.

18. *Arma parate animis.*] Aut Hypallage eſt, pro *armis parate animos.* aut certe eſt mutanda diſtinctio, ut ſit, *animis & ſpe præſumite bellum.* Idem.

Præſumite bellum.] Mente præoccupate. ut ſupra Turnus, *Et pugnam ſperate parati.* Bene autem ait *Præſumite*, quaſi rem jam ſui juris, ut ei deberi videatur certa victoria. *Idem.*

Spe præſumite bellum.] Non alio ſenſu Horat. Stat. 2. lib. 2. *præſumis molliciem.* & Tertull. de Anim. *Inferna ſupplicia præſumebas, & non præcavebas.* Plin.

Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
Adnuerint Superi, pubemque educere castris,
Inpediat; segnesque metu sententia tardet.
Interea socios inhumataque corpora terræ
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.

Ite,

Plin. lib. 25. c. 2. de Mithridate bibente quotidie venenum, *præsumptis remediis, ut consuetudine ipsa innoxium fieret.* Sen. epist. 105. *si spe cogitaveris, & futura præsumpseris.* Est, *spe præsumere*, προκαταλπίζειν. Vide, quæ ex Budæo Pont. Certe Pausanias προθυμίαν & ἐλπίζειν conjunxit in Attic. & Eurip. in Ione, προλάζυμαι τῷ χρόνῳ. *Cerd.*

19. *Ne qua mora.*] Ordo, ne qua mora impediat. *Servius.*

Vellere signa Annuerint superi.] Ne in mora sitis, cum captatis auguriis ad bellum exire cœperimus. *Vellere* autem proprie dixit, quia Romana signa figebantur in castris, & cum ad bellum eundum fuisset, captatis auguriis avellebantur è terra; nam alibi ea figi non licebat. Sed inter auguria etiam hoc habebatur, si avellentem facile sequerentur, adeo ut cum filio Orodis bello sit Crassus occisus, qui iturus ad Parthiam, avellere signa vix potuit. Quod etiam Flaminio contigit, qui cum imperasset signa tolli, eaque non possent moveri, effosso solo in quo erant fixa, vi magna extrahi præcepit, & infeliciter apud Trasyminam pugnavit: Alii *vellere* movere accipiunt. Ennius, *Rex deinde citatus Convellit sese.* & in sacris *convelli* mensa dicitur, cum tollitur. *Idem.*

Vellere signa.] Signa evelli non poterant, nisi captato augurio, & Diis faventibus. Itaque ait; ad annuentes Superos signa evellemus, non aliter. Nota vero annuentium erat, si signa facile evellentem sequerentur. Apud Sueton. cap. 13. Claudii, Camillo Scriboniano moventi in Claudium triste fuit omen, nam *neque aquila ornari neque signa convelli, moverique potuerunt.* Idem omen Flamminio Consuli apud Sil. lib. 5. accidit, ubi,

Signa etiam effusa certant dum vellere mole.

ubi *certant*, & *mole*, posita ad indicandam difficultatem. Cui loco cognatus Plut. in vita Gracchorum, ubi signum συνετρίβη, *diffractum est*, videlicet, τοῦ φέροντος ἐγκρατῶς ἀντεχομένου, *signifero magna vi obnitente.* Hæc enim difficultas orta ab renuente signo. *Cerda.*

20. *Adnuerint superi.*] Bene in adhortatione nihil se inauspicato, vel sine deorum voluntate facturum promittit, Ideo non dixit *jussero*, sed cum divi jusserint. *Servius.*

Annuerint superi.] Romanus codex familiari quodam errore Librarii *adnuerent* legit *i* litera in *e* mutata. Sed *adnuerint* vera lectio. *Pierius.*

22. *Interea socios.*] Donec tempus obsidionis adveniat. Et *Interea socios, inhumataque corpora terræ*, ἓν διὰ δυοῖν, pro *corpora sociorum.* Servius.

Interea socios, &c.] Cura magna olim erga interfectos in bello, & nescio qua ratione major quam erga alios. Hujus rei seges magna cum in multis, tum in uno Pausania maxima, ut cum ait Attic. cerni sepulcra illorum militum, qui περὶ Κόρινθον πεσόντες. &, τοῖς μὲν ἐν Εὐβοίᾳ τε, καὶ Χίῳ τελευτήσασι. Iterum, εἰσὶ δ᾽ ἐπ᾽ ἄλλη στήλη καὶ οἱ μαχεσάμενοι περὶ τὴν Θρᾴκην, καὶ ἐν Μεγάροις. Postea: ἐτάφησαν δὲ καὶ οἱ περὶ τὸν Ἑλλήσποντον ναυμαχήσαντες. *Cerda.*

Terræ mandemus.] Supra 9. *Mandet humo solita:* auferendi casu. *Germanus.*

23. *Qui solus honos Acheronte sub imo est.*] Hoc ideo intulit, quia in sexto de insepultis dixit: *Centum errant annos, volitantque hæc litora circum.* Palinurus Æneæ, *Portusque require Velinos Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.*

Et

Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus: mæstamque Euandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem

Abstu-

Et bene *Acheronte sub imo*, quia hæc res ad umbras tantum pertinet. Nam apud prudentes homines nullius momenti sunt ista. *Servius.*

Qui solus honos Acheronte sub imo est.] Pleraque vetera exemplaria *sub imo* absque verbo *est* legunt. Nempe, quia verbum id quibusdam tantum punctis in Codicibus manu scriptis notari solitum, fefellerit. Melius enim *sub imo est*. Pierius.

Cui solus honor, &c.] Hom. 16. Iliad. loquens de sepultura mortuorum, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. Repetit Iliad. 23. Quintil. declam. 328. de re mortuorum loquens, *Qui supremus claris civibus honor habetur.* Cerda.

Acheronte.] *Acheron* hic inferos significat, ut apud Plaut. Trin. act. 2. sc. 4. Vide Turneb l. 5. c. 7. *Taubm.*

24. *Ite, ait.*] Vitiose in media oratione, *ait*, positum Critici notant. *Servius.*

Egregias animas.] Ingenti arte laudat, potius quam misereatur extinctos, ut præsentium animos in bella succendat. *Idem.*

Egregias animas, quæ sanguine, &c.] Cognata huic loco & sententiæ verba Lysiæ in oratione funebri de Atheniensibus, qui prælio periêre μετὰ πλείστων πόνων, καὶ φανερωτάτων ἀγώνων, καὶ καλλίστων κινδύνων ἐλευθέραν μὲν ἐποίησαν τὴν Ἑλλάδα, μεγίστην δ᾽ ἀπέδειξαν τὴν ἑαυτῶν πατρίδα. Hoc quid est aliud, quam Virgilianum, *egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperêre suo?* Et ad exitum ejusdem orationis: προσήκει τούτους εὐδαιμονεστάτους ἡγεῖσθαι, οἳ τινες ὑπὲρ μεγίστων, καὶ καλλίστων κινδυνεύσαντες, οὕτως τὸν βίον ἐτελεύτησαν. Et addit, memoriam eorum debere esse immortalem, ἀγήρατοι μὲν αὐτῶν αἱ μνῆμαι. Aristid. in Panath. ait, Athenienses sanxisse, τῶν μὲν ὑπὲρ τῆς πόλεως τελευτησάντων, αὐτῶν μὲν ἐπαίνους ἐπὶ ταῖς ταφαῖς καθ᾽ ἕκαστον ἔτος λέγειν. Vide & Platon. in Menex. ubi multa in hoc argumentum. *Animam* vero, ut Nonius, hoc loco sumitur pro cadavere: vel juxta ea, quæ 6. Æneid. ubi pars animæ, quæ umbra dicitur, putabatur comitari cadavera sepultorum. Vel locutus Poëta κατὰ συνοικείωσιν, videlicet ex communicatione animæ & corporis. Itaque, quia corpus domicilium animæ, dicitur anima ipsa decorari sepultura, ut lib. 6. anima Palinuri, *nunc me fluctus habet*, certe corpus erat in fluctibus. *Cerda.*

Quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere.] Eleganter & hoc oratorie ad exhortationem audientium sumptum est, nam laus defunctorum viventium exhortatio est, & bene *patriam* ait, tanquam fiduciam gerit quasi vicerit. Sane cum hortatur socios, ut sepeliantur occisi, ipse defunctis velut Epitaphion dixit. *Servius.*

25. *Peperere.*] Fortasse ab Enn. apud quem Scipio African.

Desine Roma tuos hostes ——
Namque tibi monumenta mei peperêre labores.

Et lib. 16. Annal.

Non possunt mussare boni, qui facta labore
Militiæ enixi peperêre. ——

Cerda.

Supremis muneribus.] A Plutar. in vita Antonii dicuntur exsequiæ τιμαὶ τελευταῖαι. Ad hunc modum Eurip. in Orest. loquens de mortua Clytæmnestra, λουτρῶν πανυστάτοις, *extremis lavacris*. Quicquid enim fit in honorem mortuorum, *postremum* dicitur. *Idem.*

27. *Quem non virtutis egentem.*] Enni

Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.
Sic ait inlacrimans, recipitque ad limina gressum;
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acœtes
Servabat senior: qui Parrhasio Euandro
Armi-

nii versus est. *Egentem* sane nos ablativo jungimus. *Servius.*

Virtutis egentem.] Illustravi lib. 8. *Cerda.*

28. *Abstulit.*] De morte immatura. Ita Ovid. 10. Metamorph. *crescentesque abstulit annos.* Estque hoc, quod idem in eodem lib. dixit, *prima fraudate juventa.* Idem.

Atra dies.] Cal. lib. 3. *μόρος αἰνός.* Iam hoc alibi. *Idem.*

Funere mersit acerbo.] *Acerbo*, immaturo. translatio à pomis. *Servius.*

Funere acerbo.] Funera juniorum proprie *acerba* dici doctum est in Amphitr. act. 1. sc. 1. metaphora sumpta ab immaturis pomis: quo sensu & *Mors immitis* dicitur Tibullo. *Taubm.*

29. *Ad limina.*] Occulte morem tangit, quo cadaver ablutum, unctum, coronatum efferebant cubiculo, & in vestibulo ædium collocabant ad januam ipsam, & quidem pedibus in publicum versis, eo situ abitionem postremam significantes. Vide Lips. l. 1. c. 6. Elect. *Idem.*

30. *Corpus ubi exanimi positum Pallantis.*] In veteribus legere est *corpus ubi exanimum*, uti etiam superius: *Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.* Sed longe melius est, *Exanimi Pallantis.* quia *positum corpus* satis habet, absque alterius adjectivi inculcatione. *Pierius.*

Corpus Pallantis.] Hujus cadaver postea effossum, æquasse longitudine altitudinem mœnium Romanorum. Vide H. Turneb. *De vino*: Tomo 3. *Taubmannus.*

Positum.] Vox propria in re mortuorum. Pind. Od. 3. Pyth. *θέσαν σύγγονοι κούραν· cognati puellam posuerunt.* Lucret. de re hac lib. 3. *corpore posto.* Æneid. *sic, ô sic positum adfati discedite corpus.* Sub hac vero voce intellige mortuum compositum defunctorum apparatu, & jam aptum ad elationem. Omnino quod dixit Eurip. Med.

— *κατθανοῦσαν χεροῖν δὲ προστελεῖν.*

Sunt qui mutent versum hunc in modum,

Corpus ubi exanimum positi Pallantis.

Sed nemo mihi persuadet scienti frequentissimas & pulcherrimas Virgilii *ὑπαλλαγάς. Cerda.*

Positum.] Proprie: *κείμενον* Græcis; quibus & *πρόθεσις*, *Collocatio:* & *τίθεσθαι* verba sunt funebria. At G. Merula ex Interprete Terentii probat leg.

Corpus ubi exanimum positi P.

ut *Positus* idem sit, qui alibi *Situs*, id est, vita functus & sepultus. Lucan. l. 9.

Non illic auro positi, nec ture sepulti
Perveniunt.

Vetus inscriptio: HEIC. POSITÆ. GNATÆ. TRISTES. POSUERE. PARENTES. &c. *Taubm.*

31. *Servabat.*] Nota ritum, quo corpus non modo in vestibulo domus ad ipsum limen collocabant; sed collocationi etiam *custodem* apponebant. Vide J. Kirchm. l. 1, 12. *De Fun. R.* Idem.

Qui Parrhasio Euandro.] Arcadio à civitate Arcadiæ, quam Donatus vult à Parrha avi dictam: quod procedit, si *Parrha* nomen est Græcum: si autem Latinum est, stulte sensit. nam Græcum nomen etymologiam Latinam non recipit. Alii Jovis filium Parrhasium dicunt, qui habuit Arcadem filium, ex quo primo *Parrhasii*, post *Arcades* dicti sunt. Sane Arcadum genera fuerunt quatuor, Parrhasiorum, Mœnaliorum, Azanorum, Cynethorum. Alii non Exanas & Cythenos, sed Axanes & Cyneros dicunt * *Servius.*

32. *Felix*

Armiger ante fuit; sed non felicibus æque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnis famulûmque manus Trojanaque turba,
Et mæstum Iliades crinem de more solutæ.

Ut

32. *Felicibus æque.*] Hinc non felicitas comparatur, sed ut est illud, *Dii meliora piis*, non quia hæc bona sunt, sed bona optat. *Idem.*

33. *Comes.*] Noluit Poëta deesse Pallanti Regis filio, quod esset liberis aliorum Principum, scilicet morum institutor, & magister. Sic Ascanio Epitydem dedit 5. Æneid. Enituit hoc studium in Marco Imperatore apud Herodian. lib. 1. qui ad instituendum Commodum undique viros doctrina claros conjunxit. Sic Achilli datus Chiron 11. Iliad. ὃν χείρων ἐδίδαξε δικαιότατος Κενταύρων. Lege Suet. Aug. c. 89. & me ad librum 9. Æneid. ad illud:

Rectores juvenum, & primos dedit esse magistros.

Est & apud Græcos κόμης, idem qui & λαῶν ἄρχων, quod non dissidet à Principe Acete. A Græca voce κόμητας de nostris Regulis. *Cerda.*

Ibat.] Pro *ierat.* Servius.

Alumno.] Alumnus est, qui Græce τρόφιμος dicitur: quod nomen quia in Latinitate non est, ut ab eo quod est nutritor, inveniamus eum qui nutritus est, transiit ad nomen aliud, & *alumnum* dixit. *Idem.*

Alumno.] Sunt in eruditis, qui contendunt, sicut τρόφιμος *Nutritorem* & *Nutritum* significat, ita & *Alumnum* Latinis. Immo & active & passive *alumnum* capi, curiose contra Vallam docuit Cruquius ad Horat. 3. Oda 18. C. Barthius ad Ceirin, nos in Culicem. *Taubmannus.*

34. *Circum omnes famulumque manus, &c.*] In antiquis codicibus, *omnis* legitur. ut sit *omnis manus, turbaque omnis.* Pierius.

35. *Iliades crinem de more solutæ.*] Has Æneæ ancillulas intelligimus. nam omnes honestas matres, hoc est, mulieres nobiles in Sicilia remansisse dixit, excepta Euryali matre: de qua legimus, *Quæ te sola puer multis è matribus ausa Persequitur?* *Crinem* autem *solutæ*, figurate, ut *Palmis percussa lacertos.* Servius.

Et mæsta Iliades crinem de mo. so.] In vulgatis codicibus *mæstæ* nunc passim legitur. Sed in antiquis omnibus, quotquot habui, *mæstum* legi. Est enim & in habitu mœsticiæ significatum, ut non videatur incongruum dicere, *Solutæ mæstum crinem.* Pierius.

Et mæstæ Iliades, &c.] Attingit morem antiquitatis illius. Erant enim circa cadaver collocati defuncti feminæ lugentium habitu, ideo hic, *crinem de more solutæ*, id est, de more funerum. Sed jam ad firmamenta. Apud Calab. lib. 2. in luctu Auroræ erga Memnonem, sunt κοῦραι ἐϋπλόκαμοι δυώδεκα, *puellæ duodecim capillo decoræ.* In 3. etiam Æneid.

Et circum Iliades crinem de more solutæ. Quem versum dupliciter explicui, nec muto. In funere etiam Patrocli inducuntur δμωαὶ, id est, *ancillæ*, quæ θυμὸν ἀκηχέμεναι μεγάλ' ἴαχον, *animo afflictatæ alte ejulabant.* Statius aperte 6. Theb. in funere Archemori, *mollem famularum brachia planctum.* & apud Calab. libr. 3. circa cadaver Achillis sunt μογεραὶ λάτριδες, *laboriosæ ancillæ*, quæ

Ἱστάμεναι γοάασκον ἀμύσσουσαι χρόα καλόν,
Stantes lugebant, deformantes corpus pulchrum. Cerda.

Crinem de more solutæ.] Quis nescit hunc esse habitum lugentium? Lycophron loquens de Siculis,

Κρατὸς δ' ἄκουρος νῶτα καλλυνεῖ φόβην,

Ut vero Æneas foribus ſeſe intulit altis,
Ingentem gemitum tunſis ad ſidera tollunt
Pectoribus, mæſtoque inmugit regia luctu.
Ipſe caput nivei fultum Pallantis & ora
Ut vidit, levique patens in pectore vulnus
Cuſpidis Auſoniæ, lacrimis ita fatur obortis:

Tene

Μνήμην παλαιῶν πημελῶσ' ὀδυρμάτων·
Intonſa per tergum fluit capitis coma,
Doloris antiquis memoriam refricans.

Albinovan. ad Liviam,

Vidimus attonitum fraterna morte Neronem,
Pallida projecta flere per ora coma.

Parco, nam jam hoc tertia Æneide. *Cerda.*

36. *Ut vero Æneas foribus ſeſe intulit altis.*] Naturale enim eſt, ut intermiſſa lamenta repetantur, cum aliquis notus advenerit. Sic in Statio, ingreſſis ducibus denuo defletur Archemorus. *Serv.*

Ut vero Æneas.] Clarum, Servium reſpexiſſe ad verſus 6. Theb. hos,

——mox ut mœrentia dignis
Vultibus Inachii penetrarunt limina Reges,
Ceu nova tum clades, ut primo ſaucius infans
Vulnere lethaliſve irrumperet atria ſerpens.
Sic alium ex alio, quanquam laſſata, fragorem
Pectora congeminant, integratoque reſultant
Accenſa clamore fores.——

Sed rem hanc aliunde ego illuſtro. Philoſtratus in Heroicis ait, ingentem gemitum excitatum à Græcis, cum ingreſſi, ubi Ajax jacebat, ἀποθανόντα εἶδον, καὶ περὶ τῷ ξίφει κείμενον. Plutar. in funeratione Philopœmenis, ὡς οὖν συνανεμίχθησαν αὐτοῖς οἱ πρεσβύτεροι, μετὰ γυναικῶν καὶ παίδων ὀλοφυρμὸς ἤδη διὰ παντὸς ἐχώρει τοῦ στρατεύματος. Neque abit locus Juſtini lib. 19. *Inter hæc procedit inops è navi ſua Imperator ſordida ſervilique tunica diſcinctus, ad cujus conſpectum plangentia agmina junguntur.* Cerda.

37. *Tunſis pectoribus.*] Cal. lib. 3. loquens de fletu habito pro Achille mortuo ab puellis,

Στήθεα τ' ἀμφοτέρῃσι πεπληγυῖαι παλάμῃσιν,
Ἐκ θυμοῦ στενάχεσκον ἐΰφρονα Πηλείωνα·

Et pectora utraque tundentes manu,
Ex animo deflebant benevolum Pelidem.

Venus apud Ovid. 10. Metamorph. deflens mortuum Adonidem, *indignis percuſſit pectora palmis.* Prop. Eleg. 9. libr. 2.

Languida veſana verberat ora manu.

Idem.

39. *Nivei Pallantis.*] Late patet hoc epitheton. referri enim poteſt & ad candorem priſtinæ pulchritudinis, & ad pallorem ex morte venientem, & ad frigus, quod proprium mortuorum eſt: ut, *Corpuſque lavant frigentis & ungunt.* Servius.

40. *Levi in pectore.*] Pulchro, puerili, nondum ſetoſo. *Idem.*

Patens in pectore vulnus.] Amplum vulnus, & lethale intelligit. Amplum in voce *patens*, lethale, quia *in pectore.* Itaque, hoc eſt, quod Plut. in vita Craſſi dixit de Romanis, qui cadebant percuſſi jaculis Parthorum, ὑπὸ τραυμάτων μεγάλων καὶ καιρίων. Sed & τὸ *patens* eſt, quod Gr. (Germano notante) ἕλκος μύκον, ὠτειλὴ χαίνουσα. Stat. 8. Theb. dixit, *magna vulnera.* Cerda.

41. *Lacrimis ita fatur obortis.*] Tota ſententia de Ænea lacrymante ad viſum defunctum amicum deſumpta, credo, eſt ab Homero 18. Iliad. qui de Achille vidente Patroclum, ita,

Δάκρυα

Tene, inquit, miserande puer, cum læta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non hæc Euandro de te promissa parenti
Discedens dederam: cum me conplexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuensque moneret
Acris

Δάκρυα θερμὰ χέων, ἐπεὶ εἴσιδε πιστὸν ἑταῖρον
Κείμενον ἐν φερέτρῳ, δεδαϊγμένον ὀξέϊ χαλκῷ.

Ab utroque, & verius à Virg. Val. 3. Arg.

— circa lacrymis ac mentibus ægri
Stant Myniæ, deflentque nefas: & cuspidis ictus
Æsoniæ, sortemque ducis solantur acerbam.

Et nota *lacrymas* Heroïs Æneæ, non ploratus, aut ejulatus, quales interdum Achilli dat Homerus vitiose. Loca jam censuit Scal. Vere Seneca epist. 63. *Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant: lacrymandum est, non plorandum.* Vide eundem epist. 99. de re hac late disserentem. *Idem.*

42. *Tene, inquit.*] Iteratio est: nam supra ait, *Lachrymis ita fatur obortis.* Sicut in quinto posuit, *Et fidam sic fatur ad aurem.* Et paulo post intulit, *Et sese ostentet in armis, Dic ait.* Sane sciendum hanc adlocutionem talem esse, qualis illa non ubi defletur Euryalus. nam locis omnibus commovet miserationem, ab ætate, à tempore, à vulnere, à spe parentis. *Servius.*

Miserande puer.] Puerum dixit Pallanta, ut victoris minueret gloriam: nam alibi juvenem dixerat. *Donatus.*

Cum læta veniret Invidit Fortuna mihi.] Ac si diceret, quantum noceret adversa, cum læta talem intulit casum. Videtur autem dolere, quod queri non potest de fortunæ crudelitate, quæ ei uno eodemque tempore & tanta contulit beneficia, & tale intulit damnum. *Tene* autem *Invidit fortuna mihi.* Ut, *Liber Pampineas invidit collibus umbras.* Servius.

43. *Tene invidit Fortuna mihi.*] Ita etiam cum accusativo construitur supra Ecl. 7. ỳs. 58.

Liber pampineas invidit collibus umbras.

Cicero tamen, licet hoc non improbet, præferre videtur, *invidere alicui rei*, dum illud poëtice & audacius dictum pronuntiat, lib. 3. Tuscul. Quæst. c. 9. *Invidiæ nomen ductum est à nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Menalippe: Florem quispiam liberûm invidit meûm. Male Latine videtur, sed præclare Accius, ut enim videre, sic invidere florem rectius dicitur. Nos consuetudine prohibemur: poëta jus suum tenuit, & dixit audacius.* Emmeness.

44. *Nostra.*] Pleno affectu dixit: quasi communia esset habiturus cum eo. *Taubm.*

Sedes paternas.] Id est, domum. Ita Horat. Od. 6. lib. 2.

Tybur Argæo positum colono
Sit meæ sedes utinam senectæ.

Noster 2. Æneid. *Has mihi servassent sedes.* Inde & *sedere*, pro domicilium figere. *Cerda.*

46. *Discedens dederam.*] Κατὰ τὸ σιωπώμενον hoc intelligimus. Nam abscedens nusquam est Euandrum adlocutus Æneas. *Servius.*

47. *Mitteret in magnum imperium.*] Possit alludere ad expeditiones Heroum; Bellerophontis, qui à Prœto missus apud Hom. 6. Iliad. Jasonis, qui à Pelia apud Apollon. Hinc se Æneas purgat, quod non steterit promissis, cum Euander tamen se in vera Imperia miserit, non dolo aliquo, ut Prœtus, & Pelias. *Cerda.*

Metuens.] Hic est *cavens*, ut qui prudens.

Acris esse viros, cum dura prœlia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors & vota facit, cumulatque altaria donis.
Nos juvenem exanimum, & nil jam cœlestibus ullis
De-

dens. Sæpe enim *metuo*, pro *caveo*, & *provideo*. Horat. Satyra 2. lib. 2.

An qui contentus parvo, metuensque futuri,
In pace, ut sapiens aptarit idonea bello?

ubi qui *metuens*, hic & *sapiens*. Cerda.

48. *Acres.*] In codicibus Serv. & aliis est *acreis*. Sciendum ex Charisio, quod & ex Plin. adducit, solere veteres scribere per, *is*, quartos casus plurales eorum nominum, quorum patrius pluralis desineret in, *ium*. Sic *partis*, pro *partes*, quia *partium*. Sic *Syrtis*, pro, *Syrtes*, quia *Syrtium*. Sic *tris*, pro, *tres*, quia *trium*. Sic *acris*, pro, *acres*, quia *acrium*. Mox vero usus obtinuit, ut non jam per, *is*, scribantur, sed per *ει* Græcam diphthongum. *Idem*.

Cum dura prœlia gente.] Subaudimus *fore*. Servius.

50. *Fors & vota facit.*] *Forte*, utrumque enim dicimus, etiam & vota suscipit. potest & unum esse *forset*, id est, forsitan vota facit, & jam vota suscipit. *Idem*.

Fors & vota facit.] Sunt aliquot codices, in quibus, *forsit vota facit* legatur, quam lectionem Servius non improbat, dum *forsit*. unum esse dicit. Sane Horatius sermone primo ea usus est dictione, *Quia non ut forsit honorem jure mihi non invideat quisquam.* Sed enim Priscianus hic *fors* agnoscit, neque uno tantum loco carmen citat. aitque nominativum esse, atque pro adverbio positum à Virgilio. Illud non subticebo, scriptum esse alicubi etiam. *fors &*. Verum hoc inusitatum est. *Pier.*

Fors & vota facit.] Tale quid apud Sophocl. in Ajace, αἴδοιαι δὲ μητέρα πολλῶν ἐτῶν κληροῦχον, ἥ σε πολλάκις θεοῖς ἀρᾶται ζῶντα πρὸς δόμους μολεῖν. *Germanus*.

Cumulatque altaria donis.] Id est, & sacrificat & suscipit vota. Naturaliter autem queritur de terrore mentis humanæ. *Servius*.

Cumulat.] Verbum sacrorum. Prudent. Apoth.

Hunc ego non cumulem myrrhaque, & thuris, & auri
Muneribus? ———

Tibull. Eleg. 5. lib. 2. *Dum cumulant aras*. Est hoc, quod Stat. 6. Theb. *auxerat aras*. quod verbi arripuit, credo, à Plauto. Mercat.

——— *aliquid cedo,*
Qui hanc vicini nostri aram augeam Syra.

Et adhuc Plaut. & alii ab Græcis. Nam Eurip. Hipp. βοῦται φόνον Ἑλλὰς αὔξει. Electra apud Soph. dicit, λιπαρεῖ προὔστιν χερί. Ait videlicet, se sacrificasse manu semper munifica. Ex qua sacrorum nota Stat. 4. Theb. *larga cæde juvencum*, & *aggeritur*. ibid. *dona amplissima sacris*. Cerda.

51. *Juvenem exanimum.*] Utrunque legitur & *exanimum* & *exanimem*. uti paulo ante dictum, Grammaticis adquiescentibus. *Pierius*.

Nil jam cœlestibus ullis Debentem.] Vivi enim, superorum sunt: mortui ad inferos pertinent. Ut in duodecimo, *Vos ô mihi manes Este boni, quoniam superis aversa voluntas.* Superis autem debemus omnia donec vivimus, ideo quia ut dicunt physici, cum nasci cœperimus, sortimur à Sole spiritum, à Luna corpus, à Marte sanguinem, à Mercurio ingenium, à Jove desiderium, à Venere cupiditates, à Saturno humorem: quæ omnia singulis reddere videntur extincti. Et hoc secundum physicam disciplinam, tradunt enim physici omnia nos mereri à superis, quæ rursus extincti reddimus ipsis potesta-

Debentem, vano mæſti comitamur honore.
Infelix nati funus crudele videbis.
Hi noſtri reditus, exſpectatique triumphi:
Hæc mea magna fides. at non, Euandre, pudendis
Volne-

teſtatibus ſupernis, quod & Plato videtur aſtruere, qui dicit quod cum de effluxione fontium non aliarum quarumlibet rerum, ſed ipſarum ſtellarum fuerint animæ corporibus commodandæ, quicquid de ipſis fontibus ſtellarum ebullit hoc intelligi debere ſtellas. Ergo priuſquam in corpora ingrediantur animæ per hæc ſigna erratica tranſeuntes, ſingula ſupradicta ſingulæ accipiunt. Item exeuntes ſingula ſingulis redhibere dicit, quæ in corpus venientes perceperunt. *Servius.*

Nil jam cœleſtibus ullis debentem, vano &c.] Quia ut Turnebus lib. 5. c. 7. *qui vivunt, obnoxii ſunt ſuperis diis, mortui extra deorum ditionem ſunt, & in aliorum jus conditionemque concedunt: qui autem alicui obnoxius eſt, is ei aliquid debet.* Hinc Statius etiam lib. 5. Sylv. in Abſcantii in Priſcillam Pietate ℣ſ. 187. ex reſtitutione Crucei:

Non in me fatis, non jam cœleſtibus ullis
Arbitrium. Antea enim peperam legebatur, *non in te fatis.* Ut autem hic *vacuo honore*; ita apud Ovid. l. 2. Metam. ℣ſ. 340.

Nec minus Heliades fletus, & inania morti
Munera, dant lacrymas, &c.

Emmeneſſ.

52. *Vano mæſti comitamur honore.*] Inani, ſupra diximus, quantum ad divos pertinet. *Servius.*

Vano.] Vel, quantum ad divos pertinet. vel *vano*, id eſt, nil mortuo profuturo. Æn. 6.

—*fungar inani Munere, &c.*

Taubmannus.

53. *Infelix nati funus.*] Hoc quidam ἀνίκητον & vulgare accipiunt, ſed decenter ad exprimendum patris adfectum nunc ad patrem redit. *Servius.*

54. *Hi noſtri reditus.*] Tales ſunt: ut, *Manibuſque meis Mezentius hic eſt.* Idem.

Hi noſtri reditus.] Latet hic magnus affectus, quaſi dicat: Redit ad te, ſed quidem mortuus; vel potius: Non ad te redit, nam qui mortuus redit, non vere redit. Ita de Achille Iliad. 28. cernente Patroclum mortuum,

Τόν ῥ' ἤτοι μὲν ἔπεμπε σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν
Ἐς πόλεμον, οὐδ' αὖτις ἐδέξατο νοστήσαντα.

Atqui redierat. Sed quia mortuus redit, dicitur non reverſus. Sen. Controv. 8. præclare: *Mihi non redditus, ſed relatus eſt.* Ab perluſtrato Virg. loco Valer. lib. 3. ſcripſit magno affectu, *taleſne acies, taleſne triumphos ſorte dabant?* ſcilicet Dii. & ſtatim: *quinam reditus?* Cerda.

Expectatique triumphi.] Modo de ſe loquitur. *Servius.*

Expectatique triumphi.] In Rom. codice *exoptati* legitur, quod non æque placet, quamvis non defuturi ſunt, qui locum ex Terentio tueantur, quod ille dixerit, *Teneo ne te Antiphila, maxime animo exoptata meo?* Sed enim ibi quoque *expectata* legitur in antiquis codicibus, & maxime omnium emendatis. *Pierius.*

55. *Hæc mea magna fides.*] Καλὰ τὰ σεσωπώμενα quam de Pallantis reditu promiſerat patri. *Servius.*

At non Euandre.] Aut mutavit declinationem, nam *Euander* facit, ut ipſe lib. x. *Pallas Euander in ipſis*, aut Græcum vocativum fecit ὦ Εὔανδρε. *Idem.*

Pudendis vulneribus.] A tergo illatis: & eſt conſolatio. Quid autem *pudendis* ſit, ipſe expoſuit dicendo *pulſum aſpicies.* Idem.

Pudendis vulneribus.] Vulnera ut

 accepta

Volneribus pulsum aspicies: nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. hei mihi, quantum
Præsidium Ausonia, & quantum tu perdis, Iule!
Hæc ubi deflevit, tolli miserabile corpus

Impe-

accepta pectore fuerunt gloriosissima; ita accepta tergo plena dedecoris. Illa adversa dicebantur & honesta, hæc aversa & pudenda. Vide locum Æliani l. 12. Var. Hist. c. 21. de Lacedæmoniorum institutis. De sociis Catilinæ Sallust. *Omnes adversis vulneribus conciderant*, dicit hoc laudans. Ut etiam de se Servilius apud Livium l. 45. *Insigne corpus honestis cicatricibus, omnibus adverso corpore exceptis, habeo.* Et Curt. l. 3. *Omnes in ora proni, sicut dimicantes procubuerant, adverso corpore vulneribus acceptis.* Marius de se apud Sallust. *Cicatrices adverso corpore, hæ sunt meæ imagines.* Has cicatrices vocat Plut. in Coriolano *προσφατῆ τὰ σύμβολα τῆς ἀνδρείας*, Plin. de occiso Dentato c. 28. l. 7. *Quadraginta quinque cicatricibus adverso corpore insignis, nulla in tergo.* Plutar. in vita Crassi de bello contra Spartacum ait, cæsis duodecim millibus trecentis, solos duos inventos, qui aversa haberent vulnera, reliquos omnes adversa. *δύο μόνους εὗρε κατὰ νώτου τετρωμένους.* &, *ἄλλοι πάντες ἑστῶτες ἐν τάξει.* Bassus lib. 1. Epigramm. laudans trecentos illos Lacones, qui occisi sunt duce Leonida,

— ἴδ' ὡς πάλι πρόσθια πάντα
Τραύματα, κἢν στέρνοις δῆεις ἔνεσι μόνοις.

Ulysses contra Ajacem apud Ovid. 13. Metam. ita jactabundus,

— sunt & mihi vulnera, cives,
Ipso pulchra loco, nec vanis credite verbis,
Aspicite, en, (vestemque manu deduxit) & hæc sunt
Pectora semper, ait, vestris exercita rebus. Cerda.

56. *Nec sospite, &c.*] Antiptosis est pro *sospiti*: & hoc dicit, Si fugisset vulneratus à tergo, ipse ei optares interitum. Alii, non talem habes, inquit, filium quo sospite tibi dirum funus optares, quod parentes sibi precari solent ob nequitiam liberorum. Alii, non optabis, inquit, sospiti filio mortem, quod magis heroicæ personæ convenit, quare *sospite* pro *sospiti*? Servius.

Sospite nato.] Cum sententia sit, non optabis dirum funus nato sospiti, quæri potest de locutione Virgilii. Sed hanc multa defendunt. Lucan. lib. 5. *& lætos fecit se Consule fastos*, id est, ipse Consul sub se Consule. Plaut. in Mil. *te vidente vides.* Cic. 15. Epist. *Non potes effugere hujus culpæ pœnam te patrono.* Plura invenies in Minerva Brocens. quæ & nos Nota trigesima Syntaxeos Nostræ. Sic ergo, non optabis funus nato sospiti illo sospite. Quid quod alia esse potest sententia Poetæ? hæc, inquam: Si filius tuus pulsus fuga sospes esset, optares tibi dirum funus, ne hoc vidisses. Quod cum factum non fuerit, non jam optabis. *Cerda.*

Dirum.] In Mediceo, *durum* habetur. *Pierius.*

57. *Hei mihi, quantum, &c.*] In Antiquis aliquot codicibus, *heu* habetur. Grammatici malunt, *Hei.* Idem.

59. *Deflevit.*] Hoc est, postquam hæc cum lachrymis dixit. *Flere* enim est cum voce lachrymare. Unde habemus in sexto, *Continuo auditæ voces, vagitus & ingens: Infantumque animæ flentes in limine primo.* Servius.

Hæc ubi deflevit.] Id est, fletum absolvit: ut *debellare*, *defungi.* Scal. l. 4. c. 16. Nam *flere*, est cum voce lacrimari. Ita apud Catull. est *desugere*, id est, suctum desinere. apud Cic. *decantare*, id est, cantum absolvere. Vide Plaut. Epid. act. 1. sc. 1. *Taubm.*

Tolli miserabile corpus.] Similem successum narrat Dionys. lib. 5. Antiquit. de Bruto Romano Consule, qui in acie

Imperat, & toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrimis; solatia luctûs
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii cratis & molle feretrum
Arbuteis texunt virgis, & vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem stramine ponunt:
Qua-

cie cecidit, quem milites reportarunt multis cum lacrymis, & laudibus, coronis etiam victricibus. Constat imitatione Virgilii locus Corippi lib. 3. in funere Justiniani Imperat.

—— nec plura moratus
Augustus, nutu tolli sublime pheretrum
Imperat, & tota populus processit ab aula. Cerda.

Corpus.] Tam Latinis *corpus*, quam Græcis σῶμα, pro cadavere frequenti usu. *Cadaveri* proprie respondet πτῶμα, nam ut nos à *cadendo*, ita illi παρὰ τὸ πεπτωκέναι. σῶμα vero, quod servet animam, παρὰ σώζεσθαι. sive, ut vult Plato in Cratylo, quod signum sit ibi manentis animæ, παρὰ τὸ σῆμα εἶναι τῆς ψυχῆς. sed cognatius prius etymon. *Idem.*

60. *Toto lectos ex agmine mittit.*] Trojanos, Thuscos, Arcades. *Servius.*

Lectos ex agmine.] Romanus codex *ex ordine* legit. Sed plus est, *ex agmine.* Pierius.

61. *Supremum honorem.*] Ita Ovid. 1. Am. *supremus ignis.* & 2. Art. *extremos rogos.* Prop. Eleg. 20. lib. 2. *extremas tenebras.* & Elegia 17. lib. 1. *ultimus lapis.* Omnia hæc in re funerum. *Cerda.*

62. *Solatia exigua.*] Quamvis enim magna sint, orbitati patris prodesse non possunt. Sed tamen exhibenda sunt patri, quia debentur: aut est sensus, non quidem responsura luctui, sed tamen solennia, Ergo justitiæ potius causa quam solacii. *Servius.*

64. *Haud segnes alii cratis.*] Ad hunc locum, & morem Stat. 6. Theb. in funeratione Archemori,

Tristibus interea ramis, teneraque cupresso
Damnatus flammæ torus, & puerile pheretrum
Texitur, ima virent agresti stramina cultu. Cerda.

Pheretrum.] *Feretrum* locus ubi mortui feruntur, & est Græcum nomen. nam Græce φέρετρον dicitur. Unde per diæresim *pheretrum* facit, dictum à ferendo: nam Latine *capulus* dicitur. Unde & Plautus ait, *capularis senex*, id est, vicinus capulo. Et dictus est *capulus*, eo quod corpus capiat. *Serv.*

65. *Vimine querno.*] Sunt aliquæ duræ derivationes, tamen eis sic utimur, ut *quernum vimen*, *culurnum verum.* ut, *Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.* Ficulnum lignum: ut Horatius, *Olim truncus eram ficulnus inutile lignum.* Item, *Aprugnum callum.* Serv.

66. *Toros.*] Sunt quæ λέχεα Iliad. 18. Hom. & quas εὐνὰς Eurip. in Rhes. *Cerda.*

Obtentu frondis inumbrant.] Veluti cameram quandam capulo ramorum extensione fecerunt. *Servius.*

Obtentu frondis inumbrant.] Oblongus codex pervetus, *obumbrant* legit. In aliis *inumbrant* vulgata lectio. *Pierius.*

67. *Agresti sublimem in stramine.*] Hoc est, super frondes ponunt. Nam hic reddit quod omisit supra dicens, *Extructosque thoros:* nec addens unde. *Servius.*

Sublimem in stramine.] Antiqua omnia

Qualem virgineo demeſſum pollice florem
Seu mollis violæ, ſeu languentis hyacinthi:
Cui neque fulgor adhuc, nec dum ſua forma receſſit;
Non jam mater alit tellus, vireſque miniſtrat.
Tunc geminas veſtis auroque oſtroque rigentis
Extulit Æneas: quas illi læta laborum
Ipſa ſuis quondam manibus Sidonia Dido

Fece-

omnia exemplaria, quotquot habuimus, *ſublimem ſtramine* legunt, abſque præpoſitione, quæ tamen pluribus placet interjecta, ut quæ neſcio quid numeroſius efficiat. *Pierius.*

68. *Qualem virgineo, &c.*] Fortaſſe ab Catull. qui in Carm. Nupt. de flore, *tenui carptus defloruit ungui.* Propert. etiam Eleg. 20. lib. 1. dixit,

Quæ modo decerpens tenero pueriliter ungue.

Ovid. 4. Faſt. *papavereas ſubſecat ungue comas.* Colum. in Hort. *qui pollice molles Demetitis flores.* Non hinc abeunt, quæ conjunxit lib. 9. in morte Euryali. *Cerda.*

Demeſſum.] Participium eſt veniens ab eo, quod eſt *metor.* Sane ab eo, quod eſt *meto*, præteritum perfectum *meſſui* facit. *Servius.*

69. *Languentis hyacinthi.*] *Languentis*, aut poſtquam decerptus ſit, aut quia non eſt acuti coloris, aut quando dimittit caput. Sane *Hiacynthus* puer fuit Eurotæ, vel, ut quidam volunt, OEbali filius, cetera de hoc in Bucolicis dicta ſunt. *Idem.*

70. *Sua forma receſſit.*] Id eſt, propria pulchritudo. *Idem.*

71. *Mater tellus.*] Dixi ſatis in Georgic. Adjungam Plinii verba c. 63. l. 2. ubi de Terra: *Cui uni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis.* Pergit multis. Apul. de Mund. *genitrix, atque altrix animantium omnium tellus.* Hom. ſæpe, γῆ μήτηρ. Lucret. lib. 5.

—— merito maternum nomen adepta
Terra ſit: è terra quoniam ſunt cuncta creata. Cerda.

Vires.] De herbis ſæpe Plin. *vires, potentiam, poteſtatem, pollere, virtutem.* Idem.

72. *Tum geminas veſtes.*] De pompa funebri Alex. ab Alex. l. 5. c. 7. *Taubmannus.*

Oſtroque auroque rigentes.] Unum *que* vacat: & eſt additum hiatus cauſſa. *Servius.*

Auroque oſtroque rigentes.] Ita legitur omnino in veteribus aliquot exemplaribus. Sed enim vulgata lectio magis placet. *oſtroque auroque* ut epitheton, *rigentes*, vicinius ſit dictioni, quæ cauſſa ſit ridigitatis. *Pierius.*

Auroque rigentes.] Ita lib. 1. *pallam ſignis auroque rigentem.* Huc pertinet aſperitas veſtium ab auro. Sidon. Epithal. eodem ſenſu dixit *trabeas rigentes*, ab auro, quod in trabeis: nam Claud. Paneg. Probi, *auratas trabeas.* & Auſon. *auratus trabeæ velavit amictus*, Ammian lib. 16. *rigentiaque auro vexilla.* Cerda.

73. *Læta laborum.*] Figura eſt, *lætus illius rei.* Nam modo dicimus *lætus labore.* Servius.

Læta laborum.] Explicat Iul. Scal. *quam laboris non pigeret.* Tale & illud, *fortunatuſq́; laborum.* Locutionem hanc peti ex penu Græco multis jam aperuit, & firmavit Brocenſ. in Minerva. *Cerda.*

74. *Suis manibus Sidonia Dido.*] Ut, *Dives quæ munera Dido.* Suis autem *manibus*, ut heroïdes ſolebant. *Servius.*

Ipſa ſuis quondam manibus.] Hom. 5. Iliad.

Πέπλον μὲν κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὔδει

Ποικί-

Fecerat, & tenui telas diſcreverat auro.
Harum unam juveni ſupremum mæſtus honorem
Induit, arſuraſque comas obnubit amictu.
Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam jubet ordine duci.

Addit

Ποικίλον, ὅν ῥ' αὐτὴ ποιήσατο, καὶ κάμε χερσίν·

Peplum quidem tunc depoſuit patris in pavimento

Variegatum, quod ipſa fecerat, & laborarat manibus.

Ita & tertia Æneide,

Accipe & hæc manuum tibi quæ monumenta meorum.

Teſtificatio iſta amoris in multis expreſſa. Apud Livium lib. 1. ſoror illa Horatii erupit in gemitus, ut vidit in fratris humero paludamentum ſponſi ſui, *quod ipſa confecerat.* De Eteocle Stat. 11. Theb.

Nec palla vulgare nitens opus ipſa nevarat
Mæoniis Argia modis, & pollice docto
Stamina purpureæ ſociaverat aurea telæ.

Cerda.

75. *Diſcreverat.*] Depinxerat. ſimul & amantis affectus oſtenditur. *Serv.*

76. *Harum unam.*] *Unam* pro alteram de duobus ſcilicet, & *horum alterum* & *horum unum* poſſumus dicere. nam artigraphi hoc tantum vetant dicere, ne de duobus *alium* dicamus: quod de multis proprie dicitur. Sane figurate dixit, *Veſtem induit*, ut, *Exuvias indutus Achillis:* cum in uſu ſit, *Induit illa re.* ut, *Indutoſque jubet truncos hoſtilibus armis.* Id eſt, truncos indutos jubet offerri. Sane hoc videtur ſecundum cæremonias Flaminum ſubtiliter dixiſſe, Flamini enim niſi unum mortuum non licet tangere, ſed Æneas plurimos poſtea occidit. Sed aliud eſt in bello occidere, aliud mortuum tangere: ſciendum eſt tamen Æneæ omne genus ſacerdotii tribui. *Idem.*

Harum unam juveni.] Veteres veſte una corpus induebant; altera, qua amiciebantur, etiam interdum involvebant caput: quo factum eſt, ut duas veſtes Pallanti injiciat Æneas: ut una corpus, altera caput tegatur. Ita 3. Æn.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Et Varro l. 4. de L.L. veſtes in *indutum* & *amictum* dividit. Turneb. l. 5. c. 7. *Taubmannus.*

77. *Arſuraſque comas obnubit amictu.*] Harum unam de duabus veſtibus induit juveni, altera caput ejus velavit; nam ſupra duas veſtes dixit eſſe prolatas. *Obnubit* autem, velavit: tranſlatio à nubibus, quibus tegitur cœlum. Unde & *nuptiæ* dicuntur, quod nubentium capita obnubantur, id eſt, velentur. *Servius.*

78. *Laurentis præmia pugnæ.*] Mittit præmia, quæ de præda Laurentis pugnæ ſuſtulerat. Nam *præda* eſt quæ eripitur: *præmium* quod offertur. *Idem.*

Præmia.] Conjungit *præmia* quæ aggerantur, & *prædam*, quam jubet duci. Itaque hæc duo ſæpe conjungi, jam notavit Ian. Guliel. in Plautin. Quæſt. & inde corrigit Plauti verſus Menæch.

Avertit prædam ab hoſtibus noſtrûm ſalute ſociûm.
PE. Heus adoleſcens, ecqua pars ineſt præmii mihi?

Cerda.

79. *Longo ordine.*] Cur longo ordine prædam duci jubet? Ne in globum collecta, ambitionem ac pompam funeris minueret. *Donatus.*

Longo prædam jubet ordine duci.] Paria in omnibus militarium Principum funeribus. Exemplum ſit funus Coriolani apud Dionyſ. lib. 8. ubi præferuntur *manubiæ, ſpolia, coronæ, imagines urbium ab eo captarum.* Inde & ſtatim Virgilius:

Addit equos, & tela quibus ſpoliaverat hoſtem.

Liv. lib. 8. in funere adoleſcentis Manlii; *ſpoliiſque contectum juvenis corpus*

ſtructo

Addit equos & tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammam:

Indu-

structo extra vallum rogo cremaretur. In funere Archemori Stat. lib. 6.

Arma etiam, & veterum exuvias circumdat avorum,
Gloria mista malis, afflictæ ambitus aulæ.

Sil. lib. 11. etiamsi non in funere,

—— præda & captiva leguntur
Corpora, direptæque vivis sub Marte cruento
Exuviæ, fausti superis libamina belli.

Cerda.

Ordine.] In triumpho Aureliani Vopiscus: *cetera talia per ordinem ducta.* Ita solemnis fuit ordo rerum portandarum ad funus, ut dicat Sueton. in Iulio cap. 84. loquens de hujus funeratione: *Præferentibus munera, quia suffectura dies non videbatur, præceptum est, ut omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus urbis, portaret in campum.* quasi necessaria exceptio. *Idem.*

80. *Equos & tela, quibus spoliaverat hostem.*] Vel Pallas, vel Æneas. Nam ambigue positum est. *Spolia* autem cum proprie ea tantum sint, quibus hostis spoliari potest, ut lorica vel vestis, abusive jam *spolium* dicitur quicquid hostibus tollitur. Unde est, *Postquam illum vita victor spoliavit Achilles.* Alii *equos & tela, quibus spoliaverat hostem*, ad Pallantem volunt tantum pertinere, quia in antiquis disciplinis relatum est, *Quæ quisque virtute ornamenta consecutus esset, ut ea mortuum eum condecorarent.* Sallustius, *Exuunt armis equisque.* Servius.

Addit equos.] Scilicet cremandos in ipso rogo. Id enim apparet ex Hom. Iliad. 23. nam in funere Patrocli Achilles

—— πίσυρας δ' ἐριαύχενας ἵππους
Ἐσσυμένως ἐνέβαλλε πυρῇ μεγάλα στεναχίζων.

Et in sermone etiam de rogo ejusdem Patrocli, καῖον δ' ἐπιμὶξ ἵπποί τε, καὶ ἄνδρες. Calab. etiam lib. 3. in funere Achillis ait, injectos in rogum equos virosque, qui cæsi ad eas exequias. Verba ejus: ἀποκταμένων περὶ νεκρῷ ἵππων τ' αἰζηῶν τε. Et l. 1. ait, Priamum decrevisse inferre Penthesileam in sepulchrum Laomedontis, *una cum armis, & equo*, ὁμῶς τεύχεσι καὶ ἵππῳ. Tacit. de Moribus Germanorum: *suo cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur.* Cerda.

Addit equos, &c.] Apud Statium lib. 12. Theb. vs. 60. in funere Menœcii, structo ex hostilibus armis aggere, equi etiam & captivi mactantur. Locum vide. *Emmeness.*

Quibus spoliaverat hostem.] Ambigue dictum, vel quibus usus fuerat dum hostes interimeret; vel quibus hostes spoliavit. ultima tamen sententia melior est. *Donatus.*

81. *Vinxerat & post terga manus.*] Hic nempe habitus talium. Plutar. in Philopœmene inducit ἐχθροὺς δεσμίους ἀγομένους, *hostes ductos cum vinculis*, eos scilicet, qui comitabantur ossa, & urnam ducis mortui. Vopiscus in triumpho Aureliani loquens de Gotthis, Alanis, aliisque victis hostibus, *religatis manibus captivi præcesserunt.* Sed hæc alibi. *Cerda.*

Umbris Inferias.] Proprie enim *inferiæ* sunt sacra mortuorum. *Servius.*

Quos mitteret umbris Inferias.] Consule, quæ dedi lib. 10. ad illud,

Viventes rapit, inferias quos immolet umbris.

Et adjice Justinum, qui l. 11. loquens de Alexandro Mag. *Cædis conscios ad tumulum patris occidi jussit.* Cerda.

Mitteret.] Notare jubet Scalig. verbum signatum, *mitteret*: ut, *demitteret orco.* *Inferiæ* autem sunt sacra mortuorum. Ita & Achilles Patroclo duodecim Trojanos inferias mittit, Iliad. 20. *Taubmannus.*

82. *Cæso sanguine.*] Pro *cæsorum.* Ut supra,

Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.

Duci-

supra, *Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.* Servius.

Cæso sanguine.] i.e. cæsorum sanguine. Hanc crudelitatem castigat Tertullianus: *Olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos vel servos in exsequiis immolabant.* Vide Æn. 10. ℣s. 519. *Taubmannus.*

Sparsuros sanguine flammas.] Rom. codex *flammam*, unitatis numero legit. Et aliquod alii cod. *sparsurus*. singulari numero recto casu legunt, ut suppositum sit verbi, *Mitteret*. Sed longe melius est *sparsuros*. Pierius.

84. *Ipsos ferre duces.*] Suos scilicet, qui illis mille præerant. Melius tamen est, truncos jubet pro ducum spoliis ferre ipsos duces, ut tropæa, *duces ipsos* dixerit. Sicut supra, *Manibusque meis Mezentius hic est*, de tropæo: duces autem ut Halesum & ejusmodi quos occiderat Pallas, duces ipsi portarent, nam ducum fuerat tropæa portare, ut habeat pater solatium de victoria filii, & honor funeri accedat. *Servius.*

Ipsos ferre duces.] Sæpe trophæa curru agebantur, sæpe humeris ducum. Extremum hoc voluit Virgil. ad majorem ostentationem. Plutarch. in Romulo: ὑπολαβὼν δὲ τῇ δεξιᾷ τὸ τρόπαιον ὤμῳ προσερεισάμενον ὀρθὸν ἐβάδιζεν. Ita & in triumphis usitatum. Idem Plut. in triumpho Luculli, præmisso rerum catalogo, quæ gestabantur, interque eas Mithridatis statua subjicit, ταῦτα μὲν ἐν ἄνδρες παρεκόμιζον. Non admitto Servii alteram explicationem, qui *duces* accipit de Haleso, & aliis interfectis à Pallante. *Cerda.*

Inimicaque nomina figi.] Pro *inimicorum*. dicit autem adfixos tropæis titulos cum nominibus occisorum. *Serv.*

Inimicaque nomina figi.] In Rom. codice *fingi* legitur, quippe ut res aliquanto amplior efficta, majorem Euandro consolationem afferret, quum in gestarum rerum narratione multa veris vulgo superaddi soleant, & ex commodo *fingi*. Sed alienum est mendacium à viro fortissimoque & sapientissimo, qualem Virgilius Æneam passim ostentat. Quare longe magis placet eorum sententia, qui affixos tropæis titulos occisorum ajunt. *Pierius.*

Inimicaque nomina figi.] Subjungam moris hujus firmamenta, quo titulis noscebantur illi, de quibus trophæum excitabatur. Claud. 3. Rapt. ubi excitatur trophæum devictorum Gigantum, ait,

Nullaque non magni jactat se nominis arbor.

Indicat enim scriptum titulum, in quaque arbore. Clare adhuc morem Plin. Paneg. Trajani, ubi, *Videor jam cernere non spoliis provinciarum, & extorto sociis auro, sed hostilibus armis captorumque Regum catenis triumphum gravem. Videor ingentium ducum nomina, nec indecora nominibus corpora noscitare.* Tacit. de funere Augusti ait decretum, *ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur.* Et 2. Ann. loquens de exercitu, *struxitque aggerem, & in modum trophæorum arma, subscriptis victarum gentium nominibus, imposuit.* Plutar. in vita Timoleontis ait, adornata fuisse quædam trophæa καλλίσταις ἐπιγραφαῖς, Dio lib. 37. de trophæis Pompeji, ait, unum fuisse magnum, & sumptuose adornatum, & βραχὺ ἔχον ἐπὶ τῷ οἰκουμένης ἐστίν. Hos titulos indicat Aristid. in Paraphtheg. Ἀθηναῖοι κατὰ Θηβαίων, ἢ Περσῶν. Apud Stob. de Fortitudine, leges, Othryadem moribundum erexisse trophæum, ac proprio cruore trophæo titulum hunc addidisse, Λακεδαιμόνιοι κατ' Ἀργείων. Ex eodem more Ovidius, Albinovanus, Propertius. Primus Eleg. 2. lib. 4. Trist.

Cumque ducum titulis oppida capta leges.

Alter ad Liviam,

Cuncta-

Ducitur infelix ævo confectus Acœtes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora;
Sternitur & toto projectus corpore terræ.
Ducunt & Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus positis insignibus Æthon

It la-

Cunctaque per titulos oppida capta suos. Tertius Eleg. 4. lib. 3.

—— & titulis oppida capta legam

Hujus moris plenus ad satietatem Pausan. ideo nihil ab illo. Ex hoc more soleo explicare illud supra, *Mezentius hic est*, ut vocula *hic* titulum indicet. *Cerda.*

85. *Ducitur infelix ævo confectus Acestes.*] Quasi qui consternatus nimio dolore ire non poterat. Et bene ex rerum permutatione expressit doloris magnitudinem dicens, ita doluisse Acestem, ut pene carens humano sensu per se ire non posset, & equum ita sensisse interitum domini, ut in humanum migraret affectum. nam & lachrymabat & sponte sequebatur cadaver. Et bene; cum hominis sit ire, equi ducere, hominem autem duci ait, de equo, *It lachrymans.* Servius.

Ævo confectus Acœtes.] Id est, defessus, juxta Nonium. Pro eo Phædr. lib. 1. Fab. 21. *defectus annis.* Lucil. apud Nonium: *doloribus confectum.* & Cic. lib. 2. de Off. c. 1. *Nec me angoribus dedi, quibus essem confectus.* & lib. 3. cap. 27. *senectute confectus.* Emm.

86. *Fœdans.*] Vel cruentans, vel lacerans. *Servius.*

Pectora nunc fœdans, &c.] Idem carmen habes l. 4. aliqua transpositione,

Unguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis. Cerda.

87. *Sternitur & toto, &c.*] Hæc dolendi ratio priscis in usu. Non enim se solum pulvere, aut cinere conspergebant: sed etiam se per terram, aut cinerem volutabant. Hoc doloris genere mœrent apud Calab. lib. 3. Principes Græci post interfectum Achillem, ut cum Ajax inducitur περὶ ψαμάθοισι θαλάσσης ἐκχύμενος. Et Peleus ipsius Achillis pater. ἐπ' ἐσχαρόφι βίοτον κατιδῶν ὀδύνῃσι. Eundem Peleum Eurip. in Androm. inducit πίτνοντα πρὸς γῆν, cujus interfectus est nepos Pyrrhus ab Oreste. Ovid. 8. Metamorph.

Pulvere caniciem genitor, vultusque seniles
Fœdat humi fusos. ——

Stat. 3. Theb.

Caniciem impexam dira tellure volutans. Idem.

Terræ.] Id est, in terra. Et figurate *sternitur terræ*, ut, *Truncumque reliquit arenæ.* Servius.

88. *Perfusos sanguine currus.*] Aut captivorum, aut ipsius Pallantis. *Serv.*

Perfusos sanguine currus.] Ita 11. Il. αἵματι δ' ἄξων νέρθεν ἅπας πεπάλακτο. Quod repetit Iliad. 20. Est hoc, quod Cal. lib. 10. de armis, πεπαλαγμένα μύδρῳ. *Cerda.*

89. *Post bellator equus.*] Militaris enim disciplinæ fuit, ut equus usque ad sepulchrum duceretur, armiger perversa arma gestaret, unde hanc consuetudinem videtur poëta servasse. *Servius.*

Bellator equus.] In 10. *Bellatoris equi.* Tacit. de Morib. Germ. *Illum bellatorem equum, illum cruentam victricemque frameam.* Eodem attributo usus Val. 2. Arg. & Ovid. 2. Fast. Lucret. de equis, *duellica proles*, quia bellatores. Prop. Eleg. 4. lib. 4. *bellicus equus.* Græci, ἵππος πολεμιστήριος. & Plut. in Cat. Majore, ἵππους πολεμιστάς. Cerda.

Positis insignibus.] Sine phaleris. *Servius.*

Positis insignibus.] Indicium luctus. Tacit. 3. Ann. in funere Germanici: *præcedebant incompta signa.* & postea, *sine insignibus magistratus.* Non abit illud Val. 3. Arg. in re simili: *vadit sonipes cervice remissa*, id est, non ὑψαύχην, ut sæpe

It lacrimans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt: nam cetera Turnus
Victor habet. tum mæsta phalanx Teucrique sequuntur
Tyrrhe-

ut sæpe equus dicitur ab Homero, sed submissus & tristis. Liv. lib. 9. etiamsi non in re funeris, certe in re indignissima: *plerique nobilium annulos aureos, & phaleras deponerent.* Sed explico Virgilium aliter. lusit, credo, ad morem servatum in funerib. quo non solum viri tondebantur, cujus rei magna est mentio in auctoribus; sed etiam equi. Profero Eurip. in Alcest. ubi Admetus propter uxoris obitum, ita præcipit,

Πᾶσιν δὲ Θεσσαλοῖσιν, ὧν ἐγὼ κρατῶ,
Πένθους γυναικὸς τῆσδε κοινοῦσθαι λέγω,
Κουρᾷ ξυρηκεῖ, καὶ μελαμπέπλῳ στολῇ.
Τέθριππά τε ζεύγνυσθε καὶ μονάμπυκας
Πώλους σιδήρῳ τέμνετ' αὐχένων φόβην.

Certum est autem, jubam esse maximum equorum insigne. Hoc ergo positum & præcisum equo Pallantis. *Cerda.*

Positis insignibus.] Sine phaleris. Sunt, qui putent, hunc equum ita ductum, ut cum cadavere combureretur, more tunc usitato, quo carissima quæque una cremabantur. Alii ad pompæ tantum ornatum censent productum. *Taubmannus.*

Æthon.] Nomen equi, quo etiam Auroræ equus vocatur. Quod autem equus bellator dicitur, & phalanx comitatur, juxta morem Romanum ait, ut dignitas in regii adulescentis servetur exequiis, quia apud Romanos quod erat vivo concessum, mortuo non adimebatur, militaris autem disciplinæ erat. *Servius.*

90. *It lacrimans.*] Non mirum est, quod equum dicit *lachrymare*, cum Homerus etiam divinantem induxerit. Plinius solum equum præter hominem *lachrymare*, & doloris adfectum sentire dicit. *Idem.*

Guttis grandibus.] Bene *grandibus*, quia de equo. *Idem.*

Guttisque humectat grandibus ora.] Ab Lucret. qui lib. 1. *lachrymis falsis humectant ora genasque.* Sed prius Eurip. in Ione,

Δακρύοις θ' ὑγράνασ' εὐγενῆ παρηΐδα.

Et iterum, ὑγρὸν βάλλω δάκρυ. in Helen. βλέφαρον ὑγραίνω. *Cerda.*

Bellator equus it lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.] Plin. lib. 8. cap. 42. agens de equis, inquit: *Iidem præsagiunt pugnam, & amissos lugent dominos, lacrymasque interdum desiderio fundunt*, & quæ sequuntur. Isidor. lib. 12. cap. 1. Equi, *morientibus dominis, multi lacrymas effundunt.* Homerus Iliad. ρ. flentes inducit equos Achillis. ℣s. 438.

—— δάκρυα δή σφιν
Θερμὰ κατὰ βλεφάρων χαμάδις ῥέε μυρομένοισιν.

Et Calaber lib. 3.

Οὐ δὲ μὲν ἄμβροτοι ἵπποι ἀταρβέος Αἰακίδαο
Μίμνον ἀδάκρυτοι παρὰ νηυσί.

Cæsaris equi apud Sueton. in Jul. c. 81. dicuntur etiam pertinacissime pabulo abstinuisse, ubertimque flevisse. Noster supra in fine lib. 10. mœrentem inducit Mezentii equum. & Oppian. lib. 1. Cyneg. ℣s. 225.

Καὶ πολέμοιο πεσόντα μέγα στενάχουσιν ἑταῖρον.

Mirabilia vero de equis vide apud Lips. Cent. 3. ad Belg. ep. 56. *Emmeness.*

91. *Hastam.*] J. Meursius in Lycophron. notat, qui violenta morte occidissent, cum iis hastam efferri moris fuisse. Et huc à Poëta respectum. *Taubmannus.*

Nam cætera Turnus Victor habet] Κατὰ τὸ σιωπώμενον & alia cum sustulisse intelligimus, non tantum balteum: ut legimus supra. nam sola hasta & galea ostenditur remansisse. *Servius.*

92. *Phalanx.*] Lingua Macedonum, *legio.* Quod autem ait *mæsta*, Arcadas intelligimus. Unde infert, *Teucrique sequuntur,*

Tyrrhenique duces, & versis Arcades armis.
Postquam omnis longe comitum processerat ordo;
95 Substitit Æneas, gemituque hæc addidit alto:
Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
Fata vocant. salve æternum mihi, maxume Palla,
Æter-

sequuntur, Tyrrhenique duces. Et hoc est quod ait supra, *Et toto lectos ex agmine mittit Mille viros.* Servius.

93. *Versis Arcades armis.*] Lugentium more mucronem hastæ, non cuspidem contra terram tenentes. Quoniam antiqui nostri omnia contraria in funere faciebant: Scuta etiam invertentes propter numina illic depicta, ne eorum simulachra cadaveris polluerentur aspectu, sicut habuisse Arcades Bachilides in dithyrambis dicit, & hoc, ut nonnullis frustra placet. nam lugentium mos, est prioris habitus immutatio. Alii *versis armis* in obliquum versis scutis, ne splenderent insignia: *Arma* autem scuta dici ipse declarat, ut, *Lausum socii exanimem super arma ferebant*, sed potest hoc de armis versis non ad Arcadas solum, sed ad omnes pertinere: An *versis armis*, quod interempto Pallante victos jam se Arcades arbitrabantur: Alii dicunt hunc morem fuisse, ut de suo duce nunquam voce quereretur exercitus, ne seditio paulatim insurgeret, verum armorum ordinem mutantes, scuta supina portarent. Ergo vel Æneas ab Arcadibus arguitur, quod Pallas non sit vindicatus, vel Euander, quod novi hospitis gratia adulescentem temere in bella projecerat. *Idem.*

Versis Arcades armis.] Ita scilicet in exequiis militaribus. Stat. l. 6. in funere Archemori,

Tum septem numero turmas (centenus ubique
Surgit eques) versis ducunt insignibus ipsi
Grajugenæ Reges. ——

Tacit. in funere Germanici 3. Ann. *præcedebant incompta signa, versi fasces.* Albinovan. ad Liviam,

Quos primum vidi fasces, in funere vidi,
Et vidi versos, indiciumque mali.

Adhuc apud nostros inolevit hæc consuetudo, ut in obitu ducis exercitus & milites vexillis humum verrant, & inversis cuspidibus hastæ inclinentur, trahanturque. *Cerda.*

94. *Comitum.*] Potest pro *comitantium* accipi. *Servius.*

Comitum processerat ordo.] Rom. codex, & Oblongus, & omnes denique antiquiores, *præcesserat*, legunt, ut in antiquarum aliquot impressionum codicibus habebatur. Qui funus enim ducunt, *præcedere* solent, subsequi vero, qui lugent. Sed *procedere* in similibus admodum usitatum est. Ter. *Funus interim procedit, sequimur.* Pierius.

95. *Gemituque.*] Deest *cum.* Serv.

96. *Alias hinc ad lacrimas.*] Ad aliam sepulturam, id est, ad ceteros sepeliendos, qui eodem prælio ceciderunt. *Idem.*

97. *Salve æternum mihi, maxume Palla, Æternumque vale.*] Varro in libris Logistoricis dicit, *Ideo mortuis Salve & Vale dici: non quod aut valere aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus, eos nusquam visuri.* Hinc ortum est, ut etiam maledicti significationem interdum *vale* obtineat, ut Terentius, *Valeant, qui inter nos dißidium volunt,* hoc est, ita à nobis recedant, ut nunquam ad nostrum revertantur aspectum. Ergo cum mortuo dicitur *Vale*, non etymologia consideranda est, sed consuetudo, quod nullis *vale* dicimus, nisi à quibus recedimus. *Idem.*

Salve æternum mihi, maxime Palla.] Rom. codex vocativum hunc nominativo similem facit *Pallas*. Sed nomina in *as*

Æternumque vale. nec plura effatus ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Jamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes:

in *as* desinentia, quæ, genitivo crescente, per *nt* pronuntiantur, neque synæresin patiuntur, vocativum facere solent, extrema genitivi abjecta. *Thoantis, ô Thoan. Laodamantis, ô Laodaman.* Poëtæ tamen hujusmodi vocativum absque *n* litera proferre libentius solent. ut *ô Laodama, ô Polydama.* sic *ô Palla.* Pierius.

Salve æternum mihi, maxime Palla, &c.] Ita Catull.

At q; in perpetuum frater ave atq; vale.

Ita Charinus apud Plaut. Mercat. act. 5. sc. 1. extremum discedens;

Limen superum & inferum salve, simul autem vale.

Etiam Græci mortuos geminatis vocibus extremum salutabant, οὖλε καὶ χαῖρε. Vide & Turneb. l. 11. c. 1. *Taubm.*

Salve æternum mihi, maxime Palla, Æternumque vale.] Verbis *salve* & *vale* utebantur qui se invicem salutabant, & sicuti accedentes ad aliquem *ave* vel *salve*, ita discedentes *vale* dicebant. Adhibebantur ea quoque cum à mortuis compositis jam recedebant: unde supra lib. 2. Æn. ℣s. 644.

Sic ô, sic positum adfati discedite corpus.

Ubi Servius: *hoc est, adfamini me; ut dici mortuis solet: vale, vale, vale.* Statius lib. 3. Silv.

Salve supremum genitor, mitissime patrum,
Æternumque vale.

Supra lib. 5. Æn. ℣s. 80. Æneas in anniversario parentis sui sacro:

Salve, sancte parens: iterum salvete recepti
Nequicquam cineres, animæque umbræque paternæ.

Sed vid. Brisson. de Form. l. 8. in fine. Respondent his Græca ἔρρωσο & ὑγίαινε, quæ, quia iis utebantur discedentes, mali ominis habebantur, ut Artemidorus lib. 1. cap. ult. Ἔρρωσο δὲ καὶ ὑγίαινε οὔτε λέγειν οὔτε ἀκούειν ἀγαθόν. οὐ γὰρ προσιόντες ἀλλήλοις, οὔτε μέλλοντές τι πράττειν ταῦτα λέγουσιν ἄνθρωποι, ἀλλὰ ἀπαλλαττόμενοι ἀλλήλων καὶ πρὸς ὕπνον τρεπόμενοι. διὸ γάμους καὶ κοινωνίας διΐστησι, καὶ τοὺς νοσοῦντας ἀναιρεῖ. *Æternum* autem dicitur pro in æternum tempus; ut Ecl. 3. ℣s. 79. *Longum vale.* Emmeness.

99. *Tendebat.*] Eadem significatione τείνειν Græcis dici Germ. notat, nam Eurip. Supplicib. οἱ δ' ἔτεινον εἰς πύλας. *Cerda.*

100. *Oratores.*] Legati: à perorando pro republica nominati, quod orabant, id est, agebant, unde & actores causarum *oratores* appellantur. *Serv.*

Urbe Latina.] Pro *Latini:* id est, de Laurolavinio. *Idem.*

101. *Velati ramis oleæ.*] Non coronati (nec enim lugentes decebat) ut qui pro mortuis precabantur, sed instructi, & ornati: id est, in manibus olivæ ramos ferentes. sicut Homerus στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. *Velati* autem, ornati: & illo loco significat, *Victori velatum auro vittisque juvencum;* cum vittis non aut velentur aut coronentur victimæ, sed ornentur, aut certe *velati*, ab omni injuria tecti jure gentium. *Idem.*

Velati ramis oleæ.] Id est, manibus olivæ ramos præferentes. Nam coronatos esse in luctu non decebat. Vide 7. Æn. ℣s. 237. *Taubm.*

Velati ramis oleæ.] Non solum pacis insigne arbor hæc (unde supra lib. 8. Æn. ℣s. 116. *pacifera*, & Græcis φιλείρηνος dicta) sed deprecantium quoque & supplicum. Livius lib. 29. c. 16. *Legati Locrensium ramos oleæ, velamenta supplicum porrigentes.* Unde Statio libro 12. Theb. ℣s. 502.

Corpora, per campos ferro quæ fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ:
Nullum cum victis certamen & æthere cassis:

Parce-

—— *supplicis arbor olivæ.*
& vs. 478.

Ipsa manu ramosque oleæ, vittasque precantis
Tradit.

Rationem refert Joan. Chrysost. Oration. 3. de incomprehensibili Dei natura: οἱ ἄνθρωποι κλάδους ἐλαιῶν ἐκκόψαντες ἐπισείουσι τοῖς βασιλεῦσι διὰ τοῦ φυτοῦ ἐλαίας αὐτοὺς καὶ φιλανθρωπίας ἀναμιμνήσκοντες. *Emmeness.*

Veniamque rogantes.] Beneficium juxta antiquum modum dictum, hoc est, sepulturam suis petentes. *Servius.*

Veniamque rogantes.] Rom. codex *precantes* legit, ut etiam inferius est: *Quos bonus Æneas non aspernanda precantes Prosequitur venia.* Pierius.

102. *Corpora per campos.*] Poëta bellici juris peritus, ut integram solidamque victoriam Trojanis asserat, & eos campo potitos doceat, inducit legationem Latinam ad Ænean, quæ ad sepulturam corpora deposceret à victore Ænea, secundum scilicet historicam fidem, & receptum belli morem, & legem imperatori illi superiores commissæ pugnæ partes adjudicantem, penes quem campi & sepulturæ potestas remansit. Justin. lib. 6. *In eo prælio Archidamus rex Lacedæmoniorum vulneratur, qui cum cædi suos, & victos videret, per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscit. Hoc est enim signum apud Græcos victoriæ traditæ.* Eurip. πέμψω λόγους Κρέοντι, νεκρῶν σώματ' ἐξαιτούμενος. Germanus.

Ferro quæ fusa.] *Fusa* modo, interempta, alias fugata, sed discernuntur epithetis: ut si dicas, *ferro fusus*, vel *metu fusus*. Servius.

103. *Redderet.*] Ostendit jam campos in Trojanorum esse potestate. *Idem.*

Tumulo succedere terræ.] Pro, terra condi, tegi tumulo, ad eum modum, quo, *successimus antro*, & *succedere muro* Politissima certe locutio, & inde laudata Scaligero. Itaque noluit illa Eurip. in Supplicib. γῇ καλυφθῆναι νεκρούς. κρυβήσονται χθονί. τάφῳ δέδονται. Neque illa Soph. Antig. καὶ χθονὸς ἔκρυψε. ἐν τάφῳ θεῖναι. & in Ajace: σῶμα τυμβεῦσαι τάφῳ. neque infinita Hom. *Cerda.*

104. *Nullum cum victis certamen.*] Deest, *esse oportet.* Servius.

Et æthere cassis.] Id est, luce vacuis: unde & retia, *casses* dicimus. Hoc autem bene addidit, quoniam victi possunt innovare certamen. *Idem.*

Et æthere cassis.] Mediceus codex, & aliquot alii *aëre* legunt, de inferiori enim & spirabili hac aura loquitur. *Pierius.*

Nullum cum victis certamen, &c.] Apto Virgilio nobilissimum locum Lysiæ in orat. funebri: πέμψαντες κήρυκας, ἐδέοντο αὐτῶν δοῦναι τῶν νεκρῶν ἀναίρεσιν, νομίζοντες ἀνδρῶν τῶν ἀγαθῶν εἶναι ζῶντας τοὺς ἐχθροὺς τιμωρήσασθαι, ἀποθανόντων δὲ σφισιν αὐτοῖς, ἐν τοῖς τῶν τεθνεώτων σώμασι τὴν εὐψυχίαν ἐπιδείκνυσθαι. Plato etiam lib. 5. Leg. ἀνελεύθερον ἢ πολέμιον νομίζειν τὸ σῶμα τοῦ τεθνεῶτος. & mox ait, hoc qui agunt, esse similes canibus, qui in mortuos sæviunt. Non abhorret sententia Sophoc. apud Stob.

Τί κέρδος οὐκ ἔτ' ὄντας αἰκίζειν νεκρούς.

Demosth. in Coron. τίς γὰρ οὐκ οἶδε τῶν πάντων, ὅτι τοῖς μὲν ζῶσι πᾶσιν ὑπάρχει τις ἢ πλείων, ἢ ἐλάττων φθόνος, τοὺς τεθνεῶτας δὲ οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν οὐδεὶς ἔτι μισεῖ. Idem contra Leptinem: καὶ μὴν κἀκεῖνο τῶν καλῶς δοκούντων ἔχειν νόμων Σόλωνός ἐστι, μὴ λέγειν κακῶς τὸν τεθνεῶτα. Istis consentit Calaber libro 1.

Οὐ γὰρ ἐπὶ φθιμένοισι πέλει χότος, ἀλλ' ἐλεεινοὶ
Δηΐοι οὐκ ἔτ' ἐόντες, ἐπὴν ἀπὸ θυμὸς ὄληται.

Et lib. 9. de defunctis ait, οὐ γάρ σφε

μιῶις

Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.
Quos bonus Æneas, haud aspernanda precantis,
Prosequitur venia, & verbis hæc insuper addit:
Quænam vos tanto Fortuna indigna, Latini,
Inplicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacem me exanimis & Martis sorte peremtis
Oratis? equidem & vivis concedere vellem.

Nec

μιλῶις ὁπηδεῖ. Inde Constantii Augusti apud Hilarium: *Ceteri quidem mortales semper cum vivis bella gesserunt, dum homini ad hominem ultra mortem nihil causæ est: tibi vero inimicitiarum nullus est finis.* Vide Val. Max. lib. 4. cap. 1. de Moderatione, ubi loquitur de inimicitiis testatissimis Scipionum, Numidici, & Africani, quas tamen Numidicus, mortuo Africano, statim delevit. *Cerda.*

106. *Bonus Æneas.*] Ideo, quia ab eo facile impetratur. *Servius.*

Bonus Æneas.] Explica *bonum*, id est, ἄφθονον· *sine invidia.* Nam φύσεως κακίας σημεῖόν ἐστιν ὁ φθόνος, ait Demosthen. orat. contra Leptin. *Invidia argumentum est pravitatis naturæ.* Unde ille colligit, Athenienses vere esse bonos, quia carentes ipsi invidia sepelirent eos, qui in acie occubuissent. *Cerda.*

Haud aspernanda.] Justa, non contemnenda. Sepulturæ enim beneficium generaliter debetur universis. *Serv.*

107. *Venia.*] Quam petebant; aut *venia*, humanitate. *Servius.*

Insuper addit.] Accumulat verbis beneficium, dicens pacem se etiam vivis velle præstare: pacem autem, ideo defunctis, quia ait supra, *Nullum cum victis certamen.* & mortuorum pax, sepultura est. Unde elegit verbum, quod tam vivis, quam mortuis aptum esset. *Idem.*

108. *Quænam.*] Quanta & qualis. nam mirantis est: nec enim dubitat cum ipse dicat *indigna.* Ergo potest ἐπεξήγησις esse, quænam vos fortuna implicuit, quæ est indigna bello: & mira est oratio conciliantis se hostibus suis. *Idem.*

Quænam vos tanto.] Exordium à reprehensione modesta, quod temere adversus se arma induxerint. *Hortensius.*

109. *Inplicuit.*] Id est, involvit invitos. *Bello* autem incertum dativus an ablativus. *Serv.*

110. *Pacemne exanimis.*] Rom. codex, Mediceus, & antiquiores plerique alii legunt *pacem me exanimis*, quod mirifice placet. Habet enim emphasin pronomen illud, plusque in recessu præstat, quam fronte polliceatur. *Pierius.*

Pacemne exanimis.] Propositio hostium de sepeliendis suorum cadaveribus, ad quam ipse est responsurus. *Hortens.*

Pacemne exanimis.] De versibus his vivis & cælestibus, quos vocat Scalig. vide lib. 3. c. 11. Poët. *Taubm.*

Exanimis.] Huic voci proprie respondebit Græcorum ἀποψύχω, quæ vox est in Soph. Ajace, ἀπέψυξε βίον, ut utraque vox sit, *expellere animum.* Sæpe enim ἀπὸ Græcum, & *ex* Latinum sibi respondent. Sic ἀποφυγὴ, ἀποφυσιάω, ἀποχωρέω· *effugium, efflo, excedo.* Cerda.

Martis sorte peremtis.] Ad illud, *nullum cum victis certamen.* Servius.

111. *Concedere vellem.*] In antiquis aliquot codicibus *mallem* legitur, quod magis explet Oratorum vota, magisque sibi eos conciliat. *vellem* tamen receptum. *Pierius.*

 112. Nec

Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent;
Nec bellum cum gente gero: rex nostra reliquit
Hospitia, & Turni potius se credidit armis.
Æquius huic Turnum fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Adparat; his mecum decuit concurrere telis:

Vixet,

112. *Nec veni.*] Nec venissem: tempus est pro tempore, & vitavit ὁμοιοτέλευτον. *Servius.*

Nec veni.] Fieri per modos solœcismum Comminianus ait, hoc loco citato. *Nec veni*, pro *nec venissem*, indicativus pro conjunctivo. Indignatur vero Fab. Quintilianus hujusmodi elocutionum species, nunc Solœcismi, nunc Barbarismi nuncupatione appellitari, ubi ait, *Exempla Barbarismi quidam fere in jactationem eruditionis sumere ex Poetis solent, & Auctores, quos prælegunt, criminantur.* Pierius.

Nec veni, &c.] Caussam obiter adventus sui, cur contra se arma sint sumpta, reddit: obtenditque *fatum*: ut à se removeat, quod toties ab hostibus fuit objectum. *Hortens.*

Fata locum, sedemque dedissent.] Sæpe hæc prædicat in Æneide, in istis, *Italiam quæro fatis. Italiam fato profugus. Italiam Lyciæ jussere capessere sortes: Sed nos fata Deum vestras exquirere terras Imperiis egere suis.* & sæpe alibi. Ut scilicet desertoris nomen & proditoris amandet ab Ænea, quod aliquibus persuasum. Unde hac maxime injuria Turnus Ænean petit, *desertorem Asiæ*, & *fugacem*; ut etiam Dido. Cavit ergo suo Heroï Virg. in gratiam Augusti. *Cerda.*

113. *Nec bellum cum gente gero.*] Subaudiendum, *Sed cum Turno*: per quod populariter eorum captat favorem: aut ut seditionem eorum adversum regem invocat. *Servius.*

Hospitia.] Hoc verbum duo significat, . . . :* & quo aliquem recipimus. *Idem.*

Rex nostra reliquit Hospitia.] Nusquam iræ majores, quam ob violatam hospitalitatem. Exempla plurima in uno Paus. Hom Odyss. 20.

—— οὐ γὰρ καλὸν ἀτέμβειν, οὐδὲ δίκαιον Ξείνους. ——

Et Odyss. 14. dicit, non oportere ξεῖνον ἀτιμῆσαι. Cesso ab loco communi. *Cerda.*

114. *Turni se credidit armis.*] Pro, commisit. Phædrus lib. 1. Fab. 8.

Gulæque credens colli longitudinem.

Id est, immittens. Absolute ponitur lib. 4. Georg. ℣s. 192. *credunt cælo.* & ℣s. 48. *altæ neu crede paludi.* Emm.

115. *Huic Turno.*] Id est, huic morti, δεικτικῶς, quasi jacentes ostendit. *Serv.*

Æquius huic Turno fuerat, &c.] Antiqua omnia exemplaria, quotquot versare contigit, *Turnum*, accusativo casu legunt, ut ordo sit, æquius fuerat Turnum opponere se huic morti. Nam & Servius *Huic morti* legit δεικτικῶς, quasi jacentes ostendat. *Pierius.*

Æquius huic, &c.] Taxat oblique sinistra Latini consilia: qui persuasus pessime, maluerit se propter Turnum bello implicare, quam secum societatem adjungere. *Hortens.*

116. *Si bellum finire manu.*] Hoc est, interjectione: potest enim & pace finiri. *Servius.*

117. *His mecum decuit concurrere telis.*] Aut qui se Teucros parat pellere; aut tela sua ostendit, ut armatus in concilio fuerit. *Idem.*

His decuit mecum concurrere telis.] In Rom. codice, & aliquot aliis ad evitandam cacophoniam, quæ in pede quarto fieret *cum con.* scriptum est transpositis dictionibus *His mecum decuit concurrere telis.* Pierius.

118. *Vi-*

Vixet, cui vitam deus aut ſua dextra dediſſet.
Nunc ite, & miſeris ſubponite civibus ignem.
Dixerat Æneas. olli obſtupuere ſilentes;
Converſique oculos inter ſe atque ora tenebant.
Tum ſenior ſemperque odiis & crimine Drances
Infenſus juveni Turno ſic ore viciſſim
Orſa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus cælo te laudibus æquem?

Juſti-

118. *Vixet.*] Pro *vixiſſet:* & eſt Syncope. *Servius.*

Vixet.] Ita omnes legunt, pro, *vixiſſet.* In nonnullis tamen, *vixit.* cui lectioni non deeſt ſuus lepor. *Cerda.*

Deus, aut ſua dextra dediſſet.] Victoria enim vel vita: duplici ratione conſiſtunt, aut virtute, aut voluntate fortunæ. *Servius.*

119. *Nunc ite.*] Epilogus, qui conſtat perbenigna permiſſione ejus rei, quam petunt. *Hortenſ.*

Miſeris civibus.] Quaſi aliena culpa pereuntibus; & bene commendatur dicentis bonitas, quaſi & ipſe eorum miſereatur. *Servius.*

Miſeris.] Qui non in ſuo, ſed in Turni negotio perierant. *Donatus.*

120. *Obſtupuere ſilentes.*] Id eſt, obſtupefacti ſunt, & ſilere cœperunt. *Servius.*

Olli obſtupuere ſilentes.] In veteribus codicibus pene omnibus ſcriptum obſervavi *illi obſtipuere.* Pierius.

122. *Tum ſenior.*] Cui ab ætate præſtabatur authoritas. *Serv.*

Odiis & crimine Drances Infenſus juveni Turno.] Aut qui eum odio ſemper & criminationibus perſequebatur. Aut propter ſuum crimen, id eſt, inertiam, quam ſemper virtuti conſtat eſſe contrariam. Aut Turni crimine, qui tot viris cauſa mortis extiterat. *Idem.*

Semperque odiis, &c.] Sic & de Therſite Hom, ἔχθιστος δ' ἦν μάλιστ' Ἀχιλῆι, ἠδ' Ὀδυσῆι. nimirum & vapulavit in Hom. ab Ulyſſe, & cæſus eſt ab Achille in Calab. *Germanus.*

124. *Orſa refert.*] Cœpta verba. *Serv.*

O fama ingens, ingentior armis.] Fruſtra, ait Donatus, hoc nomen de his eſſe, quæ non recipiunt comparationem. nam quia augmentum recipit & comparatur. alia ſunt illa nomina in quibus eſt dubitatio utrum comparentur, ut eſt *perfectus*, quod ſi velis comparare, incipit perfectus non eſſe perfectus. *Idem.*

O fama ingens, &c.] Scripſit Macrob. l. 6. c. 2. & placuit aliis, aſpiraſſe Virg. ad verba Tull. de Catone Majore, hæc: *contingebat in eo, quod plериſque contra ſolet, ut majora omnia re, quam fama viderentur.* Cerda.

O fama ingens, &c.] Laudat hanc *Drancis* orationem tanquam diſertam admodum Victorius; quod cum Æneam laudare vellet, commendaverit ipſum à duabus maximis, quæ in vero rege requiruntur, virtutibus: juſtitia videlicet & fortitudine, ſive ſcientia militari. Eum vide lib. 38. Var. Lect. cap. 3. *Emmeneſſ.*

125. *Vir Trojane.*] Notavit jam Donatus, ſolere inferiores, cum loquuntur cum majoribus, abſtinere à nominibus propriis, quadam dignitatis ratione: contra, qui ſunt ſuperiores honore, ſolitos nominare inferiores. Hoc ſi eſt verum (nam ſæpe video perturbari) non deſunt in Marone exempla. Hic inferior, *vir Trojane.* Achates, *Nate Dea.* Ilioneus, *ô Regina.* Euander, *hoſpes Trojane.* Hi omnes, ut inferiores, abſtinent à propriis. Contra ſuperiores. Nam Juno *Æole namque tibi.* Camilla ad unam

Justitiæne prius mirer belline laborum?
Nos vero hæc patriam grati referemus ad urbem:
Et te, si qua viam dederit Fortuna, Latino
Jungemus regi. quærat sibi fœdera Turnus.
Quin & fatalis murorum attollere moles,
Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.

Dixe-

ad unam è ministris, *hactenus Area soror.* Dido, *Anna soror.* Tu consule Alexand. libro Genial. 2. c. 19. & ibid. Tiraquell. Inde veluti in contumeliam Juno, *vincor ab Ænea.* Cerda.

Cælo te laudibus æquem.] Pro his qui in cœlo sunt, id est, diis: ut, *Cæruleus Tybris cælo gratissimus amnis*, & est oratorium non invenire paria verba virtutibus. *Cælo* autem, dativus, *laudibus*, ablativus. *Servius.*

126. *Justitiæne prius mirer, belline laborum?*] Figura Græca, *Miror illius rei*, & *regno illius rei*, ut Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις. Inde Horatius ait, *Et qua pauper aquæ Daunus agrestium regnavit populorum*, pro *agrestibus populis*, ita & hic *justitiæ laboribus* genitivum pro ablativo; si autem *justitia* legeris subaudiendum *justitiæ laudibus*, si *justitia*, subaudiendum *præditum.* Idem.

Justitiæ ne prius mirer belli ne laborum.] Sane Servius *Miror* genitivo junctum Græca ait figura, θαυμάζω ἐκείνου, καὶ ἄρχω ἐκείνου, ut apud Hor. *Agrestum regnavit populorum*, legitur. In Rom. tamen cod. & aliquot aliis perveteribus posita hæc sunt in casu septimo, *Justitia ne prius mirer belli ne labore*, in quo illud etiam observes *justitia* per *t* in pene ultima scribi, ut ex antiquis inscriptionibus, & nomismatis approbavimus. Sed est & ubi *belline laborem.* Est, ubi *justitiam*, & *laborem* accusativo casu legas. Neq; mirum lectionem hanc ita nunc variare, quum varię super ea fuerint olim etiam Grammaticorum sententiæ. Nam Priscianus, ubi ait, conjunctionem dubitativam, vel interrogativam similes casus exigere, locum hunc Virgilii citat, in quo scriptum secus asserit, neque pręceptioni hujusmodi Poëtam paruisse, qui scripserit ablativo casu *justitia ne prius mirer.* mox genitivum adjecerit, *belline laborum.* quippe propter ancipitem dictionum constructionem, quod utrumque bene dicatur, *miror justitia*, & *justitiæ*: Inveniri tamen in codicibus etiam *justitiæ* genitivo casu, idque aptius esse, non inficiatur, quod & alibi confirmat Græcæ constructionis exemplo posito, θαυμάζω τῶν πόνων. *Pierius.*

Justitiæne prius mirer.] Id est, Tene mirer ob justitiam prius, an ob belli labores? ita Lamb. ad illud Hor. Epod. Oda 17. *Plorare artis*: ut subaudiatur *caussa.* quomodo hoc Virgilii & Turnebus explicat lib. 5. cap. 8. Ita infra, ℣s. 280. *lætari malorum.* Secutus autem Græcos est, qui θαυμάζω τῆς ἀρετῆς dicunt. Sic Plato, ἀνάσσειν πόλεως dixit, quod Horat. 3. Od. 30. *Regnare populorum.* Taubm.

128. *Si qua viam dederit Fortuna.*] Bene cum exceptione pollicetur, dicens, Si voluntatem nostram fortuna comitetur. *Servius.*

129. *Fœdera Turnus.*] Vel conjugii, vel amicitiarum, & potest videri deesse *alia.* Idem.

130. *Fatales moles.*] Quia audierat, *Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent.* Idem.

Fatales moles.] Ita *fatalem Ænean, fatale monstrum, fatalis equus.* & Horat. *fatalis judex.* Cerda.

131. *Saxa Trojana.*] Ambitiose ait quasi Trojanis fataliter debita, vel *Trojana*, in usum Trojanorum. *Servius.*

Saxaque subvectare.] Id est, sursum tollere. Lucret. lib. 6.

Saxaque subvectare, & arena tollere nimbos.

Sic

Dixerat hæc, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis ſenos pepigere dies, & pace ſequeſtra
Per ſilvas Teucri, mixtique inpune Latini,
Erravere jugis. ferro ſonat icta bipenni
Fraxinus: evertunt actas ad ſidera pinus:

Robora

Sic & *ſubjicio* lib. 12. *corpora ſaltu ſubjiciunt in equos.* Cerda.

133. *Pepigere dies.*] Pacti ſunt. nam ab eo, quod eſt *paciſcor*, & *pepigi* & *pactus ſum* facit: ſicut ab eo, quod eſt *parco*, & *parſi* & *peperci* facit. *Servius.*

Pace ſequeſtra.] Media. Namque *ſequeſter* eſt aut medius inter duos altercantes, aut ad quem aliquid ad tempus ſeponitur, dictum autem à ſequendo; quod ejus, qui electus ſit, utraque pars fidem ſequitur. *Pacem* ergo *ſequeſtram*, inducias dicit: id eſt, pacem temporalem, & mediam inter bellum præteritum & futurum. *Idem.*

Pace ſequeſtra.] *Sequeſtra pax* ea eſt, quæ ſic interponitur, ut non tollat, ſed differat bellum. *Donatus.*

Pace ſequeſtra.] *Sequeſter* eſt is (ait Modeſtin. Jur. Conſ.) apud quem plures deponunt rem eandem, de qua controverſia eſt, ſic dictus, quod pars utraq; ejus fidem ſequatur. Eleganter hac voce uſus Tertull. l. de Patient. *Adeo ſatis idoneus patientiæ ſequeſter Deus. Si injuriam depoſueris penes eum, ultor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt: ſi dolorem, medicus: ſi mortem, reſuſcitator eſt.* Itaque, *ſequeſtre* dictum, quicquid medium. Nam vere is eſt medius, apud quem plures deponunt rem. Bene ergo induciæ dicuntur *pax ſequeſtra*, nam illæ mediæ inter præteritum bellum, & futurum, & inter utrumque hoſtem. *Cerda.*

134. *Mixtique inpune Latini.*] Apud majores enim magna erat cura fidei, adeo ut induciis factis conloqui ſoliti eſſent duces populi Romani, cum hoſtium ducibus, ſummaque ſeveritate vindicatum, ſi injuriam ſe paſſos quererentur, denique obſeſſa urbe à Tarquinio, inter Porſennam & Romanos factis induciis, cum ludi Circenſes in urbe celebrarentur, ingreſſi hoſtium duces curuli certamine contenderent, & victores coronarentur. *Impune* autem hoc loco ſine periculo. *Servius.*

835. *Ferro bipenni.*] Ad epitheton tranſtulit nomen proprium: nam *bipennis* per ſe plenum eſt, & ſecurim ſignificat, ut, *Crebriſque bipennibus inſtant.* Idem.

Ferro ſonat alta bipenni Fraxinus.] In aliquot antiquis cod. *acta* legitur, quod minime placet, quia ſtatim ſequitur *evertunt actas ad ſidera pinus.* Siquid vero immutandum fuerit ex lectione vulgata, placeret *icta*, quod in antiquiſſimo codice obſervavi. *Pierius.*

Ferro bipenni.] Vides inſtrumenta duo in Virg. hic *bipennem*, poſtea *cuneum.* Utrumque aptum: nam illa ad ſectionem, hic ad fiſſionem. Hom. 13. Il. ſecat πελέκεσι νεήκεσι. ut & Il. 23. infert ὑλοτόμους πελέκεας. ut etiam Cal. l. 12. in fabrica equi πελέκεσι διατμήγοντες. Sil. *bipennem* uſurpat, Statius *ferrum.* Virg. utrumque, ideo *ferro bipenni*, id eſt, *ferro bipennato*, quo explicatur ſecuris ἀμφήκης, & ἀμφίτομος, ut Homerus loquitur. Non enim audio Grammaticos, qui putant, duplex eſſe ſubſtantivum. Errant. Adjectivum eſt *bipenne.* Probo facile. Quam galeam Ariſtophanes vocat τετράφαλον, boni interpretes reddunt *quadripennem*, id eſt, *quadriplumem.* Si ergo *quadripennis* eſt adjectivum, cur non *bipennis*? C.

136. *Fraxinus.*] Secat Virgilius *fraxinum, pinum, robur, cedrum, ornos*, ut intelligas has eſſe ferales arbores. Eaſdem intulit in funere Miſeni: tantum pro pinu ſubſtituit *piceam*, pro robore *ilicem*, videlicet cognatas arbores. Eaſdem intulit Ennius libro ſexto Annal. adempta *cedro*, & addita *quercu.* Statius

Xx 5 bis

Robora nec cuneis, & olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
Et jam Fama volans, tanti prænuntia luctus,
Euandrum Euandrique domos & mœnia conplet,
Quæ modo victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, & de more vetusto

Fune-

bis excurrit in hanc rem; sed lib 3. in genere tantum loquitur, nullam nominans arborem, in 6. multas nominat, videlicet quas vidisti, & addit de novo funestas alias, *fagum*, *cupressum*, *taxum*, *abietem*, *alnum*, *ulmum*. Sil. lib. decimo aliquas harum nominat, & addit *populum*. Cerda.

137. *Robora.*] Modo genus ligni est, nam est inter specialia nominatum. *Servius.*

Olentem cedrum.] Quia quærebantur arbores odoriferæ ad ustrinam pyræ abigendam. Et hæc est ratio, cur adhibita *cedrus* ab scientissimo Poëta, etiamsi non esset in eo orbe, modo vere *cedrum* intelligat, modo juniperum, quam Plinius *cedro* ait esse similem: & vere, nam suavitate odoris, foliis, baccis, similis est *cedro*. Tu lege Pet. Vect. l. 38. c. 1. *Cerda.*

138. *Plaustris gementibus.*] Sub pondere sonantibus. *Servius.*

Plaustris gementibus.] Arripuit Sen. in Hipp. *fertur plaustro præda gementi.* & Apollon. lib. 2. Excid. Hierosl. in re plane simili,

Cæduntur silvæ, plaustrisque gementibus orni,
Fraxineæque trabes, & pinea robora mistim.

Quæ duo loca Virgilio annectebat charissimus Morlanius. & ego Græcos. nam Cal. lib. 3. ἰπέσεν δ' ἄσπετ@- ὕλη. Cyrill. Alexandrinus in Amos num. 23. κυλίονται ὁμῶ τοῖς ἄξοσιν οἱ τροχοὶ, βαρύ τι κ) δυσηχὲς ἀποτρίζοντων τ ξύλων, κ) μονονεχὶ κατακεκραγότων ἐπικειμένων αὐτοῖς φορτίων. ibid. de axe, dixit, κατακεκραγώς. Corippus libr. 4.

Robora silvarum tunc plaustra gementia ducunt,
Magnis ponderibus tractu scindente rotarum.

Gaudent. quoque Episcop. Brixiens. *iter solidum plaustris gementibus commodabat.* Est hoc, quod Sidonius epist. 10. l. 2. *stridentum essedorum.* & quod Claud. de mulab. Gallic. *esseda multisonora.* Cerda.

139. *Et jam fama volans.*] Est hoc illud l. 9.

Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia fama ruit. ——

Claud. 2. Eutrop.

Jam vaga pallantem densis terroribus aulam
Fama quatit. ——

Val. 2. Arg. de eadem, *motis quatit oppida linguis.* Amm. libr. 15. *Erratica quædam antevolans prodiderat fama.* Idem.

Prænuntia.] Nonnus lib. 41. dixit, προάγγελ@- ἦλθο. *Idem.*

140. *Complet.*] Impressores plerique librarii *complet*, ut sonorius esset, posuere. Antiqua tamen omnia exemplaria *replet* legunt, uti etiam in vulgatis prius codicibus habebatur. *Pier.*

141. *Quæ modo victorem Latio Pallanta ferebat.*] *Latio* pro *in Latio*. Bene *modo*. Uno enim eodemque die & fortiter fecit & periit: ut, *Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.* Alii *modo*, paulo ante accipiunt. Sed *modo*, haud cum adfectu, ut acerbior luctus de tanta mutatione nasceretur. alii *modo*, pene, accipiunt. *Servius.*

142. *Arcades ad portas ruere.*] Eos nunc Arcadas dicit, qui intra civitatem sunt.

Funereas rapuere faces. lucet via longo
Ordine flammarum, & late discriminat agros.
145 Contra turba Phrygum veniens plangentia jungunt
Agmina.

sunt. Multa tamen exemplaria, *Arcadas at portis ruere*, habuerunt, ut conjunctio sit, non præpositio; ut, *It nigrum campis agmen*, pro *per campos*, & *It portis jubare*, per portas: *ruere*, id est, magna velocitate ferri, ut *Excitum ruit ad portas*, &, *Ruuntque effusi carcere currus*, & *ruere* pro *ruebant*, infinitum pro pronuntiativo. *Servius*.

De more vetusto.] Quia antea per noctem cadavera proferebantur cum faculis. *Idem*.

143. *Rapuere faces.*] *Rapuere*, raptim & festinanter tulerunt. Sed apud Romanos moris fuit, ut noctu efferrentur ad funalia, unde etiam *funus* dictum est, quia in religiosa civitate cavebant, ne aut magistratibus occurrerent, aut sacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari. Inde etiam, qui funeri præerant, à vespera primum *vesperones*, deinde *vespillones* dicti videntur, & magis moris Romani, ut impuberes noctu efferrentur ad *faces*, ne funere immaturæ sobolis domus funestaretur, quod præcipue accidebat in eorum, qui in magistratu erant, filiis. Ideo Virgilius Pallantis corpus facit excipi *facibus*, quia acerbum funus. *Funera* autem alii à funalibus candelis, sebo vel cera circundatis dicta, quod his prælucentibus noctu efferrentur mortui. Alii à fungendo, quod eo præsumo * in eo qui decessit officio fungimur, vel quod hi qui mortui sunt, vita functi dicuntur. Alii tradunt de filiis, qui in potestate patris sint, non putari jus esse funus vocari fierique, quia servi loco sint parenti, & si id fiat familia funestata sit: Ergo hic merito Pallantis funus facibus celebratur, ut filii. Alii, sicut Varro & Verrius Flaccus dicunt, Si filius familias extra Urbem decessit, liberti amicique obviam procedunt, & sub noctem in urbem infertur in cereis facibus, quoniam prælucentibus, ad cujus exsequias nemo rogabatur. Sane hæc corpora sive projici jubebantur & à cadendo, sive quod sepultura carebant, *cadavera* dicta. *Idem*.

Rapuere.] Raptim & festinanter tulere, in occursum scil. funeri. Nam cum funera olim ad faces & funalia noctu efferrentur, postea interdiu idem obtinuit. Alludit Propert. lib. 4. eleg. ult.

Viximus insignes inter utramque facem.

nam & nubentibus faces præferebantur. Vide Servium Dan. & J. Kirchmann. l. 2, 3. & Lipsium ad Tacitum, lib. 3. Quanquam distinctio illa cerei & funalis ad discrimen statuendum inter *acerba funera* (cujusmodi hic Pallantis est) & alia, ab Is. Casaubono exploditur, ad Persium Sat. 3. Vide ibid. exquisite multa in hanc rem disputata. *Taubm.*

144. *Discriminat.*] Dividit. Unde & *discrimen capitis muliebris* dicitur, ex eo, quod caput auro discernat. *Servius*.

Discriminat agros.] Facies terræ, quæ una fuit, interjectis facibus videbatur in partibus esse divisa. *Donatus*.

145. *Plangentia jungit, &c.*] Ab toto hoc loco Stat. 5. Theb.

—laceras comitata Thoantis
Advehit exequias. contra subit obvia mater
Femineos cœtus plangentiaque agmina ducens.

Nec longe abit Val. 3. Arg.

Parte alia Clite laceras super ora mariti
Fusa comas, misera in planctus vocat agmina matrum.

Neque Hom. locus ult. Iliad.

—οὐδέ τις αὐτόθι μίμνε πόλει ἔνι ἀνήρ,
Οὐδὲ γυνή. πάντας γὰρ ἀάσχετον ἵκετο πένθος.

Justinus lib. 19. dixit, *plangentia agmina junguntur*. Cerda.

146. *Post-*

Agmina. quæ postquam matres succedere tectis
Viderunt, mæstam incendunt clamoribus urbem.
At non Euandrum potis est vis ulla tenere:
Sed venit in medios, feretro Pallanta reposto
Procubuit super, atque hæret lacrimansque gemensque,
Et via vix tandem voci laxata dolore est:

Non

146. *Postquam matres.*] Vel pro mulieribus posuit, vel matres eorum, qui cæsi fuerant. *Donatus.*

Succedere.] Ut, *Tumulo sineret succedere terræ.* Servius.

Succedere tecto.] In cod. aliquot antiquis, *Succedere muris* legitur. In Mediceo & plerisque aliis *tectis* numero multitudinis. *Pierius.*

147. *Incendunt.*] Implent: ut, *Clamore incendunt cœlum Troësque Latini.* Servius.

Incendunt clamoribus urbem.] Ad eum modum, quo, *Martemque accendere cantu*, id est, excitare. Sic *incendunt*, i.e. turbant urbem clamoribus. *Cerda.*

147. *At non Euandrum, &c.*] Cæsar Scalig. l.4.c.4. ubi de *Cultu* tractat, qui evenit in sententiis, quando non omnia quæ dici possunt, dicuntur: itemque in *verbis:* hos quattuor versus exemplum adducit, & quidem in *oratione grandi.* Taubm.

Potis est.] Id est, potest; ut etiam Lucr. lib. 5.

Quis potis est dignum palanti pectore carnem
Condere, pro rerum majestatisq́; repertis?

Maro alibi, *potis est per tela, per hostes.* Cerda.

Potis est.]Vid. sup. l.3. Æn. ✝s.671. E.

Vis ulla.] Nec ætatis nec imbecillitatis, nec severitas regia. *Servius.*

149. *Pheretro Pallante reposto.*] Id est, *posito Pallantis pheretro.* Nam Antiptosis est. *Idem.*

Pheretro.] Multi ita indigetant. Tacitus 2. Annal. *torum.* Hom. sæpe λέχος. A Græcis Latini. Nam Suetonius in Julium cap. 84. *lectum* vocat. Martialis nominat *sandapilam.* Plautus *capulum.* Horatius *libytinam.* Martialis *Orcinianam spondam*, &, *lectum Stygium.* Lucanus & Horatius *arcam.* Alii *arceram.* Dici etiam *lecticam*, & *lecticulam* jam Lipsius observavit lib. 1. Elect. c. 19. Dionys. & Plut. in vita Gracchi κλίνην. Inter tot autem propria admodum vox est *pheretrum:* nam & Græcis ἐκφέρω, & Latinis *effero* de hac re. *Cerda.*

Reposto.] Sic 6. *tellure repostos.* & in re mortuorum Prop. Eleg. 17. lib. 1. *fata reponere.* Idem.

150. *Procubuit super, atque hæret, &c.*] *Procubuit* præterito tempore, non sine quorundam codicum veterum testimonio scribi video. Romanus tamen *procumbit* præsenti tempore legit, quod prius in vulgatis etiam habebatur, placet vero *procumbit*, quia sub sequitur *atque hæret* eodem tempore, remque ipsam actu esse, magis movet. *Pierius.*

151. *Et via vix tandem voci laxata.*] In Rom. cod. *vocis*, quod non ita placet. *Idem.*

Et via vix tandem.] Ita in magno dolore Stat. 11. Theb.

Nec vox ulla seni, jacet immugitque cruentis
Vulneribus, nec verba diu tentata sequuntur.

Ovidius in magno dolore 11. Metam. *stupet hic.* Idem egregie dixit, vocem devorari à dolore. Plut. in vita Pomp. ἦν δὲ τοῦ δήμου θαῦμα, καὶ σιωπὴ πάντων. Et ibidem ipse Pompejus facta jactura magni honoris, ἄφθογγος καθῆστο, ὅμοιος τῷ ἀγρίῳ καὶ τῷ ἐκπλήξει τὴν διάνοιαν, *dementi similis & attonito mentem.* Et paulo post Cornelia ejus

uxor,

Non hæc, ô Palla, dederas promissa parenti,
Cautius ut sævo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset.
Primitiæ juvenis miseræ, bellique propinqui

Dura

uxor, audita eadem clade, *πολλὼ χρόνον ἔκφρων, καὶ ἄναυδος ἔκειτο.* Livius lib. 3. *flens diu vocem non misit.* Andromacha 3. Æneid. *diriguit visu in medio.* Quod sequitur laxatam tandem vocem, illustrabis sequentibus. Statius 5. Theb.

—— tandem laxata dolore
Vox invenit iter, gemitusque in verba soluti.

Et lib. 11. in re plane simili,

Tandem muro furens genitor suspiria solvit.

Ovid. 9. Metamorph.

Linguaque vix tales icto dedit aëre voces.

Andromacha lib. 3. *longo vix tandem tempore fatur.* Cerda.

152. *Non hæc, ô Palla, dederas promissa parenti, Cautius, &c.*] Duplex expositio est: aut enim hoc dicit, Non mihi talia promittebas, ut crederem cautius te dimicaturum, ut intelligamus proficiscentem Pallantem promisisse patri victoriam, cædem hostium, plurima spolia. Qui enim cogitat hæc, cautelæ obliviscitur, aviditate vincendi: aut certe *Non*, pro *nempe* accipiamus; ut in Terentio: *Non tu hunc rus produxisse te ajebas?* id est, *nempe.* ut nunc sit sensus: Nempe hæc mihi dederas promissa discedens, quia cautius fueras pugnaturus. Alii non *parenti*, sed *petenti* legunt, ut non jure adfectionis quam filius patri ducebat, sed humanitatis eum convenire videatur. Petenti mihi, ô Palla, fidem dederas te cautius quam fortius dimicaturum. & adfirmant, si *parenti* legendum esset, potuisse dici, *Non hæc ô fili dederas promissa parenti.* Alii hæc *κατὰ τὸ σιωπώμενον* dicta accipi volunt. *Servius.*

153. *Cautius ut sævo, &c.*] Seneca Controv. *Fortis plusquam aut legi, at patri sat est.* Ceterum cum hoc consilio caute pugnandi affinis Ovidius duplici in loco. Videlicet in epistola ubi Laodamia hoc identidem suo Protesilao. & 10. Metamorph. ubi Venus suo Adonidi: illa ut Trojanos hostes vitet, hæc ut feras. *Cerda.*

154. *Haud ignarus eram.*] Pathos ab eo, quod speraverit. Macrob. l. 4. c. 6. Et *γνώμη* est, de temeritate juvenili. *Taubmannus.*

In armis.] Apud armatum, cujus consilium cupidos victoriæ plerumque conturbat. *Servius.*

Quantum nova gloria in armis.] Cal. lib. 1.

Ἀνδρὶ γὰρ αἰχμητῇ νίκη κλέος, ἔργα τ' Ἄρηος
Τερπνά. ——

Vide Adag. *Dulce bellum inexpertis.* Cerda.

155. *Prædulce decus.*] Aut valde dulce, aut quasi immaturum. *Serv.*

156. *Primitiæ.*] Rudimenta, quasi Trojani. *Idem.*

Primitiæ juvenis miseræ.] Arripuit Stat. & in re simili lib. 11.

Hostia, nate, jaces, ceu mutus, & è grege sanguis.
Hei mihi primitiis armorum, & rite nefasto
Libatus jussusque mori! ——

Quintil. de re eadem Declam. 315. *Debetur hoc disciplinæ militari, debetur castrorum severitati. Infelix exeuntium omen, miseraque primitiæ.* Sophoc. in Elect. dixit θυηλὴν Ἄρεος, quasi sacrificium & primitias Martis, loquens videlicet de mortuo. Plutar. in Cimone, *ἀρχὰς ἀγώνων.* *Cerda.*

Bellique propinqui.] Vel quod ante maturam ætatem Pallantis venerit, aut

propin-

Dura rudimenta, & nulli exaudita deorum
Vota precesque meæ! tuque, ô sanctissima conjunx,
Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem!
Contra ego vivendo vici mea fata, superstes

Resta-

propinqui, nimium vicini, quo Pallas mitti posset. Sane hoc bellum *Antarium* vocari solitum, quod sit ante urbem, quasi ante aras. *Servius.*

157. *Dura.*] Misera & infelicia. *Idem.*

Nulli exaudita Deorum Vota &c.] Hinc fluxere illa Statii 11. Theb. licet in contrarium conversa,

Heu dolor, heu justo magis, exaudita parentis
Vota, maleque preces! quisnam fuit ille Deorum,
Qui stetit orantem juxta, præceptaque verba
Dictavit fatis? —— Cerda.

158. *Vota precesque meæ.*] Supra, *Fors & vota facit.* Serv.

Tuque ô sanctissima conjunx.] *Sanctum* non semper sacrum, neque religiosum est, ut hic, ubi *sanctissima* incorruptæ castitatis significat, unde & *sanctæ leges* appellantur, quæ neque corruptæ sunt, neque corrumpi possunt. *Idem.*

Sanctissima conjunx.] Id est, purissima. sanum enim castitatis honorem incorruptæ uxoris amplexus est. *Macrob. l.* 3. 3. Taubm.

159. *Felix morte tua.*] Ea sorte felix qua cæteri dolentur. Et bene *tua*, ne ut ipse filii morte fieret infelix. *Serv.*

Felix morte tua.] Tale illud Apollon. lib. 1. Arg. de Æsone patre Jasonis,

—— ἦτ᾽ οἱ ἦεν
Βέλτερον, εἰ τὸ πάροιθεν ἐνὶ κτερέεσσιν ἐλυσθεὶς
Νειόθι γαίης κεῖτο, κακῶν ἔτι νῆις ἀέθλων.

Briseïs apud Calab. viso ante oculos mortuo Achille:

—— ὡς ὄφελόν μοι
Γαῖα χυτὴ ἐκάλυψε, πάρος σέο πότμον ἰδέσθαι.

Ab hoc affectu Stat. lib. 11. *ô diri conjugis olim Felices tenebræ.* ne scilicet spectaret Oedipus illa funera. Idem 3. Theb. non dissimili affectu,

Ah quanto melius, dextraque in sorte jugatæ,
Queîs steriles thalami, nulloque ululata dolore
Respexit Lucina domum ——

Amphitruo apud Eurip. in Hercule petit a Lyco interfici se, & Megaram ante liberos, ne illos interfectos videant,

Ὡς μὴ τέκν᾽ εἰσίδωμεν, ἀνόσιον θέαν,
Ψυχορραγοῦντα —— Cerda.

160. *Vivendo vici mea fata.*] Diu vivendo. Ut in Bucolicis, *O Lycida vivi pervenimus. Vici* autem *mea fata*, id est, naturalem ordinem vita longiore superavi; an hoc tantum, ut superstes essem filio meo, namque hic ordo naturalis est, ut sint parentibus superstites liberi. *Fata* ergo generalia dixit, referens se ad naturalem ordinem, non ad fatum proprium. Nam fata superare nemo hominum potest. Unde multi sic distinguunt, Contra ego vivendo vici vitam, scilicet filii. Id est, Supervixi. Veteres enim *vivendo vincere* dicebant supervivere: ut, *Multa virum volvens vivendo secula vincit.* nam & in Togatis *victrices* appellantur quæ viros extulerunt. Plautus in Epidico, *Quia tibi licuit eum vivendo vincere.* Nam hoc est, superstes restarem ut genitor. ut, *mea fata*, per exclamationem dictum sit. Sciendum tamen etiam irrationabilia dolentibus dari. *Servius.*

Contra ego vivendo, &c.] Huc pertinet querela Hecubæ apud Euripid. Troadib. in sermone Astyanactis,

Σὺ δ᾽ οὐκ ἐμ᾽, ἀλλ᾽ ἐγώ σε τὸν νεώτερον,
Γραῦς, ἄπολις, ἄτεκνος, ἄθλιον θάπτω νεκρόν.

Dolent

Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis: animam ipse dedissem,
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret.
Nec

Dolent enim parentes natis supervivere. Tale & illud Quintilian. in Declamat. 315. *Si alterum utique ex domo nostra destinabatis, cur non senem potius traxistis?* & Declam. 344. *Infelices quidem, qui liberos suos ad rogum deflent.* Cum vero queratur Euander, se diu vixisse ad videnda tot mala, non abludent versus Juven. Sat. 10. ubi de Nestore ita ait:

— oro parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, cum videt acris
Antilochi barbam ardentem. nam quærit ab omni,
Quisquis adest, socio, cur hæc in tempora duret?
Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo?
Hæc eadem Peleus raptum cum luget Achillem.

Juvenali affinis Propert. Eleg. 13. lib. 2. imo ab hoc Satyricus:

Atque utinam primis animam me ponere cunis
Jussisset quævis de tribus una soror.
Nam quo tam dubiæ servetur spiritus horæ?
Nestoris est visus post tria secla cinis.
Si tam longævæ meminisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus;
Non ille Antilochi vidisset corpus humari:
Diceret aut, ô mors, cur mihi sera venis?

Tale & illud Albinov. ad Liviam,

Accusatque annos ut diuturna suos.

Et Lucani lib. 2.

Servatosque iterum bellis civilibus annos.

Versus Virg. ductus videtur ab illo Lucret. lib. 1.

Multaque vivendo vitalia vincere secla.

Cerda.

Superstes.] Signate, & efficaciter ad conquestionem, quasi Dii, interfecto Pallante, & servato Euandro, abusi fuerint nominibus rerum, dicente Tullio de patribus lib. 2. de Nat. *Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati.* Idem.

161. *Restarem.*] Essem. *Serv.*

162. *Obruerent Rutuli telis.*] Id est, *me*, & bene etiam sibi irascitur, sic enim natura immœrentis exprimitur. *Idem.*

Obruerent.] Non expressum est, τὸ εὐκτικὸν, *Utinam.* Catullus:

Tecum ludere, sicut ipse, possem!

Tibullus:

Tum mihi vita foret!

Utinam foret! Scalig. *Taubm.*

Dedissem.] Reddidissem. *Serv.*

163. *Pompa.*] Exequialis scilicet. *Id.*

Me.] Vehementius pronuntiandum, & bene Pallanta ipsum omen. * *Idem.*

Atque hæc pompa domum, &c.] Hoc scilicet convenientius naturæ. In re simili Euripid. Supplic. de matribus, quibus perempti filii, ait servatas,

— οὐ Δήμητρος εἰς μυστήρια,
Ἀλλ' ὡς νεκροὺς θάψωσιν, ὡς αὐτὰς ἐχρῆν
Κείνων ταφείσας χεροῖν ὡραίων τυχεῖν.

Tam à Virgil. quam ab Eurip. Valerius 3. Arg.

— quod si jam bella manebant,
Et placitum hoc Superis: nonne hæc mea justius essent
Funera? meque tuus potius nunc plangeret error?

Ait vero Poëta *pompa*, sermone proprio mortuorum. Stat. 5. Silv.

Exequias, & dona mala feralia pompa.

Quint. Declam 328. *Ducatur ingens funeris pompa.* & πομπὴ Græcis sæpe in hoc usu. *Cerda.*

164. Nec

Nec vos arguerim Teucri, nec fœdera, nec, quas
Junximus hospitio, dextras: sors ista senectæ
Debita erat nostræ. quod si inmatura manebat
Mors natum, cæsis Volscorum millibus ante,
Ducentem in Latium Teucros cecidisse juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,

Quam

164. *Nec vos arguerim.*] Exonerat eorum pudorem, ne videantur ei causa orbitatis fuisse, dicens sibi hoc fataliter debitum. *Arguerim* autem alias indicaverim, ut *degeneres animos timor arguit*; alias accusaverim, ut nunc Cicero, *Arguis fatentem.* Serv.

Nec vos arguerim.] In codicibus aliquot antiquis *arguerem* Græcanica figura legitur, nec tamen displicet *arguerim.* Pierius.

Nec vos arguerim Teucri, &c.] Pari affectu Stat. 5. Theb.

— quos arguo Divos?
Ipsa ego te (quid enim timeam moritura fateri?)
Exposui fatis. ——

Et Valer. lib. 3. Arg.

Nec Clarii nunc antra Dei, quercusque Tonantis
Arguerem. ——

Præclare hi duo, nam ex præscripto Virgilii non Homeri, qui 3. Iliad.

Οὔ τοι μοι αἰτίη ἐσσί, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν.

Non enim ita palam in Deos. Itaque caute Virgil. *sors ista senectæ, &c.* Similis est incogitantia lib. 19. Iliad. ubi Agamemnon ait se non fuisse culpæ suæ auctorem, sed Jovem. Verba sunt hæc, *ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιός εἰμι, ἀλλὰ Ζεύς.* Cerda.

165. *Senectæ.*] Deest *ætati*: nam *senecta ætas* dicitur. Sallustius, *Senecta jam ætate.* Per se autem plenum est, si *senectus* dicamus. nam si *senecta*, aut addendum *ætas*, aut intelligendum. *Servius.*

Sors illa.] Antiqua omnia exemplaria *ista* legunt, ut olim etiam imprimi solitum. *Pierius.*

166. *Quod si immatura manebat.*] Magnifice servat decorum, quod se revocat ad heroicam consolationem. *Serv.*

168. *Ducentem in Latium Teucros cecidisse juvabit.*] Lucrum quodammodo putat, impendisse pro amicorum felicitate filium, qui mortis fuerat acerbo funere fataliter debitus. *Idem.*

Cecidisse juvabit.] In Romano codice *juvaret* eadem figura, qua *arguerim* superius dictum notabamus, quippe pro, *juvare poterit.* Pierius.

Juvabit.] In hoc verbo inest voluptas. Expende ergo. Juvat me & recreat in summo mœrore recordatio cæsorum à te. Quasi unicum sit solatium vindicta sumpta de hostibus. Ad rem hanc Livius lib. 25. *Qui eam victimam præ se ad inferos misisset, eum decus eximium, egregiumque solatium suæ morti inventurum.* Plin. etiam *solatium* dixit de re eadem ep. 14. l. 3. *Non sine ultionis solatio decessit.* Cassiod. *gaudium* c. 1. l. 7. *Cæsi de optata ultione gauderem.* Hæc profecto mens est Virgil. vel ex sequentibus, ubi Euander hoc unum *gaudium* quærit, interfici scilicet Turnum ab Ænea in ultionem interfecti filii. Vel torque alio sententiam, dicente Quintil. Declam. 377. *Avida est gloriæ paterna pietas.* Cerd.

169. *Non alio digner te funere, Palla.*] Latenter hic Æneæ ostenditur pietas, qui in amici funus tanta contulit, ut pater amplius præstare non possit. Alii *dignem* legunt, juxta veteres, ab eo, quod est *digno*: Calvus, *Hunc tanto munere digna.* Pacuvius in Hermione, *Cum neque me inspicere æquales dignarent.* Hinc ipse Virgilius III. Æn. *Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo.* S.

170. Quam

Quam pius Æneas, & quam magni Phryges, & quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.
Magna tropæa ferunt, quos dat tua dextera leto.
Tu quoque nunc stares immanis truncus in arvis,
Esset par ætas, & idem si robur ab annis,
Turne. sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite, & hæc memores regi mandata referte:

Quod

170. *Quam pius Æneas.*] Deest *quo*, ut sit, quam quo. *Serv.*

171. *Tyrrhenique duces Tyrrhenûmque exercitus omnis.*] Quum ita legerent vulgati omnes codices *que* particula duplicata, putabam huuc quoque versum ex iis esse, qui communes scansionis regulas transgrediuntur, Poëtis interdum lascivire volentibus. Postea vero quam veteres omnes codices, quos præ manibus habui, consentire in unam eandemque lectionem animadverti, jam nonnullorum superstitione repudiata, legendum asseruerim, *Tyrrhenique duces, Tyrrhenûm exercitus omnis*, absque ea particula: quamvis ea desiderari videatur. *Pierius.*

172. *Magna trophea ferunt.*] In antiquis aliquot *tropæa*: & in Romano, & aliquot aliis *ferant:* quod luculentius videtur. *Idem.*

Quos dat tua dextera letho.] Ita libro 12.

Multa virûm volitans dat fortia corpora letho.

Et in 5. *Millia multa daret letho.* Quæ locutio sumpta ab Ennio, Pacuvio, Varrone, ut jam indicavit Hieronym. Columna. Primus in Telepho, *letho dati.* Alter in Duloreste, *letho dabis.* Tertius lib. 6. Ling. Lat. *Ollus letho datus est.* Cerda.

173. *Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis.*] Id est, in trunco armatus. Sicut isti duces, de quibus hæc sunt tropæa: nam supra ait, *Indutosque jubet truncos hostibus armis Ipsos ferre duces.* Servius.

174. *Esset par ætas.*] Vel mea, vel filii. nam ad utrunque potest referri. *Id.*

Esset par ætas, &c.] Possis referre ad utrumque, Pallantem scilicet, & Euandrum: sed æquius ad Euandrum, vel ex similitudine locorum Homeri, apud quem senes ita solent, ut cum Laërtes Odyss. ult. ait se interfecturum procos, si talis esset, qualis olim in florente ætate. & Nestor 7. Iliad.

Εἴθ' ὣς ἡβώοιμι, βίη δέ μοι ἔμπεδος εἴη.

Cerda.

Et idem sit robur ab armis.] Legendum, *Et idem si robur*, ex antiquorum omnium codicum lectione. Quibus addam, *robor* utraque syllaba per o scribi solitum in antiquis aliquot codicibus. Neque desunt veterum Grammaticorum observationes, *robor*, in eorum ordinem redigentium, quæ *or* finiunt, ut *marmor*, *æquor*: & ita semper apud Sosipatrem Carisium observavi, in codice literis Longobardicis scripto. De hoc vero Quintilianus ait: *ebur* & *robur* ita dicta, ac scripta, in summis auctoribus in o literam secundæ syllabæ transferunt quidam, quia sit *roboris*, & *eboris*. Addit & alios fuisse, in quibus Antonius Gnifo memoratur, qui non solum *robur*, *ebur*, *marmur*, verum etiam ex his *robura*, *ebura*, *marmura* & scriberent, & enuntiarent: quum tamen ipse literarum citet affinitatem, ob quam ita *robur roboris* dicamus, veluti etiam *limes limitis*. Pier.

175. *Teucros quid demoror armis?*] *Ab armis*: & hoc videtur dicere, Dimittendi sunt Trojani, ut morte Turni doloribus meis satisfiat, quod etiam posteriora significant. *Serv.*

Quod vitam moror invisam, Pallante peremto,
Dextera caussa tua est; Turnum natoque patrique
Quam debere vides meritis. vacat hic tibi solus
Fortunæque locus. non vitæ gaudia quæro,
Nec fas: sed nato manis perferre sub imos.
Aurora interea miseris mortalibus almam

Extu-

177. *Quod vitam moror invisam.*] Non dubium, quin tota sententia desumpta ab Iliad. 18. ubi Achilles ita loquitur:

— ἐπεὶ οὐδ' ἐμὲ θυμὸς ἄνωγε
Ζώειν, οὐδ' ἄνδρεσσι μετέμμεναι, αἴκε μὴ Ἕκτωρ
Πρῶτος ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσῃ,
Πατρόκλοιο δ' ἕλωρα Μενοιτιάδεω ἀποτίσῃ. Cerda.

Quod vitam moror invisam.] Quasi dicat: Spes, quam de virtute tua concipio, quæ Turni cæde gnatum meum & me ulcisci debet, in vita jam invisa me retinet. *Taubm.*

178. *Dextera caussa.*] Cum Euander ab Ænea petat ultionem Pallantis, recte Germ. adducit consentientem Xenophontis locum ex Pæd. Cyri, ubi Gabrias de cæde filii sui apud Cyrum queritur. Apud Josephum libr. 1. Bell. Jud. cap. 11. Phasaëlus dux ita dixit jam moriens: *νῦν εὔθυμος ἄπειμι, τὸν μετελευσόμενον τοὺς ἐχθροὺς ζῶντα καταλιπών.* Et Euripidem in Elect. ubi Electra ipsa non dissimili sententia,

Θάνοιμι, μητρὸς αἷμ' ἐπισφάξασ' ἐμῆς.

Ibid. post multa,

Εἰ γὰρ θάνοιμι τοῦτ' ἰδὼν ἐγώ ποτε.

Post interfectos nimirum Ægystum & Clytæmnestram. Et in Orest. ait Orestes ipse,

Εἰ γὰρ τοῦτο κατθάνοιμ' ἰδών.

Cupit quippe mori, postquam viderit interfectum Menelaum. Seneca lib. 1. de Clement. c. 21. dixit, *ultio solatium affert ei, qui accepit injuriam.* & Tertull. lib. de Anim. *Pro solatio ultionis.* Cerd.

Turnum natoque patrique, &c.] Alias ex Victorino *gnato* legendum ostendimus, g litera præposita: quod vocabulum Fortunatianus tam Poëticum existimat, ut minime Oratori adcommodatum putet. Huic vero scriptioni Carisium subscripsisse, loco hoc præcipue teste, manifestum. ait enim ille, ubi de figuris, *Prothesis est, quum primæ parti dictionis, aut litera adjicitur, aut syllaba: litera, ut Turnum gnatoque patrique. syllaba, ut tetulit.* toties apud Catullum, cujus hoc loco versum, *Concitum tetuli gradum*, Carisius ex Poëmate de Vere, quod desideramus, citat: ut illis etiam sit responsum, qui *Ferre gradum* Latine dici negant. *Pier.*

179. *Meritis vacat his tibi solus, fortunæque locus.*] Nihil est aliud quod possit vel virtus tua, vel fortuna præstare (nam his rebus victoria contingit) nisi ut occiso Turno, & vindices filium, & patrem consoleris orbatum. *Serv.*

Meritis vacat his.] Præfert hoc Fabricius. Alii leg. *hic.* Taubm.

180. *Non vitæ gaudia quæro.*] Non delectatione lucis istius vivo: nec fas est superesse orbatum tali filio patrem: sed ut nuncius ad inferos pergam, ac Pallanti referam *gaudia*, & optatam ab hoste sumptam vindictam. *Don.*

181 *Sed gnato manes perferre sub imos.*] Ac si diceret hanc solam esse caussam, quæ eum cogat ad vitæ patientiam, ut filio Turni nuntietur interitus. *Serv.*

182. *Aurora interea, &c.*] Apoll. lib. 2. *οὐδὲ ποτί σφιν ἠὼς ἀντέλλει κνεφάτων ἄτερ· & ἦμος ἑωσφόρος εἶσι φόως ἐρύων ἐπὶ γαῖαν, ὄντε μέτα κροκόπεπλος ὑπεὶρ ἅλα κίδναται ἠώς.* Nempe ut

Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Jam pater Æneas, jam curvo in litore Tarchon
Constituere pyras. huc corpora quisque suorum
More tulere patrum: subjectisque ignibus atris
Con-

pe ut hic Maroni, Græcis quoque Aurora φερέσβιος, φωσφόρος, φωταγωγὸς, & φερέπονος dicta: φερέπονος siquidem non solum laboris tolerantem, sed & afferentem laborem significat: ut & Hym. in Merc. Hom. τάχα δ' ὄρθρος ἐγίγνετο δημιοεργός· & post paulo: ἠὼς δ' ἠριγένεια φόως θνητοῖσι φέρουσα ὤρνυτ' ἀπ' ὠκεανοῖο βαθυῤῥόου. Germ.

Miseris mortalibus.] Qui sunt subjecti tot casibus. Homerus, δειλοῖσι βροτοῖσι, id est, *miseris mortalibus*, non *timidis*. Serv.

Miseris mortalibus.] Hoc epitheton ex Homero sumptum esse alibi admonui; quo Lucretius usus est hoc versu in lib. 5.

Pabula dia tulit miseris mortalibus ampla.

& Pomponius in Atellanis, ædituo, vel ut alii æditimo, ait:

Nec mortalis, nec mortalium ullum in terra miserius est.

quo versu videtur expressisse Homericum carmen,

Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο. *Ursinus.*

183. *Extulerat lucem.*] Asinius Pollio dicit ubique Virgilium in diei descriptione sermonem aliquem ponere aptum præsentibus rebus, ut hoc loco: quia funerum & sepulturarum res agitur, dicit *extulerat.* Item in quarto, quia est navigaturus Æneas, & relicturus Didonem, dicit: *Tithoni croceum linquens aurora cubile.* quod licet superfluum sit, tamen in multis locis invenitur necessarium. *Serv.*

Opera, atque labores.] *Hoc opus* & *hæc opera* tunc dicimus, quando negotium ipsum, quod geritur, significamus: si autem fœminino genere dixerimus *operas*, ipsas personas, quæ aliquid faciunt, significamus, sicut *custodia* dicitur quæ custodit, ut, *Cernis custodia qualis Velivolo sedeat.* nam ut hi qui custodiuntur, *custodiæ* dicuntur, usurpatum est. Unde male est in usu, *custodiæ audiuntur.* Idem.

Referens opera, atque labores.] Nam videlicet, ut nox inducitur μετόπισθε λύσιν καμάτοιο φέρουσα, verba sunt Calab. l. 10. ita è contrario Aurora dicitur φερέπονος. Et melius quidem *referens*, quia iterato sæpe, quam simplex φέρει Homericum Iliad. decima nona. Itaque ex ductu Virgilii Manilius lib. 1.

Illic orta dies sopitas excitat urbes,
Et cum luce refert operum vadimonia terris. Cerda.

184. *Curvo in litore.*] Attius Phœniss. *Ac ubi curvo litore latratu unda sub undis labunda sonit.* Minutius, *Oram curvi molliter litoris legebamus.* Lucr. lib. 2.

Litoris incurvi bibulam lavit æquor arenam.

Hieronym. epist. 30. *Reconditos curvorum litorum sinus.* & epist. 41. *Curvo assidens litori.* Idem.

185. *Constituere pyras.*] *Pyra* est lignorum congeries. *Rogus*, cum jam ardere cœperit dicitur. *Bustum* vero jam exustum vocatur. Quem ordinem servat poëta, dicens, *Constituere pyras.* Item, *Subjectisque ignibus atris Ter circum accensos Decurrere rogos.* Item postea, *Semustaque servant Busta.* Serv.

186. *More tulere patrum.*] Quia apud varias gentes, diversa fuerunt genera sepulturæ; inde est quod alii obruuntur, alii exuruntur, alii proprias remittuntur ad patrias: alii per diem, ut nunc isti: alii per noctem, ut supra Pallas. Et perite has varietates Virgilius posuit. Namque Heraclitus, qui

Conditur in tenebras altum caligine cælum.
Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos: ter mæstum funeris ignem
Lustra-

qui omnia vult ex igne constare, dicit debere corpora in ignem resolvi. Thales vero, qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit, obruenda corpora, ut possint humore resolvi. *Serv.*

More tulere patrum.] Cum tenacissimi sint mortales paternarum consuetudinum tum maxime in funeribus, ut apparet ex hoc loco, & ex sexta Æneide, ubi in Miseni funere ait, facem subjectam cadaveri *more parentum*. Huc pertinet locus Livii lib. 25. in morte Gracchi, ubi ait, *armatum exercitum decurrisse cum tripudiis Hispanorum, motibusque armorum & corporum suæ cuique genti assuetis*. Quod affine Virgilio, qui, *quisque more suorum patrum*. & Thucyd. libr. 1. ubi ait effossis sepulchris, Cares agnitos, τῷ τρόπῳ, ᾧ νῦν ἔτι θάπτουσι. Cerda.

Ignibus atris.] Atqui ignes atri non sunt, sed epitheton traxit de negotio, ut *atris* diceret, hoc est, funebribus: ut paulo post, *ter mæstum funeris ignem*, id est, funebrem. nam mœstus esse non potest ignis: *Atris*, cum concipiuntur. *Servius.*

187. *Conditur in tenebras altum caligine cælum.*] Id est, aër fumi obscuritate completur. *Servius.*

Conditur in tenebras.] Vocat tenebras, & cœli calignem *fumum*, qui ex incensis pyris. Pulchre Stat. 4. Silv. fumum exstantem è thure incenso appellat nubem, *Sabæis nubibus*. & Pers. Satyr. 5. nebulam de lucernæ fumo, *nebulam vomuere lucernæ*. Ab nube, & nebula non abeunt tenebræ Virgilianæ: imo illi duo obvie, Virgil. exquisite. Itaque Poëta pro fumo dicat, *nubem*, *nebulam*, *tenebras*. Cerda.

188. *Cincti fulgentibus armis.*] Id est, incincti & instructi. Frustra hoc epitheton notant Critici, quasi circumeuntes rogos alia arma habere debuerint. *Servius.*

Decurrere rogos.] Pro *circum rogos cucurrere*. Bene autem ait *Decurrere*, non *Decucurrere*. Nam verba quæ in præterito perfecto primam syllabam geminant, ut *curro cucurri*, *tondeo totondi*, cum composita fuerint, geminari non possunt. nam *decurri* & *detondi* dicimus, non *decucurri* neque *detotondi*: exceptis tantum duobus, *do* & *sto*. Idem.

189. *Decurrere rogos.*] Pro, *circa rogos cucurrerunt*. Milites enim, cum in armis ordinem servantes pleno passu incedebant, aut currebant, *decurrere* dicebantur. In funeribus autem clarorum virorum *decursiones* ejusmodi *militares* fieri solebant. Sed lævos orbes agere, circumque sinistram decurrere primum solebant: deinde ut expiarent contagionem funeris, in dextram decurrebant. Statius l. 6. Theb.

— lustrantque ex more sinistro
Orbe rogum, &c.

De qua *decursione funebri*, & περιδρομῇ, item de more lustrandi rogos, videatur Turneb. lib. 5. cap. 8. & Budæus, Annot. in Pandect. priorib. item J. Kirchmannus de funerib. R. lib. 3, 3. *Decurrere* igitur, id est, divisis bifariam aciebus concurrerunt ad simulacrum pugnæ. De quo Livius lib. 10. Bell. Maced. *Mos erat, lustrationis sacro peracto, decurrere exercitum, & divisas bifariam acies concurrere ad simulacrum pugnæ: regii juvenes duces ei ludicro certamini dati*. Gell. lib. 7. *Ut in decursibus ludicris, aut simulacris præliorum voluptariis fieri videmus*. Vide & Homer. Iliad. ψ. *Taubm.*

Mæstum funeris ignem.] Cur *mœstum* An quod illi mista atricies ex fumo proveniens? An quod lustratio facta circa ignem jam morientem & elanguidum, ac proinde mœstum, ut non clarum & rutilum? An, quia hoc est attributum rerum funeraliumomnium? Sic supra, *mæsta phalanx*, *mæstam incendunt*

Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.
Spargitur & tellus lacrumis, sparguntur & arma.
It cælo clamorque virûm clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis derepta Latinis
Conjiciunt igni; galeas, ensisque decoros,
Frenaque, ferventisque rotas; pars munera nota,
Ipsorum clipeos, & non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora morti;
Sæti-

tendunt clamoribus urbem. & lib. 5. in funere Anchisæ, *mæstasque sacravimus aras.* & in 3. aræ Polydori defuncti stant *cæruleis mæsta vittis.* An demum *mæstum ignem* dicit, pro, mœsti ipsi? *Cerda.*

191. *Spargitur & tellus lachrymis.*] Ὑστερολογία est, nam prius est, ut arma spargantur lachrymis, quæ corpori adhærent, quam terra. *Servius.*

192. *It cælo.*] Pro *in cælum.* *Idem.*

Clangorque. turbarum.] Ante enim mortui ad tubam deducebantur. Unde Persius, *Hinc tubæ, candelæ, tandemque beatulus alto Compositus lecto.* Idem.

Clangorque tubarum.] Persius Sat. 3. *Hinc tuba, candelæ.* ubi Cornutus: *Quia sepultura tubis, apud antiquos celebrabatur.* Vide Kirch. L. 2, 4. & Casaub. ad Persium. *Taubm.*

193. *Hinc alii spolia occisis direpta Latinis.*] Secundum suæ gentis ritum: alii hostilia arma; alii peremptorum cremabant. *Servius.*

Hinc alii spolia, &c.] Frequentissimum hoc in funeribus. Apud Liv. l. 8. T. Manlii adolescentis corpus crematur *spoliis contectum.* Ibidem ait: *Magister equitum ut ex tanta cæde multis potitus spoliis, congesta in ingentem acervum hostilia arma subdito igne concremavit.* Et lib. 45. loquens de Paulo Consule: *Cetera omnis generis arma cumulata in ingentem acervum precatus Martem, Minervam, Luamque matrem, & ceteros Deos, quibus spolia hostium dicare jus fasque est, ipse Imperator, face subdita, succendit.* Quo loci Turn. legit *Luam,* non *Lunam*, & approbat Germanus. (Nam hæc Dea à *luendo*, & *expiando* dicta.) Calab. lib. 3. in funere Achill.

Ἀμφὶ δὲ τεύχεα πολλὰ πυρὶ προσενήσαντο
Αἰζηῶν κταμένων. — *Cerda.*

Spolia derepta Latinis.] Legendum omnino *derepta* non *direpta.* Sic supra lib. 1. Æn. ℣s. 211. *Tergora deripiunt costis.* Horat. lib. 4. Od. 5. — *arma militibus sine cæde derepta.* Sil. Italic. l. 11. — *prædæ & captiva leguntur Corpora, dereptæque viris sub Marte cruento Exuviæ.* Sed vid. Nic. Heinsius ad Ovidium lib. 3. Metam. ℣s. 52. — *tegimen derepta leoni Pellis erat.* Emmeness.

195. *Ferventesque rotas.*] Nimio scilicet cursu. alibi, *Volat vi fervidus axis.* Horatius, *Metaque fervidis evitata rotis.* Et *ferventes* non modo, sed quæ soleant fervere, ut *spumantia frena.* Serv.

Pars munera nota.] Non enim animata solam, sed & inanima simul cum mortuis cremabant. Eaque peculiari nomine *munera* appellabantur. Vide Kirchman. lib. 3. cap. 5. *Emmeness.*

196. *Et non felicia tela.*] Quibus se defendere nequiverunt. *Idem.*

197. *Mactantur corpora morti.*] Aut *in morte*, aut *Morti*, ipsi deæ. Statius, *In scopulis Mors sæva sedet.* Lucanus, *Ipsamque vocatam Quam petat à nobis mortem tibi coge fateri.* *Circa* autem, ideo, quia ut Homerus dicit, in morte Patrocli circa corpus extincti, tam homines, quam pecora immolabantur. Unde & in sexto, *Ossaque lecta cado texit Corinæus aheno.* Homerus ἐν τῷ ψ,

ad

Sætigerosque sues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes: tum litore toto
Ardentis spectant socios, semustaque servant
Busta; neque avelli possunt; nox humida donec

Inver-

ad Patrocli pyram,

Ἐν δὲ τίθει μέλιτος καὶ ἀλείφατος ἀμφιφορῆας
Πρὸς λέχεα κλίνων, πίσυρας δ' ἐριαύχενας ἵππους
Ἐσσυμένως ἐνέβαλλε πυρῇ μεγάλα στεναχίζων,
Ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν.
Καὶ μὲν τῶν ἐνέβαλλε πυρῇ δύο δειροτομήσας. *Servius.*

Multa boum circa mactantur corpora morti.] Mactabantur ad rogos animalia, quia putabant veteres defunctorum animas sanguine delectari. De quo more vid. Kirchman. lib. 3. cap. 4. *Emmeness.*

Morti.] Adjicit Poëta, quasi in honorem Mortis mactata pecora. Certe apud veteres Mors culta, ut Dea. Illi Lacedæmonii templa dedicarunt, auctore Plut. in Cleomone, θανάτου ἱερὰ, ait ille. Tu vide Titium l. 4. Locor. c. 20. ubi ex Æliano, citante Eustathio, καὶ θανάτου ἄλλο, id est, ἱερόν. Vide & Lilium 1. Synt. & Alex. Neapol. Pausanias etiam lib. 3. Mortis simulacri meminit. Hæc quamvis vera sint, sed non dubium, quin simpliciter capi queat Poëta, ut *mactari morti* nihil sit aliud, quam *mactari*: ac tunc erit *morti*, pro *morte*, nam Latinum casum veteres ita desinebant, quod jam à me sæpe observatum. *Cerda.*

198. *Setigerosque sues.*] Ab Lucret. qui lib. 5. *setigeris suibus.* Idem.

Raptas.] Raptim advectas. nam per inducias rapere non poterant: aut certe ante *raptas*, belli scilicet tempore. *Serv.*

199. *In flammam.*] Id est, in rogum. *Idem.*

Semustaque.] Ita Serv. & vett. codd. Alii, *semiusta*, ut fiat συνεκφώνησις. *Taubmannus.*

201. *Busta.*] *Bustum* dicitur id quo mortuus conbustus * ossaque ejus ibi usta, sunt sepulta. Alii dicunt ubi homo combustus est nisi ibidem humatus fuerit, non esse ibi bustum, sed ustrinum. *Servius.*

Neque avelli possunt.] Hoc studium in defunctos illustravit Joann. Passerat. Lucret. lib. 3.

At nos horrifico cinefactum te prope busto
Insatiabiliter deflebimus, æternumque.

Ovid. in Epiced. Tibull.

Cumque tuis sua junxerunt Nemesisque, Pudorque
Oscula, nec solos destituere rogos.

Hanc parum constantem fidem Cynthiæ in colendo sepulcro suo timebat Propert. Eleg. 19. lib. 1.

Quam vereor, ne te, contempto, Cynthia, busto,
Abstrahat è nostro pulvere iniquus amor.

Cerda.

Nox humida donec.] Incepit hic tractus ab Aurora oriente, ut vidisti, desinitque in diem desinentem, ut hinc facile morem possim colligere; videlicet, diem solidum à luce prima ad lucem ultimam impendi solitum in funeratione. Idem apparet ex Hom. Il. ult. in funere Hectoris,

— κλαίων δ' ἀμφίσταθ' ὅμιλος,
Καὶ νύ κε δὴ πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα,
Ἕκτορα δακρυχέοντες ὀδύροντο πρὸ πυλάων.

Attingit & Iliad. 19. ubi Ulysses reprehendens Achillem de luctu perpeti, ait satis esse, si dies unus detur lacrymis. Iterum in eodem lib. cum Achilles velit diem alterum luctui addere, eam sibi legem imponit, ut diem integrum perseveret, aliisque abeuntibus ad cœnam, ipse maneat; quod facit, *Idem.*

202. In-

Invertit cælum stellis fulgentibus aptum.
Nec minus & miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras, & corpora partim
Multa virûm terræ infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt.

Cetera,

202. *Invertit cælum.*] Patet illud quod in promptu est, *Invertit cælum*, ut ea pars, quæ noctem haberet, sub terra esset. *Servius.*

Stellis aptum.] Conjunctum, ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι. *Idem.*

Cæl. stellis fulgentibus aptum.] Vide 4. Æn. vs. 482. *Taubm.*

Stellis ardentibus aptum.] Sunt codices aliquot antiqui, in quibus adspiratum est huic vocabulo *haptum*: nempe quia παρὰ τὸ ἅπτω dictum crediderint, atque *haptum* ita incensum, aut inflammatum significaret: vel si ἀπὸ τοῦ ἅπτομαι, quod conjungere, compaginare, & coaptare significat, nihilominus adspirationem admittere. Sed enim eam Latini non usquequaque recepere, ut omnibus iis adspirent, quibus Græci solent. *Pierius.*

203. *Nec minus.*] Etiam. *Servius.*

Nec minus interea diversa in parte, &c.] Cognatum illud Cal. lib. 1.

Ἀργεῖοι δ᾽ ἀπάνευθε δύσαν πυρὶ πολλὰ κάρηνα
Ἡρώων, οἳ δὴ πρὶν ὁμοῦ κτάθεν. ——

Porro locutio ista *nec minus*, pro *pariter*, sive *etiam*, nescias quo gustu amata Virgilio. Sic, *Nec minus ex imbri Soles. Nec minus Andromache. Nec minus ille exultat demens.* Cerda.

204. *Innumeras struxere pyras.*] Hoc loco multis rebus ostendit immensam cædem factam esse Rutulorum. *Serv.*

Struxere pyras.] Ex hoc testimonio, itemque ex illo Ovid. 4. Fast. de Remi funere,

Ultima plorato subdita flamma rogo est.

Atque etiam ex Plut. in Numa, ubi ait, cadaver Numæ tradendum rogo fuisse, nisi hoc ipse fieri vetuisset, qui vivus caverat, ne combureretur. Ex his (inquam) & aliis satis coarguunt viri docti lapsum Plinii cap. 54. lib. 7. ubi ait: *Ipsum cremari apud Romanos non fuit veteris instituti. terra condebantur. at postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum.* Nam, cur non vetus institutum, quod sub Latino, sub Romulo, sub Numa? Vel potius dicamus fuisse hoc Plinii *μνημονικὸν ἁμάρτημα*, nam ipsemet cap. 12. lib. 14. scribit: *Numæ Regis posthumia lex est, vino rogum ne aspergito.* Cerda.

Partim.] Geminatur hæc particula, ut vides. Fateor hoc frequens, sed non semper. Itaque male scripsit Budæus semper geminandam. Sed jam contra illum Magius c. 7. l. 1. Miscell. advocato Lucretio, & Tullio. Ego addo Hirtium, qui bell. Alex. *Quod nisi locorum notitia reliqui se texissent, partimque in naves, quibus flumen transierant, recepissent, funditus deleti essent.* Idem.

206. *Finitimos tollunt in agros.*] Qui enim è longinquo venerant, referri non poterant. *Servius.*

Finitimos tollunt in agros.] Lege c. 21. l. 14. Var. Pet. Victor. ubi de ritu sepulcrorum in agris, tam ex Romano, quam ex Græco more. Adde Victorio Realinum, qui signat eam partem agri, quæ esset ante portas urbium. Ab utroque abstineo, ne actum agam. Sed & in viis sepulcra posita, quis est qui ignoret? Inde frequentes illæ inscriptiones ad viatores, de quibus Ovid. *oculo properante.* Apud Eurip. in Rhes. supplicantur mortui λαοφόρους πρὸς ἐκτροπὰς, *ad diverticula publicarum viarum.* Juven. etiam Sat. 1. dixit,

Quorum Flamminia tegitur cinis, atque Latina.

A quo Prudent. lib. 1. in Symm.

—— *Dis Manibus illic*

Mar-

Cetera, confusæque ingentem cædis acervum,
Nec numero nec honore cremant; tunc undique vasti
Certa-

Marmora secta lego, quæcunque Latina vetustos
Custodit cineres, densisque Salaria bustis. Cerda.

Urbique remittunt.] Deest, *unicuique*, & meminit antiquæ consuetudinis. nam ante etiam in civitatibus homines sepeliebantur. Quod postea Duilio consule senatus prohibuit, & lege cavit ne quis in urbe sepeliretur. Unde Imperatores & virgines Vestæ, quia legibus non tenentur, in civitate habent sepulchra. Denique etiam nocentes virgines Vestæ, quia legibus non tenentur licet vivæ, tamen intra urbem in campo scelerato obruebantur. *Servius.*

Urbique remittunt.] Mos hic tumulandi in ædibus apparet ex Papin. 3. Silv. ubi in lacrymis Hetrusci,

—— nec funera mittam
Longius, hic Manes, hic intra tecta tenebo,
Tu custos, dominusque Laris. ——

Fuit & hoc in usu antiquis Romanis, quod habeo à Dionys. lib. 3. Antiquit. ubi de patre Horatiorum ait, *passus non est, cadaver filiæ in ædes inferri, neque permisit, ut in patriis monumentis conderetur.* De unis Tarentinis id ipsum scribit Polyb. libr. 8. quibus moris fuit, θάπτειν πάντας ἐντὸς τῶν τειχῶν. Quod fecerunt admoniti quodam oraculo. Lege in eo. Tertull. de Resurrect. Carnis; *scilicet quod apud Majores, omnes homines in suis domibus sepeliuntur.* Phocionis ossa (auctor est Plut.) adduxit mulier quæpiam εἰς τὴν οἰκίαν, κατώρυξε παρὰ τὴν ἑστίαν. Allusit Quint. Declam. 377. *Sed necesse est moriamur, sed domi. ibi certe pater sepeliet.* Attigit & leviter morem hunc Demosthenes orat. contra Midiam: εἰ γὰρ ἐν ὧν ἐπεβάλλετο κατώρθωσεν, ἁπάντων ἂν ἀπεστερήμην ἐγὼ, καὶ μηδὲ ταφῆναι προσυπῆρχεν οἴκοι μοί. *Cerda.*

207. *Cetera, confusæque, &c*] Mos militaris, ut multi simul. Livius de Annibale lib. 22. *Tum sepeliendi causa conferri in unum corpora suorum jussit.* Apud eundem lib. 26. Acarnanes precantur Epirotas, *ut qui suorum in acie cecidissent, eos uno tumulo contegerent.* & lib. 27. loquens de Romanis ait, *corpora collata in unum sepeliri.* Hoc pietatis exemplum de Romano exercitu Tacitus narrat, ut etiam Herodianus lib. 4. de occisis Alexandriæ ab Imperat. Antonino Caracalla. Cedrenus pag. 473. θάψας τοὺς πολεμίους εἰς ἕνα χῶρον συναγαγών. Sic lib. 3. Epig. ubi agitur de excidio Corinthi,

—— δορυπτοίητα δὲ νεκρῶν
Ὀστέα σωρευθεὶς εἷς ἐπέχει σκόπελος.
Idem.

Ingentem cædis acervum.] In Rom. codice legere est *Ingentem stragis acervum.* In aliis *cædis.* Pierius.

208. *Nec honore.*] Ideo *nec honore*, quia *nec numero*, quod in numero & ordine honos spectatur; nam aliud verbum pendet ex altero. Alii *nec* pro *sine* accipiunt. *Servius.*

Nec numero nec honore cremant.] Quippe congestio multorum cadaverum minus è laude & gloria. Itaque hic versus opponitur innumeris illis pyris excitatis. Singulæ enim singulis structæ & quia multi cæsi, ideo illæ multæ: reliqui in acervum unum conjecti, hoc enim in usu. Quod liquidum ex Calab. l. 1. & 3. In primo ait, nobiles separatos à turba & πληθὺν τεθναώτων, id est, conjectam in unum acervum. In tertio vero ait, Achillem separatum rogo, cum alii μίγδα, id est, *confusim & mistim* essent cremati. Apollon. lib. 2. Excidii Hierosolym.

—— nec ponere charis
Seposito vacat igne rogum, collecta cremantur
Corpora. ——

Ab hoc more soleo explicare versus Eurip. in Alcest.

Μὴ

Certatim crebris conlucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cælo dimoverat umbram:
Mærentes altum cinerem & confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.

Jam

Μὴ δὲ νεκρῶν ὡς φθιμένων
Χῶμα νομιζέσθω
Τύμβον σᾶς ἀλόχου.

Apud Polyb. lib. 3. Annibal sepelit triginta tantum ex suis, quos putavit ἐπιφανεστάτους, *nobilissimos*. Nonnus in lib. 40. ἄκριτον πυρὴν, quia videlicet conferti multi in ἕνα τύμβον ἀπείριτον. Eurip. in Supplic. ait, Capaneum cremandum sepeliendumque χωρὶς, *seorsim*; cum tamen placeat ἄλλους πάντας ἐν μιᾷ πυρᾷ esse cremandos. Apud Ammian. lib. 17. Julianus *sine discretione cunctos humari mandavit*. Cerd.

Tunc.] Pro *tum*, id est, postquam cremare cœperunt. *Servius.*

210. *Tertia lux.*] Mos enim erat tertia die ossa crematorum legi. *Idem.*

Tertia lux.] Notavit jam Acro in Horat. & ex eo Lævin. in Sueton. c. 33. in vita Neronis, moris fuisse, ut post triduum à rogo cinis in urnam mitteretur, ac mandaretur tumulo. Si Homeri vestigia sequamur, credibile expectari hoc spatium, aut aliud simile; nam hoc tempore ardebant pyræ. Ait enim Iliad. 13. itum ad hanc rem post exortum Auroræ, nam tum πυρκαϊὴ ἐμαραίνετο, παύσατο δὲ φλὸξ, *exstincta est pyra, & cessavit flamma*. Cum vero ossilegium à multis dicatur fieri solitum die nono, intelligit Gutherius nonum diem de nobilibus, & Virgilium expedit de turba pauperiore. Vide illum lib. 1. de Jur. Man. cap. 28. Ego tamen refero ad multitudinem cæsorum, non enim sine incommodo expectari posset dies nonus. *Cerda.*

211. *Mærentes.*] Hoc & ad Latinos & ad Trojanos potest referri. Sane *mærere* est cum silentio dolere: *flere*, ubertim lachrymas demittere; *plorare*, cum voce flere: *plangere*, cum aliquibus dictis miserabilibus pectus aut faciem tundere: *lugere* etiam cum habitus mutatione. *Servius.*

Mærentes.] Vox signatissima in luctu pro defunctis. Contuli alibi testimonia; hic Inscriptiones offero. In una, PLORANS MOESTISSIMA MATER FECIT. In altera, DIS MANIBVS PAVLINÆ VALERIÆ FILIÆ DVLCISSIMÆ PARENTES MOESTISSIMI. & alia item: HALÆ RVFFINÆ PARENTES MOESTISSIMI. Abundant istæ. Itaque, *mæstitia* propria vox ad hanc rem, non *tristitia*. Cerda.

Altum cinerem.] Quia dixerit, *innumeras struxere pyras*. Servius.

Confusa ruebant Ossa focis.] Aut quia dixit multos crematos. Aut si ad honoratorum cadavera referas, ut supra diximus, *confusa* propter simul animalia concremata. *Ruebant* autem, de cineribus eruebant. Adnotandum sane quod *focos* dixerit pyras, cum *focus* ara sit deorum penatium. An quod *focum* dicat ubicumque ignis est & fovetur, unde & Varro *focum* dici vult. *Idem.*

Confusa ruebant ossa.] Συγχυθέντα καὶ συρφυθέντα ὀστᾶ ξυνώρμησαν. Hic autem Servius *ruebant*, è cineribus eruebant interpretatur: sed utamur ipso potius Marone sui interprete, qui in Georg. *cumulos ruere arenæ* dixit, pro fusim projicere, & acervatim miscere. *Germanus.*

Confusa ruebant Ossa focis.] De ossilegio ejusque cæremoniis vid. Kirchm. lib. 3. cap. 6. *Emmeness.*

212. *Tepidoque onerabant aggere terræ.*] Hypallage, hoc est, ossa tepida. *Servius.*

Onerabant aggere.] E more hoc quoque. Martial. lib. 8. *aggesta contumulavit humo*. Tacit. in re simili 2. Ann.

struxit-

Jam vero in tectis prædivitis urbe Latini
Præcipuus fragor, & longi pars maxima luctus.
Hic matres, miseræque nurus, hic cara sororum
Pectora mærentum, puerique parentibus orbi,
Dirum execrantur bellum, Turnique hymenæos:
Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro;
Qui regnum Italiæ, & primos sibi poscat honores.
Ingravat hæc sævus Drances, solumque vocari
Testa-

struxitque aggerem. Cal. lib. 19. *κλαμένοισι χυτὸν περὶ σῆμ᾽ ἐβάλοντο· interfectis effossam terram ad tumulum aggerarunt.* Sic 3. Æneid. *aggeritur tumulo tellus.* Hom. etiam de hac aggestione 7. Iliad. *τύμβον χέομεν.* Inde idem Iliad. 21. humationem vocat *τυμβοχοὴν* ab *aggerando.* & Iliad. 23. *σῆμα τε χεῦσαι.* *Cerda.*

213. *Prædivitis.*] More Græco epitheton incongruo loco posuit. *Servius.*

214. *Longe pars maxima luctus.*] Valde: hoc est melius quam legatur, *et longi.* Idem.

Et longe pars maxima luctus.] In Rom. codice *Longi* habetur, quippe *luctus:* quam lectionem improbat Servius, quem bona inde librariorum pars secuta est. *Pierius.*

215. *Hic matres.*] Quia scit ad aliquos ea pertinere, non addidit, deflebant filios, aut maritos, aut fratres. *Servius.*

Hic matres, &c.] Comploratio hæc ducta Homerico filo, lib. ult. Iliad. ubi,

Παῖδες μὲν πατέρ᾽ ἀμφὶ καθήμενοι ἔνδοθεν αὐλῆς
Δάκρυσιν εἵματ᾽ ἔφυρον. ——

Et post pauca;

Θυγατέρες δ᾽ ἀνὰ δώματ᾽, ἰδὲ νυοὶ ὠδύροντο,
Τῶν μιμνησκόμεναι, οἳ δὴ πολέες τε καὶ ἐσθλοὶ
Χερσὶν ὑπ᾽ Ἀργείων κέατο ψυχὰς ὀλέσαντες.

Ad utriusque textum ita & sua nevit Stat. 3. Theb.

At nuptæ exanimes, puerique, ægrique parentes,
Mœnibus effusi per plana, per ardua passim,
Quisque suas avidi ad lacrymas miserabile currunt
Certamen. ——

Cerda.

Cara pectora.] Id est, caros fratres desiderarunt, ut *Cari stat cura parentis,* & est periphrasis. *Servius.*

217. *Dirum execrantur bellum.*] Est hoc Horatianum illud Od. 1. lib. 1. *bellaque matribus detestata.* Cerda.

Turnique hymenæos.] Pari affectu Lemniades apud Val. Flacc. lib. 2. Arg.

—— *nudisque sub astris*
Condensæ fletus acuunt, ac dira precantur
Conjugia, & Stygias infanda ad fœdera tædas. Idem.

218. *Ipsum armis.*] Bene repetitum *ipsum.* Servius.

Ipsum armis, &c.] Cedren. in re simili p. 571. τοὺς τῶν ἀρχηγῶν ἀγῶνι κριθῆναι τὰ πράγματα βουλόμενοι. *Cerda.*

Jubent.] Volunt, exposcunt. *Serv.*

Decernere ferro.] Ab Enn. qui 2. Ann.

Annuit, sese mecum decernere ferro.

Ita extrema Æneide,

Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.

Et post pauca;

Inter se coiisse viros, & cernere ferro.

Quem locum adi, ut hunc illustres. *Cerda.*

220. *Ingravat.*] Majorem invidiam con-

Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno, & magnum reginæ nomen obumbrat:
Multa virum meritis sustentat fama tropæis.
Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
Ecce super mæsti magna Diomedis ab urbe

Legati

conficit, id est, graviora facit & oneravit. *Servius.*

Ingravat & sævus Drances.] Ex codicibus antiquis *Ingravat hæc*, omnino legendum: & si placeat *sævos*, ex Romano. *Pierius.*

Vocari.] Provocari. *Servius.*

221. *Testatur.*] Testificatur etiam legatorum fidem qui cum eo fuerunt. *Idem.*

Solum.] Et hic bene repetitum *solum.* Idem.

Solum posci in certamina Turnum.] Quanvis *posci in certamina* vetera aliquot habeant exemplaria: minime tamen displicet, quod in antiquissimis aliquot legitur *in certamine.* Æneam quippe jam paratum in campo opperiri, ut Turnus in duellum icto fœdere descendat. Nam quod alibi *solumque duci*, quippe Æneæ, vocari Turnum legitur, nequaquam placet. *Pierius.*

222. *Simul contra variis.*] Scilicet ut alii paci faverent, alii Turno. *Serv.*

223. *Obumbrat.*] Subaudis *Turnum*: tuetur, defendit: translatio ab arboribus facta, quia nomen nobilium tanquam umbra est pro aliis. Hoc autem dicit, Amor reginæ ad favorem popularem plurimum proderat Turno. *Idem.*

Magnum reginæ nomen obumbrat.] Cum dicat Serv. translationem sumi ab arboribus, *quia nomen nobilium tanquam umbra est aliis*; præit mihi, ut putem Sen. à Virg. lineas suas duxisse, cum lib. 3. Ben. c.32. scripsit: *utrum Octavius majus ullum beneficium dedit filio, an patri Divus Augustus, quamvis illum umbra adoptivi patris abscondit?* ubi sententia est, Octavium naturalem patrem Augusti latuisse magnitudine Julii adoptantis Augustum, ut arbor minor latere sub magna solet. Tum etiam Lucanum; cum de Pompejo ait *stat Magni nominis umbra.* Ut sententia sit, Pompejum aliis fuisse veluti umbram. *Cerda.*

224. *Meritis sustentat fama tropæis.*] Vel quia multos occiderat, ut etiam ipse dicturus est; vel secundum illud, *sunt oppida multa Capta manu.* Servius.

225. *Medio flagrante tumultu.*] Vetera omnia, quæ versamus exemplaria, *medio inflagrante* legunt, uti prius imprimi cœptum fuerat. *Pierius.*

Tumultu.] De Regiis Principum *tumultum* dixit Sidonius epistola quinta libri quinti: *Neque adhuc Principum, aulicorumq; tumultuosis foribus obversor.* C.

226. *Ecce.*] *Ecce*, inopinatum pronunciat malum hæc dictio, & grave satis ac vehemens. *Donatus.*

Ecce super.] Insuper, hoc est, ad cumulationem malorum. *Servius.*

Mæsti.] Hoc sermone eos nihil egisse significat. *Idem.*

Magna Diomedis ab urbe.] Legitur & *Magni.* Et tanto asperius videtur, quod cum magnus sit Diomedes, non audet adversus Æneam pugnare. *Idem.*

Magni Diomedis ab urbe.] Et *magni* & *magna* legi, Servius attestatur, idque impressores in diversum egit. *magni* vero *Diomedis*, legitur in Oblongo codice: sed in Romano & aliquot aliis vetustate ipsa venerabilibus codicibus *magna* habetur, & meo quidem judicio magnificentius videtur legatos venisse ab urbe *magna*: quod ipsius etiam *Diomedis* amplitudinem ostendit, & ejus opes. *Magnus* vero esse posset *Diomedes* rebus gestis, & præclaro nomine; exi-

guis

Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum inpensis operum: nil dona, neque aurum,
Nec magnas valuisse preces: alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.

Fata-

guis tamen opibus. Sed si dominus *magnæ urbis* sit, dubioprocul etiam potentem esse confitendum. *Pierius.*

Ecce super mœsti, &c.] Alio ordine rem hanc narrat Ovidius: dicit enim legatos ad Diomedem missos rediisse antequam Turnus Trojanorum castra oppugnaret, & Æneæ classis, quam incendere volebat, mutaretur in nymphas. Eum vide l. 14. Metam. ỳ. 527. & seqq. *Emmeness.*

227. *Nihil omnibus actum.*] Breviter & laborem & studium comprehendit. *Servius.*

228. *Nil dona nec aurum.*] Ordinem legationis exsequitur dicens, inaniter perfecta esse omnia quæ possent efficaces legati perficere auro, precibusque, promissione. *Servius.*

Neque aurum.] Quod quidem etiam, qui nullo odio commoti sunt in prælium excitat & ad injurias, ut probavit in Pigmalione & in Polymnestore. *Donatus.*

229. *Nec magnas valuisse preces.*] Animus, ut plurimum, expugnari solet & minis, & precibus. Hic habes preces, in 8. minas, quibus actum cum Diomede, illis versibus:

Quid struat his cœptis, quem si fortuna sequatur
Eventum pugnæ cupiat, manifestius ipsi,
Quam Turno Regi, aut Regi apparere Latino.

Quo tamen in loco preces omisit, quas hic adhibet, ut ex duobus locis longe distantibus tu sententiam unam conjungas. *Cerda.*

230. *Pacem Trojano ab rege petendum.*] Sicut supra diximus, cum per gerundi modum aliquid dicimus, per accusativum elocutionem formemus necesse est: ut *petendum mihi est equum.* Lucretius, *Æternas quoniam pœnas in morte timendum.* Sallustius, *Castra sine vulnere introitum.* nam *castra* accusativus pluralis est, qui multis errorem facit, ut videatur esse nominativus: quia neutra triptota sunt, & similis est nominativus accusativo. *Servius.*

Pacem Trojano ab rege petendum.] Librarii, porro omnes chalcographi, Servii Grammatici auctoritatem secuti, *petendum* figura Gerundii scribendum curavere. ut, *Pœnas in morte timendum,* apud Lucretium: & *Castra introitum,* apud Sallust. Cæterum codex Rom. antiquissimus, & alter pervetus in Vaticana Bibliotheca repositus, & plerique alii minime contemnendi, legunt *pacem Trojano à rege petendam* figura participii. Sed utrum ex his magis placeat, non laboro. *Pierius.*

Pacem Trojano ab rege petendum.] Sermo mere Græcus. Est enim *petendum pacem,* αἰτέον εἰρήνην. Sic Lucr. lib. 1.

Aut igitur motu privandum est corpora quæque.

Varro de Re Rust. *haras substernendum palea.* ϛρωτέον ἀχύροις. &, *canes acres & paucos habendum.* Liv. l. 42. *Nec prætermittendum spem ullam.* Tertullianus de Pallio capite tertio: *Multa dicendum fuit.* πολλὰ εἰρητέον. Scio Julium Scaligerum legere libro quarto Poët. cap. 47. *pacem petendam.* Sed cur mutat lectionem hærentem infinitis seculis, doctorumque judicio, & Græcorum locutione confirmatam? Demosth. contra Aristoc. ποιητέον τοὺς λόγους· *faciendum sermones.* Cerda.

231. *Rex ipse Latinus.*] Qui consolari debuit, aut defendendæ reipublicæ aliud inire consilium. *Servius.*

232. Fataq;

Fatalem Ænean manifesto numine ferri,
Admonet ira deûm, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis

Tecta

232. *Fatalem Æneam manifesto numine ferri.*] Modo *fatalem* perniciosum omnibus Æneam, vel exitio futurum omnibus. *Manifesto numine* autem, id est, manifesto deorum judicio ad Italiam venisse, numinum ira testatur: quam cognoscimus tantorum cæde sociorum. Et est ordo, fatalem Æneam ferri manifesto numine admonet ira deûm. *Idem.*

Fatalem Æneam manifesto numine ferri, &c.] Servius *fatalem*, loco hoc, omnibus perniciosum significare dicit. Sed cur non obsecro potius exponamus, Fatis certo advectum? Argumentoque esse, nos dum Æneæ resistimus, gravem Deorum iram concitasse, tot mortalium strages immissas: pugnarique à nobis infeliciter manifestum, quia contra Deorum imperia, arma sumpserimus. Mihi enim religio est, Æneam tam inhonesto epitheto notatum asseverare. *Pierius.*

234. *Primosque suorum.*] Claudianus Bell. Get.

—— primosque suorum
Consultare jubet, bellisque annisque verendos.

Sumpta hæc ab 2. Iliad.

Αὐτὰρ ὁ κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσε
Κηρύσσειν ἀγορὴνδε καρηκομόωντας Ἀχαιούς.

Et, ut in Virg. sequitur, *olli convenêre*, ita statim Hom. τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα. *Cerda.*

235. *Alta intra limina cogit.*] Quæritur cur ad privatam domum convocetur senatus, qui non nisi ad publica & augurato condita loca convenire consuevit. Sed scimus domum Latini augurato conditam, & eandem tam templum fuisse, quam curiam: namque in superioribus legimus *Tectum augustum*, id est, augurio conditum. Item paulo post, *Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces Regibus omen erat, hoc illis curia templum.* Merito ergo ad domum regis, quasi ad locum gentibus publicum convocatur senatus: nam in septimo, *Tali intus templo divûm, patriaque Latinus Sede sedens.* Idcirco etiam in palatii atrio, quod augurato conditum est, apud majores consulebatur senatus: ubi etiam aries immolabatur. quod (ut in septimo diximus) Virgilius ad Latini transtulit domum. multi dicunt perite Virgilium, nec templi, nec curiæ hoc loco fecisse commemorationem: & tantum dixisse *tecta regia*, ut ostenderet consilium quod initur, non esse complendum: quia nec rectum esse inchoatum, & ea, quæ dicit Latinus, effectu carebunt. *Serv.*

Alta intra limina.] Interiorem partem domus intelligit, & non curiam quam descripserat, in qua de rebus lætis agebatur. *Donatus.*

Alta intra limina cogit.] *Intra limina* passim legitur, idque & Servio, & aliis negotium facessit. Cæterum in antiquissimo codice Romano *intra mœnia* legitur: ut adlusio sit ad veterum mores, qui vicatim habitabant. Non tamen displicet *limina:* neque ea quæ super hoc Servius comminiscitur. *Pier.*

236. *Olli.*] Illi, secundum Ennium. Et intelligendum κατὰ τὸ σιωπώμενον Turnum quoque venisse, qui in superiori libro à Junone subtractus pugnæ, Ardeam pervenerat. *Servius.*

Fluunt.] Festinanter incedunt. *Idem.*

Olli convenere.] Ostendit quam cupide propter magnitudinem periculi omnes concurrerent. *Donatus.*

Fluunt.] Ab aquis ad homines. Sic Home-

Tecta viis. ſedet in mediis & maxumus ævo
Et primus ſceptris, haud læta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Ætola ex urbe remiſſos,
Quæ referant, fari jubet, & reſponſa repoſcit
Ordine cuncta ſuo. tum facta ſilentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, ô cives, Diomede Argivaque caſtra;

Atque

Homerus libro ſecundo Iliados in re ſimili, ἐπιχέοντο. & Calaber lib. 6. εἰς ἀγορὴν ἰχέοντο. Hom. pari metaphora ῥέοντο. Sed de hoc jam alibi. Ne abeat, aliquos hic legere *ruunt*. Cerda.

237. *Sedet in mediis rex maximus ævo, &c.*] In antiquis omnibus exemplaribus legere eſt: *et maxumus ævo Et primus ſceptris.* & ita recte in antiquioribus erat editionibus priorum impreſſorum. *Pierius.*

238. *Et primus ſceptris.*] Primus inter ſceptriferos. namque apud majores, omnes duces cum ſceptris ingrediebantur curiam. Poſtea cœperunt tantum ex conſulibus ſceptra geſtare, & ſignum erat eos conſulares eſſe. Aut quia & alii ejuſdem partis reges erant; ut Turnus, ſic Agamemnon dux totius exercitus diverſæ civitatis proprios reges habuerint. *Servius.*

239. *Ætola ex urbe remiſſos.*] Quam condiderunt hi qui de Ætolia venerunt, Græciæ provincia. Unde Diomedes habuit ſocios de tribus ejus civitatibus, quas habet Ætolia, Pleuron, Olenon, Calidona. Sic ergo dixit *Ætola ex urbe:* ut, *Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.* Ideo autem Diomeden Ætolum dicit, quia pater ejus Tydeus Ætolus fuit, qui ad Argos fugit, quoniam fratrem patris ſui occiderat. *Idem.*

240. *Et reſponſa repoſcit.*] Mire ait *Repoſcit.* Ante enim rex ſolet à legatis univerſa cognoſcere, & ſic eos præſente populo iterum omnia jubere narrare. Unde eſt, *Ordine cuncta ſuo.* Nam nihil prætermittunt. Unde & ſuperflua narrare conſueverunt. *Idem.*

242. *Farier infit.*] Expedit hoc Germanus. Nam *infit* eſt vel incipit, ita enim Feſtus explicat. Quo ſenſu Plaut. Aulul. *infit ibi poſtulare.* & Lucretius lib. 3. *quicunque adoritur, & infit.* Vel eſt, *infit*, idem quod inquit, ut dicat, *inquit fari*, pro, fatur. idque Hellenice, nam Xenoph. ſimili pleonaſmo in Oecon. φύεται ἔφη. & Hom. βάσκ' ἴθι. & βῆ ἴμεν, βῆ ἴμεναι, βῆ ἰέναι. Adjunge & Latinis hoc in uſu. Sic, *vadis vadere, & ire, pergit pergere.* De quo pleonaſmo jam alias. *Cerda.*

243. *Vidimus, ô cives, Diomedem.*] Rhetorica protinus arte cœpit, neque enim opus erat principio aliquo legationem referenti, & hic figura eſt ὕστερον πρότερον. Natura enim hoc fuit prius dicendum, *Atque iter emenſi caſus ſuperavimus omneis*, & tunc *vidimus Diomedem Argivaque caſtra.* Sed habet conſuetudo, ut qui tale aliquid nuntiant, protinus admoneant. ut puta, *vidi illum*, erat illic, faciebat illud: ideo adjecit, *Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis.* Illud etiam ordine congruo ſubjunxit ad proliciendum animum priuſquam quicquam diceret, *Munera præferimus.* Unde, ordine *nomen patriamque docemus. Qui bellum intulerat*, hoc eſt, qui, unde, contra quos, qua cauſa: deinde ponitur oratio Diomedis, cujus ſunt partes duæ, una, qua ſe excuſat: alia, qua etiam illis ſuadet, ut bellum deponant. Nam hoc in fine orationis Venulus addit, *Et reſponſa ſimul quæ ſunt rex optime regum Audiſti*, Excuſatio Diomedis duplex eſt, Fortes ſunt Trojani & felices: Fortes breviter oſtendit per intermiſſionem,

Atque iter emensi casus superavimus omnis;

Con-

nem, *Mitto ea quæ muris bellando exhausta sub altis.* Frigidus enim locus erat, si virtutem eorum timere diceret, quos vicit. Secundus locus multa continet, tam felices esse ut de omnibus vindicarentur, & singula de singulis mire augendo exsequitur: novissimo loco de se dixit, ne ei objiceretur, quid te ista movent si tu nihil passus es? & auxit quod omisit: & socios adjecit, cum exclamatione, *Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt Tempore.* Ideo se contra Veneris filium excusat pugnare, nam sequitur, *Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas:* Superat ut pacem suaderet, ait enim, *Munera, quæ patriis ad me portastis ab oris.* Inde laudem Æneæ ita addidit ut suam laudem servaret, ibi enim ubi se excusat non hoc ait, quia fortis est non adeo, sed illud, *Quicunque Iliacos ferro violavimus agros*, quasi hoc fatum fuit omnium, hic ubi suadet pacem aperte dicit pares mihi non estis, & ait, *Experto credite quantus In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam*, id est, ego fatum timeo, vos virtutem timere debetis. Nam quod adjecit, *si duo præterea tales Idæa tulisset*, non fuit contentus illum Hectori comparare, nisi adjunxisset, *Hic pietate prior, coëant in fœdera dextræ*, id est, quia pius est, bonus amicus erit: statim conclusit sicut ad singula invenies dictum. Quod autem ait, *Vidimus ô cives Diomedem*, quasi res magna ei contigerit, qui talem virum viderit. Sane hic aut *Diomedem* legendum, ut sit Latinus accusativus, & admittitur Eclipsis, ut, *Multum ille & terris jactatus & alto*, aut si Græcum accusativum facere voluerimus, *Diomede* legatur, ut possit fieri Synalœpha: sicut, *Euryale infelix qua te regione reliqui?* Si autem *Diomeden* diximus, nec Latinum est, nec Græcum, nec versus consistit. Nunquam enim Eclipsis fit per *n* literam. Tamen melius est ut *Diomede* legamus, ut sit Græcus accusativus, nomina enim Græca in ης exeuntia, quæ genitivum in ιος mittunt, per plenam elocutionem, cum eundem casum per Synæresim in ους miserint, accusativum in η mittant necesse est: ideo quia cum naturam suam servant, accusativum in vocalem mittunt, non in consonantem: & jam debet Synæresis plenitudinis servare rationem. Ut ecce ὁ Διομήδης, plena declinatio est: τοῦ Διομήδεος, τῷ Διομήδεϊ, τὸν Διομήδεα. Per Synæresim servare facit τοῦ Διομήδους, τῷ Διομήδει, τὸν Διομήδη. Ergo hic accusativus ideo in *e* exit, non in *en*: quia cum integrum est hoc nomen, in ιος exit: & crescit ejus genitivus. Si enim ἰσοσύλλαβος sit in nominativo, accusativum in ην mittit: nec habet *s* in genitivo, ut Θουκυδίδης, τοῦ Θουκυδίδου, τὸν Θουκυδίδην. nam *Diomedes* ideo in gentivos *s* habet, quia & cum integrum est, & Διομήδεος facit, habet *s* consonantem. *Servius.*

Vidimus, ô cives, Diomeden.] Qui videbant *Diomeden* ultimam producere, *Diomedem* Latino declinatu scribendum procurarunt, ut collisioni locus esset. Sed enim observavi ego in antiquis codicibus plerisque *Diomede* legi, Græco declinatu Διομήδεα Διομήδη, ἀττικῶς. Quam lectionem Servius etiam agnoscit. *Pierius.*

Vidimus.] Non capio simpliciter, sed explico, *observavimus, & diligenter omnia consideravimus.* Nam *videre* antiquis fuit servare & observare. Sic λειόπται apud Aristotelem sunt, qui *servant retia*, ut locutus est Virgilius, & οἰνόπται sunt *vinearum custodes*, & veluti speculatores. Omnia ab ὄπτομαι, *video.* Cerda.

Diomedem.] Ita vulgati codices. Sed Macrobius cap. 17. l. 5. agnoscit *Diomede*; forma Græca Διομήδη. Sicut etiam Servius Petr. Daniel. tum etiam doctissimus Iulius Scaliger capite trigesimo sexto libri quarti Poëtices. Sic *Androgeo* forma Græca, pro, Androgei. Sic *Dido* in quarto casu: sic *duo*, pro, duos, nam Græci δύω. *Idem.*

244. *Iter emensi.*] Ab Græcis, qui ἀιαμε-

Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.

Post-

ἀναμετρεῖν ὁδόν. Ita septimo Æneidos, *Jamque iter emensi.* & Statius libro secundo Thebaidos, *emensus iter.* & lib. tertio, *remensus iter.* libro tertio Æneidos, *permensi navibus æquor.* Cerda.

Casus omnis.] Itineris scilicet. Et bene vilitatem singularum rerum generalitas vitavit, ne diceret *Flumina, latrones, &c.* Mire autem multa congesta ne possit de legatorum desidia queri. *Serv.*

245. *Contigimusque manum.*] Bene quasi divinam: sic, *Vidimus ô cives Diomedem.* Idem.

Contigimusque manum.] In notam amicitiæ. Liv. dixit libr. 38. *Contacta societate.* Sed hujus rei testimonia alibi: pertinent enim hæc ad supplices. *Cerd.*

Qua concidit Ilia tellus.] Ἐμφατικῶς dixit, pro *urbs Ilia:* nam terra non concidit, sed civitas Ilium. *Servius.*

Manum, qua concidit Ilia tellus.] Affectus hic in Hom. est ult. Iliad. ubi Priamus, cum accedit ad Achillem,

—— κύσε χεῖρας
Δεινὰς, ἀνδροφόνους, αἵ οἱ πολέας κτάνον υἷας.

Ilia autem *tellus*, pro Ilio Trojæ, aut pro ipsa Troja. Ita Horat. *Assaraci tellus*, id est, Troja. & Propert. 1. Eleg. lib. 4.

Vertite equum Danai, male vincitis, Ilia tellus
Vivet & huic cineri Juppiter arma dabit. Cerda.

246. *Argyripam.*] Diomedes fuit de civitate quæ Argosippion dicitur: de qua Homerus Ἄργος ἱππόβοτοιο. Horatius, *Aptum dicit equis Argos.* Hic in Apulia condidit civitatem, quam patriæ suæ nomine appellavit, & *Argosippion* dixit. quod nomen postea vetustate corruptum est, & factum est ut civitas, *Argiripa* diceretur: quod rursus corruptum, *Arpos* fecit. Sane Diomedes multas condidisse per Apuliam dicitur civitates, ut Venusiam, quam in satisfactionem Veneris, quod ejus ira sedes patrias invenire non poterat, condidit, quæ *Aphrodisia* dicta est. Item *Canusium Cynegeticon*, quod in eo loco venari solitus erat. Nam & Garganum à Frigiæ monte *Gargara* vocavit, & Beneventum & Venafrum ab eo condita esse dicuntur. *Servius.*

Argyripam.] Arpos, Apuliæ civitatem: quæ hodie *Monte S. Angelo.* Videatur Strabo lib. 6. sub finem. Stephanus, Floridus, alii. *Taubm.*

247. *Gargani condebat Iapygis arvis.*] Iapygia pars est Apuliæ, in qua est mons Garganus, imminens Sipontinæ civitati: qui per Calabriam usque in Adriaticum tenditur pelagus. Lucanus, *Apulus Adriacas exit Garganus in undas. Gargani* autem *Iapygis* figura est, pro *Gargani Iapygii.* & hæc est Iapygia Apuliæ à qua & Iapyx ventus est nominatus, ad quam Iapyx delatus, unde sic nominatus est. Nam Iapidia Venetiæ regio est ab oppido dicta. Unde est, *Tunc sciat aërias Alpes & Norica si quis Castella in tumulis & Iapidis arva Timavi.* Sed in Gargani summitate duo sepulchra esse dicuntur fratrum duorum, quorum cum major virginem quandam despondisset, & eam minor frater conaretur auferre, armis inter se decertati sunt, ibique ad memoriam invicem se occidentes sepulti, quæ res admirationem habet illam, qua si qui duo inter ipsam silvam agentes iter, uno impetu vel eodem momento saxa adversum sepulchra jecerint, vi nescio qua saxa ipsa separata ad sepulchra singula decidunt. *Servius.*

Gargani condebat Iapigis agris.] In antiquis aliquot codicibus, *arvis* legitur. Quod vero Servius *Iapygiam* ab *Iapydia* distinguit, quid alii tradant auctores, ostendimus eo versu, *Et Iapydis arva Timavi.* Huc addemus *Iapygiam,*

Postquam introgressi, & coram data copia fandi;
Munera præferimus, nomen patriamque docemus:
Qui bellum intulerint, quæ caussa attraxerit Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore:
O fortunatæ gentes Saturnia regna
Antiqui Ausonii, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicumque Iliacos ferro violavimus agros,

(Mitto

pygiam, ex Strabone, vocatam esse ab *Iapyge* Dædali filio, quem de Cretensi muliere susceperat. *Pierius.*

Gargani Iapygis.] Omnino, quod Lucan.

Appulus Adriacas exit Garganus ad undas.

To condebat, ut Ovid. etiam de Diomede lib. 14. Metam.

— *ille quidem sub Iapyge maxima Dauno*
Mœnia condiderat, dotaliaque arva tenebat.

Et Strabo libro sexto hanc urbem vocat κτίσμα Diomedis. *Cerda.*

248. *Postquam introgressi, &c.*] In Romano codice legere est *postquam congressi*. Sed *introgressi*, quod agnoscitur à peritis, magis placet. *Pierius.*

249. *Munera præferimus.*] Ut illa ante orationem auxilium impetrent. *Servius.*

Munera præferimus.] Mos gentium, ut Legati semper cum muneribus. Livius libro trigesimo loquens de Masinissa: *Munera, quæ Legati ferrent Regi, decreverunt.* Julius libro primo Gall. *Cæsar initio orationis, sua Senatusque in eum, Ariovistum, beneficia commemoravit, quod Rex appellatus esset à Senatu, quod amicus, quod munera amplissime missa.* Tacitus de Ptolemæo lib. 14. *Qui scipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera darent.* Cerda.

Qui bellum intulerint.] Quasi nominatis Trojanis, quos vicerat, pronior futurus esset ad ferendum auxilium. *Serv.*

251. *Placido sic reddidit ore.*] Ut solet habitum futuræ orationis ostendit. *Idem.*

252. *O fortunatæ gentes.*] Qui habitatis regna Saturnia, id est, ô viri semper pace gaudentes. nam legimus, *Aureaque, ut perhibent, illo sub rege fuerunt Sæcula, sic placida populos in pace regebat.* Et bene hoc laudat, quod eis persuadere desiderat. *Idem.*

253. *Antiqui Ausonii.*] Quia qui primi Italiam tenuerunt, *Ausones* dicti sunt. *Idem.*

Quietos.] Quibus est amor pacis à majoribus traditus propter regnum Saturni. *Idem.*

254. *Ignota lacessere bella.*] Scilicet Trojanorum: non omnia generaliter bella. Nam legimus; *Captivi pendent currus, curvaque secures:* aut *ignota*, quæ ignoraverint, quasi non suscepturi si scissent. *Suadet* autem *vobis* subaudis. nam *vos* à superioribus subaudiri, quia non *te suadeo*, sed *tibi* dicimus. *Idem.*

255. *Quicumque Iliacos, &c.*] Locus plane Hom. Odyss. 3.

Ἄλλους μὲν γὰρ πάντας, ὅσοι Τρωσὶν πολέμιζον
Πευθόμεθ' ἧχι ἕκαστος ἀπώλετο λυγρῷ ὀλέθρῳ. *Cerda.*

Violavimus.] Quasi sacros: Nam *violare* de religionibus dicimus. Et ingenti arte agit, ne aut victoriam suam sileat, aut non procedendo contra eos, quos vicit, confiteatur ignaviam, dicens non esse contra eos pugnandum, quos vincere perniciosissimum est. *Serv.*

Violavimus.] In Romano codice *popula-*

(Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub altis;
Quos Simois premat ille viros) infanda per orbem
Supplicia, & scelerum pœnas expendimus omnis,
Vel Priamo miseranda manus. scit triste Minervæ
Sidus,

pulavimus legitur. Sed cur *violavimus* sit legendum, non levem Servius rationem affert. *Populavimus* vero forte sumptum ex paraphrasi. *Pierius.*

Ferro violavimus agros.] Quasi agri Trojani sacri fuerunt. Duplex verbum in Virg. ejusdem potestatis est, *violo* & *lædo*, utrumque in re sacra. Ita 2. Æneidos de Trojano equo, *violasset dona Minervæ.* & postea, *sacrum qui cuspide robur læserit*, quasi *lædo*, & *violo* eandem vim habeant in re sacra. Ex hac observatione credo Tibullum junxisse Elegia nona lib. 1.

Quid mihi si fueras miseros læsurus amores,
Fœdera per Divos clam violanda dabas?

Cerda.

256. *Mitto ea.*] Oratorie, ut etiam sine illis, quæ memoraturus est, quæ omittit graviora videantur. *Servius.*

257. *Quos Simois premit ille viros.*] Id est, toto orbe celebres, & *premit* quasi hostes. Alibi in primo, *Ubi tot Simois correpta sub undis Scuta virûm, galeasque, & fortia corpora volvit.* Alii *quos*, pro *quantos* accipiunt, ut sit pronomen pro nomine. *Ille* autem mire exsecratur. *Idem.*

Quos Simois premit ille viros.] Romanus codex, atque etiam Oblongus, & Mediceus, & aliquot alii *premat* legunt, elocutionis modo non invenusto, & ita prius in vulgatis exemplaribus habebatur. *Pierius.*

258. *Scelerum pœnas expendimus omnes.*] Id est, luimus omnes pœnas, quæ sunt statutæ sceleribus. Alii *Sceleris omnis* legunt, nam *omnes* non potest ad Græcos referri, quia non omnes pertulere supplicia. Sed si *omnes*, mire, ne putes forte factum, & adjuvandum pronunciatione. *Servius.*

259. *Vel Priamo miseranda manus.*] Etiam Priamo. ut, *Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.* Est autem Pacuvii, qui ait, *Si Priamus adesset & ipse ejus commiseresceret.* Id est, ut calamitas eorum, qui vicerunt, gravior crederetur miserantibus victis. *Idem.*

Vel Priamo miseranda manus.] Tale illud 2.

——— *quis talia fando*
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssei
Temperat à lacrymis? ———

Nam Trojana mala ejus generis fuere, ut hostes etiam ploraturi essent. Eodem libro Anchises pari emphasi, *miserebitur hostis.* Ita Ennius quinto Annal.

Cogebant hostes lacrymantes, ut miserent.

Ovid. 6. Metam. de Niobe,

——— *at nunc miseranda vel hosti*
Corporibus gelidis incumbit. ———

Et lib. 4. ab Nostro,

Græcia tunc potuit Priamo quoque flenda videri.

De Tarquinio ait Dionys. tolerasse senectutem vel inimicis miserabilem. Claud. de Bello Gild. *ipsis meos horreret Parthia casus*, Sidon. epist. 7. lib. 1. *usque ad inimicorum dolorem devenustatus.* Sen. in Agam.

——— *cladibus nostris daret*
Vel Troja lacrymas. Cerda.

Scit triste Minervæ Sidus.] Fabula hoc habet, propter Cassandræ stuprum, Græcis iratam Minervam: vel quod ei victores per superbiam sacrificare noluerunt. Unde eos redeuntes gravissima tempestate fatigatos per diversa dispersit. Horatius, *Cum Pallas usta vertit iram ab Ilio.* Re vera autem constat Græcos tempestate laborasse æquinoctio vernali, quando manubiæ Minervales, id est, fulmina, tempe-
states

Sidus, & Euboïcæ cautes, ultorque Caphereus.

Militia

ſtates graviſſimas commovent. Unde perite dicendo *ſydus*, utrumque complexus eſt. Nam *ſydus* & tempeſtatem ſignificat: & re vera *ſydus*. Hæc autem numina quæ inter ſydera non videmus, licet ſua ſigna propria non habeant, cum aliis poteſtate ſunt permiſta: ut Ophiucus ipſe eſt Æſculapii: Gemini, Apollinis & Herculis eſſe dicuntur. Sic Minervæ Aries eſſe dignoſcitur. *Serv.*

Minervæ ſidus.] Serv. *arietem* capit, qui in poteſtate Minervæ, ut ita verna procella naves Græcorum convulſæ accipiantur. Solinus c. 19. ad finem ita explicat hoc ſidus loquens de Caphareo: *Ibi poſt Ilii excidium Argivam claſſem vel Minervæ ira, vel, quod certior prodit memoria, ſidus Arcturi, gravibus affecit caſibus.* Turnebo tamen & Germano viſum nihil eſſe aliud *ſydus Minervæ*, quam Minervam ipſam. Nam vere hæc Dea tempeſtatem illam excitavit. In hoc poſſis inclinare, nam Poëtæ omnes & alii eam tempeſtatem huic Deæ attribuunt in ultionem violatæ Caſſandræ in templo hujus Deæ ab Ajace Oilei filio. Horat. 10. Epod.

Quietiore nec feratur æquore,
Quam Graja victorum manus:
Cum Pallas uſto vertit iram ab Ilio,
In impiam Ajacis ratem.

Et de hoc malo loquens Hom. Odyſſ. 3. *μήνιος* (inquit) *ἐξ ὀλοῆς γλαυκώπιδος.* Virg. etiam ipſe 1. Æn. *Pallasne exurere claſſem, &c.* Sed ego tamen in aliud poſſum inclinare. Pater Palamedis in ultionem interfecti filii facem Græcis oſtendit è rupe, qua face decepti Græci in ſaxa impegere. Hanc facem *ſidus* vocat Poëta, ut ante illum Eurip. in Helena. Profero locum, nam eo innitor. Ergo de Nauplio patre Palamedis.

— *πέτραις*
Καφηρείαις ἐμβαλών,
Αἰγαίαις τ' ἐναλίοις ἀκταῖς,
Δόλιον ἀστέρα λάμψας.

Seneca in Agamem. *facem* maluit vocare, convertens verſus Euripid.

— *hanc arcem occupat*
Palamedis ille genitor, & clarum manu
Lumen nefanda, vertice è ſummo efferens,
In ſaxa ducit perfida claſſem face.

Objicies. Eſto, fax illa dicatur ſtella ab Eurip. ſed cur Poëta adjicit *Minervæ*? Hoc non eſt difficile. Nam cur non poëtico jure fabulæ conjungantur, & etiam confundantur? Credi poteſt Nauplius feciſſe hoc Minervæ impulſu, & inde uterque ultus eſt ſuas injurias, Nauplius perempti filii, Minerva templi violati. Præſertim cum Calab. lib. extremo in hanc miſeram Tragœdiam ſimul inducat & Nauplium, & Minervam. De illo, *χερὶ πεύκην αἰθομένην ἀνάειρε.* de illa, *μέγ' ἐχώσατο.* *Cerda.*

260. *Euboïcæ cautes.*] Eurip. in Helen. de hac ipſa tempeſtate, *ἀμφὶ ῥυτὰν Εὔβοιαν.* & , *Ναυπλίου Εὔβοια πυρπολήματα·* *faces Nauplii Euboïcæ.* Ovid. 1. Triſt. Eleg. 1.

Quicunque Argolica de claſſe Capharea fugit,
Semper ab Euboïcis vela retorquet aquis.

Cal. l. 14. *πέτρῃσι περὶ στυφελῇσι δάμησαν·* *attriti ſunt ad cautes rigidas.* Iterum, *ἀνιηρῇσι προσαραγόμενοι περὶ πέτρης·* *triſtificis cautibus illiſi.* Idem.

Ultor Caphareus.] *Τὸ αὐτὸ* eſt *cautes Euboïcæ.* Nam Eubœa inſula eſt, in qua mons Caphareus, circa quem Græci periere naufragio. *Ultor* autem ideo dixit, quod Nauplius Palamedis pater, dolens filium ſuum factione interemptum, ut in ſecundo commemoravimus, cum videret Græcos tempeſtate laborare, montem Caphareum aſcendit: & elata facula ſignum dedit vicini portus, qua re decepti Græci inter aſperrimos ſcopulos naufragium pertulerunt. *Serv.*

Ultorque Caphareus.] Eurip. in Hel.

Zz 2 de hac

Militia ex illa diversum ad litus adacti,
Atrides Protei Menelaüs adusque columnas

Exsu-

de hac tempestate, πέτραις καφηρίαις. Sen. Agam. *fallax Caphareus*. Bassus lib. 1. Epigram.

Οὐλόμεναι νῆσοι καφαρίδες, αἱ ποτε νόστον
Ὤλεσαθ' Ἑλλήνων, καὶ στόλον Ἰλιόθεν.

Pacuvius in Dulor. ap. Priscian. in voce *pleros*: ait *Pater Achaeos in Caphareis saxis pleros perdidit*. Prop. Eleg. 7. l. 3.

Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga cum vasto Graecia tracta salo est.

Bassum explicat Propertius. Ut vero Poëta *ultor*, ita idem Prop. Eleg. 1. lib. 4.

Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Graecia pressa suis.

Vide etiam, uti Virgilii locum expendat Pet. Vict. lib. 31. cap. 12. *Cerd.*

261. *Militia ex illa, &c.*] Cal. in exitu lib. ult. loquens de Graecis, & post hanc tempestatem,

Ἄλλη δ' ἄλλος ἵκανεν, ὅπη θεὸς ἦγεν ἕκαστον.

Et de hac ipsa re Sen. ad Helv. cap. 7. *Quid* (enumerem) *Diomedem, aliosque, quos Trojanum bellum victos simul victoresque per alienas terras dissipavit?* Dio Chrysost. Orat. 11. ait, Graecos post hanc militiam devenisse in omnem δυστυχίαν καὶ ταπεινότητα. Eurip. in Helen. χειμὼν ἄλλοσ' ἄλλον ὤρισεν. *Idem.*

Diversum ad litus adacti.] Antiqua omnia, quae versamus exemplaria, *abacti* legunt, ut antiquiores etiam habent impressiones. Ordo enim est, *Abacti ex illa militia ad diversum litus. Pierius.*

262. *Atrides Protei Menelaus.*] Agamemnon & Menelaus uno quidem fataliter fuerant supplicio destinati: namque Atreus & Thyestes fratres fuerunt in se invicem saevi, adeo ut Thyestes cum Aërope fratris uxore concumberet, quod dolens Atreus, liberos ejus epulandos ei apposuit. Sed cum Thyestes post cognitum facinus requireret ultionem, ei Apollo respondit: posse alio scelere illius facinoris vindicem nasci, scilicet si cum Pelopeja filia sua concumberet. Quo facto natus est Ægysthus fatalis in Atrei geminam sobolem. Sed Jupiter Menelai facta miseratus est, propter Helenae jugale consortium: & cum per diversa errare maluit, quam Ægysthi manibus interire. Is ergo Menelaus hic errans ad Ægyptum usque pervenit, ubi Proteus deus marinus regnaverat: cui aliquando rapta à Theseo Helena dicitur commendata. Unde quidam dicunt, quod ad eam petendam Menelaus ad Ægyptum profectus sit post bella Trojana. Quidam volunt raptam esse à Paride Helenam: sed aliam caussam belli fuisse Trojani, illam scilicet, quod Herculem quaerentem Hylam suscipere noluerunt. Qui autem volunt eam raptam à Paride, hoc dicunt, quod recepta à Proteo, per Theseum ad Menelaum transitum fecerit, & sic eam Paris rapuerit. Secundum quod, ut supra diximus, Menelaus ad Ægyptum Jovis voluntate pervenit: scilicet ne ab Ægystho potuisset interimi. Quod autem ait *Protei columnas*, ratione non vacat. Nam columnas Herculis legimus & in Ponto & in Hispania. Hunc autem Proteum fortissimum & invictum constat fuisse. Novimus autem quod omnes fortes, *Hercules* dicebantur: unde videtur adfectasse Virgilius, ut pro finibus, *Protei columnas* diceret, quas habuit Hercules: ut ostenderet eum etiam Herculem dictum. *Serv.*

Adusque columnas Protei.] Usque ad fines Ægypti: hoc est, usque ad Pharon ante insulam, nunc partem Alexandriae. Lucanus, *Nunc claustrum pelagi*

Exsulat; Ætnæos vidit Cyclopas Ulixes.
Regna Neoptolemi referam, versosque Penatis
Idomenei? Libycone habitantis litore Locros?

Ipse

pelagi cepit Pharon, insula quondam In medio stetit illa mari sub tempore vatis Proteos, at nunc Pellæis est proxima muris. *Protei* autem, Latinus est genitivus constrictus per Synæresim. *Adusque* autem sic est dictum, ut, *Siculo prospexit abusque Pachino.* Nam cum præpositio præpositioni nunquam cohæreat, *abusque* & *adusque* licenter admissum est. *Idem.*

Columnas.] Ad fines Ægypti pervenisse intelligit, ubi Rex fuit Proteus. Has columnas Turneb. accipit, quæ in confiniis regionum erigebantur, ut terras dirimerent, quæque ab Polluce στήλαι ἱφορίαι dicuntur. Firmatque historia Peloponnensium & Ionum, à quibus in controversia columna erecta est, quæ litem discerneret. Vide Strab. lib. 3. Quæ hîc Serv. de Hercule non placent. *Cerda.*

263. *Exulat.*] Proprie: nam *exulare* dicuntur qui extra solum eunt. Sane sciendum quo tempore Menelaus ivit ad Ægyptum, perdidit Canobum gubernatorem, à quo vicina civitas nomen accepit, quæ hodieque mutata litera, *Canops* nominatur. *Serv.*

Vidit.] Mire addidit, ut *Quam semel informem vasto vidisse sub antro Scyllam.* Idem.

Cyclopas.] Græcæ declinationis accusativus est: inde Græcum habebit accentum, nam Latine *Cyclopes* diceret: sed sic versus stare non poterat. *Idem.*

Ulysses.] De etymo Ulyssis audiendus Hom. interpres: λέγεται παρὰ τὸ ὁδὸς καὶ τὸ ὕω, ὅτι ἐν τῇ ὁδῷ ἐγεννήθη. Nimirum Anticlea ejus mater (reliquis Græcis parco) cum incederet gravida per Neritum montem Ithacæ, ac tum temporis vehementer plueret, illa tum timore perculsa ac festinans cecidit, Ulyssemque peperit. An vero *Ulysses* dicendum Latine, an *Ulixes*, vide operam Nostri Bisciolæ in Hor. subsec. *Cerda.*

264. *Regna Neoptolemi referam.*] Subaudis, *eversa.* Quod ex posterioribus intelligitur. Pyrrho autem quid contigerit, manifestum est: Nam ut in tertio legimus, cum vellet ducere Hermionem, Oresti ante desponsatam, ab eo est inter aras Apollinis interemptus. Unde est, *Et scelerum furiis agitatus Orestes Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.* Serv.

Versosque penates Idomenei?] Idomeneus rex Cretensium fuit: qui cum tempestate laboraret, vovit se sacrificaturum Neptuno de re, quæ ei primum occurrisset. Casu cum ei primum filius occurrisset, quem cum, ut alii dicunt, immolasset: ut alii, immolare voluisset, ob crudelitatem regno à civibus pulsus est. Unde est, *Fama volat pulsum regnis cessisse paternis Idomenea ducem.* Alii dicunt quod abscedens cuidam suum commendaverat regnum, qui per ejus absentiam occupavit imperium & reversum pepulit. Ergo *versos penates*, aut eversos & funditus dirutos accipiendum: aut certe in aliena jura conversos. *Idem.*

265. *Lybicove habitantes litore Locros?*] Ut etiam in tertio diximus, Locri socii Ajacis Oilei fuerunt Epizephyrii & Ozoli. Sed hi tempestate divisi sunt, adeo ut Epizephyrii tenerent Brutios, de quibus ait in tertio, *Hic & Naritii posuerunt mœnia Locri.* Ozoli vero delati Pentapolim, de quibus nunc queritur, dicens, *Libycove habitantes litore Locros?* Quamvis quidam dicant etiam in ipsis Brutiis litus Libycum dici; alii hos circa Syrtes posuisse sedes, alii in Libya insulas quasdam inhærentes occupasse, eosque initio *Nisammones*, postea corrupte *Nasammones* appellatos. Alii amissa in Syrtibus classe per Mediterrena arietis for-

 tuito

Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivom
Conjugis infandæ prima inter limina dextra
Oppetiit: devictam Asiam subsedit adulter.

Invi-

tuito dicunt * iter facientes ad Ammonem pervenisse, & oppidum Aurela inter Nasammones condidisse. Alii Africæ insulam tenuisse, quæ nunc Cercina dicitur: & pronuntiandum ut longinquitas doceatur exilii. *Serv.*

Libycove habitantes litore Locros.] Vetera omnia, quæ legimus exemplaria, *Libycone* legunt, per interrogativam particulam, non per disjunctivam. *Pier.*

266. *Ipse Mycenæus, &c.*] De hac cæde qui non locuti? Vide imprimis Euripidem in Elect. Vellejus lib. 1. *facinore uxoris oppressus occiditur.* Aristoteles in Peplo,

Ἀτρείδεω Ἀγαμέμνονος, ὦ ξένε, τύμβον,
Ὅς θάν' ὑπ' Αἰγίσθου, κὐλομένης ἀλόχου.

Auson. in Epit.

Rex Regum Atrides fraterna conjugis ultor
Oppetiit manibus conjugis ipse suæ.

Dixit *Mycenæus* forma Græca. Soph. in Elect. γᾶ Μυκηναίων. Eurip. in Electr. quoque ἀνὴρ Μυκηναῖος. ibid. βωμῶν Μυκηναίων. *Cerda.*

267. *Conjugis infandæ.*] Ad hanc rem pertinet Adagium, *Quadrantaria Clytæmnestra*, de femina impudica. Lege Jun. Cent. 1. Adag. 77. & adde à me, posse aptari Adagio illi versus Propertii Eleg. 10. lib. 3.

Quidve Clytæmnestræ, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopæa domus?

Lege & Philostrat. lib. 2. Icon. Clytæmnestra ab Eurip. in Elect. dicitur ἀνόσιος γυνὴ, *scelesta femina.* & in Oreste eandem vocat ἀνοσιωτάτην, *sceleratissimam.* Ibid. κακῆς γυναικὸς, *malæ feminæ.* & Tyndareus pater Clytæmnestræ dicitur genuisse θυγατέρα κακήν. *Idem.*

Prima intra limina.] In ipso limine imperii, id est, in litore: quia secundum Homerum Clytæmnestra Agememnoni occurrit ad litus: & illic eum susceptum cum adultero inter epulas interemit.

Ἀλλά μοι Αἴγισθος τεύξας θάνατόν τε μόρον τε
Ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ οἶκόνδε καλέσσας
Δειπνίσσας ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

Quod & Juvenalis tangit, dicens, *Quippe ille deis auctoribus ultor Patris erat cæsi media inter pocula.* Alii autem dicunt Clytæmnestram dolore pellicatus quod comperisset Cassandram à marito electam, quod in ipso regressu, id est prima die, qua domus suæ limen ingressus est, blande suscepisset, cumque ille diis penatibus se sacrificare velle dixisset, consilio Ægisthi ab uxore vestem accepit clauso capite & manicis qua implicatus adulteri manibus interiit. *Servius.*

Dextra oppetiit.] Attribuit mortem tanti viri uni Clytæmnestræ, sed tam ipsa, quam Ægysthus in hac noxa. Nam Eurip. in Elect. ξίφος, id est, *gladium*, dat Clytæmnestræ, & πέλεκυν, id est, *securim*, Ægystho, ad hanc cædem. *Cerda.*

268. *Devicta Asia subsedit adulter.*] Quidam *sub* pro *post* accipiunt, ut sit, post possedit. Legitur & *devictam Asiam.* Quod si est ita, intelligimus *subsedit*, dolo possedit. Lucanus, *Subsidere regnum Chalcidos Euboïcæ magna spe rapte parabas.* Unde & *subsessores* dicuntur, qui in insidiis tauros interimunt: & hostium dolos *subsessas* vocamus, ut sit sensus: Ab Agamemnone devictam Asiam adulter Ægysthus insidiis & factione possedit. Melius tamen est ut, *devicta Asia* legamus: secundum quod *subsedit*, erit, remansit: ut, *Extremus galeaque ima subsedit Acestes.* ut sit sensus: Asia propter adulterium

Invidisse deos, patriis ut redditus aris

Conju-

terium pertulit bella, quæ, remanente adultero, finita esse nihil profuit. ut cum indignatione sit dictum: Dum primum adulterium vindicatur, aliud rursus emersit. Sane Clytæmnestram Orestes filius, postea in vindictam patris necavit. Quidam dicunt Clytæmnestram non manu filii, sed judicum sententia peremptam. Alii hunc Orestem filium Menelai & Helenæ tradunt: quidam inventam Iphigeniam abortiam uxorem ei volunt fuisse. *Serv.*

Devicta Asia subsedit adulter.] Ita prorsus est in impressis codicibus, & aliquot veteribus. Longe vero aliter in antiquissimo codice Vaticano, ubi est *Devictam Asiam possedit adulter.* Sed enim *possedit* ex paraphrasi, contextui est insertum. *Subsidere* enim, ex insidiis occupare significat, vel dolo possidere: ut, *Subsidere regnum Chalcidos Euboïcæ*, apud Lucanum. Præterea Arusianus Messus inter elocutionum exempla *subsedit* agnoscit, & Accusativo casui recte jungi dicit, ut *Subsedit illam rem.* locumque hunc Virgilianum citat, *Devictam Asiam subsedit adulter.* Quod vero alio significato, *Devicta Asia subsedit*, Servius magis approbare videtur, hoc est, reliquus fuit in insidiis, non negat idem Arusianus utrunque eleganter dici, & utraque figura usum esse Virgilium, *Galeaque ima subsedit Acestes.* hoc est relictus est. Ita posteaquam Agamemnon bellum difficillimum confecerat, *subsedit adulter*, qui eum interficeret. *Pierius.*

Subsedit adulter.] Subsessores dicuntur, qui clam domi subsident ad obeundum adulterium. Nam Val. Max. cap. 2. lib. 7. *Nulli tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur.* Et non dubium, quin *subsideo* ad insidias traducatur, ut *obsideo*, *insideo*, *resideo.* Unde Passeratius illud Propertii Eleg. 8. lib. 1.

Atque ego non videant tales subsidere ventos,

ad insidias refert, ut dicat, nolim videre tales ventos tibi insidiantes. Sic & Lucanus lib. 5. dixit, *Regnum subsidere mundi*, pro, dolo invadere. Sic ergo *subsessor matrimonii* erit, qui insidias lecto ponit conjugali. & quis hic, nisi adulter? Inde Græcis μοιχὸς, *mæchus* dicitur & ἔφεδρος, id est, *insessor*, *subsessor.* Sed qui vellet, posset aliter, ut dicat poëta, Ægysthum, post interfectum à conjuge Agamemnonem, opes hujus invasisse, domum occupavisse. Clarius. inibi sedes suas fixisse, & locasse domicilium. Nam ita accepit hoc verbum Suetonius in Vitell. cap. 1. *Tempore deinde Samnitici belli, præsidio in Apuliam misso, quosdam ex Vitelliis subsedisse Nuceriæ*, id est, sedes locasse. Itaque, sublato Agamemnone, palam amores suos exercuit Ægysthus. *Cerda.*

Devicta Asia subsedit adulter.] Videantur Turneb. lib. 5. cap. 8. & God. Stevvech. ad Veget. lib. 3. cap. 6. & Fr. Modius in Novantiqu. epist. 39. Scal. l. 4, 16. Poët. *Taubm.*

269. *Invidisse deos.*] Stheneli filius Ægialam Diomedis uxorem cognovit adulterio: quo comperto Diomedes reverti noluit, & in Apuliæ partibus sibi condidit sedes, quod Veneris dolo dicitur esse perfectum, quam in bello Trojano vulneraverat. Unde ait, *Invidisse deos.* Servius.

Invidisse deos.] Sc. *referamne*? è ѵ. 264. Vel subaudi, *credas*? *putes aliquis*? *&c.* Taubm.

Invidisse deos.] Huic affectui obnoxii falsi illi Dii. Prop. Eleg. 12. lib. 1. *Invidæ fuimus.- num me Deus obruit?* Ovid. etiam 14. Metamorph. *odium dat Veneri.* Aristoteles lib. 1. Metaphys. Deos absolvit, & Poëtas ait egregie in hoc mentiri veteri parœmia, ἀλλὰ, κατὰ τὴν παροιμίαν, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. *Cerda.*

Patriis ut redditus aris.] In dictione *aris* antiqua variant exemplaria. In Oblongo

Conjugium optatum & pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur:
Et socii admissis petierunt æthera pennis:
Fluminibusque vagantur aves, (heu dira meorum
Supplicia!) & scopulos lacrimosis vocibus inplent.
Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt

Tem-

longo enim *oris*: In Romano, in Mediceo, & aliquot aliis *aris*. Nonnulli codices ipsi quoque admodum veteres *Argis* habent: de se enim loquitur Diomedes. *Pierius.*

270. *Pulchram Calydona viderem.*] Unam de supradictis civitatibus quibus imperabat. *Servius.*

Calydona.] Ætoliæ urbem. Homerus Calydonem montanam vocat, propter regionem. Fuit autem Ætolia in duas partes divisa; in montanam, quæ Pleuroni fuit attributa: & campestrem, quæ Calydoni. *Hort.*

271. *Nunc etiam horribili visu.*] Hoc loco nullus dubitat fabulæ hujus ordinem à Virgilio esse conversum. Nam Diomedis socios constat in aves esse conversos post ducis sui interitum, quem extinctum impatienter dolebant hæ aves, hodieque Latine *Diomedeæ* vocantur; Græci *erodios* dicunt. Habitant autem in insula Electride sive Febra, quæ est haud longe à Calabria in conspectu Tarentinæ civitatis. Quinetiam de his avibus dicitur, quod Græcis navibus lætæ occurrant: Romanas, & Latinas vehementer fugiant, memores & originis suæ, & quod Diomedes ab Illyricis interemptus est. *Servius.*

Nunc etiam horribili, &c.] Versos socios Diomedis in aves, quas Aristot. lib. περ. θαυμ. ἀκουσμ. mites esse Græcis, in memoriam sui ducis Græci; Barbaris vero immites, ita ut convolent contra illos, pedibus ac rostris terreant, lacerent, demum interimant multis inflictis vulneribus. Locum vide, ut & Plinium, Solinum, Ovidium, S. Augustinum lib. 18. de Civ. & S. Isid. *Cerda.*

Portenta.] Revera enim portentum est, homines in aves esse conversos. *Servius.*

Portenta sequuntur.] Notat Servius, Poëtam historiæ fidem mutasse. quod tamen negat Parrhasius (pag. 178.) cum & Lycophron (pag. 40.) Diomedem suorum cladem spectasse dicat. Metamorphosin eorum pulchre descripsit Ovid. lib. 14. Fab. 10. *Aves* autem *Diomedeæ* sunt, quæ Græce ἐρωδιοί, Latine *ardeæ* vocantur, Gallice *herons*: ut quidem J. Meursius vult, quem vide in Comment. ad Lycophron. Sed & Plin. lib. 10. c. 44. Aristotelem, aliosque. *Taubm.*

272. *Et socii amissi.*] Legunt nonnulli & *Admissis pinnis*. Sed melius est *amissi*. *Servius.*

Et socii amissi, &c.] In aliquot antiquis codicibus *admissis pennis* legi. Utroque vero modo Servius non negat inveniri. Sed *amissi* omnino est in probatioribus. *Pinnis* vero, in Romano, de more suo. In Mediceo *allisi* est, quod alii viderint. *Pierius.*

Et socii admissis.] Malo hîc *admissis* conservare, quam cum Servio *amissi* legere, observata vi vocabuli sæpe apud Livium & Cæsarem: ut, *admisso equo impetum facere*, hoc est meo judicio, concito, concitato, concusso, immisso: ut & Tibul. *Venturam admittit imbrifer arcus aquam*, hoc est, maturat, provocat, & excitat. *Germanus.*

274. *Lachrymosis vocibus.*] Dolentes vel suam mutationem, vel regis interitum; namque hoc tangit latenter. *Servius.*

275. *Hæc adeo ex illo.*] Hæc vocum con-

Tempore, cum ferro cælestia corpora demens
Adpetii, & Veneris violavi volnere dextram.
Ne vero, ne me ad talis inpellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama: nec veterum memini lætorve malorum.
Munera,

consecutio, *jam ex illo tempore, cùm*, ut elegans, observata est Godescalco, & firmata testimoniis. *Cerda.*

Speranda.] Pro *timenda*: ut, *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.* Serv.

Ex illo mihi jam speranda fuerunt.] In nonnullis codicibus antiquis *superanda* legitur: quod non ita placet. *Speranda* vero, castior omnino lectio est, & elocutio ipsa figuratior: ut illud, *Sperare dolorem.* Pierius.

276. *Cælestia corpora.*] Martis & Veneris, quæ numina vulneravit in bello. *Servius.*

277. *Veneris violavi vulnere dextram.*] Artificiose agit: nam sciens ea quæ dicuntur in fine, animis inhærere, suos casus ultimos memorat. Perite etiam Venerem tantum à se vulneratam dicit, Martis supprimens numen, quod ei poterat esse gloriosius: ut videatur omnia quæ pertulit odio Veneris pertulisse, contra cujus filium nunc vocatur ad pugnam, ut negans etiam nunc paria videatur formidare. *Dextram* autem secundum Homerum dicit, qui ait, ἐπὶ καρπῷ. *Idem.*

Veneris violavi vulnere dextram.] Habentur ista lib. 5. Iliad. ubi de Diomede in pugna contra Venerem,

Ἄκρην οὔτασε χεῖρα μεταλμένος ὀξέϊ χαλκῷ.

Tertull. contra Gent. hoc idem scribens ait, *Venerem humana sagitta sauciatam.* sed hoc μνημονικὸν ἁμάρτημα. Nunquam enim Diomedes sagittarius in Iliade, &, si alicubi, non certe ibi. Itaque χαλκὸν Homeri ad hastam debuit trahere, non ad sagittam. Vide vero ibi Tertull. ubi vocat hæc *Gentium ludibria.* Cerda.

Dextram.] Laudo Poëtam, qui optime Homerum intellexit, & ante Virgilium nemo. Nam, cum Homerus tantum dixerit, vulneratam Veneris ἄκρην χεῖρα, *summam manum*, Virgilius illum explicans addit *dextram.* Quod duxit à verbo Homerico μεταλμένος, *insiliens.* quod dat Græcus Diomedi vulneranti. Nam, si læva manus fuisset vulnerata, οὐκ ἔδει τῷ μεταπηδήσεως, *non saltu opus fuisset*, ait Plutar. lib. 9. Symp. quæst. 4. *Quoniam dextræ suæ* (ratio est ejusdem Plutar.) *habebat oppositam sinistram Veneris.* Idem.

278. *Tales impellite pugnas.*] Quarum est periculosa victoria. *Servius.*

Ne vero, ne me, &c.] Hac historia efficit Pauſ. in Attic. neminem Græcorum ante Pyrrhum intulisse bellum Romano Imperio. Itaque Pyrrhus fuit princeps inter Græcos in Romanis oppugnandis. Nam Διομήδει μὲν γὰρ καὶ Ἀργείων τοῖς σὺν αὐτῷ, οὐδεμίαν ἔτι γενέσθαι πρὸς Αἰνείαν λέγεται μάχην. *Cerd.*

279. *Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum Pergama.*] Ne ei objiciatur illa conjuratio, quam apud Aulidem Græci inierunt, dicit in Trojæ excidio sacramentum conjurationis esse completum. Namque in Trojam, non in Trojanos conjuraverunt Græci. hoc enim spectat quod dicit, nullum se cum Trojanis habere bellum post dirutam Trojam. *Servius.*

Post eruta.] In Romano codice, & aliquot aliis *diruta.* Sed *eruta* non displicet. *Pierius.*

280. *Nec veterum memini lætorve malorum.*] Nec meminisse volo victoriarum mearum, quarum nullus oblivisci consuevit: nec lætor Trojanorum malorum, pro *Trojanis malis*, quæ nobis bellantibus pertulerunt. nihil potest de suis malis dicere, cum & mala sua nullus obliviscatur: & ea ipsa paulo ante

Munera, quæ patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Ænean. ſtetimus tela aſpera contra,
Contulimuſque manus. experto credite, quantus
In clipeum adſurgat, quo turbine torqueat haſtam.
Si duo præterea talis Idæa tuliſſet
Terra viros; ultro Inachias veniſſet ad urbis
Dar-

ante memorarit. *Lætor* autem *malorum*, figura Græca eſt, ſicut Horatius, *Agreſtium regnavit populorum*, pro *Agreſtibus populis*. Servius.

281. *Munera, quæ patriis ad me portaſtis ab oris.*] Hinc jam ſuaſio eſt & conſilium: nam finita eſt auxiliorum negatio. Unde & paulo poſt Venulus ita dividit dicens, *Et reſponſa ſimul quæ ſint, rex optime, regis Audiſti, & quæ ſit magno ſententia bello*, ſcilicet *Audiſti*. Et quod negaverit auxilia, & quod nobis dederit de pace conſilium. *Idem.*

Quæ ad me portaſtis ab oris.] In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis, quod delicatius ſonat, *portatis* præſenti tempore ſcriptum eſt. *Pierius.*

Munera, quæ patriis &c.] Qui auxilium non dat, dat conſilium. *Donat.*

282. *Stetimus tela aſpera contra: contulimuſque manus.*] Id eſt, & comminus, & è longinquo inter nos bella tractavimus. *Servius.*

283. *Quantus in clipeum adſurgat.*] Aut *quantus*, eſt quotiens in hoſtem pergens erigit ſcutum: aut pugnandi exſecutus eſt genus. Qui enim ſcripſerunt de arte militari, dicunt ſummum genus eſſe dimicandi, quoties calcato umbone adverſarii, ſe in hoſtilem clypeum erigit miles, & ita contra inſtantis vulnerat terga. Vel quantos adſurgit, vel quantis ſit major. *Idem.*

284. *In clipeum adſurgat.*] Exprimitur habitus militaris. Ammian. lib. 46. *Erectus in jaculum.* De Ajace 12. Iliad. *ἀσπίδα νύξεν ἐπάλμενος· ſcutum percuſſit inſiliens.* lib. 14. ὄυταζε δουρὶ μεπάλμενος. & lib. 13. de Idomeneo, & Merione ſeparatis locis, ἐπάλμενος. ibidem de Menelao, ἐπᾶλτο. Nihil in Hom. frequentius. Prudent. Pſychom.

—— *enſe coruſco*
Connixa in plagam, dextra ſublimis ab aure
Erigitur, mediumque ferit librata cerebrum. Cerda.

285 *Si duo præterea.*] Hoc eſt, alios duos. *Servius.*

Si duo præterea tales.] C. Julius Romanus in libello de Analogia, rectam ponit declinationem, *hos duo*. Attius in Epinauſimache, *Martes armis duo congreſſos crederes.* Terentius in Adelphis, *Tu illos duo pro re tollebas tua.* Ubi Hellenius Acron, *pro duos* ait: amat enim Hellenius, *ambos, duos*, dici per *s*. *Pierius.*

Si duo.] Pro, duos, ut *ambo*, pro ambos, Græcorum more, qui δύο, ἄμφω in quarto caſu. Utrumque Horat. nam 1. Serm. *duo ſi diſcordia vexet inertes.* & 2. *jurando obſtringam ambo.* Propert. Eleg. 11. lib. 3. *duo currus* dixit in quarto caſu. Martial. lib. 7. *Elyſium poſſidet ambo nemus.* Sic enim in lib. veteri, non, *umbra*, ut in vulgatis; ut dicat, Nemus Elyſium poſſidet ambo, id eſt, Hetruſcum, & ejus uxorem. Plaut. Moſtel. *Ludificatur cornix una vulturios duo.* Iterum, *cornix aſtat, & vulturios duo viciſſim vellicat.* & Pſeud. *inter nos duo convenit.* Ceterum imitatio ducta ab illo Hom. τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν. Dicit autem, ſi tres eſſent tales, videlicet Æneas & duo alii. Videtur enim optare tres duces, nimirum Æneam ipſum, Hectorem, & tertium alium, qui non extat. Nam ut velit duos fuiſſe, non concedam, fuere enim jam Æneas & Hector: tres ergo optat. *Cerda.*

287. *Dar-*

Dardanus, & versis lugeret Græcia fatis.
Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Graiûm
Hæsit, & in decumum vestigia rettulit annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:
Hic pietate prior. coëant in fœdera dextræ,
Qua datur: ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quæ sint, rex optume, regis
Audisti, & quæ sit magno sententia bello.
Vix ea legati: variusque per ora cucurrit

Auso-

287. *Dardanus.*] Pro *Dardanius populus*: & posuit principale pro derivativo: sic Homerus, ὃ δ' ἔκτανε Δάρδανος ἀνήρ. *Servius.*

Lugeret.] Morem lugendi quidam dicunt Ægyptios invenisse. Eos enim primos Liberum, quem Osyrim appellant, à fratre Typhone per insidias interemptum, atra veste luxisse, inde cæteris gentibus traditum, ut post interitum proximorum suorum veste mutata lugerent; ita tamen ut intra annum finiretur luctus. *Idem.*

288. *Cessatum est.*] Tardatum est, & miro, quia non habet quos imputet Trojanis triumphos, vult eis excidii tarditatem pro victoria cedere. *Idem.*

289. *Victoria Grajum Hæsit, & in decimum vestigia rettulit annum.*] In Oblongo codice *victoria tantum* legere est pro *Grajum.* quam lectionem nusquam alibi reperi. Præterea vetusti quidam codices *in decumum.* Cujusmodi rationem scripturæ non in Plautinis tantum codicibus inveni, verum etiam, ut alibi adnotavimus, in Ciceronianis, *decumum, maritumum.* In monumentis autem veterum plerunque, ut illud,

D . M
QVARTIONIS. DECVMI. AVG. LIB.
EVPHEMIANI. A. MANV. FIDELIS
CONLIBERTVS. FRATRI
B . M

Pierius.

290. *Hæsit.*] Tardata est. *Servius.*

Vestigia rettulit.] Retro acta est, & repulsa: ut, *Retro sublapsa referri.* Id.

In decimum vestigia rettulit annum.] Ita lib. 9. *decimum quos distulit Hector in annum.* Adi hunc locum. Ait Sen. Rh. Suas. 2. dici solitum à Messala, hemistichium hoc, *& in decimum vestigia rettulit annum*, explementum esse, & in voce *hæsit* desinendum. *Cerda.*

292. *Hic pietate prior.*] Id in Ænea plus laudat, quod Latinis sicut suadet pacem petituris est utile, ut eum se credant posse facilius exorare. *Prior* autem, Præstantior, melior. *Servius.*

Hic pietate prior.] Ut facile sit impetrare pacem. *Donatus.*

Coëant in fœdera dextræ.] Manuum scilicet conjunctione & apprehensione fœdera inibantur. Liv. lib. 23. *Paucæ horæ sunt, intra quas jurantes per quicquid Deorum est dextras dextræ jungentes, fidem obstrinximus.* Cerda.

293. *Qua datur.*] Qua potest, quacunque ratione permittitur. *Servius.*

294. *Responsa simul quæ sint, rex optime, regum Audisti.*] In Romano cod. in Mediceo, & quibusdam aliis antiquis, non *regum*, sed *regis* legitur unitatis numero, ut sit ordo, O Rex optime, audisti quæ sint responsa Regis Diomedis, & quæ sit ejus sententia? Adulatio enim illa *optume regum*, quæ inferius in Drance quadrat, nunc importuna videretur. *Pierius.*

296. *Variusque per ora cucurrit.*]

Liv.

Ausonidûm turbata fremor. ceu, saxa morantur
Cum rapidos amnis, fit clauso gurgite murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.
Ut primum placati animi, & trepida ora quierunt;
Præfatus divos solio rex infit ab alto:

Ante

Liv. lib. 32. *Secundum orationem Prætoris murmur aliorum cum assensu, aliorum inclementer assentientes increpantium.* Ubi vides in murmure assensum & dissensum; Poëta unico verbo, *varius fremor.* Plut. in vita Alex. ἅμα δὲ τοῦ λόγου τούτου κρότου καὶ θορύβου γινομένου. *Cerda.*

Per ora turbata.] Prope ora turbatorum. *Servius.*

297. *Ceu saxa morantur cum rapidos amnes.*] Non abit multum ab hac comparatione illa Hom. 2. Iliad.

Ὥς ἔφατ'. Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον, ὡς ὅτε κῦμα
Ἀκτῇ ἐφ' ὑψηλῇ, ὅτε κινήσῃ νότος ἐλθών
Προβλῆτι σκοπέλῳ. ——

Non absimile Calab. lib. 4.

Κίνυτο δ' ἠΰτε πόντος ἀπείριτος Ἰκαρίοιο.

Et Ammian. lib. 16. *Clamor, ipso fervore certaminum à tenui susurro exoriens, paulatimque adolescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.* Cerda.

Clauso gurgite.] Saxorum objectione præcluso. *Servius.*

Clauso fit gurgite murmur.] In codicibus aliquot antiquis legere est transposito verbo, *fit clauso.* In aliquot aliis *it clauso gurgite murmur.* Ut etiam verbo respondeat comparatio, *cucurrit tremor:* ita etiam *it murmur.* Sed & *fit murmur*, ut *fit gemitus:* non est præter usum. *Pierius.*

299. *Fremunt ripæ.*] Antiqui aquæ sonitus, *fremitus* dicebant. Ennius, *Ratibusque fremebat Imber Neptuni.* Servius.

300. *Ut primum placati animi.*] Hanc post tumultum secutam quietem comparatione illustrat Petr. Apollon. l. 2. Excid. Hierosl. quam adhibeo, quia respondet Virgilianæ sup. adductæ, etiamsi contrario gustu,

Sic ubi deserunt revocati carcere venti
Cæruleam turbare Thetin, spumantia sensim
Subsidunt maria, & fluctus sua littora servant
Pacati, totoque silescunt murmura ponto.

Cerda.

Et trepida ora quierunt.] Non placet, quod in codicibus aliquot antiquis *rabida* legitur, quod in Sexto recte est. *Pierius.*

301. *Præfatus divos.*] More antiquo. nam majores nullam orationem nisi invocatis numinibus inchoabant: sicut sunt omnes orationes Catonis & Gracchi. nam generale caput in omnibus legimus. unde Cicero per irrisionem ait, *Si quis ex vetere aliqua oratione, Jovem ego optimum maximum.* Et Demosthenes in oratione contra Æschinem, πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. *Servius.*

Præfatus divos.] Incipiebant veteres illi orationes suas à Deorum precibus, & tunc dicebantur *præfari.* Plin. Paneg. Trajani: *Bene, ac sapienter, P. C. majores instituerunt, ut rerum gerendarum, ita dicendi initium à precationibus capere. Quod nihil rite, nihilque providenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* Scholiast. Apollon. in ea verba, ἀρχόμενος σέο Φοῖβε, ita ait: ἔθος γὰρ ἦν ἀπὸ θεῶν προοιμιάζεσθαι. Demosth. in 1. epist. παντὸς ἀρχομένῳ σπουδαίου λόγου, καὶ ἔργου ἀπὸ τῶν θεῶν ὑπολαμβάνω προσήκειν πρῶτον ἄρχεσθαι. Ab Demosthene, credo, qui duo conjunxit λόγον, ἔργον, verba Plinii supra adducta, qui *rerum gerendarum, & dicendi initium.*

Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, & fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, cum muros adsidet hostis.
Bellum inportunum, cives, cum gente deorum
Invictisque viris gerimus; quos nulla fatigant
Prœlia,

tium. Galen. de usu Part. morem hunc ita attingit, πάλιν οὖν ὥσπερ ἀπὸ θεοῦ φωνῆς, τῆς Ἱπποκράτους ἀρξώμεθα λέξεως. Aristid. in 2. Platon. ἀρχὴ δὲ ἡμῖν ἐκ θεῶν. Et Liv. ore Posthumii Cons. *Nulli unquam concioni, Quirites, tam non solum apta, sed etiam necessaria hæc solemnis Deorum comprecatio fuit.* & paulo superius dixerat idem Liv. *Consules in Rostra ascenderunt, & concione advocata, cum solemne carmen precationis, quod præfari prinsquam populum alloquantur, magistratus solent, peregisset Consul.* Ovid. 15. Metamorph. *priscoque Deos de more precatus.* Cerda.

Solio rex infit ab alto.] Est *solium* thronus Regius, quod multis posset astrui: mihi nunc in oculis locus Sen. lib. de Tranquill. cap. 11. Cum vero etiam *solium* sit Jurisconsultorum, ut convincit locus Tullii hic lib. 1. de Legib. *Ego vero ætatis potius vacationi confidebam, cum præsertim non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio Consulibus responderem, senectutisque non inertis grato, atque honesto munere fungerer.* fortasse inde vox traducta ad Regalem thronum, nam Reges instar oraculorum dicebantur populis ex solio respondere; & responsa Regum sunt. *Id.*

302. *Ante equidem summa de re statuisse Latini.*] Latenter arguit Turnum, quod sibi non obtemperaverit, ut fœdus fieret: in septimo scilicet, ubi ait, *Te Turne nefas, te triste manebit Supplicium.* nam modo hoc tempus revolvit. *Servius.*

Statuisse vellem.] Olim est quod volui, his malis terminum dare. *Vellem* autem *statuisse* dixit, ut *vellem fecisse.* & est compendiosa elocutio cum quærimur non esse factum, quod fieri debuit. *Idem.*

303. *Non tempore tali.*] Adjuvandum pronuntiatione, id est, post tanta quæ pertulimus mala, & opportune deliberandi quidem de hac re existimet intervallum esse hostili exercitu imminente, & per hoc magis suadet dum tam infestos probat, ut sibi nec pacem petere permittatur. *Idem.*

304. *Cogere concilium cum muros obsidet hostis.*] In Romano cod. *adsidet* legitur. In Mediceo *assidet*, ut proximius imminere periculum ostendat. plerumque enim sine periculo obsidemur. Et in veteri exemplari, quo Donati Commentaria continentur, *adsidet* habetur. Est etiam in aliquot cod. *consilium.* Sed Grammatici hic *concilium* malunt. *Pierius.*

305. *Bellum importunum.*] Concepit gravem iracundiam, & sic in hæc verba prorupit. *Importunum* autem est, ubi nullum refugium est, quod caret portu: id est, quiete, ubi nullus est portus. Nam hoc quodammodo dicit, in naufragium fertur illa contentio: quia supra audierat periculum esse etiam superare Trojanos, & enarrat cur *importunum*, dicens, *Cum gente deorum, Invictisque viris gerimus.* Servius.

Importunum.] Quod defensionis non habet portum, & quod periculosum non invenit rationis suffragium. *Don.*

Cives.] Ἐκφώνησις. *Servius.*

Cum gente deorum.] Qui à diis originem ducunt. *Idem.*

Cum gente deorum.] Causa quare importunum sit. quæ enim potest inveniri defensio? *Donatus.*

306. *Invictis.*] Atqui supra legimus, *Bis capti Phryges.* Sed *invictis* ideo dicit, quia sequeretur, *Nec victi possunt absistere ferro.* Et sicut supradictum est, latenter occurrit illi, forsitan

Prœlia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem, si quam adscitis Ætolûm habuistis in armis,
Ponite; spes sibi quisque. sed hæc, quam angusta, videtis.

Cetera

tan vincemus, ergo hic si vincamus proficiemus. *Possunt* autem *absistere:* mire ait, ac si diceret, Etiam si velint, eos à bellis discedere natura non patitur. Ennius, *Qui vincit non est victor, nisi victus fatetur.* Varro & cæteri invictos dicunt Trojanos, quia per insidias oppressi sunt: illos enim vinci adfirmant, qui se dedunt hostibus. *Serv.*

Quos nulla fatigant prælia, &c.] Hanc sententiam præclare illustrat Pet. Victorius in lib. 1. Rhet. Aristot. cognitione vocis hujus ἀναμάχεσθαι. quæ vox de illis dicitur, qui victi bello, nunquam absistunt, sed iterum tentare aleam volunt. Additque, Virgilium hoc loco vim verbi hujus intellexisse. Inde laus magna Marcelli, qui ab hoste Annibale pridie victus, postridie bellum impigre instauravit. Verba Plut. in hujus viri vita: ὦ Ἡράκλεις, τί χρήσεται τὶς ἀνθρώπῳ, μή τε τὴν χείρονα τύχην; μή τε τὴν βελτίονα φέρειν εἰδότι, μόνος γὰρ οὗτος οὐδὲ νικῶν δίδωσιν ἀνάπαυσιν οὔτε λαμβάνει νικώμενος. Pergitque aliis in eandem sententiam. Sumpsit Plutarchus à Livio, cujus verba sunt: *Cum eo hoste res est, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam potest: seu vincit, ferociter instat victis; seu victus est, instaurat cum victoribus certamen.* Est hoc, quod Hom. 13. Iliad. & sæpe alibi, Τρῶες δὲ μάχης ἀκόρητοι ἔασιν. Hanc virtutem de Romanis prædicat Plutar. in vita Pyrrhi his verbis: καὶ ταῖς ἥτταις οὐκ ἀποβαλόντας τὸ θαρρεῖν, ἀλλὰ ῥώμην καὶ φιλοτιμίαν ὑπ' ὀργῆς ἐπὶ τὸν πόλεμον προσλαμβάνοντας. Hoc vero esse proprie ἀναμάχεσθαι; Victorius explicuit, ut dicebam. Porro & rei Virgilianæ probe annectes versus Horatianos Od. 4. lib. 4. hos,

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in algido,
Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes, animumque ferro. Cerda.

307. *Nec victi possunt absistere ferro.*] Quia potuisset dici, tandiu durabimus, ut succumbant. *Donatus.*

Nec victi possunt absistere ferro.] In Oblongo codice *decedere ferro* legitur: quam lectionem si admittas, dicendum erit, aut *victi ferro*, aut *decedere ferro*, quippe sibi temperare, ne arma resumerent, quibus se victos negarent. Sed enim *absistere* haudquaquam displicet. *Pierius.*

308. *Adscitis.*] Evocatis, adjunctis. Ergo & gradatim accedit ad desperationem, quæ cogit pacem esse poscendam. *Servius.*

Accitis.] In Rom. codice *adscitis* quod parvi refert. *Pierius.*

Ætolûm in armis.] A patri usque adde id Diomedis mentionem intulit* *Servius.*

309. *Ponite.*] Deponite. *Idem.*

Spes sibi quisque.] Subaudis *Sit.* Et late patet ista sententia, vel quod alienis egere auxiliis non oporteat, vel quod meminisse singuli spei suæ debeant, ut ea sperent tantum quibus possunt potiri. *Idem.*

Ponite; spes sibi quisque.] Sc. sit. Notetur autem in hoc versu,

Ponite; spes sibi qu.

syllabam *te*, brevem esse, etiamsi ab *sp.* excipiatur. Cujus rei exemplum simile apud hunc Poëtam nusquam reperitur; ut nec apud Tibullum, Martialem, & Val. Flaccum: apud alios etiam ab ævo prisco classicos rarissime. Quod sine ratione*ab illis factum qui putat, cum ratione insanire eum ego puto. Nostri vero Poëtæ, excepto *Melisso*, & si quo alio, ad odium usque, & prope vitium, in hoc licentiosi sunt. Vide Indicem Erythræi, & Append. ad 5. Caput Priscian. è vet. Grammatico: inprimis Commentarium nostrum in Culicem Virg. quem olim seorsim dedimus; item Casp. Barthium

Animad-

Cetera qua rerum jaceant perculſa ruina,
Ante oculos interque manus ſunt omnia veſtras.
Nec quemquam incuſo. potuit quæ plurima virtus
Eſſe, fuit. toto certatum eſt corpore regni.
Nunc adeo, quæ ſit dubiæ ſententia menti,
Expediam, & paucis (animos adhibete) docebo.
Eſt antiquus ager, Tuſco mihi proximus amni,

Lon-

Animadverſionibus in Claudiani Bell. Gildonic. ſed & J. Gruterum Notis in Medeam Senecæ: ubi itidem hanc licentiam caſtigat; & neque Senecam uſquam fere ſyllabam corripere, quæ præcedit *ſc. ſp. ſt.* affirmat. Quanquam Maurus Terentianus & Creticum in hoc verſu Virgilii, *Ponite ſpes*, defendat. *Taubm.*

Sed hæc, quam anguſta, videtis.] Ut, Unuſquiſque in tantum ſpem habeat quam ſit anguſtum videbis. *Servius.*

310. *Cætera.*] Abſolute dixit: id eſt, exercitus, vires, auxilia imperii: quæ ſi videatis afflicta, quid reſtat, niſi ut pacem petamus? *Idem.*

Cætera quæ jaceant rerum perculſa ruinæ.] In quodam antiquo codice *quæ jaceant* legitur. Sed magis placet *qua ruina*: ut digito velut intento ruinam indicans, magis moveat. Sunt etiam vetuſti codices, qui *percuſſa* legant. Sed *perculſa* omnino melius: quia ut nonnulli volunt, conſternationem etiam animorum continet. *Pierius.*

Jaceant perculſa ruina.] Nam quid non mali à bello? ubi, *victaque pugnaci jura ſub enſe jacent.* Agnoſce Ovid. Eleg. 8. lib. 5. Triſt. Parco communi loco. *Cerda.*

311. *Ante oculos interque manus ſunt omnia veſtras.*] Ac ſi diceret; non egent narratione. *Inter manus* autem, quod Græci προχείρως. *Servius.*

312. *Nec quenquam incuſo.*] Excuſatio hæc oſtendit, & obliquam eſſe in Turnum orationem Latini. *Idem.*

313. *Fuit.*] Exhauſta & conſumpta eſt. *Idem.*

Toto certatum eſt corpore regni.] I. e. Imperii omnibus viribus bellamus. *Id.*

314. *Dubiæ menti.*] Meæ ſcilicet cogitanti. *Idem.*

315. *Paucis (animos adhibete) docebo.*] Aut paucis docebo, aut animos paucis adhibete. *Idem.*

Paucis (animos adhibete) docebo.] Ita Tyberinus ad Æneam lib. 8. *paucis (adverte) docebo.* τὸ, *animos adhibete*, ad Lucret. qui lib. 2. *Nunc animum nobis adhibe.* Cerda.

316. *Eſt antiquus ager, Tuſco mihi proximus amni.*] Hoc loco Donatus erravit dicens, agrum quem Latinus donare ſe diſponit, eſſe in Campania juxta Uſentem fluvium (quod etiam Clanarius ait) cujus terras vicinas Thuſci aliquando tenuerunt: ut inde dictum ſit, *Thuſco mihi proximus amni.* Agit etiam hoc argumento, quod illi eſt locus, qui hodieque Pinetum vocatur. Conſtat loca illa omnia eſſe campeſtria: nec procedit quod dicitur, *Celſi plaga pinea montis.* Unde ſequenda eſt potius Livii Siſennæ & Catonis auctoritas. Nam pene omnes antiquæ hiſtoriæ ſcriptores in hoc conſentiunt. Cato enim in Originibus dicit Trojanos à Latino accepiſſe agrum, qui eſt inter Laurentum & caſtra Trojana. Hic etiam modum agri commemorat, & dicit eum habuiſſe jugera DCC. Sane *antiquus* poteſt & nobilis accipi, vel ſecundum Trebatium, qui de Religionibus libro ſeptimo ait, *Luci qui ſunt in agris, qui concilio capti ſunt, hos lucos eadem ceremonia moreque conquiri haberique oportet, ut ceteros lucos qui in antiquo agro ſunt.* Antiquum agrum Romanum cogit intelligi. *Servius.*

Tuſco

Longus in occasum, finis super usque Sicanos;
Aurunci Rutulique serunt, & vomere duros
Exercent collis, atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio & celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum: & fœderis æquas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus:
Considant, si tantus amor, & mœnia condant.
Sin alios finis aliamque capessere gentem
Est animus, possuntque solo decedere nostro:

Bis

Tusco mihi proximus amni.] Tyberino. *Serv.*

317. *Longus in occasum.*] Ea parte qua in occidentem tenditur, longior, potuit ergo usque ad Laurentum & ad Hostiam tendi. *Idem.*

Fines super usque Sicanos.] Usque ad fines Sicanos loquitur, quos Siculi aliquando tenuerunt, id est, usque ad ea loca, in quibus nunc Roma est; hæc enim Siculi habitaverunt. Unde est, *Et gentes venere Sicanæ.* Illi autem à Liguribus pulsi sunt, Ligures à Sacranis, Sacrani ab Aboriginibus. *Idem.*

318. *Aurunci Rutulique serunt.*] Subaudis à superioribus, *Mihi.* Nam & supra ait, *Est mihi antiquus ager.* Ergo suum agrum pollicetur, aut quem tanquam stipendiarium habebant Rutuli & Aurunci: aut quem colendum quasi regi operas dabant. Unde superfluum est, quod ait Donatus, non potuisse fieri ut præsente Turno ager Rutulorum à Latino donaretur Æneæ. *Id.*

Arunci.] Ita legendum pertendit Fabricius. *Aruncos* enim Rutulis finitimos esse; *Auruncos* Suessanis. *Taubm.*

Duros exercent colles.] Extenuat agri meritum, quo vile videatur esse quod donat, vel ne grave videatur his, quibus auferendus est; hinc etiam est, *Atque horum asperrima pascunt.* Et supra, *Arunci Rutulique serunt*: id est, non operis suis excolitur. *Asperrima* autem *pascunt*, quidam pro asperrimas partes, vel asperrima pascunt loca, accipi volunt. *Servius.*

321. *Cedat amicitiæ.*] I. e. in pretium concedat amicitiarum. Et bono verbo usus est amicitiæ, non pro hostibus, hoc est, ne quasi victas demus. *Idem.*

Æquas dicamus leges.] Ut pari inter nos societate versemur, id est, ut sit neutrum inferior. *Idem.*

Fœderis æquas, &c.] Sociali (vel, ut Livius loquitur) æquo fœdere jungamur. Tria enim fœderum genera, teste Livio l. 34. unum, cum leges dicebantur bello victis: alterum, cum pares bello veniebant in amicitiam æquo fœdere: tertium, cum ad amicitiam sociali quodam fœdere coïbant, qui nunquam hostes fuerant Æneid. 12.

— *paribus se legibus ambæ*
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant. Taubm.

322. *Sociosque in regna vocemus.*] Non stipendiarios, ut in quarto; *Cuique loci leges dedimus.* Servius.

324. *Sin alios fines, &c.*] Hæc pars orationis de abituris Trojanis, deque Rutulis præbituris, quæ essent necessaria ad viam, videtur ducta à consilio Antenoris lib. 7. Iliad. ubi ait, Græcis (si velint abire) reddendam Helenam, atque etiam opes cum ipsa,

— Ἀργείην Ἑλένην (inquit) καὶ κτήμαθ' ἅμ' αὐτῇ
Δώομεν Ἀτρείδῃσιν ἄγειν. — Cerda.

325. *Possuntque solo discedere nostro.*] Scit eos fataliter ad Italiam venisse. nam audiit & à Fauno, *Externi venient generi*: Et ab Ilioneo, *Sed nos fata deûm*

Bis denas Italo texamus robore navis,
Seu pluris conplere valent: jacet omnis ad undam
Materies: ipsi numerumque modumque carinis
Præcipiant: nos æra, manus, navalia demus.
Præ-

deûm vestras exquirere terras, Imperiis-que egere suis. Tamen propter Turnum simulat ignorantiam, ut se etiam circa eum æquum præstare videatur. Multum est autem, quod ait *possunt*. Servius.

326. *Bis denas Italo texamus robore navis.*] Quæritur unde scierit Latinus viginti naves habuisse Ænean; sed ita absolvitur, potuit speculatione, potuit rumore cognoscere, postremo extimatione dixit, quæ amplius solet complecti, quia de viginti navibus unam perisse cum Oronte, IV. in Siciliam concrematas. *Idem.*

Bis denas.] Quas videlicet amiserat Æneas longo navigationis cursu, nam ipse lib. I.

Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor. Cerda.

Texamus.] Quidam *texamus* proprie dictum tradunt, quia loca in quibus naves fiunt, Græce ναυπήγια, Latine *textrina* dicuntur: Ennius dicit; *Idem campus habet textrinum navibus longis.* *Navalia* enim non esse ναυπήγια, sed νεώρια. *Servius.*

Texamus.] Proprie. ναυπήγια enim & loca in quibus naves fiunt, *Textrina* dicuntur. Ennius:

Idem campus habet textrinum navibus longis.

Cic. I. de Divinat. è V. P.

Iamque mari magno classis cita texitur.

Ovidius:

Texitur & costis panda carina suis.

Servius Dan. & Scaliger ad Catull. Carm. 60. & P. Merula, ad Ennium. *Taubm.*

327. *Complere valent.*] Proprie verbum nauticum, nam Græce πλήρωμα dicitur. Servius.

Jacet omnis ad undam materies.] Hic *omnis*, pro ea quæ sufficit. Iterum extenuat, ut sine magno negotio fieri videatur. Et *materies*, antique dictum, nam *materiam* dici debere multi adserunt. *Idem.*

Materies.] Ναυπηγήσιμος ὕλη. Cæsari *materiatio*, & *materiari* est, ubi materia in bellicos usus cæditur. ὑλοτομὴ, δενδροκοπή. ita Cic I. off. *domum male materiatam* dixit. *Taubman.*

328. *Numerumque modumque.*] Eleganter quot & quantæ magnitudinis sint. *Servius.*

329. *Manus.*] Artifices. *Idem.*

Manus.] Credo hic per *manus* ἐργάτας, operas, & remiges intelligi: ut Poëta πολύποδα & πολύχειρα navem vocat, à remigiorum, remigumque copia. Sunt tamen, qui *manus* sine præcedente interpunctione in gignendi casu accipiant: ut, *æra manus*, pro stipendio nautici ministerii, & bellicis ut, *æs manuarium*, quod manuum labore acquiritur. Unde Gell. *Hoc ære quasi mannario collecto cœna paratur.* Alii malunt *manus* accipere pro instrumentis & telis navalibus, quibus naves harpagonibus raptæ tenentur, à manus humanæ similitudine: quæ instrumenta inter armamenta navium non postremo loco commendantur: quorum & Plin. meminit lib. 7. c. 56. *Anacharsis harpagonas, manus Pericles Atheniensis invenit.* Quæ quidem sententia non ita improbanda videri posset, si Pericles Trojanis temporibus inventum suum edidisset. Non posse autem videtur convenire, ut hic *manus* exercitum, aut agmen significet, quod Teucris non deerat: aut sit *dare manus*, quod herbam porrigere. *Germanus.*

Navalia demus.] Hoc loco ipsæ res navales sunt, id est, pix, cera, funes, vela & alia hujusmodi. *Navalia* dicimus loca ubi naves sunt. Sed modo de Græco transtulit. Et *navalia* posuit pro trabi-

Præterea, qui dicta ferant, & fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos;
Munera portantis aurique eborisque talentaque
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

trabibus, de quibus naves fiunt. nam Homerus νηὸν dicit *navale lignum*. Serv.

Navalia.] Ναυστάθμους Græci, & νεώρια vocant: verum hic ex Servii sententia videntur pro trabibus accepta: ut poëtæ passim νήϊα δοῦρα, ἀντὶ τῶν ναυπηγησίμων ξύλων usurpant, & Hesiod. νήϊα ξύλα. Sunt qui hic *navalia* ναυπήγια intelligant, pro loco vel officina, ubi naves extruuntur. *German.*

331. *Centum oratores prima de gente.*] Et ex numero & ex nobilitate legatorum intelligitur negotii magnitudo. *Servius.*

Centum oratores.] Hoc ab Ænea didicisse videtur. *Donatus.*

Centum oratores prima de gente Latinos, &c.] In plerisque codd. antiquis, *prima de gente Latini* legitur. sed, *oratores Latinos*, castior lectio. *Pierius.*

332. *Pacisque ramos.*] Oleam intelligit, qua de re ubertim alias. *Cerda.*

333. *Aurique eborisque talenta.*] Ad *aurum* refertur, an & *ad ebur?* quia & *ebur* ad pondus venditur. *Servius.*

Eborisque aurique talenta.] In antiquis cod. legere est *aurique eborisque*, nempe ut respondeat eorum ordini, quæ statim subjiciuntur *talenta*, & *sellam*: ut sit, *auri talenta*, & *eboris sellam*. Tametsi Servius *aurum*, *ebur*, & *sellam* distincta internoscit munera. Mihi vero Virgilius ad ea dona respicere videtur, quæ Romani Regibus mittere consuerunt, sellam eburneam, pateras aureas, tunicas, chlamydes, pallas pictas, & alia vestimenta purpurea, ut ad Syphacem togam, & tunicam purpuream, sellam eburneam, & pateram ex quinque auri pondo factam, olim missa. Ptolemæo Regi togam, tunicam purpuream, cum sella eburnea. Cleopatræ Reginæ pallam pictam cum amiculo purpureo portata, quæ darentur. Quare lectionem ita punctis dissitam esse placet, ut *Munera portantes aurique eborisque*, uno legantur membro. inde quid ex *auro*, quidque ex *ebore* constaret, subjiciatur, *talenta*, & *sellam*. Quanvis etiam nihil offendat, si legatur *eborisque aurique talenta*, & *sellam*. Cujusmodi χιασμὸν & Hermogenes apud Demosthenem, & alii apud Homerum & Theocritum, inter elocutionis ornatus observarunt, id ita figurantes, *Eboris Auri. Talenta Sellam.* *Pierius.*

Aurique eborisque talenta.] Nam tum etiam ebur pondo æstimabatur. De hoc autem loco vide, quæso, Scaligerum l. 4. c. 38. Poët. *Taubmannus.*

334. *Et sellam regni, &c.*] Bene *nostri*: Romanorum enim Imperatorum insigne fuit sella curulis & trabea. nam diadema aliarum gentium reges non habebant. Et sciendum *sellam curulem* à curru dictam, quod ea tantum utebantur, qui triumphali curru invecti fuissent. Sicut etiam *palmata* dicitur *tunica*, quam merebantur qui reportassent de hostibus palmam. *Serv.*

Sellam regni.] Attingit proculdubio morem Rom. Populi, qui *sellam* mittebat Regibus præcipuo munere. Liv. lib. 27. loquens de Syphace: *Legati dona tulere, togamque, & tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram auream.* Dionys. lib. 5. ait, Romanos misisse ad Porsennam Regem Hetruscorum, *sellam eburneam, sceptrum, coronam auream, vestem triumphalem.* Traxere fortasse morem hunc Romani ab Hetruscis, à quibus multa manarunt in populum potentem. Nam apud eundem Dionys. lib. 3. Hetrusci afferunt

Consulite in medium, & rebus succurrite fessis.
Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, & lingua melior, sed frigida bello
Dexte-

tunt ad Tarquinium Priscum, *coronam auream, sellam eburneam, & sceptrum in summitate aquilam habens, tunicam purpura, auroque distinctam, togam purpuream pictamque, instar earum, quas & Lydi, & Persæ gestabant.* Inde fortasse factum, ut, procedente Imperio, sellæ Ædilium, Prætorum, Consulum essent *eburneæ:* nam hi tres magistratus ea utebantur; non vero tantum illi, qui triumphali curru invecti fuissent, ut male hic Servius. Nam cum Festus *curules magistratus* dixit, eos tres intellexit. *Cerda.*

Trabeam.] Conveniunt omnes fuisse vestem, in qua essent trabes discolores. Quin, si Ausonio credis, eadem fuit cum toga picta, & palmata. Verba Auson. in gratiar. Act. *Parum est, si qualis ad me trabea mittatur interroges, te coram promi jubes. Nec satis habes, ut largitionum ministri ex more fungantur. Eligis ipse de multis, & cum elegeris, munera tua honore prosequeris. Palmatam, inquis, tibi misi, in qua Divus Constantinus parens noster intextus est. Me beatum! cujus insignibus talis cura præstetur. Hæc plane, hæc est picta, ut dicitur, vestis, non magis auro suo, quam tuis verbis.* Vides, ut Gratianus *trabeam* mittat ad Ausonium, & eandem vocet *palmatam*, cum ait, *palmatam tibi misi.* & mox ipse Ausonius dicat; *hæc est picta.* Ergo *trabea, palmata, picta*, vestis eadem. Hoc si est, liquet jam de forma trabeæ, ut esset vestis, in qua esset palma instar trabis picta auro. Itaque ab auro picto, *picta:* à palma, *palmata:* & quia hæc picta palma instar trabis, *trabea.* Quæ dixi de auro clara sunt. Nam Ausonius, *picta vestis non magis auro suo.* & infr. *trabeam non magis auro suo, quam munere tuo splendidam.* Claud. Paneg. Prob. *auratas trabeas.* & Sidon. Pang. Anthem. *effulgens trabealis mole metalli.* Cerda.

Trabeam.] Vide 7. Æn. ad ℣s. 188. *Taubmannus.*

Insignia.] Videlicet βασίλεια, quæ vox apud Græcos signat *diadema, sceptrum, purpuram.* Cerda.

335. *In medium.*] In commune. ut, *In medium quærebant ipsaque tellus.* Servius.

Consulite in medium.] Apud Æsch. in Suppl. δικοινόμενλις ἀρχά. Ita & Græci, βουλεύεσθαι εἰς κοινὸν, καὶ κοινολογεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους. *Germanus.*

Rebus succurrite fessis.] Ovid. Eleg. 4. lib. 1. Trist. *rebus succurrite lapsis.* Tacit. 15. Annal. *Deligendumque, qui fessis rebus succurreret.* Cerda.

336. *Tum Drances idem.*] Videlicet quia supra apud Ænean egerat. *Serv.*

Tum Drances.] Drancis & Turni altercatio (auctore Macrob. l. 5, 2.) refert Homerici Achillis & Agamemnonis contentionem. *Taubmannus.*

337. *Obliqua invidia.*] Hoc est, qui non ex aperto impugnabat Turnum: sed eum reipublicæ simulata defensione lacerabat. *Servius.*

Obliqua invidia.] Id est, non manifesta, ob metum. Sic explicat Jul. Scal. & vere. Ducit German. locutionem à Græcis, qui δυσχερῆ, & χαλεπά, *difficilia, & acerba* sæpe vocant σκολιά, *obliqua.* & Pind. πλαγίας φρένας, *obliquas mentes.* Poëtæ etiam Græci in re invidiæ dicunt λοξὸν ὄμμα, *obliquum oculum.* Ita etiam Horat. loquitur, *obliquo oculo mea commoda quisquam limat*, id est, οὐκ ὀρθοῖς ὄμμασιν, ut loquitur Soph. & Stat. 3. Theb.

Respectentve truces obliquo lumine matres. Cerda.

338. *Largus opum.*] Abundans opibus,

Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens (genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat)

Sur-

bus, dives: non qui multa donaret. *Servius.*

Largus opum.] Id est, abundans opibus. Describit autem personam umbratilem, & domi factiosam, ac sui confidentem, atque alienæ gloriæ obtrectatricem. Vide Scalig. lib. 3. cap. 2. Poët. Existimat Turnebus, lib. 23, 14. hoc de Drance *Ciceronis* personæ mirifice convenire. ut non dubitet in ejus imaginem Drancis personam à Marone institutam esse, & inductam. *Taubmannus.*

Lingua melior.] Ut *lætissimus umbra.* Sallustius, *Fructuum pabulique lætus ager.* Servius.

Lingua melior, &c.] Claud. in Eutrop. 2. credo ex Nostro,

—— linguæ jactator, abundans
Corporis, exiguusque animi ——

Sallust. 3. Hist. *Impigram linguam, ignavum animum.* Et in Jugurth. *Lingua, quam manu, promptior.* Plutarch. in Themist. de Epicyde quodam, *δημαγωγὸν ὄντα δεινὸν μὲν εἰπεῖν, μαλακὸν δὲ τὴν ψυχήν.* Isocrat. dixit, *τὸ γὰρ ἕτοιμον εἰς λόγους, ἀργὸν εἰς πράξεις.* Ammian. lib. 17. *ignavus, sed verbis effusior.* Eurip. in Herc. conjunxit hæc duo, *γλώσσης ψόφον*, & *ῥώμην ἐκλίποιτεν*, *linguæ strepitum, defectum virtutis.* Plaut. Bacchid. *Lingua factiosi, inertes opera.* Hom. 4. Iliad.

—— τὸν υἱὸν
Γείνατο εἷο χέρεια μάχῃ, ἀγορῇ δέ τ' ἀμείνω.

Contrariam sententiam ita Sallust. Jugurth. *Plurimum facere, & minimum ipse de se loqui.* Et de Tydeo Eurip. Suppl.

Οὐκ ἐν λόγοις ἦν λαμπρὸς, ἀλλ' ἐν ἀσπίδι. Cerda.

Melior.] Locutio ducitur à Græcis, quibus *κρείσσων*, id est, *melior*, est præstantior. Sic Horat. *cervus pugna melior.* Sallust. Jugurth. *bello meliores.* Justin. lib. 9. *Scythæ meliores Macedonibus.* Liv. lib. 34. *Melior eis Romanus.* Idem.

339. *Non futilis auctor.*] Non inanis. nam *futilis*, vas quoddam est lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Vestæ, quia aqua ad sacra Vestæ hausta in terram non ponitur: quod si fiat, piaculum est. Unde excogitatum est vas quod stare non possit: sed positum statim effunderetur. Unde & homo commissa non retinens, *futilis* dicitur. contra *non futilis*, bonus in consiliis, non inanis. *Servius.*

Non futilis auctor.] Antiqui aliquot codices *actor*. quod non placet. *Pier.*

340. *Seditione potens.*] Præpotens in movenda, non in comprimenda seditione. *Servius.*

Seditione potens.] Præclare, ut *cui frigida bello dextera.* Imbelles enim apti sunt commovendis seditionibus. Lucan. lib. 5.

Detegit imbelles animos nil fortiter ausa
Seditio tantumque fugam meditata juventus.

Potens seditione dicitur ab Homer. Il. 23. *νεῖκος ἄριστος.* *Cerda.*

Superbum.] Pro *nobile.* *Servius.*

Genus huic materna, &c.] Silius l. 12.

Asdrubalis proles, cui vano corda tumore
Maternum implebat genus. ——

Gustu Virgilii Sidon. epist. 11. lib. 1. *Quem inter initia cognosci claritas vitrici magis, quam patris fecerit.* Cerda.

341. *Incertum de patre ferebat.*] Non ignobilem, sed penitus ignoratum significat. Alii *incertum* aut ipsum patrem, aut genus tradunt; & bene segni homini paternam non dedit nobilitatem. *Servius.*

Incertum de patre ferebat.] Huc allusit Sidon. Pang. Anthem.

Incertum crepat ille patrem, cum serva sit illi

Certa

Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem,
Consulis, ô bone rex. cuncti se scire fatentur,
Quid Fortuna ferat populi; sed dicere mussant.

Det

Certa parens, nunc, ut Regis sit filius, effert
Matris adulterium——
Heliodor. lib. 4. hanc generis incertitudinem vocat *ἀμφίβολον*. Quintil. Declam. 310. *Duas familias incerta stirpe confudisti.* Plut. in Themist. *ἐκ γένους ἀμαυροτέρα.* Ovid. Eleg. 3. libr. 2. Pont. etiam dixit *incertum genus.* & 5. Metamorph. flexu alio, *dubio genitore creatus.* Eurip. in Ione præclare,
Ἀδίκημα τῆς γυναικὸς ἐξευρόμην ἴσως.
Cerda.

Ferebat.] In Ro. codice *ferebant* numero multitudinis legitur, ut id ad famam referatur. Sed Donatus *ferebat* singulare agnoscit. *Pierius.*

342. *Surgit.*] Hic reddidit sensum, *Tum Drances surgit.* Servius.

Onerat dictis.] Hoc sermone ostendit Turnum etiam ex oratione gravatum Latini. *Idem.*

Onerat dictis.] Terentius And. *onerare injuriis.* Sallustius (si is vere) in Tull. *etiamne odio tuo aures nostras onerabis?* Pulchra est metaphora. Ita etiam lib. 4. *His germana malis oneras.* Plutar. in vita Caton. Uticens. ait, amicitiam Cæsaris onus fuisse, quo premerentur Pompeji humeri, quodque tandem depositurus in terram esset, cum ferre non posset. *Cerda.*

Iras.] Turni, an omnium qui bellum detestabantur? *Servius.*

343. *Rem nulli obscuram.*] Callide & oratorie agit: & in omnibus adulatorie respondet dictis Latini. supra enim ille dixerat, *Ante oculos, interque manus sunt omnia vestras.* Sane quasi prædictum oratorem exprimit: quia supra de eo dixit, *Et lingua melior.* Et *Rem consulis*, pro *de re consulis.* Plautus, *Consulere quiddam est, quod tecum volo.* Sed Drances, sicut dictum est, rhetorice suadet de pace, nam & pacem faciendam hortatur, & accusationem in Turnum dirigit & quæ in Latino indubitanter universa dicta sunt, quæ pacem fieri suadeant * Drances eadem omnia respondens addit etiam de filia danda Æneæ, quod Latinus ante reticuerat. *Quin natam egregio genero:* quasi non aliter firma erit pax quam fieri vis, quia sciebat hoc Turnum graviter esse laturum, in invidiam personam ejus adducens, *Dicam equidem, licet arma mihi, mortemque minetur*, & ne mirum esset, qui sic libere responderet, ante ejus & mores & causam prædixit, *Lingua melior, seditione potens*: idem *infensus, quem gloria, &c.* duæ tamen hic faciendæ pacis præcipuæ causæ sunt, quod victi sunt, & Turnus singulari certamine congredi debeat. *Idem.*

Vocis egentem.] Genitivo junxit, ut *cum classis egeret.* Idem.

344. *O bone rex.*] Bene addidit *bone*, & auxit epitheto dignitatem. *Rex* enim medium est: nam & bonus esse & pessimus potest. Alii *bone rex* exprobratione accipiunt, ut quidem voluit se bonum * dici. *Idem.*

345. *Mussant.*] Modo verentur vel timent significat. alias dubitant: ut, *Mussat rex ipse Latinus Quos generos vocet.* Interdum susurrant: ut de apibus dicit. Et proprie *obmussare*, est obmurmurare & queribundum I & * jus velut muto vicinum: Alias tacent, alias quiescunt. *Idem.*

Dicere mussant.] *Βαΰζειν occulte loqui* Æschyl. & *μύζειν* item *mussare.* Grammatici autem *mussare*, volunt, & *mussitare* proprie dissimulandi causa tacere, unde de *mussata* contumelia, cum silentio indignationeque transmissa apud Apulejum, unde & Terent. Adelph.

Det libertatem fandi, flatuſque remittat,
Cujus ob auſpicium infauſtum moreſque ſiniſtros
(Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidiſſe ducum, totamque videmus
Conſediſſe urbem luctu: dum Troïa tentat
Caſtra fugæ fidens, & cælum territat armis.

Unum

Adelph. *Accipienda & muſſitanda injuria adoleſcentium.* Germanus.

346. *Flatusque remittat.*] Aut ponat ſuperbiam: aut noſtros flatus remittat, id eſt, nobis reſpirare concedat. *Remittat* autem nunc pro *laxet*, ut *remiſſis artubus* pro *laxatis*. Servius.

Flatusque remittat.] Ponat ſuperbiam. Græcis etiam φύσημα eſt φρόνημα, id eſt, *inſolentia.* ita *magnum ſpirare*, apud Propert. illis eſt, μέγα φυσᾶν, id eſt, μέγα φρονεῖν, unde & φυσίφρων, *cui mens tumet ſuperbia.* Taubmannus.

347. *Cujus ob auſpicium infauſtum.*] Invidioſe Turni auſpiciis imputat, quod tantus perivit exercitus; ac ſi diceret, ſi malis & infauſtis tuis ominibus non egrederentur, poſſent forſitan ſuperare virtute. Sane ſciendum hunc Drancis ſupprimere quicquid verecunde celaverit Latinus * *Servius.*

Moresque ſiniſtros.] Contrarios: quia in principio, Latino morigerari nolunt. *Idem.*

Licet arma mihi.] *Licet*, eſt parentheſis. *Idem.*

349. *Lumina ducum.*] Id eſt, proceres, ut, *O lux Dardaniæ.* Idem.

Lumina ducum.] Lumen de homine, tritum. Soph. Antig. φάος ἐν Οἰδίπου δόμοις· *lumen in familia Oedipi.* In Paneg. Conſtantini, *Luminibus civitatis exſtinctis.* in 2. de Hectore, *lux Dardaniæ?* & ſexcenta alia. Non abeunt ſimiles locutiones. Nam Pind. Σικελίας ὀφθαλμὸς, & lib. 3. Anth. Corinthus dicitur Ἑλλάδος ἄστρον, *Græciæ aſtrum*, quam civitatem *lumen Græciæ* vocat Tull. in Maniliana. *Cerd.*

350. *Conſediſſe urbem luctu.*] In luctum eſſe demerſam. *Servius.*

Conſediſſe urbem l.] In luctum eſſe demerſam. Vel, jacere afflictam: ut alluſum ſit ad Græcorum συνίζησιν, id eſt, labem ſtructuræ alicujus, hiatusque terræ in cava ſubſidentis, qui χασματίαι Græcis: quæ vox ad corporis etiam humani affectus transfertur, auctore Pimpontio. Turnebus lib. 23. cap. 14. dictum putat, quod triſtes qui ſunt, plerumque ſedeant: & Græcos καθίζειν κλαίοντα, id eſt, *flentem reddere*, dicere eodem fere modo ſolere. *Taubmannus.*

Tentat.] Mire *tentat*, non pugnat. *Servius.*

351. *Fugæ fidens.*] Illud reſpicit quod bella deſerit, Junone faciente, vel quia ejus exercitus fugit. *Fugæ* autem figurate dixit, non *Fuga fidens.* Idem.

Fuga fidens.] Quamvis Servius *fugæ* figurate pro *fuga* dictum aſſerat: in Rom. tamen codice *fuga* eſt. at *fugæ* in antiquiſſimis eſt Donati Commentariis. *Fido* enim dativum caſum minime reſpuit, teſte Priſciano, hoc eodem citato verſu. quod verbum tamen ablativo etiam jungi probat. *Pierius.*

Cœlum territat armis.] Dictum quidem Virgilii gravitati non convenit: ſed perite Dranci hæc data ſunt verba, qui tumida oratione inducitur. Unde ei paulo poſt Turnus dicit, *Quæ tuto tibi magna volant.* Item, *Proinde tona eloquio.* Item, *Ventoſa in lingua.* Deinde diximus Drancem librare ſe ad orationem Latini. unde nunc dicit, *Et cœlum territat armis*, aut quaſi vanus & cumentus monetur * quia audierat, *Bellum importunum cives cum gente deorum.*

Unum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis dicique jubes, unum, optime regum,
Adjicias; nec te ullius violentia vincat,
Quin natam egregio genero dignisque hymenæis
Des pater, & pacem hanc æterno fœdere jungas.
Quod si tantus habet mentis & pectora terror;
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso:
Cedat

rum. Id est, contra eos pugnet, qui favore nituntur. *Servius.*

Et cœlum territat armis.] Ait Erasm. Ch. 2. Cent. 4. c. 6. allusum à Poëta ad bellum Gigantum, qui in cœlum feroces. Potest. Sed ego potius capio de inani conatu, non de feroci qualis Gigantum. ideo *territat*, & *cœlum*, quasi terriculamenta nihil possint cœlum lædere. *Cerda.*

352. *Etiam.*] Hoc loco *etiam*, pro *adhuc*, ut Terentius, *Hunc ego nunquam videram etiam:* & mox, *Unum etiam vos oro, ut me in vestrum recipiatis gregem.* Servius.

Mitti Dardanidis, dicique.] *Mitti Dardanidis:* & cætera dici de navibus vel agro. Et bene *Dardanidis*, quasi cognatis & ab origine generis propinquis. *Idem.*

Mitti Dardanidis ducique jubes.] Romanus codex, Mediceus & alter pervetus in Vaticana Bibliotheca, & aliquot alii, *dici* legunt. Idque Servius admisisse mihi videtur, dum ait, mitti aurum, ebur, & sellam, dici de navibus, vel agro, quod scilicet consilium sit initum, & quod optio ad Æneam pertineat. Idem est in veteri Donati Commentario. *Pierius.*

354. *Adjicias.*] Pro *adjice*. Terentius, *Abeas si sapis.* Quia indecens erat imperatione ad regem loqui. Et bene hic quod honeste Latinus reticuerat dicit, Laviniam quoque ei offerendam. *Servius.*

355. *Egregio genero, dignisque hymenæis.*] Ergo Turnus videtur indignus. *Idem.*

356. *Æterno fœdere jungas.*] Natæ scilicet conjunctione. nam munera & contemni poterant: generis vero conjunctione in æternum pacis fœdera firmabantur. hoc autem dicto latenter etiam Latini pudorem exonerat: qui Turno etiam suam promiserat filiam, dicens causam reipublicæ præponderare debere, & propter pacem civium Turno Æneam esse præferendum. *Servius.*

Æterno fœdere jungas.] Rom. codex, & aliquot alii legunt *firmes*. Juncta enim semel fuerat, sed non firma fuit: huic igitur errori consulit occurrendum. quanquam id etiam huic sententiæ satisfacit, quod dictum est, *æterno fœdere*. Pierius.

357. *Terror.*] *Terror* est proprie qui aliis infertur: ut si dicas, ille mihi habet terrorem: id est, timendus est. Unde & *terribilis* dicitur. *Metus* autem est quem habent timentes. Sed nunc usurpative *terrorem* pro metu posuit. Nam hoc dicit, Quod si tantum Turnum timemus. Aliene voluit quod turpe esset audienti Latino dicere, ut Turnum timeat. *Servius.*

358. *Ipsum.*] Invidiose repetitum pronomen. *Idem.*

Veniamque oremus ab ipso, Cedat.] Asper hic distinguit. id est, hanc veniam oremus ut cedat, aut si conjuncte legeris, *Cedat jus proprium regi*, nova erit elocutio accusativo junctum *cedat*, & *cedat jus proprium*, id est, quod proprium regum est: aut cedat Æneæ. Quod autem hic dixit *cedat*, mox ait *Pone animos & pulsus abi.* Idem.

Cedat jus proprium regi, patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula civis
Projicis, ô Latio caput horum & caussa malorum?
Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes,
Turne; simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego (invisum quem tu tibi fingis, & esse
Nil moror) en supplex venio. miserere tuorum;
Pone

359. *Jus.*] Ulpiani I.C. error manifestus est ducentis *jus* à *justitia*, cum contra sit. nam à *jure justus*, à *justo justitia*; ut *honestus* ab *honor*, *pigritia* à *piger*. Cerda.

Cedat jus.] Patiatur Regem ac Patrem uti jure suo, & propria libertate definire ac sequi universa. Germ. Valens, *Cedat*, verbum Juris esse ait, ut 3. Æn.

— regnorum reddita cessit
Pars Heleno.

quamvis activum illud, hoc neutrum. *Taubmannus.*

360. *Quid miseros totiens in aperta pericula cives Projicis.*] Quasi viles & abjiciendos. & ingenti pondere universa verba sunt posita, *Servius.*

Cives projicis.] Homines omni charitate amplectendos, ut rem vilem abjicis. *Donatus.*

In aperta.] Manifesta, quod non fortis est, sed temerarii. *Idem.*

361. *Latio.*] Non uni civitati. *Servius.*

Caput.] Principium. Et est antiquum. Quia quivis auctor & princeps rei gestæ fuerat, *caput* à veteribus dicebatur. Terentius, *Nam si hic mali est quicquam, illic huic rei est caput.* Plautus in Asinaria, *Ego caput huic fui argento inveniendo.* Idem.

362. *Nulla salus bello.*] Plus est quam si *Spes* diceret. *Nulla bello* autem, per bellum. *Servius.*

Nulla salus bello.] Ita Isocrates in ea, quæ est de Pace, dixit, τὴν ἡσυχίαν ὠφελιμωτέραν εἶναι τῆς πολυπραγμοσύνης· *Utilius esse otium, & cedere in majus lucrum, quam bello tumultuari.* Euripides in Supplic.

Ὅσῳ τι πολεμίου κρείσσων εἰρήνη βροτοῖς·

Quanto pax melior est bello mortalibus. Et in Oreste ait, θεῶν εἰρήνην esse καλλίστην. Contraria sententia Sen. in Herc. Fur. *Omnis in ferro est salus.* Cerda.

Pacem te poscimus omnes.] Te poscimus, qui solus es caussa bellorum. nam Æneas pacem promisit. *Omnes* invidiose, ut & Latinus hoc poscere videatur. *Servius.*

Pacem te poscimus omnes.] Enthymema à contrariis. q. d. *Te*, Turne, qui solus auctor & caussa es bellorum, *pacem poscimus*: quam Æneas jam promisit, & quam tu dabis, cedendo Laviniam, pacis illud inviolabile pignus. *Taubm.*

363. *Solum inviolabile pignus.*] Id est, Laviniam. Et hoc est quod ait supra, *Pacem hanc æterno fœdere firmes.* Servius.

364. *Invisum quem tu tibi fingis.*] Id est, inimicum, & bene, *Quem tu tibi fingis*, ne ei tanquam inimico minime credatur. & hoc dicit, Non sum quidem inimicus: sed si velis esse, non recuso. nam hoc est *& esse nihil moror.* Idem.

365. *Supplex venio.*] Magna nocendi calliditas, qua inimicum summa invidia oneret. *Donatus.*

Supplex venio.] Quæsitum verbum ad rem. Nam ἱκέτης, id est, *supplex* ab ἵκω, id est, *venio*. Sic illa, *Plemmyrium undosum, acanthida dumi, capra carpetis*, & sexcenta in hoc Vate. *Cerda.*

366. *Ani-*

Pone animos, & pulsus abi. sat funera fusi
Vidimus, ingentis & desolavimus agros.
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, & si adeo dotalis regia cordi est;
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia conjunx,
Nos animæ viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis. & jam tu, si qua tibi vis,

Si

366. *Animos.*] Fortem quandam considerationem. *Donatus.*

Pone animos, & pulsus abi.] Sumptus sermo à forensibus repulsis. Quo etiam spectavit Ovid. 2. Amor. Eleg. *Sæpe repulsus eam.* quod arripuit Propert. Eleg. 4. lib. 2. nam in re amoris, *sæpe repulsus eas.* Sed cum Poëta præmittat, *Pone animos,* dubitabam an esset ductus sermo à tauris victis, cum pelluntur pascuis à victoribus, abeuntque posita ferocitate animi: nam, non dubium, quin Drances respiciat ad fugam Turni è bello, quæ habetur libr. 10. *Cerda.*

Fusi.] Fugati. *Servius.*

367. *Desolavimus agros.*] Vel dum occiduntur agricultores, vel dum coguntur ad militiam. nam legimus, *Et latos vastant cultoribus agros.* Idem.

Desolavimus agros.] Nam de solo certabatur, quod factum est desertum. *Donatus.*

Desolavimus agros.] Est hoc, quod in 8. *vastant cultoribus agros.* Aristid. in 2. Platon. κενὴν ἀνθρώπων χώραν. Pulchre Eurip. in Herc. ἄλσος ἠρήμωσε, scilicet Hercules, *nemus viduavit.* Noster lib. 8. *viduasset civibus urbem.* Ovid. 1. Metam. *desolatas agere alta silentia terras.* Iterum Euripid. in Rheso, πόλεις ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἐκένωσεν· *vacuefecit urbes viris præstantibus.* Stat. 4. Th. *Phocida celsam vastat,* quod scilicet Xenoph. ἑλλ'. τὴν μὲν χώραν ἐπόρθει. *Cerda.*

369. *Dotalis regia cordi est.*] Hoc est, regnum Latini. Sic alibi, *Non hæc dotalis regia Amatæ.* Servius.

371. *Scilicet ut Turno contingat regia conjux.*] Hæc cum quadam irrisione dicuntur. Et ostendit hoc nec utile, nec honestum esse. *Idem.*

Scilicet, ut Turno.] Necessario posita est in fine exclamatio, ut demonstret causæ privatæ ipsius Turni non esse admiscendum publicum periculum. *Donatus.*

Scilicet, ut Turno, &c.] Ab explorato hoc loco Stat. 3. Theb. ore Capanei,

—— quid vota virum meliora moraris?
Scilicet ut vanis avibus, natoque, domoque,
Et thalamo potiare jacens, sileamus inulti? Cerda.

372. *Nos animæ viles.*] Lucan. l. 5.

Aut quæ nos viles animas in fata relinquens.

Et lib. 7. *& viles animas perituraque frustra Agmina.* Sunt *viles animæ*, servorum animæ. Certe illud Petronii, *vilissimo sanguine Tutelam placare*, explicat Janus Dousa, *servili & fugitivorum sanguine.* Et ego firmo. Nam Petron. idem, *Vilis servus habet Regis bona.* Idem.

Inhumata infletaque turba.] Atqui sepulti sunt omnes qui in bello perierant, ut legimus supra. Sed hoc factum est Æneæ beneficio, qui sepulturæ eorum reddidit socios. Ergo quantum ad Turnum pertinet insepulti sunt: nam campos sua potestate retinebat Æneas. *Servius.*

373. *Sternamur campis.*] Ti. Donatus futuro indicativi *Sternemur* legit,

 adjecta

Si patrii quid Martis habes, illum aspice contra,
Qui vocat.
Talibus exarsit dictis violentia Turni:
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem, Drance, semper, tibi copia fandi,
Tum

adjecta paraphrasi, per omnes campos jacebimus fusi. locumque hunc eodem tempore repetit in Duodecimo: & ita scriptum est in codice Mediceo. *Pierius.*

Etiam tu.] Nunc *etiam* hortantis adverbium est, ut *eia.* Terentius, *Etiam responde.* Alias *adhuc* significat, & est temporis adverbium, ut *etiam currus, etiam arma tenentes.* Alibi pro conjunctione, ut, *vos etiam gemini*, &c. Ponitur etiam pro *nondum:* Afranius, *Etiam quidquam egisti.* Apud majores *Etiam* consentientis fuerat. quod tamen in his recentibus idoneis auctoribus non invenitur. Nonnulli etiam *tu*, pro *quin tu* tradunt. *Servius.*

Vis.] Virtus. *Idem.*

374. *Si patrii quid Martis habes.*] Id est, si quid bellicæ virtutis habes, neque enim à Marte oriundus est, nam *patrii* & à patre & à patria potest dici. *Idem.*

Aspice contra.] Græci has voces ligant more suo. Nam illi ἀντιδέρκεσθαι, ἀντοφθαλμεῖν, ἀντιβλέπειν, ἀντωπῆσαι. Ceterum sententia eadem est cum illa Homerica Iliad. 13. αὐτὸς ἐναντίος ἵστασο ἐμεῖο. Plutarchus in Sertor. καὶ τὸ Σερτωρίου μονομαχῆσαι προκαλουμένου τὸν Μέτελλον. *Cerda.*

Exarsit violentia Turni.] Ante ardens magis exarsit. Ostendit autem Drancem uti præpostera eloquentia, cum eo tempore manibus & non verbis sit utendum. *Donatus.*

376. *Exarsit violentia Turni.*] Consequenter, nam *exarsit*; & *violentia* etiam de igne dicitur. Inde in 7. Æn. ad comparandas ejusdem Turni iras utitur locutione deducta à lebete æstuante præ vi ignis: Deinde, *Turni violentia*, ut βίη Ἡρακλείη. Sed cur ita furens Turnus? quia, ut ait Eurip. in Androm.

Οἱ γὰρ πνέοντες μεγάλα τοὺς κρείσσους λόγους
Πικρῶς φέρουσι τῶν ἐλασσόνων ὕπο.

Cerda.

377. *Imo pectore voces.*] Ut qui diu tacuerit dum audit inimicum. Dicendo autem *Imo pectore voces*, habitum futuræ orationis ostendit more suo. *Servius.*

378. *Larga quidem semper, Drance, tibi copia fandi, Tum cum bella manus poscunt.*] Multa sunt summa optimaque, quoniam per se non possunt vituperari, ab accidentibus vituperantur: ut hoc loco, quoniam eloquentia per se optima, eam culpat ex tempore, dicens, Tunc incumbens eloquentiæ cum manus bella deposcunt. Et ostendere vult illam orationem Drancis non consilio, sed timiditate prolatam. Sane rhetorice responsurus Turnus, bene cœpit à Drance, ante enim se defendit, tunc de bello sententiam dicit & primum hoc vicit * quod eloquens & infirmas sententias de bello audeat ferre, dicendo *Larga quidem semper, Drance, tibi copia fandi*, & *Dum distinet hostem*, &c. Inde pro se agit per enumerationem ostendens, id falsum esse quod dicatur victus, *Iliaco tumidum qui sanguine Tybrim*, &c. Sed objicitur in futurum spes nulla est, exsecratur omen, *Capiti cane talia demens Dardanio*, & ex adversariorum persona rem adtenuat dicendo, *Extollere vires Gentis bis victæ*, etiam ille regem respondit * quam dixerat Drancis vim se timere. *Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit*, &, *Nunquam animam talem*, &c. Dilata autem de singulari certamine quæstione, quasi aliam orationem inchoat,

Tum cum bella manus poſcunt, patribuſque vocatis
Primus ades: ſed non replenda eſt curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant, dum diſtinet hoſtem
Agger mœrorum, nec inundant ſanguine foſſæ.

Pro-

choat, & *Nunc ad te & tua magne pater conſulta revertor.* Sed hæc in ſequentibus ſingulatim tractanda ſunt. *Idem.*

Larga quidem ſemper, Drance tibi.] In codicibus aliquot antiquis, *Larga quidem Drance ſemper tibi.* quod parvi refert. *Pierius.*

Copia fandi.] Notat facundum, non eloquentem. Nam Varro lib. 5. Ling. Lat. *Qui facile fantur, facundi dicti.* A quo Iſid. 10. etym. *facundus dictus qui facile fari poſſit.* Cerda.

379. *Patribuſque vocatis.*] Bella penitus ignorans atque formidans, primus es inter ſenes ad danda conſilia. *Serv.*

380. *Replenda eſt curia verbis.*] Emphaſis loquacitatis. *Idem.*

Sed non replenda eſt curia verbis.] Credamus alluſum ad veterem parœmiam, ὐ λόγων ἀγορὰ δεῖται Ἑλλάς, ἀλλ' ἔργων. Ego credo in tota hac oratione propoſitum Poëtæ Calabrum ad imitationem lib. 2. ubi Paris non diſſimili ratione invehitur in Polydamantem, ubi is vocatur φυγοπτόλεμος, ἄναλκις. Et ad illum, εὔχεαι εἶναι ἄριστος ἐν βουλῇ. & tamen χερείονα μήδεα οἶδας. Quamobrem ἀπόσχεο δηιοτῆτος. μίμνε ἐνὶ μεγάροισι, & καθήμενος nam οἱ ἄλλοι ἀμφ' ἱμεθωρήξονται. Pergit aliis. *Cerda.*

381. *Tuto.*] Dativus, an adverbium? ut falſo volant. *Servius.*

Quæ tuto tibi.] Ita Chariſ. lib. 2. ut ſit Adverbium. Turnus, (auctore Pimpontio) non vult hic Drancen ſignificare ἀσφαλῶς ἀγορεύειν, id eſt, ἀπερισκόπως; ſed objicere potius illi ignaviam & domi longeque à periculis debacchandi, & deblaterandi in ſtrenuos uſurpatam licentiam. *Taubm.*

Magna volant.] Homerus ἔπεα πτερόεντα προσηύδα. *Servius.*

Magna.] Verba ſuperbiæ plena vocat *magna.* Soph. Antig. μεγάλης γλώσσης κόμπους. id eſt, arrogantis linguæ. Cyprian. de Bono Patient. *non loquimur magna*, id eſt, non jactabunda. Inde & μέγα φρονεῖν, non tantum de ſenſu animi, ſed etiam de verbis plenis tumore. Propert. Eleg. 5. lib. 1. & Tibull. Eleg. 6. lib. 2. hoc ſenſu uterque *verba fortia*, id eſt, ſuperba, uti apparet ab extremo, qui ait,

Magna loquor: ſed magnifice mihi magna locuto
Excutient clauſæ fortia verba fores.

Vides, uti explicet *magna verba* eſſe *verba fortia.* Hos homines λόγοις θρασεῖς vocat. Eurip. Phœniſſ. *Cerda.*

Diſtinet.] Arcet, repellit: nam *diſtinet* eſt proprie extra tenet. *Dis* enim ſeparantis eſt, unde & *diduco* & *diſtraho* dicimus. *Servius.*

Dum diſtinet hoſtem Agger murorum.] Servius quidem *diſtinet* agnoſcit. Sed in veteribus codicibus aliquot *dum detinet hoſtis aggere murorum.* Ubi ſubaudiendum eſſet *ſe*, vel quid hujuſmodi, ut, *Accingunt operi*, ſuperius. Apud Priſcianum quoque in antiquis codicibus variat ipſa lectio, aliis *detinet*, aliis *diſtinet* legentibus. Sed reliquum eodem exemplo legitur *hoſtes agger murorum*, quod in vulgatis exemplaribus *hoſtem* ſingulari habetur numero. *Pierius.*

382. *Nec inundant ſanguine foſſæ.*] Apud Priſcianum *foſſas* accuſativo caſu legitur. *Inundo enim*, ait ille, *modo abſolutam, modo activam habere ſignificationem invenitur. Virgilius, Dum det. hoſtes agger murorum, Nec inun. ſanguine foſſas.* Eſt enim, hoſtes replent foſſas, vel inundare faciunt foſſas. *Idem.*

Nec inundant ſanguine foſſæ.] Suſtineri hæc lectio poteſt. Sed certius eſt hic debere legi, *et inundant*, poſtulante

Proinde tona eloquio, ſolitum tibi: meque timoris
Argue tu, Drance; quando tot ſtragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, paſſimque tropæis
Inſignis agros. poſſit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longe ſcilicet hoſtes
Quærendi nobis: circumſtant undique muros.
Imus in adverſos? quid ceſſas? an tibi Mavors
Ventoſa in lingua, pedibuſque fugacibus iſtis

Sem-

lante hoc ſententia. Neque hæc facultas debet cenſeri Poëtis nova. *Cerda.*

383. *Proinde.*] *Pro* ſyllaba metri cauſa excluditur. *Servius.*

Tona eloquio.] Non ſtrepitu armorum. *Idem.*

Tona eloquio, ſolitum tibi.] In plerisque codicibus antiquis *ſolito* legitur. Sed *ſolitum* receptum, elocutione admodum eleganti. *Pierius.*

Tona eloquio.] Sic & Pericles fulminare dictus eſt: & ἐλασίβροντα ἔπη apud Ariſtoph. ὥσπερ ὑπὸ βροντῆς ἐλαυνόμενα. *Germanus.*

Meque timoris Argue, tu Drance.] Ut, in Bucolicis, *Cantando tu illum? Arguo* autem genitivum regit: ut *arguo te cædis, inſidiarum.* & eſt de Græco. nam ita dicunt, κατηγορῶ σε φόνου, ἐλέγχω σε φόνου ἢ κλοπῆς. *Servius.*

Meque timoris, &c.] De hoc genere Ironiæ acrioris, vide Quintil. lib. 9. cap. 2. pag. 504. Simili oratione Therſitæ loquacitatem caſtigat Ulyſſes, Il. β. *Taubmannus.*

384. *Quando.*] Siquidem. Et per irriſionem ſuas in illum confert laudes. *Servius.*

Stragis Teucrorum.] Duo genitivi. *Idem.*

Stragis acervos.] Ita lib. 6. *confuſæ ſtragis acervum.* Attius ἐπὶ ναυσ. μαχ. Apud Nonium,

Scamandriam undam ſanctam ſalſo obtexi ſanguine,
Atque acervos alta in amni corpore explevi hoſtico.

Hos corporum acervos in Xantho Hom. ita Iliad. 21. στεινόμενος νεκύεσσι. Aliqui in Virg. legunt, *tot quando cædis acervos.* Cerda.

386. *Inſignis agros.*] Nobilitas, clarificas. nam verbum eſt *inſignio*, & dicit exauctorari ejus debere famam, quod de bello judicat virtutis ignarus. *Servius.*

Quid vivida virtus.] Id eſt, tua, vel certe mea. *Idem.*

Vivida virtus.] Lucret. lib. 1. *vivida vis animi.* Tertull. 1. adverſ. Marcionem:

Certatis, magni poſſit quid vivida virtus. Cerda.

387. *Licet.*] Hac vocula fieri inſultantiam amara quadam & ironica conceſſione, certum eſt. Inde Ovid. 3. Metamorph.

Nunc tibi me poſito viſam velamine narres,
Si poteris narrare licet. ——

Idem.

388. *Circumſtant undique muros.*] In codicibus aliquot *circumdant.* Sed *circumſtant* magis receptum. *Pierius.*

389. *Imus in adverſos?*] Contra illud, *Illum aſpice contra Qui vocat.* Servius.

Imus] Præſens ad urgendum. Liv. pari emphaſi lib. 27. *Quin imus, inquit, ipſi cum equitibus paucis exploratum?* Plaut. Caſ. *Quin imus ergo?* Pari energia Græci. Demoſth. in Cherſon. οὐκ ἀναστάντες ἤδη πορεύσεσθε εἰς Πειραιά; Hom. 12. Iliad. ἴομεν μαχησόμενοι. *Cerda.*

390. *Ventoſa in lingua.*] Auguſt. lib. 3.

Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, fœdissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Thybrim
Sanguine, & Euandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias & Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris hostilique aggere septus.
Nulla salus bello. capiti cane talia demens

Dar-

lib. 3. cont. Academ. cap. 7. *Videatur sane quibuslibet Cicero hic non jocatus, sed inania & ventosa quædam, quod ab ipsorum Græculorum levitate non abhorret, sequi & colligere voluisse.* Sedul. lib. 2. *Ventosa loquendi gloria.* Ab Græcis, à quibus lingua tantum pugnat (& huc respicit Maro, cum ait, *Mavors in lingua*) dicitur γλωττλαστὴς, ut cui lingua pro clypeo. Ovidius nono Metamorph. dixit,

Dummodo pugnando superem, tu vince loquendo. Idem.

Istis.] Δεικτικῶς. *Servius.*

392. *Pulsus ego.*] Quia ille dixerat, *Pone animos & pulsus abi.* & agit conjectura. nam hoc vult intelligi non posse dici, merito pulsum eum, qui insequendo hostem bella deseruit, aperte autem hoc dicit, potest merito credi, quod pulsus sit is cujus tot extant trophæa, & rerum commemoratione falsum probat. *Idem.*

393. *Iliaco tumidum Thybrim sanguineo.*] Magna pompa effert sua facta: nunc & turbulenta oratione ad mitem redit. *Donatus.*

Crescere Tybrim sanguine.] Est hoc illud lib. 6.

Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.

Dilatat Horat. Od. 1. lib. 2.

Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod bellum Dauniæ
Non decoloravere cædes? ——

Et Od. 12. lib. ejusdem de mari Siculo, *pleno purpureum sanguine.* Cerda.

394. *Cum stirpe.*] Occiso enim Pallante, interiit ejus tota posteritas. *Servius.*

395. *Exutos Arcadas armis.*] Aut suis, aut ducis; unde per *Arcadas* etiam Pallantem intelligi quidam volunt. *Idem.*

396. *Haud ita me &c.*] De hac re, 9. Æn. à ỳs. 672. Et istam cladem Trojanis objicit Mnestheus, ibid. ỳs. 778. *Taubm.*

Bitias.] Subaudis *Ingens*, à consequentibus. *Servius.*

397. *Mille.*] Finitus numerus pro infinito. *Idem.*

Sub Tartara misi.] Lib. 12.

Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam.

Cerda.

398. *Inclusus muris.*] Quem pulsum ille jactabat. *Servius.*

Aggere septus.] Sicut supra, *Vestris ô cives undique septus Aggeribus.* Idem.

399. *Nulla salus bello. capiti cane talia demens Dardanio.*] Quotiens argumentum non possumus solvere, aut contraria objectione, aut risu, aut maledicto, ut hoc loco, adversario respondemus. *Cane* autem, pro *divina*: Et bene hic male ominanti *canere* dicit, ut vatem; quibusdam videtur vulgare convitium, ut est tibi & capiti tuo: sed honestatem dicto additam per varietatem * Dardanio rebusque tuis simul eum Æneæ jungendo vult latenter ostendere proditorem. *Idem.*

Capiti cane talia demens Dardanio.] Ab

Dardanio, rebusque tuis. proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ: contra premere arma Latini.
Nunc & Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt,
Nunc & Tydides, & Larissæus Achilles:
Amnis & Hadriacas retro fugit Aufidus undas.
Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit,
Artificis scelus, & formidine crimen acerbat.

Num-

Ab illo 2. Iliad.

Ὦ γέρον, εἰδ' ἄγε νῦν μυθεῖο σοῖσι τέκεσσιν.

Geminum illud Aristoph. in Lysist. *τοῦτο μὲν ὦ γραῦς αὐτῇ κρώξαις.* Aristid. in posteriore Sicula, *οἱ θεοὶ δὲ πάντες τρέποιεν εἰς Συρακουσίων παῖδας*, &c. & in priore, *τρέποιτο δ' εἰς ἑτέρους ἡ βλασφημία.* Sed hoc jam alias. *Cerda.*

400. *Proinde.*] Itaque. Et est ordo: *Nulla salus bello, proinde omnia magno ne cessa turbare metu.* cætera per Parenthesin dicta sunt. Hoc est *capiti cane talia demens Dardanio, &c.* Servius.

401. *Atque extollere vires Gentis bis victæ: contra premere arma Latini.*] Hæc est virtus eloquentiæ, *Bis* autem *victæ* ab Hercule & ab Argivis. *Arma* autem *Latini* invidiose dixit. nam debuit *Mea* dicere. Et hoc ad illud quod ille dixerat, *jus proprium regi patriæque remittat.* Idem.

403. *Myrmidonum proceres.*] Græcorum principes. Dicit autem Patroclum & Achillem. nam licet ipsi aliunde fuerunt, tamen Myrmidonibus imperaverunt; hæc autem ponit inter impossibilia, & utitur Græco proverbio, *ἄνω ποταμῶν ῥέουσι πηγαί.* Sic Horatius, *Et ante Padus Matina Laverit cacumina.* Et sic est modo dictum, ut in quarto, *Nunc Lyciæ sortes, nunc & Jove missus ab ipso.* Idem.

Tremiscunt.] Ut alibi sæpius observatum, in Romano codice, in Mediceo, & veteribus pene omnibus *tremiscunt* legitur, media syllaba per *e* vocalem secundam notata. Eadem enim analogia *tremor, pavor, calor, tremebam, pavebam, calebam, tremesco, pavesco, calesco, bam* in *sco* mutata. *Pierius.*

Phrygia arma.] Quasi, nulla. Nam Phryges mollissimi habiti. Dixi jam 9. & alibi. *Cerda.*

405. *Retro fugit Aufidus undas.*] Quod est contrarium. *Aufidus* autem Apuliæ fluvius est, juxta Causium civitatem, cadens in Adriaticum pelagus. *Servius.*

Amnis & Hadriacas, &c.] Ponit hoc inter impossibilia: & alludit (auctore Servio) ad illud Euripidis, *ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι πηγαί.* quo quippiam præpostere fieri significamus. Vide Adag. *Sursum versus sacrorum fluminum fontes feruntur:* Τὸ *et*, sic positum, ut 4. Æn. ℣. 377.

Nunc Lyciæ sortes, nunc & Jove missus ab ipso. Taubm.

406. *Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit.*] Contra illud quod ait, *Det libertatem fandi, flatusque remittat.* nam hoc dicit; Timorem suum naturalem invidiose in meam causam retorquet, ut meæ præsentiæ, non illius naturæ, quod timet, esse videatur. hoc est enim quod plenius iterat dicens, *Et formidine crimen acerbat*, id est, quam simulat. *Servius.*

Vel cum se pavid.] Cum artifex scelestus simulatione formidinis accusationem suam exasperat. Vide Quintil. l. 9. c. 3. *Taubm.*

407. *Artificis scelus.*] Nam scele-

ratorum

Numquam animam talem dextra hac (absiste moveri)
Amittes: habitet tecum, & sit pectore in isto.
Nunc ad te, & tua magna, pater, consulta revertor.

Si nul-

ratorum est simulare formidinem. *Servius.*

Acerbat.] Nomen sine verbi origine, non enim facit *acerbo.* Idem.

Formidine crimen acerbat.] In Oblongo codice, in Mediceo, & quibusdam aliis admodum vetustis *acervat* legitur per *v* digammon. forte ut Soriten argumenti speciem, qua plurimum utuntur oratores, innuat. Sed enim *acerbat* per *b* mutam cum Statio Virgilii metaphraste convenit, *Facinusque relatu Asperat Iliacum.* Et apud Claudianum, *Crimenque feri rectoris acerbat.* Præterea Ti. Donati paraphrasis *acerbat* legendum ostendit. tametsi ætatis vitio, *v* consonantem *b* literæ sono proferentis, *acervat* in ejus antiquo codice scriptum est. Ait vero, *Quale illud scelerati commentum*, videlicet *timorem fingere, accusationes duras exercere. Durum* enim cum *acerbo* congruere videtur, ut *mollia* etiam *mitia* nuncupamus. *Pierius.*

408. *Animam talem.*] Id est, ψυχὴν οὐτιδανὸν, ut loquuntur Græci, *nullius pretii animam.* Plutar. in vita Aristidæ vocat, ἐπὶ σώμασι μαλακοῖς ψυχὰς ἀνάνδρους. Inde statim, *habitet tecum, & sit corpore in isto*, id est, in molli corpore mollis anima. Et Calab. libro secundo dixit,

Οὐδέ σοι ἐν στέρνοισι πέλει μενεδήϊον ἦτορ,
Ἀλλὰ δέος, καὶ φύζα. ——

Cerda.

409. *Amittes.*] Cum Turnus nolit inquinari vili sanguine, pertinent ad hunc locum versus Phædri in fabella, ubi cum aper vellet irruere in asinum, tamen iram repressit:

Aper cum vellet facere generosum impetum,
Repressit iram: & facilis vindicta est mihi,
Sed inquinari nolo ignavo sanguine.

Quem ad locum Ritter. conjungit Guntherum de leone ita loquentem,

—— *spernitque minore*
Tingere cæde genas, & vili sanguine pasci.

Et tu poteris Epigrammata aliquot Martialis de leone & lepore, illud imprimis, cujus initium, *Quid nunc sæva fugis*, &c. *Idem.*

Habitet tecum, & sit pectore in isto.] Pessima anima habitet in membris congruis. nam talem pessimam accipiamus, quam nefas est perire mea dextra, quæ non inertes, sed quæ viros fortes tantum consuevit occidere, & hoc ad illud, *Licet arma mihi, &c.* Servius.

410. *Nunc ad te, &c.*] Tale quid Lucill.

Nunc ad te redeo, & quæ res me impendet, agatur. Cerda.

Nunc ad te, & tua, magne pater, consulta revertor.] In Romano cod. & aliquot aliis antiquis *magna* legitur, quippe consulta, quia de summa belli & pacis agebatur. Sed omnino *magne pater* Ti. Donatus legit. Ut vero quantum amiserimus detestabili ejus facinore, qui tam docta commentaria mutilavit, aspicere unusquisque possit: quæ super hoc loco ille scripserit, apponere non gravabor: *Nunc ad te tua magne pater consulta revertor. Ex oratione turbulenta, quam pro ratione personæ protulit, ad mitem adque humilem repente conversus est, vel quia cum rege constituerat loqui, vel cum eo, quem socerum esse cupiebat. Plus tamen ostendit se socero deferre, quam regi, dicendo*, magne pater. *alioqui diceret*, magne rex. *In ipsa tamen tranquillitate sermonis est quædam consiliorum Latini & dispositionum occulta vituperatio. Nunc ad te, ait, magne pater redeo, & ad consulta tua.* pater *videtur dixisse, quasi honorificentiæ loco, utpote qui loquebatur ut gener, ut ostenderet, quod diximus,*

Si nullam nostris ultra spem ponis in armis;
Si tam deserti sumus, & semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum:
Oremus pacem, & dextras tendamus inertis.

Quam-

diximus, plus socero deferre, quam regi. Sed alia loquentis intentio est. Summa enim dispositionum displicebat Turno. Denique post appellationem patris secuta est propositio, qua ostendit se de illius consiliis tractaturum, ut ostenderet improvidum patrem. Ergo appellatione magni patris *irrisionem induxit obliquam, quasi diceret: qualis pater es, qui non recte consulis filiæ tuæ? Qualis pater, cui suasum est facile, ut missa affinitate civis, nudo, peregrino, naufrago, filiam tuam dare festines?* Hæc Ti. Donatus: neque pauciora desunt in locis aliis toto opere, ubi super ingeniosissimi Poëtæ artificio sit latius declamandum. Quod vero hæc habuerimus, benignitate Camilli Portii factum est, qui integra hujus Auctoris commentaria in duos ultimos Æneidos libros mihi videnda officiosissime concessit: plura daturus, nisi per Bibliotaphos quosdam suppressa essent reliqua. *Pierius.*

Consulta revertor.] *Consultor* est qui consulit: *consultus* qui consulitur: *consultum* vero res ipsa de qua quis consulitur. Bene ergo *consulta* de quibus consulis. *Servius.*

411. *Si nullam nostris ultra spem ponis in armis.*] Insinuatione utitur, id est, callido & subtili aditu ad persuadendum. vult enim dicere melius esse interire, quam pacem rogare. quod quia aperte non audet, latenter & paulatim ad hoc serpit. Namque inter *principium* & *insinuationem* hoc interest, quod *principium* est aperta rei enuntiatio: *Insinuatio* autem, ut diximus, est callida & subtilis oratio. *In armis* autem, aut meis, aut Latinorum omnium generaliter. Et *Ultra*, modo tempus significat, alias locum. *Idem.*

412. *Si tam deserti sumus.*] Si ita, si valde, si hoc propter Diomedem qui solus negavit auxilia. Ergo *deserti* ab auxiliis accipiendum. *Idem.*

Et semel agmine verso.] Ad Turni mentem, & Maronis cursum mire quadrant verba ducis Dercyllidæ apud Xenoph. lib. 4. Anab. ἴστι δ' οὐκ ὅπως ἔχον καὶ τῇ ναυμαχίᾳ ἐνεχθήθημεν, οὐδὲν ἀρα ἔτι ἐσμέν. Tu reliqua. *Cerda.*

413. *Neque habet Fortuna regressum.*] Omnia quæ sibi possunt objici ponit, sed cum solutionibus suis. nam & fortuna non est immutabilis: & qui semel pellitur, iterum in prælium potest reverti: & ab auxiliis non sunt penitus destituti, & in ipsorum exercitu est adhuc plurimum spei. Est autem syllogismus. *Servius.*

Nec habet Fortuna regressum.] Pluribus in antiquis exemplaribus *neque*. Pier.

414. *Oremus pacem.*] Argumentum ab honesto. *Servius.*

Dextras tendamus inermes.] Felicitatem rei verbis expressit. *Idem.*

Dextras tendamus inermes.] In Romano codice, in Mediceo, & aliis veteribus, *inertis* legitur. Quanvis vero *inertis*, in Donati etiam commentario legatur: ejus tamen sententia *inermes* legendum ostendit, vel *inertis* idem significare, dum ait, *Orandum videlicet pacem, & inertes dexteras esse tradendas*, ironicôs positum, quasi re vera oranda esset pax, & adjicienda ignavis virtus, & quæ in hostis jugulum armatæ esse debuerant, *inertes* ad eorum genua *dexteræ* verterentur. *Pierius.*

Dextras tendamus inermes.] Quippe supplices arma deponebant, quibus nudi se victoribus dedebant. Liv. lib. 28. *Patefacta repente porta frequentes ex oppido sese ejecerunt, scuta præ se tenentes, ne tela procul conjicerentur, dextras nudas ostentantes, ut gladios abjecisse appareret.* Julius 2. Civil. *Tum hostes turris repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, Deo-*

Quamquam ô, si solitæ quicquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

Sin

ti, Deorum ira perculsi, urbis direptione perterriti, inermes cum infulis sese porta foras universi proripiunt. Inde 1. Æneid.

Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.

Id est, nudas armis. Id potius placet ex habitu hoc supplicum, quam illud Serv. id est, *sine sceptro*. Cerda.

415. *Quamquam ô, si solitæ quicquam virtutis adesset.*] Non se inertiæ arguit: sed queritur de virtute omissâ per negligentiam. Et videtur voluisse dicere, si solitæ quicquam virtutis adesset, nunquam ad hoc cogeremur, sed reliquit. O autem, dolentis est exclamatio, & intelligimus immoratam esse illic ejus orationem. nam exarsit dolore, quia aperte non potuit dicere moriendum potius esse, quam hostes rogandos: quod tamen dixit conferens se ad alias personas, & laudans eos quibus contigit perire ne ista conspicerent. Et servavit viri fortis personam ut pœnituerit eum dixisse, *Oremus pacem*. Servius.

Quamquam ô.] Budæus in Comm. pag. 1289. ait, hoc loco particulam *quanquam* non esse adversantem, sed figuratam, ut illud Gazæ reddentis ex Cicerone, καί τι ὦ θεοὶ παντάγαθοι· *Quanquam ô Dii boni.* Sed aptius certe est, ut adversantem putemus, dolet enim se dixisse, *inermes dextras tendamus.* Cerda.

Quamquam ô.] Ἀποσιώπησιν, & affectum hæc continent. Atque in particula, *ô*, immoratam ejus orationem esse intelligimus. Vide Macrob. l. 4. c. ult. Servavit autem viri fortis personam, ut pœnituerit eum dixisse, *Oremus pacem.* Taubmannus.

Si solitæ quicquam virtutis adesset.] Cum sententia sit, si esset virtus, non esset desperatio, quadrat in hunc locum sententia Euripid. in Furent.

Οὗτος δ' ἀνὴρ ἄριστος, ὅστις ἐλπίσιν
Ἔλποιθεν αἰεὶ, τὸ δ' ἀπορεῖν ἀνδρὸς
κακοῦ. Cerda.

416. *Ille mihi ante alios.*] Utrum generaliter *ille* pro quicunque occubuit accipiendum est, an Mezentius. *Serv.*

Ille mihi ante.] Multi de Mezentio intelligunt. *Donatus.*

Fortunatusque laborum.] Sicut, *Lætatus laborum:* & est Græcum, εὐτυχὴς τῶν πόνων. *Servius.*

Fortunatusque laborum.] Hellenicum, ut statim, *egregiusque animi.* & in 2. *fidens animi.* Cerda.

417. *Egregiusque animi.*] Figurate dixit. *Servius.*

Tale videret.] Vel hostes rogare: vel quod latenter insinuat, tradi alteri sibi ante desponsam. Ideo & media dicto quoniam res ejus agebatur, ne quid tale videret posuit, quis enim eum ferret dicentem moriendum potius, quam de nuptiis ejus mutandum. *Servius.*

418. *Procubuit moriens.*] Quasi intelligat, non victum, sed sua voluntate cecidisse. *Donatus.*

Semel ore momordit.] *Semel*, cito, confestim: id est, qui tota mortis celeritate consumptus est, quasi nihil ultra passurus. Vulnerati autem solent vel terram, vel arma mordere, ne dolorem eorum indicet gemitus. Lucanus de Pompejo, *Timuit ne quas effundere voces Vellet, & æternam fletu corrumpere famam.* Servius.

Et humum semel ore momordit.] In Romano codice *simul* habetur, ac si dicat, simul atque procubuit, humum identidem momordit. Est apud Servium interpretatio, *cito, confestim.* id est, qui tota mortis celeritate consumptus est. Videtur tamen *semel* quid eruditius præ se ferre, neque id diversum quicquam ab hac sententia significat.

Sin & opes nobis, & adhuc intacta juventus,
Auxilioque urbes Italæ populique superſunt;
Sin & Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine; ſunt illis ſua funera, parque per omnis
Tempeſtas; cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa

Hic vero Poëta laudat fortunam viri fortis: ait Donatus: & non dicit nomen. omnes tamen *Mezentium* ſentiunt, qui cum ſua felicitate procubuit. Non præteribo in antiquis aliquot codic. *memordit* augmento ſyllabico per *e*, Græcorum more, poſito: de qua geminatione plura Gellius. *Pierius.*

Et humum semel ore momordit.] Ita 10. Æn. vſ. 482. de Pallante:

Et terram hoſtilem moriens petit ore cruento.

ubi mors in juvene difficilis indicatur. Scholiaſtes vetus Homeri putat hoc fieri, propter indignationem ſtomachumque, itemque dolorem vulnerum, &c. Vide Scalig. l. 3, 1. Poët. & P. Victorium l. 29. 17. *Taubm.*

419. *Adhuc intacta juventus.*] Non quæ pugnavit, ſed de qua adhuc delectus habendus eſt. *Servius.*

420. *Urbes Italæ.*] Quia Diomedes peregrinus fuerat. nam hoc dicit, Habemus robur Italum, non Græcum militem, inertem & diſſolutum. *Idem.*

Superſunt.] Superabundant, adſunt ultra quam bella depoſcunt. *Idem.*

421. *Sin & Trojanis cum multo gloria venit Sanguine.*] Mire agit poſt confirmatas partes ſuas, Trojanorum integras vires imminuens. Quid enim proderat dixiſſe, quod ſupereſſent Latinis auxilia, ſi etiam & Trojanorum integræ vires eſſe probarentur? Ergo cum multa gloria venit ſanguine acquiſita convenit * & hoc eſt unde laudat Salluſtius duces, quia victoriam incruento exercitu reportaverunt. *Idem.*

422. *Sunt illis ſua funera.*] Id eſt, Troianis. Legitur & *Illi*: & aut *Æneæ* intelligimus. aut adverbium loci eſt pro *Illic*: ut in ſecundo, *Patet iſti janua letho*, pro *iſtic*. Idem.

Sunt illis ſua funera.] In Romano codice legere eſt *ſuntque illis*. Et id quidem longe venuſtius. *Pierius.*

Sunt illis ſua funera.] Germanus ait, innui pugnam illam, quam ἀγχώμαλον vocant Plutar. & Thucyd. id eſt, *parem, dubiam, ancipitem.* Ego in Demoſthene vidi (locus non ſubit) μάχην ἀντίῤῥοπον. Et Joſeph. lib. 1. Bell. Judaic. cap. 8. πολέμου ῥοπὰς dixit, ut Quintil. Declam. 315. *momenta victoriæ.* Hi omnes intelligunt pugnam contrario veluti appenſam pondere. *Cerda.*

Parque per omnis Tempeſtas.] Sic alibi, *Quanta per Idæos ſævis emiſſa Mycenis Tempeſtas ierit campos.* nam bello crebro comparat tempeſtatem. *Servius.*

423. *Indecores.*] *Decor decòris* facit, ſicut *auctor auctoris*: *decus decoris*, *pecus pecoris.* ſimiliter facit in compoſitione, *indecor indecoris*, *indecus indecoris.* Ergo in neutro, *co* brevis eſt, in maſculino producitur. Unde apparet Syſtolen feciſſe Virgilium; nam *indecores* nominativus eſt pluralis à maſculino, ab eo quod eſt *indecor.* nam non poteſt *hic indecus* facere, neutrum enim *us* terminatum, maſculinum ex ſe facit. Aut certe dicamus *Indecores*, declinationem eſſe, cujus nominativus ſingularis non invenitur. *Idem.*

In limine primo.] Quaſi in ipſo initio & aditu infelicitatis; & ad illud reſpexit quod ſupra dixerat, *Et ſemel agmine verſo Funditus occidimus.* Idem.

In limine primo.] Vixdum inito bello. Vide Adag. *Taubm.*

424. *Cur ante tubam tremor occupat artus?*] Adducit Eraſm. Chil. 2. Cent. 8. cap. 69.

Multa dies variique labor mutabilis ævi
Rettulit in melius: multos alterna revisens
Lusit, & in solido rursus Fortuna locavit.

Non

cap. 69. versum hunc Maronis in speciem Proverbii, sed nulla re ditat. Posset Nonnum adjungere, ita loquentem ad rem hanc l. 30.

Πῆ φεύγεις Διόνυσε, τί σοι φόβος ἀντὶ κυδοιμοῦ;

Posset & Euripidem in Bacch.

Φόβος διεπτόησε, πρὶν λόγχην θιγεῖν.

Pulcherrime de ignavis dixit Claud. 2. Eutrop.

—— jam signa, tubæque
Mollescunt, ipsos ignavia fluxit in enses.

Germanus ait, fieri allusionem ad illud Phylarchi, quod Plutar. commeminit, & Eustathius in 21. Iliad. Extremi verba hæc sunt: Φύλαρχος ἔσκωψέ τινα ὡς ἀπόλεμον εἰπὼν παροιμιωδῶς τὸ, πολεμίας σάλπιγγος οὐδ᾽ ἐν ὕπνοις ὑπομένων ἀκοῦσαι. Demum huc allusum à Juven. Sat. 1.

—— tecum prius ergo voluta
Hæc animo ante tubas, galeatum sero duelli
Pœnitet. —— Cerda.

425. *Multa dies.*] Illi rei vehementer incumbit, quia dixerat, *Neque habet fortuna regressum:* dicens fortunam tam labores quam felicitatem pro temporis qualitate mutare. *Dies* autem, tempus. Quidam sane non *dies multa* accipiunt, sed *multa rettulit in melius & varia*, cui non ut ipsum varium sit, sed ut fortuna ejus. *Servius.*

Multa dies, &c.] Ab Enn. qui 7. Annal.

—— multa dies in bello conficit unus,
Et rursus multæ fortunæ forte recumbunt,
Haudquaquam quempiam semper fortuna secuta est.

Eurip. in Oedip. ἡμέρα μεταβολὰς πολλὰς ἔχει. Heliod. lib. 1. Hist. Æth. tractat locum hunc; sententia ejus est, diem unum intermissum plurimum conferre ad maximas mutationes. Hecuba apud Eurip.

Τὸν πάντα δ᾽ ὄλβον ἦμαρ ἕν μ᾽ ἀφείλετο. ——

Nazianz. Orat. 45. μία ῥοπὴ καιροῦ (φέρει) πολλὰς πραγμάτων μεταβολάς. Pind. Od. 3. Ist. ad finem:

Αἰὼν δὲ κυλινδομέναις
Ἁμέραις ἄλλ᾽ ἄλλοτ᾽ ἐ-
ξάλλαξεν.

Theoc. εἰδ. 4.

Θαρσεῖν χρὴ, φίλε Βάττε, τάχ᾽ αὔριον
ἔσσετ᾽ ἄμεινον.

Ad mentem Poëtæ omnino Liv. l. 42. *Multa diem tempusque afferre posse, quibus non amissa modo recuperare, sed timendus ultro his esse, quos nunc timere posset.* Et Plin. c. 40. l. 7. qui elegantissime, *alius de alio judicat dies.* Cerda.

Variusque labor mutabilis ævi.] In Romano codice, & aliquot aliis *varii* legitur, ut sit *varii ævi.* In aliquot *belliq. labor.* Sed omnino melius *variusque labor.* Pierius.

Rettulit in melius.] Græci, εἰς τὸ λῷστον ἐμβιβάζειν, & μεθιστάναι. εἰς τὸ φέρτερον τιθέναι. εἰς τὸ βέλτιον τρέπειν. εἰς ἀγαθὰ μεταβιβάζειν. Plato etiam dixit, ἐπὶ τὸ βέλτιον μεταβολάς. Sic Plaut. Epid. *referre in spem.* Cerda.

426. *Alterna fortuna*] Exprimere voluit Græcam vocem ἀλλοπρόσαλλος, quod *Fortunæ* & *Martis* est epitheton. ita Fabric. & Turneb. l. 14, 13. Et notat Macrob. lib. 6. cap. 2. hæc ab Ennianis formata, lib. 8. Annal. *Taubm.*

427. *Lusit.*] Decepit: ut, *Quid natum totiens crudelis tu quoque falsis Ludis imaginibus?* Servius.

Lusit.] Græci de fortuna παίγνιον, καὶ παίζειν. De ea Horat. *Ludum insolentem ludere pertinax.* Sidon. epist. 1. l. 2. *Mibi videtur quasi præscia futurorum lusisse fortuna.* Eurip. in Supp. τρυφᾷ δ᾽ ὁ δαίμων. quasi homines voluptati sint fortunæ, ut cum quibus lusitet. Ita etiam

 tiam

Non erit auxilio nobis Ætolus & Arpi.
At Messapus erit, felixque Tolumnius, & quos
Tot populi misere duces. nec tarda sequetur
Gloria delectos Latio & Laurentibus agris.
Est & Volscorum egregia de gente Camilla,

Agmen

tiam Aristides in 2. Platonica expendit, dici à Platone hominem esse θεοῦ παίγνιον, quia videlicet, πάντα ἐναλλὰξ περιέρχεται. *Cerda.*

Et in solido rursus Fortuna locavit.] Subaudis, *& multos:* Nam in solidum revocavit oppressos, & paulo ante derelictos: lusit vero, & decepit felices. *Servius.*

In solido rursus Fortuna locavit.] Sym. epist. 42. lib. 1. *Nunc habitum latiorem mentibus suadeamus, quando Paulinæ nostræ valetudinem rursus locavit in solido pax Deorum.* Est *in solido*, idem quod restituit omnimodæ felicitati. Sidon. in epist. *etiamsi ex solido poëma displiceat*, id est, omnino, in totum. & idem Symm. epist. 51. lib. 1. *Dii salutem Reip. in solido locent.* Cerda.

428. *Non erit auxilio nobis Ætolus & Arpi.*] Redit ad rem: quia occurrebat, Sed negantur auxilia. *Ætolum* autem dicendo, ejus vires ex Græcæ gentis commemoratione debilitat, ut ostendat plus esse in Messapo ac Tolumnio, si Diomedes & infelix & alienus finibus commemoraretur. *Servius.*

429. *At Messapus erit felixque Tolumnius.*] Bene duo junxit quæ quæruntur in bello, fortitudinem, & felicitatem. Nam de Messapo jam legimus, *Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro.* Utrunque autem contra Diomedem dicit, quem dicendo Græcum, inertem significavit. Infelicitatem ejus supradicta legatorum verba testantur. Opportune ergo hic *felix*, quod Diomedi nec post victoriam contigit. *Idem.*

Messapus.] Ab hoc fortasse dicta pars quædam Apuliæ *Messapia.* Lege Polyb. lib. 3. ut & pars altera ejusdem Apuliæ *Daunia*, ab avo Turni Dauno ut commeminit idem Scriptor. *Cerda.*

430. *Nec parva sequetur Gloria.*] Liptotes figura, minus dixit enim quam voluit. nam hoc significat, Latina pubes celerrime victoriam adipiscitur: quam vix Græci post decennium sunt adepti. *Servius.*

432. *Est & Volscorum egregia de gente Camilla.*] Ut in septimo, segreget eam à virorum multitudine, & quoniam à sexu non potest, laudat ex gente. Et vult ostendere de viris amplius sperandum, si & fœmina dimicaret, aut ut Dranci exprobraret, puellam non metuere Trojanos, quos Diomedes timeret & Drances. *Idem.*

433. *Agmen agens.*] Ita & Cal. l. 2. de Memnone, ἄγων φῦλα λαῶν. Signate vero *agmen agens*, indicans etymon. nam *agmen* proprie est, quod in via, ab *agendo* dictum. *Cerda.*

Florentis ære.] Vid. Not. 7. Æn. ℣. 804. *Taubm.*

Catervas.] Præclare, tum quia in re militari plerumque dicebantur *catervæ* de Barbaris, quales tum Volsci: tum quia de cataphractis, & hos inducit Virgilius. Primum firmat Tacitus l. 4. *Barbari catervis decurrentes.* & Ammian. lib. 19. *Barbarorum mori obstinatorum catervis semet* (exercitus) *immersit.* Vegetius clare rem notat lib. 2. cap. 2. *Celtiberi, pluresque Barbaricæ nationes catervis utebantur in prælio.* Idem notat Sallust. in Jugurth. ubi de Numidis *catervas* dicit. Est hoc, quod Tacit. 3. Ann. etiam de Barbaris, *per globos incursaret.* Alterum Amm. l. 25. *Erant autem omnes catervæ ferratæ, ita per singula densis laminis tectæ, ut juncturæ rigentes compagibus artuum convenirent, humanorumque vultuum simulacra, ita capitibus diligenter aptata, ut,* &c. *Cerda.*

434. Quod

Agmen agens equitum, & florentis ære catervas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obsto:
Non adeo has exosa manus Victoria fugit,
Ut tanta quicquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra: vel magnum præstet Achillem,
Factaque Volcani manibus paria induat arma
Ille licet. vobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,

De

434. *Quod si me solum Teucri in certamina poscunt.*] Quia audiit, *Illum aspice contra Qui vocat.* etiam utitur ductu, nam oblique promittit se singulari certamine dimicare velle, cum nolit. Similiter etiam in duodecimo agit, dicens irrisorie, *Sedeant spectentque Latini.* Servius.

Quod si me solum Teucri.] In antiquis aliquot exemplaribus *quod si me Teucri solum* habetur, structura aliquanto elegantiore. *Pierius.*

Quod si me solum.] Ductum ab illo 3. Iliad.

Νῦν δ' αὖτ' εἴ μ' ἐθέλεις πολεμίζειν,
ἠδὲ μάχεσθαι,
Ἄλλους μὲν κάθισον Τρῶας, καὶ πάντας Ἀ-
χαιούς. *Cerda.*

435. *Idque placet, &c.*] Hinc apparet eum nolle pugnare, si placet inquit vobis hoc fieri quod hostis postulat, *Tantumque bonis communibus obsto,* & in tantum obsum commodis publicis, ut nisi solus dimicavero, concidat universa respublica, & imputat tanquam hoc faciat, quod pro omnibus facturus est. *Servius.*

436. *Non adeo.*] Non multum. nam verecunde dicit adsuetam manibus suis esse victoriam. Et bene *manus* per quas fit ipsa victoria, & contra *manus dare* dicuntur, qui dedunt se victi. *Idem.*

Adeo.] Hanc consecutionem vocum, ut elegantem observat Godesc. Ita Terent. And.

Vultu adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra.

Horat.

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit. Cerda.

437. *Tanta pro spe.*] Ut solus dicam pro spe publica, vel spe matrimonii. *Servius.*

438. *Ibo animis contra.*] Ac si diceret, *Si desunt corporis vires*, commendat autem gratiam certaminis; ne invitus videatur adduci. *Idem.*

Vel magnum præstet Achillem.] Et *præsto illum*, id est, melior illo sum: & *præsto illi* dicimus. Cicero in Cæsarianis, *Tanto ille superiores vicerat gloria, quanto tu omnibus præstitisti.* Idem

Vel magnum præstet Achillem.] Id est, superat, Stat. l. 4. Theb. ℣s. 207. —— *Argolicasque habitu præstabo maritas.* Ita & Nic. Heinsius ex vett. codd. legit apud Ovid. l. 4. Metam. ℣s. 630. *Hic hominum cunctos ingenti corpore præstans.* Salustius cum dativo jungit, statim in principio Bell. Cat. *Omnis homines, qui sese præstare student cæteris animalibus, &c.* Emmenest.

439. *Vulcani manibus paria induat arma.*] Bene addidit *Paria.* nam etiam Æneas habuit arma Vulcania. Et mire quasi falsum sit Æneam habere arma Vulcani. licet possumus dicere quod hoc Turnus ignoret: quod tamen non valde idoneum comprobatur. *Idem.*

440. *Vobis animam hanc soceroque Latino.*] Bene sibi & favorem conciliat populi, & à soceri nominis præjudicio Latini implicat voluntatem. *Idem.*

441. *Turnus ego.*] Quem Drances con-

Devovi. solum Æneas vocat. &, vocet oro.
Nec Drances potius, sive est hæc ira deorum,
Morte luat: sive est virtus & gloria, tollat.
Illi hæc inter se dubiis de rebus agebant
Certantes: castra Æneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus inplet:
Instructos acie Tiberino à flumine Teucros
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussaque volgi

Pe-

contemnit. *Servius.*

Ulli veterum virtute secundus.] Dicimus & *secundus illi*, & *secundus ab illo.* Idem.

442. *Devovi.*] Qualitas ista verborum miserationem potius, quam pugnaturi audaciam demonstrat. *Donatus.*

Devoveo.] In antiquis codicibus *devovi* est, præterito tempore, quod agnoscit Donatus. *Pierius.*

Animam devoveo.] Alludit ad ritum devovendi, de quo Livius lib. 8. sub initium. ubi P. Decius pro exercitu se diis manibus devovet. Vide Formulas Brisson. lib. 1. *Taubm.*

Solum Æneas vocat?] Contra illud, *Illum aspice contra, Qui vocat.* Servius.

443. *Nec Drances potius, sive est hæc ira deorum, Morte luat: sive est virtus & gloria, tollat.*] Sensus quidem datus obscure, sed facilis & qui de usu nunquam recedat. Nam ita irati dicimus, Abeat, nec bonis meis nec malis rebus intersit; nolo sit aut meæ particeps gloriæ, aut in me invidiam ex infelicitatis communione commoveat. Sicut nunc de Drance dicit, *Sive est hæc ira deorum, morte luat:* id est, Si periturus sum, nolo invidiam sustinere, si Drances forte pariter moriatur. Si vero me virtus & gloria comitabuntur, nolo ignavus felicitatis alienæ sit particeps: si dum meis pugnat auspiciis, forte superaret. Alii sic accipiunt, sive est hæc ira deorum, uter inquit eventus ex hac pugna sequetur? vel ira deorum si vincar, vel gloria si vicero, mihi potius quam Dranci adscribatur. Alii sic, nec Drances potius si pereundum est ira deorum pereat, aut, si vincendum est gloriam consequatur. *Idem.*

Tollat.] Sic & *tollere palmam* & *præmium*, pro *capere*, ut & Græci νίκην ἀρέσθαι. Videtur autem hic mihi Maro illud Homeri Il. κ. respexisse, ὅς τις κεν τλαίη, οἱ τ' αὐτῷ κῦδος ἄριστον· ubi Eustathius, οἱ τ' αὐτῷ κῦδος ἄριστον· ἤγουν ἑαυτὸν κυδανεῖ, ἔνθα τὸ ἄριστον ὑψωτικὴ λέξις οὖσα ἀρετῆς τινὸς καὶ αὐτὴ κύδους ἐστὶν ἐνδεικτική. Sic & athletæ ἄρνυσθαι τὰ ἄθλα dicuntur, τουτέστι ἄθλα λαμβάνειν. *Germanus.*

445. *Illi hæc inter se.*] Aut communiter Latini, aut Drances & Turnus. *Servius.*

446. *Castra Æneas aciemque movebat.*] Id est, ducebat exercitum: ut, *Nos castra movemus.* Lucanus, *Brundisium decimis jubet hanc attingere castris,* id est, decima deductione. *Idem.*

Tecta tumultu.] Notat Erythræus, vocem *Tumultu* præcedere ut plurimum in hoc Poëta, *ta*, vel *te* finitam dictionem: ut fiat veluti conflictatio quædam. *Taubm.*

449. *Instructos acie.*] In Oblongo *instructosque.* Sed omnino *que* vacat. *Pierius.*

451. *Turbati animi.*] In antiquissimo

Pectora, & arrectæ ſtimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poſcunt: fremit arma juventus.
Flent mæſti muſſantque patres. hic undique clamor
Diſſenſu vario magnus ſe tollit in auras.
Haud ſecus, atque alto in luco cum forte catervæ
Conſedere avium, piſcoſove amne Paduſæ
Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cycni.

Immo codice Romano legere eſt, *turbati animo.* Sed *Turbati animi* neſcio quid majus habet. *Idem.*

452. *Arrectæ ſtimulis haud mollibus iræ.*] Inf. in hoc lib. 7. *ſtimulis haud mollibus incitat iras.* Arnob. lib. 7. *ſtimulis exagitantur irarum.* & *arrectæ iræ* ait ducto ſermone ab equis, qui ſtimulati arrigunt aures, corpus, ſenſus. *Cerda.*

453. *Arma manu.*] Nam præter vocem, geſtum etiam flagitantis expreſſit, nec eſt ſuperfluum *Manu*, ut quidam volunt. *Servius.*

Fremit arma juventus.] Expetit & abſolute, id eſt hoc fremebant arma: & militaris vox eſt. *Idem.*

454. *Muſſant.*] Modo queruntur. *Idem.*

Muſſant.] Id eſt, queruntur, ut Serv. μύζουσι. vſ. 345. *Taubm.*

455. *Diſſenſu vario.*] Alii enim Turni dicta, alii Drancis probabant. *Servius.*

Diſſenſu magnus vario.] In antiquis omnibus, ſtructura hæc eſt, *clamor Diſſenſu vario magnus ſe tollit in auras.* Pierius.

456. *Haud ſecus, atque in luco.*] Hæc vocum conſecutio eſt etiam in Salluſt. Jugurth. *haud ſecus, atque in mari.* Cerda.

457. *Piſcoſove amne Paduſæ.*] *Paduſa* pars eſt Padi. Nam Padus licet unus ſit fluvius, habet tamen fluenta plurima, è quibus eſt *Paduſa*, quæ quibuſdam locis facit paludem, quæ plena eſt cygnorum. Alii Padum tribus fontibus naſci dicunt, ex quibus ſumpſit vocabulum *Paduſa*, qui diffuſus in modum ſtagni in amnem digeritur: nam ideo *per ſtagna loquacia.* Alii partem fluminis Padi in quam deſcenditur foſſa, Valgius in Elegis, *Et placidam foſſæ qua jungunt ora Paduſam, Navigat Alpini flumina magna Padi.* Ceterum illud incongruum eſt *Paduſam* fœminino genere juxta veteres Padum dictum. Titinius in Setina, *Vidiſtin' Tiberim? vidi, qui illam derivet beaverit agrum Sentinum.* Servius.

Piſcoſove amne Paduſæ.] Ita *piſcoſo amne*, ut Hom. ὕλλῳ ἰχθυόεντι. Ita vero, *amne Paduſæ*, ut *vis Herculis*, pro Hercule. Sic Iliad. 23. μέγα σθένος Ἠετίωνος. & poſt pauca, Λεοντῆος καρτερὸν μένος, *magnum robur Eetionis. fortis virtus Leontei*, pro Eetione, & Leonteo. & adhuc inf. σθένος Τεύκροιο ἄνακτος, *vis Teucri Regis.* Sed quid *Paduſa*? Plin. cap. 16. lib. 3. de Pado loquens ait, *Anguſta foſſa Ravennam trahitur, ubi Paduſa vocatur.* Paduſa ergo, idem qui Padus, tantum ubi eſt anguſtus, Paduſa dicitur forma diminuente. Polyb. lib. 2. Hiſt. diſcriminat à Pado, ubi de Conſulibus Romanis loquens, διέβησαν εἰς τὴν τῶν Ἰσόμβρων γῆν, κατὰ τὰς συῤῥείας τοῦ Παδόα, καὶ Πάδου ποταμοῦ· *Trajecerunt in terram Inſubrum qua Paduſa, & Padus confluunt.* Nam Παδόαν Polybii *Paduſam* reddit Caſaubon. & alii. Vide Geographos, & Servium Danielis. *Cerda.*

458. *Per ſtagna loquacia cygni.*] In quibus habitant cygni loquaces. *Rauci* autem τῶν μέσων eſt. nam modo canoros ſignificat: alias voces peſſimas. Juvenalis, *Rauci Theſeide Codri.* Sicut vene-

Immo, ait, ô cives, arrepto tempore, Turnus;
Cogite concilium, & pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruant. nec plura locutus
Corripuit sese, & tectis citus extulit altis.
Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis:
Duc,

venenum & de bono & de malo dicitur, ut *odor*, & *bonus* & *malus* vocatur. *Servius*.

Rauci.] Ita lib. 7. loquens de cycnis, *raucarum volucrum*. Lucianus in lib. de Electro de hac ave, κρώζουσιν οὗτοι πάνυ ἄμουσον καὶ ἀσθενές· *Crocitant hi admodum absurde, & ineleganter.* Auctor etiam Philomelæ, *cycni prope flumina densant*. quo verbo indicatur insuavis cantus. *Cerda*.

Stagna loquacia.] Legere quidem est in codicibus antiquis *loquacia*: & non inelegantem figuram, bonisque poëtis familiarem, ea lectione Servius agnoscit. Antiqui tamen aliquot codices *liquentia*: aliquot alii *stagna sonantia* legunt. Sed id forte sumptum ex aliqua paraphrasi. *Pierius*.

459. *Arrepto tempore.*] Hic inventa opportunitate, id est, occasione. *S.*

Arrepto tempore.] Id est, καιροῦ λαβὼν Turnus, καὶ τυχών. vel καιρὸν ἁρπάσας. Primum obvium est. Alterum vidi in Josepho lib. 1. Bell. Jud. cap. 17. ἡ ἀδελφὴ τὸν καιρὸν εἰς τὰς διαβολὰς ἁρπάσασα. Plutarch. in vita Cleomen. verbo alio, ἄριστα τῷ καιρῷ χρησάμενος. Sed & pro ἐν καιρῷ dicit Cicer. ἐν δέοντι. Et Eurip. in Helen. τὸν καιρὸν vocat ἀκμήν. Hellenicum illud χρῆσθαι, quod jam præmisi, usurpavit Stat. lib. 7.

—— *& præceps tempore Tydeus*
Utitur. ite, age, nunc pacem sperate, fidemque.

Et lib. 11.

Instat Agenoreus miles, cælique tumultu
Utitur. ——

Sidon. epist. 11. lib. 1. aliter extulit: *Tunc ille, qui simile aliquid optaret, tempore invento, non unum, inquit.* Martialis Epigr. 19. lib. 10. *tempore non tuo*, id est, οὐ καιρῷ. Plurimi tamen verbum *arripio* arripuere à Virgilio, ut Claudian. 2. Eutrop.

Continuo secat ungue genas, & tempore pandit
Arrepto gemitus. ——

Et Stat. 7. Theb.

—— *fera tempus Erinnys*
Arripit, & primæ molitur semina pugnæ. Cerda.

460. *Cogite concilium.*] Drancis vitium omnibus exprobrat quod belli tempore in curiam conveniant, ut *Larga quidem semper, Drance, tibi copia fandi Tum, cum bella manus poscunt.* Servius.

Sedentes.] Pigri, ut, *Immunisque sedens aliena ad pabula fucus*, vel *sedentes* invidiose, ut, *Sedeant spectentque Latini.* Idem.

Illi armis in regna ruunt.] In antiquis aliquot exemplaribus *ruant* habetur: sed fatendi modo, ut rem præsentem intento quasi digito indicet, magis movet. *Pierius*.

Tu Voluse.] Præclare Volscorum aciem duci Volsco commendat. *Volusus* enim dictus quasi *Voloscus*: hoc enim nomen priscum Volscorum. Cato de Originibus; *Voloscos quos vocamus Volscos.* Ceterum his Turni præceptionibus non absimilis illa Dictatoris Romani apud Livium libro sexto: *Tu (Semproni) fretus armis, armisque concitatis equis invade mediam aciem: ego cum legionibus in turbantes trepidantesque inferam signa.* Cerda.

463. *Armari edice.*] Figura est, dic ut armentur, verbum verbo junxit, ut, *Tu das epulas accumbere divum. Edice* autem plenus est imperativus. nam in omnium conjugationum verbis infinito

Duc, ait, & Rutulos. equitem Messapus in armis,
Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turresque capessant:
Cetera, qua jusso, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater & magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt:
Multaque se incusat, qui non acceperit ultro
Dardanium Ænean, generumque adsciverit urbi.

Præ-

nito modo detrahe ultimam syllabam, & fit imperativus: ut *amare*, *ama*: *docere*, *doce*: *legere*, *lege*: *audire*, *audi*. Quum autem *fac* vel *dic* dicimus, Apocopen verba patiuntur, ex *face*, *dice*; cum posuit *edice* expressit, expressa autem festinantis oratio, qua Turnum non prædixit locuturum. *Servius*.

Maniplis.] Ars quidem exigebat ut *ma* haberet accentum, *ni* enim longa quidem est; sed ex muta & liquida: quod quotiens fit, tertia syllaba à fine sortitur accentum, ut *latebræ*, *tenebræ*. Tamen in hoc sermone ut secunda à fine accentum habeat usus obtinuit. *Maniplis.* Signiferis: qui secundum antiquum morem in legione erant triginta: legio autem habebat septem cohortes, sexaginta centurias. licet in his rebus accessu temporis ducum varietas semper mutaverit militiæ disciplinam. *Idem.*

464. *Equitem Messapus in armis, Et cum fratre Coras latis diffundite campis.*] *Equitem in armis*, id est, armatum. nam figura est. *Messapus* autem ut diceret, vitavit ὁμοιοτέλευτον. nam vitiosum erat *Voluse, Edice, Messape.* Ergo *Messapus* aut antiquus vocativus est, ut *Hesperidum fluvius regnator aquarum.* Et, *Socer arma Latinus habeto.* aut certe nominativus est pro vocativo: quanquam possit etiam nominativus esse, ut sit, *Messapus & Coras equitem diffundite*, pro *diffundant*: melior tamen sensus est superior. *Idem.*

465. *Cum fratre Coras.*] Scilicet Catillo: nam legimus, *Catillusque, acerque Coras Argiva juventus.* Idem.

467. *Qua jusso.*] Qua jussero: & est antiquum. *Idem.*

Jusso.] Pro *jussero.* ita Ennius apud Cicer.

O Tite, si quid ego adjuro,

id est, adjuvero. Vide Turneb. l. 15, 15. *Taubmanus.*

Mecum manus inferat arma.] Existimavi Poëtam hoc verborum tenore dissimulanter, & ut decet Poëtas, alludere ad tritum illud Romanorum: *Sequantur me qui Remp. salvam esse volunt.* Quam ad formam respexit Cedren. pag. 587. εἴ τις πολεμιστὴς, ἀκολουθείτω μοι. *Cerda.*

468. *Ilicet.*] Confestim, ilico, quod ut diceret, metri necessitas fecit; nam *Ilico* dicimus. *Servius.*

469. *Concilium, &c.*] Versus λαγαρὸς, id est, *hiulcus & elumbis*: quia pes quartus jambice trichronus est, qui tetrachronus esse debuerat. Vide Cœlium l. 4, 5. *Taubmanus.*

Magna incepta.] Quia de pace cogitabat, quæ impleri non potuit. *Serv.*

470. *Tristi turbatus pectore.*] Antiqua omnia exemplaria, quotquot legi, *Tristi turbatus tempore*, habent. Sed *pectore* magis probatur. *Pierius.*

471. *Multaque se incusat.*] Pro *Multum.* Et est Græca figura. *Servius.*

472. *Generumque asciverit urbi.*] Id est, propter urbem quantum de præsentibus rebus colligebatur. Lucanus de Catone, *Urbi pater est, urbique maritus.*

Præfodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subvectant: bello dat signum rauca cruentum
Buccina. tum muros varia cinxere corona
Matronæ puerique: vocat labor ultimus omnis.
Nec non ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens: juxtaque comes Lavinia virgo,
Caussa mali tanti, oculos dejecta decoros.

Suc-

ritus. Gener autem ideo dicitur, quia ad augendum genus adhibetur. *Serv.*

473. *Præfodiunt alii portas.*] Id est, ante portas, fossas faciunt: hoc enim est quod supra dixit, *Pars aditus urbis firment:* quæ res nimiam indicabat desperationem. *Idem.*

474. *Bello dat signum rauca cruentum Buccina.*] Bene addidit *bello*, nam & propter hoc buccina insonans, solicitudinem ad bella denuntiat. Sic in septimo, *Quia buccina signum Dira dedit.* Prælium autem tubæ indicant: ut, *At tuba terribilem sonitum procul ære canoro Increpuit.* Idem.

475. *Tunc.*] Vet. cod. *tum* legunt. *P.*

476. *Matronæ.*] Nunc fœminæ. Quidam sane arbitrantur inter *matronam* & *matremfamilias* hoc interesse, quod *matrona* dicatur prima pueri mater, *materfamilias*, quæ plures peperit. Alii hoc putant rectius, *matronam* dici quæ in matrimonium cum viro convenerit, & in eo matrimonio manserit, etiamsi liberi nondum fuerint: dictam matris nomine spe atque omine, unde & *matrimonium* dictum: *Matrem* vero *familias* eam esse, quæ in mariti manu mancipioque, aut in cujus maritus manu mancipioque esset, quomodo in familia quoque mariti & sui heredes venisset. Alii *matronas* Virgines nobiles dicunt, *matresfamilias* vero illas, quæ in matrimonium per coëmptionem convenerunt. nam per quandam Juris solennitatem in familiam migrant mariti. inter *matrem* vero, & *matremfamilias* hoc interest præter illam significationem, quæ est ad aliquid, quæ tantum convenit in matrimonium, quod alii matrifamilias, sicut hoc loco dictum est, applicaverunt. *S.*

Vocat labor ultimus omnes.] Omnes ad laborem ultima necessitas convocat. Alii *Ultimus* hypallagen volunt esse, pro *ultimis*. Idem.

477. *Nec non ad templum.*] Secundum Homerum, qui inducit in summa desperatione matres ad templa concurrere, ut victoria, quæ non potest viribus, possit deorum favore conquiri. *Idem.*

478. *Subvehitur.*] Proprie. Matronæ enim pilentis vehebantur ad templa pergentes: ut *Pilentis vehebantur matres in mollibus.* Idem.

Magna matrum.] Deest *cum*, non enim caterva subvehitur. *Idem.*

479. *Dona ferens.*] Peplum scilicet, sicut dixi in primo: ideo dimisit hoc loco. *Idem.*

Dona ferens.] Putabant mulieres posse donis & precibus favorem à dea impetrare. *Donatus.*

Dona.] Servius intelligit *peplum Minervæ:* de quo & 1. Æneid. à ỳs. 483. Imitatusque est Homeri Hecubam Il. ζ. ỳs. 303. *Taubmannus.*

480. *Mali tanti.*] Pro *malorum tantorum.* Servius.

Oculos dejecta decoros.] Deorsum habens, & sic ait *Dejecta oculos*, sicut, *Oculos suffusa nitentes.* Idem.

Causa mali tanti atque oculos dejecta decoros.] Hoc quoque loco *atque* illud, dictionum omnium importunissimum,

Succedunt matres, & templum ture vaporant;
Et mæstas alto fundunt de limine voces:
Armipotens præses belli, Tritonia virgo,

Fran-

mum, Virgiliani carminis candorem deturpavit: quum non invenuste prius in antiquis codic. legeretur *causa mali tanti oculos dejecta decoros.* absque synalœpha, ut, *Hanc sine me spem ferre tui, audentior ibo.* Et illud, *Externo commissa duci Æneïa puppis.* ac hujusmodi pleraque. Invenio tamen scriptum in Romano & aliis quibusdam codicibus antiquis *causa malis tantis.* non quod hac emendatione versum sustentare arbitrarentur, sed quia apud Donatum ita legi videatur: *Quia multa acciderant mala, cum ea,* inquit, *& Lavinia pergebat, quæ fuerat malis omnibus caussa. Si enim nuptiarum ejus controversia non fuisset, tot nunquam extitissent adversa.* Sed quanvis ita Donatus interpretetur: non facit tamen hoc, ut lectio ea *mali tanti*, stare non possit. *Pierius.*

Causa mali tanti.] Athen. lib. 13. plures historias affert, & commemorat bella ob mulieres orta, Trojanum, Thebanum, Criseum, hæc tria ad decennium. Expeditionem Cambysis in Ægyptios susceptam femina impulit. Familiæ ob feminas quæ non eversæ? Philippi ob nuptias Cleopatræ, Herculis ob Ioles, Thesei ob Phædræ, Creontis ob Glauces, Agamemnonis ob Cassandræ. Hæc ille late. *Cerda.*

Oculos dejecta decoros.] Ex magno virginitatis decoro. Apud Val. Flacc. lib. 7. Medea adhuc virgo attollit vix tandem lumina. Hic habitus datur Charicliæ ab Heliod. κάτω νεύουσα. De Aspas. Ælian. c. 1. lib. 2. var. Histor. ἔνεργε κάτω. De Hypsipyle Apoll. lib. 1. ἐγκλιδὸν ὄσσε βαλοῦσα, *deorsum oculos mittens.* Adrasti filias virgines ita describit Stat. 2. Th.

Ibant insignes vultuque habituque verendo,
Candida purpureum fusæ super ora ruborem,
Dejectaque genas. ——

Et in genere hoc est unicum ornamentum omnium feminarum, etiam non virginum. Sic Dido 1. Æneid. inducitur *vultum demissa.* Philomela apud Ovid. 6. Metam. *dejectoque in humum vultu.* & in Epist. *pudor dejecit ocellos.* Androm. 3. Æneid. *demisit vultum.* Ait *decoros*, quia vere oculi gratiores sunt, si sint dejecti. Itaque videtur esse in Poëta causa pulchritudinis; ut dicat: ideo decori, quia dejecti. Ad quem modum Ovidius,

Spectabat terram, terram spectare decebat.

Est enim in oculis, ut sedes pudoris, ita decoris. *Cerda.*

481. *Succedunt matres.*] Pro *intrantes:* est ordo, *Succedunt matres, & templum ture vaporant.* Servius.

Et templum thure vaporant.] Præclare Sil.

Tanta adeo, cum res trepidæ, reverentia Divûm
Nascitur; & raræ fumant felicibus aræ.

Et Stat. 1. Theb.

——largoque refecti
Thure vaporatis lucent altaribus ignes.

Vapor Virgilii fumus est. *Cerda.*

Thure.] De etymo hujus voculæ varie auctores. Alii ἀπὸ τοῦ θύειν, quod sacris serviat, ut vult Julius Modestus. Alii mere Latinum faciunt, & scribunt *tus*, ut vult Sosip. Charis. lib. 1. qui ducit à *tundendo.* Idem.

482. *De limine.*] Ad preces festinantium mulierum ostenditur desiderium. *Servius.*

De limine.] Antiqua aliquot exemplaria *de pectore* legunt. Sed cur *de limine* legendum sit, non ineptam affert Servius rationem. *Pierius.*

483. *Præses Tritonia virgo armipotens belli.*] Antonomasiva sunt proprie. hæc autem omnis oratio verbum ad verbum de Homero translata est, Πότνι' Ἀθηναίη ἐρυσίπτολι, δῖα θεάων.

Præ-

Aut adſuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectiſque fremit cervicibus alte
Luxurians: luduntque jubæ per colla, per armos.
Obvia cui, Volſcorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portiſque ab equo regina ſub ipſis
Deſiluit. quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis. tum talia fatur:
Turne, ſui merito ſi qua eſt fiducia forti,
Audeo & Æneadum promitto occurrere turmæ,
Sola-

495. *Aut adſuetus aquæ.*] Figurate *aquæ adſuetus*, aquæ flumine perfundi adſuetus. *Servius.*

Aut adſuetus aquæ.] Videntur iſta dici ex ingenio ac natura equorum, ſcribente Ariſtotele lib. 8. Hiſtor. Animal. capite vigeſimoquarto: χαίρουσι δ᾽ ἵπποι τοῖς λειμῶσι, καὶ τοῖς ἕλεσι. & poſt pauca, εἶναι πάντη λέγονται, καὶ γὰρ ὅλως ἐστὶ φίλυδρον τὸ ζῶον, καὶ ἔτι φίλυδρον. Evertunt iſta, quæ contra Homerum ſcripſit Iul. Scal. & non vidit tantus vir, eadem opera, qua Homerum vult obruere, obrui quoque Virgilium, quod ipſe non vult; nam ſicut Græcus εἰωθώς, ita Latinus *aſſuetus*, & *perfundi*, & *noto flumine*, quibus omnibus conſuetudo indicatur. *Cerda.*

496. *Arrectiſque fremit cervicibus alte.*] Alte arrectis cervicibus fremit, non alte fremit, aut alte luxurians: quidam ſane *cervicibus* plurali numero ſecundum veteres dictum volunt, & Hortenſium primum ſingulari numero *cervicem*, unde Ciceronem *cerviculam illum jactaturum* tradunt dixiſſe. *Servius.*

500. *Deſiluit.*] Hoc ad Turni honorem refertur, quatuor namque erant apud Romanos quæ ad honorificentiam pertinebant, equo deſilire, caput aperire, via decedere, adſurgere: hoc etiam præcones præeuntes magiſtratus clamare dicebantur. *Idem.*

Deſiluit.] *Deſilire* celeritatis habet & fortitudinis ſignificationem: *deſcendere* vero tarditatis. Ubi Turnum vidit ſtantem ante portas, ut honorificam ſe monſtraret, mox equo deſiluit: quod Reginæ factum, ut Turno deferrent, omnes ſtatim imitati ſunt. *Donatus.*

Cohors.] Pro *turma*; nam equitum *turmæ*, peditum *cohortes* appellantur. *Servius.*

501. *Ad terram defluxit.*] Dicendo *Defluxit* uno verbo abſolvit deſilientem equis multitudinem, & vel celeritatem vel artem & quandam moderationem ac facilitatem deſcendendi ſignificavit, quæ eſt etiam aſcendendo apud hujus rei peritos. *Idem.*

Defluxit equis.] Furius lib. 1. apud Macrob lib. 6. c. 4.

Ille gravi ſubito devinctus vulnere habenas
Miſit equi, lapſuſque in humum defluxit, & armis
Reddidit æratis ſonitum. ——

Latini à Græcis, qui τῶν ἵππων ἀπορρυεῖν, pari fluxionis verbo. Plutar. in Eumene, ἀπορρυεὶς τοῦ ἵππου. *Cerda.*

502. *Sui merito ſi qua eſt fiducia forti.*] Si unuſquiſque habet aliquam confidentiam ex conſcientia fortitudinis ſuæ, & ego audere non dubito. *Forti* autem bene dixit: nam *fortis* communis eſt generis. Hæc autem hoc vult dicere; non ſexum conſiderandum eſſe, ſed robur: & eſt ordo, ô Turne audeo. *Serv.*

503. *Audeo & Æneadum, &c.*] Deſcribit feminam, quæ ultra feminam, ut loquitur Nazianz in Carmine de vita ſua,

Θῆλυς τὸ σῶμα, τὸν τρόπον δ᾽ ἀνδρὸς πέρα.

Talem.

Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, & mœnia serva:
Turnus ad hæc, oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiæ virgo, quas dicere gratis,
Quasve referre parem? sed nunc, est omnia quando

Iste

Talem feminam Græci dicunt *ἀντιάνειραν*, de qua dicebam 1. Æneid. ad illud, *audetque viris concurrere virgo.* quem locum vide, ut hunc illustres. Huic Camillæ pollicitationi non dissimilis illa Penthesileæ lib. 1. Calab.

Ἠ δή ῥ' ὑπέσχετο ἔργον, ὃ οὔποτε θνητὸς ἐώλπει,
Δηώσειν Ἀχιλῆα, καὶ εὐρέα λαὸν ὀλέσσειν
Ἀργείων, νῆας δὲ πυρὸς καθύπερθε βαλέσθαι. *Cerda.*

Occurrere turmæ.] Equitatui: nam partem pro toto posuit. Varro turmam triginta sex equites posuit. *Servius.*

Occurrere turmæ.] Romanus codex *turmis* habet, numero multitudinis. Servius *turmæ* singulari numero videtur agnovisse. Apud Donatum vero *turmis* est plurale. *Pierius.*

504. *Solaque.*] Tale illud Iliad. 13.

— μεμονήκει δὲ καὶ οἶος
Ἕκτορι Πριαμίδῃ ἄμοτον μεμαῶτι μάχεσθαι. *Cerda.*

506. *Tu pedes ad muros subsiste.*] Bene ex muliere gloria augetur, ut cum eam faciat adversum hostes cuncta promittere quæ faciunt viri fortes, etiam Turno murorum custodiam inducat mandantem. *Servius.*

507. *Oculos horrenda in virgine fixus.*] Figurate vel oculos figens, vel fixos habens: *horrenda* autem pro *admirabilis*, alioqui hostibus horrenda. *Idem.*

Horrenda in virgine.] Possis referre attributum vel ad militarem feminam, nam *horror* armorum est. Sic apud Calab. lib. 2. Penthesilea dicitur *δαΐφρων*, & *ἐκπαγλος· bellatrix, & stupenda*, videlicet, ut à Nonno Amazones *μαχήμονες γυναῖκες*. & Appoll. 1. Arg. *κούρη ἐϋπτολέμοιο*. & de Electra Eurip. in Oreste, *φρένας ἄρσενας κεκτημένη*. Vel ad virginitatem, quæ quia sacra, ideo *horrenda*. Sic de templo in 7. *horrendum relligione.* & in 6. Sibylla *horrenda* dicitur, quia virgo sacra. & S. Ioannes Chrysost. in Orat. de Martyre Luciano, loquens de sacra Eucharistia, ait, *τραπέζης φρικώδους, horrendæ mensæ.* Cerda.

Fixit.] Legendum omnino *fixus* ex antiquis exemplaribus. *Pierius.*

508. *O decus Italiæ virgo.*] De hoc genere blandimenti dixi supra. Hic adjicio nummum Iustiniani Imperatoris apud Cedrenum, in quo nummo se in altera parte effinxit, in altera Belisarium cum hac inscriptione, Βελισάριος ἡ δόξα τῶν Ῥωμαίων. *Cerda.*

Quas dicere grates?] Pro *quantas* pro pronomine, & secundum rhetoricam disciplinam dicit se verba invenire non posse, quibus ejus exprimat laudes: cum dixerit, *O decus Italiæ virgo.* Sic alibi, *Quibus cælo te laudibus æquem?* Cum præmiserit, *O fama ingens, ingentior armis, Vir Trojane.* Servius.

Quasve referre parem?] Verbum ad hanc rem ἔξοχον. Audiat æquus Lector verba Sen. ep. 81. hæc: *Mira in quibusdam rebus verborum proprietas est, & consuetudo sermonis antiqui quædam efficacissimis & officia docentibus notis signat. Sic certe solemus loqui, ille illi gratiam retulit. Referre est, ultro quod debeas afferre. Non dicimus gratiam reddidit. Reddunt enim & qui reposcuntur, & qui inviti, & qui ubilibet, & qui per alium. Non dicimus, reposuit beneficium, aut solvit. Nullum enim nobis placuit, quod æri alieno convenit, verbum. Referre est, ad eum, à quo acceperis, ferre. hæc vox significat voluntariam relationem. Qui retulit ipse se appellavit.*

Iste animus supra, mecum partire laborem.
Æneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia inprobus arma
Præmisit, quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta jugo superans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite silvæ,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.

Tu

lavit. Itaque negamus quenquam scire gratiam referre, nisi sapientem. Cerda.

Sed nunc.] Ordo est, *Sed nunc mecum partire laborem.* nam per Parenthesim dictum est. *Servius.*

Est omnia quando iste animus supra.] Præmium, id est, siquidem es magnanima ut supra omnes grates & supra omne præmium: *partire* autem ideo, quia ille dixerat, *Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.* Idem.

Omnia iste animus supra.] Non dissidet ab hac sententia Sallust. in Iugurth. *Supra fortunam animum gereret.* Cerda.

511. *Æneas, ut fama fidem.*] OEconomia, educuntur hinc duces, ut servata eorum honestate fortitudo virginis possit induci, alioqui indecens fuerat præsentibus Turno & Ænea. *Serv.*

513. *Quaterent campos.* Ad camporum turbationem. *Idem.*

Quaterent campos.] Lucret. lib. 2. *Transmittunt valido quatientes impete campos.* Hic autem de equitibus dixit, quod καθιππάζεσθαι Græci: & Thucyd. καθιππάσασθαι χώραν. *Germanus.*

514. *Per deserta jugo superans adventat ad urbem.*] Romanus codex & antiqui aliquot alii *jugo properans* legunt. Quanquam & *superans* in Mediceo, & in aliquot aliis antiquis habetur. Est & *adventat in urbem*, hoc est adversus urbem. vel in urbem immisso exercitu. Sed *ad urbem* magis placet. Idque agnoscit Donatus: perinde ac etiam *superans.* ait enim ipse: Per montis deserta ardua superans, hoc est ad ipsum cacumen ascendens, transcenso montis jugo ad urbem venire disponit. *Pier.*

515. *Furta paro belli.*] Insidias Sallustius, *Gens ad furta belli peridonea.* Serv.

Furta paro belli.] Plutarch. in Philopœm. στρατείας κλοπίας, *furtivas expeditiones.* & in Lysandri vita ἀπάταις τὰ πολλὰ διαποικίλλων τοῦ πολέμου· *res bellicas perpetrans dolis.* Stat. 10. Theb. *gradiens furta ad Mavortia belli.* Considero in vigilantissimo Poëta hoc verbum datum Turno. Apage, ut illud Æneæ daret. Fraus enim & dolus longe, ut plurimum, à bono duce: & certe multa sunt necessaria, ut ea fraus laudem habeat. De Romanis Ælian. l. 12. Var. Histor. δι᾽ ἀρετῆς γὰρ ἴσασι Ῥωμαῖοι ἀγαθοὶ εἶναι, οὐ μὴν διὰ τέχνης, καὶ πανουργίας· *Virtute vincere Romani assueverunt, non dolo, & furto.* Celebratissima est vox illa Alexandri apud Plut. in ejus Regis vita, οὐ κλέπτω τὴν νίκην, *non furor victoriam.* Dixit hoc, cum suadebatur à suis, ut noctu hostem aggrederetur, & tenebris tegeret tantum bellum. Ceterum, integrum versum Virg. hunc videtur ad verbum reddidisse Nonnus lib. 21. Dionys.

—— ἐν ἄλσεσι φώριος Ἄρης
Ἠλιβάτων χλοεροῖσι φυλάσσων κεκάλυπτο κορύμβοις. *Cerda.*

Furta paro belli.] Sil. Italicus lib. 7.
Nunc nocturna parat cæca celantibus umbris
Furta viæ. & lib. 17.
Aggreditur furtum armorum tutantibus umbris, &c. Emmeness.

516. *Bivias fauces.*] *Fauces* dicuntur itinera inter duos montes, loca angusta & pervia: dicta à faucium similitudine. *Servius.*

517. *Con-*

Tu Tyrrhenum equitem conlatis excipe ſignis:
Tecum acer Meſſapus erit, turmæque Latinæ,
Tiburnique manus: ducis & concipe curam.
Sic ait, & paribus Meſſapum in prœlia dictis
Hortatur, ſocioſque duces; & pergit in hoſtem.
Eſt curvo anfractu valles, adcommoda fraudi
Armo-

517. *Conlatis excipe ſignis.*] Conjunctis ducibus, quos commemoraturus eſt. Sic autem dicebatur à Romanis, quotiens acie dimicatum eſſet. *Serv.*

518. *Tecum acer Meſſapus erit.*] Ingenti honore *tecum* dixit, hoc eſt, non tu illi adjuncta eris, ſed ille tibi. *Idem.*

519. *Tyburtique manus.*] Catillus & Coras. *Idem.*

Tyburtique manus ducis, & tu concipe curam.] In antiquis aliquot codicibus *Tyburni* ſcriptum obſervavi (quod alio loco ſuperius adnotatum eſt) & dictionem *ducis* varie punctis diſtitam: quum nonnulli legant *Tyburnique manus ducis:* aliqui, *Ducis & tu concipe curam.* Ac *Tyburni* quidem apud Donatum etiam habetur. quantum vero pertinet ad diſtinctionem, ante vel poſt dictionem *ducis* adlinendam: ait ille, *ducis* ſic in medio eſt, ut ſine pronuntiationis culpa, vel ſuperioribus, vel inferioribus poſſit aptari. Quippe ſi dicatur. *Tyburnique manus ducis:* recte dicitur, ſi, *Ducis & tu concipe curam:* non erratur. laudavit omnes, ne inertes ardenti junxiſſe videretur. *Pierius.*

Tyburtique manus.] Vide 7. Æneid. ubi Coras, & Catillus fratres *Tyburtia mœnia linquunt.* Cerda.

Ducis & tu concipe curam.] Sicut ego. nam non dicit ſicut Meſſapus aut alii, ne ei facere videatur injuriam. *Concipe* autem vel ſimul cum illis ſume, vel mecum cape, quia ille dixerat, *mecum partire laborem. Con* enim conjunctiva particula eſt. Unde & *convocari* de pluribus dicimus. *Servius.*

522. *Eſt curvo anfractu vallis*] Hæc eſt loci lata deſcriptio; melius poſita ex Poëtæ, quam ex Turni perſona: in qua nihil aliud eſt, niſi quod pro utilitate faciat inſidiantis, ut probare poſſet, quod dixit: *Accommoda fraudi, Armorumque dolis.* Donatus.

Valles.] Metri neceſſitate compellimur ut *vallis* dicamus. Statius, *Vallis in amplexu nemorum:* ſed & nam plenum eſt *valles*, ſicut nunc Virgilius poſuit, quod ita eſſe diminutio indicat: nam *vallicula* dicitur ſicut *turrim* dici debere *turriculam* indicat, at *vulpes vulpecula* facit. Horatius, *Moveat vulpecula riſum.* Ergo in *es* vel in *is* quando naturaliter exeant nomina, ſola diminutio indicat; ea autem quæ in *es* exeunt longa ſunt omnia, ſi in genitivo non creſcant, ut *labes*, *valles*, *vulpes.* nam ſi creſcunt, brevia ſunt, ut *miles militis.* Servius.

Vallis accommoda fraudi.] In aliquot antiquis exemplaribus *valles adcommoda* legitur: & *valles* nominativum à *valle* agnoſcere videtur Probus: quanvis in vulgatis ejus codicibus neſcio quid deſiderarim: quum ibi de iis loquatur, quæ terminant in *pes* longam, ut *puppes*, *rupes*, *vulpes.* quare videris, an ita ſit legendum, *pes* producta, Latina, vel Græca tertiæ ſunt declinationis, *pis* faciunt genitivo, *puppes puppis*, ut *valles vallis*, ita *rupes rupis*, *vulpes vulpis*, *aſpes aſpis.* Vel alia prorſus dictio ſubſtituenda. *Pierius.*

Eſt curvo anfractu.] Expendit iſta Scalig. lib. 3. c. 5. & l. 5. c. 16. Poët. Imitatur hæc Statius lib. 2. Theb. vſ. 498.

——gemini procul urbe malignis
Faucibus urgentur colles: quos umbra ſuperni
Montis, & incurvis claudunt juga frondea ſilvis.
Inſidias natura loco cæcamque latendi

Armorumque dolis: quam densis frondibus atrum
Urguet utrimque latus; tenuis quo semita ducit,
Angustæque ferunt fauces aditusque maligni.
Hanc super in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota jacet, tutique receptus:
Seu dextra lævaque velis occurrere pugnæ,
Sive instare jugis, & grandia volvere saxa.
Huc juvenis nota fertur regione viarum;
Arripuitque locum, & silvis insedit iniquis.

Velo-

Struxit opem, mediasque arcte secat aspera rupes
Semita: quam subter campi devexaque latis
Arva jacent spatiis, &c.
Taubmannus.

Valles.] Ita Serv. legit: Aldus, & alii, *Vallis* agnoscunt, ut *is* producatur, ob cæsuram. *Idem.*

523. *Densis frondibus atrum.*] Utrum densis frondibus urget, an densis frondibus atrum? *Servius.*

524. *Quo semita ducit.*] Legitur & *Qua.* Idem.

Qua semita ducit.] In antiquo codice Romano, & aliquot aliis, *quo semita ducit*, legitur. quam lectionem agnoscit Servius. *Pierius.*

Tenuis quo semita ducit.] Est hoc, quod lib. 9.
Rara per occultos ducebat semita calles.
Quem locum vide, ut hunc illustres. *Cerda.*

525. *Angustæque ferunt fauces.*] Liv. de loco Caudino: *sed antequam venias ad eum intrandæ primæ angustiæ sunt, &c.* Ut Latini *fauces*, Græci ad eandem rem dicunt στόμα, *os*, Curtius sæpe *fauces.* Idem.

Aditusque maligni.] Proprie *Obscuri*: ut, *Sub luce maligna.* Servius.

527 *Ignota.*] Vel infrequentata, vel ignota, scilicet Æneæ. nam de Turno dicturus est, *Huc juvenis nota fertur regione viarum.* Idem.

Tutique receptus.] Male quidam *recessus* legunt. nam *receptus* dicitur, quo se cito exercitus recepit. Et signa receptui canere dicuntur. *Idem.*

Tutique receptus.] In veteribus plerisque codicibus *recessus* habetur. Sed *receptus* huic loco magis convenit, ut scilicet ostendat, non tantum ad erumpendum, & invadendum hostem locum esse commodum, *seu dextra lævaque velis occurrere pugnæ*, verum etiam quo tuto se recipere possint, *atque instare jugis & grandia volvere saxa*, si forte eveniat, ut majore hostium urgente vi repellantur, aut loco dejici tententur. *Pierius.*

528. *Seu dextra, lævaque velis occurrere pugnæ.*] Sive per vallis, sive per montis radices; incertum est enim qua sit venturus Æneas. *Velis* autem pro *si quis velit.* Servius.

529. *Instare jugis.*] Ut, *turriti puppibus instant.* Idem.

531. *Arripuitque locum.*] Raptim tenuit. *Idem.*

Insedit.] Proprie. nam *Insidere* est dolose aliquem exspectare. unde & *insidiæ* nominatæ sunt. *Idem.*

Silvis insedit iniquis.] Insidias nimirum Latini ab insidendo dicunt, ea forma qua Græci ἐνέδρας. Thucyd. προλελοχισμένας ἐνέδρας vocat, occupatas & præparatas insidias: &, προλοχίζουσι τὰ περὶ τὴν πόλιν ἐνέδραις, circa urbem insidias collocant, insidiis obsident: & ἐφεδρεύειν tendere insidias, ἐπιτηρηθῆναι. Plutarch. ἀντίβου πᾶσιν ἐφεδρεύοντος. unde & ἔφεδρος, insidiator: Eurip. ἔφεδρος γῆς στρατός. & Sophocl. σκηναῖς

Velocem interea superis in sedibus Opim,
Unam ex virginibus sociis sacraque caterva
Conpellabat, & has tristi Latonia voces

Ore

ναῖς ἰφιδρ... item ἰφίδρα, & ἰφιδρεία. *Germanus.*

Iniquis.] Intelligendum *hosti*, vel *inæqualibus*. *Servius.*

532. *Velocem interea.*] Licet *Interea* particula negotia semper præteritis futura conjungit: tamen abruptus & vituperabilis transitus. habet autem tales transitus & in superioribus libris, & in sequenti præcipue, ubi Iuppiter appellat Iunonem. *Idem.*

Velocem interea superis in sedibus Opim.] Declaravit hoc carmen Macrobius Saturnal. lib. 5. adducto Alexandri Ætoli testimonio, ex libro, qui Μοῦσαι inscriptus erat. ita enim narrat illum cecinisse:

Ὑμνῆσαι ταχέων Οὖπιν βλητῆρα ὀϊστῶν.

Eodem pertinent Callimachi versus in Delo,

Οὖπίς τε, Λοξώ τε, καὶ εὐαίων Ἑκαέργη.

Palæphatus: Καλοῦσι δὲ τὴν Ἀθηνᾶν Κυρηναῖοι Γοργόνην, ὥσπερ τὴν Ἄρτεμιν Θρᾷκες Βένδειαν, Κρῆτες δὲ Δίκτυνναν, Λακεδαιμόνιοι δὲ Οὖπιν. *Ursinus.*

Opim.] *Opim* quando dicimus, Nympham significamus: si autem dicamus *opem*, auxilium intelligimus. Terentius, *Iuno Lucina fer opem.* *Opes* vero numero plurali, census accipimus. nam *Ops*, Terra, est uxor Saturni, quam Græci Rheam vocant. Sane hoc nomen ipsius Dianæ fuisse ab Ephesiis dedicato templo ei impositum, Alexander Ætolus poëta in libro qui inscribitur Musæ, refert, quod hoc loco peritissimus antiquitatis poëta sociæ ejus imposuit; quidam dicunt Opim & Hecaergea primos ex Hyperboreis sacra in Insulam Deli occultata in fascibus mergitum pertulisse. Alii putant Opim & Hecaergon nutritores Apollinis & Dianæ fuisse, hinc itaque Opim ipsam Dianam cognominatam, quod supra dictum est, Apollinem vero Hecaergon, vel quod proxima luna quæ Dianæ terris facile conspiciat * quoniam mia * i vocali ecaergas sola. τὸ τοῦ ἑκάς ... hoc è longinquo. Alii dicunt à Latone cœpta non adducatus * & ideo poëtam Triviæ custodem Opim induxisse. *Servius.*

Opim.] Cur Virg. fecerit Opim Dianæ comitem dissident Macrob. & Turn. Ait prior cap. 22. lib. 5. Satur. Dianam ipsam ab Alexandro Ætolo dici Opim eo versu,

Ὑμνῆσαι ταχέων Οὖπιν βλητῆρα ὀϊστῶν.

Et Poëtam attribuisse Nymphæ Dianæ nomen ipsiusmet Dianæ. Ait posterior cap. 3. lib. 22. Advers. Virgilium institisse Callimacho, qui Opim nominat inter Nymphas, quæ afferunt primitias Delum, istis versibus:

Πρῶταί τοι τάδ᾽ ἔνεικαν ἀπὸ ξανθῶν Ἀριμασπῶν

Οὖπίς τε, Λοξώ τε, καὶ εὐαίων Ἑκαέργη.

Ait, primas omnium Opim, Loxo, Hecaergen attulisse dona ab Arimaspis. In hoc dissidio Turnebo hæserim, præsertim, cum Apollodorus lib. 1. Bibliothe. dicat ex quorundam opinione, Orionem confixum sagittis à Diana, quod Opi ejus Nymphæ vim inferre intendisset. Opis ergo inter comites Dianæ, *Cerda.*

533. *Unam ex virginibus sociis sacraque caterva.*] Romanus codex præter quam impressa omnia exemplaria, & aliquot alia manu scripta, legit *unam ex virginibus sacris sociaque caterva.* Sed altera lectio magis placet eruditioribus ingeniis. *Pierius.*

534. *Tristes voces.*] Habitum futuræ orationis ostendit. *Servius.*

Tristis Latonia voces, &c.] Romanus codex *tristi ore* legit; cui aliquot etiam alii manu scripti non sunt dissimiles.

Servius

Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, & nostris nequicquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias. neque enim novus iste Dianæ
Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno viresque superbas
Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter prœlia belli,

Sustu-

Servius tamen *tristis voces* mavult. *Tristis* & Donatus, qui dubitari ait, utrum *tristis Latonia* an *voces tristis* dicendum sit. ait vero morem poetæ retinendum, quem ubique servaverit, bisque intelligendum *tristis*, ut qualis anima fuit, talia habuisse videatur & verba: dicendum itaque, *Tristis Latonia voces tristis emittebat*. Pierius.

535. *Ore dabat.*] Pleonasmos. *Servius.*

Bellum ad crudele Camilla.] Uno verbo exitum rei docuit. *Idem.*

536. *O virgo.*] Quidam ad Camillam referunt, quia ineptum putant præsenti opi ducer & * ô virgo autem interjectio est. *Idem.*

Nostris nequicquam cingitur armis.] *Nostris*, quibus utraque gaudemus, vel etiam ut ipse habeat causam doloris & majoris iracundiæ. Et *cingitur* nolunt quidam esse passivum, neque enim ab alio cingitur, sed ita quemadmodum dictum est, *Fulvique insternor pelle leonis.* Idem.

537. *Cara mihi ante alias.*] Ante omnes cara, omnium carissima, ut, *O felix una ante alias.* Idem.

Neque enim novus iste Dianæ Venit amor.] Firmiores enim sunt antiquiores amicitiæ. Terentius, *Per amicitiam, quæ incepta à parvulis cum ætate adcrevit simul.* Juvenalis, *Ille excludatur amicus Jam senior, cujus barbam tua janua vidit.* Idem.

539. *Pulsus ob invidiam.*] Scilicet crudelitatis. nam sequitur, *Neque enim ipse manus feritate dedisset.* Idem.

Pulsus ob invidiam, &c.] Excusat exilium Metabi, quod non sua culpa, sed invidia, id est, superbia civium sit pulsus; & fugiens non opes, sed filiam eripuerit. hac causa Dianæ favorem meruit. *Donatus.*

Viresque superbas.] Quibus superbe viribus utebatur. *Servius.*

540. *Antiqua.*] Nobili urbe. nam hoc *Privernum* dicitur. *Idem.*

Priverno antiqua.] Pro eo Silius l. 6. *ab alta Priverno.* Meminit & lib. 8.

Sylla Ferentinos, Privernatumque maniplos
Ducebat. ——

Fuit autem *Privernum* urbs Latii Roma antiquior. Stephano dicta Πριούερνος. *Emmeness.*

Metabus.] Nomen sumptum de historia, Metabus enim fuit dux Græci agminis, qui juxta Adriaticum mare urbem Metapontum condidit. *Serv.*

541. *Media inter prœlia belli.*] Locus notandus ad distinctionem prælii & belli. Est bellum, integrum veluti corpus, prælia ejus veluti membra. Signate Tacit. lib. 4. Hist. in sermone belli unius nominat *secundum prælium.* Sic Lucret. non semel *belli certamina.* Hom. sæpissime conjungit, πόλεμον, μάχην, & πολεμίζειν, μάχεσθαι. Advocat Nonius Lucilii verba hæc: *Populus Romanus victus vi, & superatus præliis sæpe est multis, bello vero nunquam.* Virg. inf. in hoc lib. in bello uno tria adhibet prælia versu illo, *Tertia sed postquam congressi in prælia.* Polyb. lib. 3. minuta hæc prælia, & per partes gesta, vocat τὰς κατὰ μέρος ἀκροβολισμούς. & paulo post, ἀκροβολισμοὶ δὲ μόνον καὶ συμπλοκαὶ κατὰ μέρος ἐγίνοντο πλείους. *Cerda.*

543. No-

Sustulit exsilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutata parte, Camillam.
Ipse, sinu præ se portans, juga longa petebat
Solorum nemorum: tela undique sæva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce fugæ medio summis Amasenus abundans

Spu-

543. *Nomine Casmillæ.*] Statius Tullianus de vocabulis rerum libro primo, ait dixisse Callimachum apud Camillum appellari Mercurium, quo vocabulo significant deorum ministrum. Unde Virgilius bene ait, Metabum Camillam appellasse filiam, scilicet Dianæ ministram. nam & Pacuvius in Medea, cum de Medea loqueretur, *Cælitum Camilla exspectata advenis, salve hospita.* Romani quoque pueros & puellas nobiles & juvenes *Camillos* & *Camillas* appellabant, flaminicarum & flaminum præministros. *Servius.*

Nomine Scamillæ mutilata parte Camillam.] Unde *Scamillæ* nomen, quod nonnulli commenti sunt, desumptum sit, in nullo adhuc veterum codicum deprehendi. In aliquot autem omnino antiquis *Quasmillæ* scriptum inveni, in aliquot aliis absurdiora quædam. Sed enim antiquiora illa exemplaria quæ præcipue sequimur, *Casmillæ* legunt. Quodque nonnulli codices *mutilata* habent, vetustiores pene omnes *mutata* scriptum ostendunt. Non tamen displicet *mutilata.* Quia Donatus ait: Matris huic addidit nomen. aliqua tamen subtracta particula, ut *Camilla* potius quam *Casmilla* diceretur. Habiturus in exilio comitem item filiam, & in appellatione infantis, dulcissimæ nomen uxoris. *Pierius.*

Nomine Casmillæ, &c.] Eadem, quæ Servius in hunc locum, leguntur quoque apud Macrob. lib. 1. Saturn. c. 8. Corrigenda autem ex eo hæc Servii verba: *dixisse Callimachum apud Camillum appellari Mercurium.* & pro illis legendum: *dixisse Callimachum, Tuscos Camillum appellare Mercurium.* De voce *Camilla* vid. Varro lib. 4. de L. L. & Turneb. lib. 14. cap. 13. *Emmeneff.*

544. *Juga longa.*] Id est, longe posita, remotiora. Sallustius, *Et Metello procul agente, longa spes auxiliorum*, id est, longe posita. *Servius.*

545. *Solorum nemorum.*] Desertorum. Terentius, *Venit meditatus alicunde ex solo loco.* Item ipse, *Nonne hinc deportarier in solas terras?* Idem.

Solorum nemorum.] Vide quæ diximus lib. 4. Georg. ℣ſ. 465. *Emmeneff.*

Premebant.] Verbum venatorium: de quo alibi. *Taubm.*

547. *Fugæ medio.*] Dum fugit, inter fugam. nam figuratum est, ut *Laurus erat tecti medio.* Servius.

Summis Amasenus abundans.] Talia ferme de Asopo Stat. 7. Theb.

—forte & trepidantibus ingens
Descendebat agris, animos sive imbrifer arcus
Seu montana dedit nubes, seu fluminis illa
Mens fuit, abjectusque vado pater arma vetabat.

Et Ovid. lib. 9. Metamorph.

Venerat Eueni rapidas Jove natus ad undas,
Uberior solito, nimbis hyemalibus auctus,
Verticibusque frequens erat, atque impervius amnis. Cerda.

Amasenus.] Fluvius apud Privernum inter Senam & Tarracinam defluens. Vide Thesaurum Ortelii. *Taubmannus.*

Abundans.] In antiquis codicibus *habundans* cum aspiratione scribitur,

Spumabat ripis; tantus se nubibus imber
Ruperat. ille, innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet. omnia secum
Versanti subito vix hæc sententia sedit.
Telum inmane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis & robore cocto;
Huic natam, libro & silvestri subere clausam,
Inplicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ:
Quam

veteribus eam nonnullis verbis applicare suetis, quo ea incitatius enuntiarentur. *Pierius.*

548. *Imber ruperat.*] Impetum pluviæ ostendit. *Servius.*

Imber ruperat.] A Græcis. Nam Apollon. lib. 2. ἐῤῥάγη ὄμβρος ἀθέσφατος. & Nicand. ὄμβροιο ῥαγέντος. exemplula hæc in Germ. & pleni Græci. Sunt qui putent, consuetudine magis sermonis, quam proprietate aliqua, *imbrem* dici de cœlesti aquarum agmine. Nam vere *imber* est aqua quælibet, cum Lucret. dixerit nominans quatuor elementa,

Ex igni, terra, atque anima nascuntur, & imbri.

Et Ovid. Eleg. 1. lib. 4. de Pont.

Æquoreæ madidas quæ premit imbre comas.

Lege quæ dedi 1. Æneid. ad illud, *Accipiunt inimicum imbrem.* Cerda.

550. *Caroque oneri timet.*] Anacreon φορτίον ἔρωτος, id est, onus amoris. *Et pariter comitique onerique timentem.* Servius.

Omnia secum Versanti.] Ita Il. 10.

Ἥδε δέ οἱ φρονέοντι κατὰ φρένα φαίνετο βουλή.

& Iliad. 13.

Ὧδε δέ οἱ φρονέοντι δοάσσατο κέρδιον εἶναι.

Ammian. lib. 18. *Seditque tandem multa & varia cogitanti id tentare.* Sidon. Paneg. Aviti: *Tandem cunctanti sedit sententia.* Cerda.

551. *Vix hæc sententia sedit.*] Ideo *vix*, quia naturale est, ut quotiens simul multa cogitamus, vix aliquod comprobemus. Unde vera distinctio est, Omnia secum versanti subito, hæc sententia sedit. *Servius.*

552. *Telum inmane.*] Quia bellator. Nam opus fuit ingenti telo & bellatore, id est, viro forti ad rem perficiendam. *Donatus.*

553. *Robore cocto.*] Aut antiquam hastam fuisse significat. nam multi temporis aliquid, *coctum* vocatur. Horatius, *Plerumque recoctus Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem.* Persius: *Ut ramale vetus vegrandi subere coctum.* Aut re vera cocto robore. hastæ enim igni plerunque durari consueverunt, ut facilius corticem demittant. *Servius.*]

Robore cocto.] Tale illud Pers. Sat. 1.

Ut ramale vetus vegrandi subere coctum.

Est *coctum* in Pers. Sole exsiccatum. Inde est, ut *robur coctum* in Virg. esse possit, exsiccatum diuturno Sole: ac proinde hasta ex antiquo robore, & durato ab Sole vel igne. *Cerda.*

554. *Huic.*] Huic scilicet telo. *Serv.*

Natam implicat.] Probus de hoc loco arpitamplasma * *Idem.*

Libro.] *Liber* dicitur interior corticis pars, quæ ligno cohæret. alibi, *Alta liber arat in ulmo.* Unde & liber dicitur in quo scribimus, quia ante usum chartæ vel membranæ de libris arborum volumina fiebant, id est, compaginabantur. *Idem.*

Habilem.] Εὐστρεφῆ, εὐπλεκῆ, εὐκατασκεύαστον. bene compositam, & prudenter aptatam. *Taubm.*

556. *Li-*

Quam dextra ingenti librans ita ad æthera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix Latonia virgo,
Ipſe pater famulam voveo: tua prima per auras
Tela tenens ſupplex hoſtem fugit. accipe, teſtor,
Diva tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, & adducto contortum haſtile lacerto
Immittit: ſonuere undæ. rapidum ſuper amnem
Infelix fugit in jaculo ſtridente Camilla.

At

556. *Librans.*] Quod Plaut. Amphit. *pugnos ponderat.* quod lib. 5. *libravit cæſtus.* Cerda.

Ad æthera fatur.] Metabus preces fundit ad Dianam, non ad cœlum, ſed converſus ad cœlum, hoc enim ſubaudiendum, & ideo eo converſus, quia ibi Diana. Midas apud Ovid. Metam. precaturus Bacchum, prius,

Ad cœlumque manus, & ſplendida brachia tollens.

Ita qui Neptunum precabantur, convertebant ſe ad mare; qui Plutonem, ad terram. Exemplum Neptuni eſt in Virg. Æneid. ubi Cloanthus precaturus Neptunum, inducitur *palmas ponto tendens.* Plutonis in Hom. 9. Iliad. ubi de femina precante Deos inferos, *πρόχνυ καθεζομένη*, & *γαῖαν χερσὶν ἀλοία*, videlicet,

Κικλήσκουσ' Ἀΐδην, καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν. *Idem.*

557. *Alma tibi hanc nemorum, &c.*] Antonomaſia. nam tria epitheta ſine nomine poſita ſunt. *Servius.*

Nemorum cultrix.] Hinc Horat. *Montium cuſtos, nemorumque virgo.* & 9. Æneid. Niſus, *nemorum Latonia cuſtos.* Expendatur & vocula (*tibi*) quæ clarius enuntianda, ut jam alii adnotarunt; hac enim forma uſi veteres in re ſimili. Ita in Ecl. *Ecce duas tibi Daphni.* &, *Setoſi caput hoc apri tibi Delia.* & innumera. *Cerda.*

558. *Ipſe pater famulam voveo.*] Bene *Ipſe pater*, quia auctoramenti poteſtatem niſi patres non habent. *Voveo* autem, conſecro in tuum miniſterium. Unde & Camilla dicta eſt, licet ſupra eam à matre dixerit eſſe nominatam. Sed illud poëtice: nam Camilla, quaſi miniſtra dicta eſt, quod ſuperius expoſitum eſt. In ſacris tamen legitur poſſe etiam opera conſecrari ex ſervis uſque dum ſolvatur caput hominis, id eſt, liberetur ſacrationis nexu, aut enim numen famulæ quam ſervi ſignificatio conditionis *. *Servius.*

Ipſe pater famulam voveo.] Serv. *Bene ipſe pater, quia auctoramenti poteſtatem niſi patres non habent.* Cujacius in Paratitlis: *Pollicitationis ſpecies eſt votum, quod Deo fit, ſed illud in eo pracipuum, ut ſoli patresfamilias ex eo obligentur, quaſi actu ſolemni (nam & præſentibus multis fiebat voti nuncupatio) aut filiusfamilias, & ſervus juſſu ejus, in cujus poteſtate ſunt. & ſecundum jus Virgilius, Ipſe pater famulam voveo.* Cerda.

559. *Tela tenens.*] Ordo eſt, Tua ſupplex tela tenens quibus inligata eſt, & ingenioſe *tenens*, cum inligata ſit. *Servius.*

561. *Adducto contortum haſtile lacerto.*] Ita lib. 9. Niſus,

Ocyus adducto torquens haſtile lacerto.

Sed tu vide, ut locum hunc illuſtres, quæ dixi eodem in libro ad illud, *telum librabat ab aure.* Cerda.

562. *Sonuere undæ.*] Hic diſtinguendum. *Servius.*

563. *Infelix Camilla.*] Mira effingit, *Infelix* autem *Camilla.* Non eo tempore quo evaſit, ſed nunc *infelix.* plerunque enim epitheta præſentis temporis ſcilicet ſunt, peractis nego-

 tiis:

At Metabus, magna propius jam urguente caterva,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo donum Triviæ de cespite vellit.
Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes
Accepere, neque ipse manus feritate dedisset:
Pastorum & solis exegit montibus ævum.
Hic natam, in dumis interque horrentia lustra,
Armentalis equæ mammis & lacte ferino

Nutri-

tiis: ut secundo, *Infelix qua se dum regna manebant, Sæpius Andromache ferre incomitata solebat.* Serv.

565. *Victor.*] Propositi sui & intentionis effectu, ut *Mihi victor honore Persolves.* Idem.

566. *Donum Triviæ.*] Mire *Triviæ*, cum ipsa loquatur, ut bene *donum*, aut quoniam pater Dianæ servaverit. *Idem.*

Donum Triviæ.] Accipiunt, quam pater exinde donum Dianæ dedit. Possunt. Sed ego aliter. Quam Diana dedit patri, ut servatrix puellæ. Itaque gavisus pater est dono illo Dianæ. *Cerda.*

Cespite.] Probus aut *cespito*, aut *cespite* pro campo, scilicet quod *cespes* gleba sit. *Servius.*

567. *Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes Accepere.*] Non mirum à nulla hunc civitate susceptum. nam licet Privernas esset, tamen quia in Thuscorum jure pene omnis Italia fuerat, generaliter in Metabum omnia odia ferebantur. nam pulsus fuerat à gente Volscorum, quæ etiam ipsa Etruscorum potestate regebatur: quod Cato plenissime executus est. Hinc est, *Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres Optavere nurum*: quod non procederet nisi inter eos essent jura connubii. *Non mœnibus urbes Accepere.* Non tectis, non mœnibus: non in civitatem, non in privatam admissus est domum. Et sic ista etiam in primo libro separavit, *Urbe, domo socias.* Sciendum autem *mœnia* abusive dici omnia publica ædificia: ut, *Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis.* nam proprie *Mœnia*, sunt tantum muri, dicta quasi *munia*, à munitione civitatis. *Idem.*

568. *Manus dedisset.*] Consensisset: & hoc dicit, Etiam si qui eum voluissent suscipere, ille tamen eorum consortia morum feritate fugisset; *feritate* autem figurate pro feritati, an ob feritatem? *Idem.*

Manus dedisset.] Adagii forma, pro, victum se fateri. Horat. Epod. 17. *Jam jam efficaci do manus scientiæ.* Vide Erasm. Nata videtur locutio ab simili illo, *dare herbam.* Tale & illud lib. 9. *neque enim jaculo vitam ille dedisset.* Cerda.

569. *Pastorum & solis exegit montibus ævum.*] Et pastorum ævum exegit in montibus solis, id est, pastorali usus est vita. *Servius.*

Solis montibus.] Id est, desertis. Sic statim ℣s. 545. *sola nemora.* Emmen.

Ævum.] Quamvis *ævum* sit quasi *ἀεὶ ὄν*, *perpetuum*, *æternum*, *semper durans*, ac proinde de Diis dicatur; tamen Virg. locutus est ex imitatione Homeri, cui sæpissime *αἰὼν* est *vita*, id est, *ζωή*. Sic Iliad. 16.

Αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τόν γε λίπῃ ψυχή τε, καὶ αἰών.

Sic etiam Lucret. qui bis, aut ter: *degere ævum.* & Ennius qui 9. Annal. *ævum agitabant.* Cerda.

571. *Armentalis equæ.*] Indomitæ. Scilicet quæ in armenta fœturæ causa parcatur. Unde sequitur, *& lacte ferino.* Veteres enim omnes prope quadrupedas feras vocabant, *In latus inque*

feri

Nutribat, teneris inmulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans veſtigia plantis
Inſtiterat, jaculo palmas oneravit acuto:
Spiculaque ex humero parvæ ſuſpendit & arcum.

Pro

feri curvam compagibus alvum. *Equæ* autem *mammis & lacte ferino* ἐν διὰ δυοῖν. *Servius.*

Armentalis equa.] Ita prædivinatur virtus militaris Camillæ, quemadmodum Jamum cum laudat Pind. Od. 6. Olymp. nutritum à ſerpente; ut non immerito ſperare aliquid magnum ab illis poſſimus, erga quos tanta fuerit Superum indulgentia. Multa hujus rei exempla conjungit Alex. Neap. non ſolum de equarum lacte, ſed aliarum etiam ferarum, à quibus nutriti magni Heroës. Sed de equabus lege, quæ Geſner. conjungit, ubi agit de equo, littera F. Eſt *equa armentalis*, ἵππος ἀγελαία. *Cerda.*

Lacte ferino.] Manil. lib. 1. de Jove loquens,

Cujus ab uberibus magnum ille aſcendit
Olympum
Lacte feræ creſcens ad fulmina. ——

Sed Manilius de capella loquitur nutrice Jovis, quamobrem ſignatius Virgilius, qui de equa. *Idem.*

Lacte ferino.] Pro equino. *Ferus* enim κατ' ἐξοχὴν pro equo ponitur. Vide lib. 2. Æn. ỳ. 51. *Emmeneſſ.*

572. *Nutribat.*] Quidam nove dictum accipiunt. *Servius.*

Nutribat.] Tale illud Virg. *lenibat*, *polibat*, *veſtibat*. & Catull.

Vellera virgati cuſtodibant calathiſci.

& Terent. Eun. *neque ſcibat*. Fit hoc exploſu unius vocalis. *Cerda.*

573. *Veſtigia plantis Inſtiterat.*] Signa pedum primis plantis expreſſerat. nam *Veſtigia* ſunt imagines pedum: ut, *Semeſam prædam & veſtigia fœda relinquunt*. Servius.

574. *Inſtiterat.*] Eſt hoc, quod de Pyrrho Plut. φορτικῶς ἀναστάς. Ab Virg. Juven. Sat. 6. *nec tremulis poſſunt inſiſtere plantis*. Nota vero conſtructionem quarti caſus. Ita Plaut. Capt. *Omnes itinera inſiſtant ſua*. Subaudiendum *in*, ut, *inſiſtere in veſtigia*, *in itinera*. vel, *ſiſtere in veſtigia*, *itinera*. Porro hoc, *inſiſtere plantis*, ſimillimum eſt Horatianis verbis Epiſt. ad Piſon.

Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum. —— Cerda.

Palmas oneravit.] Onus enim quicquid teneris imponitur manibus. *Serv.*

Palmas oneravit.] Romanus codex, Oblongus, Mediceus, pluresque alii pervetuſti, *palmas armavit* legunt, quod non ſine proprietate dictum eſt, & in Donati codice reperitur. Sed enim Servius *oneravit* agnoſcere videtur, dum ait: *Onus eſt quicquid teneris manibus imponitur*. Pierius.

Jaculo palmas oneravit acuto] Talis educatio Cyrenæ Nymphæ à patre Teleſicrate apud Pind. Od. 9. Pyth.

—— ὁ δὲ τὰν εὐώλενον
Θρέψατο παῖδα Κυράναν.
Ἁ μὲν οὔθ' ἱστῶν παλιμβάμους ἐφίλασεν ὁδούς,
Οὔτε δείπνων οἰκουριᾶν
Μεθ' ἑταιρᾶν τέρψιας.
Ἀλλ' ἀκόντεσσί τε χαλκέοις,
Φασγάνῳ τε μαρναμένα,
Καΐζεν ἀγρίους
Θῆρας.

Id eſt, *Ille autem lacertis decoram educavit filiam Cyrenam. Hæc neque telarum retrogradas amavit vias, neque cœnarum oblectationes inter domeſticas ſocias: ſed jaculis æris, enſeque dimicans, conficiebat feras beſtias.* Cerda.

575. *Spiculaque ex humero.*] Talis habitus Atalantæ apud Ovid. 8. Metam.

Ex humero pendens reſonabat eburnea
lævo
Telorum cuſtos, arcum quoque læva tenebat. Idem.

 576. *Cri-*

Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorsum à vertice pendent.
Tela manu jam tum tenera puerilia torsit,

Et

576. *Crinali auro.*] Quo crines inligantur. *Servius.*

Pro crinali auro.] Ovid. 5. Metam. simpliciter vocat crinale,

—— ornabant aurata monilia collum,
Et madidos myrrha curvum crinale capillos.

Alibi:

Nec torques collo, nec habens crinale capillos.

Est *crinale* fascia quædam, aut vitta, qua illigantur crines, ne vagentur. Ulpianus vocat *fasciam crinalem.* Græce possis κεφαλόδεσμον, & ἐπίκρανον, sive ταινίαν ἀναδέσμην. Itaque *crinale aurum* erit vitta aurea ad continendos crines. *Cerda.*

576. *Pro crinali auro.*] Statius lib. 4. Achill. ℣. 97.

—— & fronti crinale reponeret aurum.

Emmeness.

Pro longæ tegmine pallæ.] *Palla* proprie est muliebris vestis deducta usque ad vestigia. unde ait *longæ.* sicut supra, *Pallam signis auroque rigentem.* Servius.

Pro longæ tegmine pallæ.] Diserte, & signate *longæ pallæ*: nam hæc etiam virorum fuit, sed non longa. Et quidem virorum fuisse jam indicavi supra. Et hic adjice Martial.

Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

Viri pallæ Gallorum respondere σαγον Strabonis, vult Bayf. producto testimonio. Lege illum. Signate etiam *tegmine*, indicans pallam ultimam esse in vestitu, omninoque exteriorem, quando etiam loco illius penderent exuviæ tigridis. Huc spectat Hor. Sat. 2. lib. 1.

Ad talos stola demissa, & circumdata palla.

Varro lib. 4. ait *pallam* dictam, quod *palam* & *foris.* Cerda.

Pro longæ tegmine pallæ.] Vide supra lib. 1. Æn. ℣. 648. *Emmeness.*

577. *Tigridis exuviæ.*] Ita etiam 1. Æneid. inducit Nympham venatricem,

Succinctam pharetra, & maculosæ tegmine lyncis.

Apud Apollon. lib. 1. Anchæus infertur gestans Μαιναλίης ἄρκτου δέρος.
Apud Nonnum lib. 9. Bacchus

Ποικίλον ἠώρησεν ἐπ' αὐχένι νεβρὸν ἀείρων.

Iterum:

Καὶ θρασὺ αἰολόνωτον ἔχων πεπταμένον ὤμοις
Τίγριν ἄνω κύφιξε μετάρσιον ἔκδοθι δεσμοῦ.

Adduco & Latinos. Stat. 4. Theb.

—— flavent capiti, tergoque leonum
Exuviæ, gentilis honos. ——

Ita & de Daphne Ovidius,

Silvarum latebris, captivarumque ferarum
Exuviis gaudens. ——

Et Sil. lib. 15. dat Annibali amictum ex pelle leonina. Valer. lib. 6. Arg. canit quendam cum exuviis tigridis, quin perquam optima fictione ait,

Perque levem, & multo maculatam murice tigrim
Concita cuspis abit, subitos ex ore cruores
Saucia tigris hiat, vitamque effundit herilem. Cerda.

A vertice pendent.] Tempora variavit, nam de præterito dicit. *Servius.*

578. *Tela manu jam tum, &c.*] Apud Statium Achilles in Achilleide similem prædicat de se adhuc puero institutionem vitæ,

—— visisque decebat
Arridere feris, nec fracta ruentibus undis
Robora, nec vastæ trepidare silentia silvæ,
Jam tunc hasta manu, jam tunc cervice pharetræ,
Et ferri properatus amor, duratque multo

Sole

Et fundam tereti circum caput egit habena:
Strymoniamque gruem, aut album dejecit olorem.
Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum. sola contenta Diana
Æternum telorum & virginitatis amorem

Inteme-

Sole geluque cutis: tenero nec fusa cubili
Membra, sed ingenti saxum commune magistro.

Talis & ille versus Silii lib. 9.

Parvula nos arcu puerili spicula sensim
Fundimus. —

Seneca epist. 36. hunc morem dat Parthis infantibus, & pueris Germanis: *Si in Parthia natus esset, arcum infans statim tenderet; si in Germania, protinus puer tenerum hastile vibraret.* Et quidem jam de Camilla ipsa lib. 7.

— *non illa colo calathisve Minervæ*
Femineas assueta manus, sed prælia virgo. Cerda.

579. *Et fundam tereti.*] Stat. 4. Theb.

— *teretes pars vertere fundas*
Assueti, vacuoque diem præcingere gyro.

Idem.

Egit.] Hoc Maronis fulcro expeditior est correctio illa Statii in Achill. *flexæ Balearis actor habenæ*, cum prius *auctor* legeretur. Ergo, ita Stat. *actor*, ut Virg. *egit*. Similiter in 9. de Mezentio,

Ipse ter adducta circum caput egit habena. Idem.

Circum caput egit.] Id est, rotavit: ex more & arte. nam sic vires dabant jactui. Statius:

— *vacuoque diem præcingere gyro.*

Vide Poliorcet. Lipsii l. 4, 2. *Taubm.*

580. *Strymoniamque gruem.*] Thraciam à fluvio Strymone. Sane sciendum posse dici, & *hic* & *hæc grus*, & *hi* & *hæ grues*. *Servius.*

Strymoniamque gruem.] Martial. Epigramm. 30. lib. 9. *Strymonio de grege ripa sonat.* Sed de hoc dixi alibi. *Cerda.*

Olorem.] Latine ita dicimus. nam Græce *cygni* dicuntur. *Servius.*

Dejecit olorem.] Respondet Græco καταβάλλειν. Xenoph. π. ι. θηρίᾳ, ἅ σοι, ἐπειδὰν τάχιστα ἱππεύειν μάθῃς, διώξῃ, καὶ τοξεύων καὶ ἀκοντίζων καταβαλεῖς· & passim. Lucian. σφενδόνᾳ θηρία· unde & σφενδονίζω, fundam roto, & σφενδονηδὸν adverb. *Germanus.*

581. *Multæ illam frustra.*] Antequam rem diceret, prius ejus ostendit eventum: sic Sallustius, *Falso queritur de natura sua genus humanum.* nam antequam diceret *Queritur*, dixit *falso*. Servius.

Multæ illam, &c.] Tale illud de Lavinia l. 7. *Multi illam magno è Latio, &c.* & Catulli,

Multi illum pueri, multæ optavere puellæ.

Et Ovid. 3. Metamorph.

Multi illum juvenes, multæ petiêre puellæ:
Sed fuit in tenera tam dura superbia forma,
Nulli illum juvenes, nullæ tetigêre puellæ.

De Daphne etiam l. 2. ejusdem operis,

Multi illam petiêre, illa aspernata petentes,
Impatiens, expersque tori nemora avia lustrat.

Fluxere tam Virgiliana, quam Ovidiana à Catullo. nisi quis velit, omnes adhuc sumpsisse à Pind. Od. 9. Pyth. ubi in sermone Cyrenæ Nymphæ:

Τὰν μάλα πολλοὶ ἀρι-
στῆες ἀνδρῶν αἴτεον
Σύγγονοι, πολλοὶ δὲ καὶ
Ξείνων, ἐπεὶ θαητὸν εἶδος
Ἔπλετο. — *Cerda.*

Matres.] Inter matrem & matrem familiarum quid intersit, superius plenissime narratum est, & hic ostendit dicendo *Tyrrhena per oppida*, quod etiam Volsci in Tuscorum fuerint potestate. *Servius.*

583. *Æternum.*] Id est, æterno. nam nomen est pro adverbio. *Idem.*

Vir-

Intemerata colit. vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Cara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urguetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, finisque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Hæc cape, & ultricem pharetra deprome sagittam:
Hac

Virginitatis amorem, &c.] Παρθενεύεσθαι. Scilicet & Diana ipsa Platoni in Cratylo Ἄρτεμις dicta, φαινομένη τὸ ἀρτεμὲς καὶ τὸ κόσμιον, διὰ τὴν τῆς παρθενίας ἐπιθυμίαν. *Germanus.*

584. *Intemerata colit.*] Inviolata, incorrupta; temeratæ enim quibus vis allata est. *Servius.*

585. *Militia tali.*] Tam injusta. ideoque & pœnas dat temeritatis. quippe fatis in Italiam Trojani venerant. *Taub.*

Conata.] Dum conatur, ut *Obsessumque acta testudine limen:* & *Caci spem custodita fefellit.* hac autem ratione ostendit quare non suscensa à Trojanis *. *Servius.*

587. *Fatis urgetur acerbis.*] Ostendit etiam desideria ex fato, non necessitate descendere. *Idem.*

Fatis urgemur acerbis.] In antiquis aliquot codicibus legere est *fatis urgemur iniquis.* Sed utcunque placuerit, *acerbis* aut *iniquis*, non laboro. Sane *urgemur* persona prima mihi videtur etiam Servius agnovisse cum scripsit: *Ostendit etiam desideria ex Fati necessitate descendere.* Cæterum quod Servius ad desiderium refert, cur non potius ad amorem, & sympathiam quandam referamus, ut scilicet *urgemur fatis acerbis* dixerit, uti quæ pari, cum ea, calamitate affici sibi videretur, quæque Camillæ aut acerba, aut iniqua imminebant, ea Diana impendere sibi existimabat. *Pierius.*

589. *Committitur omine pugna.*] Pro committetur. *Servius.*

Ubi infausto committitur omine pugna.] Ovidius lib. 6. Metam. ✝︎. 448.
— *infausto committitur omine sermo.*
Ad quem locum vid. Nic. Heinsius. *Emmeness.*

590. *Hæc cape.*] Generaliter dixit arcum, pharetram, ut sequentia indicant. nam dicit, *Et ultricem pharetra deprome sagittam*, & neuteritum putatur ipsam sagittam ultricem. *Serv.*

Ultricem.] Nomina omnia in *x*, litera terminata, ablativum singularem in *e* mittunt: genitivum vero pluralem in *um*: exceptis his quæ omnis sunt generis: ut *felix.* nam & *ab hac felici*, & *horum felicium* facit. Lucanus, *Et felici non fausta loco tentoria ponens:* quod receptum est ideo, quia genitivus pluralis à nominativo minor esse non debet, sed aut par, aut major una syllaba. & quia in neutro facit *felicia*, *felicum* dicere non debemus, ne propter alia genera huic præjudicemus. namque ab eo, quod est *felices*, ut *felicium* dicamus, ratio patitur: una enim crescit syllaba. ab eo, quod est *felicia*, ut *felicum* dicamus, non procedit, ne minor sit genitivus à nominativo plurali. Similiter & *ultricium* & *victricium* dicimus: licet in his neutrum in numero singulari non inveniatur. *Servius.*

Deprome.] Vides ut mandet illi, quid opus facto, ex doctrina Gentilium, qui unicuilibet Dearum Nymphas dabant administras, quibus, quid ipsæ vellent, mandarent. Sic Diana Opi curam dat cædis Camillæ vindicandæ. Sic lib. sequente Juno utitur Juturna Nympha. Apud Val. 3. Arg. Juno eadem commendat Nymphæ raptum Hylæ. Sic aderant Veneri suæ Idaliæ, Thetidi Naiades, &c. *Cerda.*

591. *Vio-*

Hac quicumque ſacrum violarit volnere corpus,
Tros Italuſve, mihi pariter det ſanguine pœnas.
Poſt ego nube cava miſerandæ corpus & arma
Inſpoliata feram tumulo, patriæque reponam.
Dixit: at illa levis cæli demiſſa per auras

Inſo-

591. *Violarit vulnere corpus.*] Bene *violarit*, quia dixerat *ſacrum*. Et ſuperius dictum eſt operam ſolemni more conſecrari uſque dum ſolvatur caput hominis, id eſt, liberetur ſacrationis nexu, quod facilius accidet, ſi mors intercedat. Hic ergo totius rei, & præcipue ſacrationis aliud agens poeta mentionem inſeruit dicens, *hac quicumque ſacrum violarit vulnere corpus, Tros Italuſve mihi pariter det ſanguine pœnas*, bene ergo ſicut dictum eſt *violaret*, quia dixerat *ſacrum*. Servius.

592. *Tros Italuſve mihi.*] Si ſimpliciter accipiamus, ſic intelligamus, Sive eam Trojanus interemerit, ſive aliquis de Æneæ auxiliis. namque alii volunt Aruntem de Turni eſſe partibus, & indignatum fœmineum ſexum plus in bello potuiſſe, quam viros. quam rem hic dicunt perſtrinxiſſe Virgilium: & re vera ſic ubique loquitur, ut incertum ſit, Aruns de cujus partibus fuerit. Unde eſt illud, *Da pater hoc noſtris aboleri dedecus armis*. Idem.

Tros, Italuſve.] In Romano codice legere eſt *Tros Italuſque*. Et eodem modo etiam ſuperius, ſed *ve* disjunctiva melius. Illud quoque animadvertendum, quod vulgata quædam exemplaria *hanc quicunque* legunt. Antiqua *hac* habent, ſcilicet ſagitta. In aliquot aliis *ac* particula conjunctiva, ut ſit mandati ſumma: hæc arma cape, ſagittam deprome: *Ac quicunque ſacrum violarit volnere corpus, Det ſanguine pœnas*. Pier.

Pariter.] Similiter, uno modo. *Servius*.

593. *Miſerandæ corpus.*] Hæc œconomia, præjudicia nominantur, quotiens negotii futuri exitus tollitur. vult enim nos de Camillæ cadavere nihil ulterius expectare, ſicut fecit in primo, *Tu faciem illius noctem non amplius unam Falle dolo*. Quod præmiſſum, ſuſtulit commemorationem quando vel Cupido receſſerat, vel Aſcanius ſit reverſus. *Idem*.

Poſt ego nube cava.] Unice inſtitit loco Calab. lib. 4. ubi de ſepultura Glauci,

— τὸν δ' αὐτὸς Ἀπόλλων
Ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο μάλ' ἐσσυμένως ἀναείρας
Δῶκε θοοῖς ἀνέμοισιν φέρειν Λυκίης σχεδὸν αἴης.
Οἱ δέ μιν αἶψ' ἀπένειμαν. —

Ita videlicet putabantur Dii honeſtare funera illorum, quos amabant. Simili poëſi honeſtatur apud eundem funus Memnonis, ait enim lib. 2.

— θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἄηται
Μητρὸς ἐφημοσύνῃσι, βίῃ φορέοντο κελεύθῳ
Ἐς πεδίον Πριάμοιο, καὶ ἀμφεχέοντο θανόντι,
Οἳ καὶ ἀνηρείψαντο θοῶς Ἠώιον υἷα,
Καί ἑ φέρον πολιοῖο δι' ἠέρος. —

Sic ergo vult Diana, cadaver Camillæ latens in nube aſportandum in ſepulcrum patrium miniſterio ventorum; hoc enim intelligendum. *Cerda*.

Arma inſpoliata.] Aut indetractæ, aut ipſius inſpoliatæ Camillæ. *Servius*.

594. *Patriæque reponam.*] Hoc eſt in patriam. *Idem*.

Patriaque reponam.] Ducta hæc ſunt ab Homer. 16. Iliad. ubi decernitur ab Junone, ut Sarpedon poſt cædem deferatur in patriam terram Lyciæ,

Ἔνθά ἑ ταρχύσουσι κασίγνητοί τε, ἔταί τε,
Τύμβῳ τε, καὶ στήλῃ τε, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Cerda.

596. Nigro

Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruscique duces, equitumque exercitus omnis;
Conpositi numero in turmas. fremit æquore toto
Insultans sonipes, & pressis pugnat habenis
Huc obversus & huc: tum late ferreus hastis

Hor-

596. *Nigro circumdata turbine corpus.*] Hoc ideo quoniam ad mœrorem luctumque descendit. Contra in octavo, ubi ad lætitiam descendit Venus, claro eam nimbo circundatam dicit: ut, *At Venus ætherios inter dea candida nimbos.* Servius.

Circumdata turbine corpus.] Ita Deæ solent, ne videantur à mortalibus. Hom. 18. Iliad. de Iride,

Ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέφος ἔστεφε δῖα θεάων.

De Diis Calab. lib. 12.

— ἀνέμων δ' ἐπιβάντες ἀέλλας
Οὐρανόθεν φορέοντ' ἐπὶ χθόνα. —

Homerus dat Jovi (referente hoc ab Homero ipso Dione Chrys. Orat. 12.) τινὰ νέφους περὶ τῇ κεφαλῇ στέφανον. *Cerda.*

597. *At manus interea.*] In tota hac descriptione historicum characterem poëtico miscet. *Servius.*

598. *Hetruscique duces.*] Hetruria dicta est, quod ejus fines tendebantur usque ad primam ripam Tyberis. Quasi ἑτερόρια. Nam ἕτερος est *alter*, & ὅρος *finis* vocatur. Roma enim antea unam tantum Tyberis ripam tenebat. Juvenalis, *Quæ imperii fines Tyberinum virgo natavit.* Quidam sane *Etruri* legunt ab *Etrurus* * trans Tyberim enim *Etruriam* dicebant, homines *Etruros*, quos nunc *Etruscos*. Idem.

599. *Compositi numero.*] Id est, æquati numero honorabiliter: unde & *sæpenumero* dicimus, id est, frequenter & rationabiliter. hinc est, *Tum vero in numerum*, id est, in rationem & rhythmum. unde & metra numeros dicimus: ut, *Numeros memini, si verba tenerem.* Sane modo generalis est descriptio equestris certaminis: paulo post descendit ad specialem, sicut fecit in quinto & de cursoribus & de navali certamine. *Idem.*

Fremit.] Proprie: nam & Græci equum φρυαγματίαν vocant. & fremitus equi est ἀπὸ τοῦ φριμάσσειν, vel φρυάττεσθαι. Itaque Stat. qui l. 6. dixit, *fremitum accepêre leonis*, & alii, qui dant ventis, mari, litoribus, adhuc & ipsis hominibus in assensu, & dissensu, hi omnes ab equo accipiunt. Dixit Virgil. unico verbo *fremo*, quod versu integro Silius lib. 1.

Martius hinc sonipes campos hinnitibus implet,

quod duobus Nonnus lib. 22.

Ἵπποι χαλκοχίτωνες ἐπεσμαράγησαν Ἐνυῶ
Ἄρεα σαλπίζοντες ἐνυαλίῳ χρεμετισμῷ. *Cerda.*

600. *Insultans sonipes.*] Ita in Georgic. *insultare solo.* Dio Chrysost. Orator. 12. describit equos præ ardore, & bellandi cupiditate solo ungulis insultantes, & omnis moræ impatientes, οὐκ ἀνεχομένους τὸν χρόνον, ὑπὸ αὐτουδῆς δὲ, καὶ προθυμίας κόπτοντες τὸ ἔδαφος ταῖς ὁπλαῖς. *Idem.*

Pressis.] Cum habenis premeretur: *Pugnat* autem pro repugnat. *Servius.*

601. *Huc obversus & huc.*] Mire exprimit quæ dixerat 3. Georg. *sitque laboranti similis.* Nam hic ego laborantem agnosco equum. Ennodius Paneg. *Sonipes lituorum desideriis inquietus.* Cerda.

Ferreus hastis.] Quæritur quid sit *ferreus*, utrum ferreus ager horret hastis, an ferreus hastis ager horret. *Horret* autem terribilis est, & est versus Ennianus

Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Nec non Messapus contra, celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillæ,
Adversi campo apparent: hastasque reductis
Protendunt longe dextris, & spicula vibrant:
Adventusque virûm fremitusque ardescit equorum.
Jam-

nianus vituperatus à Lucilio dicente per irrisionem eum debuisse dicere *Horret & alget.* Unde Horatius de Lucilio, *Non ridet* (dicens) *versus Ennii gravitate minores.* Servius.

602. *Horret ager.*] Ducit Macrob. lib. 6. cap. 4. imitationem ab Ennio, qui 14. Annal. *Horrescit telis exercitus.* & in Erechtheo, *horrescunt tela.* aut ab Hom. qui 13. Iliad.
Ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσι.
Paria Urs. & Scal. Sed locum hunc ditavi satis alibi. *Cerda.*

Campique armis ardent.] Id est, resplendent. *Servius.*

603. *Celeresque Latini.*] Adludit ad militiam Romanam: namque & equites habuit Romulus, ut illo diximus loco, *Tercentum scutati omnes Volscente magistro.* quos *celeres* appellavit, vel à celeritate; vel à duce Celere, qui dicitur Remum occidisse, in cujus gratiæ vicem à Romulo fieri tribunus equitum meruit. Alii hos *celeres* ideo appellatos dicunt, quod explorationes obirent, & quæ usus exigeret velocius facerent: Alii à Græco dictum putant quod est *κέλης.* *Idem.*

604. *Ala Camillæ.*] Equitatus. *Alæ* autem dicuntur equites, quod alarum vice pedestrem exercitum tegunt. *Serv.*

Ala Camillæ.] Docte & signate *ala.* Nam hæc vox sociorum est, & auxiliorum. Romana legio alas non habuit, sed quoties hæc vox in Livio, & aliis occurrit, capienda est de auxiliis. Itaque *alarii equites* sunt auxiliarii equites. Docte ergo *ala Camillæ*; nam hæc virgo in auxilio Turni. Quæ dixi multa probant. Livius lib. 40. *Alarii equites postquam Romanorum equitum tam memorabile facinus videre.* Sed cesso ab re, quam jam Lips. & Godescal. late, ille in Polyb. hic in Veget. Tantum indico, firmari hanc doctrinam posse ex Inscriptionibus, quas plurimas Smetius, & Gruterus suppetunt, in quibus sæpe videas *alam Britannicam*, *Pannoniorum*, *Indianam*, *Phrygum.* Alias etiam, in quibus diserte, *ala auxiliorum*, *ala auxiliariorum.* Cerda.

605. *Hastasque reductis.*] Ante oculos posita descriptio. *Servius.*

Hastasque reductis Protendunt longe dextris.] Antiqua pleraque exemplaria *prætendunt* legunt. qui quidem gestus insertandi hastam in cataphracto milite, cuspide ad feriendum prætensa. Sed enim quia de jaculatione loquitur, melius est *protendunt:* quia in jaculatione manus reducitur, protensa hastæ longe majori parte: ne si capias à medio cuspidem versus, manus difracto aere ictum faciat elanguescere, impulsumque moretur. Eadem elocutione dictum ab Ovidio, *Protentaque forti Tela tenent dextra lato vibrantia ferro.* Donatus vero hic duo agnoscit: & quod hastas gestarent, dexteris retrorsum adductis, & quod spicula vibrarent. Pergebant, inquit, paratis hastis & dextris, ut hostes petere viderentur, Ibant vibrantes spicula, ita crebro motu, ut ea jam crederentur esse missuri. *Pierius.*

Hastasque r. Protendunt.] Habitum ostendit hominis in procinctu hastam tenentis, & manu retrorsum ducta eam librantis parantisque mittere. Turneb. l. 14. 13. *Taubm.*

606. *Spicula vibrant.*] Vide 10. Æn. ℣s. 484. *Idem.*

607. *Fremitusque ardescit equorum.*]
Allu-

Jamque intra jactum teli progressus uterque
Substiterat: subito erumpunt clamore, frementisque
Exhortantur equos: fundunt simul undique tela
Crebra nivis ritu, cælumque obtexitur umbra.
Continuo adversis Tyrrhenus & acer Aconteus

Conixi

Allusum ad equum illum, quem θερμὸν Græci dicunt, & Virg. in Georg. *calidum animis.* Sed & in genere *ardeo* poni in re belli, quis ignorat? Polyb. lib. 3. ἐξεκαύσαν πόλεμον & millena. *Cerda.*

608. *Intra jactum teli.*] Unde possit hasta emissa in hostem venire. hinc traxit Statius, *Quale quater spatium jaculo ter arundine vincas.* Et Enniana est ista omnis tam brevis descriptio. *Servius.*

Intra jactum teli.] Ἔσω βέλευς. Æn. 10. ỽſ. 772. *Taubm.*

609. *Subito.*] Adverbium est, an *Subito clamore*, & est versus hypermetros. *Servius.*

Exhortantur equos.] Tale illud Propert. Eleg. 14. lib. 3.

Hortari patrios per juga longa canes.

Id est, clamando hortari canes, ut Virg. *clamore exhortantur equos.* & Ovidius,

Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Id est, si clamore horteris. Hoc enim unicum discrimen in feris inter *hortor* & *moneo*, ut *hortor* fiat clamore, sed *moneo* stimulo. *Cerda.*

Fundunt, &c.] Cal. lib. 11.

Πάντη αἰγανέαι τε, καὶ ἔγχεα καὶ βέλε' ἀνδρῶν,
Ἄλλοθις ἄλλα χέοντο· ——

In omnem partem jacula, hastæ & virorum tela
Alia alio fundebantur.

Uterque ab aquis transfert. Sed persistit Virg. in metaphora, quod non Calaber. *Idem.*

611. *Nivis ritu.*] Hom. 13. Iliad. de saxorum imbre, νιφάδες δ' ὡς πίπτον ἔραζε. & Iliad. 12. ὥστε νιφάδες χιόνος πίπτουσι θαμειαί. sic (inquit) λίθοι ποτῶντο, Adi locum hunc Homeri. Calab. lib. 11. νιφάδεσσι δ' ἐοικότα πίπτε βέλεμνα. Eadem comparatione usus est Dionys. l. 9. Antiquit. Ammian. l. 20. *Sagittarum nimbi crebrius volitantes.* Pacuvius in Paulo,

Sagittis, plumbo, & saxis, grandinat, nivit.

To *ritu* Corippus arripuit lib. 3. *Funduntur lacrymæ ritu nivis.* & Ammian. lib. 14. *Ritu grandinis undique convolantibus telis.* Mutavit Ovid. in epist.

More nivis lacrymæ Sole madentis eunt.

A quo & Corippus lib. 4. *More nivis sparsurus erat.* Seneca epist. 64. *Ritu Deorum.* To, *crebra tela*, dixit Plut. in vita Marii, πολλοῖς βέλεσι φερομένοις. *Idem.*

Nivis ritu.] Confert hæc cum Homericis, & præfert Scal. l. 3, 5. Deque hyperbolica hac similitudine videatur Quintil. l. 8, 6. *Taubm.*

Cælumque obtexitur umbra.] Ita 12. Æn. ỽſ. 578.

—— *& obumbrant æthera telis.*

Alludit ad dictum Laconis, cui nomen Deineces, qui hosti dicenti, Solem præ multitudine telorum visum non iri, respondit: In umbra igitur pugnabimus. Historiam Herodotus lib. 5. Cic. 1. Tuscul quem tamen in ordinem cogit Petr. Victorius, l. 7, 9. Meminit & Turneb. l. 14, 13. ita Tacitus l. 3. Histor. *Tantum fœdarum avium supervolitavit, ut nube atra diem obtunderent.* Idem.

612. *Continuo adversis.*] Hic specialis pugna est. *Servius.*

Continuo adversis, &c.] In Romano codice, & aliquot aliis antiquis *adversi* legitur: neque obstat quod *connixi hastis* subsequatur. quod isti absurdum putaverunt. Hoc vero videtur agnovisse Donatus, dum ait, Conti-

nuo

Conixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. excussus Aconteus,
Fulminis in morem aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longe; & vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatæ acies, versique Latini
Rejiciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt.
Troës agunt: princeps turmas inducit Asylas,

Jam-

nuo adversi cum singulis ex diversis partibus eruperant hastis: quanvis idem dicat, si *adversis hastis* legamus. *Pierius.*

Tyrrhenus.] Videtur esse hic ille Orphitus, de quo fit postea mentio in hoc libro, quem Camilla interficit, cum hac insultatione,

Silvis te Tyrrhene feras agitare putasti?
Ubi, si legas quæ præcedunt, Orphitum esse intelliges. *Cerda.*

614. *Præfractaque pectora pectoribus rumpunt.*] Rumpunt, præfractaque faciunt. *Servius.*

Præfractaque quadrupedantum, &c.] In Romano codice, in Mediceo, & quibusdam aliis pervetustis *perfracta* legitur. Ex quo impetus equorum vehementissimus ostenditur. Quod vero ita *pectora pectoribus ruperint*, adversos eos incurrisse demonstrat. Est & *quadrupedantum* secunda syllaba per *i* tertiam vocalem, de qua plura alibi. *Pierius.*

Præfractaque quadrupedantum, &c.] Similis ferme successus est apud Dionys. lib. 5. Antiquit. ubi narratur congressus Aruntis unius e Superbi liberis, & Bruti primi Consulis. Verba interpretis: *Illorum equi concurrentes, adversis pectoribus contrarii, delati impetu in posteriores pedes erecti sunt, & sessores suas retorto collo excusserunt: Illi igitur ita prolapsi jacebant, multum sanguinem per vulnera effundentes, & luctantes efflabant animas.* Vide & Liv. lib. 2. *Cerda.*

616. *Præcipitat.*] Pro *præcipitatur.* *Servius.*

Et vitam dispergit in auras.] Cal. l. 1. ψυχὴ δ' ἐμίχθη πολυδινέϊ ἀέρι. Idem lib. 11. στονόεις δέ οἱ ἠέρι θυμὸς ἀνεμίχθη. Nonn. etiam lib. 22.

Ψυχὴ δ' ἠνεμόφοιτος ἀναΐξασα θανόντος.

Ammian. lib. 19. *animis in ventum solutis.* Virgil. tamen quiddam peculiare notat, ut Aconteus ante ruinam spiraverit ad eum modum, quo de columba in 5. *vitamque reliquit in astris.* Et spatio in illo spiravit, nam *præcipitat longe.* Tale & illud Auson. in Mosella, *vitam consumit in auris.* Cerda.

619. *Rejiciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt.*] *Rejiciunt*, retro agunt, vel retrorsum ferunt, ut cedentium terga munita sint, ut ipse 11. Æn. *Bis rejecti armis respectant terga tegentes.* Sane nunc fugiunt, non timore, sed lege præliandi. Sallustius: *More equestris prælii sumptis tergis ac redditis.* *Parma* autem est equestre scutum. *Servius.*

Rejiciunt parmas.] Rob. Titius putavit, hoc genus pugnæ, quod fit, *sumptis ac redditis tergis*, esse, quod Polybius dixit, μάχεσθαι ἐκ τῆς ἀναστροφῆς, καὶ μεταβολῆς. Sed non esse accuratissime docuit eruditissimus Yvo Villiomarus l. 8. cap. 3. quæ omnino legas. *Taubm.*

620. *Turmas invasit Asylas.*] Antiqua omnia quæ versamus exemplaria *inducit* legunt, quod à verbo *invasit*, forma diversissimum est. Donatus quoque *inducit* agnoscit. Ait enim: Primus Asylas induxit turmas in medios: quis enim metueret fugientes? Est & inducere in hostem sæpius apud Historicos. *Pierius.*

Princeps inducit Asylas.] Id est, pri-

mus,

Jamque propinquabant portis, rursusque Latini
Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam
Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam:

Nunc

mus. Ovid. lib. 1. Fast. ℣. 160.

Et comitum princeps tu mihi, dixit, eris.

& ℣. 714. —— *matri*

Qui dederit princeps oscula victor erit.

Statius lib. 12. Theb. ℣.

Cujus in Ogygio princeps stet lancea muro.

Emmeness.

622. *Mollia.*] Domita scilicet, domitorum equorum. *Servius.*

Mollia colla.] Latini reflectunt *colla mollia*, scilicet equorum, qui domiti, ac proinde molles ad omnem flexum. Ita locutus Catul. *mollescunt colla juvencis.* & Noster 3. Georg. *molli collo*, pro, domito, eo versu,

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

Cerda.

623. *Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.*] Nostrum imitatus Silius Italicus lib. 4.

Nunc Itali in tergum versis referuntur habenis,
Nunc rursus Tyrias retro pavor addidit alas. & statim:
Hac pontum vice (ubi exercet discordia ventos)
Fert Boreas, Eurusque refert, molemque profundi
Nunc huc alterno, nunc illuc flamine gestant. Emmeness.

624. *Qualis ubi alterno, &c.*] Illustrissima conparatio. Stat. lib. 11. multas confercit, & extremo loco Virgilianam:

Ceu redeunt nubes, seu circumstantibus austris
Alternis procumbit ager, cen gurgite cano.
Nunc retegit bibulam, nunc obruit æstus arenas.

Sed & comparatio Cal. lib. etiam 11. huc aptanda est,

—— οἱ δ' ἀπέντες
Χάζοντ', ἠΰτε κύματ' ἐκ Βορέαο θυέλλης
Πολλ' ἐπιφλάζοντα κυλίνδεται αἰγιαλοῖσιν,
Ὀρνύμεν' ἐν πόντοιο, τὰ δ' ἔκποθεν ἄλλος ἀήτης
Ἀντίος αἴξας, μεγάλῃ περὶ λαίλαπι θύων
Ὦσῃ ἀπ' ἠϊόνων Βορέου ἔτι βαιὸν ἀέντος.

—— *hi autem obversis tergis*
Recesserunt, ut fluctus à Boreæ procella
Cum magno æstu advolvuntur littoribus,
Concitati è mari, hos autem alius undecunque ventus
Adversum ruens, & grassans magno turbine,
Aquilone parum spirante, à litore depellit. Cerda.

Qualis ubi alterno.] i. e. reciproco æstu. Et forte alludit ad Euripum. Notat autem Scalig. lib. 5. cap. 3. hæc divina esse: & æstus marini tam exactam descriptionem ita farcire oculos, ut in hisce versibus plus videatur illius motus quam ipso in mari. Vide ibid. plura. *Taubmannus.*

625. *Ruit ad terras.*] In codicibus aliquot antiquis *ruit ad terram* singulari numero legitur. *Pierius.*

Superjacit undam.] Super scopulos undam jacit. nam more suo dedit detractam verbo nominis præpositionem. *Servius.*

626. *Extremamque.*] Quantum ad mare pertinet, nam terræ prima est. *Extremum* autem ad illud pertinet, quod ait supra, *Penitusque datis referuntur habenis.* Idem.

Sinu.]

Nunc rapidus retro, atque æstu revoluta resorbens
Saxa fugit, litusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egere ad mœnia versos:
Bis rejecti armis respectant terga tegentes.
Tertia sed postquam congressi in prœlia totasque
Inplicuere inter se acies, legitque virum vir;
Tum

Sinu.] Curvatione & flexu undarum. *Idem.*

617. *Æstu revoluta resorbens.*] *Æstus* proprie est maris incerta commotio. *Idem.*

Resorbens.] Hoc verbum est ad rem eandem in Hor. Plin. lib. 2. c. 97. Lucretius,

Præterea magna ex parte mare montis ad ejus
Radices frangit fluctus æstuque resorbet.

Supra 2. Georg.

—— qua vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis rursumque in se ipsa residant

Nam Sen. lib. de Prov. c. 1. *nudari littora pelago in se recedente.* qui opponit, *eademque intra exiguum tempus operiri,* Auson. in Mosell.

Cum virides algas & rubra corallia nudat
Æstus. ——

Cui recessui idem opponit hos versus,

—— diffunditur alveo
Æstus, & extremi procurrunt margine fluctus.

Iosephus lib. 1. Bel. Iud. c. 16. huic ἐγείρεσθαι κῦμα πρὸς ταῖς πέτραις opponit τὴν ἀποστροφὴν τοῦ κύματος. Max. Tyr. dissert. 34. opponit νάματα προσιόντα, καὶ ἀπιόντα, Arist. Ægyptiaca etiam loquens de aquis opposuit αὔξη, καὶ φθίσει. & statim loquens de Nilo, ἀνάβασιν καὶ ἀπόρροιαν. & iterum verba hæc, ὑψωθῇ, & λήγει. Præterea Seneca 1. de Ben. c. 10. *Quos æstus accedens longius extulit, recedens interiore litterum vestigio tenuit.* & lib. 7. c. 10. *Licet nescias, quæ ratio Oceanum effundat, ac revocet.* & lib. de Provid. c. 1. *modo contrahi undas, & introrsum agi: modo erumpere, & magno cursu repetere sedem suam.* Cerda.

628. *Vado labente.*] Hypallage, pro labens ipse per vadum littus reliquit. *Servius.*

629. *Bis Tusci, &c.*] Hi duo versus explicandi, & illustrandi, ut jam supra. Hic adjungo locum Cal. lib. 11. non abeuntem, etiamsi non de fuga:

Καὶ ῥ' ὅτε μὲν Δαναοὶ Τρώων ἀνέεργον ὅμιλον,
Ἄλλοτε δ' αὖ Τρῶες Δαναῶν στίχας——

Sunt, qui putent his versibus indicari à Poëta *serram militarem.* quia Festus de ea loquens: *Serra præliari dicitur, cum assidue acceditur, receditúrque neque ullo consistitur tempore.* Vide & de serra A. Gell. lib. 10. cap. 9. Sed immane falluntur, nihil enim serra habet commune cum Virgilii loco. Aptarem tamen huic rei locum Plat. in Lachet. ubi ita scribit: καὶ Ὅμηρος που ἐπαινῶν τοὺς τῶν Αἰνείου ἵππους κραιπνὰ μάλ' ἔνθα, καὶ ἔνθα, ἔφη, αὐτοὺς ἐπίστασθαι διώκειν, ἠδὲ φέβεσθαι. καὶ αὐτὸν τὸν Αἰνείαν ἐνεκωμίασε κατὰ τὴν φόβου ἐπιστήμην, καὶ εἶπεν αὐτὸν εἶναι μήστωρα φόβοιο. & Thucydidem, qui lib. 2. loquens de Bello Platæensium, & Thebanorum, hanc formam belli repræsentat, καὶ δὶς μὲν, καὶ τρὶς ἀπεκρούσαντο: *bis terve repulsi.* Cerda.

630. *Terga tegentes.*] Cum hoc alludit etymon clypei: sunt enim, qui ἀπὸ τοῦ κλέπτειν, id est, *ab occultando.* Sidon. 5. Carm. *Lævam parma tegit.* Alii aliunde ducunt. Vide Plin. *Idem.*

632. *Legitque virum vir.*] Non Marcellus, *legit* hoc loco pro *accessit* positum ait. Ut in 11. Georgicon: *Primi lege litoris oram.* Donatus pro *delegit* mavult. Ait enim: Unusquisque vir virum

sibi,

Tum vero & gemitus morientum, & sanguine in alto
Armaque, corporaque, & permixti cæde virorum
Semanimes volvuntur equi: pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit.

Quo

sibi, cum quo certaret, facta prius exploratione, deligebat. Quales petamus electos, nisi eos, qui possunt facile superari? Nullus enim deligit à quo possit occidi. *Pierius.*

Legitque virum vir.] Turnebus l. 25.7. Victor. lib. 18.c. 19. Germanus & fere omnes asserunt allusum à Poëta ad morem, cujus sæpe Liv. meminit, & aliquando Tacit. & scriptores alii: quo more dabatur interdum potestas militibus legendi quem vellent, cujusque virtuti plurimum fiderent, ut ab illo latus suum tegeretur, & ita fiebat, ut omnes lecti essent. Verum tametsi morem illum fateamur, & ipsa verborum forma ad ipsum alludat, alia tamen est mens Poëtæ. Sæpe in acie contingit, ut quisque hostis sibi alium destinet, contra quem rem gerat. An post implicitas acies (nam hoc præcessit) quisque sibi virum legeret ad lateris sui custodiam? nugæ. Nullum enim tunc otium huic lectioni. Quid ergo ait? Plane quod in 10. *seque viro vir Contulit*, & quod Val. Flacc. lib. 6. Arg.

Ille, ubi consertis junxere frequentia telis
Agmina, virque virum galeis adflavit adactis.

Et quod Cal. lib. 12. ἄλλοι σύμπεσον ἀλλήλοισι, Quod Hom. Iliad. 13. ἀνὴρ δ᾽ ἄνδρ᾽ ἐδνοπάλιζεν. Quod Polyb. l. 3. ἀγωνίζεσθαι κατ᾽ ἄνδρα. & clarius idem in eodem lib. in Cannensi pugna ait, non pugnatum inter Romanos & Pœnos κατὰ νόμους, ἀλλ εἰς ἅπαξ συμπεσόντες ἐμάχοντο συμπλεκόμενοι κατ᾽ ἄνδρα. Sic & Plut. in vita Æmilii ait pugnatum καθ᾽ ἕνα. Et in vita Q. Flamminii ait, κατ᾽ ἄνδρα συμπλέκεσθαι. & Eurip. in Supplicib.

Γοργόνα θ᾽ ἱππεῖς ἦσαν ἀνθωπλισμένοι.

Curtius lib. 3. post implicatas acies Darii, & Alexandri, *collato pede quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant.* Ovid. Eleg. 7. lib. 4. Pont. *admotaque dextera dextræ.* Pro explicatione nostra aperte est Donatus, qui ait, non lectum amicum, sed hostem, quem quisque superaret. Certe Donati verba neque inepta, neque imperita sunt, neque alicujus, qui Donatum corruperit. Adduco adhuc pro majore firmitudine Petrum Apollonium, qui lib. 2. Excid. Hierosl. ita Maronem imitatur,

—— tum demum viribus aucti
Hebræos Itali pellunt, rursusque Latinos
Insurgens Hebræus agit, nunc illa vicissim
Nunc hæc terra patet. ——

Est post pauca:

—— rabies ac postquam tertia junctos
Conseruit, legitque virum vir fervidus ira,

Cerda.

633. *Gemitus morientum.*] Aliqui *morientum*, genitivum corruptum pro integro accipiunt, facit enim *morientium*. Servius.

Et sanguine in alto.] Ἐμφατικῶς cædis ostenditur magnitudo. *Idem.*

634. *Armaque corporaque.*] Versus πολυσύνδετος, & bene belli faciem demonstravit, multa enumerando, quæ in alto sanguine velut natarent. *Idem.*

Armaque corporaq;.] Laudo Stat. qui magistri sui modulo lib. 10. Theb. *Tergaque pectoraque.* Est hoc optimum genus imitationis. *Cerda.*

636. *Quando ipsum horrebat adire.*] Parenthesis, & quæritur quid sit *horrebat.* Servius.

637. *Hastam intorsit equo.*] Figurate. nam *intorqueo in equum* dicimus: ut,

Quo sonipes ictu furit arduus, altaque jactat
Volneris inpatiens arrecto pectore crura.
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iolan,
Ingentemque animis, ingentem corpore & armis
Dejicit Herminium: nudo cui vertice fulva
Cæsaries, nudique humeri. nec volnera terrent.
Tantus in arma patet. latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore.
Fun-

ut, *in latus, inque feri curvam compagibus alvum Contorsit.* Idem.

Hastam interfit equo.] Par ferme successus, ad exitium lib. 10. de equo Mezentii. *Cerda.*

Sub aure reliquit.] Ex vulneris genere fugientem eum intelligimus esse percussum. *Servius.*

638. *Ictu furit arduus.*] In antiquis aliquot codicibus *ferit* legitur, sed imperfecta esset oratio, quare *furit* longe melius. Est & illud advertendum, quod ubi vulgata exemplaria legunt *altaque jactat crura*, Vetera quædam *acta* habent. *Pierius.*

640. *Volvitur ille excussus humi.*] Humi volvitur. nam *Excussus* per se plenum est. *Servius.*

642. *Dejicit Herminium.*] Nomen hoc de historia Romana est. nam cum Coclite contra Tuscos Lartius & Herminius steterunt & pugnaverunt eo tempore, quo pons sublicius rumpebatur. unde & eum plurimum laudat, ac si diceret, Talis hic est, qualis ille fuit. *Idem.*

Herminium.] Servius ad alterum è sociis Coclitis refert, qui Porsenæ copiis in ponte sublicio restitit, apud Livium: Alii, in quibus est & *Ph. Melanchthon* (nec improbat *Reinerius Reineccius* Historicus, & nobis amicus, in Hist. Julia, tomo 3. pag.417.) ad Herminium, sive Saxonum, sive Cheruscorum ducem referunt, qui ad Luppiam amnem non procul à *Padelborn* Quintilium Varum cum tribus Rom. legionibus ad internecionem delevit: anno Christi XI. Hanc enim prosopographiam hominis esse Germani: & *Herminium (heerman*, sive *Ehrman)* Romæ nuper obsidem, clarum fuisse, & Virgilio etiam familiarem. *Taubm.*

643. *Nudique humeri.*] Ita veteres Germani pugnabant. Et Gallos etiam nudos pugnasse, Polybius auctor est: ut notat Turneb. l.14,3. *Idem.*

644. *Tantus in arma patet.*] Id est, Tantum patebat in vulnere, id est in hostilia tela totus patebat. Alii *in arma*, pro armis vel scutis tradunt. *Servius.*

Per armos.] Abusive. nam proprie *armi* quadrupedum sunt. *Idem.*

Latos huic hasta per armos, &c.] Ita Statius lib. 7. Theb. ✝f.633.

—— *sic fessa manus venit hasta per armos*
Tydeos. ——

Licet ibi dicatur de equo. Potest enim hæc vox, si etymon spectes (ut Vossius in Etym.) esse generalis, & etiam dici de homine; quod & Lactantius ad d.l. Statii, advocato in testimonium hoc Virgilii loco, probat: Est enim *armus* ab ἁρμὸς, id est, *compages, commissura.* Vid. Vossium in Etymolog. *Emmeness.*

645. *Duplicatque viri transfixa dolorem.*] Romanus codex, Mediceus, & aliquot alii perveteres legunt *duplicatque virum transfixa dolore*, hoc est duplici virum dolore cumulat. Qua forma dixit Ovidius: *Duplicataque vulnere cæco est.* Sunt, qui non inepte reposuere *duplicatque virum transfixa dolorem*, ut sit, transfixa virum duplicat dolorem, pulchro & figurato elocutionis modo.

Funditur ater ubique cruor: dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem,
At medias inter cædes exsultat Amazon,
Unum exserta latus pugnæ, pharetrata Camilla:
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset:
Nunc

Quam tamen secundo loco retulimus lectionem: in pluribus invenies exemplaribus. *Pierius.*

Duplicatque virum transf. dolore.] Ita Turnebus l. 23. 14. quod probissimum. cum etiam auctoritas veterum Codd. teste Pierio, accedat. In magno enim dolore nos duplicari & curvari constat. Iliad. β. ἰδνώθη δ' ἐπεσών. Et de Thersite, πλῆξεν, ὁδ' ἰδνώθη. ita Propert. l. 4, 7.

— *quis nostro curvum te funere vidit?*

Taubmannus.

646. *Dant funera ferro.*] In Mediceo, *vulnera*, cum decora, quæ sequitur, repetitione, *pulchramque petunt per vulnera mortem.* Quod si *funera* legas dari, repetitio erit sententiæ, quæ non ita decora videatur. Est vero illud etiam: quod in aliis, *at medias inter cædes:* in eodem Mediceo, *at medias inter acies* legitur. Sed omnino plus est dicere, *inter cædes.* Pierius.

647. *Pulchramque petunt per vulnera mortem.*] Nam semper hæc mors habita honestissima. Supra lib. 9. *Pulchram properet per vulnera mortem.* Liban. Declam. 15. τοὺς ἐν τῇ μάχῃ καλῶς ἀποθανόντας. Domitian. dux in orat. ad milites apud Simoc. lib. 5. Hist. c. 4. οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἐνυαλίου θανάτου γλυκύτερον. De his, qui in bello ceciderant Curt. lib. 3. *egregia morte defuncti.* & eod. lib. *Et, sicut dubium esse, an vinceret, ita illud utique certum esse, honeste, & magna laude moriturum.* Sulpitius lib. 2. sac. Hist. loquens de Esther: *& si certa pestis adesset, pulchro in negotio occumbere parat.* Cerda.

648. *Exultat Amazon.*] Suspendendum, *exultat Amazon*, intelligas quasi Amazon. nam Camilla Volsca fuerat. sic in primo, *Dederatque comam diffundere ventis Venatrix*, id est quasi venatrix. *Servius.*

Exultat Amazon.] *Amazonum* picturas vide apud Scalig. l. 5. c. 3. *Amazon* autem, quasi ἄνευ μαζοῦ. unde Titianus *unimammas* vocat, &c. *Taubm.*

649. *Unum exserta latus.*] Vid. N. l. 1. Æn. ỳ. 492. *Taubm.*

Pharetrata.] Participium à fœminino genere derivatum. *Unum* autem *exserta latus*, pro exsertum latus habens. *Servius.*

650. *Et nunc lenta manu.*] Cum det Camillæ triplex armorum genus, hastam, securim, arcum cum sagittis, omnino hæsit loco Cal. lib. 1. ubi Penthesileæ dat ἐξωὶ ἀκοντα *acutam hastam.* armatque illam βουπλῆγι βαθυστόμῳ, *securi, cui os latum.* Demum dat illi ἰοδόκον, καὶ τόξον ἀμείλιχον, *pharetram, & arcum immitem.* Rectius tamen multo Virgilius arcum appendit Camillæ humero, quam Calaber, qui equo. *Cerda.*

Spargens hastilia.] Verbum jam dicatum militiæ. Stat. 2. Theb. *saxa manu spargere.* Val. 6. Arg. *densa spargens hastilia dextra.* Enn. in Scipione,

Sparsis hastis longis campus splendet, & horret. Idem.

Denset.] Id est, dense, sparse jacit. Sane densentur plures res in unum, ut, *Vos unanimes densete catervas*, & declinatur, *denseo, denses, denset.* Servius.

Hastilia densat.] In aliquot antiquis codicibus, *denset* secundæ conjugationis habetur. sed utrunque agnoscunt Grammatici. *Pierius.*

Et nunc lenta manu, &c.] Donatus legit, *læta:* propter illud *exultat.* Ita Serv. & Prisc. leg. *denset*, non *densat.* Et horum sententiam probat Fabric. illius in medio relinquit. Ac si Poeta *lenta hastilia*, & *validam bipennem* posuerit,

Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus; & arma Dianæ.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circum lectæ comites, Larinaque virgo,
Tullaque, & æratam quatiens Tarpeia securem,
Italides; quas ipsa decus sibi dia Camilla

Dele-

fuerit, ad peritiam & laudem Camillæ, quæ omni telorum genere apte & militariter uteretur. Certe *denset* in secundo Ordine & Gifanius unice propugnat. Vide Not. 7. Æn. ✠ſ. 794. & 10. Æn. ✠ſ. 432.

—— *addensent acies.*

& 12.

—— *densete catervas.*

Taubmannus.

Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.] In antiquo codice manu scripto legere est *nunc validam rapit in dextram non fessa bipennem*. Sed quum *indefessa* agnoscat Servius, vulgata illi lectio potior. *Pierius.*

651. *Indefessa.*] Infatigabilis. Et omnia ei Amazonum arma tradit, quas Titianus unimammas vocat. nam hoc est Amazon quasi ἄνευ μαζοῦ, sine mamma. *bipennis* autem dicitur, quod ex utraque parte habeat aciem, quasi duas pinnas quas veteres dicebant. *Servius.*

Rapit indefessa bipennem.] Refert Plin. lib. 7. cap. 56. *securim* fuisse inventam à *Penthesilea* Amazonum regina. Hinc forte à Virgilio *Camillæ* hic datur *bipennis*, & ab Ovidio *Amazones* dicuntur *securigera*. Horatius quoque Carm. lib. 3. Od. 4. *securim* vocat *Amazoniam*. Ad quem locum refert Torrentius, Romæ in marmore quodam, cui Amazonum pugna esset insculpta, securim cerni veluti duplicem, uni manubrio immissam, quod Virgilii *bipennem* explicat. *Emmeness.*

652. *Aureus ex humero sonat arcus.*] In Romano codice legere est *ex humeris sonat*. Ut duobus ſſ continenter pronuntiatis, quodam veluti sibilo major sonitus excitetur, qualem Homerus ficto ex voce verbo mira expressit felicitate. ἔκλαγξαν δ᾽ ἄρ᾽ ὀϊστοὶ ἐπ᾽ ὤμων χωομένοιο. Sed advertendum apud Donatum scriptum esse *aureus ex humeris erat arcus & arma Diana*. Omnino enim paulo infra, *Aureus ex humeris sonat arcus & aurea vati Cassida*, Ubi de ornatu Clorei Sacerdotis loquitur, habebimus. *Pierius.*

653. *Illa etiam, quando, &c.*] Hæc ratio etiam in Cal. lib. 1. Gestabat (inquit) Penthesilea arcum & pharetram.

—— εἶπε ἄρ᾽ αὐτῇ
Χρυσὸν δ᾽ αἱματόεντα μόθον βελέων ἀλεγεινῶν,
Καὶ τόξοιο πέλοιτο ——

Cerda.

654. *Spicula fugientia.*] Pro ipsa fugiens. *Servius.*

Spicula fugientia.] Pro, ipsa fugiens. Et pinxit hic morem Parthorum, qui in aversum arcu converso sagittas mittunt: Turneb. l. 14, 13. *Taubm.*

655. *At circum lectæ comites.*] Subaudis *dimicant*: quod etiam sequens Amazonum indicat comparatio, quæ inducuntur circa reginam bella tractantes, ne culpetur poëta quod nullam earum pugnantem induxerit. *Servius.*

Larinaque virgo.] Nomina hæc nobilissimarum sunt Italiæ fœminarum, & *æratam* pro ferream, ut *Micat æreus ensis*. Idem.

657. *Italides.*] Ut Sicelides, Atlantides: anque faciarum ducem Amazonam dicit velut Amazonidas. * ut *Ducit Amazonidum*: & est pulchra derivatio non tantum vera: nam verum est

Delegit, pacisque bonas bellique ministras,
Quales Threicia cum flumina Thermodontis

Pul-

est Italiæ. *Italis* autem, unde est *Italides*, magis patronymicum est, quam derivativum; sicut Belis, & est Belides, & est Græcum. *Idem.*

Quas ipsa decus.] Et ad delectas, & ad ipsam potest referri. *Decus* autem si ad Camillam, nobilitas, pulchritudo; si ad delectas, ornamentum, id est, quas sibi elegit ornamentum, id est, ad ornamentum. *Idem.*

Dia Camilla.] Generosa: εὐγενής, nam Græcum est, cujus nominis etymologiam plerique volunt venire ἀπὸ τοῦ διός. quod si sic est, dicemus dissentire derivationem à principalitate. nam *dia*, *di* producit, cum *Διὸς* corripiat: sicut è contra, cum *Lux lu* producat, *Lucerna lu* corripit. *Idem.*

Dia Camilla.] In Romano codice *dura* legitur, ut illud, *Durum à stirpe genus.* Sed enim Servius admittit epitheton *dia:* quod in Mediceo, & aliquot aliis antiquis codicibus *diva* scriptum invenias. Quo super loco Donatus ait, *Tantum Camillæ ad Dianæ animum pertinebat, ut apud socias suas pro deâ haberetur.* Pierius.

Dia Camilla.] Pro *diva.* Horatius lib. 1. Sermon. Sat. 2. ỳs. 32.

—— *sententia dia Catonis.*

Persius Sat. 1. ỳs. 45.

—— *ecce inter pocula quærunt*
Romulidæ Saturi, quid dia poëmata narrent.

Ovid. lib. 2. Fast. ỳs. 598.

Quæque colunt thalamos, Ilia dia, tuos.

Et lib. 4. Metam. ỳs. 636.

Si tamen in dio quondam concreta profundo, &c.

Ad quæ loca vid. Nic. Heinsius. *Emm.*

658. *Pacisque bonas.*] Congruum paci epitheton dedit, ut eam bonam diceret, cum bellum è contra sit pessimum. nam sine dubio & belli sævi diceret, si ratione versus liceret: quidam bonum interdum pro grandi accipiunt. *Servius.*

Bellique ministras.] Nonnulli *ministras* modo ad bellum tantum referri volunt, ideoque conjunctionem incongrue positam, & ordinem esse, *decus pacis, & ministras belli.* Poterit & ita, quas sibi decus delegit ministras bonæ pacis & belli. *Idem.*

Pacisque bonas bellique ministras.] *Bonas* quidem in codicibus aliquot antiquis habetur. Sed enim cum Mediceo plures atque iidem probatiores *bona* legunt, idque Servius agnoscit. Donatiana tamen paraphrasis ad eam lectionem, quæ *bonas* habet accusativo casu, respicere videtur. Sic enim est: Denique cum iret ad bellum, has sibi esse comites voluit, quod essent ornamento in pace, & ministræ in certaminibus belli. Potest & sic intelligi, ut *bello & paci* ornamento esse viderentur: & sic in utroque obsequerentur: ut utrunque ornarent. & hoc esse arbitror melius. Ipsa enim est pura societas & vera religio, ut nullum tempus dissimiles faciat, quos fœdera suscepta conjunxerint. Pulchrum est enim servare societatem, & ejus commodum custodire. Nullam istarum dicit belli gessisse certamen; sed asseruit ministerio fuisse bellanti. Nec exponeretur Camilla de sociis, si impares essent in caussa certaminum: aut ipsa quæ laudabatur esset inferior, si exercitationes illæ præstarent: tamen ipsarum præsentia non vacua fuit, quum, ut dictum est ministerio juvabant, operaque bellantem. *Pierius.*

659. *Quales Threiciæ.*] Tanais fluvius est qui separat Asiam ab Europa, circa quem antea Amazones habitaverunt. unde postea ad Thermodonta fluvium Thraciæ transtulerunt. quod & Sallustius testatur, dicens, *Dein campi Threissi, quos habuere Amazones, ab Tanai flumine incertum quam ob caussam digressæ.* Has quidam dicunt stato die solitas Scinthiis coire. *Servius.*

Quales

660 Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis:

Seu

Quales Threiciæ, &c.] Vides his quinque versibus pulcherrimam Amazonum descriptionem. Subjicio Silianam lib. 2.

Quales Threicia Rhodopen, Pangæaque lustrant
Saxosis nemora alta jugis, cursuque fatigant
Hebrum innupta manus: spreti Ciconesque, Getæque,
Et Rhesi domus, & lunatis Bistones armis.

Et illam Claud. qui de iisdem, sed jam in pace,

Qualis Amazonidum peltis exultat ademptis
Nuda cohors: quoties Arcton populata virago
Hippolyte, niveas ducit post prælia turmas.
Seu flavos stravere Getas, seu forte rigentem
Thermodontiaca Thanain fregere securi,

Cerda.

Flumina.] Pro flumine, aut fluenta. *Servius.*

Thermodontis.] Plenum est *Thermodoon*, sed per Synæresim *Thermodon* facit. Unde *don* circunflexum habebit accentum. Græca enim nomina necesse est ut circumflectantur, quotiens fit Synæresis exigente metri necessitate. Ergo si sit *Thermodoon*, *do* acutum habebit accentum: quod si *Thermodon* fecerit, & in finalem transfertur, & mutatur accentus, nam fit circunflexus. *Idem.*

Thermodoontis.] Romanus quidem cōdex, & plerique alii veteres uno exemplo legunt *Thermodoontis* versu Adonio. Nam quæ super hoc nomine Grammatici de accentu loquuntur, in caussa fuere, ut *Thermodoontis* pentasyllabum, absque synæresi legi posse arbitrarentur; sed enim secunda syllaba (quod forte minus animadverterunt) ω μέγα est, Θερμωδῶν, quæ corripi non potest, nisi more Dorum id in ὀμικρὸν verterimus. communius vero est *Thermodontis* κατὰ κρᾶσιν dimetro spondaico proferre: quod quidem apud Ovidium aperte factum invenias, *Is tu fœmineæ Thermodon cognite turbæ.* Pontanus tamen *Thermodoontis* videtur accepisse, non uno loco, pari syllabarum numero, cum *Hippocoontis*, ut in libro de Poëticis numeris. In libro vero de Adspiratione, Latinos ait ultimum *o* resolvere, quia vox ea bene aliter locari non posset in versu Heroico. putavit ille quidem secundam nominis hujus syllabam esse brevem. *Pierius.*

Flumina Thermodontis pulsant.] Poësis mira. Non enim flumen pulsatur, sed ripa fluminis. Sic 2. Georg.

Namque alia nullis hominum cogentibus, ipsa
Sponte sua veniunt camposque & flumina late
Curva tenent. ——

Id est, ripas fluminum. Auson. in Mosella,

Sic mea flaventem pingunt vineta Garumnam.

Ita & Prop. Eleg. 14. lib. 1.

Tu licet abjectus Tyberina molliter unda.

Noto etiam dictum proprie à Poëta *flumina*, nullo tropo. Nam Apollon. l. 2. Argonaut. ait, huic fluvio esse ῥέεθρα τέλεχυς εἰς ἤπειρον. *Cerda.*

660. *Pulsant.*] Ennius, Ad musas, *Quæ pedibus pulsatis Olympum.* Servius.

Bellantur.] Pro *bellant.* nam solent verba pro verbis poni. Unde nunc passivam declinationem sub activa posuit significatione: sicut in Georgicis, *Et placidam paci nutritor olivam*: futurum tempus à passivo posuit, pro præsenti ab activo. Nam *nutritor* pro *nutri* posuit. Unde est è contra, *Nox humida cœlo Præcipitat.* Idem.

Bellantur.] Pro bellant, ut Pers. Sat. 3. *trutinantur verba.* Cerda.

Bellantur.] Ita quoque Silius Italicus lib. 2.

Et nudis bellantur equis.

Emmeness.

Seu circum Hippolyten, seu cum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu
Feminea exsultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Deji-

661. *Hippolyten.*] Hæc Amazonum fuit regina, cui victæ Hercules baltheum sustulit, hujus filia Antiopa quam Theseus rapuit, unde Hippolytus. *Serv.*

Hippolyten.] Fuit hæc Penthesileæ ἀδελφή, *soror*, ait Cal. lib. 1. ideo ex studio utramque Poëta conjungit. Modum cædis lege apud Cal. *Cerda.*

Martia.] Aut bellicosa, aut Martis filia, quæ ab Achille occisa ac mortua adamata est; ut nonnulli vero adserunt, cum Achille concubuit, & ex eo Caistrum filium edidit, ex quo flumen Lydiæ ita appellatur: refert autem, aut addita est præpositio, *re*, id est, fert; aut mutata pro infert. *Servius.*

Cum se Martia curru Penthesilea refert.] Sunt qui nomen *Panthesilea* per *a*, prima syllaba scribant: quum tamen codices tam Virgil. quam etiam aliorum auctorum una cum Græcis eam *e* vocalem secundam statuant, quare illud Librariis adscribendum. Quod vero Virgilius, *Penthesileam Martiam* appellarit, non ea tantum caussa est, ut bellatricem significet, quod alibi fecit, sed quod, ut ex Trogo Justinus tradit de Amazonibus, *Ne successibus deesset auctoritas, genitas se à Marte prædicabant.* Pierius.

Martia Penthesilea.] Datur huic à Cal. lib. 1. Ἄρηϊος θυμός, *animus Martius.* Cerda.

662. *Ululante tumultu.*] *Ululare* veteres etiam vocem quæ redditur initio prælii dicebant, quam Græci ὀλολυγὴν vocabant. *Servius.*

663. *Lunatis agmina peltis.*] Ita Stat. lib. 5. Theb. *lunatum agmen*: & Sen. Trag. *lunata pelta.* Error Hesychii & Suidæ pessimus est. Ait prior, πέλτη, εἶδος ὅπλου, δόρυ. *pelte, species armorum, hasta.* Posterior, πέλται, λόγχαι. *peltæ, hastæ.* Manavit error à vocum similitudine. Nam *palta* jacula sunt à *vibrando* dicta, ἀπὸ τοῦ πάλλειν. Xenophon libro primo παιδ. ubi describit venationem Persarum, dat illis παλτὰ δύο, ὥστε τὸ μὲν ἀφιέναι, τῷ δὲ, ἂν δέῃ, ἐκ χειρὸς χρῆσθαι. Suidas quoque ipse, παλτὰ, τὰ δόρατα. & ipse etiam Hesychius παλτὰ, ἀκόντια, λόγχαι. Igitur ab hac vocum similitudine, uterque aut deceptus, aut corruptus. Nam peltas ad jacula retulit nemo. Peltarum formas Plutarchus in Numa de re alia loquens, esse rotundas satis indicat, attribuens κύκλον & περιφέρειαν. Scholiastes tamen Thucydidæ in libro secundo ad ea verba, ἀσπίδων τε καὶ πελταστῶν, ita ait, πέλται, ἀσπὶς τετράγωνος, Suidas quoque πέλτη, ἀσπὶς τετράγωνα. Sed hos loqui non de pelta Amazonum, mihi certissimum, nam hæc lunata fuit, nec aliud vult Plinius, cum assimilat folio ficus Indicæ cap. 5. lib. 12. Isidorus facit *in modum Lunæ mediæ.* qua voce Poëtas explicat, qui lunatas cum faciunt peltas, *in modum Lunæ mediæ* intelligendi sunt, aut saltem, quod ego potius credo, *in modum Lunæ cum morsu aliquo*, nam ita est folium ficus Indicæ. Nam, quod rotundum est, & in modum Lunæ plenæ, Latinis *lunatum* non dicitur, sed quod est forma semi circulari, fortasse, quia hac forma, ut plurimum, Luna visitur. *Cerda.*

Lunatis agmina peltis.] Vid. supra l. 1. Æn. ✝ſ. 490. *Emmeness.*

664. *Quem telo primum dejicis?*] Homericum est, interrogationem ad ipsum referre qui describitur, cum semper sic musæ interrogari consueverint: ut, *Vos, ô Calliope, precor aspirate canenti.* Servius.

Quem telo primum, quem, &c.] Camillam admiratur ob feriendi celeritatem, & occisorum ingentem numerum:

Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eunæum Clytio primum patre: cujus apertum
Adversi longa transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in volnere versat.

Tum

rum: nam discerni non poterat, quem postremo loco mactasset: tanta quippe pugnandi ars & celeritas. *Donatus.*

Quem telo primum, &c.] Parens Homerus lib. 5. Iliad. de Hectore,

Ἔνθα τίνα πρῶτον, τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξεν;

Repetit lib. 11. in rebus ejusdem Hectoris. & lib. 16. in rebus Patrocli, cui extremo loco Virg. hæsit, nam ibi Homerus interrogat Patroclum quem primum, quem postremum interfecerit? & addit, *ὅτε δή σε θεοὶ θάνατόνδε κάλεσσαν.* Sic & Camilla, quo die periit, interrogatur de virtute sua. Delectatus Nonnus hac poësi tribus in locis, libris videlicet 22. & 30. & 32. Aliquo sapore Stat. lib. 1. *Quem prius Heroum Clio dabis?* Sed & S. Joannes Chrysost. laudaturus Ignacium Martyrem assurgit poëtica assultantia, *τί πρῶτον, τί δεύτερον εἰπεῖν, τί τρίτον;* Aristides etiam in Panathen. *τί χρὴ πρῶτον, ἢ τί τελευταῖον εἰπεῖν;* & in Leuctrica. *οὐκ οἶδα δ' ὅ τι πρῶτον εἴπω, πολλῶν παρόντων.* Vide & lib. 3. Epigram. & Terent. Eunuch. act. 5. scen. 9. *Cerda.*

Aspera virgo.] Epitheton ad officium belli respiciens: alias incongrue virginem asperam dicimus. *Servius.*

666. *Eunæum.*] Quia Latina est declinatio, ideo non accipit accentum. nam Statius, quia Græce declinavit, Græcum accentum posuit dicens, *Nunc Eunæon audit Ante Thoas.* Idem.

Eumenium.] Proprium hoc nomen *Eumenium*, alio atque alio modo, in aliis atque aliis codicibus scribitur. Sed ut quæ absurda videntur, missa faciam: Romanus codex, Oblongusque, Mediceus, & aliqui alii manu scripti eodem exemplo *Eunæum* legunt, & in Donati codice eodem est modo. *Pier.*

667. *Longa abiete.*] Longa hasta, longa abiete * arbore enim pro hasta posuit. *Servius.*

668. *Sanguinis ille vomens rivos.*] Apulejus lib. 4. Metam. *Super quendam etiam vetustissimum lapidem prope jacentem decidens, perfracta diffissaque crate costarum, rivos sanguinis vomens, non diu cruciatus vitam evasit.* Supra lib. 9. Æn. ℣s. 456.

——— *plenos spumanti sanguine rivos.*

& ℣s. 414.

Volvitur, ille vomens calidum de pectore flumen, &c. Emm.

669. *Mandit humum.*] Sic supra, *& humum semel ore momordit.* Homer. sæpe *ὀδὰξ ἕλον οὖδας.* & forma alia 6. Iliad. *ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν.* à quo Apollon. lib. 3. Arg. *βῶλον ὀδοῦσι λαζόμενοι.* Lycoph in Alex. *γαῖαν ὀδὰξ δάψουσι.* Nonn. lib. 11. *ἔσφιγξε γαῖαν ὀδόντι*, explica, *strinxit, pressit.* Invenio & duas alias formas in Calab. nam lib. 1. *δεδραγμένοι κόνιν.* & lib. 11. *γαίῃ ἐνέπειρον ὀδόντας.* Martius Poëta antiquus antiquo etiam verbo, *ille hiatans herbas moribundo ore.* Solemne est verbum *mordeo*, quod intulit Princeps Virgilius, à quo Ovidius, Claudianus, Plinius. Primus lib. 9. Metamorph. *& arenas ore momordit.* Alter de Bell. Get. *Italamque momordit arenam.* Tertius cap. 16. lib. 8. de leone: *Creditum est à moriente humum morderi.* verbum *mando* hic habes. *Cerda.*

Suo se in vulnere versat.] Codices plerique veteres *suo se volnere* legunt, absque *in* præpositiva particula, quæ quidem hoc loco non sine injuria sententiæ detrudi potest. operæpretium autem esse judicavi quæ super hanc sententiam Ti. Donatus commentatus est, adponere. *Atque cruentam mordet humum,*

Tum Lirim Pagasumque super: quorum alter habenas
Suffosso revolutus equo dum colligit, alter
Dum subit, ac dextram labenti tendit inermem,
Præcipites pariterque ruunt. his addit Amastrum
Hippotaden: sequiturque incumbens eminus hasta
Tereaque Harpalycumque, & Demophoonta Chromimque:
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. procul Ornytus armis
Ignotis, & equo venator Iapyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta juvenco

Pugna-

mum, moriensque suo se volnere versat. Cadentes enim repentino ictu mordent, quod fortaßis occurrerit. Iste igitur mordens terram, & crebris hoc morsibus faciens, vertebat se, & in suo se cruore volvebat. Hoc dicendo ostendit eum tam graviter percussum, ut illic caderet, ubi confossus est. Qui vero aßidue volvebatur in volnus, & terram mandebat, quam rigaverat cruor, apparebat eum aliquem adhuc sensum doloris habuisse. Pierius.

670. *Tum Lyrin Phegasum.*] In antiquis *Lirin*, Latinis literis scriptum est. In Romano, in Oblongo & aliquot aliis *Pagasum* per *a* prima syllaba, quod ab eruditis receptum video. Invenies & alio modo scriptum, sed in re parvi momenti satis est receptiora indicasse. *Idem.*

671. *Suffuso*] Casuro. nam suffusi equi dicuntur quos vulgo incespitatores vocant. Alii *Suffosso* legunt, id est, præcipiti & cadenti. *Servius.*

672. *Dum subit.*] Scilicet ad sustentationem ruentis inclinat: & vult utrunque tanta celeritate esse percussum ut unum interemptum putares. inde enim, *Præcipites pariterque ruunt.* Id.

Inertem.] Nudam, an nihil proficientem? *Idem.*

674. *Sequitur.*] Pro persequitur. *Id.*

675. *Chromimque.*] Romanus & oblongus codex *Chromum* legunt, & aliquot ex accuratioribus. *Pierius.*

676. *Quotque emissa manu, &c.*] Non absimilia Hom. lib. 8. de Teucro, qui cum octo sagittas emisisset,

Πάντες δ' ἐν χροῒ πῆχθεν Ἀρηϊθόων αἰζηῶν·

Omnes fixæ sunt in corpore Martiorum juvenum. Cerda.

Orphitus.] In Romano codice *Ornytus* per *y* in pene ultima παρὰ τὸ ὄρνυμι, quod impetum facere significat. Nam si ab *ave* sit, *t* litera adspiraretur. In Donati quoque commentariis *Ornutus* habetur, *y* litera in *u* more veterum mutata. *Pierius.*

Armis ignotis.] Novis, inconsuetis. Vel *ignobilis*, id est, non conspicuus. *Servius.*

678. *Iapyge.*] Appulo equo. *Idem.*

Equo Iapyge.] Id est, Appulo. Apulia enim & *Iapygia* dicta. Gell. l. 2. 22. *Taubmannus.*

679. *Pellis erepta juvenca.*] Id est, lorica. nam proprie *Lorica*, est tegimen de corio tanquam de loro factum: quo majores in bello uti consueverant. *Servius.*

Cui pellis latos humeros.] Hoc genus armaturæ olim in pretio ad ferocitatem præferendam, & terrendos hostes. Sum jam de illa alias locutus; nunc offero Apollon. lib. 1.

Δέρμα δ' ὁ μὲν ταύροιο ποδηνεκὲς ἀμφέχετ' ὤμους
Ἄργος Ἀρεστορίδης λάχνῃ μέλαν.

De

Pugnatori operit: caput ingens oris hiatus,
Et malæ texere lupi cum dentibus albis,
Agrestique manus armat sparus. ipse catervis
Vertitur in mediis, & toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum (neque enim labor agmine verso)
Trajicit, & super hæc inimico pectore fatur:
Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?

Adve-

De Achille Ennod. in Declam. *Illos humeros, quos spoliati leonis terga calefecerant, auro distincta, vel murice palla claudebat.* Erat hic quidem Heroum habitus. Interpres Apollon. *συνήθεις τοῖς ἥρωσι δερμαλεφορεῖν. Cerda.*

680. *Caput ingens oris hiatus.*] Amphibolon, id est hiatus. *Servius.*

Caput ingens oris hiatus.] Hic Orphito caput lupi, & lib. 7. caput leonis Aventino,

Ipse pedes tegmen torquens immane leonis
Terribili impexum seta cum dentibus albis
Indutus capiti. ——

Eurip. de Hercule in Tragœdia ejusdem, *δεινοῦ χάσμασι θηρός.* Ait armatum in capiti *terribili rictu feræ.* Cerda.

682. *Agrestisque manus armat sparus.*] Bene *Agrestis*: nam *sparus* est rusticum telum in modum pedis recurvum. Salustius, *Sparos aut lanceas, alii præacutas sudes portare.* Varro ait *sparum*, telum missile, à piscibus ducta similitudine, qui spari vocantur: Alii *sparus*, à spargendo dici putant. *Servius.*

Sparus.] Fuisse hoc telum missile satis indicat Æmilius in Epaminonda, quem ducem ait *sparo eminus percussum.* Maro *agrestem* vocat: nam telum nulla politum arte, ut liquidum ex Sallust. in Catil. ubi, *ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos, lanceas, alii præacutas sudes portabant.* Lucill. ut est apud Non. diverso enuntiat genere; nam ille, *tum spara, tum rumices.* Cerda.

Sparus.] Rusticum telum in modum pedi recurvum: à *spargendo: εἶδος ἀκοντίου*, Gloss. Nostris, *Ein Sparn.* Vide Fest. & Scalig. ibid. & Alexand. l. 6. 22. *Taubm.*

Ipse catervis Vertitur in mediis.] In codicibus aliquot antiquis *ipse catervas vertitur in medias* legitur. Sed quum sententia de eo sit; qui contineatur in loco, non autem in quempiam feratur, magis placet ablativo casu, quod in pluribus habetur exemplaribus. *Pier.*

683. *Vertitur in mediis.*] Id est, agitur: nam Græce dixit *ἀναστρέφεται. Serv.*

Vertitur in mediis.] Pro, *versatur.* Græcis *στρέφειν, πολεῖν, ἀναπολεῖν, ἀναστρέφεσθαι.* Plutarchus in Fabio: *ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ἀνεστρέφετο. in foro versabatur.* Proclus in Hesychium: *Τὸ μὲν στρέφειν πολεῖν ἔλεγον, καὶ τὸ ἀναστρέφειν ἀναπολεῖν, ὥσπερ καὶ τὸν οὐρανὸν εἰώθαμεν διὰ τὴν στροφὴν τὴν περὶ τοὺς πόλους λέγειν περιπολεῖν.* Et quemadmodum hic *verti* ponitur pro, *versari*, ita quoque *converti* pro, *conversari* occurrit apud Ælium Spartianum in Adriano Cæsare cap. 11. *Conversis regio more militibus.* Ad quem locum vid. Cl. Salmasius. *Emmeness.*

Toto vertice supra est.] Sic Statius de Capaneo, *Et toto transcendit corpore bellum.* Servius.

684. *Hunc illa exceptum.*] Fraude circumventum; ut, *Æmulus exceptum Triton.* Idem.

Agmine verso.] Aut converso impetu suo, aut adversariorum conlato agmine. *Idem.*

685. *Trajicit.*] Vis jactus ostenditur. *Idem.*

686. *Silvis.*] Pro, *in silvis*, & Archaïsmos casus pro casu. *Idem.*

687. Mu-

Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redarguerit. nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.
Protenus Orsilochum & Buten, duo maxima Teucrum
Corpora: sed Buten aversum cuspide fixit
Lori-

687. *Muliebribus armis.*] Usus obtinuit ut innuptas, *virgines*: nuptas, *mulieres* vocemus. Nam apud majores indiscrete *virgo* dicebatur & *mulier*: utrunque enim sexum tantum significabat, ut ecce hoc loco dicit *armis muliebribus*, cum Camillam innuptam fuisse manifestum sit. Item in Bucolicis legimus, *Ah virgo infœlix*, cum Pasiphaën constat ex Minoë ante amorem tauri filios suscepisse. Terentius in Hecyra, etiam mulierem post partum, *virginem* vocat, *Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo.* Serv.

688. *Nomen tamen haud leve patrum Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.*] Irrisio est amaritudinis plena. nam si voluerimus simpliciter accipere, ut ita sit dictum, quemadmodum supra, *Æneæ magni dextra cadis*: incipit contrarium esse superioribus. Unde melius est ut perseveremus in sensu: & ita sit dictum, Magnam re vera gloriam laturus est ad manes parentum, quem fœminea tela superarunt. *Idem.*

Nomen tamen haud leve, &c.] Eadem gloria lib. 10. *Æneæ magni dextra cadis.* Achilles Homericus, ignavo mortis genere deprehensus, ut putabat, ita optat,

Ὥς μ' ὄφελ' Ἕκτωρ κτεῖναι, ὃς ἐνθάδε γ' ἔτραφ' ἄριστος.

Et reddit rationem; nam ita interfecisset ἀγαθὸς ἀγαθόν, *fortis fortem.* quasi esset gloriosum, fortem à forti cadere. Ovid. 10. Metamorph. *à tanto non indignabere vinci.* & post pauca:

— mihi seu vincar, habebis
Hippomane victo magnum & memorabile nomen.

Stat. lib. 8. Theb. *magnum cupis improbe lethi nomen, ait.* Apud Curt. lib. 7. captivi quidam ducti ad necem, *gaudent se perire à tanto Rege* (Alexandro) *victore omnium gentium.* & addunt: *Si ab alio occiderentur tristes morituros fuisse.* Cum vero Poëta adjiciat,

Manibus hoc referes telo cecidisse Camillæ,

Non dubium, quin ab illo Ovid. & Valer. Ille in Metamorph. ubi Perseus,

Magna feres tacitus solatia mortis ad umbras
A tanto cecidisse viro. —

Hic lib. 4. Argon. ubi Pollux ad Amycum,

Ac super insistens. Pollux ego missus Amyclis.
Et Jove natus, ait, nomen mirantibus umbris
Hoc referes, sic & memori noscêre sepulcro. Cerda.

689. *Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.*] In Mediceo codice lasciva admodum adnominatione legitur,

Manibus hoc referes manibus cecidisse Camillæ.

Sed *telo* reliqui omnes agnoscunt. *Pier.*

691. *Sed Butem adversum cuspide figit.*] Ut præteream *fixit* præterito tempore, quod in plerisque codicibus habetur, eo me convertam, quod majoris alicujus momenti esse videatur. Antiquus admodum codex *adversa* legit, sed de *cuspide* dictum, hoc parum mihi satisfacit. Romanus codex, & Oblongus, Pomponianæ deliciæ, una cum Mediceo *aversum* legunt. Quod ideo mihi adridet, quia jocari videtur Poëta in diversa feriendi ratione describenda. Unum enim Camilla jam aversum, & fugam arripientem in collo sauciaverat. *Orsilochum* vero contra elusit, simulata fuga. Quem quidem de fuga locum Virgilius ex Horatiorum pugna desumpsit. *Idem.*

692. Se-

Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, & lævo dependet parma lacerto:
Orsilochum fugiens, magnumque agitata per orbem
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem.
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior exsurgens, oranti & multa precanti
Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque aspectu territus hæsit
Apenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque ubi se nullo jam cursu evadere pugnæ

Posse

692. *Sedentis.*] Equitis. Sane eum ex vicino intelligimus esse percussum. *Servius.*

693. *Dependet parma.*] Parmæ, clypei, peltæ, & talia loro illigantur, ut, cum necesse sit, neglectim gestentur; & pendeant. Plutar. in vita Æmilii. *τῶν Μακεδόνων τὰς πέλτας ἐξ ὤμου προσπεπερονημένων.* *Cerda.*

695. *Interior,*] Sinisterior, breviore scilicet circulo. *Servius.*

Eludit gyro interior.] Redi ad superiorem locum lib. 5. Æn. *Proram dum ad saxa suburget Interior.* Hanc autem pugnandi equitandique solertiam eodem libro in Ascanii Troja visus est Maro graphice describere: & ab eadem disciplina equos Æneæ laudatos ab Homero refert Plato in Lachete, his: καὶ Ὅμηρός που ἐπαινῶν τὰς τοῦ Αἰνείου ἵππους κραιπνὰ μάλ' ἔνθα καὶ ἔνθα ἔφη αὐτὰς ἐπίστασθαι διώκειν ἠδὲ φέβεσθαι, καὶ αὐτὸν τὸν Αἰνείαν κατὰ τοῦτο ἐνεκωμίασε κατὰ τὴν τοῦ φόβου ἐπιστήμην, καὶ εἶπεν αὐτὸν εἶναι μήστωρα φόβοιο. *Germanus.*

Sequiturque sequentem.] Roges, qui fieri potuit, ut Camilla, cum ipsa fugeret, & illam Orsilochus sequeretur, dicatur illum sequi? subjicis enim, *sequiturque sequentem.* Solutio est facilis: nam *interior*; cum enim illa breviore cursu gyros duceret ex summa peritia, persisteretque velut in centro circuli, factum necessario, ut tandem aliquando sequeretur sequentem. *Cerda.*

696. *Tum validam perque arma viro perq; ossa securim Altior insurgens.*] Romanus codex, & aliquot alii *exsurgens* habent, quod agnoscitur à Donato. Sed *insurgens* in pluribus est exemplaribus. In Mediceo illud etiam diversum, quod *valida securi* casu septimo legitur, *Tum valida perque arma viro perque ossa securi:* utpote instrumento, quo ipsa *altior insurgens, oranti & multa precanti Congeminat vulnus.* Pierius.

698. *Congeminat.*] Hic distinguendum. Nam nemo dicit, *securim vulnus congeminat*, sed *securis.* Servius.

699. *Incidit huic.*] Figurate, pro, *in hanc incidit.* Terentius, *Ego in eum incidi infelix locum, ut neque amittendi, neque retinendi sit copia.* Idem.

700. *Apenninicolæ bellator filius Auni*] Quia Liguria majore parte sui in Apennino est constituta. *Ligures autem omnes fallaces sunt*, sicut ait Cato in secundo Originum libro. *Idem.*

Filius Auni.] Aunus scilicet. nam ut supra diximus, cum dictis parentibus filiorum nomina supprimuntur, eos patri cognomines intelligimus: ut, *Tiburti Remulo ditissimus olim.* Idem.

702. *Evadere pugnæ.*] Vulgata quidem exemplaria, *pugnæ* casu septimo legunt. Sed Oblongus codex *pugnam* habet accusativo casu. Utrunque elocutionis modum admittunt Grammatici.

Sed

Posse, neque instantem reginam avertere cernit;
Consilio versare dolos ingressus & astu;
Incipit hæc. Quid tam egregium, si femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, & te comminus æquo
Mecum crede solo, pugnæque accinge pedestri:
Jam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.

Dixit:

Sed Romanus, Mediceus, & aliquot alii perveteres, *pugnæ* scriptum ostendunt, Græcanica elocutione ἀποφυγεῖν τῆς πολέμου. Sed quia nusquam ego alibi figuram hujusmodi apud Auctores reperi, quod meminisse possim; in medio hoc relinquam. *Pierius.*

Evadere pugna] Ita politius loqueris, quam ut Quintil. Declam. 335. *has manus evaserit.* Itaque, qui in Virg legunt, *evadere pugnam*, non ita polite. *Cerda.*

703. *Reginam avertere.*] Proprio verbo usus est, ut est sinos equestris, id est, non sperat fore, ut illam averteret. *Servius.*

704. *Versare dolos ingressus.*] Tractare, ut, *Seu versare dolos, seu certe occumbere morti.* Idem.

Astu.] Malitia. Nam proprie *astutos*, malitiosos vocamus. unde in Terentio, postquam de domino dixit servus *Astute:* ille, iratus ait, *Carnifex quæ loquitur?* Cicero, *Ita fit ut tua ista ratio existimetur astuta: meum hoc consilium necessarium.* Idem.

705. *Quid tam egregium, &c.*] Cum tota hac sententia congruit locus Calab. lib. 11, ad exitum.

Αἰνεία, νῦν τόλμησον ἐνὶ φρεσὶ σῇσιν ἄριστος
Ἔμμεναι, ἐκ πύργοιο πονεύμενος, ἔνθα γυναῖκες
Δυσμενέεσσιν μάρνανται ἀνάλκιδες. εἰ δέ τις ἐστὶ,
Ἔχθεο τείχεος ἐκτὸς ἐνέντεσιν. —
Ænea, nunc animo confide tuo fortissimum
Te esse, è turri rem gerens, unde etiam feminæ
Imbelles pugnant cum hostibus. Si autem aliquis vir es,
Sustine extra murum armatus. —
Cerda.

705. *Forti equo.*] Ennius apud Tull. de Senect.

Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.

Lucret. lib. 3. *fortis equi vis.* In his *fortem equum* explicat Nonius *celerem*, fortasse, quia Aunus fugam objectabat Camillæ. Sed aptius est, ut acrem intelligas, atque animosum, & generosum, & cui θυμὸς sit, ut loquitur Xenoph. Herodotus certe dixit, ἵππου γενναίου ἐποχεύμενος φεύγει· *generoso equo vectus fugit.* Idem.

706. *Dimitte fugam.*] Id est, equi celeritatem, cui fidis, relinque. *Serv.*

Æquo crede solo.] Ut 9. Æneid. *dare se æquo campo:* quem locum vide. *Cerd.*

707. *Pugnæq; accinge pedestri.*] In antiquis pictisque codicibus ablativo casu positum est, *pugnaque adcinge pedestri.* Alibi tamen, *adcingunt omnes operi*; dictum acquisitivo casu. *Pierius.*

708. *Ventosa ferat cui gloria fraudem.*] Hæc est vera & antiqua lectio: Ut *fraudem* non *laudem* legas: ut si *fraudem* legeris sit sensus, Pedes congredere: jam agnosces, cui inanis jactantia adferat pœnam. Nam *fraudem*, veteres pœnam vocabant: Ab eo, quod præcedit, id quod sequitur, ut, *Et scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt.* Cicero in Cornelianis: *Ne fraudi sit ei, qui populum ad contentionem vocarit.* Ut etiam in antiquo cognoscitur jure. Sallustius in Catilinario, *Diem statuit antequam sine fraude*

liceret

Dixit: at illa furens, acrique accensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque resistit in armis,
Ense pedes nudo puraque interrita parma.
At juvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,
(Haud mora) conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.

Vane

liceret ab armis discedere. Si autem *laudem* legerimus, erit sensus, Agnosces cui inanis gloria afferat laudem. *Ventosa* autem *gloria* est, quam Græci *κενοδοξίαν* vocant. *Servius.*

Ventosa ferat cui gloria laudem.] Romanus codex *fraudem* habet, quum tamen plerique alii veteres *laudem* legant. Servius à Romano codice stat, qui *fraudem* veram esse lectionem putat: curque ita sit legndum, quasdam affert rationes. Contra Ti. Donatus *laudem* agnoscit, hac paraphrasi; *Experiundo cognosces quis debeat iure, meritoque laudari.* Utra potior sit sententia, quum non veteres tantum codices, verum & opinatissimi Grammatici diversa tradant, aliorum arbitrio judicandum reliqui. Est etiam in Mediceo *feret* finitivo modo, ut quid certius afferat: Sed *ferat* in pluribus habetur. *Pierius.*

709. *Acrique incensa dolore.*] In Romano codice, in Oblongo, in Mediceo, & plerisque aliis antiquis *accensa* & *adcensa* legitur. *Idem.*

710. *Paribusque resistit in armis pedes.*] Sicut & illum congressurum putabat. *Servius.*

Paribusque assistit in armis.] Oblongus quidem codex *assistit* habet. Sed cum Mediceo Porcius, Vitalianus, atque Delphius, & pleraque exemplaria manu scripta, *paribusque resistit in armis,* legunt. *Pierius.*

711. *Pura parma.*] Tunc enim primum in bella descenderat. *Servius.*

Pura parma.] Ita lib. 9. *parmaque inglorius alba.* Ita vero dicta *pura parma,* ut ab Iuvenal. Sat. 9. *argenti vascula puri.* & ab Plin epist. I. lib. 3. *in argento puro, & antiquo.* Cerda.

712. *Advolat ipse.*] Hic *abvolat* omnino, vel *avolat* ut in Mediceo legendum. Tametsi *advolat* in antiquis aliquot codicibus reperiatur. *Pierius.*

713. *Fugax.*] Fugiens. Nam nomen est pro participio: non enim fugacem possumus accipere, quem supra legimus bellatorem. *Servius.*

714. *Quadrupedemque.*] In antiquis aliquot codicibus *quadripedemque*, ut observatum sæpius per *i* secunda sylla-ba. *Pierius.*

Ferrata calce.] *Calcem* genere fœminino. *Servius.*

Ferrato calce fatigat.] *Ferrato* virili genere in impressis codicibus aliquot inveni, parcius in manu scriptis: qui plurimum habent *ferrata calce* genere fœminino, uti est in Mediceo, & ita scripsisse Virgilium Nonius Marcellus attestatur. Quamvis Plautus, & Varro *calcem* masculino genere dicere maluerint. Præterea quæri dicit Probus, qua de caussa Virgilius nomen hoc fœminino genere pronuntiaverit: factumque ideo ait, quoniam quæcunque nomina Romana duntaxat inanimalia, nominativo casu, numeri singularis, *x* litera terminantur, & monosyllaba esse repeiuntur, hæc fœminini generis esse pronuntiantur. Ad hæc Fl. Sosipater, *calx,* ait, *sive qua calcamus, sive qua ædificamus, fœminini generis est, ut & Virgilius ait, Ferrata calce fatigat.* Pierius.

Ferrata calce fatigat.] Ita Charis. & Non. & Probus: ita imitatus & Sillius lib. 13. *Jam compos voti ferrata calce fatigat Cornipedem.* Itaque MS. Mediceus. quidam *ferrato c.* Taubm.

Vane Ligus, frustraque animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentasti lubricus artis:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, & pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frenisque adversa prehensis
Congreditur, pœnasque inimico ex sanguine sumit,
Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto

Con-

715. *Vane Ligur.*] Aut fallax, aut inaniter jactans. nam *vanos*, stultos, posteriores dicere cœperunt. & rarum est etiam in neotericis. Iuvenalis, *Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.* Quid autem hoc loco *vane* significet, sequentia demonstrant, *Frustraque animis elate superbis*: possumus tamen hic & mendacem verius accipere, quia ait, *Dum fallere fata sinebant*; &, *Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.* Nigidius de erra * *Nam & Ligures qui Apenninum tenuerunt latrones insidiosi, fallaces, mandaces.* Cato originum 11. cum de Liguribus loqueretur: *Sed ipsi unde oriundi sunt exacta memoria inliterati, mendacesque sunt, & vera minus meminere.* Sane subito ut solet, ad characterem dramaticum transit, neque enim ostendit Camillam loqui cœpisse. *Servius.*

Vane Licur.] Antiquissimus codex majoris notæ Mediceus, & pleraque vetera exemplaria *Ligus* legunt per *s* & per *us*. *Ligus Liguris*, ut *lepus leporis*, & *vetus veteris* declinari ait FL. Sosipater. *Pierius.*

Frustraque animis elate superbis.] In codicibus aliquot antiquis, *armis elate superbis* legitur: quod quidem hic nihil aliud significaret, quam alto equi dorso, cui Ligus ipse plurimum fidebat. Sed omnino melius *animis*, ut ad protaciora ea verba respondeat, quibus Camillam in certamen provocaverat. *Idem.*

716. *Lubricus,*] Fallax, mobilis. *Servius.*

Artes.] Id est, dolos. Τέχνας Gr. Hæc enim vox in hoc usu. Quintil. Declam. 330. *mentitus es patri, & amorem meretricis finxisti. plena est hujusmodi artibus vita, plena sunt etiam theatra. Circumscribuntur & servorum artibus patres & mendaciis filiorum.* & Declam. 338. *artes novercales.* & Declam. 341. *Mille artibus circumscribimur.* Hæc exemplula addenda aliis, quæ alii. *Cerda.*

718. *Pernicibus ignea plantis.*] Modo velocibus: alias perseverantibus. Nam *pernix* interdum *velox*: interdum *perseverans* significat, ut ipse in Georgicis, & *inter Dura jacet pernix instrato saxa cubili.* Servius.

Ignea.] Citatissima. ita Catullus de Achille:

—— *vago victor certamine cursus*
Flammea prævertit celeris vestigia cervæ.

Tralatio ab igni, qui Elementorum levissimus. *Taubm.*

719. *Transit equum cursu.*] Nunc hoc incredibile videretur esse, nisi præmisisset in septimo, *Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.* Servius.

Adversa.] Opposita. *Idem.*

720. *Inimico à sanguine sumit.*] Ro. codex, Mediceus, & alii plerique veteres legunt *inimico ex sanguine.* quæ præpositio magis huic loco videtur convenire. *Pierius.*

721. *Quam.*] Similitudinis adverbium est, est & pronomen tam subjunctivum, quam præpositivum, est & conjunctio, ut cum dicimus, *tam hoc quam illud.* Serv.

Accipiter saxo sacer ales ab alto.] Sacer ideo, quia Marti est consecratus accipiter: aut *sacer*, avibus execrabilis: ut, *Auri sacra*

Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis:
Tum cruor, & volsæ labuntur ab æthere plumæ.
At non hæc nullis hominum sator atque deorum
Observans oculis summo sedet altus Olympo.

Tyr-

ri sacra fames. Aut quod verius est, nomen Græcum expressit. nam ἱέραξ dicitur, hoc est, sacer: ἱερεὺς enim Græce, Latine *sacerdos* vocatur. Cur autem Græce ita dictum sit, ratione non caret, quia nota est sacrorum peritis. *Idem.*

Accipiter saxo sacer ales.] Ea consuetudine, quæ fuit ex *accipio* verbo præpositionem integram notare, prius quam Lucilliusce geminare instituisset, aliquot inde ætatibus repetita, *adcipiter* per *d*, & *accipiter*, per *t* alterius ætatis abusu scriptum alicubi reperitur. Alitem enim eam ita nuncupatam ajunt, quod ad aliarum avium capturam genita sit. Manifeste vero Virgilium *accipitrem* virili genere protulisse locus hic ostendit: quum tamen Lucretius fœminino dicere maluerit, *accipitres somno in leni sic prælia pugnasque Edere sunt persectantes visa, atque volantes.* Quem locum, nequis, ut pleraque alia corrupta sunt, *visi* reponendo, vitiare ausit, sciant *accipitrem* fœminino genere scriptum à Lucretio, Nonii Marcelli testimonio. *P.*

Sacer ales.] Servius putat Poëtam nomen Græcum ἱέραξ respexisse. quod παρὰ τὸ ἱερὰ ἁρπάζειν deducunt. Vel, quod Marti consecratus sit; sicut Aquila Jovi. vel etiam *sacer*, id est exsecrabilis volucribus. Tamen Pimpontio videtur Poëta magis ad alterum allusisse ἔτυμον, ἀπὸ τῆ ἴεσθαι ῥᾷον, h.e. ὁρμᾶσθαι: cum ait, *facile consequitur pennis.* Taubm.

722. *Consequitur pennis.*] Nova laus Camillæ: siquidem accipiter columbam sequitur, ista hostem præcedit. ipsa autem avium comparatio sumpta est è contrario. nam æquius vir accipitri, Camilla compararetur columbæ. *Servius.*

723. *Eviscerat.*] Ne vulgari verbo & Græco uteretur, dicens *exenterat*, ait *pedibusque eviscerat.* Idem.

724. *Tum cruor, & vulsæ labuntur ab æthere plumæ.*] Ecbasis poëtica, id est, excessus. *Idem.*

Tunc cruor & vulsæ, &c.] In Rom. codice absque copulativa particula, sed adaucta, per adplicitam præpositionem, verbi significatione, *evolsæ* legitur, sententia non sine injuria mutilata. quare magis placet quod in aliis *& volsæ* legitur. Quod vero in vulgatis, *tunc* est: *tum* in veteribus plerisque reperitur. *Pierius.*

Vulsæ labuntur ab æthere plumæ.] Hom. Odyss. 15. loquens etiam de accipitre,

—— ἐν δὲ πόδεσσι
Τίλλε πέλειαν ἔχων, κατὰ δὲ πτερὰ χεῦεν
ἔραζε.

Stat. 3. Theb. ad umbram Virg. loquens de pugna inter aquilas, & cycnos,

Cernis inexperto rorantes sanguine ventos,
Et plumis stillare diem. ——

Cerda.

725. *Non nullis.*] Id est, non negligentibus. Nam Liptotes figura est. vult enim dicere, non leviter Juppiter intuebatur ista certamina. Ideo & adjecit *observans oculis*, id est, intente aspiciens. Plautus: *Observato quam blande suppalpatur mulieri.* Servius.

Sator.] Non horum tantum dici *sator* solet, sed & *astrorum sator* ab Stat. 3. Theb. & rerum omnium ab aliis. *Cerd.*

Nullis observans oculis.] Eleganti flexu reddidit Homericum illud, οὐδ᾽ ἀλαοσκοπίην εἶχε κλυτὸς Ἐννοσίγαιος, Iliad. 9. id est, *non vanam habuit speculationem Neptunus*, pro, ἐπιμελῶς ἐσκόπει· *diligenter speculatus est.* & esse hanc formam parœmiæ Suidas animadverit. *Idem.*

727. Tyr-

Tyrrhenum genitor Tarchontem in prœlia sæva
Suscitat, & stimulis haud mollibus injicit iras.
Ergo inter cædes cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo, variisque instigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans: reficitque in prœlia pulsos.
Quis metus, ô numquam dolituri, ô semper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?

Femi-

727. *Tyrrhenum genitor Tarchontem.*] Rom. codex Mediceus, & plerique alii veteres, *Tarconem* legunt absque *t*: & *Tarco*, absque *n* finali litera rectum ponunt. quamvis apud Græcos Τάρχων Τάρχοντος dicitur, idque per χ densam literam. *Pierius.*

728. *Incitat iras.*] In Rom. codice, & in Oblongo, *inicit* habetur, quod non displicet. tametsi *incitat*, non improbarim, quod ex lusu Poëtico duo verba ejusdem originationis eodem versu posita, non nihil habeant venustatis, *Suscitat & stimulis haud mollibus incitat iras.* Idem.

730. *Instigat vocibus alas.*] Alas incitat, & irritat ad reditum. primum enim est ut fugere desinant: post ut in hostes impetum faciant. *Servius.*

731. *Nomine quemque vocans.*] Per hoc extrema necessitas indicatur. *Idem.*

Nomine quemque vocans.] Ducit Macrob. lib. 6. c. 1. imitationem loci hujus ab Furio, qui lib. 10.

Nomine quemque ciet, dictorum tempus adesse
Commemorat ——

Deinde infra:

Confirmat dictis, simul atque exsuscitat acres
Ab bellandum animos, reficitque ad prælia mentes.

Τὸ, *nomine quemque vocans*, est (ait German.) quod Thucyd. ὀνομακλήδην. quod Hom. ἐξ ὀνόματος. quod Græci alii ὀνομαστὶ προσαγορεύων. Posses addere Demosthenem, qui κατ' ὄνομα. Dionem, qui ἕκαστον ὀνομαστὶ δεικνύμενος. Plutarchum, qui ὀνομαστὶ καλῶν. Vide & hic Collectorem. *Cerda.*

Reficitque.] Id est, restituit. *Servius.*

732. *Quis metus?*] Dolentis, interrogantis, id est, Qualis, quantus: quod viros etiam fœminam timere compellit? Unde paulo post, *Quæ & quanta animis ignavia venit? Fœmina palantes agit.* Idem.

Quis metus, o nunquam, &c.] Sunt qui putent acerbam hanc reprehensionem ductam ab illa Enn. Annalib.

Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem,
Illaque virgo vir est. ——

Scaliger cum hac Virgiliana duplicem Homeri componit, alteram lib. 4. τύπτε κατεπτώσσοντες ἀριστεῖς. alteram lib. 8. Αἰδὼς Ἀργεῖοι, κὴ ἐλέγχεα, &c. & addit Virgilianam æqualem esse pugnæ ipsi. *Cerda.*

O nunquam dolituri.] Id est, stulti. Stultus enim est quisquis injuria non movetur. Et bene *nunquam*: siquidem ante sævitiam Mezentii pertulerunt, nec se ulti sunt. Nunc præbent terga mulieri: & nec hinc quidem commoventur dolore. Nonnulli tamen dolorem, studii alicujus ardorem & promptam gloriæ cupiditatem veterum more dictum tradunt, ut Græci πόνον. *Servius.*

O nunquam dolituri.] Id est, ἀνάλγητοι, apud Aristot. ait Urs. sunt hi, qui non sentiunt dolorem, nec moventur re ulla, omnino stupidi, de quibus dices cum Æschine, οὐδέπω κὴ νῦν τῶν ἑαυτῶν συμφορῶν ἐπαισθάνεσθε. & cum Plutarch. αἴσθησιν ἀποβάλλειν. utique ἀναισθήτως ἔχειν. *Cerda.*

734. Fe-

Femina palantis agit, atque hæc agmina vertit?
Quo ferrum, quidve hæc gerimus tela inrita dextris?
At non in Venerem segnes nocturnaque bella;
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspe-

734. *Femina palantes agit.*] Nihil potuit vividius. Feminarum enim mollitudo est, ut quibus μαλθακὸν dant scriptores, & Simocatta, quicquid pertinet ad δειλίαν, id est, *timorem*, vocat θηλυπρεπὲς, quasi timor unicus sit feminarum. & timori opponit εὐτολμίαν, id est, *decoram audaciam*, & hanc esse ait ἀρρενωπὸν, ut quæ tota ad viros pertineat. Imitatio fortasse sumpta ab Eurip. in Bacch. ubi,

—— κἀπινώτιζον φυγῇ γυναῖκες ἄνδρας.

—— *convertebant in fugam feminæ viros.*

Idem.

Atque hæc agmina vertit.] Δεικτικῶς, id est, multitudinem tantam, hoc est, magnam. *Servius.*

735. *Quidve hæc geritis tela irrita dextris.*] In Rom. codice, in Oblongo, & plerisque aliis antiquis legere est *quidve hæc gerimus tela:* quod majorem quandam vim ad eos excitandos habet, facitque objurgationem æquioribus auribus exaudiri, quum se quoque admisceat convicio, neminemque esse objurgationi & opprobrio non obnoxium indicet. *Pierius.*

Inrita.] Id est, inertia: quæ nos ulcisci minime valent. *Servius.*

Tela irrita.] Sunt hæc, quæ carent effectu, qualia secunda Æneide,

Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.

His opponuntur illa lib. 10. *non ullum dextera frustra Torserit in Rutulos.* Cerda.

736. *At non in Venerem segnes.*] Latenter hoc dicit, Mulierem fugitis, quia armata est: alias primi ad hunc curritis sexum. *Servius.*

Nocturnaque bella.] Quibus coitus. Alibi, *Et si quando ad prælia ventum est.* Idem.

Nocturnaque bella.] Qualia sunt amantium, & qualia attingit Claud. in Nupt. Honor. & Mariæ,

Tum victor madido prosiliens toro
Nocturni referens vulnera prælii.

Catull. de coma Beren.

Dulcia nocturnæ portas vestigia rixæ.

Propert. Eleg. 6. lib. 3.

Dum pugnant Danaï, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.

Et Eleg. 1. lib. 2.

Nos contra angusto versamus prælia lecto. Cerda.

737. *Curva tibia.*] Symphoniacorum. *Bacchi* autem ideo, quia apud veteres ludi theatrales non erant nisi in honorem Liberi patris. Hanc tibiam Græci πλαγίαυλον vocant, Latini *Vascam tibiam*, & est Dionysia, cum maxime ea Satyri utuntur. *Servius.*

Curva tibia.] Hæc *obliqua* dicitur Plinio. Inventa autem fuit à *Pane*, ut testatur Bion Idyll. 3. ℣ſ. 7.

Ὡς εὗρε πλαγίαυλον ὁ Πὰν, ὡς αὐλὸν Ἀθάνα.

Quomodo tibiam obliquam Pan invenerit, Minerva tibiam.

Vel à *Mida*, ut Plinius lib. 7. cap. 56. *Obliquam tibiam Midas in Phrygia invenit.* De ea vid. Salmasius in Plin. Exercitat. pag. 122. & 123. *Emmeness.*

Choros Bacchi.] Τὴν σίκιννιν intelligit, quæ saltatio fuit Bacchi propria. De qua Eurip. in Cyclope, & Lucianus περὶ ὀρχήσεως. *Fabricius.*

Tibia.] In genere sacris fere omnibus deserviit tibia, & inde inducta à Poëta in sacris Bacchi. Sic lib. 9. in sacris Cybeles. à Pindaro Od. 3. Olymp. in sacris certaminibus, βοὰν αὐλῶν, inquit ille. Ac, ne te lassem, nullum sacrum absque tibia: religiosum, profanum, bellicum, pacificum, urbanum, rusticum,

Exſpectare dapes & plenæ pocula menſæ.
Hic amor, hoc ſtudium; dum ſacra ſecundus haruſpex
Nuntiet, ac lucos vocet hoſtia pinguis in altos.
Hæc effatus, equum in medios moriturus & ipſe
Concitat, & Venulo adverſum ſe turbidus infert,
Dere-

ruſticum, vivorum, mortuorum. Rationem cur tam multis ſacris ſerviret, ſuppeditat Apul. l. 1. Flor. ubi loquens de tibiæ ſonis: *ſeu tu velles Æolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Doricum bellicoſum.* Quæ verba pene gemina ſunt cum verbis Luciani in Harmonide, ubi dat tibiæ φρυγίου ἔνθεον, τῆς Λυδίας τὸ Βακχικὸν, τῆς Δωρίου τὸ σεμνὸν, τῆς Ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν. Sed nullis ſacris tam propriæ tibiæ, quam ſacris Bacchi, dicente Iſidoro: *Tibias appellatas putant, quod primum de cervinis tibiis, cruribuſque hinnulorum fierent: deinde per abuſionem ita cœptas vocari, etiam quæ non de cruribus oſſibuſque fierent.* Atqui cervina omnia & hinnulea Bacchi erant, ut apparet ex nebridibus. *Cerda.*

738. *Expectate.*] Pro *exſpectatis*, modum pro modo poſuit. *Servius.*

Expectare dapes.] Impreſſorum plurimi, *expectare*, modo perpetuo ſcribendum curavere, ut ſit, non *ſegnes expectare.* eaque lectio in aliquot omnino codic. antiquis invenitur. In omnibus vero Vaticanæ Bibliothecæ, in Mediceo, in Porcio, in Vitaliano, & pleriſque aliis *expectate* legitur, imperandi modo: quod Servius agnoſcere videtur, dum exponit, *pro expectetis:* niſi quis Infinitivum more Græcorum pro Imperativo poſitum dicere velit. Non elidi vero *s* literam ex eo verbo, dictum alibi. *Pierius.*

Plenæ menſæ.] Arripuit Propert. Eleg. 16. l. 2.

Nunc, ſine me, plena fiunt convivia menſa.

Et Virg. à Plauto fortaſſe, qui Men. *apud menſam plenam homini roſtrum deliges.* Non diſſimile Sueton. in Iul. c. 34. *pleno convivio.* Cerda.

739. *Hic amor, hoc ſtudium.*] Per parentheſim dictum eſt, nam ordo eſt, *pocula menſæ, dum ſacra ſecundus aruſpex Nuntiet.* Servius.

Secundus aruſpex.] Pro *ſecunda ſacra*, id eſt, proſpera: ſicut è contrario Homerus μάντιν κακῶν, id eſt, malorum divine. *Idem.*

Aruſpex.] Proprie. Differunt enim augur, & aruſpex: ille ab avium geſtu, & garritu dictus: hic ab inſpectione tantum animalium. Ergo in ſacris, ubi hoſtia, *aruſpex* Virgilianus. Ennius 1. Ann. diſcriminatim, *dant operam auſpicio, augurioque.* Cerda.

740. *In altos lucos.*] Illic epulabantur ſacris diebus. Mire autem *Vocet hoſtia*, pro, ut ad hoſtiam conveniatis. *Servius.*

741. *Moriturus & ipſe.*] Moriturus animo. nam moriturus non eſt. Quod autem ait *Et ipſe*, aut ad Camillam, aut ad Venulum reſpicit. *Idem.*

Moriturus & ipſe.] *Moriturus* autem, non ut illi, animo paratus ad mortem ſe in hoſtem intulit. Rapuit autem Venulum ab equo ſedentem, & ante ſe in equo ſuo collocatum portavit. Hoc factum, quia non admittebat fidem, poſſe dorſo equi diripi armatum, addidit difficultatem, dicens: *multa vi concitus aufert:* ut majore virtute atque impetu venientis id factum legentes, fieri potuiſſe facilius credant. *Donatus.*

742. *Turbidus.*] Id eſt, terribilis. *Servius.*

Infert.] In Romano codice, & in Mediceo, *offert*, atque in aliquot aliis: quod omnino Donatus agnoſcit, dum ait, *Obtulit ſe Venulo adverſum: debuit enim aliquid prior audere, qui omnium hortator extiterat.* Pierius.

743. De-

Dereptumque ab equo dextra cônplectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in cælum clamor: cunctique Latini
Convertere oculos. volat igneus æquore Tarchon,
Arma virumque ferens: tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum; & partis rimatur apertas,
Qua vulnus letale ferat: contra ille repugnans
Sustinet à jugulo dextram, & vim viribus exit.
Utque volans alte raptum cum fulva draconem
Fert aquila, inplicuitque pedes, atque unguibus hæsit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,

Arre-

743. *Dereptumque ab equo dextra complectitur hostem.*]Hoc de historia tractum est. Nam Cajus Cæsar, cum dimicaret in Gallia, & ab hoste raptus equo ejus portaretur armatus, occurrit quidam ex hostibus qui eum nosset, & insultans ait, Cæsar Cæsar: quod Gallorum lingua *dimitte* significat: & ita factum est ut dimitteretur. Hoc autem ipse Cæsar in Ephemeride sua dicit, ubi propriam commemorat felicitatem. Est & alia hujus rei historia, Varro enim cum de suo nomine disputaret, ait eum qui primus Varro sit appellatus, in Illyrico hostem Varronem nomine quod rapuerat, & ad suos portaverat, insigne ex facto meruisse. * *Servius.*

745. *Tollitur in cælum clamor.*] Rei scilicet admiratione. *Idem.*

Tollitur in cælum clamor.] Ducit Macrob. c. 1. l. 6. ab illo Ennii,

Tollitur in cælum clamor tum exortus utrinsque. Cerda.

748. *Rimatur.*] Inquirit, ut, *rimanti telum ira facit.* *Servius.*

750. *Exit.*] Evitat: ut, *Atque oculis vigilantibus exit.* Idem.

Vim viribus exit.] Id est, evitat. Lucr. lib. 5.

Nam transversa feros exibant dentis adactus
Jumenta, &c.

Vide Not. Æn. 5. vers. 438.

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit. Taubm.

751. *Utque volans alte raptum.*] Homerica comparatio: & utrum *alte volans*, an *alte raptum*, an *alte fert?* Servius.

Utque volans, &c.] Aquilæ comparatio aptissima. Ut enim & aquila & serpens fortissimi sunt: ita illi duo fortissimi erant. itidem mira perspicacitate, ut illi sunt. *Donatus.*

Utque volans alte raptum, &c.] Cicero in Mario:

Hic Jovis altisoni subito pennata satelles
Arboris è trunco serpentis saucia morsu,
Subjicit ipsa feris transfigens unguibus anguem
Semianimum & varia graviter cervice micantem,
Quem se intorquentem lanians rostroque cruentans
Jam satiata animos, jam duros ulta dolores
Abjicit efflantem, laceratum affligit in unda,
Seque obitu à Solis nitidos convertit ad ortus. Ursin.

Utque volans alte, &c.] Homerica comparatio ex Il. XII. de qua multa Macrobius, lib. 5. cap. 13. Cui tamen Jul. Cæs. Scaliger lib. 5. c. 3. os barbarum acerrime verberat: quem videas. *Taubmannus.*

753. *Sinuosa volumina versat.*] Oppianus lib. 2. Hal. de serpente loquens, etiamsi

Arrectisque horret squamis, & sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minus urguet obunco
Luctantem rostro; simul æthera verberat alis.
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. ducis exemplum eventumque secuti
Mæonidæ incurrunt, tum fatis debitus Arruns
Velocem jaculo & multa prior arte Camillam

Cir-

etiamsi in pugna cervorum. ὁ δ' ἑλίσσεται ἀμφί τε γοῦνα, δειρήν τε, στέρνον τε· *ille vero implicatur circa genua, collum, pectus.* & lib. 2. de Venat. de hac fera, στροφάλιγξιν ἑλιξαμένην δολιχῇσιν· *longis voluminibus contortam.* Ibidem, ἑλισσόμενον περὶ γούνασιν. Hæc serpentium volumina vocat Eurip. in Med. ἀσπίδας περιπλόκους. *Cerda.*

754. *Arrectisque horret squamis.*] Serpentis ferocitatem simili malo oppressi ita describit Oppian. lib. 2. Cyneg.

—ἐς δ' αἰθέρα θ' ὑψόσ' ἀείρει
Λευγαλέην δειρήν, λευκοὺς δ' ὑπέφηνεν ὀδόντας
Ὀξέα προὔχοντας. ἐπικροτέει δὲ γένειον
Πικροῖς φυσιόων συρίγμασιν ἰοφόρος θήρ.

—*ad cœlum alte attollit*
Funestam cervicem, albosque dentes expedit
Acute rigentes, colliditque malas
Acerbis spirans sibilis venenata bestia.

Idem.

755. *Arduus insurgens: illa haud minus urget adunco Luctantem rostro.*] In codicibus aliquot antiquis, *arduos* legitur: quam terminationem Carisius, in his præsertim nominibus, quæ in *us* purum exeunt, nequaquam admittere voluit, de quo plura alibi. Quod vero *adunco*, in Romano codice legitur, in Oblongo *obunco* est, uti etiam superius, in Mediceo, & aliquot aliis *abunco* per *b*, utrunque in plerisque abrasa litera nihil certi proponit. *Pierius.*

756. *Luctantem rostro.*] Magna brevitate rem descripsit. *Servius.*

Æthera verberat alis.] Alcimus l. 4. de Mundi origine,

Illa volans longe diverberat aëra plausu.

Cerda.

757. *Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarchon portat ovans.*] Apto huc notam Scal. lib. 2. Poët. cap. 28. *Unum Venulum habes, quem vivum aufert Tarchon, cujus rei exitum cum haud ponit, nonne vir est incomparabilis? Hæc est varietas, quæ hiscentem perducit auditorem ad finem usque.* Idem.

758. *Ducis exemplum eventumque.*] Et virtutem & felicitatem. Exemplum quod cœpit, eventum quod prospere. *Servius.*

Ducis eventum exemplumque secuti.] In antiquis codicibus, *exemplum eventumque.* par enim est rem prius aggredi, quam quid inde eveniat spectare possis. *Pierius.*

759. *Mæonidæ.*] Lydii: ut, *Mæonidæ delecta juventus.* Servius.

Fatis debitus.] Eodem sensu κατάχρεων ψυχὴν dixit Josephus c. 3. l. 1. Bell. Jud. id est, *damnatam animam.* Intellige *fatum* κατὰ μόρον. Fatale enim huic hoc mortis genus, cui oppone ὑπὲρ μόρον. Eodem sensu, quo hic *debitus*, Horat. Od. 36. l. 1.

Placare vituli sanguine debito
Custodes Numidæ Deos.

Cerda.

Aruns.] Hic fortasse Hetruscus genere, nam Plutar. in vita Camilli meminit Aruntis cujusdam Hetrusci, sive Arrontis. *Idem.*

760. *Arte.*] Fraude, dolo: ut, *Arte Pelasga.* Servius.

762. *Qua*

Circuit, &, quæ sit fortuna facillima, tentat.
Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Arruns subit, & tacitus vestigia lustrat:
Qua victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat,
Hac juvenis furtim celeris detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum; & certam quatit inprobus hastam.
Forte sacer Cybelæ Chloreus, olimque sacerdos,
Insi-

761. *Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo, Hac Aruns subit.*] Ut etiam supra diximus, ita Poëta loquitur, ut aliquibus locis det suspicionem quod Aruns de Turni partibus fuerit. namque & in Camillam impetum facit, & cum ea rursus recedit: quod nisi de socio non procedit. Donatus etiam dicit esse manifestum signum socium ei fuisse: quod Apollinem Soractis invocat montis, de quo Turno auxilia constat venisse, licet possit fieri ut alterius loci homo, alterius loci invocet numen. Item ad argumentum vocat, *Patrias remeabo inglorius urbes:* quod etiam de hoste procedit. *Inglorius* autem ideo, quia superare fœminam, nullam constat esse virtutem. Aut quia nec gloriari poterat, si Camillam earundem partium occidisset, ut quod supra dictum est, videatur eam invidia peremisse, quod viris præripiat gloriam & sola nobiliter pugnet Camilla. *Idem.*

Qua se cunque furens, &c.] In antiquis aliquot codicibus, *qua se cumque ferens*, legitur, quod nonnullis & honestius, & decorum magis videtur. Sed enim *furens*, Ti. Donatus agnoscit, dum sic ait, *Dixit autem caussam, qua perfectum est, ut illa explorantis Arruntis non sentiret insidias. ferebatur* inquit *studio belli & furore certaminum.* Pierius.

Qua se cumque furens, &c.] Ab hoc versu Prudent. in Psychom.

Quo se cumque fugax trepidis fert cursibus agmen.

Est apud Plut. in vita Pyrrhi quidpiam simillimum. Inducit Scriptor Italum quempiam in bello ἐπέχοντα τῷ Πύῤῥῳ, καὶ τὸν ἵππον ἀντιπαρεξάγοντα, καὶ συμμεταθιστάμενον ἀεὶ, καὶ συγκινούμενον, ut alius videns ita monuerit Pyrrhum: σοὶ γὰρ ἐνορᾷ καὶ πρὸς σὲ τέτακται πολέμιος μεστὸς ὢν καὶ θυμοῦ τοὺς δ᾽ ἄλλους ἐᾷ χαίρειν. Cerda.

763. *Tacitus.*] Hoc est, latens. *Servius.*

Vestigia lustrat.] In Eclog. *tua dum vestigia lustro.* Cerda.

766. *Hos aditus, jamque hos aditus,* &c.] In antiquo codice *hos aditus jamque hos abitus* legitur: quod ejus diligentiam ostendit, ut non prius adire velit, quam præviderit, qua sit etiam abeundum. *abitus* porro Donatus agnoscit, sed de Camilla dictum intelligit, Quacunque abibat, vel quacunque habuit transitum, & quoscunque illa circuitus obibat, observabat ille opperiens caussam, quo posset circumvenire fortiorem. *Pierius.*

767. *Circuitum.*] Proprie. Nam *circumire*, insidiantium est: unde est, *Nec gregibus nocturnus obambulat.* Servius.

Certam hastam.] Inevitabilem. Unde est è contrario, *Et incertam excussit cervice securim*, id est, infirmam, evitabilem. *Idem.*

768. *Sacer Cybele.*] Nunc montem pro numine, quod in eo colitur, posuit. Et bona occasio ad mortem Camillæ, ut sacerdotem majoris numinis conetur occidere: per quod quasi exauctoratur Dianæ favor, interveniente majoris numinis iracundia. *Idem.*

Eee 5 (Cybele.]

Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum: quem pellis aënis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Ipse,

Cybelo.] Locus est in quo Cybele colebatur. *Donatus.*

Forte sacer Cybele.] In codicibus aliquot antiquis *satus Cybele* legitur, ne *sacer* & *sacerdos*, quam ajunt nugationem, facerent. Sed quamvis *sacer*, pluribus scriptum sit in exemplaribus: quum tamen Donatus legat *Cybelo*, ut in Mediceo habetur codice: hoc est loco in quo *Cybele* colebatur: de quo superius dictum eo versu, *Hinc mater cultrix Cybeli.* mihi minime displiceret *satus Cybelo.* Pierius.

Olimque sacerdos.] Aut quia vetus sacerdos, aut cujus etiam majores sacerdotes fuissent, quibus apud veteres in sacra quoque succendebantur. *Servius.*

Olimque sacerdos.] Non negat tunc fuisse. ita ego puto. *Cerda.*

769. *Longe fulgebat.*] Vel longe fulgebat, vel longe insignis. *Servius.*

770. *Spumantem.*] Indicat equi ferocitatem. Ita Nonnus l. 10. Dionys.

Ἀφρὸν ἀκοντίζων χιονώδεα, μάρτυρα λύσσης·

Spumam evibrans instar nivis, testem furoris.

Eurip. in Suppl. ora equorum ait ἀφρὸν καταστάζοντα. Aristophan. in Lysist. ad explicandam apri iram, πολὺς δ' ἀμφὶ τὰς γένυας ἀφρὸς ἤνθει. *Cerda.*

Quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat.] Cataphractum eum fuisse significat. *Cataphracti* autem *equites* dicuntur, qui & ipsi ferro muniti sunt, & equos similiter munitos habent: de quibus Sallustius, *Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Pluma est in armatura ubi in laminam se indit. Nunc autem pro linteo pellem posuit: & *aneas squamas*, æreas laminas intelligimus. *In plumam* vero, in similitudinem plumæ: ut, *Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum*, id est, in antri similitudinem. Sane sciendum quod ipsos equites cataphractos dicimus. Salustius, *Et sequebantur equites cataphracti.* Servius.

Pellis ahenis, &c.] Sententia est, equum Chlorei ornatum pelle alicujus feræ, quæ pellis tota esset contecta æreis laminis in modum plumæ. Ita equus Æneæ lib. 8.

—— quem fulva leonis
Pellis obit totum præfulgens unguibus aureis.

Statius lib. 4. equum producit *velatum geminæ dejectu lyncis.* De equo Superbiæ Prudent. *—— quem pelle leonis*
Texerat, & validos villis oneraverat armos.

Cerda.

771. *In plumam squamis.*] Serpentis est & piscis, quam facit compositio naturalis. nam & ordinibus digesta est: & viarum plurimarum impressione distincta. Quicquid igitur in hanc similitudinem facit artifex, *squama* dicitur. hæc fit ex minutis laminis invicem se retinentibus, & ita digestis, ut est in avibus pluma. *Donatus.*

In plumam squamis.] Plumarium hoc opus attingit Sallust. citante illum Servio. Hoc scilicet ante inventos thoraces, qui essent, aut fusi, aut cusi ære. In Justin. l. 14. sunt *loricæ plumatæ.* & in Stat. l. 11. *thorax plumatus.* Ait enim,

Qua male jam plumis imus tegit inguina thorax.

Cerda.

Pellis ahenis in plumam squamis auroque inserta.] Laminæ rotundæ ferreæ, è quibus loricæ succudebantur, veteribus *plumæ* & *squamæ* dictæ; quod *plumarum* squamarumque similitudinem referrent, ac in modum earum essent consertæ. Similiter etiam *plumas* vocarunt notas ex auro vel purpura, quibus in modum plumarum intertexebantur ac variebantur. Hanc *artem plumandi* vel *plumariam* dixerunt Lati-

ni,

Ipse, peregrina ferrugine clarus & ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu.
Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida: tum croceam chlamidemque sinusque crepantis
Car-

ni, Græci, ποικιλτικὴ τέχνη & ποικίλλειν. Meminit ejus Flavius Vopiscus in Carino cap. 20. *Jam quid lineas petitas Ægypto loquar? quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles?* Ad quem locum videndus omnino Cl. Salmasius. *Emmeness.*

Auroque inserta tegebat.] Exemplaria fere omnia vetustiora legunt, *auro conserta*. Nam particula *que*, importune omnino videbatur adposita. *Pierius.*

Auroque conserta.] Ita Servius, & MSS. & Agell. lib. 2, 6. alii, *auroque inserta*. Taubm.

772. *Peregrina ferrugine.*] Ut Hibera, id est, Hispana, nam ipse hoc alibi exposuit, *Et ferrugine clarus Hibera*. Quidam purpura accipiunt, quod ejus prima tinctura ferrugineo colore sit. *Servius.*

Peregrina.] Quasi dicat, ex melioribus regionibus advecta. *Donatus.*

Peregrina ferrugine clarus & ostro.] Erat insignis exotica, id est, nobilissima veste ostrina & quidem *ferruginei* coloris, qui ferro candenti similis, & alibi *hyacinthinus* dicitur. ut sit ἐνδιαδυς. Alii simpliciter *ferrum* interpretantur: quod prima purpuræ tinctura ferrugineo colore fit. Alibi:

—*ferrugine clarus Hibera,*

id est, Hispana. *Taubmannus.*

773. *Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu.*] Cretenses sagittas Lycio arcu dirigebat: quod, etiam ut supra diximus, ad ornatum poni consuevit. *Serv.*

Cornu.] Hoc loco ligni genus dixit, non alicujus animalis. *Donatus.*

Lycio Cortynia cornu.] Et *Cortynia* per C, & *Gortynia* per G, indifferenter scribi posse ostendimus alibi. *Pierius.*

Lycio Cortynia cornu.] *Cortynos*, aut *Gortynos* urbs Cretæ, quæ, ut tota Creta, sagittandi arte floruit. Inde κατ' ἐξοχὴν *spicula Cortynia*. Plutar. in vita Cleomen. βέλεσι χρῶνται τοὺς Κρῆτας. & Plinius cap. 36. lib. 16. loquens de usu sagittarum: *præcipuus hic usus in Creta*. Sic & Lycii, ut in genere omnes Orientales. Inde arcus cornua ab illis sumit etiam κατ' ἐξοχὴν. Sunt *cornua* in arcu, quæ postea Poeta vocat *capita*, eo versu, *donec curvata coirent inter se capita, &c.* Cerda.

774. *Aureus ex humeris, &c.*] De hoc decore & lumine orationis ex Homero petito, vide P. Victorium l. 35. c. 12. *Taubm.*

Aureus ex humeris sonat arcus.] Statius lib. 7. Thebaid ỳs. 659.

Quam super à tergo velox corytos & arcus,

Pendentesque sonant aurata lince pharetræ. Emmeness.

Vati.] Hic vatem, supra sacerdotem, ut de Heleno utrumque. *Servius.*

Sonat arcus.] Stat. 4. Theb.

—*trux læva sonat arcus, & aspera plumis*

Terga Cydonæa Corythos arundine pulsat.

De Phœbo 4. Æneid. *Tela sonant humeris.* De Hercule lib. Epig. ὀϊστευτὸς ἐπ' ὤμοις ἴθι. *Cerda.*

775. *Cassida.*] Pro *cassis*: nam accusativum posuit pro nominativo. *Serv.*

Cassida.] Servius accusativum ait pro nominativo positum. Valerius Probus contra, Virgilius, inquit, *hæc cassida* declinavit. Exemplaque referuntur à Carisio cum hoc ipso *aurea vati cassida*, ex Propertio, *Aurea cui postquam nudavit Cassida frontem*. Pierius.

Cassida.] Pari forma Proper. Eleg. 11. lib. 3.

Aurea cui postquam nudavit cassida frontem.

Notat

Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma
Troïa, captivo sive ut se ferret in auro,

Vena-

Notat Serv. poni à Virg. accusativum pro nominativo. Firmat ejus mentem Passerat. in Propert. nam & Varro *compedam* posuit pro *compes*, & *chlamyda* pro *chlamys*. & Festus *Itonida* pro *Itonis*. Difficilis expeditio Poëtarum. Facilius expedies, si dicas, formam esse harum vocum duplicem, ut inflectatur *cassis, cassidis*, &, *cassida, cassidæ*, ut &, *compes, compedis*, &, *compeda, compedæ*; & sic in aliis: ita tamen, ut altera formetur à quarto casu primæ. Quod in verbis Græcorum usitatissimum, nam barytona multa formantur à futuris aliorum barytonorum. Festus ait: *Cassidam antiqui pro casside ponebant.* Ita enim Festi locum legit Luc. Fruterius lib. Verisim. cap. 5. *Cerda.*

Sinusque crepantes.] Statius etiam in veste lib. 7. Theb.

— crepat aurea grandine multa
Palla.

Hanc locutionem assumpsit Sidon. ep. 7. lib. 1. *crepantes adulationum bullas.* Sophocl. in Antig. dixit χρυσοῦ καναχῆς. Possum existimare *crepanti vesti* opponi directe εἵματα σιγαλόεντα Homeri ad verbum, *tacentes vestes*; interpretes reddunt *artificiosas*. Ergo σιγαλόεντα, quasi σιγῶντα, & præ teneritudine, & earum tenuitate μὴ ἠχοῦντα. *Idem.*

776. *Carbaseos.*] Ait chlamydem fuisse croceam, & in ea *sinus carbaseos*. Ita lib. 8. ait de Tybri, *eum tenuis glauco velabat amictu Carbasus.* Cum glaucus color non multum abeat à croceo, videtur carbasus hoc colore infici solita à veteribus, congruente in unam rem utroque Virgilii loco. Et quidem Chlorei chlamys fuit carbasea, ad eum modum, quo notat Plin. lib. 19. cap. 1. ad finem, induci ab Hom. pugnatores *thoracibus lineis.* vox Hom. 2. Iliad. est λινοθώρηξ. Sic ergo thorax Chlorei esse potuit ex carbaso linea infecta colore croceo. *Idem.*

Sinus Carbaseos.] Statius lib. 7. Thebaid. ℣s. 656.

Brachiaque in manicis, & pictæ vincula palmæ
Carbaseique sinus & fibula rasilis auro.

Emmeness.

Fulvo in nodum collegerat auro.] Videtur hic nodus fuisse in pectore ex imitatione Prudentii Psychom.

Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens à pectore nodum.

Cerda.

777. *Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum.*] *Pictus tunicas, pictus crurum barbara tegmina*, id est, habebat vestem Phrygionis arte perfectam. Sane armorum longa descriptio illuc spectat, ut in eorum cupiditatem merito Camilla videatur esse succensa. *Servius.*

Barbara.] Nomen artis, qualis esset tunica, demonstravit; nam hujusmodi vestes acu pictæ dicuntur. Tegebantur autem crura ejus barbarico opere tegminibus factis, & hoc nomen est: nam qui hanc exercent, *Barbaricarii* dicuntur, exprimentes ex auro & coloratis filis hominum formas, & diversorum animalium, & specierum imitatam subtilitate veritatem. *Donatus.*

Barbara.] Phrygia. nam Phryges olim vocabant *barbaros*. Alii *barbara* exponunt, *Ibera*, ex illo 9. Æn. ℣s. 582.

Pictus acu chlamydem & ferrugine clarus Ibera.

Pimpontius τὸ κάλυμμα τῶν αἰδοίων, id est, *braccas*, putat innui. *Taubm.*

778. *Templis præfigeret arma.*] Vide lib. 1. Æn. ℣s. 248. *Emmeness.*

780. *Cer-*

Venatrix unum ex omni certamine pugnæ
Cæca sequebatur; totumque incauta per agmen
Femineo prædæ & spoliorum ardebat amore:
Telum ex insidiis cum tandem tempore capto
Concitat, & superos Arruns sic voce precatur:
Summe deûm, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo

Pasci-

780. *Certamine pugnæ.*] Forte ab Lucret. qui lib. 4.

At contra conferre manu certamina pugnæ. Cerda.

782. *Fœmineo.*] Impatienti, inrationabili: ut, *Fœmineæ ardentem curæque iræque coquebant.* Servius.

783. *Tandem.*] Quia diu insectatus fuerat. *Donatus.*

Tempore capto.] Quod supra, *arrepto tempore Turnus.* Cerda.

784. *Conjicit.*] Veteres quidem aliquot codices *conicit* legunt, idque uti mos unico *i*, sed longe plures *concitat.* & ita etiam in eo legitur, cui subjecta sunt Donati, quæ vidimus, commentaria. Nam & oraturus est prius, & opem Apollinis multis precibus imploraturus, deinde missurus hastam, quare multo post ait, *Ergo ut missa manu sonitum dedit hasta per auras.* Pierius.

Voce precatur.] Non est pleonasmus, sed modum explicat. Poterat enim precatio fieri mussitatione quadam. An voces pleonasmum, illud Didonis in 4.

Hæc precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.

Non certe. Certe pleonasmus, cum sit vitiosus, nolo sit in Rege Poëtarum ullus, quantumvis illis Homerus scateat. *Cerda.*

785. *Summe deûm.*] Ex affectu colentis dicitur. nam Juppiter summus est. *Servius.*

Sancti custos Soractis Apollo.] Soractis mons est Hirpinorum in Flaminia collocatus. In hoc autem monte cum aliquando Diti patri sacrum persolveretur (nam diis manibus consecratus est) subito venientes lupi exta de igni rapuerunt, quos cum diu pastores sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeo ut juxta stantes necaret, & exinde est orta pestilentia, quia fuerant lupos secuti: de qua responsum est posse eam sedari si lupos imitarentur, id est, rapto viverent. Quod postquam factum est, dicti sunt ipsi populi *Hirpini Sorani.* Nam lupi Sabinorum lingua *Hirpi* vocantur. *Sorani* vero, à Dite: nam Ditis pater *Soranus* vocatur: quasi lupi Ditis patris. Unde memor rei Virgilius Aruntem paulo post comparat lupo: quasi Hirpinum Soranum. *Idem.*

Sancti.] Sacrati, dicati tibi. Catull.

Quid tibi si sancti concesserit Incola Itonis? Cerda.

Soractis.] V. N. Æn. 7. ℣. 696. *Taubmannus.*

786. *Primi.*] Electi. *Donatus.*

Pineus ardor.] Ignis ἀειφεγγής. *Servius.*

Acervo.] Pyra, coacervatione lignorum. *Idem.*

Cui pineus ardor acervo Pascitur.] De eodem ritu Silius l. 5.

—— patrio cui ritus in arvo,
Cum pius arcitenens accensis gaudet acervis
Exta ter innocuos late portare per ignes.
Sic in Apollinea semper vestigia pruna
Inviolata geras, victorque vaporis (id est, sacer semper, & inviolatus sacerdos maneas) *ad aras*
Dona serenato (id est, placato) *referas solemnia Phœbo, &c.*

Est

Paſcitur; & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus veſtigia pruna;
Da, pater, hoc noſtris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. non exuvias pulſæve tropæum
Virginis, aut ſpolia ulla peto. mihi cetera laudem
Facta ferent. hæc dira meo dum vulnere peſtis
Pulſa cadat, patrias remeabo inglorius urbes.

Audiit

Eſt autem *pineus ardor*, ſimpliciter, ardor, vel ignis. quam elegantiam vulgo ignotam Sophoclis exemplo Antigone illuſtrat ingenioſiſſ. noſter Heinſius, qui πευκάεις ἥφαιστος dixit. *Apollinea pruna* eſt Ἀπολλώνειος φέψαλος, ut Ariſtoph. loquitur: quam Maro *pineam* vocat. *Acervum* etiam ignis materiam eleganter uterque dixit. De hac re tota vide mihi Heinſium, ad illa Silii, in *Crepundiis*. Meminit & Plinius, lib. 7. cap. 2. *Taubm.*

787. *Freti pietate.*] Iſte quidem hoc dixit: ſed Varro ubique expugnator religionis ait, cum quoddam medicamentum deſcriberet: *Eo uti ſolent Hirpini ambulaturi per ignem, medicamento plantas ungunt.* Servius.

Medium freti pietate per ignem Cultores multa premimus veſtigia pruna.] Hi cultores Apollinis *Hirpi* ſunt dicti. Meminit eorum Plinius lib. 7. cap. 2. *Haud procul urbe Roma in Faliſcorum agro familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ: quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non aduruntur. Et ob id perpetuo ſenatuſconſulto militiæ omniumque aliorum munerum vacationem habent.* Idem ferme ex Plinio refert Solinus; niſi quod dicat eos ardentibus lignorum ſtruibus ambulare. In quo à Virgilio & Plinio diſſentit; illi enim id fieri teſtantur, cum jam ſtrues in carbones & prunas deſedit. Locus eſt in cap. 8. *E memorabilibus inclytum & inſigniter per omnium vulgatum ora, quod perpaucæ familiæ ſunt in agro Phaliſcorum, quos Hirpos vocant. Hi ſacrificium annuum ad montem Soractis Apollini faciunt: id operantes geſticulationibus religioſis, impune inſultant ardentibus lignorum ſtruibus, in honorem divinæ rei flammis parcentibus. Cujus devotionis myſterium munificentia ſenatus honorata, Hirpis perpetuo conſulto omnium munerum vacationem dedit.* Male autem hoc loco, notante Salmaſio ad dictum Solini locum, Servius *Hirpinos*, Samnitium Lucanorumque vicinum populum, cum *Hirpis* familiis tantum quibuſdam in agro Phaliſcorum confundit. Illum vide pag. 85. & ſeq. *Emmeneſſ.*

788. *Multa pruna.*] In pruna. *Pruna* autem quandiu ardet dicitur. Horatius, *Prætextam & latum clavum, prunæque batillum.* Cum autem extincta fuerit, *carbo* nominatur. Terentius, *Tam excoctam atque atram reddam, quam carbo eſt.* Nam *pruna* à perurendo dicta eſt. *Servius.*

789. *Da pater.*] Hoc verbum jam intruſit inter ea, quibus precatio ad Deos fieret, Briſſonius, multiſque firmavit. Sed illuſtriora ſunt teſtimonia duo, quibus utitur Germ. nam in re cædis, ut etiam Virg. Euripid. Phœniſſ. δός μοι κτανεῖν ἀδελφόν. Æſchyl. ἐν χοηφ. δός μοι τίσασθαι μόρον πατρός. C.

790. *Exuvias, pulſæve trophæum.*] Exuvias occiſæ pulſæ trophæum. Et proprie. nam ut ſupra diximus de occiſis hoſtibus triumphabant, de pulſis figebant trophæa. *Servius.*

792. *Facta ferent.*] In antiquis pleriſque codicibus non ſine judicio ſcriptum obſervavi *ferant*, per loquendi modum indefinitum. *Pierius.*

793. *Patriam remeabo inglorius urbem.*] In codicibus omnibus antiquis, quot-

Audiit, & voti Phœbus ſuccedere partem
Mente dedit: partem volucris diſperſit in auras.
Sterneret ut ſubita turbatam morte Camillam,
Adnuit oranti: reducem ut patria alta videret,
Non dedit; inque notos vocem vertêre procellæ.
Ergo, ut miſſa manu ſonitum dedit haſta per auras,
Convertêre animos acris, oculoſque tulere
Cuncti ad reginam Volſci. nihil ipſa neque auras,
Nec ſonitus memor, aut venientis ab æthere teli;
Haſta

quotquot legi, *patrias remeabo inglorius urbis*, numero multitudinis ſcriptum inveni: quod tamen in medio relinquimus. *Idem.*

Remeabo inglorius urbem.] Quod Homer. 2. Iliad. δύσκλεα Ἄργος ἱκέσθαι. *Cerda.*

794. *Partem Mente dedit, partem volucres diſperſit in auras.*] Bona moderatio Apollinis inter ſacerdotis preces, & voluntatem ſororis. *Servius.*

795. *Partem volucres diſperſit in auras.*] Eſt hoc, quod Hom. 12. Iliad. de Aſio precante, οὐδὲ Διὸς πεῖθε φρένα. Sed ſervata forma Virg. Lucanus lib. 5.

—— *in ventos impendo vota, fretumq;*

Ovid. in Epiſt. Sapphûs,

—— *& Zephyri verba caduca ferunt.*

Tibullus quoque Eleg. 4. lib. 1. ait ventos ferre perjuria. Pulchre dixit Eurip. in Hecub. λόγοι πρὸς αἰθέρα φροῦδοι, Nam ſermones commiſſi auris vanidi ſunt. *Cerda.*

800. *Convertere animo acies.*] Aliqui hic legunt *acres.* Placuit *acies*, & ſic etiam legit Serv. Pet. Daniel. *Idem.*

801. *Nihil ipſa, nec auras, nec ſonitus memor.*] Hæc eſt antiqua lectio. Namque apud majores trahebatur interdum à Græco genitivus ſingularis. Hinc eſt & *paterfamilias* & *materfamilias*: quæ duo tantum nomina remanſerunt. nam nec *hujus auras* dicimus, nec *hujus cuſtodias* ſecundum Salluſtium, qui ait, *Caſtella cuſtodias theſaurorum*: pro *cuſtodiæ*. Etenim ita Aſper intelligit: licet alii *cuſtodias* accuſativum velint. Sane *paterfamiliâs* & *materfamiliâs* quando dicimus, *familias* indeclinabile eſt. Si autem *paterfamiliæ* dixerimus, jam non erit nomen: ſed locutio, & *familiæ* erit dativus. Nam *pater mihi eſt* dicimus. Terentius, *Natura tu illi pater es, conſiliis ego.* Multi tamen volunt in numero plurali nomen utrunque declinari, ut dicamus *hi patresfamilia, horum patrumfamiliarum.* Servius.

Nihil ipſa nec auræ, nec ſonitus memor.] *Auras*, antiquam eſſe lectionem Servius aſſeverat, genitivum à Græco ſermone mutuo ſumptum, ut *pater familias* dicitur. & apud Salluſtium, *Caſtella cuſtodias theſaurorum*, pro *cuſtodiæ*. Vetera tamen hæc exemplaria quæ præ manibus habemus, *auræ* legunt Latina ſpecie. ſed unum etiam non præteribo, eſſe codices aliquot, in quibus *nihil illa neque auræ* ſcriptum ſit. *Pierius.*

Nec auras.] Ita Aſper & Servius leg. *auras*: ut ſit Græcæ & antiquæ declinationis Genitivus, *αὔρα, αὔρας.* Et hoc unice etiam rectum clamitat J.C. Scaliger, de Cauſſ. L. L. cap. 85. & ab imperitis mutatum eſſe in *auræ*. Hunc autem locum, de voto Aruntis, quem conferunt cum illo in XVI. Iliad. ubi Achilles Jovem pro Patroclo orat, Scaliger animoſiſſime defendit contra Grammaticorum lites, lib. 5. cap. 3. *Taubmannus.*

803. Ex-

Hasta sub exsertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suscipiunt. fugit ante omnis exterritus Arruns
Lætitia mixtoque metu: nec jam amplius hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montis sese avius abdidit altos,
Occiso pastore lupus magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, silvasque petivit.
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns;

Con-

803. *Exsertam papillam.*] Nudam. Sane *mamilla* est omnis eminentia uberis: *papilla* vero breve illud unde lac trahitur. *Servius.*

Exsertam papillam.] More Amazonum expapillatam. V. N. Plauti Mil. act. 4, 4. *Taubm.*

804. *Hæsit.*] Ita infixa est, ut non elaberetur. *Idem.*

Virgineumque alte bibit acta cruorem.] Ait Macrob. cap. 6. lib. 6. ductum hoc ab illo Hom. qui de hasta, λιλαιομένη χροὸς ἆσαι· *cupida satiare se corpore.* Adjungo illi Euripidem, qui in Herc. Fur. hastis dat *cupiditatem.* ἧς (videlicet τυραννίδος) μακραὶ λόγχαι πηδῶσ' ἔρωτι· *propter quam* (tyrannidem) *longæ hastæ saltant præ cupiditate.* ad verbum, *præ amore.* Non dissidet illud Propert. Eleg. 12. lib. 3.

Neve tua Medæ lætentur cæde sagittæ.

& à Virg. Petron. *Syllanus bibit ensis.* τὸ *alte*, est, quod sæpe alias, *penitus.* Cerda.

805. *Dominam.*] Reginam: ut, *Hi dominam ditis thalamo deducere adorti.* Servius.

806. *Ante omnes.*] Demissis omnibus actionibus. *Donatus.*

807. *Lætitia mixtoque metu.*] In Romano codice *mæstoque metu* legitur, ut *lætitiæ* sit antitheton. sed enim *mixto* longe castior est lectio. *Pierius.*

Lætitia mixtoque metu.] Conjunctio ista variorum affectuum pulcherrima est. Ita 1. Æneid. *Lætitiaque, metuque avidi.* Sall. Iugurth. *Lætos modo, modo pavidos animadverteres.* Cerda.

808. *Nec telis concurrere virginis audet.*] Sic fuerat consternatus, ut etiam vulneratam timeret. *Servius.*

809. *Ac velut ille.*] Servit hæc vox ornatui, non significationis necessitati. Vide Æn. 10. ℣s. 707. & Scalig. l. 4, 34. Poët. Hæc autem comparatio ex Hom. Iliad. 16. de Antilocho sumpta est. In quibus tamen, auctore Scaligero lib. 5. cap. 3. maxima est differentia. Eum vide. *Taubm.*

811. *Occiso pastore lupus.*] Bene pastori comparat reginam. nam reges ipsi *pastores* vocantur. Homerus, ποιμένα λαῶν. *Servius.*

Magnoque juvenco.] In antiquis exemplaribus *magnove.* quod si diligentius animadvertas, longe melius est. *P.*

812. *Caudam pavitantem.*] Quæ timorem indicat: pro, *ipse pavitans.* Serv.

Caudamque remulcens.] Id est, reflectens. sic enim lupi & canes timentes caudam reflectunt, ut eam sub verenda reducant. Sic, *demulcere aures*, pro demittere, Lactant. dixit: Turneb. l. 21. cap. 22. Hunc metum in quadrupedibus Græci exprimunt per ὀῤῥωδεῖν. unde ὀῤῥοπύγιον. *Taubm.*

814. *Turbidus.*] Timidus modo, supra

Contentusque fuga mediis se inmiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat volnere mucro.
Labitur exsanguis: labuntur frigida leto
Lumina. purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam ex æqualibus unam
Adloquitur; fida ante alias quæ sola Camillæ,
Quicum partiri curas; atque hæc ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui: nunc vulnus acerbum
Con-

pra terribilis: ut, *Venulo adversum se turbidus infert.* Servius.

Arruns.]In antiquis plerisque codicibus, & hic & alibi *Arrons* per *o* scriptum est, passimque *rr* geminato. sed Probus notat *Aruns*, *Aruntis* per *u*. P.

815. *Med.is se inmiscuit armis.*]Exemplo Homeri (ait Germ.) Iliad. 16. qui inducit Euphorbum percusso Patroclo refugientem. ἀνέδραμε, inquit, &c, μίκτο δ' ὁμίλῳ. *Cerda.*

816. *Illa manu, &c.*] Est hoc, quod de Pallante in 10.

Ille rapit calidum frustra de vulnere telum.

Quod Hom. 13. Iliad. ἐν χερσὶ ἔγχος ἀνέσπασεν. *Idem.*

817. *Mucro.*] Hinc apparet *mucronem* esse cujuslibet teli acumen. *Serv.*

818. *Labitur exanguis.*] Plerique codices antiqui *exsanguis* scribunt dictione nihil quicquam corrupta. uti etiam *exsolvit* & *exspirans*, & similia. Donatus legere videtur, *Labitur & sanguis, labuntur frigida letho Lumina*, addita paraphrasi, *recedente per lapsum sanguine, oculi quoque morientis labuntur in mortem.* Pierius.

Frigida letho.] Alii *telo* legunt, & intelligunt *vulnere*. Et quidam labuntur letho, non letho frigido, sed letho labuntur. Alii *frigida letho* accipiunt, quia sequitur post, *Captum letho posuit caput*: Nonnulli frigida lumina tradunt, scilicet ignis calore extincto, ut è contrario, *Ad cælum tendens ardentia lumina.* Servius.

Labuntur frigida leto Lumina.] Ait oculos labi in morte. Huc spectavit, ni fallor, Quintil. in præfat. l. 6. ubi de filio moriente: *Tuosne ego, ô meæ spes inanes, labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi?* & Ovid. 3. Trist. Eleg. 3.

Nec mandata dabo, nec cum clamore supremo
Labentes oculos claudet amica manus.

Cerda.

822. *Quicum.*] Tametsi placet *quicum*: dicendum tamen, vetera pleraque exemplaria *quacum* legere. *Pierius.*

Partiri curas.] Subaudis *consueverat*. Servius.

Partiri curas.] Ea forma, qua supra, *mecum partire laborem.* qua Phædrus in fabell.

Amplexus ille utramque, & carpens oscula,
Dulcemque in ambos charitatem partiens.

quem in locum vide Rittershus. *Cerda.*

Hæc ita fatur.]Unum abundat. nam supra ait, *Adloquitur.* Servius.

823. *Potui.*] Absolute: pugnare vel vivere. necessaria enim Eclipsis in defectione, quæ ex arte non semel posita est. *Idem.*

Potui.] Non subaudio cum Serv. *potui vivere, pugnare.* Imo, *potui*, est, ἐδυνήθην, *valui viribus, & potens fui bello.* Nam tametsi à re nihil differat, multum certe ab energia. *Cerda.*

823. *Hactenus, Acca soror, potui.*] Ovidius lib. 8. Metam. vs. 8x2.

Armenti modo dux vires in cornua sumo

Exſpectare dapes & plenæ pocula menſæ.
Hic amor, hoc ſtudium; dum ſacra ſecundus haruſpex
Nuntiet, ac lucos vocet hoſtia pinguis in altos.
Hæc effatus, equum in medios moriturus & ipſe
Concitat, & Venulo adverſum ſe turbidus infert,
Dere-

ruſticum, vivorum, mortuorum. Rationem cur tam multis ſacris ſerviret, ſuppeditat Apul. l. 1. Flor. ubi loquens de tibiæ ſonis: *ſeu tu velles Æolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Doricum bellicoſum.* Quæ verba pene gemina ſunt cum verbis Luciani in Harmonide, ubi dat tibiæ φρυγίου ἔνθεον, τῆς Λυδίας τὸ Βακχικὸν, τῆς Δωρίου τὸ σεμνὸν, τῆς Ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν. Sed nullis ſacris tam propriæ tibiæ, quam ſacris Bacchi, dicente Iſidoro: *Tibias appellatas putant, quod primum de cervinis tibiis, cruribuſque hinnulorum fierent: deinde per abuſionem ita cœptas vocari, etiam quæ non de cruribus oſſibuſque fierent.* Atqui cervina omnia & hinnulea Bacchi erant, ut apparet ex nebridibus. *Cerda.*

738. *Expectate.*] Pro *exſpectatis*, modum pro modo poſuit. *Servius.*

Expectare dapes.] Impreſſorum plurimi, *expectare*, modo perpetuo ſcribendum curavere, ut ſit, non *ſegnes expectare.* eaque lectio in aliquot omnino codic. antiquis invenitur. In omnibus vero Vaticanæ Bibliothecæ, in Mediceo, in Porcio, in Vitaliano, & pleriſque aliis *expectate* legitur, imperandi modo: quod Servius agnoſcere videtur, dum exponit, *pro expectetis:* niſi quis Infinitivum more Græcorum pro Imperativo poſitum dicere velit. Non elidi vero *s* literam ex eo verbo, dictum alibi. *Pierius.*

Plenæ menſæ.] Arripuit Propert. Eleg. 16. l. 2.

Nunc, ſine me, plena fiunt convivia menſa.

Et Virg. à Plauto fortaſſe, qui Men. *apud menſam plenam homini roſtrum deliges.* Non diſſimile Sueton. in Iul. c. 34. *pleno convivio.* Cerda.

739. *Hic amor, hoc ſtudium.*] Per parentheſim dictum eſt, nam ordo eſt, *pocula menſæ, dum ſacra ſecundus aruſpex Nuntiet.* Servius.

Secundus aruſpex.] Pro *ſecunda ſacra*, id eſt, proſpera: ſicut è contrario Homerus μάντι κακῶν, id eſt, malorum divine. *Idem.*

Aruſpex.] Proprie. Differunt enim augur, & aruſpex: ille ab avium geſtu, & garritu dictus: hic ab inſpectione tantum animalium. Ergo in ſacris, ubi hoſtia, *aruſpex* Virgilianus. Ennius 1. Ann. diſcriminatim, *dant operam auſpicio, augurioque.* Cerda.

740. *In altos lucos.*] Illic epulabantur ſacris diebus. Mire autem *Vocet hoſtia*, pro, ut ad hoſtiam conveniatis. *Servius.*

741. *Moriturus & ipſe.*] Moriturus animo. nam moriturus non eſt. Quod autem ait *Et ipſe*; aut ad Camillam, aut ad Venulum reſpicit. *Idem.*

Moriturus & ipſe.] *Moriturus* autem, non ut illi, animo paratus ad mortem ſe in hoſtem intulit. Rapuit autem Venulum ab equo ſedentem, & ante ſe in equo ſuo collocatum portavit. Hoc factum, quia non admittebat fidem, poſſe dorſo equi diripi armatum, addidit difficultatem, dicens: *multa vi concitus aufert:* ut majore virtute atque impetu venientis id factum legentes, fieri potuiſſe facilius credant. *Donatus.*

742. *Turbidus.*] Id eſt, terribilis. *Servius.*

Infert.] In Romano codice, & in Mediceo, *offert*, atque in aliquot aliis: quod omnino Donatus agnoſcit, dum ait, *Obtulit ſe Venulo adverſum: debuit enim aliquid prior audere, qui omnium hortator extiterat.* Pierius.

743. De-

Dereptumque ab equo dextra cōplectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in cælum clamor: cunctique Latini
Convertere oculos. volat igneus æquore Tarchon,
Arma virumque ferens: tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum; & partis rimatur apertas,
Qua vulnus letale ferat: contra ille repugnans
Sustinet à jugulo dextram, & vim viribus exit.
Utque volans alte raptum cum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæsit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,

Arre-

743. *Dereptumque ab equo dextra complectitur hostem.*]Hoc de historia tractum est. Nam Cajus Cæsar, cum dimicaret in Gallia, & ab hoste raptus equo ejus portaretur armatus, occurrit quidam ex hostibus qui eum nosset, & insultans ait, Cæsar Cæsar: quod Gallorum lingua *dimitte* significat: & ita factum est ut dimitteretur. Hoc autem ipse Cæsar in Ephemeride sua dicit, ubi propriam commemorat felicitatem. Est & alia hujus rei historia; Varro enim cum de suo nomine disputaret, ait eum qui primus Varro sit appellatus, in Illyrico hostem Varronem nomine quod rapuerat, & ad suos portaverat, insigne ex facto meruisse. * *Servius.*

745. *Tollitur in cælum clamor.*] Rei scilicet admiratione. *Idem.*

Tollitur in cælum clamor.] Ducit Macrob. c. 1. l. 6. ab illo Ennii,

Tollitur in cælum clamor tum exortus utrinsque. Cerda.

748. *Rimatur.*] Inquirit, ut, *rimanti telum ira facit.* *Servius.*

750. *Exit.*] Evitat: ut, *Atque oculis vigilantibus exit.* Idem.

Vim viribus exit.] Id est, evitat. Lucr. lib. 5.

Nam transversa feros exibant dentis adactus
Jumenta, &c.

Vide Not. Æn. 5. vs. 438.

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit. Taubm.

751. *Utque volans alte raptum.*] Homerica comparatio: & utrum *alte volans*, an *alte raptum*, an *alte fert*? Servius.

Utque volans, &c.] Aquilæ comparatio aptissima. Ut enim & aquila & serpens fortissimi sunt: ita illi duo fortissimi erant. itidem mira perspicacitate, ut illi sunt. *Donatus.*

Utque volans alte raptum, &c.] Cicero in Mario:

Hic Jovis altisoni subito pennata satelles
Arboris è trunco serpentis saucia morsu,
Subjicit ipsa feris transfigens unguibus anguem
Semianimum & varia graviter cervice micantem,
Quem se intorquentem lanians rostroque cruentans
Jam satiata animos, jam duros ulta dolores
Abjicit efflantem, laceratum affligit in unda,
Seque obitu à Solis nitidos convertit ad ortus. Ursin.

Utque volans alte, &c.] Homerica comparatio ex Il. XII. de qua multa Macrobius, lib. 5. cap. 13. Cui tamen Jul. Cæs. Scaliger lib. 5. c. 3. os barbarum acerrime verberat: quem videas. *Taubmannus.*

753. *Sinuosa volumina versat.*] Oppianus lib. 2. Hal. de serpente loquens,

etiamsi

Arrectisque horret squamis, & sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minus urguet obunco
Luctantem rostro; simul æthera verberat alis.
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. ducis exemplum eventumque secuti
Mæonidæ incurrunt. tum fatis debitus Arruns
Velocem jaculo & multa prior arte Camillam

Cir-

etiamsi in pugna cervorum. ὁ δ᾽ ἐλίσσεται ἀμφί τε γοῦνα, δειρήν τε, στέρνον τε· *ille vero implicatur circa genua, collum, pectus.* & lib. 2. de Venat. de hac fera, στροφάλιγξιν ἐοικυιόμενον δολιχῇσιν· *longis voluminibus contortam.* Ibidem, ἑλισσόμενον περὶ γούνασιν. Hæc serpentium volumina vocat Eurip. in Med. σπείρας περιπλόκους. *Cerda.*

754. *Arrectisque horret squamis.*] Serpentis ferocitatem simili malo oppressi ita describit Oppian. lib. 2. Cyneg.

—ἐς δ᾽ αἰθέρα θ᾽ ὑψόσ᾽ ἀείρει
Λευγαλέην δειρήν, λευκοὺς δ᾽ ὑπέφηνεν ὀδόντας
Ὀξέα πεφρικῶτας. ἐπικροτέει δὲ γένυσσιν
Πικροῖς φυσιόων συρίγμασιν ἰοφόρος θήρ.

—*ad cœlum alte attollit*
Funestam cervicem, albosque dentes expedit.
Acute rigentes, colliditque malas
Acerbis spirans sibilis venenata bestia.
Idem.

755. *Arduus insurgens: illa haud minus urget adunco Luctantem rostro.*] In codicibus aliquot antiquis, *arduos* legitur: quam terminationem Carisius, in his præsertim nominibus, quæ in *us* purum exeunt, nequaquam admittere voluit, de quo plura alibi. Quod vero *adunco*, in Romano codice legitur, in Oblongo *obunco* est, uti etiam superius, in Mediceo, & aliquot aliis *abunco* per *b*, utrunque in plerisque abrasa litera nihil certi proponit. *Pierius.*

756. *Luctantem rostro.*] Magna brevitate rem descripsit. *Servius.*

Æthera verberat alis.] Alcimus l. 4. de Mundi origine,

Illa volans longe diverberat aëra plausu.
Cerda.

757. *Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarchon portat ovans.*] Apto huc notam Scal. lib. 2. Poet. cap. 28. *Unum Venulum habes, quem vivum aufert Tarchon, cujus rei exitum cum haud ponit, nonne vir est incomparabilis? Hæc est varietas, quæ hiscentem perducit auditorem ad finem usque.* Idem.

758. *Ducis exemplum eventumque.*] Et virtutem & felicitatem. Exemplum quod cœpit, eventum quod prospere. *Servius.*

Ducis eventum exemplumque secuti.] In antiquis codicibus, *exemplum eventumque.* par enim est rem prius aggredi, quam quid inde eveniat spectare possis. *Pierius.*

759. *Mæonidæ.*] Lydii: ut, *Mæonidæ delecta juventus.* Servius.

Fatis debitus.] Eodem sensu χρεώχρεον ψυχὴν dixit Josephus c. 3 l. 1. Bell Jud. id est, *damnatam animam.* Intellige *fatum* κατὰ μοῖραν. Fatale enim huic hoc mortis genus, cui oppone ὑπὲρ μόρον. Eodem sensu, quo hic *debitus,* Horat. Od. 36. l. 1.

Placare vituli sanguine debito
Custodes Numidæ Deos.
Cerda.

Aruns.] Hic fortasse Hetruscus genere, nam Plutar. in vita Camilli meminit Aruntis cujusdam Hetrusci, sive Arrontis. *Idem.*

760. *Arte.*] Fraude, dolo: ut, *Arte Pelasga.* Servius.

762. *Qua*

Circuit, &, quæ sit fortuna facillima, tentat.
Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Arruns subit, & tacitus vestigia lustrat:
Qua victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat,
Hac juvenis furtim celeris detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum; & certam quatit inprobus hastam.
Forte sacer Cybelæ Chloreus, olimque sacerdos,
Insi-

762. *Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo, Hac Aruns subit.*] Ut etiam supra diximus, ita Poëta loquitur, ut aliquibus locis det suspicionem quod Aruns de Turni partibus fuerit. namque & in Camillam impetum facit, & cum ea rursus recedit: quod nisi de socio non procedit. Donatus etiam dicit esse manifestum signum socium ei fuisse: quod Apollinem Soractis invocat montis, de quo Turno auxilia constat venisse, licet possit fieri ut alterius loci homo, alterius loci invocet numen. Item ad argumentum vocat, *Patrias remeabo inglorius urbes:* quod etiam de hoste procedit. *Inglorius* autem ideo, quia superare fœminam, nullam constat esse virtutem. Aut quia nec gloriari poterat, si Camillam earundem partium occidisset, ut quod supra dictum est, videatur eam invidia peremisse, quod viris præripiat gloriam & sola nobiliter pugnet Camilla. *Idem.*

Qua se cunque furens, &c.] In antiquis aliquot codicibus, *qua se cumque ferens*, legitur, quod nonnullis & honestius, & decorum magis videtur. Sed enim *furens*, Ti. Donatus agnoscit, dum sic ait, *Dixit autem caussam, qua perfectum est, ut illa explorantis Arruntis non sentiret insidias. ferebatur* inquit *studio belli & furore certaminum.* Pierius.

Qua se cumque furens, &c.] Ab hoc versu Prudent. in Psychom.

Quo se cumque fugax trepidis fert cursibus agmen.

Est apud Plut. in vita Pyrrhi quidpiam simillimum. Inducit Scriptor Italum quempiam in bello ἐπέχοντα τοῦ Πύῤῥου, καὶ τὸν ἵππον ἀντιπαρεξάγοντα, καὶ συμμεθιστάμενον ἀεὶ, καὶ συγκινούμενον, ut alius videns ita monuerit Pyrrhum: σοὶ γὰρ ἐνορᾷ καὶ πρὸς σὲ τέτακται πολέμιος μεστὸς ὢν καὶ θυμοῦ τοὺς δ' ἄλλους ἐᾷ χαίρειν. Cerda.

763. *Tacitus.*] Hoc est, latens. *Servius.*

Vestigia lustrat.] In Eclog. *tua dum vestigia lustro.* Cerda.

766. *Hos aditus, jamque hos aditus, &c.*] In antiquo codice *hos aditus jamque hos abitus* legitur: quod ejus diligentiam ostendit, ut non prius adire velit, quam præviderit, qua sit etiam abeundum. *abitus* porro Donatus agnoscit, sed de Camilla dictum intelligit, Quacunque abibat, vel quacunque habuit transitum, & quoscunque illa circuitus obibat, observabat iste opperiens caussam, quo posset circumvenire fortiorem. *Pierius.*

767. *Circuitum.*] Proprie. Nam *circumire*, insidiantium est: unde est, *Nec gregibus nocturnus obambulat.* Servius.

Certam hastam.] Inevitabilem. Unde est è contrario, *Et incertam excussit cervice securim*, id est, infirmam, evitabilem. *Idem.*

768. *Sacer Cybele.*] Nunc montem pro numine, quod in eo colitur, posuit. Et bona occasio ad mortem Camillæ, ut sacerdotem majoris numinis conetur occidere: per quod quasi exauctoratur Dianæ favor, interveniente majoris numinis iracundia. *Idem.*

 Cybele.]

Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum: quem pellis aënis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Ipse,

Cybelo.] Locus est in quo Cybele colebatur. *Donatus.*

Forte sacer Cybele.] In codicibus aliquot antiquis *satus Cybele* legitur, ne *sacer* & *sacerdos*, quam ajunt nugationem, facerent. Sed quamvis *sacer*, pluribus scriptum sit in exemplaribus: quum tamen Donatus legat *Cybelo*, ut in Mediceo habetur codice: hoc est loco in quo *Cybele* colebatur: de quo superius dictum eo versu, *Hinc mater cultrix Cybeli.* mihi minime displiceret *satus Cybelo.* Pierius.

Olimque sacerdos.] Aut quia vetus sacerdos, aut cujus etiam majores sacerdotes fuissent, quibus apud veteres in sacra quoque succendebantur. *Servius.*

Olimque sacerdos.] Non negat tunc fuisse. ita ego puto. *Cerda.*

769. *Longe fulgebat.*] Vel longe fulgebat, vel longe insignis. *Servius.*

770. *Spumantem.*] Indicat equi ferocitatem. Ita Nonnus l. 10. Dionys.

Ἀφρὸν ἀκοντίζων χιονώδεα, μάρτυρα λύσσης·

Spumam evibrans instar nivis, testem furoris.

Eurip. in Suppl. ora equorum ait ἀφρὸν χαλαστίζοντα. Aristophan. in Lysist. ad explicandam apri iram, πολὺς δ' ἀμφὶ τὰς γνάθους ἀφρὸς ἐξέσσυτο. *Cerda.*

Quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat.] Cataphractum eum fuisse significat. *Cataphracti* autem *equites* dicuntur, qui & ipsi ferro muniti sunt, & equos similiter munitos habent: de quibus Sallustius, *Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Pluma est in armatura ubi in laminam se indit. Nunc autem pro linteo pellem posuit: & *aeneas squamas*, æreas laminas intelligimus. *In plumam* vero, in similitudinem plumæ: ut, *Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum*, id est, in antri similitudinem. Sane sciendum quod ipsos equites cataphractos dicimus. Salustius, *Et sequebantur equites cataphracti.* Servius.

Pellis ahenis, &c.] Sententia est, equum Chlorei ornatum pelle alicujus feræ, quæ pellis tota esset contecta æreis laminis in modum plumæ. Ita equus Æneæ lib. 8.

—— quem fulva leonis
Pellis obit totum præfulgens unguibus aureis.

Statius lib. 4. equum producit *velatum geminæ dejectu lyncis.* De equo Superbiæ Prudent. *—— quem pelle leonis*
Texerat, & validos villis oneraverat armos.

Cerda.

771. *In plumam squamis.*] Serpentis est & piscis, quam facit compositio naturalis. nam & ordinibus digesta est: & viarum plurimarum impressione distincta. Quicquid igitur in hanc similitudinem facit artifex, *squama* dicitur. hæc fit ex minutis laminis invicem se retinentibus, & ita digestis, ut est in avibus pluma. *Donatus.*

In plumam squamis.] Plumarium hoc opus attingit Sallust. citante illum Servio. Hoc scilicet ante inventos thoraces, qui essent, aut fusi, aut cusi ære. In Justin. l. 14. sunt *loricæ plumatæ.* & in Stat. l. 11. *thorax plumatus.* Ait enim,

Qua male jam plumis imus tegit inguina thorax.

Cerda.

Pellis ahenis in plumam squamis auroque inserta.] Laminæ rotundæ ferreæ, è quibus loricæ succudebantur, veteribus *plumæ* & *squamæ* dictæ; quod *plumarum* squamarumque similitudinem referrent, ac in modum earum essent confertæ. Similiter etiam *plumas* vocarunt notas ex auro vel purpura, quibus in modum plumarum intertexebantur ac variebantur. Hanc *artem plumandi* vel *plumariam* dixerunt Lati-

ni,

Ipse, peregrina ferrugine clarus & ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu.
Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida: tum croceam chlamidemque sinusque crepantis
Car-

ni, Græci, ποικιλτικὴ τέχνη & ποικίλλειν. Meminit ejus Flavius Vopiscus in Carino cap. 20. *Jam quid lineas petitas Ægypto loquar? quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles?* Ad quem locum videndus omnino Cl. Salmasius. *Emmeness.*

Auroque inserta tegebat.] Exemplaria fere omnia vetustiora legunt, *auro conserta.* Nam particula *que*, importune omnino videbatur adposita. *Pierius.*

Auroque conserta.] Ita Servius, & MSS. & Agell. lib. 2, 6. alii, *auroque inserta.* Taubm.

772. *Peregrina ferrugine.*] Ut Hibera, id est, Hispana, nam ipse hoc alibi exposuit, *Et ferrugine clarus Hibera.* Quidam purpura accipiunt, quod ejus prima tinctura ferrugineo colore sit. *Servius.*

Peregrina.] Quasi dicat, ex melioribus regionibus advecta. *Donatus.*

Peregrina ferrugine clarus & ostro.] Erat insignis exotica, id est, nobilissima veste ostrina & quidem *ferruginei* coloris, qui ferro candenti similis, & alibi *hyacinthinus* dicitur. ut sit ἐνδιαδυῖν. Alii simpliciter *ferrum* interpretantur: quod prima purpuræ tinctura ferrugineo colore fit. Alibi:

—*ferrugine clarus Hibera,*

id est, Hispana. *Taubmannus.*

773. *Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu.*] Cretenses sagittas Lycio arcu dirigebat: quod, etiam ut supra diximus, ad ornatum poni consuevit. *Serv.*

Cornu.] Hoc loco ligni genus dixit, non alicujus animalis. *Donatus.*

Lycio Cortynia cornu.] Et *Cortynia* per C, & *Gortynia* per G, indifferenter scribi posse ostendimus alibi. *Pierius.*

Lycio Cortynia cornu.] *Cortynos*, aut *Gortynos* urbs Cretæ, quæ, ut tota Creta, sagittandi arte floruit. Inde κατ' ἐξοχὴν *spicula Cortynia.* Plutar. in vita Cleomen. βέλτιοι χρῶνται δὲ τοὺς Κρῆτας. & Plinius cap. 36. lib. 16. loquens de usu sagittarum: *præcipuus hic usus in Creta.* Sic & Lycii, ut in genere omnes Orientales. Inde arcus cornua ab illis sumit etiam κατ' ἐξοχὴν. Sunt *cornua* in arcu, quæ postea Poëta vocat *capita*, eo versu, *donec curvata coirent inter se capita, &c.* Cerda.

774. *Aureus ex humeris, &c.*] De hoc decore & lumine orationis ex Homero petito, vide P. Victorium l. 35. c. 12. *Taubm.*

Aureus ex humeris sonat arcus.] Statius lib. 7. Thebaid. ℣s. 659.

Quam super à tergo velox corytos & arcus,
Pendentesque sonant aurata lince pharetræ. Emmeness.

Vati.] Hic vatem, supra sacerdotem, ut de Heleno utrumque. *Servius.*

Sonat arcus.] Stat. 4. Theb.

—*trux læva sonat arcus, & aspera plumis*
Terga Cydonæa Corythos arundine pulsat.

De Phœbo 4. Æneid. *Tela sonant humeris.* De Hercule lib. Epig. διεζωστῷ ἐπ' ὤμοισιν ἰόν. *Cerda.*

775. *Cassida.*] Pro *cassis*: nam accusativum posuit pro nominativo. *Serv.*

Cassida.] Servius accusativum ait pro nominativo positum. Valerius Probus contra, Virgilius, inquit, *hæc cassida* declinavit. Exemplaque referuntur à Carisio cum hoc ipso *aurea vati cassida*, ex Propertio, *Aurea cui postquam nudavit Cassida frontem.* Pierius.

Cassida.] Pari forma Proper. Eleg. 11. lib. 3.

Aurea cui postquam nudavit cassida frontem.

Notat

Carbaſeos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, ſive ut templis præfigeret arma
Troïa, captivo ſive ut ſe ferret in auro,

Vena-

Notat Serv. poni à Virg. accuſativum pro nominativo. Firmat ejus mentem Paſſerat. in Propert. nam & Varro *compedam* poſuit pro *compes*, & *chlamyda* pro *chlamys*. & Feſtus *Itonida* pro *Itonis*. Difficilis expeditio Poëtarum. Facilius expedies, ſi dicas, formam eſſe harum vocum duplicem, ut inflectatur *caſſis*, *caſſidis*, &, *caſſida*, *caſſidæ*, ut &, *compes*, *compedis*, &, *compeda*, *compedæ*; & ſic in aliis: ita tamen, ut altera formetur à quarto caſu primæ. Quod in verbis Græcorum uſitatiſſimum, nam barytona multa formantur à futuris aliorum barytonorum. Feſtus ait: *Caſſidam antiqui pro caſſide ponebant.* Ita enim Feſti locum legit Luc. Fruterius lib. Veriſim. cap. 5. *Cerda.*

Sinuſque crepantes.] Statius etiam in veſte lib. 7. Theb.

— crepat aurea grandine multa
Palla.

Hinc locutionem aſſumpſit Sidon. ep. 7. lib. 1. *crepantes adulationum bullas.* Sophocl. in Antig. dixit χρυσοῦ καναχῆς. Poſſum exiſtimare *crepanti veſti* opponi directe εἵματα σιγαλόεντα Homeri ad verbum, *tacentes veſtes*; interpretes reddunt *artificioſas.* Ergo σιγαλόεντα, quaſi σιγῶντα, & præ teneritudine, & earum tenuitate μὴ ἠχοῦντα. *Idem.*

776. *Carbaſeos.*] Ait chlamydem fuiſſe croceam, & in ea *ſinus carbaſeos.* Ita lib. 8. ait de Tybri, *eum tenuis glauco velabat amictu Carbaſus.* Cum glaucus color non multum abeat à croceo, videtur carbaſus hoc colore infici ſolita à veteribus, congruente in unam rem utroque Virgilii loco. Et quidem Chlorei chlamys fuit carbaſea, ad eum modum, quo notat Plin. lib. 19. cap. 1. ad finem, induci ab Hom. pugnatores *thoracibus lineis.* vox Hom. 2. Iliad. eſt λινοθώρηξ. Sic ergo thorax Chlorei eſſe potuit ex carbaſo linea infecta colore croceo. *Idem.*

Sinus Carbaſeos.] Statius lib. 7. Thebaid. ꝟſ. 656.

Brachiaque in manicis, & pictæ vincula palmæ
Carbaſeique ſinus & fibula raſilis auro.

Emmeneſſ.

Fulvo in nodum collegerat auro.] Videtur hic nodus fuiſſe in pectore ex imitatione Prudentii Pſychom.

Carbaſea ex humeris ſummo collecta coibat
Palla ſinu, teretem nectens à pectore nodum.

Cerda.

777. *Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum.*] *Pictus tunicas*, *pictus crurum barbara tegmina*, id eſt, habebat veſtem Phrygionis arte perfectam. Sane armorum longa deſcriptio illuc ſpectat, ut in eorum cupiditatem merito Camilla videatur eſſe ſuccenſa. *Servius.*

Barbara.] Nomen artis, qualis eſſet tunica, demonſtravit; nam hujuſmodi veſtes acu pictæ dicuntur. Tegebantur autem crura ejus barbarico opere tegminibus factis, & hoc nomen eſt: nam qui hanc exercent, *Barbaricarii* dicuntur, exprimentes ex auro & coloratis filis hominum formas, & diverſorum animalium, & ſpecierum imitatam ſubtilitate veritatem. *Donatus.*

Barbara.] Phrygia. nam Phryges olim vocabant *barbaros.* Alii *barbara* exponunt, *Ibera*, ex illo 9. Æn. ꝟſ. 582.

Pictus acu chlamydem & ferrugine clarus Ibera.

Pimpontius τὸ κάλυμμα τῶν αἰδοίων, id eſt, *braccas*, putat innui. *Taubm.*

778. *Templis præfigeret arma.*] Vide lib. 1. Æn. ꝟſ. 248. *Emmeneſſ.*

780. *Cer-*

Venatrix unum ex omni certamine pugnæ
Cæca ſequebatur; totumque incauta per agmen
Femineo prædæ & ſpoliorum ardebat amore:
Telum ex inſidiis cum tandem tempore capto
Concitat, & ſuperos Arruns ſic voce precatur:
Summe deûm, ſancti cuſtos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo

Paſci-

780. *Certamine pugnæ.*] Forte ab Lucret. qui lib. 4.

At contra conferre manu certamina pugnæ. Cerda.

782. *Fœmineo.*] Impatienti, irrationabili: ut, *Fœminea ardentem curæque iræque coquebant.* Servius.

783. *Tandem.*] Quia diu inſectatus fuerat. *Donatus.*

Tempore capto.] Quod ſupra, *arrepto tempore Turnus.* Cerda.

784. *Conjicit.*] Veteres quidem aliquot codices *conicit* legunt, idque uti mos unico *i*, ſed longe plures *concitat.* & ita etiam in eo legitur, cui ſubjecta ſunt Donati, quæ vidimus, commentaria. Nam & oraturus eſt prius, & opem Apollinis multis precibus imploraturus, deinde miſſurus haſtam, quare multo poſt ait, *Ergo ut miſſa manu ſonitum dedit haſta per auras.* Pierius.

Voce precatur.] Non eſt pleonaſmus, ſed modum explicat. Poterat enim precatio fieri muſſitatione quadam. An voces pleonaſmum, illud Didonis in 4.

Hæc precor, hanc vocem extremam cum ſanguine fundo.

Non certe. Certe pleonaſmus, cum ſit vitioſus, nolo ſit in Rege Poëtarum ullus, quantumvis illis Homerus ſcateat. *Cerda.*

785. *Summe deûm.*] Ex affectu colentis dicitur. nam Juppiter ſummus eſt. *Servius.*

Sancti cuſtos Soractis Apollo.] Soractis mons eſt Hirpinorum in Flaminia collocatus. In hoc autem monte cum aliquando Diti patri ſacrum perſolveretur (nam diis manibus conſecratus eſt) ſubito venientes lupi exta de igni rapuerunt, quos cum diu paſtores ſequerentur, delati ſunt ad quandam ſpeluncam, halitum ex ſe peſtiferum emittentem, adeo ut juxta ſtantes necaret, & exinde eſt orta peſtilentia, quia fuerant lupos ſecuti: de qua reſponſum eſt poſſe eam ſedari ſi lupos imitarentur, id eſt, rapto viverent. Quod poſtquam factum eſt, dicti ſunt ipſi populi *Hirpini Sorani.* Nam lupi Sabinorum lingua *Hirpi* vocantur. *Sorani* vero, à Dite: nam Ditis pater *Soranus* vocatur: quaſi lupi Ditis patris. Unde memor rei Virgilius Aruntem paulo poſt comparat lupo: quaſi Hirpinum Soranum. *Idem.*

Sancti.] Sacrati, dicati tibi. Catull.

Quid tibi ſi ſancti conceſſerit Incola Itonis? Cerda.

Soractis.] V. N. Æn. 7. ℣ſ. 696. *Taubmannus.*

786. *Primi.*] Electi. *Donatus.*

Pineus ardor.] Ignis ἀειφεγγής. *Servius.*

Acervo.] Pyra, coacervatione lignorum. *Idem.*

Cui pineus ardor acervo Paſcitur.] De eodem ritu Sillius l. 5.

—— patrio cui ritus in arvo,
Cum pius arcitenens accenſis gaudet acervis
Exta ter innocuos late portare per ignes.
Sic in Apollinea ſemper veſtigia pruna
Inviolata geras, victorque vaporis (id eſt, ſacer ſemper, & inviolatus ſacerdos maneas) *ad aras*
Dona ſerenato (id eſt, placato) *referas ſolemnia Phœbo, &c.*

Eſt

Paſcitur; & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus veſtigia pruna;
Da, pater, hoc noſtris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. non exuvias pulſæve tropæum
Virginis, aut ſpolia ulla peto. mihi cetera laudem
Facta ferent. hæc dira meo dum vulnere peſtis
Pulſa cadat, patrias remeabo inglorius urbes.

Audiit

Eſt autem *pineus ardor*, ſimpliciter, ardor, vel ignis. quam elegantiam vulgo ignotam Sophoclis exemplo Antigone illuſtrat ingenioſiſſ. noſter Heinſius, qui πευκήεις ἥφαιστος dixit. *Apollinea pruna* eſt Ἀπολλώνειος φέψαλος, ut Ariſtoph. loquitur: quam Maro *pineam* vocat. *Acervum* etiam ignis materiam eleganter uterque dixit. De hac re tota vide mihi Heinſium, ad illa Silii, in *Crepundiis*. Meminit & Plinius, lib. 7. cap. 2. *Taubm.*

787. *Freti pietate.*] Iſte quidem hoc dixit: ſed Varro ubique expugnator religionis ait, cum quoddam medicamentum deſcriberet: *Eo uti ſolent Hirpini ambulaturi per ignem, medicamento plantas ungunt.* Servius.

Medium freti pietate per ignem Cultores multa premimus veſtigia pruna.] Hi cultores Apollinis *Hirpi* ſunt dicti. Meminit eorum Plinius lib. 7. cap. 2. *Haud procul urbe Roma in Faliſcorum agro familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ: quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non aduruntur. Et ob id perpetuo ſenatuſconſulto militiæ omniumque aliorum munerum vacationem habent.* Idem ferme ex Plinio refert Solinus; niſi quod dicat eos ardentibus lignorum ſtruibus ambulare. In quo à Virgilio & Plinio diſſentit; illi enim id fieri teſtantur, cum jam ſtrues in carbones & prunas deſedit. Locus eſt in cap. 8. *E memorabilibus inclytum & inſigniter per omnium vulgatum ora, quod perpaucæ familiæ ſunt in agro Phaliſcorum, quos Hirpos vocant. Hi ſacrificium annuum ad montem Soractis Apollini faciunt: id operantes geſticulationibus religioſis, impune inſultant ardentibus lignorum ſtruibus, in honorem divinæ rei flammis parcentibus. Cujus devotionis myſterium munificentia ſenatus honorata, Hirpis perpetuo conſulto omnium munerum vacationem dedit.* Male autem hoc loco, notante Salmaſio ad dictum Solini locum, Servius *Hirpinos*, Samnitium Lucanorumque vicinum populum, cum *Hirpis* familiis tantum quibuſdam in agro Phaliſcorum confundit. Illum vide pag. 85. & ſeq. *Emmeneſſ.*

788. *Multa pruna.*] In pruna. *Pruna* autem quandiu ardet dicitur. Horatius, *Prætextam & latum clavum, prunæque batillum.* Cum autem extincta fuerit, *carbo* nominatur. Terentius, *Tam excoctam atque atram reddam, quam carbo eſt.* Nam *pruna* à perurendo dicta eſt. *Servius.*

789. *Da pater.*] Hoc verbum jam intruſit inter ea, quibus precatio ad Deos fieret, Briſſonius, multiſque firmavit. Sed illuſtriora ſunt teſtimonia duo, quibus utitur Germ. nam in re cædis, ut etiam Virg. Euripid. Phœniſſ. δός μοι κτανεῖν ἀδελφόν. Æſchyl. ἐν χοηφ. δός μοι πόσαι δῆς μόρον πατρός. *C.*

790. *Exuvias, pulſæve trophæum.*] Exuvias occiſæ pulſæ trophæum. Et proprie. nam ut ſupra diximus de occiſis hoſtibus triumphabant, de pulſis figebant trophæa. *Servius.*

792. *Facta ferent.*] In antiquis pleriſque codicibus non ſine judicio ſcriptum obſervavi *ferant*, per loquendi modum indefinitum. *Pierius.*

793. *Patriam remeabo inglorius urbem.*] In codicibus omnibus antiquis,

quot-

Audiit, & voti Phœbus ſuccedere partem
Mente dedit: partem volucris diſperſit in auras.
Sterneret ut ſubita turbatam morte Camillam,
Adnuit oranti: reducem ut patria alta videret,
Non dedit; inque notos vocem vertêre procellæ.
Ergo, ut miſſa manu ſonitum dedit haſta per auras,
Convertêre animos acris, oculoſque tulere
Cuncti ad reginam Volſci. nihil ipſa neque auras,
Nec ſonitus memor, aut venientis ab æthere teli;
Haſta

quotquot legi, *patrias remeabo inglorius urbis*, numero multitudinis ſcriptum inveni: quod tamen in medio relinquimus. *Idem.*

Remeabo inglorius urbem.] Quod Homer. 2. Iliad. δύσκλεα Ἄργος ἱκέσθαι. *Cerda.*

794. *Partem Mente dedit, partem volucres diſperſit in auras.*] Bona moderatio Apollinis inter ſacerdotis preces, & voluntatem ſororis. *Servius.*

795. *Partem volucres diſperſit in auras.*] Eſt hoc, quod Hom. 12. Iliad. de Aſio precante, οὐδὲ Διὸς πεῖθε φρένα. Sed ſervata forma Virg. Lucanus lib. 5.

— *in ventos impendo vota, fretumq;*

Ovid. in Epiſt. Sapphûs,

— *& Zephyri verba caduca ferunt.*

Tibullus quoque Eleg. 4. lib. 1. ait ventos ferre perjuria. Pulchre dixit Eurip. in Hecub. λόγοι πρὸς αἰθέρα φροῦδοι. Nam ſermones commiſſi auris vanidi ſunt. *Cerda.*

800. *Convertere animo acies.*] Aliqui hîc legunt *acres*. Placuit *acies*, & ſic etiam legit Serv. Pet. Daniel. *Idem.*

801. *Nihil ipſa, nec auras, nec ſonitus memor.*] Hæc eſt antiqua lectio. Namque apud majores trahebatur interdum à Græco genitivus ſingularis. Hinc eſt & *paterfamilias* & *materfamilias*: quæ duo tantum nomina remanſerunt. nam nec *hujus auras* dicimus, nec *hujus cuſtodias* ſecundum Salluſtium, qui ait, *Caſtella cuſtodias theſaurorum*: pro *cuſtodiæ*. Etenim ita Aſper intelligit: licet alii *cuſtodias* accuſativum velint. Sane *paterfamiliâs* & *materfamiliâs* quando dicimus, *familias* indeclinabile eſt. Si autem *paterfamiliæ* dixerimus, jam non erit nomen: ſed locutio, & *familiæ* erit dativus. Nam *pater mihi eſt* dicimus. Terentius, *Natura tu illi pater es, conſiliis ego.* Multi tamen volunt in numero plurali nomen utrunque declinari, ut dicamus *hi patresfamiliæ, horum patrumfamiliarum.* Servius.

Nihil ipſa nec auræ, nec ſonitus memor.] *Auras*, antiquam eſſe lectionem Servius aſſeverat, genitivum à Græco ſermone mutuo ſumptum, ut *pater familias* dicitur. & apud Salluſtium, *Caſtella cuſtodias theſaurorum*, pro *cuſtodiæ*. Vetera tamen hæc exemplaria quæ præ manibus habemus, *auræ* legunt Latina ſpecie. ſed unum etiam non præteribo, eſſe codices aliquot, in quibus *nihil illa neque auræ* ſcriptum ſit. *Pierius.*

Nec auras.] Ita Aſper & Servius leg. *auras*: ut ſit Græcæ & antiquæ declinationis Genitivus, αὔρα, αὔρας. Et hoc unice etiam rectum clamitat J.C. Scaliger, de Cauſſ. L. L. cap. 85. & ab imperitis mutatum eſſe in *auræ*. Hunc autem locum, de voto Aruntis, quem conferunt cum illo in XVI. Iliad. ubi Achilles Jovem pro Patroclo orat, Scaliger animoſiſſime defendit contra Grammaticorum lites, lib. 5. cap. 3. *Taubmannus.*

803. Ex-

Hasta sub exsertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suscipiunt. fugit ante omnis exterritus Arruns
Lætitia mixtoque metu: nec jam amplius hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montis sese avius abdidit altos,
Occiso pastore lupus magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, silvasque petivit.
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns;

Con-

803. *Exsertam papillam.*] Nudam. Sane *mamilla* est omnis eminentia uberis: *papilla* vero breve illud unde lac trahitur. *Servius.*

Exsertam papillam.] More Amazonum expapillatam. V. N. Plauti Mil. act. 4, 4. *Taubm.*

804. *Hæsit.*] Ita infixa est, ut non elaberetur. *Idem.*

Virgineumque alte bibit acta cruorem.] Ait Macrob. cap. 6. lib. 6. ductum hoc ab illo Hom. qui de hasta, λιλαιομένη χροὸς ἆσαι· *cupida satiare se corpore.* Adjungo illi Euripidem, qui in Herc. Fur. hastis dat *cupiditatem.* ἧς (videlicet τυραννίδος) μακραὶ λόγχαι πηδῶσ' ἔρωτι· *propter quam* (tyrannidem) *longæ hastæ saltant præ cupiditate.* ad verbum, *præ amore.* Non dissidet illud Propert. Eleg. 12. lib. 3.

Neve tua Medæ lætentur cæde sagittæ.

& à Virg. Petron. *Syllanus bibit ensis.* τὸ *alte*, est, quod sæpe alias, *penitus.* Cerda.

805. *Dominam.*] Reginam: ut, *Hi dominam ditis thalamo deducere adorti.* Servius.

806. *Ante omnes.*] Demissis omnibus actionibus. *Donatus.*

807. *Læticia mixtoque metu.*] In Romano codice *mœstoque metu* legitur, ut *læticiæ* sit antitheton. sed enim *mixto* longe castior est lectio. *Pierius.*

Lætitia mixtoque metu.] Conjunctio ista variorum affectuum pulcherrima est. Ita 1. Æneid. *Lætitiaque, metuque avidi.* Sall. Iugurth. *Lætos modo, modo pavidos animadverteres.* Cerda.

808. *Nec telis concurrere virginis audet.*] Sic fuerat consternatus, ut etiam vulneratam timeret. *Servius.*

809. *Ac velut ille.*] Servit hæc vox ornatui, non significationis necessitati. Vide Æn. 10. ℣s. 707. & Scalig. l. 4, 34. Poët. Hæc autem comparatio ex Hom. Iliad. 16. de Antilocho sumpta est. In quibus tamen, auctore Scaligero lib. 5. cap. 3. maxima est differentia. Eum vide. *Taubm.*

811. *Occiso pastore lupus.*] Bene pastori comparat reginam. nam reges ipsi *pastores* vocantur. Homerus, ποιμένα λαῶν. *Servius.*

Magnoque juvenco.] In antiquis exemplaribus *magnove.* quod si diligentius animadvertas, longe melius est. *P.*

812. *Caudam pavitantem.*] Quæ timorem indicat: pro, *ipse pavitans.* Serv.

Caudamque remulcens.] Id est, reflectens. sic enim lupi & canes timentes caudam reflectunt, ut eam sub verenda reducant. Sic, *demulcere aures*, pro demittere, Lactant. dixit: Turneb. l. 21. cap. 22. Hunc metum in quadrupedibus Græci exprimunt per ὀῤῥωδεῖν. unde ὀῤῥοπύγιον. *Taubm.*

814. *Turbidus.*] Timidus modo, supra

pra

Contentusque fuga mediis se inmiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat volnere mucro.
Labitur exsanguis: labuntur frigida leto
Lumina. purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam ex æqualibus unam
Adloquitur; fida ante alias quæ sola Camillæ,
Quicum partiri curas; atque hæc ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui: nunc vulnus acerbum
Con-

pra terribilis: ut, *Venulo adversum se turbidus infert.* Servius.

Arruns.]In antiquis plerisque codicibus, & hic & alibi *Arrons* per *o* scriptum est, passimque *rr* geminato. sed Probus notat *Aruns, Aruntis* per *u*. P.

815. *Mediis se inmiscuit armis.*]Exemplo Homeri (ait Germ.) Iliad. 16. qui inducit Euphorbum percusso Patroclo refugientem. *ἀνδέχαμε*, inquit, &c, *μίκτο δ' ὁμίλῳ. Cerda.*

816. *Illa manu, &c.*] Est hoc, quod de Pallante in 10.

Ille rapit calidum frustra de vulnere telum.

Quod Hom. 13. Iliad. *ἐν χερσὶ ἔγχος ἀνέσπασεν. Idem.*

817. *Mucro.*] Hinc apparet *mucronem* esse cujuslibet teli acumen. *Serv.*

818. *Labitur exanguis.*] Plerique codices antiqui *exsanguis* scribunt dictione nihil quicquam corrupta. uti etiam *exsolvit* & *exspirans*, & similia. Donatus legere videtur, *Labitur & sanguis, labuntur frigida letho Lumina*, addita paraphrasi, *recedente per lapsum sanguine, oculi quoque morientis labuntur in mortem.* Pierius.

Frigida letho.] Alii *telo* legunt, & intelligunt *vulnere*. Et quidam labuntur letho, non letho frigido, sed letho labuntur. Alii *frigida letho* accipiunt, quia sequitur post, *Captum letho posuit caput:* Nonnulli frigida lumina tradunt, scilicet ignis calore extincto, ut è contrario, *Ad cœlum tendens ardentia lumina.* Servius.

Labuntur frigida leto Lumina.] Ait oculos labi in morte. Huc spectavit, ni fallor, Quintil. in præfat. l. 6. ubi de filio moriente: *Tuosne ego, ô meæ spes inanes, labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi?* & Ovid. 3. Trist. Eleg. 3.

Nec mandata dabo, nec cum clamore supremo
Labentes oculos claudet amica manus.

Cerda.

822. *Quicum.*] Tametsi placet *quicum:* dicendum tamen, vetera pleraque exemplaria *quacum* legere. *Pierius.*

Partiri curas.] Subaudis *consueverat.* Servius.

Partiri curas.] Ea forma, qua supra, *mecum partire laborem.* qua Phædrus in fabell.

Amplexus ille utramque, & carpens oscula,
Dulcemque in ambos charitatem partiens.

quem in locum vide Rittershus. *Cerda.*

Hæc ita fatur.]Unum abundat. nam supra ait, *Adloquitur.* Servius.

823. *Potui.*] Absolute: pugnare vel vivere. necessaria enim Eclipsis in defectione, quæ ex arte non semel posita est. *Idem.*

Potui.] Non subaudio cum Serv. *potui vivere, pugnare.* Imo, *potui*, est, *ἐδυνήθην*, *valui viribus, & potens fui bello.* Nam tametsi à re nihil differat, multum certe ab energia. *Cerda.*

823. *Hactenus, Acca soror, potui.*] Ovidius lib. 8. Metam. v. 882.

Armenti modo dux vires in cornua sumo.

Conficit, & tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, & hæc Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnæ, Trojanosque arceat urbe.
Jamque vale. simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. tum frigida toto

Paul-

Cernua, dum potui, nunc pars caret altera telo

Frontis, &c. Ex restitutione Nic. Heinsii. *Emmeness.*

Vulnus acerbum.] Alludit ad immaturam mortem, & indebitam florenti ætati: de qua jam lib. 6. *Cerda.*

824. *Tenebris nigrescunt omnia circum.*] Nihil frequentius in Hom. qui sæpissime de his oculorum tenebris in morientibus. Libo paucula ex uno lib. 13. Iliad. in quo sum, cum hæc scribo. Ergo,

—— πυκὰ Τρώων ἐρεβεννὴ νὺξ ἐκάλυψε.

Et iterum:

—— Τὸν δὲ σκότος ὄσσ' ἐκάλυψε.

Et post pauca:

Τὸν δὲ κατ' ὀφθαλμῶν ἐρεβεννὴ νὺξ ἐκάλυψεν.

Demum forma alia:

—— Στυγερὸς δ' ἄρα μιν σκότος εἷλεν.

Euripides quoque millies hanc rem. Alcestis moritura,

Καὶ μὴν σκοτεινὸν ὄμμα μου βαρύνεται.

Iterum:

Σκοτία δ' ἐπ' ὄσσοισι νὺξ ἐφέρπει.

Et de moriente Hippolyto. κατ' ὄσσων κιχάνει μ' ἤδη σκότος. & de Polynice in Phœniss. ἤδη γάρ με περιβάλλει σκότος. Sed si quæras imitationem Virgilii veram, ea sumpta est ex Calabro, cui hæsit in toto hoc Camillæ occasu, quod sic efficio. Camilla moriens ex equo *fluit.* Penthesilea δουρὶ δ' ἐπικέκλιτ' ἵππῳ. Camilla *arma reliquit.* Penthesilea ἐκ δ' ἔβαλεν χειρὸς πέλεκυν. Camilla *labitur exsanguis.* De Penthesilea Græcus, μέλαν δέ οἱ ἔρρεεν αἷμα. De Camilla, *exsolvit se corpore.* Penthesilea ἀπεκλάσθη μελέεσσιν. Ut Camilla feritur in *papilla*, ita & Penthesilea. Ut Camillæ *nigrescunt omnia tenebris*, ita de Penthesilea, ἀμφὶ δέ οἱ νὺξ ὀφθαλμοὺς ἤχλυσε. *Idem.*

826. *Succedat pugnæ.*] Animus bellatricis ostenditur, quæ non se dolet lucem, sed bella deserere. In tantum ut nihil aliud moriens, quam de republica tuenda & bellum mandaret, & solum putaret idoneum Turnum in ejus vicem succedere. *Servius.*

Trojanosque arceat urbe.] In antiquis plerisque codicibus *urbi* per *i* legitur: sed melius per ablativum, *Finibus arceret.* Est etiam in Mediceo absque copulativa, *Trojanos arceat urbe.* Pierius.

827. *Linquebat habenas.*] Ita etiam de moriente Hom. Iliad. 16. ἐκ δ' ἄρα χειρῶν ἡνία ἠΐχθησαν. & lib. 11.

Ἐκ γὰρ σφέας χειρῶν φύγον ἡνία σιγαλόεντα.

Apud Stat. lib. 7. quendam equus suus, *nec jam arma, aut frena tenentem portat.* De moriente Pyrrho Plutarch. καὶ προήκατο τὰς ἡνίας αἱ χεῖρες. Imitationem si quæras, ea sumpta à Furio, qui lib. 1. Annal.

Ille gravi subito devinctus vulnere, habenas
Misit equi, lapsusque in humum defluxit, & armis
Reddidit æratis sonitum. ——

Cerda.

828. *Non sponte fluens.*] Non sponte, ut supra, *Portisque ab equo regina sub ipsis Desiluit: quam tota cohors imitata relictis Ad terram defluxit equis.* Servius.

Non sponte fluens.] Supra Georg. 3. *Ad terramque fluit devexo pondere cervix.* Germanus.

829. Pan-

Paullatim exsolvit se corpore, lentaque colla
Et captum leto posuit caput, arma relinquens:
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera: dejecta crudescit pugna Camilla.
Incurrunt densi simul omnis copia Teucrûm,

Tyr-

829. *Paulatim exsolvit se corpore.*] Sic in quarto, *Teque isto corpore solvo.* Servius.

Exsolvit.] Λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος· quæ Platoni mors est. Æneid. 4.

— *teque isto corpore solvo.*

Ibid. ✶ſ. 695.

Quæ luctantem animam, nexosque resolveret artus.

Lucret. lib. 3.

— *exsolvere sese*

Omnibus è nervis.

Taubm.

830. *Et captum letho posuit caput.*] Cum dicit *caput*, ostendit operam consecrari, usque dum solvatur caput hominis, id est, liberetur; quod facilius potest morte contingere, sicut supra dictum est. *Servius.*

Captum leto posuit caput.] Supra 5. de Palinuro: *Pone caput, fessosque oculos furare labori. Ponere*, est somni & fati: Propert. *Mecum habuit positum lenta puella caput:* de nocte, quam ab amica obtinuerat: ut Virg. 4. *Somno positæ sub nocte silenti:* & Propert. lib. 2. *Me juvet æternis positum languere corollis*, hoc est, vino prostratum, exporrectum, & jacentem, κείμενον. *Germanus.*

Arma relinquens.] Alii *arma relinquunt* legunt. Probus hypallagen vult vel contrarium, ut *ipsa relinquit.* Alii *arma relinquunt* * laudant dictum est, illa decidebant è manibus cum ille exanimi. *Servius.*

Arma relinquens.] In Romano codice & aliquot aliis *reliquit* verbi indicativi, non participii voce, ut tria sint membra, *Posuit caput, arma reliquit, vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras:* quæ ita Donatus etiam distinguit. *Pierius.*

831. *Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.*] Servat hoc ubique, ut juvenum animas à corporibus dicat cum dolore discedere, quod adhuc esse superstites potuerunt: quod etiam de Turno dicturus est. *Servius.*

Vitaque cum gemitu.] Reddidit versum Hom. Iliad. 16.

Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη, ἄϊδός δὲ βεβήκει.

Hoc ipso versu clauditur tota Æneis. Qui moriuntur indignabunde, dicuntur mori *cum gemitu*, ut hic Camilla, cui morti opponit directe Theocrit. loquens de Adonide, λεπτὸν ἀποψύχων. *Cerda.*

832. *Immensus clamor.*] Trojanorum scilicet, qui exultabant, & quorum animi aucti sunt Camilla moriente. *Servius.*

Ferit aurea clamor sydera.] Ita lib. 2. *ferit aurea sydera clamor.* &, *aurea sydera*, ut Eur. in Elect. χρυσέων ἄστρων. *Cerda.*

833. *Crudescit.*] Crudelior fit cæde multorum. *Servius.*

834. *Incurrunt densi.*] Romanus codex & aliquot alii pervetusti *concurrunt* legunt, sed Donatus *incurrunt* agnoscit. Ait enim, *in unum locum currunt, atque ex congesta multitudine facti sunt densi:* Teucri scilicet, Tyrrheni, & Arcades. *Pierius.*

Omnis copia.] Pro *totus exercitus*, ut, *Et quæ sit me circum, copia, lustro.* Serv.

Simul omnis.] Non est idem *omnes*, & *cuncti.* Sed *simul omnes*, & *cuncti*, idem est. *Cunctos* itaque Poëta intelligit. Sic lib. 3. *una omnes fecere pedem*, id est, cuncti. *Cerda.*

Tyrrhenûmque duces, Euandrique Arcades alæ.
At Triviæ custos jam dudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas:
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Prospexit tristi mulcatam morte Camillam;
Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:
Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello!
Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam

Pro-

835. *Euandrique Arcadis alæ.*] Romanus codex, Mediceus, & alii plerique legunt *Arcades alæ*, nominativo casu utrumque. *Pierius.*

836. *At Triviæ custos.*] Vel ministra, vel observatrix: Potest & pro comite accipi, vel custos mandatorum Triviæ, ne inulta Camilla moriatur. *Servius.*

At Triviæ custos.] Dianæ *custos*, id est, ministra & observatrix, *Opis*, cui ultio Camillæ erat commendata. Macrob. l. 3, 6. Cælius l. 20, 6. *Taubm.*

Triviæ custos.] Eodem modo vocem hanc usurpat Silius Italicus lib. 11.

Id postquam Herculeæ custos videt impiger aræ. Emmeness.

839. *Mulctatam.*] Affectam. *Mulctari* enim proprie *verberibus* dicimus.* *Servius.*

Tristi multatam morte Camillam.] In codicibus aliquot veteribus omnino *mulctatam* per *ct* scriptum est. in pluribus absque *c*, *multatam*, & in vetusto T. Livii codice passim, *multam*, *multare* & *multatitium*, & similia absque *c* litera scripta sunt. *Pierius.*

Mulcatam morte.] Alii leg. *mulctatam*. Sed Servius D. & Germ. Valens, & Erricus Memmius, omni contentione docent, *mulcatam* legendum, hoc est, affectam. Vide Not. nostras Plautin. Most. act. 4. sc. 2. *Taubm.*

841. *Crudele luisti supplicium.*] Juris verbo usus est. *Luere* enim debere dicitur qui pecuniam solvit, quod hic usurpatum est in capitis pœnam. Quidam hujus loci longam expositionem tradunt, Vulscos à Vulscatibus Ylinis originem ducere, Exclytas autem inter quos Amazones sunt, regionem Illyricam incolere * luisse ergo supplicium Camillam dicunt, quæ adversum Trojanos arma tulerit, quibus majores ejus auxilium constat tulisse, id est, Penthesilea. *Servius.*

Heu nimium, virgo, nimium.] Ita quoque geminat Claud. 2. Eutrop.

Me nimium timido, nimium junxêre remisso.

Tale quidpiam est apud veterem Poëtam Alpheum, cujus extat lib. 1. Epigram. hendecasyllabum hoc,

Τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει.

Cerda.

842. *Teucros conata lacessere.*] Propter illud, *Bellum importunum gerimus cum gente deorum.* *Heu* autem doloris exclamatio est. *Servius.*

843. *Desertæ in dumis.*] In silvis coluisse, aut dumis deserti, id est, soli & sine nobis. *Idem.*

Nec tibi desertæ, &c.] Talis ea conquestio lib. 4. Theb.

Nunc ubi bella tibi? nil te mea tela juvabunt,
Nec teretes arcus, &c.

Sed Virgilium aspirasse ad hoc Homericum, Germ. ait,

Ἀλλ' οὐ οἱ τότε γε χραῖσμ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα.

Cerda.

Coluisse Dianam Profuit.] Non deam incusat, sed fatorum necessitatem:

contra

Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras:
Non tamen indecorem tua te regina reliquit
Extrema jam in morte: neque hoc sine nomine letum
Per gentis erit; aut famam patieris inultæ.
Nam quicumque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum

Antiqui

contra quam nec numinis opitulatur auxilium. *Servius.*

844. *Nostras humero gessisse sagittas.*] In codicibus aliquot *gestasse* legitur, quod frequentiam & habitum ostendit. sed in pluribus *gessisse pharetras.* ex enim ab humero suspendi solent. *Pierius.*

Humero gessisse pharetras.] Hic cum *humero* in singulari jungit *pharetras* in plurali: contra 1. Æneid. *Illa pharetram fert humero.* Cerda.

845. *Tua te regina relinquet.*] In Romano codice *reliquit* præterito tempore. quia jam Diana præcaverat, quid agendum esset. In aliquot aliis *relinquit* est præsenti tempore, ut ostendat eam adesse. Quidam futurum malunt, ob synchroniam, *erit, patieris.* Pierius.

846. *Extrema jam in morte.*] Ita 2. Æneid.

Extrema jam in morte parant defendere telis.

Vere extrema mors, quæ *linea rerum,* ait Horat. *Cerda.*

Neque hoc.] In antiquis aliquot *nec* scribitur. sed multo dulcius est *neque hoc*, proferre. Est & *numine*, in Mediceo. *Pierius.*

Sine nomine.] Sine gloria, sine fama, quod fortiter fecit, vel quia dea vindicat. *Servius.*

847. *Famam patieris inultæ.*] Id est, non invindicatæ ignominiam sustinebis: quod etiam Dido dolet dicens, *Et moriemur inultæ: Sed moriamur ait.* Idem.

848. *Nam quicumque tuum violavit, &c.*] Nunquam atrocius mortales puniebant Dii, quam cum violassent, quæ sibi essent sacra. Ita 2. Æneid.

Nam si vestra manus violasset dona Minervæ,
Tum magnum exitium Priamo, Phrygibusque futurum.

Et supra in hoc libro,

—— infanda per orbem
Supplicia, & scelerum pœnas expendimus omnes, videlicet,
Quicunque Iliacos ferro violavimus agros.

Quasi Trojani agri sacri essent Diis. *Cerda.*

849. *Monte sub alto.*] Ut, *Monte sub aërio.* Apud majores, nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur. unde natum est, ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ. *Serv.*

Monte sub alto.] Scribit Serv. *Apud majores, nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur.* Firmabis ex Lucano, qui,

Et Regum cineres extructo monte quiescunt.

Ex Juvenale, qui Sat. 5.

Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ.

Inde sepulcra à Græcis κρηπῖδες vocantur, ut quæ in crepidinibus. *Cerda.*

850. *Regis Dercenni.*] Quidam de Stercenii Aboriginum, hoc nomen fictum putant * *Servius.*

Dercenni.] Alii *Dercennii.* aut *Dorcenni,* & *Dorcennii.* Quidam etiam *Tercenii.* Putatur fuisse aut Rex Aboriginum, aut fictum. Deest lux historiæ. *Cerda.*

Terreno ex aggere.] Alludit procul-

 dubio

Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum:
Hic Dea se primum rapido pulcherrima nisu
Sistit, & Arruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem;
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum,
Huc periture veni: capias ut digna Camillæ
Præmia. tune etiam telis moriere Dianæ?
Dixit, & aurata volucrem Threïssa sagittam

Deprom.

dubio ad sepulcrorum sepimenta, quæ dicebantur *tumuli* à tumore. Ita in 7. *Aggere composito tumuli.* Catull. de eadem re loquens, *excelso coacervatum aggere.* Hæc sepimenta fiebant ex materia aut saxea, aut terrea. Extremam inducit Poëta, de qua capiendus Plin. l. 35. c. 12. *Quin & defuncti sese multi fictilibus soliis condi maluere.* Non enim Plin. urnam fictilem intelligit, sed terreum tumulum, intra quem inclusa urna. *Cerda.*

Bustum.] Hoc loco sepulchrum. *Servius.*

Bustum.] Ponitur pro sepulcro, ut etiam ab Catullo,

Cum teres excelso coacervatum aggere bustum. Cerda.

851. *Opacaque ilice tectum.*] Ex dignitate & more. Strabo lib. 5 loquens de Augusto ait, ambitum sepulcri illius fuisse *intus alnis consitum*, ἐντὸς ᾗ αἰγείροις καλάφυτον. *Idem.*

Pulcherrima.] Bonam consilio hic intellige. *Donatus.*

Nisu sistit.] Alarum scil. Quod l. 4. *nitens Cyllenius alis constitit.* Lucret. lib. 6. dixit, *Pennarum nisus.* & postea *nictari*, & *insistere alis.* Cerda.

854. *Vana tumentem.*] Plenum falsæ gloriæ, quam Græci κενοδοξίαν dicunt. *Vana* autem *tumentem*, ut *infanda furentem.* *Servius.*

855. *Cur inquit diversus abis?*] Non quasi audienti dicat, ut *Macte nova virtute puer.* *Diversus* autem, à pugna diversus, vel *diversus*, quod fugit, quam occidit. *Idem.*

Cur inquit.] Hæc loquitur secum ex dolore. *Donatus.*

Cur diversus abis?] Ita lib. 5. *Quo diversus abis?* Stat. lib. 7. *Aquilonis hiatus in diversa ferunt.* Cerda.

856. *Digna Camillæ præmia.*] Sic in secundo, *Persolvant grates dignas, & præmia reddant Debita.* Item in decimo, *Et hæc tibi porto Dona prius.* Servius.

Digna Camillæ præmia.] In Romano cod. *Camilla* legitur ablativo casu: sed genitivo melius. *Pierius.*

857. *Tune etiam telis moriere Dianæ.*] Cum ingenti amaritudine dictum est. nam ei etiam genus invidet mortis. Quod autem ait *Tune etiam*, ad Niobes numerosam pertinet sobolem. *Servius.*

Tune etiam.] Indignatur quod telis Dianæ sit periturus. *Donatus.*

858. *Volucrem sagittam.*] Proprie, quia sagittis pennæ adglutinantur. *Servius.*

Threïssa.] Propter Amazonas: & hanc Virgilius non ita finxit, ut Tarpejam & cæteras, sed proprio nomine videtur induxisse, Græci * enim tradunt ouloforos ex hyperboreis, qui & ipsi sunt Treci in Insulam Delum venisse, hunc Hecaergon Apollinem & Dianam educasse, ut etiam ex cognominibus deorum, cum illa Opis, & hic Hecaergos appellatur, agnoscitur; quod supra plenius dictum est. *Idem.*

Threïssa.] Cur Opis ita dicatur, apparet ex commentatione Servii editi ex

Deprom̃sit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe; donec curvata coïrent
Inter se capita, & manibus jam tangeret æquis,
Læva aciem ferri, dextra nervoque papillam.

Extem-

ti ex bibliotheca Pet. Danielis, quæ tamen Commentatio mendis plurimis deformata est. Inde tamen elici potest, Nymphas ex Hyperboreis venisse in Thraciam ad Latonam, ad educandam Dianam. Una earum fortassis Opis fuit. *Cerda.*

Sagittam Deprompsit pharetra.] Ad verbum Hom. 4. Iliad. σύλα πῶμα φαρέτρης. Verbo alio Nonn. lib. 29. γυμνώσαϛ πῶμα φαρέτρης. *Idem.*

859. *Cornuque infensa tetendit.*] *Cornu* accusativus singularis est, ac si diceret, *Arcumque infensa tetendit.* nam horum dubiorum nominum casus ex similibus vel synonymis comprobantur. *Servius.*

Cornuque infensa tetendit, Et duxit longe, donec curvata coïrent Inter se capita, &c.] Ex hoc Virg. loco Silius l. 11.

——*junctis jam cornibus arcus*
Et ducti spatium nervi complente sagitta.

Quod autem Virgilius dicit *Opim dextra & nervo tetigisse papillam*, similem quoque arcum tendentium habitum exprimit Ammianus Marcellinus l. 25. *Juxtaque sagittarii tendebant divaricatis tibiis flexiles arcus, ut nervi mammas perstringerent dextra.* Emmeness.

860. *Et duxit longe.*] Egregia ὑποτύπωσις sagittantis. De qua Scal. l. 5. c. 3. Poët. quem omnino vide. *Taubmannus.*

Coïrent Inter se capita.] Homerica est ista descriptio. *Servius.*

Donec curvata coïrent Inter se capita.] Est hoc, quod Hom. 11. Iliad. ὁ δὲ τόξα πῆχυν ἀνέλκε. ubi πῆχυν posuit pro *cornu.* Nonn. l. 10. βέλος δ' ἐπὶ κυκλάδι νευρῇ εἷλκεν. Ut hic ἐπὶ κυκλάδι, ita Calaber lib. 10. verbum κυκλόω. κυκλώθη (inquit) δὲ κέρας. Ad verbum Ovid. 11. Metamorph. *Nec mora, curvavit cornu.* Nævius præclare, *cornuat aurum*, id est, curvat arcum aureum. Sidon. Paneg. Anthem.

Flexa reluctantes in cornua trudere nervos.

Ovid. 8. Metam.

Impositis calamis patulos sinuaverat arcus.

Hæc curvatio tota ad vim sagittæ emittendæ, scribente sic Plutarcho in vita M. Crassi. οὗτοι δὲ τὰς πληγὰς, καὶ βιαίως διδόντες ἀπὸ τόξων κραταιῶν καὶ μεγάλων, καὶ τῇ σκολιότητι τῆς καμπῆς ἠναγκασμένον τὸ βέλος ἀποστελλόντων. Ceterum verbum proprium artis hujus si velis scire, est *impleo.* Dicitur enim arcus *impleri* cum curvatur. Nam cum arcus sit semilunis, in curvatione reddit figuram Lunæ plenæ. Vegetius l. 1. c. 15. *Major adhibenda solertia, ut* (tyrones) *arcum scienter teneant, ut fortiter impleant, ut dextera cum ratione ducatur.* Sidon. epist. 2. lib. 1. *Spicula capit, implet, expellit.* Sermo est de arcu. *Cerda.*

Capita.] Sidon. epist. 2. lib. 1. *Acceptum* (arcum) *insinuatis è regione capitibus intendit.* Idem.

Coïrent capita.] Extremitates arcus: Vetus P. apud Varr. hoc *cornuare* vocat. *Taubmannus.*

861. *Manibus æquis.*] Pro *æqualiter*, vel *æquantibus*, & licitum Poëtæ, nomen pro adverbiis aut participiis ponere. *Servius.*

862. *Læva aciem ferri, &c.*] Hunc lævæ manus contactum ad teli cuspidem, dextræ ad pectus aut papillam, egregie excogitavit Virg. cum Homerus tantum dixerit 4. Iliad.

Νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον.

Plebejum hoc esse jam censuit Scalig. Cum Virgilius multo illustrius complexus fuerit manuum æquale officium, simul

Extemplo teli ſtridorem auraſque ſonantis
Audiit una Arruns, hæſitque in corpore ferrum.
Illum exſpirantem ſocii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt:
Opis ad ætherium pennis auſertur Olympum.
Prima fugit, domina amiſſa, levis ala Camillæ:
Turbati fugiunt Rutuli: fugit acer Atinas:

Disje-

ſimul & diverſum. Nonnus lib. 29. ſententiam hanc dilatat hunc in modum:

Ἰὸν ἑλὼν περιβλῆτα καὶ εἴρυσεν ἠθάδα νευρὴν,
Τόξον ὑποδιοτόρῳ παλάμῃ κυκλούμενον ὁλκῷ.
Ἀκρόταλεν δὲ σίδηρον ἐρειδόμενος περὶ τόξῳ
Φοίνια νεῦρα βόεια πελάσσατο γείτονι μαζῷ.

Commode autem hunc in locum adducit Germ. verba hæc Euſtath. in 6. Il. Ἰστέον ὅτι ἀρχαϊκὸν τὸ τὴν νευρὰν πελάζειν τῷ μαζῷ, ὃ καὶ Ἀμαζόνες ἐποίουν, ὡς περιείρεται τὸν δὲ μέχρι, καὶ εἰς τὸ δεξιὸν οὖς αὐτὴν ἐντανύειν, νεώτερον ὡς καὶ Περκόπιος ἐν τοῖς Λιβυκοῖς περιοιμιαζόμενος ἱστορεῖ. *Cerda.*

863. *Teli ſtridorem.*] Homerus, ἔκλαγξαν δ᾽ ἄρ᾽ ὀϊστοὶ ἐπ᾽ ὤμων. *Servius.*

Teli ſtridorem.] Ita Virgil. *ſtridens haſta, ſagitta, phalarica, telum*, variis locis. Alibi *ſtridente jaculo.* Cerda.

864. *Audiit una Aruns hæſitque in corpore ferrum.*] Celeritas jaculantis exprimitur, ſic Statius cum jam percuſſum dixiſſet, extinctum ait, *Necdum certi tacet arcus Amyntæ.* Multi nolunt in medio diſtingui, propter exprimendam celeritatem. *Servius.*

866. *Obliti.*] Nonnulli Virgilium ſecundum vetuſtatem hoc verbo uſum tradunt, ut obliti ἀμελήσαντες, hoc eſt, negligentes & contemnentes putent, viderant enim peremptum, ſed neglexerunt: Ergo ſcientes liquerunt, ut *oblitus decorisque ſui*, & *oblitus fatorum.* Alii obliti ubi reliquerant neſcientes, & eſt ſenſus *obliti illum.* Idem.

Ignoto camporum in pulvere linquunt.] Bene Aruns, qui quaſi ſacrilegus peremptus eſt, facientis numinis iracundia eſt relictus, ut nec ſepulturam poſſit mereri. *Idem.*

Ignoto camporum in pulvere linquunt.] Quod fuit ultionis argumentum, ut ſocii illius obliviſcerentur. *Donatus.*

868. *Prima fugit, domina amiſſa, &c.*] Ita vere eſt. Cæſo enim duce milites reliqui peſſumdantur, atteruntur, funduntur. Cornelius Coſſus apud Liv. lib. 4. *terrore cæſi Regis hoſtes fundit.* Apud eundem lib. 6. *Suppreſſit impetum Romanorum vulnus Imperatoris App. Claudii.* & lib. 30. Romani hoſtes, poſtquam *auferri ex prælio prope exſanguem videre* (Magonem ducem) *extemplo in fugam omnes converſi.* Joſephus lib. 1. Bell. Iud. cap. 4. ait, pugnante valide & ſuperſtite Antiocho, milites quoque ejus rem fortiter geſſiſſe, cadente autem eo omnes fugiſſe. Sed id notius, quam ut egeat multa hiſtoriarum luce. Rem exemplo confirmat Polyb. lib. 3. καθάπερ γὰρ νεὼς ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸν κυβερνήτην, τὸ ὅλον αὐτανδρὶ σκάφος ὑποχείριον γίνεται τοῖς ἐχθροῖς. τὸν αὐτὸν τρόπον ἐὰν τὸν περιεστῶτα ἐν πολέμῳ, &c. Demoſth. contra Niciam, ἴστε δήπου τοῦθ᾽ ὅτι τὸν ἡγεμόνα ἂν ἀφέλῃ τις, οἴχεται ὁ λοιπὸς χορός. *Cerda.*

Levis ala.] Levis armatura ſcilicet. *Servius.*

869. *Turbati fugiunt Rutuli.*] Hoc ad Camillæ pertinet laudem: qua amiſſa turbati fuerunt Rutuli, & mutantur fata bellorum. *Idem.*

Acer Atinas.] Licet acer; fugit tamen. *Idem.*

Acer

Disjectique duces desolatique manipli
Tuta petunt, & equis aversi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instantis Teucros letumque ferentis
Sustentare valet telis, aut sistere contra:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus:
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis,

Acer Atynas.] Hunc *Atinatem* nomine urbis *Atinæ* vocavit, ut opinor: unde *Atinates* populi. Nominibus enim celebribus suum poëma distinguit, Adversar. lib. 22. cap. 3. *Turneb.*

870. *Desolatique manipli.*] Deserti signiferi: quod nimii discriminis. namque hoc ubique dux præcipit, ut frequentes circa signa sint milites: sicut in Sallustio legimus. *Manipli* autem dicti sunt signiferi, quia sub Romulo pauper adhuc Romanus exercitus, hastas fœni manipulis inligabat: & hos pro signis gerebant. Unde hoc nomen remansit. *Servius.*

871. *Et equis aversi ad mœnia tendunt.*] In Oblongo codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis legere est, *adversa ad mœnia tendunt.* sed vulgata lectio longe castior, quippe *equis aversi.* Pierius.

872. *Instantes.*] Vox militaris, cui directe oppositum verbum *cedo.* Salust. Jugurth. *instanti cedere.* Itaque ille vere *instat,* cui alter fugiendo *cedit.* Cerda.

Letumque ferentes.] Pro *inferentes.* Servius.

Letumque ferentes.] Quia in manibus ferrum, à quo lethum. Clarius libro septimo: *Bella manu, lethumque gero.* & Stat. lib. 7. *ferrum, ignemque ferens.* Cerda.

874. *Laxos arcus.*] Non intentos: sed jam solutos. *Servius.*

875. *Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.*] In Romano codice legere est *quadripedeque putrem cursu quatit ungula campum.* Quam lectionem Donatus agnoscit. Ait enim, *Urgente majore insequentium vi, ipsi equos urgebant, ut quadrupedo cursu, id est, satis properato, in patriam tenderent.* Pierius.

Quadrupedumque, &c.] Æmulatur hic P. Naturam. Et tales versus à Criticis nominantur χαλεπὰ μέτρα, prolatu difficilia. Vide & Macrob. l. 6, 1. *Taubmannus.*

Cursu quatit ungula campum.] Clare ab Enn. qui 6. Ann.

Explorant Numidæ, totam quatit ungula terram.

Et lib. 8.

Consequitur, summo sonitu quatit ungula terram.

Et adhuc lib. 17.

It eques, & plausu cava concutit ungula terram.

Jam ab his alii. Ovid. Eleg. 10. lib. 3. Trist. *ungula pulsat equi.* Stat. 6. Theb. *ferit gravis ungula campum.* Ovid. in Halieuticis:

Compescatque solum generoso concita pulsu
Ungula. ——

Fortasse Latini omnes ab Hesiodo, qui in Scuto,

—— χθόνα δ' ἔκτυπον ὠκέες ἵπποι
Νύσσοντες χηλῇσι. ——

Cerda.

876. *Calligine turbidus atra.*] Nota ab exorto pulvere indicari malum imminens, totamque irrumpentem aciem contra muros. Æschyl. in Suppl. κόνιν, id est, *pulverem* vocat ἄγγελον στρατοῦ. Et esse quidem pulverem ἄγγελον Senec. epist. 123. indicat, cum ait: *Qui honestum hominem venire magno pulvere ostendant.* Sæpe adhuc

Pulvis, & è speculis percussæ pectora matres
Femineum clamorem ad cæli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi inrupere patentis,
Hos inimica super mixto premit agmine turba:
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum,
Confixi exspirant animas. pars claudere portas;
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent

Acci-

adhuc inter stratagemata excitatio pulveris, videlicet ad ostentandas majores copias, adeo hæc hostilis aciei nota. Apud Liv. lib. 10. leges: *Ex transverso pulvis, velut ingentis agminis incessu motus apparuit.* & statim: *Pulverem majorem, quam pro numero excitabant. Insidentes mulis calones frondosos ramos per terram trahebant.* Idem.

877. *Pulvis.*] Hic corripuit, at ibi produxit, *versa pulvis inscribitur hasta.* Servius.

Et è speculis percussæ pectora matres.] In antiquis aliquot codicibus *è muris* legitur, ut sit adnominatio quædam: Pulverem ad muros volvi, & è muris matres tollere clamorem ad sidera. Sed enim quia generalius est, *è speculis* dicere, ea lectio magis huic loco quadrat. Crediderim vero lectionem alteram, *è muris* de paraphrasi aliqua desumptam. *Pierius.*

878. *Fœmineum clamorem.*] Impatientem. nam jam dixerat *matres*, per quod muliebrem clamorem poteramus accipere. *Servius.*

879. *Qui cursu portas.*] Portanda elocutio qui consequatur hos, sed intelligendum, eos, qui. *Idem.*

880. *Inimica.*] Pro *hostilis.* Idem.

Misto premit agmine turba.] Videlicet à se ipsis premebantur. quod genus cladis expertus Nicias apud Plut. φθά'γοντες ὑπ' ἀλλήλων ἀπέθνησκον. Idem in Catone Majore ait, φόβῳ πληγῦς, καὶ σιδήρῳ πολεμίων αὐτοὺς διέφθειρον. Ita & de fuga Romanorum ad Trasimenum lacum Liv. lib. 22. *Per omnia arcta, præruptaque velut cæci evadunt, armaque & viri super alium alii præcipitantur.* & lib. 34. in re simili: *Caduntur in portis suomet ipsi agmine in arcto hærentes.* Cerda.

881. *Miseram mortem.*] Quia sequitur, *Limine in ipso.* Servius.

Miseram mortem.] In Oblongo codice *noctem* habes: sed omnino magis placet *mortem* legere, quod plus habet violentiæ, & agnoscitur à Donato. *Pierius.*

882. *Mœnibus in patriis.*] Scilicet ubi sese jam tutos esse credebant. *Serv.*

Atque inter tuta domorum.] In Ro. codice legere est *intra*, in reliquis fere passim, *inter.* Quodque sæpius apud Livium, *intra muros*, vulgata legunt exemplaria: in veteri codice scriptum, *inter muros*, observavi. Contra vero apud Martialem libro primo ad Cosmum, ubi vulgati codices legunt nunc, *Quem sæpe vides inter penetralia nostra Pallados, & templi limina Cosme novi.* veteres nonnulli cod. manu scripti legunt, *inter penetralia.* Sed utcunque de hoc grammatici decernant, illud potius animadversione dignum putarim, quod in plerisque codicibus antiquis non *tuta*, sed *tecta domorum* legi. Ea tamen lectio, quæ est *tuta domorum*, longe figuratior. *Pierius.*

Tuta domorum.] Quæ alioqui visa erant tuta. Pathos à loco Macrob. l. 4, 3. *Taubmannus.*

883. *Pars claudere portas.*] Pars eorum, qui cursu irrupere portas. *Servius.*

884. *Aperire viam.*] Id est, dare aditum,

Accipere orantis: oriturque miserrima cædes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
Exclusi ante oculos lacrimantumque ora parentum
Pars in præcipitis fossas, urguente ruina,
Volvitur: immissis pars cæca & concita frenis
Arietat in portas, & duros objice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ) ut videre Camillam,

Tela

ditum, & bono locutus est ambitu. Nam cum portis via aperitur & clauditur. *Idem.*

885. *Oriturque miserrima cædes.*] Quoniam defensores mœnium dum hostes petunt, suos feriebant. Sic in secundo ubi intulit, *Armorum facie & Grajarum errore jubarum.* Idem.

886. *Defendentum.*] Ideo *defendentum* & *ruentum:* quia ad masculinum retulit, & *hi defendentes* facit, quod & de fœminino dicimus. Si autem de neutro loquamur, *defendentium* dicamus necesse est: quia *hæc defendentia* facit: ut supra diximus, genitivus pluralis à nominativo plurali non debet minor esse. Quod si forte minorem eum aliquando invenerimus, metri necessitate fit & incipit jam pathos esse, non declinatio. Nonnulli ergo in his nominibus genitivum corruptum pro integro accipiunt. *Idem.*

887. *Lachrymantum.*] Quidam *lachrymantum* genitivum corruptum pro integro accipiunt, quia facit *lachrymantium.* Idem.

888. *Præcipites fossas.*] In quas quis potest præcipitari. *Idem.*

Urgente ruina.] Multitudine & mole cadentium impellente. *Taubm.*

889 *Cæca.*] Irrationabilis, quæ in clausas portas more arietis ruebat, id est, bellici machinamenti. *Servius.*

Pars cæca Arietat, &c.] Id est irrationabilis, quæ irruit in clausas portas instar *arietis* & machinæ bellicæ. Curtius: *Quem pedibus subductis arietavit in terram.* Taubm.

890. *Arietat in portas.*] Explica, aut pulsat, aut obnititur. Primum à Plauto, qui Trucul.

Quis ille est, qui tam proterve nostras ædes arietat?

& ab Attio, qui apud Tullium libro primo Divinat. *connititur in me arietare.* Alterum etiam à Plauto, qui Captiv. *humerus mihi est aries*, videlicet, quo obnitar ad impressionem. Unde ducatur locutio nemo ignorat. *Cerda.*

891. *Summo certamine.*] In extremo discrimine, ut supra, *Vocat labor ultimus omnes.* Servius.

892. *Monstrat amor verus.*] Qui apparet in adversis. *Idem.*

Monstrat amor verus.] In Romano codice *amor versus* legitur, ut intelligamus eas non prius tale aliquid aggressas nisi *ut videre Camillam.* Tunc enim ait amorem versum ad patriam defendendam, quum bellum adversus etiam mulieres geri viderent, quod pro mulieribus susceptum prius arbitrabantur. Si vero cuipiam magis placeat *verus amor*, ea quoque sententia & pulchra est, & de humanæ vitæ moribus sumpta. *Pierius.*

Ut videre Camillam.] Scilicet quæ pro aliena patria cecidisse videtur. Sane ut videre, non relatam ex pugna, sed ut exemplum virtutis ejus viderunt, & quidam *ut videre* quasi quemadmodum ut videre, ut cum conjunctio modo non adverbium temporis est, aut *ut videre* quemadmodum illam dimicare viderant quando interiit. *Servius.*

893. Tre-

Tela manu trepidæ jaciunt; ac robore duro
Stipitibus ferrum ſudibuſque imitantur obuſtis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus ardent.
Interea Turnum in ſilvis ſæviſſimus inplet
Nuntius, & juveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volſcorum acies, cecidiſſe Camillam:
Ingruere infenſos hoſtis, & Marte ſecundo
Omnia corripuiſſe: metum jam ad mœnia ferri.

Ille

893. *Trepidæ.*] Licet trepidæ, tamen oblitæ ſexus tela jaculabantur. *Serv.*

894. *Sudibuſque imitantur obuſtis.*] Nimirum ut ab auctoribus traditum eſt, trabes, valli, palique acuti, uſtulati & obuſti in tantum dureſcunt, ut in aquam præſertim depacti, vix ulla temporis longinquitate, aut carie expugnari poſſint, tanta perdurantes contumacia, ut non alia ſolidiora fundamenta, pilis, molibus, & inſanis priſcorum ſtructionibus ferendis reperta fuiſſe ad perennitatem credantur: unde & hic matres *ſudibus obuſtis ferrum imitari* dixit, hoc eſt, pro præpilatis, ferratis, mucronatiſque uſas fuiſſe, tanquam in ferrum quodammodo duruiſſent. Græci quoque *κιςρωτὸν* lignum acutum, & præuſtum, vocant. Supra, *ſudibuſque præuſtis*. German.

895. *Præcipites.*] Aut feſtinæ, aut in mortem ruentes. *Servius.*

Primæque mori pro mœnibus ardent.] Nimii doloris eſt: ut, *Me primam abſumite ferro.* Idem.

Mori pro mœnibus audent.] In Rom. codice *ardent* legitur, ut ſit inter eas contentio laudis, amoriſque, perinde ac ſi præmium illi propoſitum eſſet, quæ prima moreretur. Servius ad dolorem ex Camillæ obitu conceptum refert, ut illud, *Me primam abſumite ferro.* Neque vero diſplicet *primæ audent* ea ſententia, ut tunc primum audere viſæ ſint, quum ſexum quoque ſuum in bello fortiter occubuiſſe conſpicerent. *Pierius.*

896. *Sæviſſimus implet Nuntius.*] Ut & ſupra diximus, *nuntius* eſt qui nuntiat, *nuntium* quod nuntiatur: ſecundum quod nunc nec de fœmina, nec de re quæ nuntiatur, procedit *nuntius*. Unde multi volunt aliud nuntium intelligi: Accam vero pro ea veniſſe. ſed melius eſt ut *nuntius* de Acca dictum intelligamus. Novimus enim poni aliqua in ſubauditione, quæ ex aperto dicere non debemus: ut, *Nec dextræ erranti deus abfuit*: cum neceſſe ſit, ut aut Iunonem, aut Alecto intelligamus. Item Salluſtius, *Prima qui forte venientes exciperet*, cum de inſidiis loqueretur, quas numeri tantum pluralis eſſe pluſquam manifeſtum eſt. *Servius.*

Implet nuntius.] Phraſis hæc prius dicta eſt Demoſtheni epiſt. 6. *ἁπάσας τὰς ἐν Πελοποννήσῳ πόλεις τοιούτων λόγων ἔπλησαν.* Statius ab Noſtro 4. Theb. *impleverat nuntius aures.* Cum ait, *ſæviſſimus nuntius*, eſt, quod lib. 8. *gravior ne nuntius aures Vulneret.* Cerda.

897. *Tumultum.*] Perite *tumultum*, ita enim dicitur bellum, quod differri non poteſt. *Servius.*

898. *Deletas Volſcorum acies.*] Falſum eſt: tantum enim fugerunt. ſed vim exprimit nuntii, cujus mos eſt plus, quam habet veritas, nuntiare. *Idem.*

899. *Ingruere.*] Impetum facere: ut XII. Æn. *Ingruit Æneas Italis.* Idem.

Ingruere infeſtos hoſtes.] Antiqua omnia exemplaria, quæ præ manibus habui *infenſos* legunt, quod Turni dolorem mirum in modum exaggerat, quum intelligat eos hoſtes, quos odio maxime proſequatur, ita victoria exultantes ferri. *Pierius.*

901. *Ille*

Ille furens (& sæva Jovis sic numina poscunt)
Deserit obsessos collis, nemora aspera linquit.
Vix è conspectu exierat, campumque tenebat,
Cum pater Æneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque jugum, silvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt,
Ac simul Æneas fumantis pulvere campos
Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit;

Et

901. *Ille furens (nam sæva Jovis sic numina poscunt.)*] Duplici ratione insidias eum reliquisse commemorat: dolore nimio, & numinum voluntate: quæ utraque ideo egit, ne capi posset Æneas. *Sæva* autem *Iovis numina* per parenthesim dictum est. Paulo ante præcedens tempus à Turno relictos, id est, vacantes insidiis. *Servius.*

Sæva Jovis sic numina poscunt.] Homerus Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή. *Idem.*

Jam sæva Jovis sic numina poscunt.] Interpositio hæc variis modis in variis habetur exemplaribus. hinc nonnulli *jam sæva* legere maluerunt. In Romano, in Mediceo, & quibusdam aliis codicibus pervetustis, *& sæva* legitur, quod etiam Servio receptum est, dum ait, Turnum duplici ratione insidias reliquisse, dolore quippe nimio. id enim sibi vult furens, & numinum voluntate. Quod si *nam* legas, aut *jam*, alterum esset redditio causæ, alterum acciperetur expositive. Sed enim hoc utcunque legatur, parvi refert. illud minime parvi faciendum est, quod in Rom. codice *sic numina pellunt:* non autem *poscunt* legere est, sed omnino vulgata lectio receptior est. *Pierius.*

902. *Obsessos colles.*] Quos ipse obsederat ne ad urbem transitum haberet Æneas. *Servius.*

904. *Apertos.*] Explica, liberos jam insidiis. Itaque opponuntur *aperta*, & *obsessa* loca, aut *insidiosa*. Sic opponit Joseph. lib. 1. Bel. Jud. c. 12. φανερῶς συμπλεκόμενοι, & λοχῶντες, loquens de his, qui se impetunt, aut aperto, aut insidioso bello. *Cerda.*

905. *Silvaque evadit opaca.*] In aliquot antiquis codicibus *invadit* legitur. *Pierius.*

906. *Ambo ad muros.*] Ut tueretur & repugnaret Turnus, ut obsideret Æneas. *Servius.*

908. *At simul Æneas.*] In Oblongo codice *ac simul.* in Romano *tum pater Æneas*, inemendate quidem, & sententia mutilata. *Pierius.*

Fumantes pulvere campos.] Veluti fumantes caligine pulveris. Ita enim nebula excitat pulvis ut fumus est *. *Servius.*

Ac simul Æneas fumantes, &c.] Hic versus cum tribus proxime & ex ordine consequentibus, convenire videtur istis Æschyli in Suppl. ὁρῶ κόνιν ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ, σύριγγες οὐ σιγῶσιν ἀξονήλατοι, ὄχλον δ' ὑπασπιστῆρα, καὶ δορυσσόον λεύσσω ξὺν ἵπποις καμπύλοις τ' ὀχήμασι. Ut autem, *fumantes pulvere campos*, Euripides Troad. κόνις δ' ὥστε καπνὸς πτέρυγι πρὸς αἰθέρα. *Germanus.*

At simul Æneas fumantes pulvere campos.] Simile indicium adventantium hostium apud Liv. lib. 21. *Densior deinde incessu tot hominum, equorumque oriens pulvis signum propinquantium hostium fuit.* Similiter in Enn. 8. Ann.

Jamque fere pulvis ad cœlum vasta videtur.

Imo, jam *pulvis* pro campo militari, ut in Horat. *pulvere Troïco.* & in Val. l. 2. *pulvere pugna.* Cerda.

910. Sa-

Et sævum Ænean adgnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum flatusque audivit equorum:
Continuoque ineant pugnas, & prœlia tentent;
Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Hibero
Tinguat equos, noctemque die labente reducat.
Considunt castris ante urbem, & mœnia vallant.

910. *Sævum.*] Fortem. ut, *Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector.* Item, *Nec minus interea maternis sævus in armis.* An iratum? Ut, *& sævum ambobus Achillem.* Servius.

911. *Adventumque pedum.*] Ad hunc versum adjungit Hieronym. Co lum. illum Enn. in Thyeste,

Sed sonitus aures meas pedum pulsu increpat. Et Lucretium, qui l. 2.

—— *subterque virûm vi*
Excutitur pedibus sonitus. —— Supra:
Adventusque virûm, fremitusque ardescit equorum. Cerda.

912. *Ineant pugnas.*] Pro iniissent & tentassent. *Servius.*

Continuoque ineant pugnas.] Pro inivissent, ut sub eodem modo Homer. Od. ω. καί νύ κ' ἀΐξαντες ἔβαν κοίλας ἐπὶ νῆας, εἰ μὴ ἀνὴρ κατέρυκε παλαιά τε πολλά τε εἰδὼς Νέστωρ· ubi κε ἔβαν, ἀντὶ τοῦ βαίνοιεν· ut Il. φ. ἔνθα κεν ὑψίπυλον Τροίην ἕλον υἷες Ἀχαιῶν, εἰ μὴ Ἀπόλλων Φοῖβος Ἀγήνορα δῖον ἀνῆκε, cujus vis modi pendere videtur à particula adjuncta ἄν, κε, vel κεν. Qua forma & Calab. 6. καὶ νύ κεν τότε Τρῶες ἐνέπρησαν πυρὶ νῆας, εἰ μὴ νὺξ ὑπόρουσε βαθεῖαν ἠέρ' ἄγουσα. *Germanus.*

Pugnas & prælia.] Est hoc, quod Hom. sæpe, μάχη πόλεμός τε. &, πολεμίζειν, καὶ μάχεσθαι. & Lucret.

Et velut æterno certamine prælia, pugnasque
Edere turmatim certantia. —— Cerda.

913. *Roseus Phœbus.*] Ita ludunt Poëtæ. Lucret. lib. 5.

Dum rosea face Sol inferret lumina mundo.

Prudent. lib. 5. in Symmach. rosis vestit rotas adhuc, & lora Solis,

Immotasque rotas, & flecti nescia lora
Aut ornat redimita rosis, &c. ——

De Lucifero, Aurora, Iride, Venere, stellis aliis id tritum. *Idem.*

Hibero.] Oceano occiduo, id est, Hispano. Hispaniam autem, *Hiberiam* ab Hibero flumine constat esse nominatam. *Servius.*

Fessos jam gurgite Phœbus Ibero.] Arripuit Sen. in Thyeste, —— *nescit fessos*
Tingere currus, nec fumantes
Sudore jubas mergere ponto.

Quem in locum Hispanorum fabulas jam Noster Delrius commeminit, qui affirmabant Solem in extrema Hispania occidere in mari, cum magno strepitu, veluti candenti ferro in aquam immerso. Cujus rei advocat auctores Cleomedem lib. 2. & Possidonium apud Strabon. lib. 1. quo putandus allusisse Auson. epist. ad Paulinum,

Stridebatque freto Titan insignis Ibero.

Procedunt hæc ex duplici veterum ignoratione: prima, qua putabant Solem esse ignitum ferrum, aut lapidem flamma succensum: altera, qua credebant Solem quotidie mori in mari, & eum, qui postero die visebatur, diversum esse Solem. de qua re ego jam alibi. *Cerda.*

914. *Tingat equos.*] Quidam *tinguat* humiliter dictum accipiunt. *Servius.*

Tingat equos.] In antiquis ex instituto Attii *tinguat*, u post g notata, scriptum est. *Pierius.*

915. *Considunt castris.*] Hoc est in sua quisque castra digressi. Ergo aut castra posuerunt, aut ad morem castrorum fecerunt. *Servius.*

Mœnia vallant.] Hinc probatur, quia & qui tuentur & qui obsident, *vallare* dicuntur. *Idem.*



G. Appelmans. sculpsit

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS
LIBER DUODECIMUS.

ARGUMENTUM.

Attritis duobus adversis præliis Latinorum viribus animisque eorum fractis, Turnus, ubi omnem spem suam in se ipsò sitam videt, frustra dissuadente Latino, reginaque multis eum cum lacrymis nequicquam retinente, singulari certamine cum Ænea dimicare statuit: ejusque rei Æneam, per quendam ex suis, Idmonem nomine, facit certiorem. Accipit conditionem Æneas, solennique utrimque sacramento fœdus sancitur. Id Junonis impulsu à Juturna nympha, Turni sorore, in falsam Camertis imaginem conversa, perturbatur: primusque omnium Tolumnius augur, falso augurio certam suis victoriam promittens, unum ex Gylippi filiis hasta trajicit. Æneas quoque, dum, subiti tumultus caussam ignorans, suos revocare conatur, ab incerto auctore sagitta vulneratus, prælio excedere cogitur. Qua re intellecta Turnus magnam sibi rei bene gerendæ occasionem oblatam ratus, ingentem hostium stragem edit. Interim Venus, decerpto ex Ida Cretensi dictamno herba, filio suo medetur. Refectis viribus Æneas, Ascanium paucis suo exemplo ad virtutem cohortatus, suis auxilio accurrit. Turnumque nominatim ad pugnam deposcit. Verum cum Turnus sui copiam non faceret (Juturna enim, quæ excusso Metisco auriga currum ejus moderabatur, in diversam semper partem habenas deflectens, congredi eos non patiebatur) oppugnandæ urbis consilium capit: admotoque ad mœnia exercitu, in propugnacula proximaque ædificia ignem conjicit. Ibi Amata, cum Turnum occisum arbitraretur, doloris impatientia laqueo vitam finit. His rebus Turno per Sagem nunciatis, cum eo rem deductam videret, ut sibi necessario dimicandum esset, nisi perpeti mallet sociorum urbem se inspiciente in hostium potestatem pervenire, ultro Æneam ex præscripto fœderis ad singulare certamen provocat. Ea pugna superior Æneas, cum victi hostis precibus jam pene ad misericordiam flecteretur, conspecto in humeris ejus balteo, quem occiso Pallanti Turnus detraxerat, repente ira accensus, gladio per pectus adacto, eum vita spoliat.

TUrnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,

Se

1. *Turnus ut infractos.*] Postquam Turnus in bello defecisse videt Latinos, antea semper infractos. namque ita major est sensus, quam si *infractos*, valde fractos acceperis. *Servius.*

Infractos.] Valde fractos. *Donat.*

Infractos.] Exponit Serv. & alii, Antea semper infractos invictosque, & ἀῤῥώκτους. Idem tamen sui quasi oblitus, Æneid. 5. *infractos Latinos*, exposuit, valde fractos. Vide ibid. Nostras. Ita certe & Donatus *infractos* hic exponit planissimo (ut ait) sententiæ robore, animo & viribus valde fractos: quomodo & Æl. Donatus ad Terent. Eun. act. 2. sc. 3. item J.C. Scaliger, & Nic. Faber JC. Etiam, J. Lipsius, & J. Gruterus ad Senec. lib. 3. Quæst. Nat. notat, *infractum* à Senecâ quoque, pro valde fractum sæpius poni. Epistol. 90. *mollesque cantûs & infractos &c.* Epist. 102. *Jam reliquias ætatis infractæ contemnebam:* & alibi. ita Prudent. ad Laurent.

Se ſignari oculis; ultro inplacabilis ardet:
Attollitque animos. Pœnorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantis
Excu-

Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco ſemipes,
Greſſum trahebat imparem.

V. N. 5. Æn. vſ. 784. *Taubm.*

Latinos.] Non ſolum ejus gentis milites: ſed omnes qui eſſent in exercitu Turni comparat leoni, qui in beſtias imperium habet, ut Turnus in ſuos, ſed vulnerato, & qui ulciſci non poteſt. *Donatus.*

2. *Sua nunc promiſſa repoſci.*] Quia dixerat, *Ibo animis contra, vel magnum praſtet Achillem. Nunc* autem pro *tunc.* Servius.

Se ſignari oculis.] Propter illud quod poſt dicturus eſt, *ante ora Latini, In te oculos referunt.* Modo autem ſignificat, id eſt, ut quod eſſet ſilentio ambiguum, oculis confirmaretur ſine dubio eorum à quibus coactus promiſerat. *Idem.*

Se ſignari oculis.] Id in contumeliam, quaſi notaretur. Ad quem modum Seneca controv. 8. *Quotieſcunque tumultus aliquis exortus eſt, in me civium diriguntur oculi.* & Sen. Philoſophus 3. Benef. cap. 17. *Pœna eſt, quod omnium deſignatur oculis, aut deſignari ſe judicat.* inf. in hoc libr. *in te ora Latini, in te oculos referunt.* Et Tertullian. cap. 4. de Pall. in re omnino contumelioſa dixit, *& acie figere, & digito deſtinare, & nutu tradere.* Ibidem poſtea, *urges oculis*, id eſt, notas ad infamiam. Hoc affectu dixit Demoſthenes oratione 3. in Philipp. *μέλλομεν, καὶ μαλακιζόμεθα, καὶ πρὸς τοὺς πλησίον βλέπομεν ἀπιστοῦντες ἀλλήλοις.* Cerda.

Ultro.] Aut inſuper, aut antequam aliquis compoſcat. Et bene ducis dignitatem ſervavit, ut non ideo faceret, quia quidam repoſcebant, ſed ſua ſponte accenderetur in prælium. *Serv.*

4. *Pœnorum qualis in arvis.*] Comparatio magnifica, & tota ſua. *Scalig. lib. 5. c. 3.* Taubm.

5. *Saucius ille.*] Κατ' ἐξοχήν. *Ille leo.* Id eſt, princeps ferarum. Vel certe veteri more ad magnitudinem pertinet, ut, *ac velut ille canum morſu*, interdum nobilitatem ſignificat, ut, *Multum ille & terris jactatus*, &, aut ſimilem rem deſignat. Lucilius, *Velut olli Auceps ille facit cum improviſo inſidiiſque.* Quamvis quidam *ille* per ſe ſuperfluum hoc loco pronomen tradunt. *Saucius* autem *pectus*, id eſt, ſaucium pectus habens. Ut, *nudatoſque humeros oleo perfuſa niteſcit.* Et bene alia verba interpoſuit, quia *ſaucius pectus* & ſonabat aſperrime, & imperitis poterat ſolœciſmus videri. Et *ſaucius pectus* congrue, in quo Turni dolor eſt. *Servius.*

Ille.] Vacare eleganter Turnebus monuit, lib. 18. cap. 32. & paria advocat teſtimonia. Sed hoc non è meo guſtu. Vere non vacat, ſed major emphaſis. *Cerda.*

Gravi vulnere.] *Gravi*, id eſt, Forti, ut, *Ferit enſe gravem Tymbraus Oſirim. Venantum* autem *vulnere*, quod venantes fecerunt. *Servius.*

Venantum.] Pro venatorum. Lucret. libr. 4.

Venantumque canes in molli ſæpe quiete. Cerda.

6. *Tum demum, &c.*] Noviſſime: id eſt poſtquam fuerit vulneratus. Hæc enim leonum natura eſt, ut, niſi læſi, nequeant iraſci. *Movet* autem *arma.* Vires ſuas experitur. nam arma ſunt uniuſcujuſque rei poſſibilitas. unde eſt, *Et quærere conſcius arma:* id eſt, dolos. Eſt autem *movet arma*, etiam tranſlatio ab hominibus, qui cum hoſtem petunt, *arma movere* dicuntur. Sic

Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Inpavidus frangit telum, & fremit ore cruento.
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.

Tum

Sic alibi de tauro, *signa movet praecepsque oblitum fertur in hostem.* Servius.

Movet arma.] Vires suas experitur. nam *Arma* sunt uniuscujusque rei possibilitas. Manilius l. 5. dixit, *arma ferarum*, id est, dentes & ungues. unde *Exarmati leones*, quibus dentes & ungues vulsi. Ita Statius l. 9.

Armaque curva suum.

unde & venatores dentes aprinos eleganter *defensacula* vocant: ut notat Scalig. ad Manil. *Taubm.*

Gaudetque.] Spe ultionis, & dicendo *gaudet*, alacritatem voluit leonis exprimere, *gaudii* verbo. Cæterum nulli ferarum, vel pecudum iste sensus adponitur. *Servius.*

7. *Excutiens cervice toros.*] Cervice excutiens. an quos in cervice habet? *Idem.*

Excutiens cervice toros.] Est hæc in fera significatio iræ. Ita de illa Lucanus lib. 1.

Erexitque jubas, vasto & grave murmur hiatu
Infremuit. —

Vide reliqua Lucani. Catullus de leone etiam,

Rutilam ferox torosa quate jubam.

Inde ab setis ferarum Græci ἀναχαιτίζειν dicunt, pro ὀργιᾶσθαι. Est enim in jubis ferarum quædam exultantia, adeo ut dicat Plin. cap. 42. lib. 8. equarum libidinem extingui tonsa juba. Inde & Seneca in Oedipo,

Qualis per arva Libycus insanit leo
Fulvam minaci fronte concutiens jubam.

Cerda.

Latronis.] Insidiatoris à latendo, sed modo venatoris, & est Græcum, nam λατρεύειν dicunt obsequi, & servire mercede. Unde *latrones* vocantur conducti milites. moris autem erat, ut hos imperator & circa se haberet, & eos primos mitteret ad omne discrimen. unde nunc dicit latronis telo fixum leonem, quia etiam venatores operas suas locare consueverant. Sic etiam dicti qui circa caveas sunt, quod ut milites stent cum ferro; aut quod lateant ad insidias faciendas: Ergo ex eadem similitudine *latronem*, hic venatorem accipiendum, quia & obsidet saltus & cum ferro est. Sane *latronem* venatorem, quis ante hunc? Varro tamen dicit hoc nomen & Latinum posse habere etymologiam, ut *latrones* dicti sint quasi *laterones*: quod circa latera regum sunt, quos nunc *satellites* vocant. una tamen significatio, licet in diversa etymologia. Plautus in Pyrgopolinice aperte ostendit, qui sint *latrones*, dicens. Nam, *Rex Seleucus me opere oravit maximo, ut ei adconducerem latrones & conscriberem.* Idem in Bacchidibus exsecutus est, militem *latronem* dicens, *Suam qui auro vitam venditat.* Servius.

8. *Impavidus frangit telum.*] Lucanus, *Per ferrum tanti securus vulneris exit.* Idem.

Impavidus frangit telum.] Lucan. l. 6. de ursa,

Se rotat in vulnus, telumque irata receptum
Impetit, & secum fugientem circuit hastam. Taubm.

Fremit ore cruento.] Licet os habeat proprio cruore perfusum. Sane ipsa comparatio exitum ostendit futurum. Nam etiam Turnus ruit in mortem ferocitate compulsus: sic in quarto indicat futurum exitum reginæ, dicens, *Qualis conjecta cerva sagitta.* Servius.

9. *Gliscit.*] Crescit & latenter, unde & *glires* dicti sunt quos pingues efficit somnus. Veteres *gliscit* incremento ignis ponebant. bene ergo hoc verbo utitur, de quo ait, *Ultro implacabilis ardet.* Idem.

Gliscit.] Citat Nonius illud Pacuvii in Perib.

Tum sic adfatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno: nihil est quod dicta retractent
Ignavi Æneadæ; nec, quæ pepigere, recusent.
Congredior. fer sacra, pater, & concipe fœdus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam
Desertorem Asiæ, (sedeant spectentque Latini)

Et

Sed nescio, quidnam est animi; horrescit & gliscit gaudium.

Ait Serv. *gliscit* dictum olim de ignis incremento. inde præclare, *accenso Turno.* Lucretius lib. 1. dixit, *ignis gliscens*, id est, crescens. Christianus in Iren. Aristoph. ducit hanc voculam à Græco γλιχρῶ. & γλιχεὸν Comici explicat λαίμαργον, & συντόνως ἐπιθυμοῦντα. *Cerda.*

10. *Turbidus.*] Plenus terroris & perturbationis. Sane notandum *affatur*, atque *infit.* nam iteratio est, qua frequenter est usus; licet nonnulli dicant temperare hoc interpositam conjunctionem, & hic habitum futuræ orationis ostendit. *Servius.*

Nulla mora in Turno.] Plus est *Turno*, quam si *in me* dixisset: ut, *quisquam numen Junonis adoret Præterea:* Et bonum principium ejus qui suspicionem timiditatis inciderat. *Idem.*

Nulla mora in Turno.] Calab. lib. 1.

—— τῷ μή τις ἔτ' ἀμβολίη πολέμοιο
Εἴη τειρομένοισιν. ἔοικε γὰρ ἐν δαῒ μᾶλλον
Τειρομένῳ. ——

Cerda.

Retractent.] Repetant & revolvant. *Servius.*

Nihil est quod dicta retractent.] Respectum ad versus illos lib. 11. ore Æneæ,

Æquius huic Turno fuerat se opponere morti,
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat, his decuit mecum concurrere telis.
Vixet, cui vitam Deus, aut sua fata dedissent.

Hinc & Drances ad Turnum, *illum aspice contra, qui vocat.* Cerda.

12. *Ignavi Æneadæ.*] Aut *Æneadæ* pro Æneas, aliud pro aliud significavit; aut *Æneadæ* non Æneas, quasi contra omnes pugnaturus. *Servius.*

13. *Congredior.*] Hypocrisis est, exprimatur id quod flagitatis. Sic Statius ubi Polinicen obliq; inducit loquentem, *Non me ullius domus anxia culpet, Exspectentve truces obliquo lumine nati.* Unde etiam supra ait Poëta, *Se signari oculis.* Quidam sane à *Nulla mora in Turno*, usque ad *Pepigere recusent* jungunt; ne si distinctio intercesserit, languescat sententiæ color. *Idem.*

Concipe fœdus.] Id est, conceptis verbis. *Concepta* autem *verba* dicuntur jurandi formula, quam nobis transgredi non licet. nam & sarcinatores *concipere* dicuntur *vestimenta*, cum è diverso conjungunt & adsuunt. *Idem.*

15. *Desertorem Asiæ.*] Exulem: ut, *Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris?* unde est præmissa illa excusatio, & tota secundi œconomia, & in quarto ubi dicit, *Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis, & sponte meas componere curas, Urbem Trojanam primum, dulcesque meorum Relliquias colerem.* Sane *Aut hac Dardanium dextra sub tartara mittam.* Ponenda est mora, ut postea inferatur, *Desertorem Asiæ*; potest enim videri non ita instituisse Turnus orationem prædicto Dardanium ut inferret desertorem, sed regem: verum ubi propius accessit intellexisse hunc honorem nominis ejus, non dandum: itaque commutasse & contumeliose *desertorem* dixisse. *Idem.*

Desertorem Asiæ.] Tria convitia: à

loco

Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos; cedat Lavinia conjunx.
Olli sedato respondit corde Latinus:
O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci

Vir-

loco quod Asianus, quasi dicat, ex corrupta provincia: à genere quod esset Dardanus, qua rebellis: à facto quod esset proditor. *Donatus.*

Sedeant spectentque Latini.] Invidiose. nam sensus est * ductus est, ut diximus supra aliis. Pollicetur enim se singulari certamine dimicare velle cum nolit: nam cum dicit, *Sedeant, spectentque Latini:* latenter eos ignaviæ arguit, quod solus omnibus quiescentibus dimicet: quam rem planius sequens indicat versus, *Et solus ferro crimen commune refellam*, id est, commune fugæ ac timoris dedecus, solus meis virtutibus comprimam. Alii *crimen commune*, id est, omnium Latinorum: & *crimen* ait, quod Trojani in Italia consederunt. *Servius.*

16. *Commune.*] Nam commune dedecus est, quod Trojani Italiam teneant. *Donatus.*

17. *Aut habeat victos.*] Vitavit propter omen pessimum verbum de se, quod de Ænea dixerat: *ille me in tartara mittat.* Sed ait *victos.* Servius.

Cedat Lavinia conjux.] Ut, *Cedat amicitiæ Teucrorum*, id est, in præmium victoriæ concedat. *Idem.*

Cedat Lavinia conjux.] Quam diversitatem codicum in septimo habuimus eo versu, *Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris*, quum nonnulli veriti primam in *Lavinia* syllabam esse longam, versum hoc dictionum ordine scripsissent, *Exulibus ducenda datur Lavinia Teucris*, eadem nunc itidem offertur. Nam qui superius legerant, *ducenda Lavinia*, eodem hic modo legend. arbitrati *cedatque Lavinia* scribere instituerunt. Bona tamen eruditorum pars absque particula copulativa libentius legit: syllabam vero eam communem à Poetis poni, exemplis alibi ostendimus. *Pierius.*

18. *Olli.*] Exiles literas, *i*, & *u*, mutabant veteres in *o*, sic *olli*, pro, illi, *servos*, pro, servus. inde & *servolus*. Donatus in And. *Ellum, & ollum, dicebant veteres, pro illum.* Cerda.

Sedato corde.] Quia de Turno ait, *Atque ita turbidus infit:* & qualitatem orationis prædixit. *Servius.*

Sedato corde.] Habitus, ut dixi, futuræ orationis. Sic apud Sallust. Jugurth. *Rex satis placide verba facit.* & Ammian. lib. 20. *Suadebat placido sermone.* Cæterum Virgilii versus spondeis scatet ad Latini Regis gravitatem indicandam. Unde non male conjectant aliqui, factum versum ad imitationem tardissimi Enniani 1. Annal.

Olli respondit Rex Albai Longai.

Vide vero ut sequens tota oratio habeat patris consilia, & minas interdum; nam pro minis est timor mortis Turni. *Cerda.*

19. *O præstans animi.*] Et *præstans viribus*, & *præstans virium* dicimus. Sane magnæ moderationis est hæc oratio. nam & laudat Turnum, quasi virum fortem: & tamen eum à singulari certamine dehortatur. dicens enim *Præstans animi*, latenter ostendit eum inferiorem esse virtute. *Servius.*

O præstans animi, &c.] Nectarea hæc sunt in gravi Orationis charactere. Et hinc animi sedati ac maturi petendum exemplum cum affectibus civilibus & prudentibus. De quo Scalig. l. 4. c. 1. & lib. 3. cap. 23. Macrob. lib. 5, 1. *Taubmannus.*

Quantum ipse feroci, &c.] Ductum ab Attio in Antigona, ait Macrobius,

Quanto magis te istiusmodi esse intelligo,
Tanto, Antigona, magis me par est tibi
Consulere, & parcere — Cerda.

Quantum ipse feroci Virtute exsuperas, tanto

Virtute exsuperas, tanto me inpensius æquum est
Consulere, atque omnis metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque animusque Latino est.
Sunt

tanto me impensius, &c.] *Quantum* & *tanto* vulgata est lectio, & aliquot veterum etiam codicum testimonio comprobata, sententiæque optime quadrat, neque non elocutioni. In aliquot tamen exemplaribus legere est, *quoniam ipse feroci virtute exuperas.* ut Latinus absque alia dictorum divisione, probabilis caussæ suæ statim ansam arripiat per concessionem eorum, quæ validissima Turnus sibi proposuerat. Quippe qui totius accusationis & caussæ cardinem ibi verti verebatur, ut certaminis detrectator ab omnibus haberetur. Itaque nullam dixerat in se moram esse, paratum se jam congredi. Nolle, quod Drances objectaverat, Latinos cædibus exponi, solum se jam pro salute omnium quasi devotum, totam certaminis molem impetumque omnem sustentaturum. Ait itaque Latinus: Quoniam ignari non sumus, te ferocitate & virtute præstare adeo, ut ex confesso alios exsuperes, tanto me tamen impensius æquum est consulere. sed uti præfatus sum, prior lectio concinnior videtur. Operæ precium vero est orationis artificium perpendere, quæ sententiam suam his præcipue locis corroboret. Ab utili & recto, quum casus impendere Turno demonstrat, quos parendo possit evitare, posseque eum alias sibi uxores quærere. A prudentia, quum bonorum malorumque ratione proposita, quid sequendum sit, aperit. Ab justitia & religione, quum promissa Æneæ de filia servari oporteat, & eam contra Turno sociare, fatis prohibeatur, idque homines diique canant. Addit & argumentum à laudabili, quum Rutulorum & Italiæ vereatur obloquia, concluditque per commiserationem, quum disiunctio à necessariis & familiarissimis deploratur. *Pier.*

Feroci virtute.] Quippe juvenis, cujus propria temeritas & ferocitas animi. Livius lib. 33. de Hiosto quodam Sardo: *adolescentia ferox.* Quintil. Declam. 279. *ferociam juvenum.* Xenophon de Rep. Lacedæm. juvenibus dat μέγιστον φρόνημα, ὕβριν ἐπιπολάζουσαν, ἰσχυροτάτας ἐπιθυμίας. A quo mihi videtur Quint. Declam. 322. sumpsisse verba hæc: *Adolescens est, omnes cupiditates, omnes impetus in hac ætate faciilius convalescunt.* Seneca in Octav. *Juvenilis ardor impetu primo fuit.* Cerda.

21. *Expendere casus.*] Ne ex abrupto de ejus virtute desperare videatur, casuum varietatem se timere commemorat. *Servius.*

22. *Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida.*] Argute negat illi sua regna, dicens ei esse alia, ut hæc malit Turnus quæ sua virtute quæsivit. Sensus ergo est, Si propter regnum dimicare disponis, habes paternum: si propter gloriam, multos virtute superasti. Quod autem dicit, *Nec non aurumque animusque Latino est*, varie exponitur. namque alii dicunt, habes regnum paternum, habes oppida: etiam à me habes aurum & promptum animum ad danda omnia præter filiam, ut de se Latinus dixisse videatur de auro, propter illud, *prædivitis urbe Latini.* Alii vero sic intelligunt, si propter opes & uxorem dimicaturus es, hæc non solus habeo, cuicunque enim Latino est & aurum & animus promptus in generum: ut *Latino* non de se dicat, sed cuicunque de Latio. *Idem.*

23. *Nec non animus aurumque Latino.*] In antiquis porro codicibus *Latino est* legitur. Nonnulli vero hoc numero legunt *nec non aurumque animusque Latino est*, quod in veteribus plerisque codicibus

Sunt aliæ innubtæ Latio & Laurentibus agris;
Nec genus indecores. ſine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis: ſimul hoc animo hauri.
Me natam nulli veterum ſociare procorum
Fas erat, idque omnes divique homineſque canebant:
Victus amore tui, cognato ſanguine victus,
Con-

dicibus habetur. *Pierius.*

Nec non aurumq́, animuſq́, Latino eſt.] Nobiles Gramm. hic hæſitant. Hoc vult Latinus: nec ſibi Turni affinitate opus eſſe, nec viciſſim Turno Latini: cum uterque alterius ſubſidio carere facile poſſit. Nam ſive Turnus opes his nuptiis ſibi quærit, ſatis per ſe potens eſt regno Dauni, & oppidis multis bello partis: ſive præſidium quærit Latino & opes, Latinus ſatis opulentus eſt, & nobilis, etiam abſque his nuptiis, &c. Pudet referre, quæ alii comminiſcuntur. l. 23. c. 13. Adverſ. Turneb. *Taubm.*

24. *Sunt aliæ, &c.*] Locus Homeri, qui ore Achillis Iliad. 9.

Πολλαὶ δ' Ἀχαιΐδες εἰσὶν ἀν' Ἑλλάδα τε, Φθίην τε
Κοῦραι ἀριστήων, οἵ τε πτολίεθρα ῥύονται,
Τάων ἥν κ' ἐθέλοιμι φίλην ποιήσομ' ἄκοιτιν.

Putat & Urſinus adjectum animum ad Theocrit. in Dioſcur. ubi præmiſſa mentione multarum provinciarum & urbium, ſubjicit,

Ἔνθα κόραι τοκέεσσιν ὑπὸ σφετέροισι τρέφονται
Μνείαι, ὅτι φυῆς ἐπιδευέες, ὅτε νόοιο.
Τάων δὴ μαρὶς ὔμμιν ὑπισχέειν ἄσκ' ἐθέλητε. *Cerda.*

Latio, & Laurentibus arvis.] Et in civitate, & in omni regno Latinorum. *Servius.*

25. *Nec genus indecores.*] Quia iſte petebat filiam regis, eſt autem elocutio figurata de Græco *ἀσχήμονες μιαλον** *Idem.*

Sine me hæc.] Hoc loco intelligimus Turnum dolore in aliqua voluiſſe verba prorumpere. *Idem.*

Haud mollia fatu.] Id eſt, vera, non aſpera, ſed quæ cum veritate dicuntur. falſa enim, plena ſolent eſſe blanditiis. *Idem.*

26. *Sublatis aperire dolis.*] His reſpondere voculam *ἀτεχνῶς* apud Ariſtot. Germanus notat, quaſi *ſine dolo & artificio.* Addo ego, huic particulæ *ἀτεχνῶς*, opponi illa Joſephi libro 1. Bell. cap. 17. *πάντων δ' ὑποποιηθεὶς τῶν προσώπων.* ubi ſermo eſt de Herode, qui multas ſubinde formas ſumebat ad decipiendum. In verbo *aperire* invenio imitationem Euripidis in Medea. Nam, ita Virg. *aperire* de pectore, quaſi clavi quadam aperiat pectus abſque omni dolo. Ergo Eurip.

Ἀχάριστος ὄλοιθ', ὅτῳ πάρεστι
Μὴ φίλους τιμᾶν, καθαρὰν ἀνοίξαντι κλῇδα φρενῶν. *Cerda.*

Animo hauri.] Omni intentione percipe. *Servius.*

27. *Nulli veterum ſociare procorum.*] Generaliter dicit prohibitum eſſe dari Laviniam cuilibet Latino, ut Turnus ſolatium aliquod habere poſſit doloris. *Idem.*

28. *Divique homineſque canebant.*] Propter Faunum & vates. *Idem.*

29. *Victus amore tui.*] Id eſt, propter te, propter tuum amorem. Sane inter *tui cauſſa feci*, & *tua cauſſa feci*, hoc intereſt: ut *tui cauſſa* tunc dicamus, ſi aliquid ipſi ad quem loquimur, præſtiterimus: ut puta, *tui cauſſa me defendi.* *Tua* vero *cauſſa* tunc, cum alteri aliquid alterius contemplatione præſtamus, ut puta, *tua cauſſa hominem tuum defendi.* Idem.

Cognato ſanguine.] Quia Venilia, mater Turni, ſoror eſt Amatæ. *Idem.*

30. *Vin-*

Conjugis & mæstæ lacrimis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero: arma inpia sumsi.
Ex illo qui me casus, quæ, Turne, sequantur
Bella, vides; quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur
Spes Italas: recalent nostro Tiberina fluenta
San-

30. *Vincla omnia rupi.*] Et religionis & fœderis. *Idem.*

Vincla omnia rupi.] Propert. Eleg. 15. lib. 1. *vincula rupit amor.* Cerda.

31. *Promissam eripui genero.*] Verum est: nam Æneæ per legatos promiserat filiam, cui postea intulit bellum. licet multi dicant, ante eam Turno fuisse promissam, quod falsum est. Nam Latinus nunquam est Turno pollicitus. Nam nec Faunum consuleret, si eam Turno ante promisisset. sed tantum eum esse generum Amata cupiebat: quod etiam legimus, *Quem regia conjux Adjungi generum miro properabat amore.* Servius.

Eripui genero atque arma impia sumpsi.] Imperite simul ac importune fecerunt, qui huic versui post dictionem *genero*, vel *que*, vel *atque* intrusere. Nam modo hoc, modo illud passim habetur in codicibus vulgatis, & in aliquot etiam antiquis. Quum tamen in Rom. codice vetustissimo, & in Mediceo, & in Portio, & in aliquot aliis absque ulla conjunctiva particula sic non invenuste legatur, *Promissam eripui genero, arma impia sumpsi.* Atque ita etiam legebatur in Oblongo codice, sed imperitus nescio quis infirmitati carminis timens, *que* illud intrusit, inde alii *atque* reposuere. Sed quanto venustius & elegantius tria illa membra disjunctim enuntiantur, *Vincla omnia rupi, Promissam eripui genero, Arma impia sumpsi*, quo in loco syllabæ timere fatuitatis est, & imperitiæ. *Pierius.*

32. *Ex illo.*] Græci ad verbum, ἐξ ἐκείνε, ἐκ τέτε. *Cerda.*

Qui me casus.] Excusat Turnum, ut non ipsius videatur esse, quod victus est: sed suum qui ausus est contra generum bella suscipere. *Servius.*

33. *Primus.*] Præcipuus ante omnes. *Idem.*

Quantos primus patiare labores.] Romanus codex & plerique alii veteres uno exemplo legunt *patiere*, ut futuri mali metu magis absterreat. Magis tamen placet *patiare*, ut in Oblongo & in Portio legitur: quia quæ præsentia sunt, negari non possunt. Hinc Donatus ait, *quæ passus sum nosti: quæve ipse adhuc patiaris, intelligis.* Pierius.

34. *Bis magna victi pugna.*] Semel occiso Mezentio: iterum cum interiit Camilla. *Servius.*

Bis magna victi pugna.] Semel cum occisus Mezentius lib. x. iterum cum Camilla lib. xi. Si semel male pugnatum, daretur hoc eventui: bis pugnatum est, & fortiter quidem, atque ut obtineri debuisset victoria, nisi offensa numina prosperitatem omnem in aliam partem, facta nostorum cæde avertissent. Atque utinam malis ipsis venisset finis: nimis autem vigent: ac ut nova & pertinaciter continuata perdurant. Quid jam speretur prosperi, quum extra urbem perierint omnia, & vix tueamur, quæ tenemus inclusa. *D.*

35. *Recalent.*] Pro *calent. Re* enim superflua compositio est verbi, aut *recalent*, iterum calent dixerat, magna quod victi pugna: *Re* enim iterationis obtinet vicem, & bene necessarium cum actu refert. *Servius.*

Recalent nostro Tiberina fluenta Sanguine adhuc.] Indicium magnæ cladis, quo argumento dictum ab Hom. 7. Il.

—αἷμα κελαινὸν ἐΰῤῥοον ἀμφὶ Σκάμανδρον.

Apud

Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties? quæ mentem insania mutat?
Si Turno exstincto socios sum adscire paratus;
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia; ad mortem si te (Fors dicta refutet)

Pro-

Apud eundem lib. 22. fluvius ita conqueritur:

Πλῆθος γὰρ δή μοι νεκύων ἐρατεινὰ ῥέεθρα.

Et iterum, *στεινόμενος νεκύεσσιν*, ut qui cadaveribus obstructus. Sic & Marius apud Appian. lib. 1. Civil. cladem conjicit *ἐκ τῶν φερομένων κατὰ τὸ ῥεῦμα σωμάτων*. & Philostratus lib. 4. Anthol. inde virtutem Telephi, quod *πλήθοντα φόνῳ ἐποίησε Κάϊκον*. Sic apud Ammianum l. 16. *Spumans denique cruore barbarico decolor alveus insueta stupebat augmenta.* & lib. 17. *Adeo ut abunde cruore diffuso meatus fluminis spumaret tumens.* Mitto Florum lib. 2. c. 6. Horatium Od. 1. l. 2. Ovidium Eleg. 9. lib. 4. Pont. & Plutarch. in vita Demosthenis, ubi ait fluvium Thermodonta (non illum Amazonum) nobilitatum ab simili clade, vocatumque *Αἵμωνα*. Ut vero Virgil. *recalent* in cæde, ita Josephus lib. 7. Bell. cap. 4. *Ποταμὸς ἦν τὰς χεῖρας ἐξ ὁμοφύλων ἔχοντας φόνων.* Cerda.

36. *Campique ingentes ossibus albent.*] Argumentem magnæ cædis, ut lib. 5. *scopulos Sirenum, multorumque ossibus albos.* Sidonius lib. 3. epist. 2. *campos sepultos ossibus insepultis.* Tacit. lib. 1. *medio campo albentia ossa.* Livius lib 36. *ossibus, quæ passim strata erant.* Ennod. Paneg. *Campus humanorum ossium candore nobilissimus.* Seneca Oedip.

—— *albens ossibus sparsis solum.*

Aristoteles lib. 10. de Anim. extremo advocat versum Empedoclis, quod definit, *τὰ δ' ὀστέα λευκὰ γένοντο*. Apulejus lib. 8. *suisque visceribus nudatis ossibus cunctis candere.* Idem.

Albent.] Usurpavit verbum *albeo*, *albes*. Servius.

37. *Quo referor toties.*] In Romano codice legere est *quo refero toties.* Hoc est, quanam obsecro de caussa hæc eadem toties in consultationem pono. ut illud, *Monstra deûm refero.* Sed enim quia sequitur *quæ mentem insania mutat*, de instabilitate sententiæ sermo est, quæ ab Rege adeo aliena esse debet, ut proverbio receptum sit, in iis quæ verissima esse contendimus, fidem regiam attestari. Ait itaque, *Quo referor toties.* quasi versum exprimat Horatianum, *Mea cur pugnat sententia secum? Quæ petii sperno, repeto quod nuper omisi.* Est & illud adnotatione dignum, quod *mutat*, non *mutat*, in codicibus aliquot manu scriptis legitur, quod majorem argueret instabilitatem. Sed *mutat* magis facit ad decorum, & in pluribus habetur, ex antiquis exemplaribus. *Pierius.*

Insania mutat.] Insania enim est, unde vix evaseris illuc reverti. *Servius.*

38. *Si Turno exstincto, &c.*] Æquum rerum æstimatorem divinis tum verbis, tum modis hic descripsit Poeta. Vide Scalig. l. 4. c. 1. *Taubm.*

Socios sum adscire paratus.] Bene non adjecit quos, ut levaret invidiam. *Servius.*

Accire.] Non negarim in antiquis aliquot codicibus *adcire* scriptum esse; sed longe plures sunt, qui cum Romano codice *adscire* legunt, ab *adscisco.* Horat. *adsciscet nova.* Et apud M. Tullium sæpe *Civis adscitus.* apud Livium, *in civitatem adsciti.* Pierius.

39. *Tollo.*] Finio, removeo: ut, *Tollite cuncta, inquit.* Servius.

41. *Fors dicta refutet.*] Parenthesis quasi

Prodiderim, natam & conubia nostra petentem?
Respice res bello varias: miserere parentis
Longævi, quem nunc mæstum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exsuperat magis ægrescitque medendo.
Ut primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Depo-

quasi dissimulatio vel remo * plena abominationis. *Serv.*

Fors dicta refutet.] Æschylus: ὃ μὴ γένοιτο. *Ursinus.*

42. *Natam & connubia nostra petentem.*] Iniquissimum enim est eum morti tradere, qui tuam affinitatem exoptet. *Servius.*

43. *Respice res bello varias.*] Ne eum ignaviæ videatur arguere, admonet eum casuum: ut supra, *Atque omneis metuentem expendere casus.* Idem.

Miserere parentis.] In simile πάθος desinit oratio Priami ad filium Hectorem dehortantis illum à congressu cum Achille,

Πρὸς δ' ἐμὲ τὸν δύστηνον ἔτι φρονέοντ' ἐλέαιρε. *Cerda.*

44. *Mæstum patria Ardea longe dividit.*] *Longe mæstum*, id est, valde mœstum. *longe dividit*, non procedit. non enim Ardea à Laurento longo valde dissidet spatio. *Servius.*

45. *Haud quaquam.*] Nequaquam, quia supra dixerat, *ultro inplacabilis.* Idem.

Violentia Turni.] Locutio poëtica, pro Turno. sic Ennius 1. Annal. *sonus Egeriai*, pro Egeria. Cicero Arato, *vis magna nepai*, pro scorpione. Plutarc. adversus Colotem ait, βίαν Ἡρακλείην εἶναι αὐτὸν Ἡρακλέα. Sed millena in Nostro, & aliis. Recte vero *violentia*: nam tales juvenes. *Cerda.*

46. *Flectitur.*] Sallust. Jugurth. *Postquam hæc, atque alia talia dixit, neque animus Martii flectitur.* Idem.

Ægrescitque medendo.] Inde magna ejus ægritudo crescebat, unde se ei Latinus remedium sperabat afferre. *Medendo* autem, dum ei medetur. Nam gerundi modus est à passiva significatione. *Servius.*

Ægrescitque medendo.] Vetus inscriptio Neapoli, ÆGRESCVNT, ET MORIVNTVR. Sententiæ Virgilianæ similis illa Ovidii, quam advocat Pontanus,

Acrior admonitu est, moderaminaque ipsa nocebant.

Et ego Ammianum, qui l. 14. de Gallo Cæsare, *quibus* (consiliis) *Cæsar acrius efferatus.* Ibidem, *ad rabiem eum potius evibrabat.* Cerda.

47. *Ut primum fari potuit.*] Nimius enim dolor vel iracundia intercluserat ejus vocem: sic de Euandro, *Et via vix tandem laxata dolori est.* Servius.

Sic incipit ore.] Antiqua omnia exemplaria, quotquot evolvi, tam in Vaticana Bibliotheca, quam etiam aliunde conquisita, uno exemplo legunt, *sic institit ore.* ab *insisto*, quod Turni violentiæ, quæ flecti non poterat, optime quadrat. Erat & in antiquo Mediceæ Bibliothecæ codice *institit*: sed ultimæ duæ syllabæ ab imperito aliquo abrasæ fuerunt, vestigio tamen mediæ adhuc integro permanente. *Pierius.*

48. *Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me Deponas.*] Bis quidem ait *pro me*, sed diversa affectione. namque hæc dicit, Quam pro salute mea solicitudinem geris, hanc pro mea fama & gloria, quæso, derelinquas. vir fortis enim gloriosam mortem præponit saluti. *Servius.*

Quam pro me curam geris, &c.] Val. Flacc. lib. 7.

I precor, atque unum pro me dimitte timorem. Cerda.

49. Le-

Deponas, letumque finas pro laude pacifci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & noftro fequitur de vulnere fanguis.
Longe illi dea mater erit, quæ nube fugacem
Feminea tegat, & vanis fefe occulat umbris.
At regina, nova pugnæ conterrita forte,
Flebat; & ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrimas, per fi quis Amatæ
Tangit

49. *Lethumque finas pro laude pacifci.*] Ita in 5. *vitamque volunt pro laude pacifci.* Neque contraria eft fententia, etiamfi ibi *vitam*, hic *lethum* dicat. nam fententia eft, emendam laudem ipfa vita, ipfa morte. Omnino quod Terent. Phorm. fcen. 3. act. 2.

Ita me Dii bene ament, ut mihi liceat? tamdiu, quod amo, frui,
Jam depacifci morte cupio. ——

Et Propert. Eleg. 16. lib. 3.

Talis mors pretio vel fit emenda mihi.

Lege loca quæ dedi lib. 9. Æneid. ad illud,

Qui vita bene credat emi, quo tendis honorem. Idem.

50. *Et nos tela.*] Ita Ovid.

Et mihi funt vires: & mea tela nocent.

Vide Adag. *Et meum telum cufpidem habet.* Taubm.

Debile ferrum.] Sic in fecundo, *Telumque imbelle fine ictu Conjecit.* Servius.

51. *Noftro de vulnere.*] Quod nos inferimus, & dubie eft locutus. *Idem.*

52. *Longe illi dea mater erit.*] Contra illud, *Sed matris auxilio utitur.* Id.

Longe illi dea mater erit.] Alludit ad locum lib. 5. Iliad. ubi Venus eripit Æneam filium Diomedi. Sententiæ Virgilii fimilis illa Statii 3. Theb.

—— *procul hæc tibi mollis*
Infula, terrificique aberit clementia Phœbi.

De locutione ifta *longe erit*, pro, *longe aberit*, lege Muretum lib. 10. Variar. cap. 4. ubi & locum Julii corrigit lib. 1. Gall. *longe his fraternum nomen Populi Rom. futurum*, non *abfuturum*, ut vulgo legitur, quia videlicet Virg. *longe erit.* Id ipfum fentit Lipf. 2. Elect. Sed certe vulgaris lectio Julii retineri poteft, neque locus ille ea eget medicina, ut etiam putat Urfinus in Notis ad Julium, nam Ovid. 4. Metamorph.

—— *longe tibi Juppiter abfis.*

Et Tibull. Eleg. 5. lib. 1.

At mihi nunc longe gloria fortis abeft.

Cicero etiam epift. 22. l. 12. *longe gentium abfunt.* Ceterum ab Noftro Plin. in Paneg. *Longeque tunc illi divinitas fua*, &c. *Cerda.*

53. *Vanis fefe occulat umbris.*] Videtur quadam reciprocationis abufione dictum effe, cum de Ænea dici videatur, & ipfum Latinitas poftulet: fed aliquanto hac in re liberiores fuerunt Latini veteres, etiam Cicero. Turneb. lib. 10. cap. 7.

54. *At regina, &c.*] Totus hic locus adumbratur ab fexta Iliade, ubi Andromacha vult retinere Hectorem ruentem ad pugnam. Comparet Lector otiofus. Videat etiam Daretis Phrygii eadem de re verba; & Statii quoque Thebaidem undecimam, quo loci afpirans ille ad Mufam Maronis inducit Jocaftam primo matrem continentem Eteoclem, ne eat ad pugnam. Deinde Jocaftæ orationem & affectus excipit filia Antigone, ad eum modum, quo Lavinia Amatæ. *Cerda.*

Nova forte.] Id eft, magna. nam novum non eft quod fuerat ante promiffum. *magnam* autem *fortem* vocavit fingulare certamen. *Servius.*

56. *Turne per has, &c.*] Confer
hanc

Tangit honos animum: (ſpes tu nunc una, ſenectæ
Tu requies miſeræ: decus imperiumque Latini
Te penes: in te omnis domus inclinata recumbit)
Unum oro: deſiſte manum conmittere Teucris.

Qui

hanc orationem incluſam octo verſibus, cum illa, qua Hecuba voluit retinere Hectorem ruentem ad bellum contra Achillem l. 22. Iliad. quæ item conſtat octo verſibus, & videbis in pari verſuum numero non paria rationum pondera. *Cerda.*

Per ſi quis Amatæ Tangit honos animum.] Si, quod te regina rogat, tuam commovet mentem, & ſi quem honorem habes Amatæ. Sic in ſeptimo, *Si qua piis animis manet infœlicis Amatæ Gratia.* Servius.

Tangit honos animum.] Sic Hor. ad Piſon. *cor ſpectantis tetigiſſe querela.* & Lucret. lib. 3. *tangere pectus dulcedine.* Itaque idem *tangere animum, cor, pectus,* id eſt, permovere. Nam Plutarch in Lyſandro, illum, qui gloria non tangitur, vocat ἀπαθῆ, καὶ ἀκίνητον. Ovid. Eleg 8. lib. 1. Triſt. *vota duros non tetigere Deos.* Cerda.

Si quis Amatæ, &c.] More Latino loquitur: & dicit; Si quid Amatæ cauſſa facere vis. Vide Turneb. lib. 23. cap. 14. *Taubm.*

57. *Spes tu nunc una, ſenectæ.*] Stat. 2. Sylv. *requies portuſque ſenectæ.* & *ſpes* ait, ad eum modum, quo Polyb. lib. 3. πατρὶς πάσας τὰς ἐλπίδας ἔχει τῆς σωτηρίας ἐν ὑμῖν. *Cerda.*

59. *Te penes.*] Eſt hoc quod Eurip. in Taur. dicit καὶ τἄμ' ἐν ὑμῖν ἐστιν. Advocat Erythr. illud Ulpiani de verb. ſignif. *Penes te amplius eſt, quam apud te: nam apud te, eſt, quod qualitercunque à te tenetur, penes te eſt, quod quodammodo à te poſſidetur.* vide Pontanum. Ad ſententiam pertinet illud Eurip. in Taur. ubi ad Oreſtem dicitur,

—Ἄγγελος πρὸς σε νῦν ἀποβλέπει. *Id.*

In te omnis domus inclinata recumbit.] Totum digeſſit ante per ſpecies: & ſic ſe contulit ad generalitatem. *Servius.*

In te omnis domus inclinata recumbit.] Ariſtoph. in Lyſiſtr.

Συγκεχώρηκέν σοι καὶ κοινῇ τὰ γλήματα
πάντ' ἐπιτρέψαι.

Seneca in Furen. *unicum lapſæ domus firmamen.* Propert. Eleg. ult. lib. 4.

Tota domus cœpit nunc onus eſſe tuum.

Horat. Od. 17. lib. 2.

—— *mearum*
Grande decus columenque rerum.

In Herodoti Muſa ſeptima eſt, ἐπὶ ἀνδρί γε ἑνὶ πάντα βασιλέως πρήγματα γίνεται. Eurip. in Hipp. Θήβας τεῖχος. ut in quo ſitæ ſpes omnes Thebarum. Sed quidpiam peculiare eſt in Virg. qui *domum*, id eſt, genus, & familiam, ait incumbere in Turnum, ut in generum, videlicet, propter filios & poſteros. Quo ſenſu Tacit. lib. 5. Hiſt. *Non legiones, non claſſes, proinde firma Imperii munimenta quam numerum liberorum.* & 1. Annal. *Quo pluribus munimentis inſiſteret, nitetur ſubſidio plurium liberorum.* Ut vero hic *recumbit*, ita ex nota Budæi Polyb. 3. ἀπήρεισαν. vide illam pag. 980. Sed certe cum Virgilius dixerit, *recumbit*, quo verbo ducimur ad columnam: & *domus*, qua voce ducimur ad liberos, mihi non dubium, quin hæſerit omnino Euripidi, qui in Iphig. in Tauris ait,

Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες.

Et in Medea ait liberos eſſe ἔρυμα δώμασιν. *Cerda.*

60. *Unum oro, deſiſte.*] Huic verſui reſpondebunt illi, qui ſunt 3. Iliad.

—— ἀλλά σ' ἐγώγε
Παύσασθαι κέλομαι, μηδὲ ξανθῷ Μενελάῳ
Ἀντίβιον πόλεμον πολεμίζειν, μηδὲ μάχεσθαι. *Idem.*

Manum committere Teucris.] Ab omni eum bello, non tantum à ſingulari certamine dehortatur. *Servius.*

61. Qui

Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent. simul hæc invisa relinquam
Lumina, nec generum Ænean captiva videbo.
Accepit vocem lacrimis Lavinia matris,
Flagrantis perfusa genas: cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro

Si

61. *Qui te cumque manent, &c.*] Similis locus 2. Æneid.

Quo res cumque cadent, unum & commune periclum,
Una salus ambobus erit. ——

Et Propert. Eleg. 28. lib. 2.

Vivam si vivet: si cadet illa, cadam.

Plaut. Mostell. *Si cades, non cades quin tecum cadam.* Cerda.

Casus.] In Romano codice pleraque nomina quartæ declinationis, quibus in casibus *us* ultimam syllabam producunt, *uu* geminato scribi solent. ut hoc loco *casuus*, & alibi *curruus*. ex Attii quidem, ut alias diximus, instituto, id quod adhuc in aliquot antiquis inscriptionibus observavimus. ut *exortuus vorsum.* Sed enim hoc, ut sciretur, non ut ad imitandum proponeretur, à me dictum est. *Pierius.*

62. *Et me, Turne, manent.*] Mire agit. nam quia scit suam mortem virum fortem facile posse contemnere, deterret eum, dicens se simul esse morituram, ut qui periculum non timet, formidet invidiam. *Servius.*

Invisa.] Quia *lumina*, ideo *invisa.* Huic *lumen relinquere*, opponit Virg. 2. Georg. *tolli in oras luminis.* & 7. Æneid. *edi sub oras luminis.* Cerda.

63. *Nec generum Æneam captiva videbo.*] Mire & fidem suam & studium circa Turnum expressit. *Servius.*

64. *Accepit vocem.*] Ordo est, Accepit vocem matris Lavinia. *Idem.*

Accepit vocem, &c.] Tria loca invenio in Statio, quæ fluxere ab hoc Virg. 3. Theb.

At gemitus Argia viri non amplius æquo
Corde ferens, sociumque animo miserata dolorem.

Et lib. 11. ubi Antigone excitatur ad fletus matris Jocastæ continentis filium, ne iret ad bellum, *At parte ex alia,* &c. lege reliqua. Demum alibi, *& gemitu mœstos imitata parentes.* Illud de Jocasta & Antigone sumpsit Statius proculdubio ab Phœnissis Eurip. *Cerda.*

Accepit vocem, &c.] Ordo: Accepit vocem matris Lav. perfusa g. lacr. Cui ardor animi subjecit ruborem: per hypallagen. De hoc pudore Laviniæ, Scalig. lib. 3, 13. & lib. 5, 16. *Taubmannus.*

65. *Flagrantes perfusa genas.*] Lachrymis perfusas. Statius, *Et gemitu mœstos imitata parentes.* Servius.

Ignem subjecit rubor.] Hypallage est, pro, *cui ignis animi subjecit ruborem.* movebatur autem, intelligens se esse tantorum caussam malorum. Sicut supra ipse, *Caussa mali tanti atque oculos dejecta decoros.* Idem.

66. *Rubor.*] Pudor maxima est virtus virginitatis. Apul. 1. *Virginali verecundia.* Simonid. apud Athen. lib. 12.

Πορφυρέου ἀπὸ στόματος ἱεῖσα φωνὴν
παρθένος.

Itaque Virgilius cum viderit nullam pulchritudinem esse dignam laude, nisi quæ pudibunda, *ruborem* Laviniæ dedit. Inde Cornel. Gal. Eleg. 1.

Candida contempsi, nisi quæ suffusa rubore
Vernarent propriis ora serena rosis.

Apuleius etiam lib. 1. *roseo rubore flammida.* Plato in Charmide, ἀνερυθριάσας οὖν ὁ Χαρμίδης, πρῶτον μὲν ἔτι καλλίων ἐφάνη· καὶ γὰρ τὸ αἰσχυντηλὸν αὐτοῦ τῇ ἡλικίᾳ ἔπρεπεν. *Cerda.*

67. *Violaverit ostro Si quis ebur.*] Homeri

Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: talis virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus:
Ardet in arma magis, paucisque adfatur Amatam:
Ne, quæso, ne me lacrimis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater: neque enim Turno mora libera mortis.
Nun-

meri comparatio. unde & *violaverit*, transtulit. Ille enim ait, *ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ. Serv.*

Indum sanguineo.] Suavissima sunt. Statius Achill. 1.

Lactea Massagetæ veluti cum pocula fuscant
Sanguine Puniceo; vel ebur corrumpitur ostro.

Claudianus in 1. De Raptu:

—— non sic decus ardet eburnum,
Lydia Sidonio quod fœmina tinxerit ostro.

Scalig. l. 5, 16. *Taubm.*

68. *Si quis ebur vel mista.*] In antiquis fere omnibus exemplaribus legere est, *si quis ebur aut mixta.* Qui *vel* reposuere, præjectæ syllabæ timuerunt, quum ignorarent eum quoque locum esse communem. *Pierius.*

Mixta rubent ubi lilia multa Alba rosa.] Aut ubi multa alba lilia permixta rubent rosæ conjunctione. Naturaliter enim omnis candor vicinum in se trahit ruborem. *Servius.*

70. *Illum turbat amor.*] Invenit occasionem, qua Turnus magis moveretur in bellum. *Idem.*

72. *Ne me lachrymis, neve omine tanto, &c.*] Sunt quippe lachymæ infelix omen profecturis. Ovid. 8. Metamorphos.

Inter opus, monitusque genæ maduere seniles,
Et patriæ tremuere manus, dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo. ——

Sic in 8. Euander, abeunte Pallante filio, *hæret inexpletum lachrymans,* quem nunquam deinde, nisi mortuum, vidit. Sic Amatæ lacrymæ omen fuere Turno, quippe cecidit in acie. Quis nescit lacrymas, quas accepit Hector ab Priamo, Hecuba, Andromacha, cum iret ad bellum, neque rediit? Ex hac veterum observatione præclare Passeratius corrigit Tibullum lib. 1. Eleg. 3.

Cuncta dabant reditum, tamen haud deterrita frustra est,
Cum fleret, nostras respiceretque vias.

Cerda.

73. *Prosequere.*] Proprie est deducentium aliquem, cum discedit. Plaut. Cas. *novam nuptam volo rus prosequi.* Liv. lib. 2. *Decedentem domum cum favore ac laudibus prosecuti.* Sidon. epist. 8. lib. 4. *caterva prosecutorum.* quem in locum plura Colvius. *Idem.*

74. *Neque enim Turno mora libera mortis.*] Duplex hoc loco est expositio: aut enim ordo est, Ne quæso mater, ne me lachrymis, id est, tanto mortis omine prosequaris, ad duri Martis certamina proficiscentem. neque enim Turno mora libera est non eundi, post jam promissum singulare certamen. Aut certe hoc dicit, Noli me mater ad bellum euntem ominosis lachrymis prosequi: neque enim Turno mora libera mortis, id est, neque enim est potestatis meæ moram inferre venientibus fatis. ac si diceret, Si imminent fata, periturus sum: etiamsi minime ad bella proficiscar. Sciendum tamen locum hunc unum esse de insolubilibus XII. quæ habent obscuritatem, licet à multis pro captu resolvantur ingenii. *Servius.*

Neque enim Turno mora libera mortis.] Hunc locum Servius ait unum esse de *duodecim indissolubilibus*, quæ obscuritatem

Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer. cum primum crastina cælo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos: Teucrûm arma quiescant,
Et Rutulûm. nostro dirimamus sanguine bellum.
Illo quæratur conjunx Lavinia campo.
Hæc ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit,
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementis:
Pilum-

tem habeant. quem tamen Turnebus lib. 23.c. 14. ita enodat in hanc sententiam: Mihi non, utrum velim, liberum est; sed pugnam detrectare non possum: ut, si cadendum est & oppetendum, differre non possim. Ac sic loqui solent qui obstinato animo in pericula rapiuntur. negant enim sibi licere periculum fugere. *Taubm.*

76. *Cum primum crastina cælo Puniceis invecta rotis.*] Hoc loco aviditas pugnaturi exprimitur. Sane nunc non dicit oriri diem, sed designat tempus quod vult ut ad singulare certamen uterque procedat. *Servius.*

77. *Puniceis.*] Poëta ἄδηλος (ait Urs.) de Aurora, φοινικοδάκτυλος. Claud. 1. Rapt. dat novæ luci *puniceos ortus.* Sic consequenter in hoc eodem versu *rubebit.* & 3. Æneid.

Jamque rubescebat stellis aurora fugatis. Cerda.

Rotis.] Ovid. 3. Metamorph.

Cum croceis invecta rotis Aurora reducet.

& 7. Æneid.

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Idem.

78. *Non Teucros agat in Rutulos.*] Pertinent ad hunc locum multa lib. 3. Il. Lege ab eo loco *αὐτὰρ ἐμὲ ἐν μέσῳ*, &c. *Idem.*

Teucrûm arma quiescant, Et Rutulûm.] In Rom. cod. in Oblongo, Vaticano, in Portio, in plerisque aliis antiquis legere est, *Teucrum arma quiescant Et Rutuli*, oratione non invenuste variata. In Mediceo ultima syllaba est aliena manu corrupta, quum omnino *Rutuli* prius fuisse appareat. Quod vero in exemplaribus vulgaris *dirimatur*, tertia persona passivi legitur, in omnibus his antiquis *dirimamus* prima plurali, activa voce, scriptum observavi. *Pierius.*

79. *Nostro dirimamus sanguine bellum.*] Bene se omnibus commendat hoc dicto: siquidem suum sanguinem pro omni bello dicit posse sufficere. *Serv.*

Nostro dirimamus sanguine bellum.] Est hoc Euripideum illud Phœniss.

Μόνος συνάψω συγγόνῳ τῷ 'μῷ μάχην.

Et in Heracl. *ἐμοὶ μόνος μόνῳ μάχην συνάψας.* Tydeus apud Stat. l. 2. Theb.

Quis timor audendi? quæ tanta ignavia? solus,
Solus in arma voco. ——

Sic sup. *& solus ferro*, &c. Tale & illud apud Cedren. pag. 560. *προκαλούμενος αὐτὸν εἰς μονομαχίαν, δέον εἶναι λέγων, ἑνὸς ἀνδρὸς θανάτῳ κριθῆναι τὸ ἔργον, ἢ κατασφάττεσθαι, καὶ κατὰ μικρὸν δαπανᾶσθαι τὰ ἔθνη.* Lege eundem pagina ducentesima octuagesima prima, ubi *μονομαχία* componit bellum inter Romanos, & Persas, nullo alio interfecto. *Cerda.*

80. *Illo quæratur con. Lav. campo.*] Lucanus lib. 7.

Qui subolem ac thalamos desertaque pignora quærit,
Ense petat: medio posuit Deus omnia campo. Taubm.

82. *Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes.*] Solent enim ex equorum vel mœstitia, vel alacritate eventum

Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia:
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt
Pectora plausa cavis, & colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco

Circum-

tum futurum dimicaturi colligere. *Serv.*

83. *Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia.*] Ait Horatius in arte poëtica, *Nec quodcunque velit, poscat sibi fabula credi.* Unde Critici culpant hoc loco Virgilium, dicentes incongruum esse figmentum. Namque Orithya cum Atheniensis fuerit, filia Terrigenæ, & à Borea in Thraciam rapta sit, quomodo potuit Pilumno, qui erat in Italia, equos dare? *Decus dedit.* Ad ornamentum: ut, *Quas ipsa decus sibi dia Camilla delegit.* Sane hic versus ἀσυναλάζων est. nam *thyi* diphthongus Græca est. *Idem.*

Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia.] Defendit à Criticorum reprehensione hunc locum Turnebus lib. 23. cap. 14. qui negat incongruum esse, deam deo equos Thracios donavisse, cum & Θρῄκην πωλοτρόφον vocet Hesiod. & Thraces equos passim Homerus, & ipse Maro carminibus commendent. Ego certe, ut cum Turnebo sentiam, tam alienum quam Critici, hoc figmentum accipere non possum: nam & hospitii dona multas, inter absentes locisque disjunctos, amicitias tradita, vel missitata junxisse certum est, ex Homero, cæterisque auctoribus & Poëtis. *Germanus.*

84. *Qui candore nives anteirent, cursibus auras.*] Homeri versus verbum ad verbum, λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. *Servius.*

Qui candore nives, &c.] Scal. lib. 3. c. 3. & l. 5. c. 3. Turnebus l. 24. c. 31. *Taubmannus.*

85. *Properi aurigæ.*] Festini, veloces: & erit nominativus *hic properus.* *aurigas* autem pro agasonibus posuit. nam *aurigæ* proprie sunt currus regentes. *Servius.*

Circumstant properi aurigæ.] Veteres aliquot codices *propere* legunt, sed inemendate. Aliquot alii, *pueri aurigæ*, ut in Oblongo, Vaticano. Servius cum plerisque veteribus exemplaribus *properi* mavult. Interpretatur enim *festini, velocesque.* Pierius.

Manibusque lacessunt Pectora pulsa cavis.] Non negarim *pulsa* in veteribus aliquot exemplaribus inveniri. Sed enim longe magis placet, quod in iis probatioribus, quæ sequimur, *plausa* legitur: à doctis omnibus lectio plausibiliter recepta, ut in Georg. *Et plausæ sonitum cervicis amare.* Idem.

Manibusque lacessunt, &c.] Ex ingenio equorum, qui lacessendi quidem, sed cum blandimento. Præcepit n. Xenophon, non, iracunde tractandum equum. de qua re ille late. Sen. lib. 1. de Clem. c. 16. *Equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magister. fiet n. formidolosus & contumax, nisi cum tractu blandiente permulseris.* Philost. de equis dixit, καταψῆσαι ὦτα, καὶ χαίτην, *aures & jubas demulcere.* Inde & 3. Georg. Virg. *& plausæ sonitum cervicis amare.* & Ovid. 1. Art.

Quadrupedes inter rapidi certamina cursus
Depexaque jubæ, plausaque colla juvant.

Sic hic *pectora plausa.* Et Ambros. lib. 3. de Virg. *Equorum vis plausæ sonitum discit amare cervicis.* Cerda.

87. *Auro squalentem.*] Sic lib. 10: *tunicam squallentem auro.* quem locum vide. Nihil vero aliud vult, quam loricam *asperatam auro.* Idem.

Alboque orichalco.] Apud majores orichalcum pretiosius omnibus fuit metallis. namque sicut Lucretius dicit, Cum primum homines silvas incendissent, nullarum adhuc rerum periti, terra casu

Circumdat loricam humeris: ſimul aptat habendo
Enſemque clipeumque, & rubræ cornua criſtæ:
Enſem quem Dauno ignipotens deus ipſe parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quæ mediis ingenti adnixa columnæ

Ædi-

ra caſu fertilis omnium, ex incendii calore deſudavit metalla; inter quæ orichalcum pretioſius viſum eſt, quod & ſplendorem auri & æris duritiem poſſideret. Namque de auro primum ſecuris facta diſplicuit cauſſa mollitiei: ſimili ratione & argenti contemptus eſt uſus, mox æris: orichalcum placuit, donec veniretur ad ferrum. Unde etiam ſecula ita dicuntur fuiſſe diviſa. Orichalcum etiam fuiſſe pretioſum Plautus docet, qui ait in Milite glorioſo, *Ego iſtos mores orichalco contra comparem. Alboque orichalco.* Auri ſcilicet comparatione. nam album non eſt. *Servius.*

Alboque orichalco.] Auri ſc. comparatione. nam album non eſt. De *orichalco* vide Commentar. Plautin. Curcul. act. 1. ſc. 3. Etiam Hom. 2. Hymno in Vener. orichalcum auro coniunxit: quod auri ſplendorem, æris duritiem habet. *Taubmannus.*

88. *Circumdat loricam humeris.*] Non armatur hoc loco, ſed explorat utrum arma apte & congrue ejus membris inhæreant. *Servius.*

Aptat habendo.] Ad habendum, ut congrue poſſint inhærere. *Idem.*

89. *Cornua criſtæ.*] Id eſt, comas, quas Græci κέρατα nominant. unde & κείρειν dicunt *tondere*. *Cornua* autem proprie ſunt cincinni. *Idem.*

Rubræ cornua criſtæ.] Uni galeæ interdum duæ inerant aut tres criſtæ, quæ cum diviſæ eſſent, formam reddebant cornu. Quæ itaque hic *cornua*, in 6. vocat *vertices*, cum ait: *Viden' ut gemino ſtent vertice criſtæ?* Notes obiter συμφυῆ κέρατα, *naturalia cornua*, interdum galeis addita ad majorem ſpectantium horrorem, quod de Gallis ſcribit Diod. Sic & galea Pyrrhi apud Plaut. ornabatur τραγικοῖς κέρασι *hircinis cornibus*. C.

90. *Deus ipſe parenti fecerat.*] Ac ſi diceret, non per miniſtros. Statius, *Sed plurimus ipſi Sudor ibat.* Et notandum quam affectate variaverit, ut Æneæ uno loco arma deſcriberet: Turni vero hic haſtam, gladium & loricam. In octavo autem ſcutum & galeam. *Servius.*

91. *Stygia unda.*] Quaſi immortalem fecerat. *Idem.*

Stygia unda.] Conſecrationem quandam enſis oſtendit. *Donatus.*

Stygia candentem tinxerat unda.] Eſt hoc, quod in 8. de officina Vulcani, *ſtridentia tingunt æra lacu.* Vide quæ in eo tractu, ut locum hunc exornes. Ut hic, *candentem enſem*, ita Lucret. lib. 2. *ferrum candeſcit in igne.* Vide 3. Æneid. ad illud, *candente favilla.* Pind. etiam 3. Pyth. πολιῷ χαλκῷ ait Germ. *Cerda.*

92. *Exin.*] Deinde: nam ordinis eſt adverbium. *Servius.*

Ingenti adnixa columnæ.] Haſtæ per columnam exprimitur magnitudo: ſicut in ſeptimo equorum; ut, *Stabant tercentum nitidi in præſepibus altis.* Idem.

Ingenti adnixa columnæ.] Ex more veterum, qui haſtas incluſas thecis, & columnis innixas aſſervabant. De thecis tacuit Virg. dedit, quæ pertinent ad columnas. Is mos liquidus ex Hom. Iliad. 17. & Odyſſ. 1. ubi haſta ponitur πρὸς κίονα μακρὴν *ad columnam longam.* Breviter hæc duo dedi loca, quia fuſe alii. Idem Hom. Iliad. 13. δούρατα, id eſt, *haſtas*, exhibet ἑστεῶτα πρὸς ἐνώπια, quod idem ferme, *innixas parietibus.* Eurip. in Taur. cum dicat aſſervari.

Πέλοπος παλαιὰν ἐν δόμοις λόγχην πατρός,

credibile eſt eodem ſitu poſitam cum Homericis. Itaque non jacebant haſtæ, non erant pendulæ: ſed innixæ, & ſtantes, ideo ἑστεῶτα. Inde etiam ſignate libro

bro

Ædibus adſtabat, validam vi corripit haſtam,
Actoris Aurunci ſpolium: quaſſatque trementem,
Vociferans: Nunc, ô numquam fruſtrata vocatus
Haſta

bro decimoſeptimo Iliad. & 1. Odyſ. ἔστησε πρὸς κίονα. In quo legitimo haſtarum ſitu alluſum fortaſſe ad etymon: nam Varro libro quarto de Lingua Lat. ait haſtas dictas ab *ſtando*. Inde hic *adſtabat*, & in libro ſexto, *ſtant terræ defixæ haſtæ*. Itaque cum in aliis legimus penſilia fuiſſe arma, ut in Eurip. in Herac. κἀπὸ πασσάλων ἑλών, *accipiens à clavis*. videlicet, ὁπλίτην κόσμον, *militarem ornatum*. & Androm.

Κρεμαστὰ τεύχη πασσάλων καθαρπάσας.

capiendi ſunt de aliis armis, non de una haſta, quæ quidem non penſilis, nec jacens, ſed innixa, & ſtans. Et argumento eſt quod ſubjungitur poſtea, κόσμῳ πυκάζου τῷδε· *tegaris ornatu hoc*. tectio n. non fit haſta, ſed clypeo, aut thorace, aut galea. Scio ab hoc more deſciviſſe Hom. Il. 10. ubi arma Neſtoris, videlicet ſcutum, galea, atque etiam δύο δοῦρε, *haſtæ duæ*, omnia hæc ἔκειτο, *jacebant*; cum ipſe tunc dormiret. Sed hoc nihil mori nocet, cum tempus belli deſcribatur, ac tum jam arma extra locum, ubi ſolent aſſervari. De hac armorum appenſione jam ubertim alibi. *Cerda*.

93. *Vi.*] Virtute. *Servius*.

Corripit.] Quaſi dicat, ſine conatu extulit, quamvis tanta eſſet, ut adminiculis columnæ egeret. *Donatus*.

94. *Actoris Aurunci ſpolium.*] Vel quod Actori detraxerat Turnus: vel quod Actor cuidam alteri. nam ambigue eſt poſitum. *Servius*.

Actoris Arunci.] In Romano cod. in Portio, & aliquot aliis antiquis *Aurunci* legitur; ut alibi, *Auruncos ita ferre ſenes*, tametſi pleraque vetera exemplaria *Arrunci*, *r* geminato ſcribunt, ſed male. Nam & Liviani codices antiqui, una cum his Virgilianis notæ melioris, *Auruncos* ſcribunt. *Pierius*.

Actoris Aurunci ſpolium.] Ait Serv. *quod Actori detraxerat Turnus, vel quod Actor cuidam alteri: num ambigue eſt poſitum*. Non fero. Nihil enim ambigue Maro. Itaque accipio alterum illud, *quod Actor cuidam alteri*. Nam poſtea magnifica Actoris mentio, *te maximus Actor, te Turni nunc dextra gerit*. Quibus innuit, tranſmiſſam haſtam ad ſe dono ab Actore: hunc enim ſi viciſſet Turnus, explicuiſſet. Hemiſtichium hoc eſſe poſſit adagiale, ad eum modum, quo Juven. Sat. 2.

Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis,
Actoris Arunci ſpolium. ——

Quaſi dicat: ut Turnus haſtam Actoris, ita ille Othonis ſpeculum. *Cerda*.

Quaſſatque trementem.] Quaſſat, & tremere facit. *Servius*.

95. *Vociferans.*] Hæc ſcilicet, quæ dicturus eſt. Plerumque enim ita clamor oſtenditur, ut ſtatim ipſius clamoris verba ſubdantur. ſic ſupra, *Turnumq; repente Clamat iô matres*. Sane nunc ita ad haſtam, quaſi ad aliquam perſonam loquitur, & ei intellectum & auditum dat, ſicut Cicero in Catil. verba rei publicæ. Sed ille ait, *Si patriam loqui poſſet fieri*. Turnus vero quaſi ad virum ſentientem loquitur: nec immerito. nam eum inducit furentem, ut, *His agitur furiis, totoque ardentis ab ore Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis*. Idem.

Vocatus haſta meos.] Invocationis meæ preces. Nam appellatio eſt à verbo, quæ ſemper aut in *io* exit, aut in *us*. Si in *io* exeant, tertiæ eſt formæ. Si in *us* quartæ: ut ab eo quod eſt *lego*, aut *lectio*, aut *lectus* facit. Sed hoc nos dicimus, quod δι᾽ εὐφωνότερον fuerit, ſicut nunc ab eo quod eſt *voco*, *vocatus* poteſt, non *invocatio*. Idem.

Vocatus haſta meos.] Directio orationis ad res brutas, mirum quantum afficere; & ad inanimas majore motu; docet Scalig. l. 3. c. 26. Et notat Turneb.

Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit. da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revolsam
Semiviri Phrygis, & fœdare in pulvere crinis
Vibratos calido ferro myrrhaque madentis.

His

neb. l. 8. c. 16. & lib. 22. c. 12. Belli Trojani tempore sceptra regum hastas fuisse: & veteres per *hastam* jurasse, eamque pro Deo coluisse. hinc *Cænei hasta* Proverbio celebrata est. Ovid. 12. Metamorph. *Taubm.*

96. *Te maximus Actor.*] Subaudimus, *ante agere consueverat.* Servius.

97. *Turni nunc dextra gerit.*] Ejus scilicet qui quasi supra maximum est Actorem. *Idem.*

Da sternere.] Figura Græca: ut, *Donat habere viro.* Item, *dat ferre talentum.* Idem.

98. *Lacerare revulsam.*] Ut laceratam revellam. Laceratam autem propter illud, *Et bis sex thoraca petitum Perfossumque locis.* Idem.

99. *Semiviri Phrygis.*] In Codicibus aliquot antiquis *Phrygii* legitur, sed omnino *Phrygis* gentile nomen melius, quam possessivum. *Pierius.*

Semiviri Phrygis.] Semivirum invidiose propter Paridis cognationem, tum quod formarum ferax habita sit Phrygia, & mollior, ut docet Eustathius in primum versum Iliad. λ. *Germ.*

Fœdare in pulvere crines.] Hom. Il. π. *μιάνθησαν δ' ἔθειραι αἵματι καὶ κονίῃσι, πάρος γε μὲν οὐ θέμις ἦεν ἱππόκομον πήληκα μιαίνεσθαι κονίῃσι.* *Vibratos* autem *calido ferro*, Servius accipit crispatos calamistro. Certe & cinifiones antiquis dicti à calefactis calamistris ad intorquendos fingendosque capillorum cincinnos, cirros, corymbos, crobylos tum mulieribus, tum effœminatis viris mollibusque. Calamistratos autem crines ut muliebres notat, alludens ad sæcula quibus Romæ indulsere mariti uxoribus, quo formam suam concinniorem efficerent, capillos suos cinere rutilare. *Idem.*

100. *Vibratos calido ferro.*] Crispatos calamistro. nam *calamistrum* est acus major, quæ calefacta & adhibita intorquet capillos. Unde etiam Cicero *calamistratam comam* appellat frequenter, quæ etiam vituperationi est. Unde & contra ad laudem est positum ab Horatio, *Hic & incomptis Curium capillis.* Servius.

Myrraque madentes.] In Rom. cod. & aliquot aliis *murra* per *u*, ut etiam in antiquis Donati codicibus, idque absque aspiratione, cujus rarus apud veteres usus fuit. De litera vero *y*, dictum sæpius. *Pierius.*

Myrrhaque madentes.] Est hoc etiam argumentum extremæ luxuriæ, & languoris. Claud. Bell. Gild.

Umbratus dux ipse rosis, & madidus ibit
Unguentis, crudusque cibo, titubansque Lyæo.

Horat. in re molli Od. 14. lib. 3. *myrrheum crinem*, & Tibull. lib. 3. Eleg. 4. *Stillabat Syrio myrrhea rore coma.* Sen. in Furen.

Hirtam Sabæa madidus myrrha comam.

Mart. Epigr. 19. lib. 10. *cum madent capilli.* sic & de Pison. Tull. in orat. post reditum, quæ habita in Senatu notans illius mores: *Vini, somni, stupri plenus, madente coma, composito capillo.* Plut. in vit. Paul. *τῷ σώματι στίλβων·* *nitens corpore.* loquitur scilicet de molli, & effeminato. Et in vita Phocion. *μύρον ὄζοντι*, *unguentum redolenti*, ad inurendam injuriam. Quintil. Decl. 298. ponit inter perditæ vitæ signa hominem *flagrantem mero*, *redolentem unguenta.* Eodem vitio notatur Æneas ab Iarba lib. 4. *crinemque madentem.* In utroque enim Ænean notat sine ostentatione. Erat enim Æneas

Hhh 2 Phryx,

His agitur Furiis. totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt: oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cum prima in prœlia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,

Arbo-

Phryx, & à Phrygibus ortæ deliciæ. *Cerda.*

100. *Myrrhaque madentes.*] Æneam tamquam mollem & effeminatum his verbis traducit Turnus: apud veteres enim mulieres & viri molliores capillos suos unguentis perfundebant. De quo more videndus Bernartius ad Statii lib. 1. Silv. Epithal. Stellæ & Violantillæ ℣s. 113. *Myrrha* vero hic ponitur pro unguento myrrhino, sicut *Oenanthe* pro Oenanthino, *nardus* pro nardino & similia, ut notat ad Lampridium in Heliogabalo cap. 23. Salmasius. *Myrrha* enim ex arbore collecta contundebatur, ex eaque liquor quidam, Græcis στάκτη, exprimebatur, reliqua vero pars, quod in offas convolveretur, πλασὶ fuit dicta. Illam autem στάκτην sive liquorem Latini κατ' ἐξοχὴν dixerunt *myrrham*, ut docet Salmasius in Plin. Exercit. pag. 520. *Emmeness.*

101. *Agitur furiis.*] Propert. Eleg. 13. lib. 1. *Te tuus ardor agit.* Cerda.

Furiis.] Ex natura irati, qui vere insanus. Seneca lib. 1. de ira cap. 1. *Nam ut furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, & vehementius acta suspiria; ita irascentium eadem signa sunt.* Græci ἀγριοῦσθαι dicunt pro *irasci*, quod proprie est *efferari*. Valentinianus Imperator *ferus* dicitur ab Amm. lib. 27. loquente de illius ira. Capitol. de Maximino: *Homo natura ferus sic exarsit ut non hominem, sed belluam putares.* Recte ergo furiæ de irato Turno. *Idem.*

102. *Scintillæ absistunt oculis, &c.*] In Romano codice *existunt* legitur, quod ex Paraphrasi desumptum crediderim, quum exemplaria reliqua *absistunt* legant. Est & antiquus admodum codex, in quo numerus ita mutatus, *absistunt scintillæ oculis, micat acr. ign.* Sane vero Donatus *absistunt* agnoscit, & *exire non cessant*, interpretatur. *Pierius.*

Oculis micat acribus ignis.] Ut supra dictum est furoris immanitate. *Serv.*

Oculis micat acribus ignis.] Homer. ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην. & Hesiod. in scuto de leone: γλαυκιόων δ' ὄσσοιν δεινὸν, πλάδεγες τε καὶ ἄμυς, &c. Frequens apud Calab. ὄμματα μαρμαίρουσιν ἶσον πυρί. Aristot. lib. De sens. refellit Platonem & Pythagoricos, qui visum omnem ad ignem pertinere volebant, quod commoto constrictoque oculo scintillæ aliquæ splendescant & emicent: cujus passionis causam eodem loco multis verbis reddit. Deprehendit autem Passeratius sumptum hunc locum ex Lucret. lib. 3. ubi *acribus* pro acrius reponendum censet ex hoc Virgilii loco. Ait Lucretius lib. 3. *Est etiam calor ille, animo quem sumit in ira Cum fervescit, & ex oculis micat acribus ardor.* Germanus.

103. *Cum prima in prælia.*] Romanus codex atque aliquot alii pervetusti, *cum primum in prælia* legunt, eodem omnino significato. Nam & *prima in prælia*, initio pugnæ significat. *Pierius.*

Terrificos ciet.] Nomine, & hinc apparet mugitus non tantum dolentum esse, sed etiam irascentium. *Ciet* autem modo dat, sicut in VI. *Lenibat dictis animum lachrymasque ciebat.* Nam proprie *ciere* est aut dolorem aut lachrymas commovere. *Servius.*

Atque irasci in cornua tentat.] In Romano codice & antiquioribus aliis, *aut irasci* legitur. Sed in Georgicis quoque *atque* habetur eo loco, *atque irasci in cornua discit.* Pierius.

Atque irasci in cornua tentat.] Sic 3. Georg.

Arboris obnixus trunco; ventosque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis sævus in armis
Æneas acuit Martem, & se suscitat ira,
Oblato gaudens conponi fœdere bellum.

Tum

Georg. *atque irasci in cornua discit.* ubi & hoc, & quod sequitur, *arboris obnixus trunco.* Ovid. 12. Metam. dixit,

Haud secus exarsit quam circo taurus aperto,
Cum sua terribili petit irritamina cornu.

Notas irati tauri has adhibet Eurip. in Hel.

Ἀλλ' ἐξεβρυχᾶτ' ὄμμ' ἀναστρέφων κύκλῳ,
Κυρτῶν τε νῶτα, κεὶς κέρας παρεμβλέπων,
Μὴ θιγγάνειν ἀπεῖργεν· ——
Sed mugiebat circumagitans oculos,
Et curvans tergum, & suspectans in cornua,
Ac ne attingeretur cavebat. ——

Cerda.

Ventosque lacessit.] Ita de Darete gladiatore Æn. 5.

—— *& verberat ictibus auras.*

Latinis hoc *ventilare* est. *Taubm.*

106. *Ad pugnam proludit.*] Præmeditatur. Cicero, *Sin mecum in hac prolusione nihil fueris, id est, præ meditatione certaminis, quem te in ipsa pugna cum acerrimo adversario fore putemus.* Serv.

Et sparsa ad pugnam proludit arena] Antiqui omnes codices *aut sparsa* legunt. hinc fit ut non gravate alterum *aut* superius admittam. Nam in Georgicis tota natura tauri describitur. Huic vero comparationi vel hic, vel ille gestus, satis, superque est. Adverte vero, *proludere* Donato esse, imaginem quandam veritatis ostentare, ludendo. *Pierius.*

Sparsa ad pugnam proludit arena.] De irato tauro Seneca lib. 1. de Ira, c. 1. *& arena pulsu pedum spargitur.* Plutarchus de solertia Animal. ὅρα προβάσεις καὶ παρασκευὰς ταύρων ἐπὶ μάχῃ κονιομένων· *intuere apparatus taurorum, cum pugnam destinant, pulvere se conspergentium.* Ovid. Eleg. 9. lib. 4. Trist. hac nota inducit tantum comparantem se ad iram. Versus sunt:

Circus adhuc cessat, spargit tamen acer arenam
Taurus, & infesto jam pede pulsat humum.

Notanda sunt verba Plinii cap. 45. l. 8. qui hanc iræ notam uni tantum attribuit tauro, de hoc enim loquens ita ait: *Tota comminatio prioribus in pedibus stat, ira glißcente alternos replicans, spargensque in altum arenam, & solus animalium eo stimulo ardescens.* Oppian. lib. 2. Cyn. de tauris loquens, ἀμῶνται ποσὶ γαῖαν, οἷα κονιόμενοι. Tauri quoque ab Calabro lib. 4. in pugna inducuntur ποσσὶ κονιόμενοι. *Cerda.*

Proludit.] Προαγωνίζεται. unde προαγῶνες. Cic. *præludium pugnæ:* Plinius jun. *prælusio:* Noster Æn. 9. *principium pugnæ.* Taubm.

107. *Maternis.*] Quæ mater ei à Vulcano impetraverat. *Idem.*

Sævus.] Fortis: more suo, vel magnus. Et ingentem moderationem dat Æneæ, quippe quem inducit laborantem, ut posset in iram moveri, cum Turnum ita dicat furere, ut nec Latini consiliis, nec Amatæ precibus possit obedire. *Servius.*

108. *Acuit Martem.*] Irritat se ad futura certamina. *Idem.*

Se suscitat ira.] *Ira cos est fortitudinis.* Catullus de Leone, Carm. 59.

Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum, &c.

& Lucanus:

Mox ubi se sævæ violavit verbere caudæ.

Taubmannus.

109. *Componi fœdere bellum.*] Finiri. Ut, *ante diem clauso componet vesper Olymp.*

Tum socios mœstique metum solatur Iuli,
Fata docens: regique jubet responsa Latino
Certa referre viros, & pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montis
Orta dies; cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant;
Cam-

Olympo. aut *componi bellum* ad pactionem singularis certaminis bellum deduci. *Fœdus* autem, sicut supra dictum est, ab hostia quæ fœde interimi solet, appellatum est. *Oblato* autem *gaudens*, intelligendum nuntium Æneæ venisse de bello. *Servius.*

110. *Tum socios mæstique metum sola-tur Iuli.*] Intelligamus hos spe singularis certaminis pro ducis salute esse turbatos. Bene autem separavit Ascanium à sociis, de illis enim *socios* dixit, non addidit metum, quia proprium erat & filii & pueri timere pro patre. *Idem.*

111. *Fata docens.*] Monens, quibus condenda urbs sit, quid futurum ut vincat. *Idem.*

Responsa Latino Certa referre viros.] Κατὰ τὸ σιωπώμενον etiam ad Latinum Æneam legatos misisse intelligimus. Nam supra Turnus tantum dixerat, *Nuntius hæc Idmon, Phrygio mea dicta Tyranno. Certa* autem pro firma & vera; aut certe hos legatos Idmoni adjunctos potest intelligi. *Idem.*

112. *Pacis dicere leges.*] Id est, Quas paulo post in ipso fœdere est dicturus Æneas. *Idem.*

Et pacis dicere leges.] In Oblongo codice Vaticano *discere* legitur: sed Servius agnoscit *dicere*: quas leges paulo post Æneas in fœdere dicturus est. *Dicere* Donatus etiam agnoscit: sed in eo diversus abit à Servio, quod ait, *Iubet ad regem Latinum tota maturitate perferri, ut ipse qui summam teneret potestatem, pacis leges diceret.* Pierius.

113. *Postera vix summos.*] Descriptio temporis quod Turnus præfinierat. *Servius.*

Spargebat lumine.] Græci, Hom. Calaber, in re simili κίδναθ᾽. Sic etiam Æschyl. Pers. πρὶν σκεδασθῆναι θεοῦ ἀκτῖνας. Boet. lib. 2. *lucem spargere*, loquitur de Phœbo. De quo etiam Lucan. lib. 3. *spargens radios.* Cerda.

Montes.] Impingit quippe Sol primum in cacumina. Ita Lucifer surgit 2. Æneid. *jugis summæ Idæ.* & Titan apud Sen. in Troad. *stringit summa juga.* Cedren. pag. 470. τοῦ ἡλίου τὰς ἀκρωρείας αὐγάζοντος. *Idem.*

114. *Cum primum alto, &c.*] Quia res perturbatæ secuturæ sunt, diem quoque cum fervore oriri fecit. *Servius.*

Se gurgite tollunt.] Hæc poësis cui non placita? Tibull. lib. 4.

Splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis.

De Titane Sil. lib. 12. *dum gurgite lucem spirantes proferret equos.* Mitto. *Cerda.*

115. *Lucemque elatis naribus efflant.*] Ennianus versus est ordine commutato. Ille enim ait, *Funduntque elatis naribus lucem.* Et sciendum nunquam diem sic patenter descripsisse Virgilium. Sicut in quarto noctem, ubi Dido pervigilans deliberat. *Servius.*

Lucemque elatis naribus efflant.] Aut ab Pindaro, aut ab Ennio. Ille Od. 7. Olymp. —— ὁ γενέθλιος ἀκτίνων πατὴρ
Πῦρ πνεόντων ἀρχὸς ἵππων·

—— radiorum genitor pater,
Princeps equorum spirantium ignem.

Ennius vero: *funduntque elatis naribus lucem.* Ovid. 2. Metamorph.

—— quadrupes animosos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore & naribus efflant.

Est hoc quod idem eodem lib. de iisdem equis, *ignemque vomentes.* Cerda.

116. *Cam-*

Campum ad certamen magnæ sub mœnibus urbis
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant;
In medioque focos, & dìs communibus aras

Gra-

116. *Campum ad certamen.*] Totus hic de fœderibus locus de Homero translatus est, ubi Alexander Paris cum Menelao singulari certamine dimicaturus est. *Servius.*

117. *Dimensi Rutulique viri.*] Inter se per certa spatia dividentes, quæ quisque loca purgaret: & hoc loco sciendum *Fauni lucum evertere Trojani.* Unde est paulo post, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.* Idem.

118. *Focos.*] Quicquid ignem fovet, *focus* vocatur, sive ara sit, sive quid aliud in quo ignis fovetur. Sicut in tertio dictum est, tamen & hic in publico sacrificio ostendit cum aris etiam focos sacratos, nam ait, *In medioque focos & diis communibus aras*, & post subtexuit, *Craterasque focosque ferunt*, crateras scilicet quibus libaverat, focos vero ad quos legitimum sacrificium perfecerat. *Idem.*

In medioque focos.] Cur hic focos, cum deinde, *fontemque ignemque ferebant*? Primo *quia focus* sit proprie non ignis, sed locus ubi ignis fovetur, ac proinde queat separari ab igne, dicente Ovid. 6. Fast. *sintque sine igne foci.* & Isid. *ignis ipsa flamma est, focus vero fomes ac nutrimentum ignis.* & addacit Varronem, qui ait: *focus dictus, quod foveat ignem.* Secundo dici potest, in hoc sacro duplicem fuisse ignem, unum in omni sacro necessarium jugulandis pecudibus, de quo postea, *in flammam jugulant pecudes.* & Euripid. in Supp. ἐμπύρων τ' εἶδες φλόγα; *vidisti flammam hostiarum?* Alterum huic sacro, in quo fœdus feritur, necessarium, & huic usui destinat *ignem* sequentem, nam infra, *Tango aras, mediosque ignes*, videlicet cum Latinus jurat in hoc fœdere, & per testationem ignis fieri juramenta jam ex Arato Theonis interprete Turnebus astruxit. *Focus* quoque pro *ara* sumitur, & *ara* pro *foco.* Inde versum hunc possum explicare per ἓν διὰ δυοῖν. *Cerda.*

Et diis communibus aras] *Dii communes* sunt, ut alii dicunt, Mars, Bellona, Victoria: quia hi in bello utrique parti favere possunt. Ut autem altioris scientiæ hominibus placet, *dii communes* sunt qui ἄζωνοι dicuntur, id est, qui cœli certas non habent partes, sed generaliter à cunctis coluntur. ubique enim eos esse manifestum est: ut Mater deûm, cujus potestas in omnibus zonis est. Nam ideo & *Mater deûm* dicitur, quod cum omnibus est ejus communis potestas. Alii *communes deos* volunt, Solem, Lunam, Plutonem, Martem. hi enim apud omnes homines inveniuntur, & sunt in omnibus terris. Prior tamen sensus & simplex est, & magis aptus negotio. *Servius.*

Et diis communibus aras.] Græci ὁμοβωμίους vocant ab eadem ara homines ejusdem religionis, deos item communes. Quod autem Servius communes Martem, Bellonam, Victoriam dicit, Homerus non dissimili sententia prorsus Ἄρην ἀλλοπρόσαλλον, ξυνὸν, ἐνυάλιον, ἑτεραλκέα νίκην vocitat, & δημήτερα. cujus hic Servius sub titulo matris deûm meminit, sæpe Eurip. πάντων θεῶν nominat. κοινοβωμίας item mentionem facit Æschyl. in Suppl. πάντων δ' ἀνάκτων τῶνδε κοινοβωμίαν σέβεσθ' ἐν ἁγνῷ, ἑσμὸς ὡς πελειάδων. Cæterum hic Turnebus existimat communes deos dici, quorum simulacra in gramineis aris erant posituri, ut eorum interventu & religione sanciretur fœdus, atque adeo communes vocari, quod eorum sacramento & religione communiter utraque pars fœdus esset percussura, & eorum numinibus statura, ut dii sint communes Trojanis & Latinis in fœdere sanciendo. *Germanus.*

Communibus.] Quia adhuc incertum

erat,

Gramineas. alii fontemque ignemque ferebant
Velati lino, & verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina

erat, quo esset perventura victoria. *Donatus.*

Aras gramineas.] Romani enim moris fuerat cespitem aræ superponere, & ita sacrificare. *Gramineas* autem ideo, quia & de bello res agitur, & Marti sacrificatur, cui gramen est consecratum: quod secundum Plinium in naturali historia ex humano cruore procreatur. *Gramen* autem herbæ species est, licet omnis herba *gramen* vocetur: sicut *robur*, omne lignum, cum sit & species. *Servius.*

Aras.] Propter consecrationem fœderis. *Donatus.*

Aras gramineas.] Turn. l. 11. c. 1. explicat, cespititias, quales in castris excitabantur. Fortasse quia cespes pro ara fuit antiquis. Neque enim alio sensu Hor. Od. 8. lib. 3. dixit, positum carbonem *in cespite*, id est, in ara. & Calpur. in Bucol. *cespite vivo Pone focum*, id est, pone focum in ara. *Cerda.*

119. *Fontemque ignemque ferebant.*] *Fontem* pro *aqua* posuit, à toto partem. Sane ad facienda fœdera semper aqua & ignis adhibentur. unde & quos arcere volumus à nostro consortio, eis aqua & igni interdicimus, id est, rebus quibus consortia copulantur; ad hæc autem aqua de certis fontibus peti solet. *Servius.*

120 *Velati lino.*] Atqui Feciales & Paterpatratus per quos bella vel fœdera confirmabantur, nunquam utebantur vestibus lineis. Adeo autem à Romano ritu alienum est, ut cum Flaminica esset inventa tunicam laneam lino habuisse consutam constitisset, ob eam caussam piaculum esse commissum. Unde dicimus errore factum ut linea vestis contra morem adhiberetur ad fœdera, quæ futura non erant firma. Scimus enim hoc ubique servare Virgilium, ut rebus quibus negaturus est exitum, det etiam infirma principia. Sic in Thracia civitatem condens Æneas, quam mox fuerat relicturus, contra morem Iovi de tauro sacrificavit. Sic senatum ad privata Latinus convocat tecta, quando ejus non erant firma consilia. Sic paulo post in augurio liberatus cygnus in fluvium concidit, & quia Turnum Rutuli, licet rupto fœdere liberare, non potuerunt. Caper tamen & Iginus hoc loco dicunt lectionem esse corruptam, & Virgilium ita reliquisse confirmant: *Velati limo. Limus* autem est vestis qua ab umbilico usque ad pedes prope tegebantur. hæc autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est, flexuosam, unde & nomen accepit. nam *limum*, obliquum dicimus. unde & Terentius *Limis* dicit, id est, obliquis. *Idem.*

Et verbena tempora vincti.] *Verbena* proprie est herba sacra, ros marinus, ut multi volunt, id est λιβανωτὶς, sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Feciales & Paterpatratus fœdera facturi, vel bella indicturi. Abusive tamen *verbenas* jam vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva vel myrtus. Terentius, *Ex ara sume hinc verbanas.* Nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terent. transtulit. Quidam sane veris * proximi herbas verbenas dicunt. Alii certa ligamenta *verbenam* volunt vocari. *Id.*

121. *Legio Ausonidum.*] Pro *Ausonidarum*, quod venit ab eo quod est hic *Ausonida*: sicut *hic auriga*. Nam *Ausonis* generis fœminini est: unde *Ausonidum* facit, quod ut diceret, metri est necessitate compulsus. *Idem.*

Pilata agmina.] Hoc est pilis armata. quidam hoc loco *pilata agmina* non à genere hastarum positum adserunt. nam paulo post dictum inferunt, *defigunt tellure hastas*: sed *pilata*, densa, spissa, ut implere portas potuerint, & postea se in loca apertiora diffundere.

Alii

Agmina se fundunt portis. hinc Troïus omnis,
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis;
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet. nec non mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque decori,
Et genus Assaraci Mnestheus, & fortis Asylas,
Et Messapus equom domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit,
Defigunt tellure hastas, & scuta reclinant.

Tum

Alii *pilatum agmen* dicunt, quod in longitudine directum est, quale solet esse cum portis procedit. vel certe *pilata*, fixa & stabilia, vel à pilo quod figit, vel à pila strictili quæ fixa est & manet; nam & Græci res densas & artas πιλωτὰ dicunt. Ennius Satyrarum II. *Contemplor inde loci liquidas pilatasque ætheris oras*, cum firmas & stabiles significaret, & quasi pilis fultas. Hostius belli Histrici primo, *Percutit atq; hastam pilans præpondere frangit*. *Pilans*, id est, figens; Idem *Sententia præsto pectore pilata*, id est, fixabilis. Asellio historiarum III. *Quartum signum accedebat sive pilatim, sive passim iter facere volebat*. Scaurus de vita sua, *In agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi*, id est, strictim & dense; nam ubi proprie de genere hastæ loquitur, ait, *Pila manu, sævosque gerunt in bella dolones*. Varro rerum humanarum, duo genera agminum dicit, *Quadratum quod immixtis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit considere. Pilatum alterum quod sine jumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittatur*. Idem.

Pilata.] Explico *conferta, addensata*, nam nequit esse pilis armata, quippe postea, *defigunt tellure hastas*. Hic ergo nulla pila, tantum hastæ. Vide Servium Petr. Danielis. Fuit *pilatum* apud veteres quidquid spissum est, & densum. *Cerda*.

Plenis portis.] Qui securi erant facti de alieno certamine. *Donatus*.

121. *Fundunt.*] Victorius lib. 28. cap. 18. multa testimonia conjungit, quibus firmat pari usu Græcos dicere ἐῤῥεῖν, ἐσέχυντο, quæ verba ad fluxum pertinent. *Cerda*.

Ruit.] Cum impetu venit: quod apud Græcos est ἐφώρμησεν. *Servius*.

Variis.] Quia alius Troicus, alius Tyrrhenus, aut ipse Tyrrhenus varius, quia de variis gentibus Tuscorum. *Idem*.

Variis.] Quia diversarum terrarum erant viri. *Donatus*.

124. *Instructi ferro.*] Bona prooeconomia, & rei futuræ præparatio, ruptis enim fœderibus ad bella discedent: quia necesse non erat armari omnes, solis ducibus pugantibus. *Servius*.

126. *Auro volitant ostroque decori.*] Intelligit vestem purpuream, cui intextum aurum. Credrenus vocat ὑφάσματα χρυσοῦφῆ, & χρυσοφεῖς ἐσθῆτας. Hæc vestis dicitur etiam *picta*, quasi picta auro, & opponitur vesti, quæ dicta ὁλοπόρφυρος, in qua nihil auri. In *ostro* agnosce conchyliatam & muricatam purpuram, qualem Sen. Rhetor. Controv. 15. *Ex omni rupe conchylium trahitur, quo vestis cruentetur*. & tu vide Brodæum lib. 1. Miscell. cap. 8. *Cerda*.

127. *Asylas.*] Etruscum nomen. *Servius*.

130. *Defigunt tellure hastas.*] Oblongus codex Vaticanæ Bibliothecæ atque Mediceæ vetustus alter, *tellure* quidem casu septimo legunt: sed Romanus, & antiqui plerique alii *telluri*, acquirendi casu. Arusianus tamen in exemplum, quod

Tum studio effusæ matres, & volgus inermum,
Invalidique senes, turris & tecta domorum
Obsedere: alii portis sublimibus adstant.
At Juno è summo, qui nunc Albanus habetur,
(Tum neque nomen erat, nec honos, aut gloria monti)
Pro-

quod *defigo illa re*, ablativo casu dicatur eleganter, locum hunc citat: quippe dictum à Virgilio, *defigunt tellure hastas.* Pierius.

Defigunt tellure hastas.] Hom. Il. γ. τεύχεα δ' ἐξεδύοντο, τὰ μὲν κατέθεντ' ἐπὶ γαίῃ πλησίον ἀλλήλων —— ἀσπίσι κεκλιμένοι, παρὰ δ' ἔγχεα μακρὰ πέπηγεν. Vide autem Bud. Comm. quid sibi velint ea castrensia verba ἐπὶ δόρυ κλίσις, ἐφ' ἡνίαν, & ἐπ' ἀσπίδα. Hanc defigendarum hastarum consuetudinem & in Poëtic. docuit Aristot. suo quoque tempore ab Illyriis, quibus & Diomedes imperavit, observatam fuisse. *Germanus.*

131. *Tum studio effusæ matres, &c.*] Sic 4. Iliad. occupant

Τεῖχος μὲν ῥ' ἄλοχοί τε φίλαι, καὶ νήπια τέκνα.

Præclare Stat. lib. 4.

Nondum hostis contra, trepido tamen agmine matres
Conscendunt muros, inde arma nitentia natis,
Et formidandos monstrant sub casside patres. Cerda.

Vulgus inermum.] Senum scilicet ac matrum, sicut ipse memoravit, & quidam volunt ideo hic matrum factam mentionem, ut etiam Amata inter ceteras, sed spectandum venisse videatur quo possit ducta errore, perimere. *Serv.*

132. *Turris & tecta domorum.*] In antiquis aliquot exemplaribus *ac tecta* habetur, in aliquot *et*, parum quidem hoc, sed eruditis ingeniis non ingratum. *Pierius.*

Turres & tecta domorum Obsedere.] Tale spectaculum tibi offert Claud. 6. Hon.

—— & quantum licuit consurgere tectis,
Una replet turbæ facies. ——

Et 3. Stil.

Nonne vides & plebe vias, & tecta latere
Matribus? ——

Sic & Stat. 11. Theb.

Prominet excelsis vulgus miserabile tectis.

Tacit. 3. Annal. *Complentur non modo portus, & proxima maris, sed mœnia, ac tecta, quaque longissime prospectari poterat.* Cerda.

133. *Alii portis sublimibus astant.*] In Romano codice & aliquot aliis *instant* habetur: sed longe plures *adstant* vel *astant* habent. *Pierius.*

134. *Nunc Albanus habetur.*] Catonem sequitur, qui *Albonem* montem, ab Alba longa putant dictum. *Servius.*

Nunc Albanus.] *Alba* enim, à qua mons *Albanus* nomen accepit, ab Ascanio demum conditur. *Taubm.*

135. *Tum neque nomen erat.*] Hoc ideo ait, quia in Albano res divina à jure triumphantibus fieri solebat, scilicet quod Alba patria populi Romani habetur, unde omnis origo Romana, propter quod Albani que patres & Iuppiter Lariaris antiquissimus est. Ergo montis hujusce gloria quod patria populi Romani esse dicatur, honos vero rei divinæ quæ ibi à Romanis fieri consueverat: nomen quis ignorat à longa Alba tractum *æri.* Servius.

Dum neque nomen erat nec honos aut gloria monti.] In Oblongo Vaticanæ Bibliothecæ, *nec honos nec gloria.* In Romano *neque gloria.* in vulgatis, *neque honos neque gloria.* In antiquo Mediceo & quibusdam aliis *nec honos aut gloria.* quæ lectio modo recipi cœpta est. Plurimum vero *tunc* per c finalem scriptum invenias. *Pierius.*

136. *Aspe-*

Prospiciens tumulo campum aspectabat, & ambas
Laurentum Trouinque acies, urbemque Latini.
Extemplo Turni sic est adfata sororem
Diva deam, stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet: hunc illi rex ætheris altus honorem
Juppiter erepta pro virginitate sacravit:
Nympha decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis,

136. *Aspectabat.*] Amat usurpare antiquitatem, nam potuit *spectabas* dicere. *Servius.*

Campum spectabat.] In codicibus aliquot antiquis legere est *adspectabat.* in aliquot aliis ejusdem figuræ *aspectabat:* quod præcipue notatum est in Donati commentariis hoc pacto, *Aspectabat ad omnia pertinet, ut sit, Aspectabat campum, aspectabat acies utriusq; partis, aspectabat & Latini urbem.* Pierius.

139. *Diva deam.*] Aut Hypallage est, pro *dea divam.* Nam *deos*, æternos dicimus: *divos* vero qui ex hominibus fiunt. Aut bene dixit de Junone *divam*, respiciens etymologiam. Nam in Horatio legimus, *Sub divo moreris victima nihil Miserantis Orci.* Id est, sub aëre, quem constat esse Junonem. *Deus* autem vel *dea*, generale nomen est omnibus. Nam δέος Græce dicitur φόβος, id est, timor, unde factum est *deus*, quia omnis religio sit timori. Varro ad Ciceronem tertio, *Ita respondeant cur dicant deus cum omnis antiqui * dixerint divos.* Servius.

Stagnis quæ fluminibusque sonoris Præsidet.] *Juturna*, fons est in Italia saluberrimus juxta Numicum fluvium, cui nomen à juvando est inditum. Cum enim naturaliter omnis aqua noxia sit extraneorum corporibus, hic omnibus saluberrimus fons est. de hoc autem fonte Romam ad omnia sacrificia aqua adferri consueverat. Bene ergo Virgilius Turno fingit sororem quæ laborantes juvare consuevit: huic fonti per Aquaminum inopum * sacrificari solet: cui Lutatius Catulus primus templum in campo Martis fecit, nam & Juturnas ferias celebrant, qui artificium aqua exercent, quem diem festum *Juturnalia* dicunt. Varro rerum divinarum quartodecimo, ait, *Juturna inter proprios deos Nymphasque ponitur:* Et quia stagna dixerat, ideo sonora flumina addidit, est enim stagnorum ἐπίθετον. *Idem.*

Stagnis.] Italiæ scilicet; nam Varro, citante Servio: *Juturna inter proprios Deos, Nymphasque ponitur.* Indicat Deam hanc esse *Indigetem.* & ut idem Serv. huic deæ Lutatius Catulus templum fecit in Campo Martio. Inde Ovid in Fast. cultam in eo scribit,

Te quoque lux eadem Turni soror æde recepit,
Hic, ubi virginea campus obitur aqua.

Cerda.

140. *Præsidet.*] Hoc verbum Diis locorum solens attribuit Maro. Sic in 3.

Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis.

Et in 6. *arces, quibus altus Apollo Præsidet.* Idem.

Honorem.] Sic etiam Hylas versus in fontem de se apud Val. lib. 4. Arg.

— & jam mihi lumina cæli (Juppiter)
Conciliat, jungitque suos, & fontis honores. Idem.

142. *Nympha decus fluviorum.*] Sic supra, *Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est.* Servius.

Decus fluviorum.] Fortasse ab salubritate, quæ prædicata de hoc fonte. Varro lib. 4. Ling. Lat. *Nympha Juturna, quæ juvaret. Itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent.* Fortasse etiam ab usu; nam *de hoc fonte Romam ad omnia sacrificia aqua adferri*

Scis, ut te cunctis unam, quæcumque Latinæ
Magnanimi Jovis ingratum ascendêre cubile,
Prætulerim, cælique lubens in parte locarim:
Disce tuum, ne me incuses, Juturna, dolorem.

Qua

adferri consueverat. Ergo, *decus fluviorum*, vel quia aqua saluberrima, vel quia in usu sacrorum. *Cerda.*

Animo gratissima nostro.] Homerus, ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ. *Servius.*

Animo gratissima nostro.] Simulata verba pro tempore: nam pellex nunquam placet uxori. *Donatus.*

Gratissima.] In Romano codice & aliquot aliis manuscriptis *carissima* habetur. Pleraque tamen vetera exemplaria *gratissima* legunt, idque mavult Servius, & ita ex Homero legendum autumat, & in Donati commentariis *gratissima* legitur. *Pierius.*

143. *Cunctis prætulerim.*] Liptotes figura per contrarium. plus enim dicit, & minus significat. namque alias omnes est persecuta: huic vero libenter indulsit. Et dicit se hanc omnibus prætulisse: quasi etiam alias in honore habuerit. Ergo ideo hoc dicit, ut tollat causam quam potuit Juturna habere suspectam. Sane talis hæc figura est, ut illud Sallustianum, *Mare Ponticum dulcius, quam cætera:* Cum nullum dulce sit. Sciendum autem non immerito finxisse Virgilium, Nymphæ, id est parti suæ indulsisse Junonem. *Servius.*

Quæcumque Latinæ.] Quæ sint Latinæ, cum quibus Juppiter concubuerit, incertum est. *Idem.*

144. *Ingratum cubile.*] Aut *ingratum* de quo pellici * nulla gratia, hoc enim convenit personæ dicentis: aut quod gratiam castæ non præsentat uxori Juppiter. Ergo sibi dicit *ingratum* non illis quæ ascenderunt; nam Juturna dea facta est, neque propter Jovem dictum est, qui immortalitatis præmium persolvit. Ergo bene sibi ingratum. Nam cum Juppiter multas vitiasse diceretur, nihil tamen à Junone de Juturna detractum est, sed potius auctum est. Animadvertendum autem versum hunc sine cæsura esse. Nam Heptimemeris quam habere creditur, in Synalœpham cadit: ut, *Magnanimi Jovis ingratum ascendere cubile.* Terentianus de hoc, *Rarum concedam, fieri non posse, negabo.* Idem.

Ascendere.] Nihil ab Græcis frequentius in re hac. Hesiod. in Scut. λεχέων ἐπιβῆναι. iterum, ἀλόχου ἐπιβήμεναι εὐνῆς. In Theog. λέχος εἰσαναβαίνων. Eurip. in Helen. Διὸς δὲ λεχέων ἐπέβας. Homer. 9. Iliad. τῆς εὐνῆς ἐπιβήμεναι. Insistit vero Virgil. mori, nam ideo *ascendere*, quia sæpe gradus ad lectum. Vetus Lexicon, *embasicœta*, ἐμβασικοίτη, quasi dicas, *inscentrix lecti.* Lucan. clare lib. 2.

—— *gradibusque acclivis eburnis*
Stat torus. ——

Hos gradus satis indicat Propert. Elegia 4. lib. 4.

Nube, ait, & Regni scande cubile mei.

Et Ovid. 2. Fast. loquens de Fauno, & in συνουσία,

Ascendit, spondaque sibi propiore recumbit.

Plaut. Asinar. *in lectum inscendat.* Et Varro lib. 4. Ling. Latin. *Simplici scansione ascendebant in lectum non altum, scabello in altiorem.* Græci, in his Phocyllid. βατήριον λέχος dicunt, quasi *scansorium lectum.* Cerda.

145. *Cæli in parte.*] In parte divinitatis. nam pro honore locum numinum posuit. *Servius.*

146. *Disce tuum, ne me incuses.*] In aliquot antiquis exemplaribus *nec me incuses* legitur, ut occurrat objectioni quæ esse poterat, Cur non præcavisti quæ Jovis es & soror & conjux? Noli, ait, me incusare, quæ nihil prætermisi, quod pro Turni & Latinorum tutela fieri potuerit, enumerando quæ fecerit.

Donatus

Qua visa est fortuna pati, Parcæque sinebant
Cedere res Latio, Turnum & tua mœnia texi:
Nunc juvenem inparibus video concurrere fatis:
Parcarumque dies & vis inimica propinquat.
Non pugnam aspicere hanc oculis, non fœdera possum.
Tu pro germano si quid præsentius audes,
Perge: decet. forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea, cum lacrimas oculis Juturna profundit,
Terque quaterque manu pectus percussit honestum.

Non

Donatus tamen *ne me* agnoscit: quod in bona veterum codicum parte etiam legas. *Pierius.*

147. *Qua visa est fortuna pati.*] Quatenus inquam permisit. & sic ait *Qua visa est*, ut supra *Coëant in fœdera dextra, Qua datur.* Sane ostendit latenter favorem numinum sine confectione fatorum non posse procedere: & quidam putant Virgilium quoad visa est fortuna reliquisse: ut sit *quoad visa est*, usquequo. *Servius.*

Qua visa est fortuna pati.] Arusianus Messus in libro de Virgilianis elocutionibus hoc loco agnoscit *quoad*, exponitque *quoad* pro *donec.* Sane Servio, *qua* placere videtur, si modo codex incorruptus est. Arusiani vero lectio per synæresim erit, figuram in Virgiliano carmine frequentissimam. Probus Valerius tamen *quod* hic monosyllabum mavult, nempe χτ κεάσιν ex *quoad.* Cadit vero sub idem examen Terentianus locus, *Munus nostrum ornato verbis quoad poteris.* Nam eo quoque loco, *quod poteris*, à Terentio scriptum volunt, ut alibi in Adelphis, *Istam quod potes consolere.* Sed in antiquis cod. loco hoc, *quam potes* scriptum inveni. tamen Hellenius Acron *quod* agnoscit, auctore Carisio, pro in quantum poteris. *Pierius.*

148. *Cedere res Latio.*] Feliciter cuncta procedere. *Servius.*

149. *Video concurrere.*] Pro *concursum esse.* licet, quasi dea, bene præsenti usa sit tempore, quæ etiam futura cernebat. *Idem.*

151. *Non pugnam aspicere hanc oculis.*] Quia numina quotiens morituros viderint eos, quibus favent, ab his recedunt. Sic Statius Apollinem inducit, Amphiaraum deserentem, ubi eum vicinum morti esse cognovit. *Idem.*

Non pugnam aspicere hanc oculis.] Locus plane Hom. 3. Iliad.

Ἤτοι ἐγὼν εἶμι πρὸς Ἴλιον ἠνεμόεσσαν
Ἂψ, ἐπεὶ οὔπω τλήσομ' ἐν ὀφθαλμοῖσιν
ὁρᾶσθαι
Μαρνάμενον φίλον υἱὸν ἀρηϊφίλῳ Μενελάῳ.

Certe ego vado ad Ilion ventosam
Retro, quando non sustineo oculis cernere
Pugnantem dilectum filium cum bellatore
Menelao. Cerda.

152. *Præsentius audes.*] Efficacius, vehementius. nam licet germanam illicita etiam pro fratris salute tentare. *Servius.*

153. *Forsan miseros meliora sequentur.*] Ne forte possit fatorum ordo mutari. *Idem.*

154. *Cum lachrymas oculis Juturna profudit.*] Totum jungendum, *Cum lachrymas oculis Juturna profudit.* Idem.

Vix ea cum lachrymas oc. Ju. pro.] In codicibus aliquot antiquis *tum lacrimas* legitur: quod procedere videtur ad Ti. Donati sententiam: qui distinguendum ait, *vix ea*, hoc est statim quod ea dicta sunt. & sic sequantur cætera de lacrymis. *Pierius.*

155. *Terque quaterque manu pectus percussit.*] Ne videatur diverso tempore & lachrymare, & pectus percutere, cum utrum-

Non lacrumis hoc tempus, ait Saturnia Juno:
Adcelera, & fratrem (si quis modus) eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus.
Auctor ego audendi. sic exhortata reliquit

Incer-

utrumque simul fiat; & hoc ideo quia solam doloris audiverat causam, nihil fratri posse mederi. nam paulo post audiet, *Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus.* Servius.

Terque quaterque.] Id est, sæpius. Suaves sunt illi, qui determinant ad septenarium numerum. Macrobium noto aliosque, contra quos hic leviter. Strabo Homerum explicat in simili locutione de numero indeterminato, & Serv. Virgil. sic 1. Æn. *ô terque quaterque beati.* Quis Propertium trahat ad numerum determinatum, cum scribit lib. 3.

Tu Petum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.

Quis Ovidium 1. Fast. *adductaque clava trinodis Ter quater?* Quid, quod sæpe mutatur numerus? ut Ovid. 9. Metam. *bis terque per auras More rotat fundæ.* Theocrit. εἰδ. 13. τρὶς δ' ἄρ' ὁ παῖς ὑπάκουσεν. Et obsecro, si aspiravit Virg. 1. Æneid. in illis, *ô terque quaterque beati*, ad gradum illum felicitatis septenarii numeri, quem vult Macrobius, quid dicet ad Homerum, qui multo ante, τρὶς μάκαρες Δαναοὶ, καὶ τετράκις. quem profecto Virgilius imitatus est? atqui Homerum Eustathius ita explicat, ἁπλῶς εἴρηται, *simpliciter dicitur.* Ita & in Irena Aristophan. ὦ τρισμάκαρ. Itaque putandi sunt Poëtæ loqui tantum ad incrementum orationis. ut Horat. *Felices ter & amplius*, & Ovid. 3. Trist.

O quater, & quoties non est numerare beatum?

& Aristophan. in Plutar. non contentus vulgari ista Poëtarum locutione, adjicit, καὶ τρὶς κακοδαίμων καὶ τετράκις, καὶ πεντάκις, καὶ δωδεκάκις, καὶ μυριάκις. Divinet jam aliquis de tot numeris. Quin de ternario ipso, qui numerus putatur esse validus in omni religione, ita scribit Plut. de Isid. & Osir. τὸ δὲ πολλάκις εἰώθαμεν καὶ τρὶς λέγειν, ὡς τὸ τρισμάκαρες· *numerum multiplicem solemus notare sæpe ternario numero, ut cum dicimus, ô ter felices.* Idem lib. 1. de Placit. Philosoph. ἡ δὲ τριὰς, πλῆθος· ὡς, τρισμάκαρες. *Cerda.*

Honestum.] Aut divinum, aut quod Jovi placere potuerit. *Servius.*

156. *Non lacbrymis hoc tempus, ait Saturnia.*] Non flendi, sed subveniendi tempus est. Statius In matrum consolatione, *Accenso flebitis igne. Non lacbrymis*, autem, aut deest *agendum*, vel quid tale, figuratum est pro *lacbrymarum.* Idem.

157. *Fratrem, si quis modus, eripe morti.*] Non dicit, aut eripe aut bella cie, sed eripe fratrem aut bello concitato, aut rupto fœdere. *Idem.*

158. *Aut tu bella cie.*] In antiquis aliquot legere est, *at tu bella cie.* te enim decet hoc pro salute fratris facere, minusque obnoxium erit reprehensioni. *Pierius.*

Conceptumque excute fœdus.] Placitum, animo prædestinatum. *Servius.*

Conceptumque excute fœdus.] Talis est Statii oratio 3. Theb.

—— rape cunctantes, & fœdera turba,
Quæ dedimus, tibi fas ipsos incendere bello
Cœlicolas. —— Cerda.

159. *Auctor ego audendi.*] Nomina in *tor* exeuntia, fœminina ex se faciunt, quæ in *trix* terminantur, si tamen à verbo veniant, ut ab eo quod est *lego*, & *lector*, & *lectrix* facit: *doceo*, *doctor*, & *doctrix*. Si autem à verbo non venerint, communia sunt. nam similiter masculina & fœminina in *tor* exeunt, ut *hic* & *hæc senator*, *hic* & *hæc balneator.*

licet

licet Petronius usurpaverit, *balneatricem* dicens. Tale est & *hic* & hæc *auctor*: sed tunc quando ab auctoritate descendit, ut hoc loco. Cum autem venit ab eo quod est *augeo*, & *auctor* & *auctrix* facit; ut si *auctor divitiarum* dicas, vel *auctrix patrimonii*. Servius.

Auctor ego audendi.] Invaluit ætate nostra mos, ut *author* per *th* scribatur, quod nonnullis persuasum fuit nomen id ἀπὸ τοῦ αὐθεντέω deduci: quorum opinioni, veterum Grammaticorum sententia refragari videtur. Nam apud Valerium Probum ita legas: *Auctor à verbo augeo, fœminino significato auctrix facit. Si non venit à verbo eo, sed significat principem, etiam fœminino genere Auctor facit, sicut Virgilius ex persona Junonis*, Auctor ego audendi. *Princeps, non quæ augeam.* atque alibi in arte de hoc ipso ita disputat, *Quæritur quare Virgilius de Junone*, Auctor ego audendi, *& non auctrix pronuntiaverit: hac de caussa, quoniam quæcunque nomina à verbis Anomalis venire intelliguntur, hæc aut deficiunt, aut certe anomale pronuntiantur. Hinc quom & hoc nomen à verbo anomalo oriri reperiatur, id est ab audeo: facit enim specie perfecta ausus sum: & ideo hoc nomen fœminini generis anomalum facere pronuntiatur.* Utrunque vero per *ct* scribit, non taciturus, si quam in scriptione differentiam agnovisset. Carisius quoque qui ineptissimum putat Latino nomini Græcum etymum dare, nulla de mediis consonantibus mentione facta: *Victor*, inquit, *institor, & tutor ac similia, pro communibus accipienda. Auctor* siquidem propterea dicitur, quod augere generavit: *auctricem* dicemus, quod pariter augere possit, cum vero ad auctoritatem referatur, pro communi accipiendum. Neque desunt qui quum utriusque nominis etymon Latinum agnoscant, ita tamen distinguant, ut *auctor* ab augeo, per *ct* notetur: Ab audeo vero, *autor* absque *c*, quasi *d* litera in *t* sibi cognatam tantum transeat. Vetera vero omnia exemplaria, quæ vidimus, *auctor* utroque significato per *ct* notatum ostendunt. Nihil vero hic moror notas quasdam antiquarum inscriptionum Valerio Probo adscriptas, tam eorum qui transcripserunt, quam impressorum negligentia corruptas, atque etiam eorum qui manum in alienam messem injicere ausi sunt, multaque arbitratu suo interpretari, impudentia vitiatas: Quum anteacta sæcula *auctor* & *auctoritas* per *ct* scripsisse tot veterum, quæ passim extant, monumenta declarent: Cujusmodi aliqua retulisse non videatur importunum. Ea vero in primis occurrunt quę omnibus maxime sunt in promptu. Tabula ænea in Basilica Lateranen. in qua verba hæc ita notata leguntur,

VTIQ. CVM EX VOLVNTATE AVCTORITATEVE, IVSSV, MANDATVVE EIVS, & quæ sequuntur.

Alibi vero in eo monumento, quod proximis diebus abvectum est ex Ponte Aurelio,

EX AVCTORITATE IMP. CAES. DIVI NERVAE
FILII NERVAE TRAIANI AVG. GERMANICI.

Quum vero & hæc & hujusmodi pleraque pervestigarem, vir bene literatus Mariangelus Accursius Aquilanus, opportune mihi in hortis Columnensium ad DD. apostolos hanc inscriptionem in vetusto lapide notatam ostendit:

EX AVCTORITATE TVRCI APRONIANI
V. C. PRAEFECTI
VRBIS.
RATIO DOCVIT, VTILITATE
SVADENTE.
CONSVETVDINE MICANDI SVMMOTA.

Et quæ sequuntur, nunc minime ad commemorandum necessaria. Ubi vero Julius II. Pont. Max. Prætorii, quod ad divi Blasii instituerat, fundamenta magnifico apparatu jecit: Ant. Lælius civis meus antiquam indicavit inscriptionem in ipsa Tyberis ripa pulchris characteribus ita notatam,

EX AVCTORITATE IMP. CAES.
VESPASIANI AVG. P. M. TRIB.
POT. IIII. IMP. X. P. P. COS.
IIII. V. CENSOR. CAIVS CAL-
PETANVS

Incertam, & tristi turbatam vulnere mentis.
Interea reges (ingenti mole Latinus

Qua-

SPTANVS RANTIVS QVIRINALIS
VALERIVS CESTVS CVRATORR.
RIPAR. ALVEI TYBERIS
TERMINAVER.

Et, quæ inde notæ punctis interceptæ sunt. Quo vero majorem Lælio gratiam debeo, non gravatus est vir ingenii & eruditionis elegantissimæ, Podagra etiam eum miserabiliter affligente ad recenter erutum lapidem visendum me deducere. In quo quidem illud me maxime sollicitum habuit, quod verba quæ dictionem *terminaver.* sequebantur, ita detrita, manca, curtaque erant, ut quidnam sibi vellent, nihil quicquam certo elicere possem. Notarum tamen ductibus observatis, ita scriptum fuisse existimavi, licet alii aliter excerpserint:

R. R. PROX. CIPP. PED. XXIIII.

Cujusmodi inscriptionem alteram alibi egomet ab artificum injuria vindicavi. Monumentum quippe in fossa, quam Julius II. circum molem Hadriani ducere inceptaverat, quum ego molem ipsam inhabitarem, effossum est in hæc verba modumque,

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS TRIBVNIC.
POTEST. XVII. EX S. C. TERMINAVIT. R. R. PROX. CIPP.
PED. XIII S.

Quia vero multos fore puto, qui vel anxie quæsituri sint, quid in hujusmodi monumentis sibi velint primæ notæ illæ punctis dissitæ, R. R. PROX. CIPP. PED. non ab re me facturum existimo, si hac quoque in parte studiosorum, qua fieri potest, curiositatem juvero. Sunt qui, *Romanæ ripæ proximum cippum pedes*, interpretentur. Sed in iis quæ sub nomine Valerii Probi publicatæ sunt, notarum interpretationibus; expositum vidi, *ruderibus recolligendis*. T. Phædrus, quum Horatii Poëticen interpretaretur eo loco, *Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis Doctus iter melius.* Ubi ad id adlusit Horatius, quod Augustus Tyberim (ut apud Suetonium est) completum olim ruderibus, & ædificiorum prolapsionibus coarctatum laxaverit, ac repurgaverit. In Cipporum inscriptionibus, ultra quos cautum esset, ne quid inde aggeraretur: is, ruderibus rejectis, duo illa R. R. interpretabatur, & nunc demum ita Valerius emendari cœptus. Sed ut ad nomen, quo de quæstio erat, revertamur, ex iis quas recitavimus Grammaticorum veterum ac diligentissimorum sententiis, ac eruditi sæculi, & tot ætatum usu, *auctor* Latinam locutionem Valerio Probo, Flavio Sosipatro, Carisio, & aliis agnitam, per *H* scribendam, docti uniuscujusque judicio adstipulante, censuerim. *Pierius.*

Reliquit incertam.] Quia licet dederit ei consilium, dicendo tamen *forsan*, eam reliquit incertam. *Servius.*

161. *Interea reges.*] Longum Hyperbaton. nam ordo est, *Interea reges procedunt castris.* cætera enim per parenthesim dicta sunt: nec est Eclipsis, id est, conceptio, cum sermo in omnibus congruat. *Idem.*

Interea reges.] Pendet sententia usque ad τὸ *procedunt*, ut dicat, *Reges procedunt.* Media debent includi parenthesi. Itaque male Macrob. cap. 6. l. 6. notavit, *de duobus incipit dicere, & in unum definit.* Nam hic, *interea Reges*, & tamen statim Latinus *vehitur.* Sic & Hom. cum præmiserit, οἱ δὲ δύω σκόπελοι, subjicit, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει. Sed ista ad Virgilium ἄτοπα. *Cerda.*

Interea.] Charis. & Diomedes leg. *Continuo.* Comparat autem hos versus icti fœderis cum Homericis Scalig. l. 5. c. 3. aitque Homericos in terra, Virgilianos inter Musas à Phœbo factos videri posse. *Taubm.*

Ingenti mole.] Pompa, ambitu. nam modo hoc significat. *Servius.*

162. Qua-

Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen: bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas Romanæ stirpis origo,
Sidereo flagrans clipeo, & cælestibus armis,

162. *Quadrijugo curru.*] Pro *quadrigis.* Vide supra lib. 3. Georg. ℣s. 18. *Emmeness.*

Circum.] Absolute ex omni parte, ut si dicas, tempora radiis cingitur. *S.*

164. *Solis avi specimen.*] Ut etiam in septimo dicimus, Latinus secundum Hesiodum in ἀσπιδοποιΐα, Ulyssis & Circes filius fuit, quam multi etiam Maricam dicunt. secundum quem nunc dicit, *Solis avi specimen.* Nam Circe, Solis est filia. Sane sciendum Virgilium in varietate historiæ, sua etiam dicta variare. Sed de Ulyxe, ut etiam supra diximus, credere nos temporum non sinit ratio. *Idem.*

Bigis it Turnus.] Quotiens utimur nominibus tantum pluralis numeri, & unum volumus significare, ita dicimus *unas bigas, unas quadrigas, unas scalas.* Sallustius. *Hi postquam in una mœnia convenere.* Idem.

Bigis it Turnus in albis.] Vulgata quædam exemplaria *bijugis* legunt, sed *bigis* omnino legendum ex antiquis codicibus & Servii interpretatione. Eandem lectionem Donatus agnoscit: curque bigis veheretur Turnus, rationem adjicit. Qui ad certamen exibat, expeditior processit, duos habens equos, & duo hastilia. Quod vero exemplaria quædam vetera *in altis* legunt, minime placet, quia longe plura sunt quæ *albis* legunt: id quod dictum est ad factionis colorem subindicandum. *Pierius.*

165. *Bina.*] Pro *duobus.* Serv.

Crispans.] Vibrans: coruscans. infra ℣s. 431. Græcis est πάλλειν. Turneb. l. 23. 14. Legitur hic versus & 1. Æn. 317. Scaliger lib. 4. c. 1. Verbum, *inquit*, nitidius, & quasi coloratius est *Crispare*, quam *Quassare*: si id apud Virgil. significat: Servius enim negligenter præteriit: cum tamen raro esset in usu, & nullum alium apud auctorem. *Crispum* enim est non rectum; *Quassatum* hastâ curvatur ac crispatur. *Crispari* etiam dici potest id, quod manu colligitur: sic enim crispatur vestis limbus, cum colligendo digitis corrugatur. Sic duo hastilia, veluti duæ rugæ. *Taubm.*

166. *Pater Æneas.*] Æneam multis in locis *Patrem* vocat Poëta: sed eo modo facit, quo dictum est cognomen *Jovi*: quippe *Jovem patrem* sunt venerati, propterea quod (ut ait Porphyrius) ad eum omnes familiæ referrentur: sic Æneam *patrem* vocat qui Romanorum principium esset. *Scalig.*

Romanæ stirpis origo.] Hoc ad laudem Augusti respicit. *Servius.*

167. *Sidereo flagrans clipeo.*] Latino tantum imaginem Solis dedit. Æneam autem cum sidereo clypeo ipso quodammodo comparat Soli. *Idem.*

Sidereo.] An quia clypeus interpunctus, & veluti distinctus syderibus ad eum modum, quo Æneæ ensis in 4. *stellatus iaspide fulva*? An quia flammas instar radiorum mitteret, & coruscaret? ita ut *sydereus* sit radians, ad eum modum, quo Martial. *sydereus colossus*, id est, radians, nam idem,

Nec te detineat viri radiata colossi.

Tale illud, *vastos umbo vomit aureus ignes.* & Prop. Eleg. 6. lib. 4. *Armorum radiis.* An demum, quia divinus clypeus? ideo & consequenter *cælestibus armis.* Ita Columell. in Horto, *syderei Maronis*, id est, divini. *Cerda.*

Et juxta Ascanius magnæ spes altera Romæ)
Procedunt castris, puraque in veste sacerdos
Sætigeri fœtum suis, intonsamque bidentem
Attulit,

168. *Magna spes altera Romæ.*] Ideo quia Æneas una. Male autem quidam *Magna* legunt. Sane Ascanii habitum vel ornatum omisit, quia puer est. *Servius.*

169. *Puraque in veste sacerdos.*] Impolluta & pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi. Ut neque funesta sit, neque fulgorata, neque maculam habeat ΘK homine mortuo. Est autem linea & purpurea. Purpura maris vicem ad piandum præbet, linum vero fluminis, quia cum vere primum in Oriente flumen inundasset sponte sua linum natum esse, Plinius Secundus dicit. Ideo Magistratus & sacrificaturi togam prætextam habent, & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant. Quod ipse de Aristeo ait, IIII. Georgicorum, *Oceano libemus. Et manibus liquidos dant ordine fontes Germanæ: tonsisque ferunt mantilia villis.* Ecce mentionem de lino, rursum purpura: *Purpureo velare comas adopertus amictu.* Item, *velati lino.* Ergo pura lintea vel purpurea bene potest intelligi. *Idem.*

Puraque in veste.] Servius restitutus magnam lucem dat huic loco, cum scribit: *Impolluta & pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant, ut neque funesta sit neque fulgurata* Θ, K. Hæc ille. Ex quibus verbis morem elicio, ut vestes, quæ jam funeri peragendo serviissent, haberent Θ, ἀπὸ τοῦ θανάτου. quæ ictæ fulmine, aut fulguritæ haberent K, ἀπὸ τοῦ κεραυνοῦ. Puræ ergo vestes, quæ carent & Θ, & K, id est, quæ nec funestæ, nec fulguritæ. Accinit Festus, qui ait: *Pura vestimenta Sacerdotes ad sacrificium habebant, id est, non fulgurita, non funesta.* Uterque tam Serv. quam Festus, addit, esse etiam *puram vestem*, quæ caret macula. Sunt porro (in his est Mercerius in Tertull.) qui dicant *puram vestem* debere esse albam. Probant. Nam, quas Plutarch. ἐσθῆτας καθαρὰς dixit in Catone, easdem λευκὰς dixit in Pompeio. Sed si sequamur ductum Servii, falsus est Mercerius. Addit enim Serv. vestem hanc debere esse *purpuream & lineam.* Ejus ratio. Nam, *purpura maris vicem ad piandum præbet, linum vero fluminis.* Reliqua Servii deformata sunt. Plin. loquens de lino cap. 1. lib. 19. *vestes inde Sacerdotibus Ægypti gratissimæ.* De hac re vide locum Apul. Apolog. 1. Utcumque certe magna est mentio purarum vestium in rebus sacris. Plutarch. in vita Æmilii, καθαρᾶς ἐσθῆτι κεκοσμημένοι. Tibull. lib. 2. Eleg. 1.

Casta placent Superis, pura cum veste venite.

Varro in Eumenidib. *Nam quæ venustas hic adest gallantibus? quæ casta vestis?* Cerda.

170. *Sætigeræ fœtum suis.*] More Romano: ut, *Cæsa jungebant fœdera porca*; nonnulli autem porcum non porcam in fœderibus adserunt solere mactari, sed poëtam periphrasi usum propter nominis humilitatem: *Intonsam* vero *bidentem* dixisse, quam Pontifices *altilaneam* vocant. nam Homerus aliud genus sacrificii commemoravit: Sane non præter rationem est quod ait, *Fœtum suis.* Item, *Intonsamque bidentem.* Id est, brevem adhuc. Nam in rebus quas volebant finiri celerius, senibus & jam decrescentibus animalibus sacrificabant, in rebus vero quas augeri & confirmari volebant, de minoribus & adhuc crescentibus immolabant. Sane ovem Græco more fœderi adhibuit. *Servius.*

Sætigeræ fœtum suis.] Nam hic fœdus feritur. Varro lib. 2. Rei Rust. cap. 4. *à suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur, cujus vestigia, quod Initiis Cereris porci immolantur, & quod Initiis pacis, fœdus cum feritur,*

Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Sum-

feritur, porcus occiditur. Sed cur Varro primum illud? *à suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumptum.* Hoc illustrabit Clemens 7. Strom. cap. 9. ex vetere quodam Philosopho suis etymologiam afferente; dictum videlicet ὗν, quasi θῦν, ut qui ad θύσιν, id est, *sacrificium & mactationem* aptus solummodo sit. Verba Græci Scriptoris sunt. λέγεται γὰρ ὖν τινὰ τῶν φιλοσοφούντων ἐτυμολογοῦντα τὴν ὗν, θῦν εἶναι φάναι, ὡς εἰς θύσιν καὶ σφαγὴν μόνον ἐπιτήδειον. Ex quibus verbis vide ut locum Varronis restituat Victorius in Notis ad illum. Vide etiam quæ jam dixi lib. 8. ad illud, *cæsa jungebant fœdera porca.* Ut Virg. *setigeræ*, ita Lucret. lib. *setigeris suibus.* Cerda.

Satigeræ fœtum suis.] Vulgata quidem exemplaria pleraque *setigeræ* fœminini generis legunt. In antiquis quotquot legi, *setigeri* virili genere scriptum est. Sunt vero ex eruditis qui *sætigeræ* magis probent. Sed enim Ti. Donatus aperte masculinum agnoscit genus, ait enim, *Fœtum porci dixit, non fœtum porcæ, patrem volens magis nominare quam matrem.* Pierius.

171. *Attulit admovitque pecus.*] Primo adtulit, inde admovit pecus, id est, hostiam. *Servius.*

Admovit pecus aris.] Lucan. lib. 1.

—*sacris tunc admovet aris*
Electa cervice marem.

Tacitus 2. Annal. *admotas hostias, sacrificalem apparatum, &c.* Sueton. in Calig. *Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, &c.* Hoc Tibullo & aliis, *statuere ad aram.* Taubm.

172. *Illi ad surgentem, &c.*] Non utique nunc Solem surgentem dixit, jamdudum enim dies erat, sed disciplinam cerimoniarum secutus est, ut Orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus. *Servius.*

Illi ad surgentis conversi lumina solis.] Exemplaria pleraque vulgata *surgentis solis* omnino legunt, casu possessivo. Antiqua vero omnia quæcunque habere potui, ita habent, *illi ad surgentem conversi lumina solem:* in quo structura concinnior, & elocutio figuratior. *Pierius.*

173. *Dant fruges manibus salsas.*] Far & sal: quibus rebus & cultri aspergebantur & victimæ. Erant autem istæ probationes aptum utrum esset animal sacrificio. Obliquum etiam cultrum à fronte usque ad caudam ante immolationem ducere consueverant. Nam hoc est quod dicit, *Et tempora ferro Summa notant pecudum.* Servius.

Et tempora ferro Summa notant pecudum.] Dubius sum, an hic accipiam cum Servio cultrum obliquatum à fronte ad caudam? an cum Vate ipso evulsos pilos ovis, & setas suis? Ita, ut hanc evulsionem indicaverit verbis istis, *notant ferro summa tempora pecudum.* Et in hoc alterum inclino. Nam profecto hoc videtur esse idem, quod in 6.

Et summas carpens media inter cornua setas,

Accedit judicium Germani, qui istis verbis ait videri respectum ad illud Hom. 3. Iliad. ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας, *desecuit pilos à capitibus agnorum.* & ad Euripid. qui in Oreste de coma Helenæ, εἴδετε παρ' ἄκρας ὡς ἀπέθριξε τρίχας· *Videte ut à vertice pilos evulserit.* Cerda.

Ferro.] Festus ait, cultrum illum; quo uterentur Flamines, Flamineæ, ac Pontifices, in sacris proprie dici *secespitam* à *secando*, & esse cultrum ferreum, oblongum, manubrio eburneo, rotundo, solido, juncto ad capulum auro argentoque, fixo clavis æneis, atque ære Cyprio. Sic ferme ille. Hujus mentio est in Sueton. in vita Tiberii cap. 25. *Nam & inter Pontifices sacrificanti simul*

Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius Æneas stricto sic ense precatur:
Esto nunc Sol testis & hæc mihi terra vocanti,

Quam

pro secespita plumbeum cultrum subjiciendum putavit. Idem.

174. *Paterisque altaria libant.*] Probus *altaria*, id est, *in altaria* dicit, & *pateris* pro *ex pateris*, ut *vinum altaria* intelligamus. Ea enim quæ in altaria funduntur, *altaria* dici voluit; alii *altaria* species ararum tradunt. *Servius.*

175. *Tum pius Æneas stricto sic ense precatur.*] Hic prior precatur, quia hic mavult fieri fœdus: *stricto* autem *ense*, juxta quendam jurisjurandi morem ait. *Idem.*

176. *Esto nunc Sol testis.*] Bene eum primum invocat deum, quem orientem intuens vidit. Nam ait, *Illi ad surgentem conversi lumina Solem.* *Esto* autem multi volunt tertiam esse personam, id est, sit mihi Sol testis: quia sequitur, *Et hæc terra*: ut elocutionem per nominativum factam intelligamus. Sed hoc non procedit, quia sequentia vocativum habent, ut, *Et tu Saturnia Iuno.* Item, *Tuque inclyte Mavors.* Unde per vocativum eum omnia dixisse accipiamus: in hoc vero tantum ad nominativum fecisse transitum. *Idem.*

Esto nunc Sol testis.] Nihil est credo aliud, quam *sciat nunc Sol.* Nam Homer. 10. Iliad ἴστω νῦν Ζεὺς, *Sciat nunc Iuppiter.* Atque *esto* Latinum ab ἴστω Græco. Et quidem Sol invocabatur in juramentis firmissimis, ut qui rerum omnium sciens & lustrans. Ita 4. Æn.

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.

De Chariclia Heliodor. lib. 6. τὰς δὲ χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἀνατείνασα, καὶ βοῶσα ἐξάκουσον, ἥλιε γενάρχα προγόνων ἐμῶν, ἔλεγε. Sic & 3. Iliad.

Ἠέλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις.

Propert. Eleg. 32. lib. 2.

Testis eris puras Phœbe videre manus.

Æschyl. in Prometh.

Καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ.

Attius in Phœniss. citante Prisciano,

Sol qui micantem candido curru atque equis
Flammam citatis fervido ardore explicas.

Ennius in Medea, ut citat Probus,

Iuppiter, tuque adeo summe Sol,
Qui res omnes inspicis. ——

Cum Plut. in lib. de Doctrina Principum scribat, Solem esse velut justitiæ arbitrum & moderatorem, propter fixam legem sui cursus; non videtur alienum, ut hinc advocetur ad juramenta. Inde Apul. libro 1. *Sed prius tibi dejerabo Solem istum videntem Deum, me vera comperta memorare.* Iuven. Sat. 13.

Per Solis radios, Tarpejaque fulmina jurat.

Philo. περὶ συγχ. μάρτυς ἥλιος. *Cerda.*

Et hæc mihi terra precanti.] Licet etiam hic possit esse vocativus; nam δεικτικῶς est dictum, *Hæc terra esto mihi testis*: ac si diceret, ô Italica terra testis mihi esto. Sane juxta Homericum fœdus, hic inducit fieri: Nam ut ibi Priamus, ita hic Latinus, ut hic Æneas, ibi Agamemnon & priores precantur qui servaturi sunt fœdus, quod ruperunt qui posteriores juraturi erant; ibi per Pandarum Trojani, hic per Tolumnium Latini, & hoc per speciem augurii, quæ *precatio maxima* appellatur, dicit. *precatio* autem *maxima* est, cum plures deos quam in ceteris partibus auguriorum precatur, eventusque rei bonæ poscitur, ut in melius juvet, quod his versibus ostenditur, *Esto nunc sol testis, & hæc mihi terra precanti.* Servius.

Et hæc mihi terra precanti.] In Romano codice, in Mediceo & plerisque aliis manu scriptis, *vocanti* scriptum. Nempe quod satis erat proximiore versu dixisse *precatur.* Sed enim Donatus omnino *precanti* legit, ut vulgata habent exemplaria. *Pierius.*

Et hæc mihi terra precanti.] Conjungit cum Sole, ut Homerus 19. Iliad.

ἴστω

Quam propter tantos potui perferre labores,
Et pater omnipotens, & tu Saturnia Juno;
Jam melior, jam, diva, precor: tuque inclute Mavors
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques:
Fontisque, fluviosque voco, quæque ætheris alti
Relli-

ἴστω γῆ τε, καὶ ἥλιος *sciat & terra, & Sol.* Et Eurip. in Medea,

Ὄμνυ πέδον γῆς πατέρα θ᾽ ἥλιον πατρός.

Ephippus apud Athenæum lib. 10. μὰ τὴν γῆν. Homerus, καὶ ποταμοὶ, καὶ γαῖα. Quia scilicet terra habita pro Dea. Inde Euripid. in Hecub. πότνια χθὼν, quod attributum Dearum est. Per hanc jurat Hippolytus apud eundem, καὶ πέδον χθονὸν ὄμνυμι. *Cerda.*

177. *Quam propter.*] *Propter* habet accentum, quia est postposita præpositio, id est, *propter quam tantos.* Servius.

178. *Et pater omnipotens.*] *Et quæ cæruleo sunt numina ponto.* Ceterum quod in precatione dici solet ut melius juvent, melius fortunent, subjecit his versibus: *Si nostrum adnuerit nobis victoria Martem.* Idem.

Et pater omnipotens.] Alludi ad ritum solemnem, & verborum formulam, qua Romani in sanciendis fœderibus, & bellis indicendis usi, Turnebus docet l. 30. cap. 29. Livius: *Audi Juppiter, & tu Juno, Quirine, diique omnes cælestes, vosque terrestres, vosque inferni audite, &c.* Jurat autem & hic Æneas deos superos *(Et pater &c.)* & medioximos *(quæque ætheris alti Rell.)* & inferos *(vimque deûm infernam)* Græcis οὐρανίους, χθονίους, & ὑποχθονίους. *Taubm.*

Et tu Saturnia conjunx.] Romanus quidem codex, & quidam alter Vaticanæ Bibliothecæ manu scriptus *conjux*, cum antiquiorum impressionum exemplaribus legunt. In Oblongo, Pomponii Læti deliciis, in Mediceo & plerisque aliis *Saturnia Juno* legitur, quod plausibiliter magis acceptum est ab eruditis: quanvis posito Iove, *conjux* non indecore additum videretur. Sed Donatus quoque *Juno* lectionem agnoscit. *Pierius.*

179. *Jam melior, jam, diva, precor.*] Ac si diceret, Non Saturnia, id est, jam minime nocens, & Trojanis propitia. aut *melior* non optantis, sed adfirmantis accipiamus: potuit enim intelligere minus se impugnari à Iunone qui vicerat bis. *Servius.*

Jam melior.] Quoniam Juno infesta erat Trojanis, precatur ut animum mutet & Trojanis bona esse velit. Quasi dicat ad te redeas, & te deam esse memineris, cujus proprium est non nocere. *Turneb.*

Inclyte Mavors.] Bene induxit Martem poeta, quem scit Romanæ stirpis auctorem. *Servius.*

180. *Torques.*]Hoc loco regis freno, sic alibi, *Ipse pedes tegmen torquens immane leonis:* alibi, sustines, ut *Axem humero torquet.* Idem.

181. *Fontesque fluviosque voco.*] Congruenter, cum à Tyberino flumine sit admonitus, quæ agere deberet. *Idem.*

Fontisque fluviosque voco.] Accipe fontes, & fluvios Italiæ, juxta illud l. 7. *& adhuc ignota precatur Flumina.* Nihil tamen vetat extendi ad fluvios alios. Nam Homerus de omnibus, καὶ ποταμοὶ, καὶ γαῖα, &c. Et Plutarch. in vita Demosthenis hanc formam juramenti adhibet, μὰ γῆν μὰ κρήνας, μὰ ποταμοὺς, μὰ νάματα. *Cerda.*

Quæque ætheris alti Relligio.] Post specialia intulit generalitatem. Sane *religio* dicta quod ea hominis regantur ad cultum divinum. *Servius.*

Quæque ætheris alti Relligio.] Id est, dii, qui in æthere coluntur: divina paraphasi, *ut ait Scalig.* Taubm.

Relligio, & quæ cæruleo sunt numina ponto:
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno;
Convenit Euandri victos discedere ad urbem.
Cedet Iulus agris: nec post arma ulla rebelles
Æneadæ referent, ferrove hæc regna lacessent.
Sin nostrum adnuerit nobis victoria Martem,
(Ut potius reor, & potius dî numine firment)
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto. paribus se legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra deosque dabo: socer arma Latinus habeto;
Impe-

182. *Ponto.*] Id est, in ponto & quidam hoc loco à filio Veneris jurejurando, velut matris, volunt inditam mentionem. *Servius.*

184. *Cesserit Ausonio si fors.*] Si forte: & bene dubitat de hoc. contra cum ad suum venerit nomen, dicet, *Ut potius reor, & potius dii numine firment.* Sane ratione non caret, quod primo de victoria Turni loquitur, post descendit ad suam. scit enim in auguriis prima posterioribus cedere. *Idem.*

185. *Cedet Iulus agris.*] Vetera quædam exemplaria *cedat* habent, quædam etiam *cedet*, ob synchroniam scilicet, quod sequitur *referent*, & *lacessent*. In Donati tamen paraphrasi omnia hæc dicta videntur per imperandi modum. In Mediceæ Bibliothecæ antiquo codice, ultima syllaba tota abrasa est, & superne, *det* ascriptum. unde *cedet* priorem lectionem fuisse conjicias. *Pierius.*

Cedet Iulus agris.] Singulari artificio, & prope adulatorio excogitatum: quod non tam Æneæ, quam Iulo quæri Italia significatur: ut Juliæ familiæ gratia quæratur, ad quam deorum fatis imperium delatum sit. *Turneb.*

Rebelles.] Homo *rebellis* dicitur: res ipsa *rebellio*, non *rebellatio*: sic Suetonius. *Servius.*

187. *Sin nostrum, &c.*] Antiqua exemplaria pleraque *si nostrum* legunt. Sed enim orationis ordo, ut *sin* legatur, exposcit: eaque lectio in Mediceo & probatioribus aliquot codicibus. *Pierius.*

Adnuerit nobis victoria Martem.] Hypallage: pro, *Sin noster Mars adnuerit nobis victoriam.* nam Martem victoria comitatur. *Servius.*

Nostrum adnuerit nobis victoria Martem.] Scaliger exsultabundus, sic, *inquit*, loqui puto, deorum proceres in Conciliis cælestibus. lib. 5. cap. 3. Est autem hypallage: pro, si Mars annuerit nobis victoriam. *Nostrum* dixit, pro nobis faventem & secundum: quasi Mars eorum sit, qui victoriam obtinent. *Nostri* enim *dii*, sunt dii propitii. Turneb. 23, 14. & lib. 24, 26. & l. 9. cap. 30. ubi Servium ista parum accommodate explicasse scribit. *Taubm.*

188. *Et potius dii numine firment.*] In vetustissimo quodam exemplari legere est, *& proprius di numina firment.* In Romano quoque *numina* scriptum est: sed *numine* vulgata lectio magis recepta. *Pierius.*

191. *Invictæ.*] Quasi invictæ. nam sine dubio una cum rege vincetur. *Serv.*

Æterna in fœdera mittant.] In Oblongo codice *mittent* est affirmativo modo, de futuro, boni ominis caussa. & pariter sequitur, *Sacra deosque dabo.* Pierius.

192. *Sacra deosque dabo.*] Captat gratiam

Imperium sollemne socer: mihi mœnia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Æneas: sequitur sic deinde Latinus
Suspiciens cælum, tenditque ad sidera dextram:
Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera, juro,
Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vim-

tiam populi, quia magna fuit apud majores sacrorum cura, sicut diximus supra. unde nunc Æneas id agit, ne pereant. Et re vera constat sacra Phrygia nunc Latinis tradita coluisse Romanos. *Serv.*

Latinus habeto.] Aut antiquus vocativus est. Aut *habeto* tertia persona est. Sane sciendum quia crebra soceri commemoratione sibi favorem Latini conciliat. Item dicendo, *Mihi mœnia Teucri constituent*: popularem gratiam captat, quia supra dixerat Drances, *Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.* Idem.

196. *Suspiciens cœlum.*] Prima precantis nota. Homer. 19. Iliad.

Εὐξάμενος δ' ἄρ' εἶπεν ἰδὼν ἐς οὐρανὸν εὐρύν.

Et lib. ult. *εὔχετ' ἔπειτα*, videlicet, *οὐρανὸν εἰσανιδών.* *Cerda.*

Tenditque ad sidera dextram.] Altera precantis nota. Apud Dionys. jurans Fecialis Romanus, *detracto capitis amiculo, & sublatis in cœlum manibus, ut moris est, à Diis precatur.* Nihil frequentius in Græcis, quam *ἀναχεῖν τὰς χεῖρας* inter precandum. Eurip. in Hel.

Αἰτώμεθ', ὀρθὰς ὠλένας πρὸς οὐρανὸν
Ῥίπτοῦνθ', ἵνα, &c. ——

Sed quare sublata manus inter feriendum fœdus? Quia hæc est maxima nota fidei datæ in juramento. Lucan. lib. 1.

—— *his cunctæ simul assensere cohortes,*
Elatasque alte quæcunque ad bella vocaret,
Promisere manus. —— Idem.

197. *Terram, mare, sidera juro.*] Et ornatior elocutio, & crebra apud majores, quam si velis addere præpositionem, ut dicas, *Iuro per maria, per terras.* *Eadem* autem bene dixit. nam pro mari, ille fontes & fluvios posuit, pro sideribus Solem. *Servius.*

198. *Latonæque genus duplex.*] Ac si diceret, utrunque sexum prolis Latonæ vel sobolis. Et bene in fœderibus duplicia invocat numina, quia in unum duo coituri sunt populi. *Idem.*

Latonæque genus duplex.] Utrumque sexum Latoniæ subolis: Apollinem & Dianam, id est, Solem ac Lunam. Ita, *Solis genus*, dicta est Solis filia Tibullo lib. 4, 1. & Hymenæus, *Uraniæ genus*, Catullo. *Taubm.*

Janumque bifrontem.] Rite invocat: quia ipse faciendis fœderibus præest. Namque postquam Romulus & Titus Tatius in fœdera convenerunt, Iano simulacrum duplicis frontis effectum est, quasi ad imaginem duorum populorum. Legimus tamen etiam Ianum quadrifrontem fuisse. Unde Martialis ait, *Et lingua pariter locutus omni.* Nam *omnis* de duobus non dicimus. *Servius.*

Janumque bifrontem.] Visitur *Jani bifrontis* effigies in nummo Antonini, apud Ant. Augustin. Tab. x11. n. 9. dextra hastam tenens, hoc modo. *Emm.*



199. *Vim*

Vimque deûm infernam, & duri sacraria Ditis:
Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit:
Tango aras; medios ignis & numina testor;

Nulla

199. *Vim.*] Duritiem inexorabilem. *Servius.*

Vimque deûm infernam.] Hoc juramentum directe oppositum juramento Deorum. Hi *per Stygem*, homines *per Manes, infernum, Ditem.* Ut vero Diis inviolabile suum juramentum, ita hominibus suum. Itaque signate Latinus *vim infernam*, notans vim juramenti, quo illigatur. Apud Athen. libro 9. cum convivæ vellent quidpiam scire à coquo, ille se non dicturum juravit per eos, qui mortui fuissent in Marathone. Quo audito ἔδοξε πᾶσιν διὰ τὸ τηλίκον τε ὅρκον μὴ βιάζεσθαι τὸν ἄνθρωπον. Neque impedit hoc juramentum violatum postea ab coquo, utpote homine ridiculo. *Cerda.*

Vimque deum infernam.] Circumlocutio est, pro, diis infernis. ut, *odora canum vis*, pro canibus. Turneb. l. 23. 14. *Taubm.*

Diri.] In antiquis porro omnibus exemplaribus scriptum observavi *duri.* & apud Servium tale aliquid observes, dum exponit *duriciem inexorabilem*, pro *vimque deûm infernam.* Ditem vero flecti indocilem ait Claudianus, quod congruit duro. *Pierius.*

Sacraria Ditis.] *Sacrarium* proprie locus est in templo in quo sacra reponuntur: sicut *donarium*, est ubi collocantur oblata: sicut *lectisternia* dicuntur, ubi homines in tèmplo sedere consuerunt. *Servius.*

Diri sacraria Ditis.] Notat Erythr. esse hæc, *quæ sanctaria* appellat Plin. quæ Plut. ἀπόρρητα. Sed putemus potius allusisse Poëtam, non quidem ad cellas Deorum, quæ dicta *sacraria*, sed ad exeeranda inferorum loca, de quibus Homer. Iliad. 20. τά τε στυγέουσι θεοί περ. *Cerda.*

200. *Qui fœdera fulmine sancit.*] Confirmat, sancta esse facit: quia cum fiunt fœdera, si coruscatio fuerit, confirmantur. vel certe quia apud majores aræ non incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebant altaria. *Sancire* autem proprie est sanctum aliquid, id est, consecratum facere, fuso sanguine hostiæ: & dictum *sanctum*, quasi sanguine consecratum. *Servius.*

Qui fœdera fulmine sancit.] Dictum ex opinione veterum, qui perjuros fulmine de cælo ab Jove tangi putabant. *Sancit* igitur *fœdera fulmine*, qui fulmine vindicat id quod contra formulam & religionem jurisjurandi commissum est. nam animadversio in sontes, juris functio & conservatio est, &c. Turnebus lib. 25. cap. 9. qui Servianæ sententiæ nullo modo subscribendum censet. quam tamen Rob. Titius lib. 10. c. 20. Assert. Loc. Controv. acriter defendit. contra Yvo Villiomarus Turnebianam præfert. Vide ibid. quæso te. Livius l. 25. *Jam ego, inquit, sanguine Annibalis sanciam Romanum fœdus.* Ita Proconsul B. Cypriano martyri dixit: *sanguine tuo sancietur disciplina.* Vide & Des. Herald. ad Arnob. l. 2. p. 185. *Taubm.*

201. *Tango aras; mediosque ignes.*] In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis legere est *tango aras, medios ignis*, absque particula copulativa. Hoc loco Donatus ait, *Medios dicit, quia nihil aliud in præsenti, nisi aras & ignes, quæ contingi manu potuerint. Numina autem invocabat, ut testimonio essent firmantibus fœdera.* Hæc ille. Qui vero volunt Virgilium passim philosophari, ideo medios dictum ajunt, quod ignis inter humanam divinamque naturam medius sit: quia materiæ applicatus, ad sublimiora sponte fertur, sedemque sibi superiori loco debitam affectat, nullumque ita sit commodius internuntium, quod res nostras ad Deorum aures & oculos perferre possit. *Pierius.*

Tango

Nulla dies pacem hanc Italis nec fœdera rumpet,
Quo res cumque cadent: nec me vis ulla volentem
Avertet; non si tellurem effundat in undas
Diluvio miscens, cælumque in Tartara solvat:
Ut sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat)
Num-

Tango aras.] Cum dii bellum in Titanas suscepturi ad aram jurassent, obtinuit, ut postea religio jurisjurandi ejus tactu & ignis testatione sanciretur. Etiam alio affectu precantes aras tenebant. Vide Not. 4. Æn. 219. & Turnebum passim. *Taubm.*

Mediosque ignes.] Mos antiquus in juramentis. Statius 3. Sylv. loquens de Hercule, *tangens surgentem altaribus ignem.* Justinus lib. 22. *Hamilcar expositis ignibus cereis tactisque in obsequia Pœnorum jurat.* Referendus Poëta in his mediis ignibus ad illud, quod sup. *in medioque focos.* Ne vero putes ignem tactum, sed tacta ara ignis tangi putabatur. Apage enim, ut recurrendum sit ad morem illum, quem Sophocl. attingit in Antig.

Ἤμεν δ᾽ ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν.

Si quis vero huc Poëtam referat, quod abnuo, adeat diligentissimam operam Delrii Nostri lib. 4. Disquisit. Magic. cap. 4. quæst. 4. sect. 3. *Cerda.*

202. *Nulla dies.*] Hæc forma Græcis quoque in usu, ut cum Aristid. in Sicula Poster. dixit, *καὶ οὔτε νὺξ, οὔτε ἡμέρα μὴ παραιτεῖται τὴν μνήμην αὐτοῦ. Idem.*

204. *Si tellurem effundat in undas.*] Hypallage, pro, *Si undas effundat in terram.* Servius.

Non si tellurem effundat in undas.] Lucret. lib. 3.

Non si terra mari miscebitur, aut mare cælo.

Claud. de Bell. Gild. *prius astra Chaos miscebit Averno.* Tale illud. 5. Æneid. *maria omnia cælo Miscuit.* Aristides orat. de Concord. ad civitates Asiæ, *γῆν καὶ θάλατταν μεταβάλλοντα εἰς ἄλληλα. C.*

205. *Diluvio miscens.*] Id est, aquæ superfusione universa perturbans. *Servius.*

Cælumve in Tartara solvat.] In Romano codice scriptum est *cælumque.* sed singula hæc distincta Ti. Donatus ponit. Præterea in veteri codice quodam, *in Tartara vertat*, habetur: quod forte sumptum ex paraphrasi. nam *solvat* longe plura legunt exemplaria. *Pierius.*

Cælumve in Tartara solvat.] Affine illud Horat. Od. 5. Epod.

Priusque cælum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super.

Putat vero Germ. alludi à Virg ad sententiam Empedoclis, qui infinitos mundos constituebat, contendebatque infinitos ingenerari, & infinitos corrumpi. *Cerda.*

206. *Ut sceptrum hoc.*] Homeri locus verbum ad verbum:

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
Οὐδ᾽ ἀναθηλήσει, περὶ γὰρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε
Φύλλα τε καὶ φλοιόν, νῦν αὖ τέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
Ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵ τε θέμιστας
Πρὸς Διὸς εἰρύαται· ὁ δέ τοι μέγας ἔσσεται ὅρκος. *Servius.*

Dextra sceptrum nam forte gerebat.] Per parenthesim dictum est. Ut autem sceptra adhibeantur ad fœdera, hæc ratio est, quia majores semper simulacra Jovis adhibebant: quod cum tædiosum esset, præcipue quando fiebant fœdera cum longe positis gentibus, inventum est ut sceptrum tenentes, quasi imaginem simulacri redderent Jovis. Sceptrum enim ipsius est imperium. Unde

Numquam fronde levi fundet virgulta, neque umbras,
Cum semel in silvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas & brachia ferro;
Olim

nunc tenet sceptrum Latinus, non quasi rex, sed quasi pater patratus. *Idem.*

Ut sceptrum hoc, &c.] Hunc locum ita tractat Scal. lib. 5. c. 3. ut victoriam det Virgilio. Lege in illo; & adjice Valer. Flaccum, qui hærens vestigiis utriusque Vatis lib. 3.

Hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam,
Quæ neque jam frondes virides, neque proferet umbras,
Ut semel est avulsa jugis, ac matre perempta,
Fida ministeria, & diras obit horrida pugnas,
Testor, & hoc omni ductor tibi Numine firmo.

Non dissidet à juramento Latini illud, quod est apud Plutarch. in vita M. Crassi. Ut enim hic juratur per virgam, quæ nunquam fundet frondes, ita ibi Vagises Legatus loquens cum Crasso, καὶ τῆς χειρὸς ὑπτίας δείξας τὸ μέσον, ἐντεῦθεν, εἶπεν, ὦ Κράσσε, φύσονται τρίχες, ἢ σὺ ὄψει Σελεύκειαν. Sed Homero & Virgilio contrarium quiddam habet Soph. in Elect. ubi ait: ἐκ τε τοῦ (σκήπτρου) ἄνω βλαστεῖν βρύοντα θαλλόν. quo videlicet tota Mycenarum tellus fuerat obumbrata. Iurat autem Latinus per sceptrum, usurpato antiquo more, de quo loquitur Aristoteles libro 3. Polit. cap. 14. hunc in modum, ubi sermo est de antiquis Regibus: τὰς δίκας ἔκρινον. τοῦτο δ' ἐποίουν οἱ μὲν οὐκ ὀμνύοντες, οἱ δ' ὀμνύοντες. ὁ δ' ὅρκος ἦν τοῦ σκήπτρου ἐπανάτασις. Hanc ἐπανάτασιν satis indicat Poëta verbis illis *dextra sceptrum nam forte gerebat.* Vide & Servium. *Cerda.*

208. *Imo de stirpe.*] Ideo genere usus est masculino, quia de arboribus loquitur. Nam de hominibus genere fœminino dicimus: ut, *Heu stirpem invisam.* dixit tamen, sed usurpative, Horatius etiam de arboribus: ut, *Stirpesque raptas & pecus & domos.* Servius.

Imo de stirpe.] Quia Grammatici solliciti sunt de nominis genere, quærruntque nonnulli *imone stirpe*, an *ima* dicendum sit. Et responsum Servii est, fœminino genere dici de hominibus, virili vero de arboribus, quamvis Horat. *stirpesque raptas* dixerit: Ea mihi visum est apponere, quæ super hoc Donatus ait, *Si jungamus*, inquit is, *faciemus* stirpem *genere masculino, contra ipsius Virgilii sententiam, qui omnibus locis* stirpem *fœminino protulit genere. ut*, stirpis Achilleæ fastus. *&* Heu stirpem invisam. *Et non multo supra*, Hinc Pater Æneas Romanæ stirpis origo. *Hunc scrupulum qui declinare voluerit, sic pronuntiare debet & sic intelligere, ut quod dictum est imo, separetur: ut sit* ab imo abscissum, *hoc est ab inferiore arboris parte.* Pierius.

Imo de stirpe.] Dicunt Grammatici *stirpem* in sermone proprio arborum esse generis masculi, in metaphorico hominum feminei. Non abnuo. nam & id docent vulgaria exempla. Sed sciant inveniri exempla huic doctrinæ pugnantia. Nam in re propria, & arborum Horat. Od. 29. lib. 3. *stirpesque raptas.* & in re metaphorica hominum Ennius, quem citat Scal. in Notis ad Fest. in *stipes.*

Nomine Pyrrhus, uti memorant à stirpe supremo. Cerda.

209. *Matre caret.*] Vel terra: ut, *Antiquam exquirite matrem:* vel arbore: ut, *Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.* Servius.

Posuitque comas.] Hinc credo Propert. Eleg. 19. lib. 2.

Et vitem docta ponere falce comas.

Volunt aliqui à Virgilio deberi corrigi Homerum Iliad. α. ita ut ille scripserit, non τομὴν λέλοιπεν: sed κόμην λέλοιπεν. Locus Calabri aptandus est Virgilio; ille enim libro octavo loquens de hasta Achillis,

—quæ

Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro,
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant fœdera dictis
Conspectu in medio procerum. tum rite sacratas
In flammam jugulant pecudes, & viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.

At

—— *χαίτην δέ οἱ ἐν κορυφῇσι*
Πηλίου αἰπεινοῖο, τομὴν ὅθι λίπε, καὶ ὕλην.

A quo loco apparet etiam nihil mutandum in Homero. *Cerda.*

Posuitque comas.] Vide supra lib. 2. Georg. ℣ſ. 368.

—— *tum stringe comas, tum brachia tunde.* Emm.

210. *Ære decoro.*] Id est, orichalco. *Servius.*

Dedit gestare.] Ut, *Dat ferre.* Idem.

Patribus Latinis.] Quippe Reges esse debent patres. Justinus lib. 15. *Lysimachus magno animo Regis, veluti parentis, contumeliam tulit.* Xenoph. lib. 8. Cyrop. *ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ.* De Tiberio Principe illo, qui Iustino in Imperio Constantinopolitano successit, ita Simocatt. lib 3. c. 6. *πατὴρ ἐθέλων, ἢ δεσπότης ὑπὸ τῶν ὑπηκόων ἀναγορεύεσθαι.* De Antonino Philosopho Aristides, *οἷα πατήρ*, & adjicit, *οἷα ποιμήν.* Quippe ut patres pro liberis solliciti, ita pastores pro grege, & utrumque pertinet ad Regem. Dio Chrysost. Orat. 12. loquens de Jove ait: *βασιλεὺς μὲν κατὰ τὴν ἀρχὴν καὶ δύναμιν ὀνομασμένος. πατὴρ δὲ οἶμαι διά τε κηδεμονίαν, καὶ τὸ πρᾶον.* *Cerda.*

212. *Talibus inter se firmabant fœdera dictis.*] Latinus & Æneas. Turnum autem non inducit jurantem, quia dux est, qui præsente rege non habet potestatem. Et imitatus est Homerum, qui post jusjurandum Menelai, Alexandrum quasi fervidum & adulescentem inducit exclusum, & Priamum adhibitum ad fœderis confirmationem. *Servius.*

213. *Conspectu in medio.*] Tale quiddam in fœdere Regum Thebanorum apud Eurip. Phœniss. *κἀν μεταιχμίοις ὅρκους συνῆψαν· In medio utriusque aciei jusjurandum commiserunt.* Cerda.

Rite sacratas.] Rite exploratas solennitate, quam diximus. *Servius.*

214. *Et viscera vivis Eripiunt.*] Verbum solemne. *Rapiebantur* autem *exta*, ut spirantia adhuc, & palpitantia consuli possent. Seneca in Thyeste, act. 4. Sc. 1.

Erepta vivis exta pecoribus tremunt,
Spirantque venæ, corque adhuc pavidum salit.
At ille fibras tractat, ac fata inspicit,
Et adhuc calentes viscerum venas notat.

Lucanus lib. 1.

Atque iram superum raptis quæsivit in extis.

Vide Brisson. Form. l. 7. Taubm.

215. *Cumulantque oneratis lancibus aras.*] Est hoc, quod in Georg.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Itaque cumulatio ista tota est ab extis, neque hic aliquid capias de thure, etiamsi de thure dixerit in 8. *cumulantque oneratis lancibus aras.* Etenim hic Poeta intelligit *patinarias struices* extorum, quæ Diis sacrabantur; quales etiam in 5.

—— *struceremque suis altaria donis.*

Porro partes has, quæ ab reliqua visceratione separabantur, dabanturque Diis, *prosicias*, & *prosectas* vocabant Gentiles, atque etiam *ablegmina*; sic enim legendum apud Festum, non *albegmina*, notavit jam Scal. quæ Græci *ἀπολεγμοὺς* vocarunt *ἀπὸ τοῦ ἀπολέγειν*. Isidor. vocat enim *prosegmina*. Itaque

ine

At vero Rutulis inpar ea pugna videri
Jamdudum & vario miſceri pectora motu:
Tum magis, ut propius cernunt non viribus æquis.
Adjuvat inceſſu tacito progreſſus, & aram
Suppliciter venerans demiſſo lumine Turnus,
Tabenteſque genæ, & juvenali in corpore pallor.

Quem

hic Poëta intelligit *proſicia, proſecta, proſegmina, ablegmina*, ἀπολεγμούς. De verba *cumulo* vide quæ dixi lib. 11. ad illud, *cumulantque altaria donis*. Cerda.

216. *At vero Rutulis impar, &c.*] Antiquiores aliquot codices *Rutuliſque impar* legunt Nam *que* præjectum alteri copulativæ *et*, venuſtam reddit orationem. *Pierius.*

At vero Rutulis, &c.] Sic & apud Hom. in ſingulari certamine Hectoris & Ajacis, Trojani inducuntur Hectori metuentes & diffidentes: οἱ μὲν Ἕλληνες ἐχάρησαν ὁρῶντες, Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ἐπήλυθε γυῖα ἕκαστον. ſed & Hector ipſe à poëta, ut hic Turnus, meticuloſus producitur: Ἕκτορί τ᾽ αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσεν. *German.*

Videri, miſceri.] Infiniti ſunt pro indicativis. *Servius.*

218. *Propius.*] Diligentius: ut, & *propius res aſpice noſtras.* Idem.

Non viribus æquis.] Eos congreſſuros ſubaudis. *Idem.*

219. *Inceſſu tacito.*] Pro *ipſe tacitus*, Hypallage eſt. *Idem.*

Ingreſſu tacito.] Quatuor ponit ſigna timoris: primum eſt ingreſſus tacitus, dum vix pedem movebat. Alterum, quod aram venerabatur oculis dejectis. Tertium, tabentium genarum ex macie repentina. Quartum palloris. *Don.*

Inceſſu tacito.] Vetera quidem exemplaria multa cum vulgatis *inceſſu* legunt: in Oblongo tamen Vaticano *ingreſſu* ſcriptum eſt. *Incedere* enim quum plerunque ſit majeſtatis, & venerabile neſcio quid præ ſe ferat, locum hic habere non videtur, ubi omnia perquiruntur, quæ timorem in Turno manifeſtum indicent. Præterea Servius quoque *ingreſſu* agnoſcere videtur, ſi diligenter inſpicias. Haudquaquam vero obſcure Donatus *ingreſſu* legendum oſtendit, dum ait, *Apparebant in Turno ſigna omnia, quæ imparis diffidentiam comprobarent. Primo ingreſſus ejus, hoc eſt ambulatio tacita: & progreſſus, hoc eſt, ad ulteriora ſegnior acceſſus. Ecce his ſignis colligebatur animi ejus corporiſque defectio: Laſſos, quippe tacitos habuit greſſus, dum vix pedem movebat, & vix reponebat alterum, ut progrederetur ulterius. Fuit alterum diffidentiæ ſignum, quod aram venerabatur oculis dejectis ad terram. Et (ut reliqua perſequamur) tertium ſignum tabentium genarum fuit: nam repentina macie fuerat deformatus. Quartum palloris, qui in juvene eſſe non debuit, ſi deeſſet & metus.* Pierius.

Et aram Suppliciter venerans.] Sunt qui *ad aram* legunt, ut ſit *progreſſus ad aram.* Sed enim exemplaria vetera *& aram* habent, ut ſit, & aram ſuppliciter venerans. Unum enim uti dictum ex Donato, de quatuor ſignis, quæ timorem indicabant, fuit ea veneratio demiſſo lumine præſtita. *Idem.*

221. *Pubenteſque genas.*] Antiquus codex Mediceæ Bibliothecæ, in *pubentes* primam litteram abraſam & alio atramento in P notatam oſtendit. Sed quæ ſubſequitur vocalis *a*, eſt & ea quidem incolumis conſervata, ſed *u* vocali quinta ſuperne adſcripta: Ut quod prius *tabentes* legebatur, in *pubentes* ſit immutatum. Sed & alii codices plerique *tabentes* legunt: & quod Ti. Donatus tertium ſignum tabentium genarum fuiſſe dicit, nullam dubitationem reliquam facit, quin lectio caſtior ſit, *tabenteſque genas.* Idem.

In

Quem ſimul ac Juturna ſoror crebeſcere vidit
Sermonem, & volgi variare labantia corda:
In medias acies, formam adſimulata Camerti,
Cui genus à proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, & ipſe acerrimus armis,
In medias dat ſeſe acies, haud neſcia rerum,
Rumoreſque ſerit varios, ac talia fatur:
Non pudet, ô Rhutuli, pro cunctis talibus unam
Objectare animam? numerone an viribus æqui
Non ſumus? en omnes & Troës & Arcades hi ſunt,
Fata-

In medias acies, formam adſimulata Camerti.] Homerus Iliad. Δ.

Ἡ δ' ἀνδρὶ ἰκέλη Τρώων κατεδύσεθ' ὅμιλον
Λαοδόκῳ Ἀντηνορίδῃ.

Urſinus.

225. *Cui genus à proavis ingens.*] Cui auctoritatem commendabat, & origo majorum, & paterna virtus, & propria fortitudo. *Servius.*

228. *Rumoreſque ſerit.*] Ab Furio Antiate, lib. 10. Annal. ubi,

Rumoreſque ferunt varios, ac multa requirunt.

vel ab Cæcilio, qui in Plot. *ſermonem ſerit.* Soph. in Elect. dixit,

Σπείρῃ ματαίαν βάξιν εἰς πᾶσαν πόλιν·
Seminet rumores inanes totam per urbem.

Plutar. in vita Iulii, κατέσπειρεν λόγους. & de Pythiæ oraculis per initia, σπείροντες λόγους, καὶ θερίζοντες εὐθύς· *ſerentes ſermones, & metentes ſtatim*, Plato in Phædro, φυτεύσῃ καὶ σπείρῃ λόγους· *plantaverit, & ſeverit ſermones.* Ioan. Damaſcenus Orat. de Transfigurat. λόγον ἐνσπείροντες. Sed Virgilius proprie clancularios ſermones intelligit & furtivos, ad eum modum, quo Ammian. lib. 14. *Per arcanos ſuſurros nutrimenta fictis criminibus ſubſerentes.* & lib. 20. *diſſeminantes mordaces ſuſurros.* Plutar. in Nicia ita rem hanc, λόγους ἐξέφερεν εἰς τὸν δῆμον. & in Alcibiade aliter, διαδὺς λόγον. & adhuc aliter in Ariſtide, λόγους ἐμβαλεῖν. *Cerda.*

229. *Pro cunctis talibus.*] Qualis etiam Turnus eſt. & attendit ſenſum ſuperiorem, ubi ait Turnus oblique, *Et ſolus ferro crimen commune refellam.* Servius.

Cuncti pro talibus unam Objectare animam.] Romanus codex, & Oblongus Vaticanus, Mediceuſque, & nonnulli alii veteres, *pro cunctis talibus* legunt. Quam lectionem Servius agnoſcit, dum ait, *tales Latinos reliquos, qualis eſt Turnus.* Pierius.

230. *Objectare animam.*] Ipſe l. 2. *caput objectare periclis.* Quod fortaſſe à Salluſt. qui Iug. *ſtatuit eum objectare periclis.* Cerda.

An viribus æqui Non ſumus?] Bene addidit *viribus.* Nam legimus in Salluſtio, *Memorare poſſum quibus in locis populus Romanus ingentes hoſtium copias parva manu fuderit.* Virgilius, *Exiguo numero, ſed bello vivida virtus.* Serv.

An viribus æqui Non ſumus.] In codicibus aliquot manu ſcriptis *æquæ* habes, quia dixerat unam animam, ita *æqua animæ*: quod non probatur. In aliquot aliis, *viribus æquis.* ſed *æqui* vulgata lectio omnino caſtior. *Pierius.*

231. *En omnes.*] Ne occurreret, Sed eſt in caſtris alter exercitus. *Serv.*

En omnes & Troës & Arcades hi ſunt.] In antiquo codice ſcriptum eſt, *en omnes hi Troes & Arcades hi ſunt.* quaſi dicat,

Fatalisque manus infensa Etruria Turno.
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.

Ille

eat, inimici nostri, qui sedibus suis expulsi, terram alienam invasere, ne propter fœdus initum, eos jam amicos effectos existimarent, & ideo certare nollent. Servius, *hic sunt* cum vulgata lectione legit, ne in castris alterum exercitum esse suspicarentur: quæ lectio magis placet omnino, quia propositum est, *numerone, an viribus aequi non sumus*. Mediceus codex, & aliquot alii pervetetes eadem sententia, lectione paulo sequius scripta ita legunt, *en omnes & Troës & Arcades hi sunt*, ut suspendatur *En omnes*: inde subjiciatur, *& Troës & Arcades hi sunt*, quos scilicet ante oculos habetis, & non alii usquam. In Romano autem codice legere est, *& Troës & Arcades hinc sunt fatalisque manus*. Et in aliquot aliis codicibus *fatales* numero multitudinis habetur. Quod ita forte quis interpretetur, *Et Troës & Arcades hinc sunt*: in Latinis quippe castris tam strenui, tamque præstantes virtute viri habentur, quales & *Troës* & *Arcades* feruntur. Vel potius distinguendum, ut dicas, *En omnes & Troës & Arcades*. Mox de suis, *hinc sunt fatalisque manus infensa Etruria Turno*, hoc est, Latino quoque nomini favent fata, ne eos tantum fatis fretos huc venisse persuasum habeatis. Et quod magis excitare animos possit, Etruria, quæ infensa Turno esse consuevit, nobiscum militat, propter eos, qui Mezentium secuti erant. ut ita sit responsum ad id, quod propositum erat, essentne æqui viribus. de numero vero ait, *Vix hostem alterni, si congrediamur, habemus*. Cæterum crediderim ego *n* litteram in Rom. codice superfluam esse, ut sæpe alibi in eodem reperitur, eamque omnino castiorem esse lectionem, quæ vel *hic* adverbium vel *hi* pronomen demonstrativum scriptum ostendit: præsertim quom Ti. Donatus ita locum hunc interpretetur, *Considerate qui sitis, & quale Rutulorum nomen, & facta, quanta ubique prædicatione laudantur. Nihil interea è diverso existit, quod aliquem incutiat metum: Non numero præcedit hostis, aut robore: quicquid opinio formidolosum sparserat, præsto est, subjectum oculis nostris. Tum quod habet pars utraque substantiæ, prodidit campus, quod contra fidem rerum oneraverat fama terroribus. Trojani adsunt, videntur Arcades, in conspectu sunt, quos fatales appellant: & hoc est totum quod infensa Etruria Turno potuit.* Pierius.

232. *Fatalisque manus.*] Trojanorum scilicet, qui fataliter ad Italiam venerant, ut sit iteratio. *Servius.*

Fatalisque manus.] Pessime Servius Trojanos acccipit, qui fatis ducentibus venerunt ad Italiam. Recurreret Vates, nam jam Trojanos nominarat, quod vitium maximum, & non ferendum. Ergo per *fatalem manum* intelligit Virg. Hetruscos. Etenim Æneæ exercitus ex triplici gente constabat Trojana, Arcadica, Hetrusca. Cur autem Hetrusci, qui venerunt cum Ænea dicantur *fatales*, abunde liquet ex octava, & decima Æneide. *Cerda.*

Hetruria infensa.] Pro *Hetrusci*, qui etiam Turno inimici sunt causa Mezentii. *Servius.*

Infensa Etruria Turno.] Ego libenter adimerem hoc hemistichium. Satis enim dixisse, *fatalisque manus*. Potest tamen sustineri cum respectu ad id, quod habetur lib. 8. Etrusci enim infesti Turno, quia is hospitio exceperat fugientem Mezentium,

Ille inter cædes Rutulorum elapsus in agros
Confugere, & Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis.

Cerda.

233. *Alterni.*] Non ἀλληλοπάλληλοι, vel ἐξ ἀμοιβῆς. sed, si secundus quisque nostrum congrediatur. Turneb. lib. 3. cap. 13. *Taubmannus.*

Ille quidem ad ſuperos, quorum ſe devovet aris,
Succedet fama, vivuſque per ora feretur:
Nos, patria amiſſa, dominis parere ſuperbis
Cogemur, qui nunc lentis conſedimus armis.
Talibus incenſa eſt juvenum ſententia dictis,
Jam magis atque magis; ſerpitque per agmina murmur.
Ipſi Laurentes mutati, ipſique Latini.
Qui ſibi jam requiem pugnæ rebuſque ſalutem
Sperabant, nunc arma volunt, fœduſque precantur
Infectum, & Turni ſortem miſerantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, & alto
Dat ſignum cælo; quo non præſentius ullum

Tur-

234. *Devovet aris.*] Quia ait ſupra, *& aram ſuppliciter venerans.* Item, *Sed vobis animam hanc ſoceroque Latino Devovi.* Nam ipſa iterat verba. *Serv.*

235. *Vivuſque per ora feretur.*] Tanquam de vivo omnes loquuntur. *Idem.*

Vivuſque per ora feretur.] Deſcribit hominem, quem unica voce Græci dicunt περιβόητον. & l. 2. Epig. ἀνὰ στόμα. & Appian. 2. ἐμφ. διὰ στόματος ἦν. *Cerda.*

Per ora feretur.] Omnes honorifice de eo loquentur, magnam adipiſcetur famam. Similiter Horatius Epiſt. 3. l. 1. ✠ſ. 9.

Quid Titius, Romana brevi venturus in ora?

Ad quem locum vid. Lambinus. *Emm.*

237. *Lenti.*] Ocioſi: ut, *Tu Tityre lentus in umbra.* Servius.

238. *Talibus incenſa eſt, &c.*] In antiquis aliquot codicibus *accenſa* legitur, quam lectionem Donatus etiam agnoſcit. *Pierius.*

239. *Serpitque per agmina murmur.*] Eſt hoc, quod Stat. 11. Theb. *alternaque murmura volvunt Muſſantes.* Cerda.

240. *Ipſi Laurentes mutati, &c.*] Notat militarem inconſtantiam. Itaque totus hic locus oppoſitus eſt illi, qui habetur lib. 11.

Dirum exſecrantur bellum, Turnique Hymenæos,
Ipſum armis, ipſumque jubent decernere ferro:
Qui Regnum Italiæ & primos ſibi poſcat honores.

Itaque, qui *dirum exſecrantur bellum*, nunc *arma volunt.* Qui *ipſum jubent decernere ferro*, nunc *fœdus infectum precantur.* Qui erant infenſi ſuperbo homini, quod *ſibi poſceret Regnum Italiæ, & honores primos*, nunc ejuſdem *ſortem miſerantur iniquam.* Idem.

241. *Qui ſibi jam requiem pugnæ ſperabant.*] Eſt hoc, quod Hom. 3. Iliad. ἐλπόμενοι παύσασθαι ὀϊζυροῦ πολέμοιο. Idem.

242. *Nunc arma volunt.*] Sic & Hom. Il. λ. immiſſa Eride: τοῖσι δ' ἄφαρ πόλεμος γλυκίων γένετ', ἠὲ νέεσθαι ἐν νηυσὶ γλαφυρῇσι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν. *Germanus.*

Fœduſque precantur infectum.] Rogant ut pro non facto ſit, ne piaculum videantur admittere. *Servius.*

244. *Et alto dat ſignum cælo.*] Ut religio alia religione ſolvatur. *Idem.*

245. *Dat ſignum cælo, &c.*] Simile augurium deſcribit Silius Italicus l. 4. ✠ſ. 103. & ſeqq.

—— ſubitum liquida non ullis nubibus æthra
Augurium mentes oculoſque ad ſidera vertit.
Accipiter medio tendens à limite ſolis,

Dilectas

Turbavit mentis Italas, monstroque fefellit.
Namque volans rubra fulvos Jovis ales in æthra
Litoreas agitabat avis, turbamque sonantem
Agminis aligeri, subito cum lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit inprobus uncis.

Arre-

Dilectus Veneri notasque in honore Dionos
Turbabat violentus aves,

& quæ sequuntur. Comparat autem hunc Virgilii locum cum Homericis Scaliger lib. 5. cap. 3. *Emm.*

Præsentius.] Efficacius. *Serv.*

Præsentius.] Antiqui aliquot codices *præsentius* legunt: ut illud,

Præsentemque viris intentant omnia mortem.

In Mediceo *præstantius* quidem scriptum est, in dictionum sequela. Sed superne vetus hæc lectio *præsentius* addita. *Pierius.*

Præsentius.] Id est, magis in tempore oblatum: ideoque ad animos turbandos efficacius. Alii, *præstantius*: sed alterum præfert Fabricius auctoritate etiam Servii, & MSS. *Taubm.*

246. *Monstroque fefellit.*] Bene *Fefellit*. namque hoc augurium non oblativum est, nec impetritum, sed immissum factione Juturnæ, quod carere fide indicat sedes negata. Nam ubicunque firmum inducit augurium, dat ei firmissimam sedem: ut, *Ipsa sub ora viri cœlo venere volantes, Et viridi sedere solo.* Item, *Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix.* In hoc autem augurio liberatum cygnum cecidisse in aquam dicit, aquam autem instabilem & infirmam non dubium est. *Servius.*

Rubra in æthra.] Ab igne vocat *rubram*, inde etiam αἰθὴρ ab ardore. Aristid. Hymn. in Jovem, καὶ πῦρ ἄνωθεν, ὃ δὴ αἰθέρα ὀνομάζουσιν, ἐπιστήσας· *ignem, quem vocant ætherem, desuper collocans.* Cerda.

Fulvus Jovis Ales.] In antiquis plerisque *fulvos*, uti etiam superius *vivosque per ora feretur*. de quo scriptionis modo satis alibi dictum. Id præterire non possum, quod Ti. Donatus artificiose compositum ait, Primo ut *Alitem* masculinum immitteret. si enim fœmina esset, non tangeret Æneæ personam. Deinde ait, *Ales Iovis, ut turbandum fœdus nec perficiendum & Iupiter videretur ostendere.* Pierius.

Jovis ales.] Quid re hac certius? Inde à Pauf. lib. 5. inducitur Juppiter ἀετὸν ἔχων ὄρνιθα, καὶ τῇ ἑτέρᾳ τῶν χειρῶν κεραυνόν. Et inf. loquens de eodem Jove, ἐν δὲ ταῖς χερσὶν ἀετός τέ ἐστιν αὐτὸς καὶ τὸ βέλος τοῦ Διός. Ornamenta itaque propria Jovis sunt, fulmen in dextera, aquila in sinistra. Ortum hujus tutelæ referunt ad fabulam, quippe Jovi contra Titanas proficiscenti, & sacrificanti in litore aquila apparuit bono auspicio. Inde in tutelam Jovis recepta hæc avis. Causas plurimas habet Eustath. in ult. Iliad. & omnes petitas à fabulis. Sed existimandum potius est, Regi Deorum reginam volucrum attributam. *Cerda.*

248. *Litoreas agitabat aves.*] Palustres. Nam litus circa omnem aquam est, ut *Viridique in litore conspicitur sus.* Servius.

Agitabat.] Quod Græci ἐλᾶν, & ἐλάειν, quod est *abigere, & fugare.* & quod 1. Æneid. *turbabat cœlo.* Cicer. 2. Divin. de aquila, *avis infestans alias & agitans,* Non dubium autem quin Virgil. locutus fuerit cum respectu ad inimicitias, quæ sunt inter cycnos, & aquilas. Vide Aristotel. lib. 9. Histor. Animal. cap. 12. *Cerda.*

249. *Lapsus.*] Indicat lenem aquilæ volatum. Sueton. Aug. cap. 94. *aquila leniter delapsa.* Apul. lib. 1. Flor. *aquila labitur.* Quem locum vide: ita enim de aquilæ volatu, ut illum æqualem faciat navi velificanti *Idem.*

250. *Excellentem.*] Magnum, sicut in ex-

Arrexere animos Itali, cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam, mirabile visu;
Ætheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus & ipso
Pondere defecit, prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus: primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petivi.
Accipio adgnoscoque deos: me, me duce ferrum
Corri-

in exercitu magnus est Turnus. *Servius.*

Cycnum excellentem, &c.] Talis Valer. Musa lib. 1. Argon.

Talia conanti lævum Jovis armiger æthra
Advenit, & validis fixam gerit improbus agnam.

Vel, *gerit unguibus agnam.* Cerda.

252. *Convertunt clamore fugam.*] Redeunt cum clamore, sicut excercitus solet. *Servius.*

Mirabile visu.] Antiqui aliquot codices una cum Mediceo *miserabile* legunt. sed vulgata lectio acceptior eruditis. *Pierius.*

254. *Facta nube.*] Ità Calab. lib. 2. loquens de locustis, ὡς νέφος, *ut nubes.* Plutarch. in vita Alexandri, ὄρνιθες νεφέλαις ἐοικότες· *aves similes nubibus.* Plin. lib. 11. c. 19. de locustis: *Immensos tractus permeant, diraque messes contegunt nube.* Orosius quoque lib. 1. cap. 9. *locustarum nubes.* Cerda.

255. *Pondere defecit.*] In antiquis plerisque codicibus *deficeret* habetur. magis tamen placet *defecit*, ut vulgata habent exemplaria, non sine veterum aliquot codicum assensu. *Pierius.*

256. *Penitusque in nubila fugit.*] Fugiendo penetravit nubila. Ideo postea, *penitusque profundo Velo dabit.* Et *fugit*, ait, non solum ad significandam veram fugam, sed celerrimum volatum. Synes. lib. de Insomn. exaggerans ait, ὑπερπτῆναι ἀέλλας. *Cerda.*

257. *Augurium salutant.*] Venerantur. Et proprie. nam *salutare* dicimus *deos.* Terentius, *At ego deos penates hinc salutatum devortar.* Servius.

Salutant.] Venerantur. Ita *salutare deos* dicimus. V. N. Plaut. Curcul. act. 1, 1.70. Sillius lib. 2.

—— atque omen clamore salutant.

Taubmannus.

258. *Expediuntque manus.*] Dimicare se velle significant. hæc enim est consensio militaris. Lucanus, *Elatasque alte quæcunque ad bella vocaret Promisere manus.* Servius.

Expediuntque manus.] Refert non ad pugnam, sed ad preces. Nam & Germ. refert ad illud Hom. ἀναπτύξαι χεῖρας, quod videlicet est, εἰς εὐχὴν ἐξαπλῶσαι, id est, *expandere manus ad preces.* Cerda.

Primusque Tolumnius.] Non solum Rutuli: sed etiam Tolumnius augur, hoc augurio deceptus est. *Donatus.*

Quod sæpe petivi.] Quasi impetritum hoc augurium vult videri. *Servius.*

260. *Accipio agnoscoque deos.*] Modo quasi de oblativo loquitur. nam in oblativis auguriis in potestate videntis est, utrum id ad se pertinere velit, an refutet & abominetur. Ergo nunc dicit se augurium libenter amplecti, & agnoscere circa se favorem deorum. *Idem.*

Accipio agnoscoque deos.] Auguria duorum erant generum, quædam oblativa, quædam impetrativa. Impetrativa

Corripite, ô miseri, quos inprobus advena bello
Territat, invalidas ut avis; & litora vestra
Vi populat. petet ille fugam, penitusque profundo
Vela dabit. vos unanimi densete catervas,
Et regem vobis pugna defendite raptum.

Dixit,

tiva petebantur à diis, nec in impetrantis erat potestate, ea vel accipere, vel non accipere, vel agnoscere, vel non agnoscere. Quæ ultro nobis non petentibus facta & oblata erant, in potestate nostra erant: nam non agnoscere vel agnoscere licebat, quod & in ominibus observabatur: unde in historiis *accipio omen* legimus. Maro tamen velut in oblativo augurio de imperativo dixit. lib. 5. c. 7. *Turneb.*

Accipio.] Vox signata. Liv. l. 1. *Dextra Hercules data, accipere se omen.* &c. & lib. 22. *victoriam, omenque accipere.* Paulus Æmilius apud Plutarch. δέχομαι τὸ οἰωνόν· *accipio augurium.* Cerda.

Agnoscoque deos.] Notat Passerat. in Propert. poni à Poëtis *Deos*, pro Deorum voluntate. Ita hoc loco, & in Horat. *Non sine Diis.* Idem.

Me, me duce ferrum Corripite ô Rutuli.] In Romano codice legere est *ô miseri*, non *ô Rutuli*. subjecta vero statim ratio cur *miseri, quos* scilicet *improbus advena bello territat, invalidas ut aves, & litora vestra vi populat.* In Mediceo, & aliquot aliis antiquis *ô Rutuli* scriptum est. Ti. Donatus *ô miseri* agnoscit: dicit enim, *Et vos manus armate, ô miseri, hoc est, dolendi.* Pierius.

261. *Quos improbus advena Territat.*] Interpretatur augurium: & confirmat id ad præsens negotium pertinere. *Servius.*

262. *Littora nostra.*] Bona iteratio. nam supra ait, *Litoreas agitabat aves.* Idem.

Litora vestra.] Sunt aliquot antiqui codices, ubi *nostra* legatur: sed omnino *vestra* melius. *Pierius.*

263. *Vi populat.*] Antique. nam veteres & *populo* & *populor* dicebant. nunc tantum *populor* dicimus, illud penitus de usu recessit. *Servius.*

Populat.] Id verbi in bonis auctoribus. Propert. lib. 3. *luctus populavit Achivos.* etiam 1. Georg. & 1. Æneid. *Cerda.*

Penitusque profundo Vela dabit.] Ut supra de aquila, *Penitusque in nubila fugit.* Servius.

Penitusque, &c.] Tale illud lib. 1. *penitusque sonantes Accestis scopulos.* Iterum,

—— ater quos æquore turbo
Abstulerat, penitusque alias advexerat oras. Cerda.

264. *Densate catervas.*] Sicuti cygni, *hostemque per auras Facta nube premunt.* Servius.

Densate catervas.] In Romano codice *densete* legitur conjugationis secundæ, ut superius *densent.* sed hic aures offendit tam exilitate vocalis tenuissimæ ter continenter positæ, quam etiam sono ipso elanguescentis. *Pier.*

Unanimi densate catervas.] Brissonius meus vult scripsisse Virgilium, *unanimes densete*, teste Eutycho Grammatico in l. De discernendis conjugationibus. *Qui in so, ait, similiter primæ sunt conjugationis, quia derivata sunt: nam vel à nominibus pleraque derivantur, vel certe frequentativa sunt: ut*, lapso as, penso as, spisso, denso, quod & denseo *secundæ conjugationis, ut in eo terminatum, licet raro lectum invenitur: ut extulit lib. 1. Georg. Virgil.* Jupiter humidus Austris Denset, erant quæ rara modo: *item 12. Æn.* Vos unanimes densete catervas. *Cujus infinitivum Salust. Histor. lib. 2. refert:* Ille subsidiis principes (sic enim habet vetus codex) augere, & densere frontem. *Atque idem Virg. eodem modo 10. Æn. dixit:* Extremi addensent acies. *Germ.*

266. *Dixit,*

Dixit, & adversos telum contorsit in hostis
Procurrens: sonitum dat stridula cornus, & auras
Certa secat. simul hoc, simul ingens clamor & omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio conjunx Tyrrhena Gilippo;

Horum

266. *Dixit, & adversos telum contorsit in hostes.*] Hoc loco ab Homeri œconomia recessit. Ille enim inducit Minervam persuadentem Pandaro, ut jacto in Menelaum telo dissipet fœdera. hic vero dicit ipsum augurem telum sponte torsisse, & occidisse unum de novem fratribus: quod pertinet ad œconomiam. Necesse enim erat ut fratris dolore ex unius morte commoti bellum moverent. Si enim vilis aliquis interiret, poterat ejus mors ob fœderis religionem forte contemni. *Servius.*

Dixit, & adversos, &c.] Recte qui se ducem professus est primus tela contorsit. *Donatus.*

Contorsit.] In antiquis aliquot *conjecit.* sed id ex paraphrasi. *Pierius.*

267. *Sonitum dat.*] Id est, facit. *S.*

Sonitum dat stridula cornus.] Gratius Cyneg. lib. ✻ſ. 342.

Terribilemque manu vibrata falarica dextra
Det sonitum, &c. Emm.

Cornus.] Ponit materiam, quod solent alii heroïci Vates, non tam sectantes tritum σχηματίδιον, quam ut ita grandiorem faciant orationem; est enim tragicum quiddam cernere convolantem, non hastam, sed arborem. Ita in Hesiod. Scut.

— ἀπὸ δ' ἄμφω κῖρσε τένοντε
Ἀνδροφόνος μελίη —
— ambos incidit nervos
Homicida fraxinus. —

Ibidem magni duces inferuntur ἐλάτας ἐν χερσὶν ἔχοντες, *abietes in manibus gestantes.* Claudian.

Non aries quateret muros, non fraxinus urbes.

Homerus sæpe, Philostrat. in Heroïcis, alii hastam Achillis κατ' ἐξοχὴν vocant μελίαν. *Cerda.*

268. *Certa.*] Inevitabilis. unde *incerta*, est infirma & vitabilis. *Servius.*

Auras certa secat.] Ita Val. Flacc. l. 3.

— *certo tendens stridore per umbras*
Æsonii venit hasta ducis. —

Præclare, nam *per umbras.* hoc enim majus. Ab hac certitudine præfert Martial. Othonem Catoni lib. 6. Epigrammat. 32. *Cerda.*

Simul hoc, simul, &c.] Antique, ut, *ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes*: Et, *Simul Ænean in regia ducit Tecta, simul divûm templis indicit honorem.* Servius.

269. *Cunei.*] Ordines peditum. *Taubmannus.*

270. *Hasta volans.*] Minus est *namque*: Sane reliquit hastam Poeta, dum vult simul multa describere, & rem imperfectam omisit; deinde rediit ad descriptionem ut supra in augurii narratione. *Servius.*

Hasta volans.] Sidon. Pan. Major. *alite telo.* Hom. sæpe ἔπτατο ὀϊστός. Enn. 16. Ann. *tamen inde volans secum abstulit hasta Insigne.* Andronicus in Odyss.

At celer hasta volans perrumpit pectora ferro.

Stat. 2. Theb. *fuscas intervolat auras Hasta.* Sic 8. Æn. *volatile ferrum.* Vid. lib. 4. Æn. ✻ſ. 71. *Cerda.*

271. *Fida.*] Signate hoc Maro ad cavendum castitati feminæ. Videbatur enim posse subesse suspicio adulterii in numerosa sobole; hanc ut amoliatur *fidam* vocat. *Idem.*

Arcadio conjux Tyrrhena Gilippo.]

 Designat

Horum unum ad medium, teritur qua ſutilis alvo
Balteus, & laterum juncturas fibula mordet,
Egregium forma juvenem & fulgentibus armis,
Transadigit coſtas, fulvaque effundit arena.
At fratres, animoſa phalanx accenſaque luctu,
Pars gladios ſtringunt manibus, pars miſſile ferrum

Corri-

Deſignat filios fuiſſe hybridas. Nam ſemi-Arcades, & ſemi-Tyrrheni. Ut Pallas, ſemi Arcas, & ſemi-Sabellus, & Cyrus, ſemi-Medus, & ſemi-Perſa. *Gilippi* autem magni ducis, qui res Athenienſium contulit, meminit Thucydides in hiſtoria, & Plut. in Nicia. *Cerd.*

273. *Horum unum, &c.*] Ordo eſt, Transadigit unum coſtas & figurate dixit *unum*, pro *unius*. Servius.

Teritur qua ſutilis alvo Balteus.] Rem phyſicam dixit. omnia enim quibus utimur non nos terunt, ſed ea nos terimus, ut annulum, veſtem, baltheum. *Ad medium* autem abſolute, id eſt, Ubi alvo teritur baltheus. *Idem.*

274. *Et laterum juncturas fibula mordet.*] Ait factum ictum per ipſas balthei juncturas, & commiſſuras, quaque fibula innectitur: illa enim parte inventus ad ictum locus, ad eum modum, quo Prudent. in Pſychom. ſcripſit,

Rara tamen chalybem tenui tranſmittere puncto
Commiſſura dedit, qua ſeſe extrema politæ
Squamma ligat tunicæ, ſinus & ſibi conſerit oras.

De Balthei juncturis ita Val. l. 3. Arg.

—— qua cærulus ambit
Baltheus, & gemini committunt ora dracones.

Illa enim commiſſio ad juncturas eſt. Ut vero vulnus acceptum per morſum fibulæ, ita apud Sil. lib. 7.

—— qua fibula morſus
Lorica crebro laxata reſolverat ictu,
Accepit lateri, penituſque in viſcera adegit. Cerda.

Fibula mordet.] Tertull. de Pall. *in fibulæ morſu.* Symm. lib. 1.

Eſt mihi caſtrenſem quod mordet fibula veſtem.

Hieronym. epiſt. 49. *Fibulam quæ chlamydis mordebat oras, in humum excuſſit.* Sid. Pan. Major.

Oſtricolor pepli textus, quem fibula torto
Mordax dente vorat. ——

Non tamen eſt hoc loco fibula inſtrumentum illud muliebre, quod celebratur ab hoc Vate locis aliis, & ab aliis: ſed claviculus ille, quo baltheus innectitur. ad eum modum, quo Tertull. dat antiquis Carthaginienſibus quadratam tunicam fibula conſtrictam; & quo Liv. dixit lib. 47. donatam puero *tunicam lato clavo cum Hiſpano ſagulo, & aurea fibula.* ut videlicet fibula eſſet aſtrigmentum ſaguli. Sed fateor tamen in idem fere recidere. *Idem.*

275. *Egregium forma juvenem.*] Bene hic *egregium*, quippe qui eſſet de fratrum grege. *Servius.*

276. *Fulvaque extendit arena.*] In Romano cod. in Oblongo, in Vaticanis, in Mediceo, in eo qui apud me eſt, & aliquot aliis uno exemplo legitur *effundit harena*, quod magis movere pathos videtur: quia majorem præ ſe fert vulneris vehementiam. *Pierius.*

277. *At fratres.*] Pro, *at fratrum pars.* Servius.

Animoſa phalanx.] Quaſi phalanx, id eſt, legio. Et bene à numero, à germanitate, à nobilitate, à forma, ab ætate, ab vulneris genere, ab ipſius laude, à genere mortis incite ſionata * *Idem.*

278. *Gladios ſtringunt.*] Liv. l. 38. *ſtringit gladium.* Sen. Contr. 7. *ubi eſt gladius tuus? ſtringe.* Suet. Calig. 33. *ſtricturum ſe lucubrationis ſuæ telum minabatur.*

Corripiunt, cæcique ruunt. quos agmina contra
Procurrunt Laurentum. hinc densi rursus inundant
Troës; Agyllinique, & pictis Arcades armis.
Sic omnis amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras: it toto turbida cælo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber:
Craterasque focosque ferunt. fugit ipse Latinus,
Pulsatos referens infecto fœdere divos.

Infre-

nabatur. Curt. lib. 3. *gladios impigre stringunt.* Cerda.

279. *Caci.*] Ut salutis improvidi. Et bene jam non pars, sed universi. *Servius.*

280. *Inundant.*] More undæ fluunt *Idem.*

281. *Agyllinique.*] Pro Etruscis; hi enim contra Mezentium auctores conjurationis fuerunt. *Idem.*

Agyllini.] De his dictum lib. 7. *Cerda.*

Pictis Arcades armis.] Bene *pictis*, ut in undecimo, *Et versis Arcades armis.* ut ornatus picturæ lateret in luctu. *Servius.*

282. *Sic omnes amor unus habet.*] *Sic*, id est, dum paulatim suis invicem subveniunt, omnes in bellum coacti sunt. Sic Sallustius. *Idem.*

Sic.] Hanc particulam, & in hoc loco Virg. explicat Passeratius in Prop. *adeo, omnino, prorsus*, cum nihil præcesserit. Ut in Sallust. Catil. *Sic quisque hostem ferire, murum conscendere.* Cerda.

283. *Diripuere aras.*] Dejecerunt, dissipaverunt. Sane cum præsens tempus belli loquitur, bene præteritum intulit *diripuere.* Et more suo interjicit aliud: nam ordo erat *diripuere aras, craterasque focosque ferunt.* Servius.

Diripuere aras.] Vocati furore certandi. *Donatus.*

284. *Tempestas telorum.*] Sil. lib. 9. *telorum nubem.* & lib. 3. *telorum nubibus.* Stat. lib. 8. pulchre tela comparat cum tempestate,

—— *non tanta cadentibus Hædis*
Aëriam Rhodopen solida nive verberat Arctos:
Nec fragor Ausoniæ tantus cum Juppiter omni
Arce tonat, &c. ——

Illustrabis satis hunc locum his, quæ dixi lib. 10. ad illud, *nubem belli dum detonet.* Cerda.

Ferreus imber.] Permansit in translatione, quia dixerat *Tempestas telorum.* Servius.

Ferreus ingruit imber.] Stat. laudato loco, loquens de armis, *stant ferrea cælo Nubila.* & lib. 5.

Instamus jactu telorum, & ferrea nimbis
Certat hyems.

Lucan. lib. 4. *telorum nimbo.* Pacuvius,

Sagittis, plumbo, saxis grandinat, nivit.

Enn. 6. Annal.

Undique conveniunt, velut imber, tela Tribuno
Confugiunt parmam. ——

Idem lib. 8.

Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

Ammian. sæpissimus est in hoc sermone, ut cum ait lib. 20. *Sagittarum nimbi crebrius volitantes.* Latini à Græcis. Pind. Od. 5. Isth. χαλαζάεντι φόνῳ *cæde grandinea.* Nonnus libro 22. ὄμβρος ὀϊστῶν *imber sagittarum.* Mitto alios. *Cerda.*

285. *Ferunt.*] Auferunt. nam Aphæresis est, ut *temnere*, pro *contemnere*: alibi, *Omnia fert ætas.* Servius.

286. *Pulsatos divos.*] Id est, violatos, læsos fractis fœderibus. *Idem.*

 287 *In-*

Infrenant alii currus, aut corpora saltu
Subjiciunt in equos, & strictis ensibus adsunt.
Messapus regem, regisque insigne gerentem
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere fœdus,
Adverso proterret equo: ruit ille recedens,
Et miser oppositis à tergo involvitur aris
In caput, inque humeros. at fervidus advolat hasta
Messapus, teloque orantem multa trabali

Desuper

287. *Infrenant alii currus.*] Id est, equos, qui sub curribus sunt: sic alibi, *Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.* Serv.

Infrenant alii currus.] Id est, equos, ut G. 1. ℣s. ult.

—— *neque audit currus habenas.*

Æn. 7. *dimittantque in littore currus.*
Scalig. l. 4. 16. *Taubm.*

288. *Subjiciunt in equos.*] Super equos jaciunt. sed proprie non est locutus, magisque contrarie. nam *Subjicere*, est subter jacere. *Servius.*

Subjiciunt in equos.] Id est, sursum jaciunt. Significatio hæc non est insolens. Nam Virg. 5. Eclog.

Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.

Et 2. Georg.

Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.

Et 4. Georg.

Ter flamma ad summum tecti subjecta refulsit. Cerda.

289. *Regisque insigne gerentem.*] Id est, diadema. & decenter regem cum insignibus suis dixit. *Servius.*

290. *Avidus confundere fœdus.*] Legitur & *Avidum.* Sed melius *Avidus*: quia Messapus Turno favebat, qui erat impar ad singulare certamen. Nam & postea ait, *Et miser oppositis à tergo involvitur aris.* Sic enim facilius fœdus dissiparet, si aræ humano cruore pollucrentur, nam & Messapi voluntas ita expressa est, qui ait, *Hæc melior magnis data victima divis. Confundere fœdus* autem, prodiit confundere. *Idem.*

Avidus confundere.] Hellenismus. Prop. *cupidus attingere.* Sed hoc jam alibi, prolatis etiam Græcis testimoniis. *Cerda.*

291. *Proterret.*] Mire dictum. *Serv.*

Proterret.] Plautus Trinum. 3. 2. 77.

Mea opera hinc proterritum te meaque avaritia autument.

Terentius Heaut. 3. 1. 37. *filium proterruisti hinc.* Apul. lib. 4. Metam. *Nam & facies ursæ mediis ædibus discurrentis ad proterrendos si qui de familia forte vigilassent, videbatur opportuna.* & lib. 8. *facibus feras proterrebant.* Emm.

293. *In caput, inque humeros.*] Describit κύμβαχον. id est, ἐπὶ κεφαλὴν, καὶ ὤμους κυβιστῶν. Philost. enim lib. 2. Icon. ita ait. ὅδε εἰς ὤμους καὶ κεφαλὴν κεῖται, ποιητὴς ἂν φαίη κύμβαχος. *Alius in caput, atque humeros jacet, Poëta utique diceret, cymbachus.* Cerda.

Hasta.] Cum hasta. *Servius.*

294. *Teloque orantem multa trabali.*] Ennius, *Teloque trabali.* Idem.

Telo trabali.] Id est, magno, instar trabis; quod videlicet Poëta ipse, *telum ingens arboreum.* Ita Sil. *trabem* posuit pro hasta. Sed & *trabalem hastam* Stat. 4. Theb. & Nazar. in Paneg. dixerunt. & Amm. lib. 16. *capita discissa trabalibus telis.* Sed & de rebus aliis. Nam Claud. *trabali sceptro.* Cic. Horat. Arnob. *clavos trabales.* Cerda.

Orantem multa Desuper altus equo graviter ferit.] Supra lib. 11. Æneid. ℣s. 696.

Tum validam perque arma viro perque ossa securim

Altior

Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet: hæc melior magnis data victima divis.
Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Corynæus ab ara
Corripit, & venienti Ebuso plagamque ferenti
Occupat os flammis. olli ingens barba reluxit,

Nido-

Altior insurgens, oranti & multa precanti
Congeminat. & lib. 10. ✝ſ. 554.
Tum caput orantis nequicquam, & multa parantis
Dicere, deturbat terræ.
Ovid. lib. 9. Metam. ✝ſ. 216.
Dicentem genibusque manus adhibere parantem
Corripit Alcides; & terque quaterque rotatum
Mittit in Euboicas, tormento fortius, undas. Emm.

295. *Altus equo.*] Equi magnitudinem latenter ostendit. *Servius.*

296. *Hoc habet.*] Id est, lethali percussus est vulnere. Apud antiquos enim id erat, *hoc habet*, quod nunc, *peractum est*; sic Terentius, *Certe captus est, habet.* Sane Sarcasmos est carnificina, quasi de loci qualitate inventus. nam quia supra aras ceciderat, ait, *Hæc melior magnis data victima divis.* Idem.

Hoc habet.] Id est, bene se habent res. *Donatus.*

Hoc habet.] Subaudi vulnus. Forma recepta in Latio, & accepta ab ludo gladiatorio. Ita sc. insultabat gladiator victor victo gladiatori. Terent. And. *Certe captus est, habet.* Prud. Psychom. *Hoc habet. exclamat victrix Regina.* Sen. Agam. *Habet, peractum est.* & in Herc. Oet.

Habet, peractum est. quas petis pœnas dedit.

Alibi idem Tragicus sæpe. Huc allusum à Sen. Philosopho de vita Beata: *non voluptatem, sed ipsos voluptas habet.* & epist. 8. *Habere nos putamus, habemur*, id est, cum putemus nos habere divitias, habemur ab illis, vincimurque, nam illæ pessumdant nos. Et ab Tull. lib. 9. epist. ult. *Sed tamen ne Aristippus quidem ille Socraticus erubuit, cum esset objectum habere eum Laïda, habeo (inquit) Laïda, non habeor à Laïde* Itaque Serv. qui explicat *habet* pro, *peractum est*, male explicat. Imo *habet*, pro, *victus est.* sic Græci dicunt ἔχεται, pro, νικᾶται, id est, *haberi*, pro, *vinci.* Nam, ubi Eurip. in Orest ἔχεις ἐμέ, ibi Scholiastes, ἐνίκησας ἐμέ. Sed & verba Aristippi, quæ Tull. reddidit, hæc sunt; ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι Λαΐδος. Huc etiam invenio allusisse Plaut. Mostell. ubi servus post inventum callidum consilium ait: *Hoc habet, reperi quî senem ducerem.* & in Mil. *Habet opinor.* Cerda.

Hæc melior magnis data victima divis.] Cum joco dictum ait Donatus meliorem victimam, quia in aram cecidit, & illic occisus est. *Pierius.*

Hæc melior.] Sarcasmus, de loci qualitate inventus. nam quia super aras cecidit, sic ait. Ita Æn. 5.

— meliorem animam pro morte Daretis.

quem locum vide. *Taubm.*

298. *Obvius.*] Bene *obvius* corripuit. *Servius.*

Ambustum torrem.] Quidam *ambustum*, proprie circumustum accipiunt; sed Poëtæ indifferenter pro combusto utuntur. *Torrem* autem, erit nominativus *hic torris*, & ita nunc dicimus. nam illud Ennii & Pacuvii penitus de usu recessit, ut *hic torrus, hujus torri* dicamus. *Idem.*

299. *Ferenti.*] Pro *inferenti.* Idem.

300. *Reluxit.*] Bene ad brevitatem ignis retulit, qui tantum fulgorem brevi ediderat. *Idem.*

Nidoremque ambusta dedit. super ipse secutus
Cæsariem læva turbati corripit hostis,
Impressoque genu nitens terræ adplicat ipsum:
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
Pastorem, primaque acie per tela ruentem,
Ense sequens nudo superinminet: ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reducta
Disjicit & sparso late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos & ferreus urguet
Somnus;

301. *Nidoremque.*] Putorem. *Serv.*

Nidorem.] De hac voce videndus Gronovius ad Plauti Mostel. 1. 1. 5. *Emmeness.*

Super.] Quidam *propterea*, alii pro *supra*, ut *Ense sequens nudo super imminet.* Servius.

303. *Cæsariem læva.*] Vide, quæ dixi 2. Æneid. in morte Priami, quibus locum istum illustrabis. Hippolytus apud Senecam:

En impudicum crine contorto caput
Læva reflexi. ——

Apud Plut. Alexander, δραξάμενος αὐτοῦ τῶν τριχῶν. In summa enim ira hominem crinibus arripuit. Sic & noxii mactabantur. Plutar. in vita Artax. ubi carnifex interficit Darium Regem: καὶ τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ δραξάμενος τῆς κόμης αὐτοῦ, καὶ καταγαγὼν ἀπέτεμε τῷ ξυρῷ τὸν τράχηλον. Eurip. etiam in Aulide ait, Iphigeniam ducendam ad mortem correptam ξανθῆς ἐθείρης, *flava è coma.* & in Tauris de humana loquens victima, ἀμφὶ χαίταν ἑλιχθεῖσα. *Cerda.*

Turbati hostis.] Quia plus trepidationis in illa flamma fuit, quam periculi. *Servius.*

304. *Sic rigido.*] Quidam *Sic*, pro *æque* accipiunt; alii simpliciter, ut cum impresso genu terræ adplicuerat: ut est illud, *Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes.* Idem.

Rigido ense.] Quidam duro & acuto volunt, non recto: ut, *Et curvæ rigidum falces formantur in ensem.* Idem.

305. *Primaque acie.*] Hic *Que* conjunctio abundat. *Idem.*

Ruentem.] Non cadentem, sed magno impetu se inferentem. *Idem.*

306. *Ense nudo.*] Appian. 1. ἐμφερ- ξιφιδίοις γυμνοῖς. Philost. Jun. in Icon. γυμνοῦ τοῦ ξίφους ἕτοιμος. S. Basil. in orat. de Gordio Martyre, ξίφος ἐγύμνωσε. Sed Stat. 7. Theb. non solum dixit, *nudabunt enses*, sed etiam *aperire*, ait enim, *aperto ense vocat socios.* Cerda.

307. *Frontem mediam mentumque.*] Hic ictus etiam est in 9. ubi Turnus Pandari

—— *mediam ferro gemina inter tempore frontem*
Dividit, impubesque immani vulnere malas. Idem.

308. *Disjicit.*] In Romano codice *discidit* legitur. *Secare* enim securis est, & *scindere*. Sed in Oblongo, in Mediceo, & aliquot aliis *dißidit*, in uno simplici *s*, in altero *ss* geminato scriptum. *Pierius.*

Sparso late rigat arma cruore.] In 9. *atque arma cruenta cerebro.* Hom. τεύχεα αἱμόφυκτα, & βεβροτωμένα. Nonn. lib. 22. χιτὼν ἐρυθαίνετο λύθρῳ. *Cerda.*

309. *Olli dura quies.*] Quia est quies non dura, & somnus non ferreus, & nox non æterna. *Donatus.*

Olli dura quies.] Hi duo versus habentur Æneide decima, ubi illos illustravi. *Cerda.*

Ferreus somnus.] Homer. χάλκεος ὕπνος. *Servius.*

310. *In*

Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
At pius Æneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat.
Quo ruitis? quæve ista repens discordia surgit?
O cohibete iras! ictum jam fœdus, & omnes
Conpositæ leges: mihi jus concurrere soli:
Me sinite, atque auferte metus. ego fœdera faxo
Firma manu: Turnum jam debent hæc mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce viro stridens alis adlapsa sagitta est,

Incer-

310. *In æternam clauduntur lumina mortem.*] Quamvis in cod aliquot antiquis *mortem* legatur, legendum tamen est *noctem*, ut in emendatioribus habetur. Quam lectionem etiam Donatus agnoscit. *Pierius.*

312. *Nudato capite.*] Scilicet deposita galea, ut possit agnosci. Sane quæritur quomodo *nudato* dixerit, cum supra eum nusquam tecto induxerit capite. nam *nudatum* est quod fuit ante coopertum. *Nudum* vero dicitur, quod tectum ante non fuerat. Ergo aut *nudato* pro *nudo* accipiamus, ut sit pro nomine participium: aut dicamus tectum eum habuisse caput cum descendit ad campum. Nam legimus, *Sidereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis.* Servius.

Nudato capite.] Scilicet ut posset agnosci. Ita C. Jul. Cæsar, universæ rei bellicæ vera unicaque gloria, in prælio Pharsalico nuda manu & capite clamabat, *Parcite civibus.* Vide Scalig. l. 3. c. 11. Poët. *Taubm.*

Suos clamore vocabat.] Utrunque exercitum jam suum vocabat, ut talis fuerit ejus clamor, Cur in vos invicem mei ruitis? *Quo* autem & adverbium potest esse & nomen. *Servius.*

313. *Ruitis.*] Aliud est ire, aliud tendere, aliud ruere. *Donatus.*

Quo ruitis.] Horat. Od. 7. l. 1.
Quo quo scelesti ruitis? Cerda.

Repens.] Aut subito, ut sit adverbium, id est, repente: ut, *Sole recens orto.* Aut *repens discordia*, pro *repentina.* Servius.

Quæve ista repens discordia.] In cod. aliquot antiquis *quove* legitur: sed probatiores *quæve* habent. Sunt enim in quibus non *repens*, sed *recens* habeatur. *Repens* autem agnoscitur à Servio: Et *repentina discordia* est in Donati paraphrasi. *Pierius.*

Repens.] Male à nonnullis legitur *recens*, quomodo sæpius perperam vox hæc mutata fuit, ut docet Nic. Heinsius ad Ovidium lib. 12. Metam. ℣s. 61. *Emmeness.*

316. *Me sinite.*] Subaudiendum *concurrere*, & est Zeugma. *Servius.*

Me sinite atque auferte metus.] In codicibus aliquot antiquis *atque* non habetur, sed absque synalœpha legere est *me sinite, auferte metus.* Præterea in Romano codice *metuus* Attiano more scriptum est, vocali, quæ longa esse debuerat, geminata. Sic in nomenclatura quadam antiquo lapide, à curru, *curruus* pro *currus* legitur. *Pierius.*

Faxo.] Id est, Faciam, confirmabo, & est archaïsmos. *Servius.*

317. *Turnum debent hæc mihi sacra.*] Sic lib. 10. ℣s. 442.
Solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas
Debetur. Emmeness.

319. *Stridens.*] Claud. 2. Eutrop. dixit *stridorem hastæ.* Val. lib. 3. de ha-

 sta

Incertum qua pulsa manu, quo turbine adacta,
Quis tantam Rutulis laudem casusne deusne
Adtulerit. pressa est insignis gloria facti:
Nec sese Æneæ jactavit vulnere quisquam.
Turnus, ut Ænean cedentem ex agmine vidit,
Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet:
Poscit equos, atque arma simul, saltuque superbus
Emicat

sta Jasonis, *certo stridore.* Arist. in Paraphth. βέλος σὺν ῥοίζῳ φερόμενον. Philost. Jun. in Icon. ἐπηχούσης τῇ τοῦ ὀϊστοῦ ἀφέσει. Hom. συρίζουσα λόγχη. Ait Dio Chrys. Orat. 12. hanc locutionem, & pares alias (ipse numerat ποταμοὺς μορμύροντας, βέλη κλάζοντα, βοῶντα κύματα, χαλεπαίνοντας ἀνέμους· *fluvios murmurantes, sagittas stridentes, fluctus clamantes, ventos irascentes.*) Cerda.

Alis allapsa sagitta est.] Utrum alis stridens, an alis adlapsa? *Servius.*

320. *Incertum qua pulsa manu.*] Hoc loco adhuc quidem quasi dubitat: tamen intelligimus à Juturna immissum quendam qui vulneraret Æneam. Quod paulo post Juno dictura est de Juturna quod movet. *Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum:* minime est mirandum: nam scimus unicuique imputari quod alter in ejus fecerit gratiam, sicut est, *Et potes in totidem classes convertere Nymphas.* Æneam autem ab hominibus vulneratum indicat Juppiter paulo post dicens, *Mortalin' decuit violari vulnere divum.* Idem.

Incertum qua pulsa manu.] Apud Plut. magnus ille Marcellus, qui toties Annibalem vicit, cecidit in bello vulnere illato ab incerto milite. Itaque non futiliter possum putare Marcelli casum repræsentatum à Virgilio. Bartholomæus Morlianus mihi fama & literis cognitus, non aspectu & colloquio, moribus certe & doctrina clarus, huic Maronis loco adjungebat Apollonium, qui lib. 2. Excid. Hierosf.

Incertum qua jacta manu delapsa sagitta est.

Et eundem, qui lib. 4.

——— *facti non cognitus auctor,*
Sed levis accenso penetravit lancea ferro.

Itemque Stat. qui 9. Theb.

Induit à tergo Michalesia cuspis Agyrten.
Respexit. nusquam auctor erat.

Cerda.

Turbine.] Quod improvisa, alii quod vehementer accipiunt. *Servius.*

322. *Pressa est insignis gloria facti.*] *Pressa* pro suppressa; & non insignis gloria, sed insignis facti, ut genitivus casus magis sit. *Idem.*

323. *Æneæ vulnere.*] Hic proprie, est enim huic contrarium, *Et nostro sequitur de vulnere sanguis.* Jactavit autem aut adeo fortis Æneas & metuendus, aut adeo impium nefas visum est. *Idem.*

324. *Ex agmine.*] Καταχρηστικῶς: nam *acie* debuisset. Notum enim discrimen inter *agmen,* & *aciem.* Sed quia ægre in Virgilio fero catachreses, dico hac acie repræsentari agmen, vario cursu, ac discursu. *Cerda.*

325. *Spe fervidus.*] Spe fugæ Æneæ accensus: cum discessus caussam ignoraret. Sophocl. Ajace:

Ὅστις κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνεται.

Taubm.

326. *Saltu.*] Est *saltus* in Virgil. & ad locum editum, & ad locum demissum. Prioris rei testimonia hic habes, & sup. *corpora saltu subjiciunt in equos.* & in 6. de equo Trojano, *saltu super ardua venit Pergama.* Posterioris in 8. ubi Hercules *se jecit præcipiti saltu* in speluncam Caci. & in 9. ubi Turnus *præceps saltu sese in fluvium dedit.* & inf.

Emicat in currum, & manibus molitur habenas.
Multa virûm volitans dat fortia corpora leto:
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentis
Bella

inf. in hoc lib. *è curru saltum dedit ocyus arvis.* Cerda.

327. *Molitur.*] Regit: & est Acyrologia. nam proprie *Molitur*, est parat. Alii *molitur* movet intelligunt, vel arripit, vel aptat. *Servius.*

328. *Volitans.*] De Achille Il. 22 πέτετο: *volabat.* Cerda.

329. *Agmina curru proterit.*] Stat. describens domum Martis, inter alia, quæ ibi formidanda, tum *protritaque curribus ora.* Quasi hac una re belli carnificina apte exprimatur. *Idem.*

330. *Proterit, aut raptas.*] In Romano *et*, in aliis *aut.* hoc vero loco Donatus ait, *An suas raptas hastas ingereret hostibus, an hostibus raptas, id est sublatas: incertum est.* melius tamen ut suas rapuisse, & hostibus ingessisse videatur. *Pierius.*

Raptas fugientibus ingerit hastas.] Cal. lib. 1. νῶτα δαΐζε φευγόντων. Plut. de Coriolano, ἐφείπετο τοῖς φεύγουσι. & *ingerit* ait ad notandam frequentiam; ut Catull. *Ingere mi calices amariores.* id est, ἀθρόον ποτὸν ἐγχεῖσθε, ait ab Xenoph. 8. παιδ. Achilles Stat. *Cerda.*

331. *Hebri.*] Hebrus fluvius Thraciæ, juxta Cypsala oppidum. *Servius.*

Qualis apud gelidi, &c.] Amplificatio à comparatione. Confert eum cum Marte ad Hebrum belligerante. Est autem Hebrus fluvius Thraciæ: fundit auri ramenta, ut Tagus in Hispania, Padus in Italia, Pactolus in Asia, Ganges in India. *Hortens.*

Qualis apud gelidi, &c.] Silius l. 1.
Quantus Bistoniis late Gradivus in oris
Belligero rapitur curru, telumque coruscans,
Titanum quo pulsa cohors, flagrantia bella
Cornipedum afflatu domat, & stridoribus axis.

Neque abit flatus Claud. 2. Eutrop.
Ecce autem flavis Gradivus ab usque Gelonis
Arva cruentato repetebat Thracia curru:
Subsidunt Pangæa rotis, altoque sonoro
Stridunt axe nives. ——

Cerda.

Qualis, &c.] Hunc Martis apparatum Scalig. notat l. 5. c. 3. *Taubm.*

332. *Sanguineus Mavors.*] Gaudens sanguine, αἱμοχαρής. Emantellocios *. *Servius.*

Sanguineus.] Non ipse, sed qui aliis sanguinem effundit. *Donatus.*

Sanguineus Mavors.] Ovid. lib. 1. Rem. *sanguine Martis.* De illo Orph. in Hymn. αἵμασιν ἀνδροφόνοις χαίρων. Stat. de eo 7. Th. *in sanguine gentis luxuriat.* Inde idem Martis iras *rubentes* nominat. Hesiod. Scut. de eodem, αἵματι φοινικόεις. Æschyl. Suppl. βροτολοιγὸς Ἄρης. Quo attributo usus Hom. sæpe, & Opp. 1. Cyn. Ab Liviano φιλαίματος dicitur, quod idem cum Homerico αἱμοχαρής. *Cerda.*

Clypeo increpat.] Sonat. Alibi arguit: ut, *Increpat ultro Cunctantes socios.* Servius.

Clypeo increpat.] In Romano codice *intonat.* sed *increpat* Servius agnoscit & Donatus, atque ita legitur in Mediceo & pluribus aliis. *Pierius.*

Clypeo increpat.] Explica, Martem ciere strepitus illisa hasta in clypeum. Nam Philost. in Heroic. loquens de Ajace βαίνων τε σοβαρὸν μετὰ τῆς αἰχμῆς πρὸς τὴν ἀσπίδα ἐδούπησε· *Superbeque cum hasta incedens strepitum ad clypeum edidit.*

Bella movens inmittit equos: illi æquore aperto
Ante notos zephyrumque volant. gemit ultima pulsu
Thraca pedum, circumque atræ formidinis ora
Iræque insidiæque dei comitatus aguntur.

Talis

edidit. Dio Cassius lib. 36. de pugna Pompeji cum Mithridate, οἱ μὲν τὰ δόρατα πρὸς τὰς ἀσπίδας προσέκρουσαν· *scuta hastis ad sonitum incutiebant.* Et esse hunc habitum iræ Ammian. scribit lib. 14. *hastisque* (miles) *feriens scuta, qui habitus iram pugnantium concitat.* Notentur verba ejusdem lib. 15. ita distinguentis de duplici crepitu clypei: *scuta genibus illidentes, quod est prosperitatis indicium plenum; nam contra, cum hastis clypei feriuntur, iræ documentum est, & doloris.* Cerda.

Furentes immittit equos.] Stat. 3. Th. inter notas furentis Martis facit illum intonantem axe, & urgentem currus. *Idem.*

334. *Ante Notos Zephyrumque.*] Id est, ventos. *Servius.*

Volant.] Pro *vertuntur.* Idem.

Ante Notos Zephyrumque volant.] Facit equos πτηνοὺς τοῖς ποσὶ, ut loquitur Philost. in Heroic. *volucres pedibus*, ut quibus ἡ δίνη τῶν τροχῶν σπουδῆς ἔμπλεως, ut idem loquitur 1. Icon. *vertigo rotarum plena est celeritatis.* Ceterum de hyperbole, qua, quæ sunt velocissima dicuntur ventos superare, alibi à me. *Cerda.*

Ultima.] Hoc est, tota: si enim gemit ultima, omnis sine dubio. *Serv.*

Gemit.] Ambitiosi in hac re Poëtæ vel ad ostentandam poëticam, vel ad excitandam admirationem. Hesiod. Scut. περιστενάχιζε δὲ γαῖα. Iterum. τῶν δ' ὑποσδουπεῦσαν κανάχιζε πολ' εὐρεῖα χθών. & in Theog. γῆ ἰσμαράγιζεν. Hom. Iliad. 20. κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσιν ὀρνυμένων. Calab. lib. 2. ἐλελίζετο γαῖα. & γαῖα δ' ἐπεσμαράγιζε. Latini pari ostentatione. Val. Flacc. l. 4. *Avia responsant gemitu juga.* & lib. 6.

Ipse rotis gemit intus ager, tremebundaque pulsu
Nutat humus, quatit ut sævo cum fulmine Phlægram
Iuppiter. ——

sed possit referri ad veritatem scribente Plin. l. 2. c. 94. *Quædam vero terræ ad ingressus tremunt, sicut in Gabiensi agro, non procul urbe Roma, jugera ferme ducenta, equitantium cursu.* Cerda.

335. *Thraca.*] Id est, Thracia. Cicero in de republica, *Colonia vero qua est deducta à Græcis in Asiam, Thracam, Italiam,* & non dixit *Thraciam.* Servius.

Thraca.] Græcorum forma: *Thracia* enim illis Θράκη & Θρήκη. Unde Latinis quoque *Thraca, Thrace,* & *Threce.* Exempla vide apud Dausq. lib. 1. Orthogr. pag. 59. *Emmeness.*

Atræ formidinis ora.] In Romano codice *atra*, quippe *ora*, legitur. sed magis placet *atræ formidinis*, ut in aliis plerisque habetur. *Pierius.*

Atræ formidinis ora.] Lucret. lib. 4.
Impendunt atræ Formidinis ora superne.
Sed cum idem Lucr. lib. 3. scripserit,
Est & frigida multa comes Formidinis aura,
sunt ait Germ. qui in Virgil. *aura* potius, quam *ora* velint, nam ποιητικώτερον. Sed me isti in castra non ducunt sua. *Cerda.*

336. *Iræque, insidiæque dei.*] Figurata elocutio vario significatu. Id est ostendens, & non tam virtute, sed insidiis comitatus * *Servius.*

Iræque.] Inter comitatum Martis adhibet Formidinem, Iras, Insidias. Stat. longissimus est in his comitibus explicandis, cum describit lib. 7. domum Martis. Adhibet ibi *Nefas, Iras, Insidias, Metus, Mortem, Impetum,* & similia. Ab Pind. citante Plut. de Fraternitate) ἀλάλα πολέμου θυγάτηρ dicitur, *Tumultuatio belli filia.* Agath. l. 1. Histor.

Talis equos alacer media inter prœlia Turnus
Fumantis ſudore quatit, miſerabile cæſis
Hoſtibus inſultans: ſpargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena.
Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamirimque, Pholumque,
Hunc congreſſus & hunc; illum eminus: eminus ambo
Imbraſidas Glaucum atque Laden, quos Imbraſus ipſe
Nutric-

Hiſtór. ait fingi à Poëtis peſtes has, ut inſuperabiles. Numerat ille φόβον, ἐνύω, ἄτλω, ἔριν· *Timorem, Enyo, Athen, Contentionem.* Heſiod. Theogon. ita ſcribit,

—— Ἄρηι
Ῥινοτόρῳ Κυθέρεια Φόβον καὶ Δεῖμον ἔτικτεν
Δεινὰς, οἵ τ' ἀνδρῶν πυκινὰς κλονέουσι φάλαγγας·
—— *Marti*
Clypeos diſſecanti Venus Timorem, & Metum peperit
Graves, quique turbant denſas virorum phalanges.

Stat. laudato loco unum ante alios Martis comitem *Pavorem* longiſſime deſcribit. Lege ibi. Sed de his & aliis Martis aut comitibus, aut liberis locutus ſum alibi. *Cerda.*

337. *Alacer.*] Quidam *alacer*, geſtiens, & rei novitate turbatus volunt, *alacris* vero lætus. *Servius.*

338. *Fumantes ſudore.*] Val. 4. Arg. *fumant crebro præcordia pulſu.* Craſſam illam nebulam, quæ ex ſudante erumpit, vocat propriiſſime *fumum.* Non abit locutio Quintil. Declam. 291. *Non poſſum illam manum videre, quæ fumare mihi adhuc filii mei ſanguine videtur.* Cerda.

Quatit.] Exagitat. *Servius.*

Miſerabile cæſis.] Id eſt, miſerabiliter. Nomen pro adverbio: ut *Sanguinei lugubre rubent.* Idem.

339. *Spargit rapida ungula, &c.*] Notat ſplendorem grandiloquentiæ Scalig. l. 5. c. 3. Vide & Macrob. l. 5, 12. *Taubmannus.*

340. *Mixtaque cruor.*] Ypallage eſt, pro mixto cruore. *Servius.*

341. *Jamque neci Sthenelum dedit.*] Ita ſup. *dat fortia corpora letho.* Sulpit. Sever. lib. 1. Sac. Hiſtor. *Multa hominum millia letho dedit.* Cerda.

Sthenelumque dedit Thamyrumque, &c.] Plura ὁμοιοτέλευτα. *Servius.*

Thamyrimque Polumque.] Et *Thamarim* & *Thamurum* & *Thamyrum*, in diverſis codicibus legitur. Quin etiam *Taurum* in aliquot antiquis exemplaribus habetur. Sed enim Θάμυρις apud Græcos nomen eſt proprium, adagiumque fertur, Θάμυρις μαίνεται, *Furit Thamyris.* de iis qui cum intellectu polleant, delirare tamen in operibus videantur. Eundem porro *Thamyrin* & *Thamyran* Græci dicunt. *Pierius.*

342. *Ambo.*] Antiquo more *ambo.* Terentius, *Ambo opportune vos volo*, ſicut ſuperius dictum eſt, cum hodie *ambos* dicamus. *Servius.*

Ambos.] Eſt & *ambo.* ut, *Si duo præterea tel. Id. tul.* Cujus declinationis varias obſervationes ex antiquis Grammaticis alibi recitavimus. *Pierius.*

343. *Imbraſidas, Glaucum atque Laden.*] Oblong. cod. *Hymbraſidas* & *Hymbraſus* habet per *y*: & *Hyaden*, non *Laden*: in quam lectionem multa conveniunt exemplaria: licet in Mediceo aliena manu *Laden* factum ſit, prima litera contracta. In aliquot aliis *Caden* legitur. In Rom. *Embraſidas* & *Embraſus.* Sed enim Ἴμβρασος Græcis ὄνομα κύριον. ergo *Imbraſidas* melius puto. *Idem.*

Quos Inbraſus ipſe Nutrierat.] Solent enim

Nutrierat Lycia, paribuſque ornaverat armis;
Vel conſerre manum, vel equo prævertere ventos.
Parte alia media Eumedes in prœlia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis;
Nomine avom referens, animo manibuſque parentem:
Qui

enim plerunque parentes filios ſuos, aliis dare nutriendos. Dicendo autem *ipſe*, ignotæ perſonæ hoc pronomine addit dignitatem. *Lycia* autem pro *in Lycia*, ut non Lybiæ* *Servius.*

344. *Paribuſque ornaverat armis.*] Scilicet ut æqualiter dimicarent, æqualiter currerent. *Idem.*

345. *Equo prævertere ventos.*] In veteribus aliquot exemplaribus *equis* pluralis numeri. *Pierius.*

Media Eumedes in prœlia fertur.] In Mediceo quidem, & alio, qui apud me eſt, antiquo cod. *Eumedes* legitur. In aliis pleriſque veteribus *Eumenides*, una plus ſyllaba. *Idem.*

347. *Antiqui.*] Pro nobilis & magni, ut, *urbs antiqua fuit*: aut proprie *antiqui*, ſi referamus ad tempora ſcribentis. *Servius.*

Dolonis.] Cum Trojani exploratorem quem ad caſtra Græcorum mitterent quærerent, hic Dolon exploratum ſe ire obtulit, ſi ſibi equi Achillis pro præmio darentur, qui cum iſſet, obvios habuit Diomedem & Vlyxen ſimiliter exploratores miſſos ad caſtra Trojana, captuſque ab iis & * tormentis conſtituerat adactus, tam conſilia Trojanorum Rheſi adventum, qui equos falcatos adduxerat in auxilium Trojanorum, quem Diomedes & Ulyxes vinctum ad arborem relinquentes profecti ad caſtra Trojana occiſo Rheſo abductis equis redeuntes occiderunt, hujus filium nunc inter Trojanos à Turno dicit occiſum. *Idem.*

Antiqui proles bello præclara Dolonis.] Macrob. lib. 5. c. 16. ait, Virgilium ſæpe deſciſcere ab Homero in fabulis, aut hiſtoriis. In fabulis, nam *Ægeon apud Homerum auxilio eſt Iovi, hunc contra Iovem armant verſus Maronis.* In hiſtoriis, nam *Eumedes Dolonis proles bello præclara, animo manibuſque parentem refert, cum apud Homerum Dolon imbellis ſit.* Ita ille expedit. Non placet. Etenim ſi viderem in hoc loco egregium aliquod Eumedis facinus, & mortem glorioſam, recurrerem ad explicationem Macrobii: cum ſecus videam, rem totam refero ad ironiam. Ergo ita hic *proles præclara*, ut in 11. *capias ut digna Camillæ Præmia, εἰρωνικῶς.* Id etiam conjici poteſt ex ſequente illo, *affecit pretio*, ubi mera eſt ironia. Hoc niſi placeat, explico aliter, & credo veriſſime; videlicet, ut mentio illa *antiqui Dolonis* non ſit de Dolone Homerico exploratore, ſed de antiquiore alio, qui in ea familia Dolon appellatus fuiſſet, & fortaſſe qui fuiſſet princeps generis. Huc me ducit nomen ipſum *antiquitatis.* Etenim pater Eumedis dici congrue nequit *antiquus Dolon.* Huc confero Euripidem; apud quem in Rheſo Hector ita alloquitur Dolonem exploratorem:

Ἐπώνυμος εἶ κάρτα, καὶ φιλόπτολις
Δόλων, πατρὸς γοῦν, καὶ πρὶν εὐκλεᾶ δόμον,
Νῦν δὶς τοσοῦτ' ἔθηκας εὐκλεέστερον·
Habes valde conveniens nomen rei
Dolon, patris vero domum & prius nobilem,
Nunc multo reddis nobiliorem, augens duplici gloria.

Ergo ait Poëta: Erat Eumedes, ſi principium generis, & antiquum Dolonem ſpectes, bello præclarus; ſi avum, referebat ejus nomen; ſi patrem Dolonem, erat animo imbecilli. *Cerda.*

348. *Nomine avum referens.*] In perveteri codice *avom* habetur, ut in veterum inſcriptionibus: cujuſmodi ea eſt, quam in hortis Colotianis inſpeximus.

M. CAE-

Qui quondam, castra ut Danaûm speculator adiret,
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus:
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Adfecit pretio: nec equis adspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto,
Ante levi jaculo longum per inane secutus;
Sistit equos bijugis, & curru desilit, atque

Sema-

M. CAESONIVS PRIMVS AVOS.
Et *monolo* superius ex æde divi Basilii protulimus. Præterea Terentius Scaurus, qui reliquas id genus scriptiones rejicit, *avos* & *avom* non excludit. *Pier.*

349. *Speculator.*] Discrimen inter hunc, & *exploratorem* hoc adhibet Festus: *Speculator ab exploratore hoc distat quod speculator hostilia silentio perspicit, explorator pacata clamore cognoscit.* Itaque, ille in armis, hic in pace; ille taciturnus, hic clamabundus. habentur autem hæc Iliad. 10. *Cerda.*

350. *Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus.*] Difficilis Hypallage. nam hoc vult dicere, Qui ut Achillis equos posset accipere, ire ausus est ad castra Græcorum. Ordo enim non procedit, qui ut iret, ausus est petere. *Currus* vero pro *currum* ac per hoc equorum dixit. *Servius.*

Ausus Pelidæ, &c.] Petit his versib. Iliad. 10.

Ἀλλ᾽ ἄγε μοι τὸ σκῆπτρον ἀνάσχεο, καί μοι ὄμοσσον,
Ἦ μὲν τοὺς ἵππους, καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ
Δωσέμεναι φορέουσι ἀμύμονα Πηλείωνα.

Loquitur videlicet Dolon cum Hectore. Sed Poëta signate dixit, *ausus poscere*, respiciens ea, quæ ad Dolonem Ulysses.

Ἦ ῥα νύ τοι μεγάλων δώρων ἐπεμαίνετο θυμὸς
Ἵππων Αἰακίδαο δαΐφρονος. ——

Ergo, *ausus*, quia homo nihil in bellatoris viri currus animum intendit. Ovid. dixit Eleg. 4. lib. 3. Trist.

Non foret Eumedes orbus, si filius ejus Stultus Achilleos non adamasset equos.

Quod Virg. per *audaciam*, hic per *stultitiam*. Cerda.

351. *Pro talibus ausis.*] Quæritur quis ante hunc *ausis* dixerit. *Servius.*

352. *Affecit pretio.*] Modo pœna significat, nam *pretium* est τῶν μίσων. Terentius, *Ergo pretium ob stultitiam fero.* Unde & Græci τιμωρίαν, *pœnam* vocant, ἀπὸ τῆς τιμῆς, quod est *pretium.* Idem.

Pretio.] Id est, pœna: nam *Tydides*, id est, Diomedes ipsum interfecit. Est enim *pretium* τῶν μίσων. Vide Commentar. Plautin. Rud. act. 3. sc. 4. *Taubmannus.*

Nec equis aspirat Achillis.] *Aspirat*, apud majores *accedit* significat. Cicero, *Nunquam aspiravit ad curiam.* Sed hic figurate dixit, *Aspirat equis*, pro *ad equos*: id est occisus est, nec ad equos Achillis accessit. Melius tamen est ut Diomeden intelligamus, ut sit sensus, Diomedes occidit Dolonem, qui equos Achillis ausus est petere: quos nec ille qui eum occidit, poposcit. Sane *adspirat* est tractum ab his qui insequentes spiritu suo proximos adflant. *Idem.*

353. *Conspexit.*] In Romano codice legere est *prospexit*, ut commendatio etiam sit ab acumine visus, qui in bellicis negotiis obeundis est magno usui. *Pierius.*

354. *Longum per inane.*] Hoc est, per longum spatium. *Servius.*

Longum per inane.] Ovid. 4. Eleg. lib. 1. Trist. *vacuas auras.* Cerda.

Secutus jaculo.] Pro *insecutus*, vel certe è longinquo eum ante jaculo vulneravit. *Servius.*

356. *Fla-*

Semanimi lapsoque supervenit, &, pede collo
Inpresso, dextræ mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinguit jugulo, atque hæc insuper addit:
En agros, &, quam bello, Trojane, petisti,
Hesperiam metire jacens: hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic mœnia condunt.
Huic comitem Asbuten conjecta cuspide mittit:
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumq;,
Et

356. *Elapsoque.*] Pro *lapso*. Serv.

Lapsoque supervenit.] Tale illud 10. *lapsumque superstans immolat*. Cerda.

Et pede collo impresso.] Ita in 10. *Tum super abjectum posito pede nixus*. & sup. in hoc lib. *Impressoque genu nitens*. De Polluce supra Amycum Valer. lib. 4. *Ac superinsistens*. Sed de hac contumelia dixi, nec semel. *Idem*.

357. *Dextræ mucronem extorquet.*] Quasi prooeconomia est, ut non eum suo interimat gladio, ne agnoscat quod Metisci est: & suum requirat, quo facto perire poterat, sequente fracti gladii œconomia. *Servius*.

358. *Tinguit jugulo.*] Hic non significat ut inficit, ut & *Tingue novo mecum direptis crura coturnis*, sed demersit in jugulum, ut ibi & *Stygia candentem tinxerat unda*, imbuerat, duraverat significat. *Idem*.

Tinxit jugulo.] In Mediceo, & antiquis plerisque codicibus *tinguit* præsenti tempore legitur, ut reliqua quæ præcedunt, quæque subsequuntur verba, eadem periodo contenta. *Pierius*.

359. *En agros, &c.*] Subauditur, quos victore Ænea te accipere posse credebas, corpore tuo metire, metiuntur autem agros qui colonis adsignant, inde enim Sarcasmos factus est: nam consuetudo erat ut victores imperatores, agros militibus suis darent, ut in historiis legimus. Item in Lucano, *An melius fient piratæ magne coloni*. Et hoc est quod supra ait, *Hostibus insultans*. *Servius*.

360. *Hesperiam metire jacens.*] Sarcasmos iste mori recepto innititur. Terram enim non emimus, nisi prius metiamur. Ergo irridens ait: Corpore tuo metire terram quam petisti. Ita in 10. *Isthic nunc metuende jace*. & ibidem, *Hac dabitur dextra tellus quæsita per undas*.

Quem ad locum multa jam contuli. *Cerda*.

Præmia.] In partem deteriorem. Sic in 11. *capias ut digna Camillæ Præmia*, id est, mortem. Et Priamus ad Neoptolemum 2. Æneid.

Dii, si qua est cœlo pietas, quæ talia curet,
Persolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita. ——

Et sup. Tydides Dolonem *affecit pretio*. Sic & *donum* in malam sæpe partem, quod alibi observatum. Ita & Græci τιμὴ καὶ τίμημα in malam partem. ut & Virg. 1. Æneid *Hic pietatis honos*. Idem.

362. *Huic comitem Butem.*] Quanquam Βούτης, inter nomina propria locum habeat, à quo *Butadæ* propagatæ familiæ celebrantur: Antiqua tamen exemplaria pleraque omnia *Asbutem* hic legunt. Nam *Butes* superius occisus est, ubi legitur, *Protinus Orchilochum, & Buten*. *Albutem* denique hoc loco Donatus agnoscit in integris commentariis. *Pierius*.

363. *Chloreaque Sibarimque.*] In codicibus aliquot vulgatis *Sabarim* legitur: in nonnullis antiquis *Habarim*. Est & ubi *Fabarim* legas. Sane *h* litera, ut alibi latius, nunc in *f* transit, ut *faba* pro *haba*: nunc in *s*, ut *exsibeant*, pro *exhibeant*;

Et sternacis equi labsum cervice Thymœten.
Ac velut Edoni Boreæ cum spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturque ad litora fluctus,
Qua venti incubuere; fugam dant nubila cælo:

beant: quod Aquilæ antiquo cernitur monumento pro foribus ædis S. Mariæ de Rodio.

EX QVORVM VSVRIS PER SINGVLOS ANNOS CONVIVIVM DEDICATIONIS EXSIBEANT.

Quare minime mirum lectionem hanc ita variare: sed hæc, ut parvi momenti, prætereamus. *Pier.*

363. *Sternacis equi.*] Ferocis, qui facile sternit sedentem. Quidam pro *pavidi* accipiunt, consternati enim equi dicuntur. *Servius.*

Et sternacis equi, &c.] *Sternax* equus dicitur, qui sedentem sternit. sed quomodocunque equitem effundat equus, sive erigendo se sive cernuando, *sternax* potest vocari. Intelligit ergo *cernuum*, non ὀρθοπλῆγα. *Cernui* pueri in ludis dicebantur, qui capite in solo sistebant, pedibus in aërem erectis, Græci κυβιστητῆρας vocant. & *cernuare*, κυβιστᾶν. Servius cernuum equum interpretatur, qui in faciem cadit, quasi in eam partem ruens qua cernimus. Plinian. Exercitat. pag. 894. *Salmasius.*

Sternacis.] Ferocis, qui facile sternit sedentem. qui Gr. ἀναχαιτίζων est & ἀποσφόρμιγγ. Scalig. lib. 4. 16. *catititronis* exponit verbo J. Ctorum. *Taubmannus.*

Edoni Boreæ.] Edoni, Thracii. nam *Edon* mons est Thraciæ. Sane sciendum hoc loco errasse Donatum, qui dicit *Edonii* legendum, ut *do* brevis sit secundum Lucanum qui dicit; *Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.* Namque certum est Systolen fecisse Lucanum. Unde *Edoni* legendum est, ut sit *hic Edonus*, *hujus Edoni.* Statius & Virgilium & artem secutus ait, *Tristius Edonas hiemes Hebrumque nivalem.* Non *Edonias.* Servius.

Edoni.] In antiquis codicibus fere omnibus *Edonii* geminato *ii* scribitur: ubi necesse est per synizesin ultimas illas duas in unam coire syllabam. Nam *do*, ω μέγα est. *Pierius.*

Edoni Boreæ.] Ita legendum non *Edonii.* Stephanus: Ἠδωνοί, ἔθνος Θράκης, ἀπὸ Ἠδωνοῦ τοῦ Μυγδόνος ἀδελφοῦ. τὸ ἐθνικὸν, Ἠδωνὴ, καὶ Ἠδωνίς. Claudianus lib. 1. de Laudib. Stilic. vers. 122.

—— *quoties sub pellibus egit*
Edonas hiemes?

Horatius lib. 2. Od. 7. vers. 26.

—— *non ego sanius*
Bacchabor Edonis ——

Notat autem Salmasius in versu Lucani à Servio adducto (qui est 675. lib. 2.) perperam systolen ab eo agnosci. Non enim *Edonis*: sed *Odonis* legit apud Lucanum. Eum vide Plin. Exercit. pag. 153. *Emmeness.*

366. *Ægæo.*] Mari scilicet, sicut sequentia indicant: *Sequiturque ad littora fluctus.* Nam male ait Donatus montem esse, unde flat Boreas, cum certum sit eum de Hyperboreis montibus flare: quidam *fluctus* melius numero singulari accipiendum putant. *Servius.*

Ægæo.] Ægæum mare ab insulis appellatum est, quæ in eo mari caprarum similitudinem præ se ferunt: seu quod in ea Ægæa, Amazonum regina perierit: sive quod eo Ægeus Thesei pater se præcipitaverit. *Festus.*

367. *Qua venti incubuere.*] Pro *qua ventus*, Boream enim solum dixit. *Idem.*

Fugam dant.] Pro *fugiunt*, ut alibi, *Defensum dabit.* Idem.

Fugam dant nubila cælo.] Respicit attributum Boreæ, qui à Poëtis αἰθρηγενὴς dicitur, ut qui serenum cælum reddat. Hippocrat. etiam lib. de Morb. Sacro, ita scribit. ὁ μὲν γὰρ Βορέης ξυνίστησι τὸν ἠέρα, καὶ τὸ θολερόν τε, καὶ τὸ νεφῶδες ἐκκρί-

Sic Turno, quacunque viam secat, agmina cedunt,
Conversæque ruunt acies: fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus, animisque frementem:
Objecit sese ad currum, & spumantia frenis
Ora citatorum dextra detorsit equorum.
Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum

Lan-

τὸ καὶ λαμπρότερον καὶ διαφανῆ ποιεῖ. Eodem pertinet scribi ab Aristotele in Problemate, flante Borea, reddi perspectius & lucidius, *ἐν βορείοις δὲ διοπτότερα ἡ θάλαττα. Cerda.*

368. *Sic Turno, quacumque, &c.*] Par illa strenuitas Diomedis apud Hom. 5. Iliad.

Ὣς ὑπὸ Τυδείδῃ πυκιναὶ κλονέοντο φάλαγγες
Τρώων, οὐδ' ἄρα μιν μίμνον πολέες περ ἐόντες. *Idem.*

Viam secat.] In 6. *Ille viam secat ad naves.* Idem.

370. *Quatit volantem.*] Ut *Oblimet inermeis.* Servius.

Cristam quatit aura volantem.] Val. 5. Arg. *incita cristas Aura quatit.* Stat. 6. Theb. *stantesque reflectit Aura jubas.* Cerda.

371. *Non tulit instantem Phegeus.*] Aut sibi, aut omnibus. *Servius.*

372. *Ad currum.*] Pro *currui se objecit.* Idem.

Spumantia.] Ipse in 4. *fræna spumantia.* in 11. *spumantem equum.* Ov. 6. & 8. Metamorph. *spumantia ora.* Cerda.

373. *Citatorum.*] Aphæresis pro *concitatorum.* Servius.

Contorsit.] In Mediceo, & omnibus his venerandæ antiquitatis cod. *detorsit* scriptum observavi: quod magis placet, & agnoscitur à Donato, qui sic ait, *Mira hominis virtus, & singularis audacia, ut iret ad currum, nec metueret superiorem hostem: impetum quoque equorum currentium frangeret, & torqueret in aliam partem.* ea enim est paraphrasis verbi ejus, *detorquet.* Pierius.

374. *Pendetque jugis.*] Pro *jugo*; ut, *Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus.* Servius.

Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum, &c.] In codicibus aliquot antiquis legere est, *pendetque jugis hic.* Sed enim sententiam Donatus latius explicavit: quæ quoniam superiori adnexa est adnotationi, ea quoque videtur ad verbum adscribenda, *Ex eo quod unus currus unum haberet jugum, sic exponunt plerique, quasi pluralem numerum pro singulari Poëta posuerit. Nos contra sentimus. qui enim ora citatorum dextra detorsit equorum, dubio procul frenos tenuerit, non jugum, & non jugo pendebat, sed jugis, hoc est frenis equorum junctorum: ut hoc ei ad virtutem accedat, quod bijuges pleno ictu currentes nitebatur vincere. Recte etiam, Trahitur dixit, ut partem potiorem daret virtuti equorum citatorum, partem vero fortitudini retinentis. Qui enim pendens trahebatur, evicerat aliquid: sed duorum equorum vim ad plenum superare non valuit: non minor etiam equorum locus, qui impediti frenis, & hominis pondere, durabant tamen, & trahebant perseverantem.* Sunt etiam antiqui codices, qui pro *retectum*, legant *relictum.* Quod vero nonnulli dicunt *retectum*, id est qua parte exarmatus erat: non procedit, quia statim sequitur, *Rumpitque infixa bilicem loricam.* Pier.

Pendetque jugis.] Plutarch. translatitie, *ἂν μὴ νὴ Δία λανθάνῃ πάθος τι προσηρτημένον ὥσπερ ἐπὶ ζυγοῦ.* Germanus.

375. *Lan-*

Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, & summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clipeo objecto conversus in hostem
Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat.
Cum rota præcipitem, & procursu concitus axis

Inpu-

375. *Lancea.*] Raro lectum, & est telum missile. *Servius.*

Lancea.] Genus Hispanici hastilis, quod Græcis λόγχη. Et non esse vocem Latii, sed Hispaniæ ex Varrone adducit Agell. lib. 15. c. 30. Ejus meminit Liv. sæpe, Ammian. lib. 24. Apul. 8. Plin. libro 1. epist. Notat à Plinio Lazius l. 4. Comm. cap. 15. lanceas antiquo Romano verbo dici *lucellea*; & ego proprietatem epitheti: vere enim lancea *lata* erat. Plutarch. de lancea illa, qua interfectus magnus Imperator Marcellus. Μαρκέλλον δέ τις λόγχῃ πλατείᾳ διὰ τῶν πλευρῶν διήλασεν· *Marcellum quispiam per latera lata transfixit.* Cerda.

Consequitur.] Ita sup. *jaculo secutus.* Græci δορύληπτον dicunt, quem hasta assequitur. *Idem.*

Bilicem loricam.] *Li* longa est, & accentum habet: sicut *bifilum*, si producitur, quia & *fila* & *licia* dicimus. *Serv.*

Bilicem loricam.] De hac voce videndus Ger. Ioan. Vossius in Etymolog. v. *licium.* & , quem ibidem citat, Yvo Villiomarus adversus Rob. Titium lib 2. Controv. c. 18 animad. 26. *Emm.*

376. *Degustat corpus.*] Id est, leviter tangit, id est stringit, propter exiguitatem sanguinis, unde è contrario de alto vulnere ait, *Virgineumque alte bibit acta cruorem.* Servius.

Summum degustat vulnere corpus.] Indicat strictum fuisse leviter corpus; ideo *degustat*, & *summum*, quod Plutar. in vita Alexand. dixit, πρώτων ψαῦσαι τριχῶν *primos capillos perstrinxisse.* Itaque πρῶτον, & *summum* sibi in hac respondent. De hoc genere vulneris alibi à me. Hic tantum de verbo Virgil. quod accepit ab Hom. Hic enim 2 Il.

Ἀλλ' ἄγε δὴ καὶ δουρὸς ἀκωκῆς ἡμετέροιο
Γεύσεαι. —

Verbum Maronis de igni usurpavit Lucret. lib. 2. *Ignes degustant tigna.* quia videlicet ignes dicuntur *vorare* Græcis, & Latinis. Hasta etiam apud Nostrum lib. 11. *bibit cruorem.* Verbum Virgil. Græci usurpant pari ferme significato, ut cum Plut. in Sylla dixit, τῶν τιμῶν γευόμενος, *gustans honores.* Et Eurip. in Alcest. πένθους τοῦδε γεύομαι πικροῦ· *amarum hunc dolorem gusto.* Et Tacitus 6. Annal. ut brevissimum Imperium Galbæ significaretur, *& tu Galba quandoque degustabis Imperium.* Cerda.

Summum degustat vulnere corpus.] Silius Italicus lib. 5.

Impetit os hasta leviterque è corpore summo
Degustat cuspis generosum extrema cruorem.

Pro eo Ovid. Heroid. Epist. 16. ℣. 275.

Non mea sunt summa leviter districta sagitta
Pectora.

Seneca cap. 3. ad Helviam:

Non summam cutim rapit, pectus & viscera ipsa divisit.

Emmeness.

378. *Ducto mucrone.*] Id est, educto. *Servius.*

Auxilium ducto mucrone petebat.] In veteribus aliquot codicibus legere est *auxilium educto mucrone.* In aliquot aliis *ducto à mucrone.* Alii malunt *ducto mucrone* legere absque ulla præpositiva particula, ut habetur in Mediceo & aliquot aliis. Sed enim Donatus *stricto* legit, dum ait, *Fidens auxilio gladii, quem strictum tenebat, hoc est paratum ad feriendum.* Pierius.

379. *Cum rota præcipitem, &c.*] Non abit Cal. lib. 6.

— θοῶς δέ μιν ἔκβαλε δίφρου
Πρόσθεν ἑοῖο τροχοῖο· —

Inpulit, effuditque solo: Turnusque secutus,
Imam inter galeam summi thoracis & oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenæ.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Ænean Mnestheus & fidus Achates,
Ascaniusque comes castris statuere cruentum,
Alternos longa nitentem cuspide gressus.

Sævit,

— *subito illum exturbavit curru*
Suam ante rotam.

Neque illud Eurip. Suppl.

— θραυσθέντων δίφρων
Εἰς κρᾶτα πρὸς γῆν ἐκκυβιστώντων βίᾳ·

— *fractis curribus*
In caput humi per vim præcipitati.

Cerda.

Procursu.] Impetu: & est *procursus* una pars orationis. *Servius.*

380. *Impulit, effuditque solo.*] In aliquot veteribus exemplaribus *effundit* est præsenti tempore, male vero superiore versu in exemplaribus plerisque, distincta præpositiva particula & nomine, legitur *pro cursu concitus axis:* Quum dubio procul *procursu* unica dictione legendum sit: vel Servio submonente: id quod ita Donatus adnotaverat, *procursu* quod ait, *una pars est orationis, quasi porro tenens cursum.* Hunc procursum, ut melius exprimeret, addidit, *Concitus axis:* ut apertius ostenderet quid esset Procursus. *Pierius.*

381. *Imam inter galeam, &c.*] Imitatur Flaccus libro 3. Nam ut Virgil. inter galeam imam, & summum thoracem, ita ille,

Per clypei cedentis opus, partemque trilicem. Cerda.

382. *Abstulit ense caput.*] Flexu alio in decimo,

At tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis. Idem.

Truncumque reliquit arena.] In aliquot antiquis codicibus *relinquit* est, præsenti tempore. Est & in plerisque *harenæ* casu acquisitivo, quod agnoscit Donatus. *Pierius.*

Truncumque reliquit arena.] Quia sine capite, ideo *truncum.* Ita 2. Æneid. Priamus passus est parem contumeliam. & *reliquit in arena,* ut ignobilem, & de cujus sepultura nihil curaret. *Cerda.*

385. *Ascanius.*] Scias hic, scribi ab Dionysio lib. 1. hunc puerum dictum prius Euryleonta. Itaque, qui prius Euryleon, mox Ascanius. *Idem.*

Ascaniusque comes.] In Romano codice *Ascaniusque puer, non comes,* legitur: eamque castiorem lectionem esse didicimus ex Ti. Donato ita scribente, *Mnestheus, atque Achates* (inquit) *& Ascanius, licet esset puer, sciens tamen quid patri, vel maxime vulnerato debetur.* & quæ sequuntur. *Pierius.*

386. *Alternos longa nitentem, &c.*] Id est, passus alterius vulnerati pedis hastili sustentantem & fulcientem. Alter enim pes, qui saucius non erat, sine adminiculo firmos & liberos metiebatur gressus. Dixit eleganter è Maronis imitatione Val. Flaccus lib. 2. Argon.

Alternos ægro cunctantem poplite gressus.

Advers. l. 3. c. 13. *Turneb.*

Alternos longa, &c.] Ut Hom. Il. 11. dixit, γόνυ γουνὸς ἀμείβων, *genu* unum *genu* altero *alternans.* & ut Nonnus l. 19. δεξιὸν ἐκ λαιοῖο ταρσὸν ἀμείβων, *dextram plantam sinistra alternans.* & ut Eurip. in Elect. ἴχνος ἀλλαξώμεθα, *vestigia commutemus:* ita Noster, *pedem alternans cuspide.* Plutar. in Philopœmene, παραλλάξει τῶν σκελῶν, *alternatione crurum.* De Euxmonide lib. 11. Iliad. σκάζων ἐκ πολέμοιο. nam percussus

Sævit, & infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quæ proxima, poscit:
Ense secent lato vulnus, telique latebram
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapyx

Ia-

sus κατὰ μηρὸν ὀϊστῷ, *sagitta in femore.* Ut Virg. *nitentem cuspide*, ita de Achille vulnerato Calab. lib. 3. ἔστη ἐρεισάμενος μελίῃ ἐπὶ· *constitit innexus fraxino.* Cerda.

387. *Sævit.*] Scilicet, quia non potest in bella procedere. Vel quod abstractus à bellis sit, & bene viro forti servat dignitatem, qui nihil molliter facit in tam aspero vulnere, nam ideo ait, *Infracta luctatur arundine.* Servius.

Sævit.] In re dubia, ac pæne desperata vides quantum gerat animi Æneas. Nam cum sagitta ictus esset, neque evelli posset cuspis,

Sævit, & infracta luctatur arundine telum

Eripere:

Ipsemet sibi scilicet. & addit,

Auxilioque viam, quæ proxima, poscit.

& illud magnanimum,

Ense secent lato vulnus &c.

Hoc esse poterat, ut pro se tantum faceret, non quo aliis consuleret. at enim vero longe alia ratio. ait enim,

——*seseque in bella remittant.*

Quo tempore ne sedit quidem ad quiescendum. ait enim, *Stabat acerba &c.* Idemque &, *Concursu juvenum:* &, *multum mœrentis Iuli —— lacrimis immobilis.* Sui igitur contemptor, gloriæ dominus, civium servator sævit, &c. l. 3. cap. 11. *Scaliger.*

Sævit, & infracta, &c.] Eadem plane historia est Philopœmenis magni Achæorum Ducis apud Plut. in eius vita, ubi transfixo utroque femore sævit, atque æstuat ὑπὸ θυμοῦ, καὶ φιλοτιμίας πρὸς τὸν ἀγῶνα. imo quod mirere, redit ad bellum habens adhuc latentem hastam in femore. Exemplum alterum magni animi habes in Eumene apud eundem, qui rediit etiam ad bellum ὑπὸ τραυμάτων μηρὸς, καὶ βραχίονας διακεκομμένος, *trajectus femora & brachia vulneribus.* Eadem virtus in Camillo, qui percussus in femore οὐκ ἀνῆκεν, ἀλλ' ἐγκείμενον, τῷ τραύματι παρέλκων τὸ ἀκόντισμα, καὶ συμπλεκόμενος τοῖς ἀρίστοις τῶν πολεμίων τροπὴν ἐποίησε. *Cerda.*

389. *Ense secent lato vulnus.*] Quidam *lato* ita dictum accipiunt, ut quasi ipso jubente ne scalpello aut aliquo ferramento minore, sed ense: & hoc *lato*, quod cum majore dolore, dummodo extracta sagitta, remittant eum quamprimum ad pugnam. Alii *lato* pro *late* tradunt, ubique tamen animum viri fortis expressit. *Servius.*

Ense secent lato vulnus.] Alludit ad ἐκτομὴν, speciem unam educendi è vulnere aculei: quippe tres Eustathius, in eum Il. δ. locum, αὐτὰρ ἐπεὶ ἴδεν ἕλκος ὅθ' ἔμπεσε, &c. his verbis exequitur: οἶδε δὲ καὶ τρεῖς βελουλκίας ὅμηρος, ἐκτομὴν ἐπὶ Εὐρυπύλου, καὶ διωσμὸν ἐν τοῖς ἑξῆς ἐπὶ Διομήδους, καὶ ἐξολκὴν ἐπὶ Μενελάου. *Germ.*

391. *Jamque aderat Phœbo.*] Ad exemplum Homeri. nam 4. Iliad. vulnerato Menelao Machaon adest. *Cerda.*

Iapyx.] Aptum nomen medico. nam ἰᾶσθαι Græci dicunt *curare.* Servius.

Iapis.] In antiquioribus his codicibus *Iapyx* per *y* & *x* scriptum habetur. Alii voluut medici nomen à vento distingui scriptione: hujusque nominis obliquos casus in *e*, Donatus mittere videtur *Iapicis, Iapici*, qui per *g* proferuntur in vento. Horatius, *Præter Iapyga.* Pierius.

Iapis.] Ita Turneb. lib. 23, 14. & alii malunt: non *Iapyx.* Agnovit Ausonius epig. 19.

—— *medicum quod Iapida dicunt.*

Et

Iaſides: acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artis, ſua munera lætus Apollo
Augurium citharamque dabat celeriſque ſagittas.
Ille, ut depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum uſumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artis.

Sta-

Et eſt aptum nomen medici: nam ἰᾶσθαι *curare* eſt. Vide El. Vinetum ad illud Auſon. & Macrob. l. 3, 15. *Taubm.*

394. *Augurium citharamque dedit celereſque ſagittas.*] Vera lectio eſt *Dabat.* nam non dedit. Sane ſciendum per citharam, ſcientiam indicat *armoniæ, id eſt muſicæ. Sed & cithara & ſagittæ artes ſunt: augurium vero munus: non enim ſola arte, verumetiam indulta divinitate colligitur. *Servius.*

Augurium citharamque dabat, celereſque ſagittas.] Tale illud in Iliad. B.

— ἥν κ' τόξον Ἀπόλλων αὐτὸς ἔδωκεν.

Callimachi autem verſus ex Hymno in Apollinem,

Φοῖβῳ γὰρ κ' τόξον ἐπιτρέπεται, κ' ἀοιδή,
Κείνου δ' θριαὶ κ' μάντιες. ἐκ δέ νυ Φοίβου
Ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο.

Cynethus in Apollinem,

Εἴη μοι κίθαρίς τε φίλη κ' καμπύλα τόξα,
Χρήσω τ' ἀνθρώποισι Διὸς νημερτέα βουλήν.

Urſin.

395. *Ut depoſiti.*] Id eſt, deſperati. nam apud veteres conſuetudo erat, ut deſperati ante januas ſuas collocarentur, vel ut extremum ſpiritum redderent terræ, vel ut poſſent à tranſeuntibus forte curari, qui aliquando ſimili laboraverant morbo. Cicero, *Ægram & prope depoſitam reipublicæ partem ſuſcepiſſe.* Servius.

Depoſiti.] Dicitur *depoſitus* is, cujus ſalus deſperata jam prope eſt. Nec alio ſenſu Ovid. Eleg. 2. lib. 2. Pont.

Jam prope depoſitus, certe jam frigidus æger
Servatus per te, ſi modo ſervor, ero.

Et Eleg. 3. lib. 3. Triſt.

Nec mea conſueto langueſcent corpora lecto,
Depoſitum nec me qui fleat ullus erit.

Vis etiam hujus vocis liquet à verbis iſtis Tullii, quæ Serv. advocat: *Ægram, & prope depoſitam Reipub. partem ſuſcepiſſe.* Sen. etiam Trag. ad exitum Oedipi: *Ite, ferte depoſitis opem.* Cerda.

Proferret fata parentis.] Eurip. ἐκτείνειν βίον, & μηκῦναι. Horat. 1. Car. *Iracunda diem proferet Ilio, Matronisque Phrygum claſſis Achillei.* Germ.

396. *Poteſtates herbarum.*] Vim, poſſibilitatem. nam in herbarum natura vis eſt, quæ δύναμις dicitur, cujus nulla ratio eſt * unde etiam ait, *Mutas artes*, muſicæ comparatione. Alii *mutas*, quia apud veteres manibus magis medicina tractata eſt, unde & *chirurgia* dicta, nam ipſe ait, *Multa manu medica Phœbique potentibus herbis.* Ergo *mutas*, quia ubi manu res agebatur, ceſſabat oratio. *Servius.*

Uſumque medendi.] Ἐμπειρικὴν ſcientiam, hoc eſt, medicinam, in uſu, non in ratione conſtantem. Nam quædam artes uſu diſcuntur, ſicut ipſa maxima parte medicina, quæ ante Hippocratem muta fuit. *Idem.*

397. *Maluit.*] Quoniam heroicis temporibus etiam medicina valde fuerat in honore. *Idem.*

Mutas agitare inglorius artes.] Ars Medica, *Muta*, à Marone nuncupata eſt, quod tota ejus vis in operationibus ac remediis potius, quam in ſermonibus atque eloquentia collocetur: unde in Medicos loquaces dicterium emanavit, ἰατρὸς ἀδόλεσχος, νοσοῦντι πάλιν νόσος. *Medicus* ſcil. *loquax, morbum* *creabit*

Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam
Æneas, magno juvenum & mærentis Iuli
Concursu, lacrimis inmobilis. ille retorto
Pæonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica Phœbique potentibus herbis
Nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextra
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam Fortuna regit: nihil auctor Apollo

Sub-

creabit alterum. Mercurial. Var. Lect. lib. 3. cap. 13. *Ursin.*

Inglorius.] Comparatione sagittarum, armoniæ, id est, musicæ, divinitatis. *Servius.*

Inglorius.] Cum respectu hoc ad Romanos & alias gentes, quibus medicina non in honore, adeoque servis communicata. *Farnab.*

398. *Acerba fremens.*] Pro *acerbe*, adverbium qualitatis in nomen derivatum. *Servius.*

Acerba fremens.] Supra, acerba sonans. Ut autem, *nixus in hastam*, Hom. Il. θ. δουρὸς αἰχμῇ χαλκείῃ, τῷ ὅ γ' ἐρεισάμενος, &c. & Calab. 3. ἔστη ἐρεισάμενος μελίῃ ἔπι. *Germanus.*

400. *Lachrymisque immobilis.*] Non suis, sed illorum. *Servius.*

Lachrymisque immobilis.] In Mediceo codice & aliquot aliis antiquis, absque copulativa particula legere est *lacrimis immobilis*. Pierius.

401. *Pæonium in morem.*] Medicinalem à Pæone. Nam Doricæ linguæ est *Pæan*: naturale autem est *Pæon*. *Servius.*

Pæonium in morem.] More Medicorum χειρουργῶν: sive à Pæone medico, à quo Pæonia herba: sive quod Apollo illi Pæan sit dictus; ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ἀνίας, quod omnes dolores curet. Pæonium, herba medica, & salutare remedium. *Hortens.*

402. *Multa.*] Pro *multum*. *Serv.*

403. *Trepidat.*] Pro *trepidanter facit.* Idem.

404. *Sollicitat.*] Principem hujus verbi notionem esse *loco permovere* jam alii adnotarunt, in his Gifan. in Lucret. ex Donato, & Sex. Pomp. Proprie itaque Virg. *sollicitat spicula*, id est, vult movere loco spiculum. sic & 1. Georg. *sollicitanda tellus.* & 4. *mare sollicitum.* & Ovid. eleganter, *arcu sollicitare feras.* & Enn. 15. Annal. *Histri tela manu jacientes sollicitabant.* Cerda.

Forcipe.] Hic *forcipem* dixit quod Græci ἀρδιοθήρας dicunt, qua solent spicula vulneribus evelli, ἄρδια enim spicula sagittarum appellantur, alibi forcipem, quod formum, id est, calidum capiunt. *Servius.*

Prensatque tenaci forcipe ferrum.] In antiquis aliquot codicibus *pressatque* legitur. In Romano *forfice* Sunt enim qui *forfices* & *forcipes* ita distinguant, ut *forfices* esse sarcinatorum velint à faciendo: Quæ vero ferrum calidum capiant, *forcipes*: Tonsorum, quod pilum secent, *forpices*. Sed enim inepta hæc esse Carisius monet ex Lucillio, qui etiam Medicorum forcipes dicit LXIX, *scalprorum forcipium milia xx.* Item paulo post, *Forcipibus dentes vellere*. Sed Virgilius in VIII. *Versantque tenaci forcipe ferrum.* quod in codicibus aliis *massam* scriptum est. *Pier.*

405. *Nulla viam Fortuna regit.*] Nullus eventus rationem præstat. *Servius.*

Nihil auctor Apollo.] Medicinæ inventor. Nam Æsculapius præest medicinæ, quam Apollo invenit: ipse in Ovidii Metamorphosi ait, *Inventum medicina mea est*. Idem.

Subvenit: & sævus campis magis ac magis horror
Crebescit, propiusque malum est. jam pulvere cælum
Stare vident: subeunt equites, & spicula castris
Densa cadunt mediis. it tristis ad æthera clamor
Bellantum juvenum, & duro sub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genetrix Cretæa carpit ab Ida,

Pu-

407. *Propiusque malum.*] Ex fuga scilicet Trojanorum. *Servius.*

Pulvere cælum stare.] Plenum esse. Alii *stare*, constare intelligunt, ut significet pulvere cœlum constat, id est, in pulverem versum est, & quasi totum ex pulvere est. Alii diutinum pulvere & continuum & significatum volunt, inumbrationemque ex eo Solis, & cœli factam, id est, non moveri cœlum, sed consistere eundemque manere habitum aëris, ex continua caligine pulveris, obducto semel cœlo, & quasi ab oculis intercluso. *Idem.*

Pulvere cælum stare.] Id est, pulvere oppletum esse: Serv. & Turneb. l. 28. c. 32. ita Lucill. *pectus sentibus stare* dixit. Nonius *stare* hic exponit horrere. Alii, constare, id est, in pulverem versum esse, & quasi totum ex pulvere esse. quod Serv. Dan. etiam observavit. Donatus: Talis apparebat pulvis, ut cælum portare videretur. Pimpontius *stare* pro *niti* accipit, ita scil. inspissato aëre & nube pulvereâ glomerato, ut cælum jam fulciri, velut basi, pulvere videretur. Ita Statius 7. Theb.

Pulvereo stant astra globo.

Plaut. Amph. Sc. 1.

Ex spiritu atque anhelitu virûm nebula constat.

Etiam Hom. Iliad. ψ. ἵσταιτο κονίη, dixit. *Taubm.*

408. *Subeunt equites.*] In antiquis plerisque codicibus *subeuntque equites* legitur, quod numerosius est. *Pierius.*

411. *Venus.*] Genitrix. *Servius.*

Indigno dolore.] Qui fuerat natus ex vulnere indigne inlato, scilicet per insidias. *Idem.*

Indigno concussa dolore.] Aristoteles in Peplo ad verbum. θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένοι. Est ergo *indignus dolor*, magnus, nam ille, ἄχει μεγάλῳ. Sic Ennius, *indignas turres*, id est, magnas. Dicunt enim Latini *dignum*, atque etiam *digitum* ab *indicando*, quasi sit δεῖγμα. Ergo, quod magnum est, neque indicari præ magnitudine potest, *indignum* dicitur. Sed ego de hac voce jam alibi. Potest etiam vox accipi ex mera conquestione vulgari significato. *Cerda.*

412. *Dictamnum.*] Hæc herba licet ubique nascatur, melior in Creta est. Quæ *Dicta* dicitur, unde proprium herbæ nomen. Hæc admota vulneri in quo ferrum est extrahit ferrum, in tantum ut animalia apud Cretam, cum fuerint vulnerata, ad hanc herbam currant, eaque depasta, tela corpore dicuntur excutere: hæc herba hausta etiam venena corpore exigere dicitur. *Servius.*

Tum Venus indigno nati conc. d. Dictamnum genitrix Cretea carpit ab Ida P. c f.] Ex antiquis partim exemplaribus, partim ex veterum Grammaticorum observatione hi versus ita leguntur, *Tum Venus indigno gnati concussa dolore, Ipsa manu genetrix Dictæa carpsit ab Ida Puberibus caulem foliis. Carpsit* quidem in plerisque antiquis exemplaribus, ut eadem sit synchronia cum altero præterito, quod sequitur, *detulit.* Sed enim Donatus *carpit* præsenti tempore legit. & ita in veteribus codicibus nonnullis, qui apud me sunt, habetur. Idem *Dictea* agnoscit, dum ait, *Itaque à Dictea Ida substulit suis manibus*

tilus caulem. *Dicta* porro cognomen est *Idæ*, ut alio loco, *Dictea negat tibi Jupiter arva.* Sed enim *Dicta* ipse quoque mons est Cretæ: cujus Callimachus mentionem facit. Quod vero *ipsa manu genetrix*, pro *dictamnum genitrix* legatur: lectionem hanc Ti. Donatus agnoscit, cujus hæc est interpretatio. *Quod ait*, Manu carpit, *& matris animum expreßit, ut ipsam diceret opera sua procurasse, quod sanare filium potuisset, & non ferro propter remedium, sed manu assereret esse sublatum. Dubium enim non est certo modo, & suo modo, ac tempore esse detrahenda terris, quæ aliquibus sunt procuranda remediis, ut ipse alio loco Virgilius dixit*, Falcibus & messæ ad Lunam quæruntur ahenis. *Ubi & modum & tempus expreßit. In præsenti vero ait manu.* Et inferius: *Quanta signa istius data sunt speciei, cujus nomen omissum est. Quippe & regio expressa est, in qua nascitur: & nomen editum montis, & ipsius nominis signum. Deinde quum ad descriptionem prædicti graminis accederet, Caulem* (inquit) *facit, & comantem florem colore purpureo.* Et inferius: *Gramen appellavit novo usurpationis genere, alias dicens folia. Cæterum vero nomine* Dictamnum *in regione sua dicitur appellari. Unde nonnulli sic exponunt hunc locum, ut asserant Virgilium dixisse, Dictamnum genetrix* Cretæa carpit ab Ida. *Quod usque adeo admittendum non est: ne si sequentia conjungas, fiat vitium.* Dictamni *enim* caulem *dicere debuit, non* Dictamnum caulem. *Melior est enim superior lectio*, Ipsa manu carpit caulem à Dictea Ida: *cujus herbæ nomen quia non dixit, signa ejus infinita protulit, ut posset sciri, quænam esset.* Hæc Donatus. Apud quem *Dictamnum* per *m* & *n* scriptum inveni, prout etiam δίκταμνον in exemplaribus Græcorum manu scriptis, Theophrasti quippe, & Dioscoridis pene omnibus observatur. Et in antiquissimæ traductionis Dioscoride, quem literis Longobardicis scriptum ostendit mihi Florentiæ vir clarissimus Nic. Scomberges Campanus Archiepiscopus, *dictamnu* passim scriptum erat. In quo illud præcipua fuit observatione dignum: quod, quum phrasis alioqui, & Latina esset, & recte Græcorum vocabulorum vim & proprietatem exprimeret: formæ tamen quas nos in *um* vel in *em* terminamus, plurimum illic absque *m* notatæ sunt, hoc modo, *Dictamnu multi dicunt Pulelu agreste. sed nec florem, nec semen habet.* ita illud, *Est autem alterum Dictamnu de Creta adlatu.* quæ quanvis ita sint, plurimum tamen delectant ob sermonis puritatem, & venerandæ memoriam antiquitatis. Ut vero ad Donatum revertamur: quanvis ille, uti dictum, de lectione sentiat jure suo, antiqua tamen exemplaria, quæ legimus omnia, eam lectionem ostendunt, quam ipse improbat. Papiniusque his exemplis propior accedere videtur, ubi ait, *Dictamni florentis opem:* quod Virgilius *florem comantem dixerat.* Et Priscianus, ubi agit de constructione partium orationis, *Dictamnum Genetrix* videtur agnovisse, diversaque genera, & diversos numeros Virgilium hoc loco auctoritate sua κατὰ τὴν ἀλλοιότητα confudisse. Quod vero neque *florem*, neque *semen Dictamno* esse Dioscorides, & plerique alii tradunt, Virgilius Theophrastum sequi videtur, qui *flores* in *Dictamno* ponit: vel quod uni & deteriori cuidam speciei, quæ vulgo nascitur, proprium est, toti dedit generi, ut descriptionem hanc lascivius exornaret. Quia vero Virgiliana sententia de *Dictamno*, ejusque vi cum Tulliana consentit, visum est ex tertio de natura deorum, hæc subjungere: *Dictamnum herba est, quam capreæ sagittis venenatis percussæ quærere dicuntur: quam quum gustaverunt, sagittæ excidunt à corpore.* Alia Plinius libro Naturalis historiæ quinto & vigesimo. *Pierius.*

Dictamnum, &c.] Aristotel. περὶ θαυμ. ἀκουσμ. αἱ ἐν Κρήτῃ αἶγες, ὅταν τοξευθῶσι, ζητοῦσιν, ὡς ἔοικε, τὸ δίκταμνον τὸ ἐκεῖ φυόμενον. ὅταν γὰρ φάγωσιν, εὐθὺς ἐκβάλλουσι τὰ τοξεύματα. Ac, ne lassem nota re admodum, eadem

Puberibus caulem foliis & flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit: hoc fusum labris splendentibus amnem

In-

scribit idem Aristotel. lib. 9. Hist. Animal. Ælian. l. 1. Var. Hist. c. 10. Dioscor. lib. 3. c. 27. Val. Max. lib. 1. cap. 8. Plutar. de Solert. Animal. & in Gryllo, Cicer. 3. Divin. Isidor. & plures alii. Scribendum *Dictamnum* certissime, non *Dictamum*. Nam Græci δίκταμνον. *Cerda.*

Genetrix.] Ut indulgens nato. Et vere hæc herba sacra erat Veneri; nam utilis partui prolis, cui rei præest Venus. Serenus enim ita scribit,

Ut facili vigeat servata puerpera partu,
Dictamnum bibitur. ——

Et Dioscor. ὠκυτόκιον vocat, quod partus acceleret. Plutarch. etiam de Solert. Animal. ait hanc herbam habere ἐκτρωτικὴν δύναμιν, *virtutem ejiciendi fœtus.* Idem scribit Theophr. libro 1. de Plant. Zenodotus Malleotes apud Arati interpretem ait Dictamnum πρὸς εὐτοκίαν συμβάλλεσθαι, *juvare ad parientis facilitatem. Idem.*

Cretæa Ida.] Nam Cretensis Ida, arborum & herbarum copia insignis fuit. Propert. l. 2, 1.

Et deus exstinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis.

Alii leg. *Dictæâ.* Est autem Δίκτον ἀκρωτήριον Κρήτης. *Taubm.*

413. *Puberibus caulem foliis.*] Hoc est adultis. Sic in quarto, *Pubentes herbæ.* Et est reciproca inter herbas & homines translatio. nam herbarum *pubertatem*, & *florem* juventutis vocamus. *Caulem* autem medium fruticis qui vulgo θύρσος dicitur, de hac herba in IV. Æn. ait, ubi de vulnerata cerva, *Illa fuga silvas saltusque peragrat Dictæos.* Servius.

Puberibus.] Id est, adultis. S. aut, florentibus: ut Stat. 1. Silvar.

Dictamni florentis opem.

Turnebus tamen, lib. 26. c. 5. declarat, villosa pube lanuginosis: qualia folia Dictamno tribuit Dioscorides, χνοώδη καὶ ἐριώδη. *lanuginosa & lanata.* Taubm.

Et flore comantem purpureo.] Negat hoc Plinius lib. 25, cap. 8. *Flos nullus ei* (dictamno) *aut semen, aut caulis.* & præterea Dioscorides lib. 3. cap. 37. ubi de Dictamno, οὔτε δ' ἄνθος, οὔτε δὲ καρπὸν φέρει. Sed certe Euphorion de Diana, στεψαμένη θαλεροῖσι συνωλύσιτο δικταμνοις. *vernabat coronata florentibus Dictamnis.* & Stat. lib. 1 Sylv. *Dictamni florentis opem.* Idem Dioscorides cap. 39. ejusdem lib. Dictamni alterius Cretensis meminit, cujus folia similia foliis sisymbrii, & huic dat ἄνθος, id est, *florem*, ὀριγάνῳ ἀγρίῳ ἐοικός, *similem agresti origano.* Et extremo ἄνθος μέλαν, *nigrum florem*; quæ nigricantia non abit à purpureo colore Virgilii: nam purpureus color nigredinem refert. Huic quoque χλῶνας dat Dioscor. ubi autem est χλών, necesse est & caulis sit. Notetur vox *comans.* Sic Hom. Iliad. 21. in re simili, ἔθειρε. & Max. Tyr. Differt. 18. in unum confert τρίχας hominum, & φύλλα arborum. *Cerda.*

415. *Gramina.*] Hic pro *herba*, nam est hoc nomine alia herba, quæ in immensum excrescit. *Servius.*

416. *Faciem circumdata.*] A parte totum corpus accipimus. Et putatur sic dictum: ut, *Faciem mutatus & ora Cupido.* Idem.

Faciem.] *Facie* interdum non os tantum, & oculi, & genæ, id est, πρόσωπον notatur; sed forma omnis, & modus, & factura quædam totius corporis. V. N. Pœnulo, act. 5, 3. *Taubm.*

417. *Fusum amnem.*] Pro *aqua.* A toto

Inficit, occulte medicans: spargitque salubris
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam.
Fovit ea volnus lympha longævus Iapyx
Ignorans; subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor: omnis stetit imo volnere sanguis.

Jam-

to partem. sic supra *Fontemque ignemque ferebant.* Servius.

Labris splendentibus.] In codicibus aliquot antiquis legere est *labris pendentibus.* Sed enim cum hic *labrum* pro vase positum sit, quod olim id *lavabrum* dicebant, magis placet *splendentibus*, hoc est nitidis, & depurgatis, ut omnia cum decoro fiant. Ait vero Ti. Donatus in hujus loci paraphrasin, *Venus aquam infecit, quam lapis studiose splendentibus labris infuderat, ut foveret vulnus.* Pierius.

418. *Sparsitque.*] Antiqui aliquot codices *spargit* legunt, instanti tempore, ut cum *inficit* conveniat. sed in pluribus *sparsit* præteritum. *Idem.*

419. *Ambrosiæ succos.*] *Ambrosia* est cibus deorum; nam *nectar* potus. Alibi, *Ambrosia* unguentum deorum legitur, *Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem.* Servius.

Ambrosiæ.] Eustathio ἀμβροσία est ἄνθος τι, *floridum quid.* De quo scholæ medicorum. Est & cibus deorum. Unde Mart. l. 11. ep. 58.

Juppiter ambrosia satur est, & nectare vivit. Taubm.

Odoriferam panaceam.] Genus herbæ est. Sciendum tamen Lucretium *panaceam* ubique salem dicere: unde possumus & hoc loco salem intelligere. nam omnem pellit dolorem. Sed melius herbam, quia ait *odoriferam.* Alii *panaceam* medicamentum dicunt, ex compluribus herbis compositum, quod ad omne vulnus facit: hanc herbam Hercules contra vim venenorum Thessalis dicitur præstitisse: Sane nomen mire compositum. *Servius.*

Odoriferam panaceam.] Panaces, aut Panacea herba est gravis odoris. Lucret. lib. 4. *odorem exspirant acrem Panaces, absynthia.* Ab hac acritudine odorifera dicitur à Poëta. Consentit Dioscorid. qui ejus folia εὐώδη facit, *nimium odorata.* Ajunt fabulæ Ἰασὼ & Πανάκειαν filias fuisse Æsculapii, illam dictam παρὰ τὴν ἴασιν *à medela*: hanc παρὰ τὸ πᾶν & ἄκος, *à curando omne genus morbi.* Inde Aristænetus lib. 1. epist. medicum quendam Πανάκιον vocat ὄντως ἐπώνυμον ἰατρόν· *Panacium suo vere nomine dignum medicum.* Vide Plin. & alios. Ceterum Virg. concilians hac herba salutem & odorem aquæ, aspirat ad Homer. qui notante Athenæo lib. 5. cap. 3. inducit Helenam, quæ εἰς τὸν οἶνον ἐμβάλλει Πάνακες φάρμακον· conciliatura scilicet Helena vino salutem & odorem. *Cerda.*

Panaceam.] Græcis πανάκεια, & πάνακες· *ipso nomine*, ut ait Plinius, *omnia morborum remedia promittens.* παρὰ τὸ πᾶν, & ἄκος. Cæterum notat hic Servius, Lucretium *panaceam* ubique *salem* dicere. Sed ubi hoc Lucretius? itaque Gifan. legebat *Lucillium* pro *Lucretium.* Sed Yvo Villiomarus lib. 8. cap. 5. censet *Licinium* scribi debere: & intelligi Lic. Macrum: qui de sale nominatim forte scripserit. *Taubm.*

420. *Fovit ea vulnus.*] Medice hic locutus est Virgilius. Verbum enim *fovere*, cum voce *aqua* copulatum, apud Medicos peculiarem quandam notionem & usum vindicat. Est enim idem quod madefacere, tingere, eluere, & ita locum affectum velut lenimento afficere. Nonius interpretatur *aspersit.* Pontanus.

Longævus.] Senior, & qui medicinæ experientiam ætate sibi collegerat. *Taubmannus.*

422. *Quippe.*] Quasi dolor: cujus natura hæc est, ut adhibito remedio statim

Jamque secuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atque novæ rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro. quid statis? Iapyx
Conclamat, primusque animos accendit in hostem.
Non hæc humanis opibus, non arte magistra
Proveniunt. neque te, Ænea, mea dextera servat:
Major agit deus, atque opera ad majora remittit.
Ille avidus pugnæ suras incluserat auro
Hinc atque hinc, oditque moras, hastamque coruscat.
Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est,
Asca-

tim recedat. Nam dolor consequens res est non principalis: unde sublata caussa etiam ipse statim recedit. hinc ait, *Quippe*; nam infusa aqua inhærens laxare cœperat telum, quod ante inferebat dolorem. *Servius.*

Quippe.] Jul. Scal. 4. Poët. c. 16. non longe à fine: *quippe asseverantis adverbium. Quippe vetor fatis. Fugit quippe dolor.* Cerda.

Stetit imo vulnere sanguis.] In Romano codice & aliquot aliis antiquis codicibus *in* particula interjecta, *imo in vulnere*, habetur. *Pierius.*

Stetit imo in vulnere sanguis.] Cic. 2. Tusc. *Neque sanguis ullo potis est pacto profluens consistere.* Sententiam Virg. ita extulit Plut. in vita Agesil. τὴν φορὰν τοῦ αἵματος ἔπαυσε, scilicet ἰατρός. *Cerda.*

423. *Jamque secuta manum, &c.*] Leniter tentantis secuta est. *Servius.*

424. *In pristina.*] In usum priorem. Hoc est, quales fuerunt pristinæ: vel *Novæ* magnæ, aut miræ. *Idem.*

425. *Arma citi properate viro.*] Suo more ostendit festinationem. ante induxit loquentem quam significaret qui loqueretur. Atqui sicut nos *properare* festinare dicimus, ita antiqui pro *dare* dicebant. Sallust. *Solas festinate.* Idem.

427. *Non hæc humanis opibus.*] Potest subaudiri & *arte* humana. *Idem.*

Non hæc humanis opibus.] Prop. Eleg. 3. lib. 2.

Non non humani sunt partus talia dona,
Ista decem menses non peperere bona.
Cerda.

429. *Major agit deus.*] Apollo scilicet inventor medicinæ. hoc est, hæc agit major. *Servius.*

Major agit deus.] Apollo, ex interpretatione Servii. Neque dici potest, ut volunt aliqui deceptus Serv. nam hoc potuit Iapix putare. Sed Poëta tamen usus falsa Medici suspicione potuit Venerem intelligere. Sic 2. Æneid. *ducente Deo*, ubi sermo est de Venere. Sic & Plut. in vita Periclis de Minerva suggerente medicinam, ἡ θεὸς ὄναρ φανεῖσα συνέταξε θεραπείαν. ubi tamen θεὸς, id est, *Deus*, & de Iunone Euripid. in Herc. ὁ αἴτιος, id est, *reum. Cerda.*

431. *Hastamque coruscat.*] Vibrat: oculorum aciem perstringit. Scal. 4, 16. *Taubmannus.*

432. *Habilis lateri clipeus.*] Et hic expressa festinatio est. *Servius.*

Habilis.] Homerus τὸ ἁρμόδιος usque ad nauseam. Quid proprie sit *habile*, nosces præclare ex contrario. Ait Liv. lib. 33. navem quandam fuisse *inhabilis prope magnitudinis.* Ergo, ut *inhabile* est, quod nequit commode tractari, ita contra *habile.* Cerda.

Loricaque tergo est.] Quare tergo tantum, cum totum ambiat corpus? aut quia latus clypeo dixerat tectum, supererat ut tergum lorica muniret. *Serv.*

Loricaque tergo est.] Etenim æreus thorax

Ascanium fusis circum conplectitur armis,
Summaque per galeam delibans oscula fatur:
Disce, puer, virtutem ex me verumque laborem;
Fortunam ex aliis. nunc te mea dextera bello
Defen-

thorax & tergo, & pectori applicatur. De tergo hic vides: de pectore audi Varronem: *Lorica à loris, quod de crudo corio pectoralia faciebant.* Cerda.

433. *Fusis circum.*] Pro, *circumfusis.* Ita Iliad. ζ. Hector armatus Astyanacten filium amplectitur. Itaque Ajax suum alloquitur, apud Sophocl. *Taubmannus.*

434. *Per galeam.*] Decenter galeam quoque tum induisse significat. *Serv.*

Summaque per galeam.] Stat. lib. 4. Theb.

—— galeis juvat oscula clausis
Inserere, amplexuque truces deducere conos.

Plutarchus de Antonio τὴν Κλεοπάτραν καταφιλῆσαι ἐν τοῖς ὅπλοις· *Cleopatram in armis osculatus est.* Claud. in laudib. Serenæ,

—— galeæque inserta minaci
Oscula cristati raperes festina mariti.

Cerda.

Delibans oscula.] V. N. Æ. 1. ✝ſ. 256.
Oscula libavit natæ. Taubm.

435. *Verumque laborem.*] Quem per me ipse suscipio: non qui ex aliorum virtute imperatoribus ascribi consuevit. *Servius.*

436. *Fortunam ex aliis.*] Subaudimus *Opta.* neque enim fortuna discitur. Quidam autem defectionem putant, & deesse volunt *pete* aut *accipe.* Alii figuram volunt, pro quid fortuna sit ex aliis disce, cum & bona & mala sit fortuna. quid valeat dea hæc ex aliis disce: vult enim intelligi se adversa usum: & est Zeugma non integrum. *Idem.*

Disce, puer, &c.] Cum dicat Æneas velle à se peti exemplum laboris & fortitudinis, non fortunæ & felicitatis; huc pertinet illud Coriolani euntis in exilium, qui suis liberis dixisse fertur (auctor est Dionys. lib. 8.) *ut illis, cum ad ætatem virilem pervenirent, Dii darent meliorem fortunam quam patri, virtutem non deteriorem.* Nec non argumentum ejusdem Dionysii, qui ait se permotum ad scribendam historiam, videlicet ut haberent filii clarissimorum virorum genus vitæ, quod sequantur, non *jucundissimum & facillimum, sed generosissimum & laboriosissimum.* Pericles apud Plutarch. in opere, quo se quis laudare sine invidia queat, cum eum amici morientem circumstarent, laudarentque & victorias ejus & trophæa, ipse tunc Pericles, μικρὸν ἐπαναστὰς ἐμέμψατο αὐτοὺς, ὡς κοινὰ πολλῶν, καὶ τῆς τύχης ἔνια μᾶλλον ἢ τῆς ἀρετῆς ἐγκώμια λέγοντας, Argumentum hoc attigit Sulpitia illa Caleni conjux, cum cecinit:

Quo: inter prisci sententia dia Catonis
Scire adeo magni fecisset, utrumne secundis,
An magis adversis staret Romana propago.
Scilicet adversis. ——

Geminum cum Maroniano illud Attii in armorum judicio apud Macrob. l. 6 cap. 1.

Virtute sis par, dispar fortunis, patri.

Quæ verba Ajacis sunt alloquentis filium Eurysatem. Credendusque Attius sumpsisse hoc ab Sophocle, apud quem Ajax instruens filium ὠμοῖς νόμοις *crudis legibus*, ita ait,

Ὦ παῖ γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος,
Τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος, καὶ γένοι' ἂν οὐ κακός.

Non longe abit illud ejusdem Attii in Telepho,

Non si à me Regnum fortuna, atque opes
Eripere quit, at virtutem nequivit.

Cerda.

Ex me.] Seneca in Furente *ab* voluit, eo versu,

Et disce verum imperia ab Alcide pati.

Plaut.

Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox cum matura adoleverit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas & avunculus excitet Hector.
Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,
Telum

Plaut. in Trin. dixit, *meo modo, & moribus vivito.* Cerda.

437. *Defensum dabit.*] Pro *defendet.* Servius.

Inter præmia.] *Inter*, veteres pro *ad*, ponebant: id est, ad præmia. Cicero, *Dico te priore nocte venisse inter falcarios*, id est, ad falcarios. *Idem.*

Magna inter præmia ducet.] In codicibus plerisque veteribus *Magna inter prælia legitur*: sed *præmia* videtur agnovisse Ti. Donatus. dum ait, *Facit eum de præsentibus securum: defensionem plenissimam spondens, & ex victoria commodum.* Nam qui possit *prælia* commodum significare, non video. *Pierius.*

438. *Matura adoleverit ætas.*] Matura adolescendo esse cœperit. *Servius.*

Matura adoleverit ætas.] In antiquis aliquot exemplaribus legere est *maturo.* sed vulgata lectio magis accepta est. *Pierius.*

439. *Sis memor.*] Subaudiendum *meorum factorum.* Servius.

440. *Et pater Æneas, &c.*] Docemur his proponenda liberis exempla patrum quibus exemplis nihil efficacius. Jactat hoc pater quidam apud Quint. Decl. 258. *Quod fortiter fecisti, roboris & corporis mei, meum est: animus iste ad contemnenda pericula paratus, ex meo fluxit. Ego te diu præceptis feci virum fortem, proxime quidem etiam exemplo.* Philost. lib. 6. vit. Apoll. cap. 14. ἔστω ὁ πατὴρ παράδειγμα ἀρετῆς τοῖς παισίν· *Sit pater filiis virtutum exemplar.* Pulcherrime Prudent. Hym. 10. περὶ στεφ.

Exemplum ad istud nitere ô fortis puer,
Generosa proles, matris & potentia,
Omnes capaces esse virtutum pater
Mandavit annos: neminem excepit diem,
Ipsis triumphos annuens vagitibus.

Seneca Helviæ habenti Novatillam loco filiæ, ita scribit: *Nunc mores ejus compone, nunc formam. Altius præcepta descendant, quæ teneris imprimuntur ætatibus, tuis assuescat sermonibus, ad tuum fingatur arbitrium. multum illi dabis, etiamsi nihil dederis præter exemplum.* Præcipue hæc exempla valent ad fortitudinem, quæ mens Poëtæ. Aristoteles libro quinto Politicorum dixit εἰκὸς βελτίους εἶναι τοὺς ἐκ βελτιόνων. quæ verba ita reddidit Horat.

Fortes nascuntur fortibus & bonis.

Et Sen. in Troad.

Generosa in ortus semina exsurgunt suos.

Quot hic paginæ impleri possent? Sed nefas est sileri imitationem. Fortasse hæc sumpta ab Eurip. in Androm. ubi de Pyrrho (cujus pater est Achilles, Peleus avus) dicitur,

—— Πηλέως τε γὰρ ἄξια,
Πατρός τ' Ἀχιλλέως ἔργα δρῶν φανήσεται.

Notetur domestica adduci exempla Æneæ, & Hectoris. Itaque quadrat locus Demosthenis libro tertio Olynth. οὐ γὰρ ἀλλοτρίοις ὑμῖν χρωμένοις παραδείγμασιν, ἀλλ' οἰκείοις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εὐδαίμοσιν ἔξεστι γενέσθαι. *Cerda.*

Avunculus.] In antiquis aliquot exemplaribus *avoncolus*, prout in veterum monumentis scriptum esse superius non uno ostendimus exemplo. *Pier.*

Avunculus Hector.] Creusa mater Ascanii, Soror Hectoris. *Taubm.*

441. *Hæc ubi dicta dedit.*] Ex Lucilii lib. 1. *Hæc ubi dicta dedit, pausam fecit ore loquendi.* Ursinus.

Portis sesse extulit altis.] Non desunt quidem antiquorum codicum exemplaria, in quibus *altis* scriptum reperiatur. Sed enim Mediceum, & plura,
atque

Telum inmane manu quatiens: ſimul agmine denſo
Antheuſque Mneſtheuſque ruunt; omniſque relictis
Turba fluit caſtris. tum cæco pulvere campus
Miſcetur, pulſuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverſo venientis aggere Turnus,
Videre Auſonii, geliduſque per ima cucurrit
Oſſa tremor. prima ante omnis Juturna Latinos
Audiit, agnovitque ſonum, & tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.

Qualis

atque ex his probatiora ſæpius reperta, non *altis*, ſed *ingens* legunt: ut ſi ad *telum* referatur, cum Homerica ſententia faciat, βριθὺ, μέγα, στιβαρόν. Sed enim Ti. Donatus, & *ingens* agnoſcit, & epitheton adcommodat Æneæ, dum ait, *Ingens, animo ſcilicet & corpore.* Pierius.

Portis ſeſe extulit.] Homerus in Iliad. H.

Ὣς εἰπὼν πυλέων ἐξέσσυτο φαίδιμος
Ἕκτωρ. *Urſinus.*

443. *Antheuſque Mneſtheuſq; ruunt.*] Servavit τὸ πρέπον. Neceſſe enim erat ut vulnerato duce, multi cum eo in caſtra remanerent. *Servius.*

444. *Fluit.*] Plut. in vita Alex. hac metaphora, ἐπικυμαίνειν τὴν φάλαγγα. *Cerda.*

445. *Miſcetur.*] Modo confunditur: alibi perturbatur. ut, *Miſcet agens telis nemora inter frondea turbam.* Serv.

Pulſuque pedum tremit excita tellus.] Ennodius Paneg. *tellus excita tremuit concuſſione cornipedum.* Statius libro duodecimo Thebaidos in re ſimili, *tum montes undique fremunt.* & libro quinto, *Dat ſonitum tellus.* Lucanus libro quarto: *Tum campi tremuere ſono.* Calaber libro undecimo περιστεναχίζετο δ' αἶα. Iterum: βρέμε δέ τε πᾶσα περὶ χθών. Habetur & hemiſtichium Virgilii libro ſeptimo. *Cerda.*

446. *Vidit ab adverſo venientes aggere Turnus.*] Hic *aggere* pro eminentia poſuit, de ea autem *aggerem* non poſſumus dicere, niſi ſi *viæ aggerem* dicere voluerimus, id eſt, coacervationem, quam hiſtorici *viam militarem* dicunt: ut, *Qualis ſæpe viæ deprenſus ab aggere ſerpens.* Quidam ambiguitatem volunt utrum ipſe Turnus in aggere, an venientes ex aggere. *Servius.*

Aggere.] In Romano codice, & in iis, qui apud me ſunt, non omnino contemnendis, atque in aliquot aliis manu ſcriptis, *agmine* legitur. Sed enim Ti. Donatus dubio procul *aggere* videtur agnoviſſe. *Pierius.*

447. *Geliduſque per ima, &c.*] Silius libro decimo quarto, *gelidus per viſcera ſudor Corpore manabat tremulo.* Cerda.

448. *Prima ante omnes.*] Ut, *Primus ibi ante omnes*, & ante omnes Latinos ſolum audit. *Servius.*

449. *Tremefacta refugit.*] Quæritur cur Iuturna cum hic acie* excedat tempeſtas, moxtamen inducitur revertens. *Id.*

450. *Atrum rapit agmen.*] Pulveris nube coopertum: quidam autem *agmen* iter accipiunt; *rapit* autem feſtinat, ut ſit, Ille campo aperto iter feſtinat pulveris plenum & ipſa feſtinatione excitat, & ita dicunt, quoniam ſi *agmen* exercitum dicit, apertus campus eſſe non potuit bellatorum denſitate completus. *Idem.*

Atrum.] Explicuit per *atriciem* nubem pulveris. Ut Val. lib. 1. Arg. per *nigredinem* eo verſu, *Solymo nigrantem pulvere fratrem.* Quod accepit à Virgilio, qui in 9. *nigro glomerari pulvere nubem.* & ſtatim, *tenebras inſurgere campo.* Cerda.

451. Qua-

Qualis ubi ad terras abrupto ſidere nimbus
It mare per medium: miſeris, heu, præſcia longe
Horreſcunt corda agricolis: dabit ille ruinas

Arbo-

451. *Qualis ubi, &c.*] Æneæ impetum nimbo comparat verbis ac numeris ejuſmodi, ut multis Homericis opus ſit ad adſequendam illius magnitudinem. *Scalig.*

Abrupto ſidere.] Vel immenſa, vel magna tempeſtate, per ſidus enim tempeſtas ſignificatur, ut *Sorbet in abruptum fluctus.* Item, *Scit triſte Minervæ Sidus.* Servius.

Abrupto ſidere.] Cum *ſidus* ſumatur pro tempore, ut 1. Georg. *quo ſidere terram Vertere Mæcenas:* aut pro tempeſtate & intemperie, ut 4. Æn. *hiberno moliris ſidere claſſem.* confert bono judicio Germanus rem hanc ad ortus aut recaſus ſiderum. Cum enim ſub his tempeſtates ſoleant excitari, fit ut ſic accipiatur more Latinorum, qui ſæpe confundunt cauſſam cum re effecta. Ergo *abrumpi ſidus* erit, abrumpi turbinem & tempeſtatem. *Cerda.*

452. *It mare per medium: miſeris, &c.*] Statius plenius de hoc ſenſu, *Deflent ſua damna coloni, Et tamen oppreſſos miſerantur in æquore nautas.* Sane aut longe horreſcunt * *heu* autem ut ſolet interjectionem ex ſua perſona interpoſuit. *Servius.*

It mare per medium.] Cum in mari tempeſtatem ponat, credo alluſiſſe ad comparationem Hom. 13. Iliad. hanc:

Οἱ δ' ἴσαν ἀργαλέων ἀνέμων ἀτάλαντοι ἀέλλῃ,
Ἥ ῥά θ' ὑπὸ βροντῆς πατρὸς Διὸς εἶσι πέδονδε,
Θεσπεσίῳ δ' ὁμάδῳ ἁλὶ μίσγεται, ἐν δέ τε πολλὰ
Κύματα παφλάζοντα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.
Κυρτὰ, φαληριόωντα, πρὸ μέν τ' ἄλλ', αὐτὰρ ἐπ' ἄλλα.
Hi autem ibant moleſtorum ventorum ſimiles turbini,
Qui à tonitru patris Iovis vadit per campum,
Magno autem cum ſtrepitu mari miſcetur, inſuntque multæ
Undæ æſtuantes multiſoni maris
Turgidæ, ſpuma albicantes, prius quidem aliæ, deinde aliæ.

Ab utroque Valer. lib. 5. Argon.

Fit fragor ætherias cum Iuppiter arduus arces
Impulerit, manus aut imas Neptunia terras,
Horruit immenſum, ponit latus, horruit omnis, &c. Cerda.

453. *Horreſcunt corda agricolis.*] Hanc partem comparationis ſumpſit ab alia Homer. Iliad. 4. Hoc enim admirandum in Virgilio, ut ex multis ſæpe Homericis comparationibus unam compingat.

Ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδεν νέφος αἰπόλος ἀνὴρ,
Ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ ζεφύροιο ἰωῆς,
Τῷ δέ τ' ἄνευθεν ἐόντι μελάντερον ἠΰτε πίσσα
Φαίνετ', ἰὸν κατὰ πόντον, ἄγει δέ τε λαίλαπα πολλήν.
Ῥίγησέν τε ἰδὼν, ὑπό τε σπεῖος ἤλασε μῆλα.
Sicut quando è ſpecula vidit nimbum caprarius vir
Venientem per mare à Zephyri flatu,
Illi autem procul niger exiſtenti ut pix
Videtur, gradiens per mare, adducit autem imbrem multum.
Horruitque, conſpicatus eum, ſubque ſpecum oves compulit.

Aliquid & ab Homero & à Virgilio Valer. lib. 3. Argon. loquens enim de imminente nube:

—— pendent mortalia longo
Corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis. Idem.

Dabit ille ruinas.] *Dabit* pro *faciet*; Terentius, *Quas turbas dedit:* Et ipſe, *Et ingentem lato dedit ore feneſtram.* Servius.

454. *Arbo-*

Arboribus, stragemque satis; ruet omnia late:
Ante volant, sonitumque ferunt ad litora venti.
Talis in adversos ductor Rhœteïus hostis
Agmen agit: densi cuneis se quisque coactis
Adglomerant. ferit ense gravem Thymbræus Osirim,
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Ufentemque Gyas. cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostis.
Tollitur in cælum clamor, versique vicissim
Pul-

454. *Arboribus, stragemque satis.*] Ecce hoc à Calab. lib. 1.

Ὡς δ' ὅτ' ἐπιβρίσασα μέγα στονόεσσα θύελλα,
Ἀλλ' τὰ μὲν ἐκ ῥιζῶν χαμάδις βάλε δένδρεα μακρὰ,
Ἄνθεσι τηλεθόωντα.
Sicut ubi ingravescens magno murmure venti procella,
Arbores longas partim radicitus humi prosternit,
Cum floribus virescentes.

Stragem hanc in re simili attigit 2. Æn. *Sternit sata lata boumque labores.* & Statius: *deflent sua damna coloni.* Cerda.

Ruet.] Eruet, evertet. Terentius. *Ceteros agerem, ruerem.* Nam aliter dictum est, *Ruit alto à culmine Troja.* Servius.

Ante volant.] Jul. Scal. lib. 5. c. 3. *Quomodo nimbum antevolant venti si illum impellunt? quia nimbus crassior aër est. Itaque ventus & post, & ante, & cum illo.* Et *volant* de ventis, poësi grata. Ovid. 3. Trist. Eleg. 10. de Borea. *jactatis insonat alis.* & de Noto 1. Metam. *madidis evolat alis.* & centeni. Cerda.

Sonitumque ferunt ad litora venti.] Non dubium, quin Virgil. alludat ad prognosticum, cujus fit mentio 1. Georg. verbis illis: *resonantia longe Litora misceri.* Idem.

456. *Talis.*] Taliter, simili modo. Sic paulo post, *similis medios Juturna per hostes.* Servius.

Rhœteïus.] Trojanus, à promontorio Trojæ. *Idem.*

Ductor Rhœteius.] Æneæ periphrasis. q. d. Dux Trojanus: à Rhœteo Trojæ promontorio. *Taubm.*

457. *Densi cuneis se quisque coactis Agglomerant.*] Densentur, ut cuneatim dimicent, scilicet, in cuneorum modum compositi, ut hostem facilius invaderent. *Servius.*

Cuneis se quisque coactis Agglomerant.] Potes accipere poëtam, ut vere se milites in cuneos formarent ad irrumpendum. vel simplicius, ut tantum indicet confertum militem. Ad sermonem Virgilii compactus ille Taciti: *Illi veteris memores in cuneis congregantur densi undique.* ubi tantum densitas animadvertenda non cuneus stricte sumptus. *Cerda.*

458. *Gravem.*] Fortem. Sallust. *Lusitaniæ gravem civitatem.* Servius.

460. *Cadit ipse Tolumnius augur.*] Homerus, Ut primus violator fœderis pœnas luet. *Idem.*

Cadit ipse Tolumnius augur.] Lege Erasm. Chil. 1. Cent. 2. cap. 14. in Adagio, *Malum consilium consultori pessimum.* Cerda.

462. *Tollitur in cœlum clamor.*] Occiso eo, qui auctor disrumpendi fœderis fuerat, exortus est clamor: & statim secuta fuga Rutulorum: ut, *Versique vicissim Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.* Et bene *Vicissim*, quia Trojanos in fugam versos fuisse, exinde apparet, quod supra dixit, *Subeunt equites,*

Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque adversos dignatur sternere morti;
Nec pede congressos æquo, nec tela ferentis
Insequitur: solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc concussa metu mentem Juturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiscum

Excu-

equites, & spicula castris Densa cadunt mediis. Servius.

Tollitur in cœlum clamor.] Aristoph. Vespis de clamore sublato ait ἐς τὸν οὐρανόν. Alibi Noster, *it clamor cœlo.* Et quidem Virgilius delectatus est verbo *tollere* ad hanc rem. lib. 9. *clamor tollitur.* lib. 2. *clamores ad sidera tollit.* Sic & Lucret. lib. 4 *tollunt clamores.* Cerda.

463. *Pulverulenta.*] Plena pulveris, nam apud veteres *pulverulenta* dicebantur, sicut *vinolentum* dicimus, qui vino plenus est, & *temulentum*, qui temeto plenus est. *Servius.*

465. *Nec pede congressos, nec equo.*] Pedestris quæ est pugnæ quo * at ubi inter equitem & peditem pugna est. Ut x. Æneidos, *Et urgetur pugna congressus iniqua.* Idem.

Nec tela ferentes insequitur.] Id est, nec fugientes, nec contra stantes dignatur occidere. Et magna Æneæ ostenditur pietas, qui nec vulneratus irascitur: ut velit contra legem fœderis in bellum moveri. *Idem.*

Ipse neque adversos d. st. m. Nec pede congressos, nec equo, nec tela ferentes Insequitur.] Sic vulgata fere omnia exemplaria legunt: neque desunt antiqui codices, qui lectioni adstipulentur. Romanus tamen codex, & Oblongus Pomponianæ deliciæ, legunt *aversos*. Quodque subsequitur, *nec pede congressos, nec equo:* Antiqua fere omnia, quæ versamus exemplaria, legunt *hec pede congressos æquo.* in quo tria pugnarum genera, tres ferientium gestus animadvertas. Aut enim eos, qui terga dant, occidimus, & hoc exprimit *aversos.* Aut æquo resistentes Marte. hinc ait, *Nec pede congressos æquo.* Aut eminus ferientes. hoc illud est, *Nec tela ferentes Insequitur.* Horum sic pugnantium nullum ille dignatur sternere morti, sed *solum densa in caligine Turnum vestigat lustrans.* Donatus vero *adversos* admittit, dum *obvios* exponit. Mecum vero sentit in altero, dum subjungit, *Aut æquo pede congressos occidere.* Quod vero legitur *densa in caligine*, in Romano codice, *denso* est virili genere, contra Grammaticorum præceptionem. *Pierius.*

Ipse neque adversos.] Aliqui hic legunt *aversos*, id est, fugientes, quia & statim consequenter *insequitur*: ad eum modum quo in decimo de Mezentio:

Atque idem fugientem non est dignatus Orodem
Sternere, nec jacta cæcum dare cuspide vulnus.

Sed præfero *adversos*. hæc enim major Æneæ gloria. *Cerda.*

467. *Vestigat lustrans.*] Repræsentat imaginem venatoris. Sic infra: *Vestigatque virum.* Ex re quoque venatoria Soph. in Ajace de quærente alium dixit: κυνηγετοῦντα ἴχνη, *venantem vestigia.* Idem.

Solum in certamina poscit.] Est hoc, quod in libro nono, *in solo Volscente moratur.* & Valerius lib. 6. Argon. *Canthum sequitur, Canthumque reposcit.* Cerd.

468. *Hoc.*] In Oblongo codice, *hinc* legitur. hoc est, hac de caussa. In aliis *hæc*: quod minime placet. *Pierius.*

Virago.] Dicitur mulier quæ virile implet officium, id est mulier quæ viri animum habet, has antiqui *viras* dicebant. *Servius.*

469. *Aurigam Turni, &c.*] Totus hic

Excutit, & longe labſum temone relinquit.
Ipſa ſubit, manibuſque undantis flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque & corpus & arma, Metiſci.
Nigra velut magnas domini cum divitis ædes
Pervolat, & pennis alta atria luſtrat hirundo,
Pabula parva legens nidiſque loquacibus eſcas;

Et

hic locus ex Homero, apud quem leguntur hi verſus in Iliad. ε. ubi Palladem inducit aurigantem Diomedi, excuſſo Sthenelo auriga.

Ὣς φαμένη, Σθένελον μὲν ἀφ' ἵππων ὦσε χαμᾶζε,
Χειρὶ πάλιν ἐρύσασ'. ὁ δ' ἄρ' ἐμμαπέως ἀπόρουσε.
Ἡ δ' ἐς δίφρον ἔβαινε παραὶ Διομήδεα δῖον
Ἐμμεμαυῖα θεά. μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων
Βριθοσύνῃ. δεινὴν γὰρ ἄγεν θεὸν, ἄνδρα τ' ἄριστον.
Λάζετο δὲ μάστιγα, καὶ ἡνία Παλλὰς Ἀθήνη.

Quidam hoc loco, pro, *Metiſcum* ſcribunt *Methyſcum*, ut ſit à Græco Μεθύσκον. *Urſinus.*

470. *Lapſum temone.*] Sic ſup. *lapſum cervice.* Cal. lib. 11. *ἐκκυλίσθη πέζον ἵππων.* *Cerda.*

471. *Undantes.*] Quia in motu, undarum modo flectuntur. *Servius.*

Undantis.] Ita hoc dictum, ut à Lucillio, *comas fluitare*, & a Prudent. in Pſychom.

Sericaque infractis fluitent ut pallia membris.

Ita lib. 5. *undantia lora.* Sic & Plaut. Epid. *undantem chlamydem quaſſando facit.* & Ariſtotel. (notat Germ.) de reptilibus in lib περὶ ζώων, *κυμαίνοντα*, *undabunda*, *fluctuabunda.* & motum illorum *κύμανσιν*, *fluctuationem.* Non abludit conjungi infra *habenas* cum verbo aquarum, ait enim, *irarumque omnes effundit habenas.* Noto etiam traductum hoc verbum ad homines. Nam Afranius apud Nonium, *Magnifice volo fluctuatim ire ad illum.* & Arnob. lib. 2. *lumborum criſpitudine fluctuaret.* Cerda.

473. *Nigra.*] Audi Scal. lib. 3. Poët. cap. 27. *nigra hirundo ad differentiam Ripariarum, quæ ſpecies eſt hirundinis non nigræ, neque ædibus aſſuetæ.* Hinc fortaſſe & Petron. dixit, *urbana Progne*, cum diſcrimine ad Ripariam & agreſtem. *Idem.*

Domini divitis.] Ab Catull. qui *divitis domini hortulo.* Hom. Iliad. 11. *ἀνδρὸς μάκαρος.* quem enim nos *divitem*, Græci *beatum* dicunt. *Idem.*

474. *Pervolat.*] Per magnas ædes volat. Nam more ſuo verbo dedit detractam nomini præpoſitionem. *Serv.*

Luſtrat.] Sanct. Hieronym. contra Helvid. *Ille ad hirundinis modum luſtrat univerſa penetralia.* Cerda.

475. *Nidiſque loquacibus eſcas.*] Ordo eſt, Eſcaſque nidis loquacibus legens. *Servius.*

Nidiſque loquacibus eſcas.] Hypallage, nam hirundines loquuntur, non nidi. & *loqui* dicit, ſic Oppian. 3. Hal. de hirundinum garritu, *ἅπαν δὲ δῶμα λέλακεν.* & quod hic λέλακεν, ſtatim idem, *κελάδουσι νεοσσοῖς*, de pullis hirundinum. & ſup. *τρύζοντες.* Ab Anacreonte etiam hirundo dicitur *λάλη*, *loquax.* & loco alio dat illi *φωνάς.* Pollux dat huic avi *ψιθυρίζειν.* Ariſtoph. in Ran. *ἐπιβρέμεται.* Athen. lib. 5. *χελιδόνος πολυκρότου*, Virg. inf. *ſonat.* & 4. Georg. *garrula.* Ut etiam Arnob. lib. 7. *hirundines garrulæ.* Theophraſt. in characterib. *χελιδόνων λαλίστερος*, dixit proverbialiter, *hirundinibus loquacior.* A verbo *τρύζειν*, quod præmiſit Latinum *triniſare*, quod de hac ave. Quin ab loquacitate, qua hæc volucris inſignis, Græcis dicitur *κωτίλη.* Eſt *κωτίλλω*, *loquor,*

Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Juturna per hostis
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru:
Jamque hic germanum jamque hic ostentat ovantem:
Nec conferre manum patitur: volat avia longe.
Haud minus Æneas tortos legit obvius orbis,
Vestigatque virum, & disjecta per agmina longa
Voce vocat. quoties oculos conjecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum;
Aversos totiens currus Juturna retorsit.
Heu, quid agat? vario nequicquam fluctuat æstu:
Diver-

loquor, *garrio*. Ceterum ea hypallaga, qua Virg. *nidis loquacibus*, ea (inquam) Iulius Montanus, *nidis argutis*. Floruit ille sub Tiberio. Versus adducit Sen. epist. 122.

——*jam tristis hirundo*
Argutis reditura cibos immittere nidis
Incipit, *& molli partitos ore ministrat.*

Juvenal. etiam Sat. 5. *loquaci gaudebit nido*. & Ammian. lib. 22. loquens de Ibide, *nidulis suis ad cibum suggerens ova serpentum*, id est, pullis, per hypallagam. Itaque non placet Nonius, qui explicat *nidos* Virgilii de avium fœtibus in 4. Georg. *dulcem nidis immitibus escam*. Potius est, ut capias hypallagam, quod fit nullo incommodo Latii. Sunt enim qui quavis levi occasione fingunt nova vocum significata. *Cerda*.

476. *Vacuis.*] Magnis: ut, *Vacua atria lustrat Saucius*. Servius.

Humida.] De quadruplici genere humidi lege Notam Luysini 2. Parer. cap. 25. *Cerda*.

477. *Similis.*] Pro *similiter*. Serv.

478. *Curru.*] In antiquis aliquot codicibus *cursu* scriptum est. ea lectio in Mediceo superne adnotata. in reliquis *curru* habetur. *Pierius*.

479. *Ostendit.*] Hoc loco, ubi vana sunt, quæ fiunt, magis placet quod in Romano codice legitur, *ostentat*. Idem.

480. *Nec conferre manum.*] Cum Ænea, nec alios persequitur. *Servius*.

Avia.] Ab ea scilicet parte qua veniebat Æneas. *Idem*.

481. *Tortos orbes.*] Obliquas & implicitas vias. *Idem*.

Legit.] Nihil est aliud, quam breviore cursu ire obviam Turno. Itaque hoc non abit ab his, quæ dicta lib. 11. de Camilla eludente hostis gyros. *Cerd.*

482. *Vestigatque virum.*] Inquirit: translatio à canibus. *Servius*.

Disjecta per agmina.] Dissipata adventu Æneæ. *Idem*.

Per agmina magna.] In Mediceo, & aliquot aliis codicibus, non *magna*, sed *longa* scriptum est, addita superne dictione *magna*, ut fieri solet, pro paraphrasi. *Pierius*.

485. *Aversos retorsit.*] Pro *retorsit & avertit*. Servius.

Aversos toties currus retorsit.] In antiquo admodum exemplari *totiens currum* legitur, *um* geminato, Attiano more, uti etiam superius notatum dicebamus. *Pierius*.

486. *Heu, quid agat?*] Omne adverbium verbo cohæret. Unde quia *heu*, *en* & *atat*, & similia, verbo cohærere non possunt, separatam fecerunt aliam partem orationis, scilicet interjectionem: quam sola Latinitas possidet. Sane hoc poëta dedit rerum miserationem movens. Alii ab Æneæ persona dictum accipiunt, ut diceret, *Heu quid agam?* Servius.

Fluctuat

Diversæque vocant animum in contraria curæ.
Huic Messapus, uti læva duo forte gerebat
Lenta levis cursu præfixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Æneas, & se collegit in arma,
Poplite subsidens: apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum vero adsurgunt iræ, insidiisque subactus,
Diversos ubi sensit equos currumque referri,
Multa Jovem & læsi testatus fœderis aras,

Jam

Fluctuat æstu.] Apul. de Deo Socratis, *salo mentis ad omnes cogitationum æstus fluctuare.* Creberrima hæc est metaphora, & alibi firmata, atque illustrata. *Cerda.*

487. *Diversæque, &c.*] Ab hoc versu Tibull. Eleg. 4. lib. 3.

Diversasque suas agitat mens anxia curas. Idem.

488. *Huic.*] Pro *in hunc*: & est ordo, *Huic dirigit.* Servius.

489. *Præfixa hastilia ferro.*] Est hoc, quod 15. Iliad. κατὰ στόμα εἴμβρα χαλκῷ. & 3. δοῦρε κεκορυθμένα χαλκῷ. quasi *induta*, & *munita ære.* Quod Eurip. in Herc. Fur. ξύνοπλα δ' ἔγχη: *armatæ hastæ*, id est, munitæ ferro. *Cerda.*

490. *Certo.*] Ut sup. *auras certa secat.* Idem.

491. *Se collegit in arma.*] Ita se texit, ut nulla parte posset feriri. *Servius.*

Se collegit in arma.] Clipeo se texit adversus ictum hastæ. supra lib. 10.

— seque in sua colligit arma.

Statius lib. 11. Theb.

— in clipeum turbatus colligit artus.

Farnabius.

492. *Poplite subsidens.*] Omnino ab Eurip. in Phœniss. ubi de Eteocle, & Polynice latentibus sub clypeis ad evitandos ictus, ὑφίζανον κύκλοις· *subsiderunt sub clypeis.* Erat vero hoc ex arte militari. Veget. lib. 2. cap. 16. *Saltus quoque, & ictus facere pariter assuescant, insurgere tripudiantes in clypeum, rursusque subsidere.* Cerda.

Apicem tamen incita summum.] Galeæ id est eminentia, quam Græci *conum* vocant, in qua eminent cristæ. Potest hoc tamen nomen & de sacerdote Flamine accipi, qui apice utuntur, quod in quarto plenius dictum est, nam subjunxit *vertice cristas.* Servius.

Incita.] Id est, cum impetu veniens. *Idem.*

Apicem tamen, &c.] Quod Ennius apud Macrob. lib. 6. cap. 1.

— tamen inde volans secum abstulit hasta
Insigne.

& est id, quod in cono galeæ erigitur; ut crista. Turneb. lib. 18. cap. 3. *Taubmannus.*

494. *Tum vero assurgunt iræ.*] Similis locus in 10. *sævæ jamque altius iræ Dardanio surgunt ductori.* Præclare Plut. in vita Phocionis ait, hominum mores in adversitatibus reddi amarulentos, πικρὰ ἤθη, & pronos ad tristitiam, μικρόλυπα, & inclinari ad iram, πρὸς ὀργάς. *Cerda.*

495. *Referri.*] Id est, retro ferri. *Servius.*

496. *Multa Jovem & læsi testatur fœderis aras.*] *Multa* pro *multum*, licet haberet justam caussam iracundiæ, quod & fugiebat Turnus, & ipse appetebatur insidiis: non tamen ante prorupit in bellum, quam Jovis fidem & læsa fœdera testaretur. *Idem.*

Testatus.] In antiquis fere omnibus *testatur* legere est. In Med. ultimus

apex

Jam tandem invadit medios, & Marte secundo
Terribilis, sævam nullo discrimine cædem
Suscitat; irarumque omnis effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine cædes
Diversas, obitumque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Juppiter, æterna gentis in pace futuras?

Æneas

apex abrasus, & nota, quæ *testatus* legat, apposita. *Pierius.*

Aras.] De discrimine inter *aras*, & *altaria* multi multa. Sed verissimum est, illas esse, in quibus ἀρὰς, id est, *vota*, concipimus, sive in bonam, sive in malam partem. nam ἀραὶ sunt, & *diræ*, & *preces*, id est, εὐχαί. Altaria autem dicta ab eminentia sunt. Inde Gloss. *altare*, ἐπιβώμιος. Fest. *Altaria ab altitudine dicta sunt, quod antiqui Diis Superis in ædificiis à terra excitatis sacra faciebant.* Interpres Statii: *Nominata sunt altaria, ad quæ sacrificantes manus porrigimus in altum.* Ergo illi, qui *aras* distinguunt ab *altaribus*, quod illæ sacræ sint Diis inferis, ista Superis: aut quod illæ depressæ & fossæ in terra, si non errant, non certe explent notitiam. Itaque illæ dictæ à genere sacrorum, ista ab eminente forma. *Cerda.*

497. *Medios.*] Qui inter ipsum sequentem & fugientem Turnum medii de hostibus erant. *Servius.*

Marte secundo Terribilis.] Potest & *Marte secundo* distingui, ut sequatur *Terribilis sævam, &c.* potest & jungi, ut sit, *Marte secundo terribilis.* Idem.

498. *Nullo discrimine cædem Suscitat.*] Indiscrete obtruncat universos, quibus ante pari pepercerat modo. *Idem.*

499. *Irarumque omnes effundit habenas.*] Potestatem, facultatem, id est, iræ permittit sæviendi liberam potestatem: ut, *Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.* Et hic moderate locutus est. Nam Ennius ait, *Irarumque effunde quadrigas,* Idem.

Irarumque omnes effundit habenas.] Ab Ennio, qui (citante Serv.) *irarumque effunde quadrigas.* ut *plaustrum convitiorum* dicere solemus. Alii legunt, *effudit.* Silius ab Nostro,

Effundit cunctam rabiem, irarumque procellas.

Liv. lib. 37. *Effusissimis habenis stationem hostium invadit.* & 3. Georg. *ruunt effusi carcere currus.* Græci ἀφεῖναι, ἐφεῖναι, ἐνεῖναι, quæ trita. Oppian. addit 2. Hal. λύειν τὰς ἡνίας. *Cerda.*

500. *Quis mihi nunc tot acerba deus?*] Ac si diceret, nec Musa, nec Apollo sufficiunt. Statius, *Major ab Aoniis sumenda audacia lucis Mecum omnes audete deæ.* Servius.

502. *Inque vicem.*] Invicem. Nam *que* vacat. Alii *que* expletivam conjunctionem accipiunt. *Idem.*

503. *Tanton' placuit concurrere motu.*] Apostropha cum exclamatione ad Jovem. Sane *tanton'* circumflectitur. Nam cum per Apostropham, Apocopen verba patiuntur, is qui in integra parte fuerat, accentus mutatur. *Idem.*

Tanton' placuit, &c.] In veteribus codicibus, & *tanton'*, & *tanto* habetur. Sed enim *tanton'* notatur à Grammaticis, neque temere agnoscitur à Servio. *Pier.*

Tanton' placuit.] Cum sapore Virg. Claud. 1. Eutrop. *tantone libet mortalia visu Vertere?* & cum Homerico ipse Virg. 1. Iliad.

Τίς τ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι·

Quis vos Deorum contentioni ad pugnandum commisit? Cerda.

505. Æneas

Æneas Rutulum Sucronem, (ea prima ruentis
Pugna loco statuit Teucros) haud multa moratus,
Excipit in latus, &, qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas & crates pectoris ensem.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem
Con-

505. *Æneas Rutulum Sucronem.*] Descriptio per alterna divisa. Solent historici. . . . .* *Servius.*

Ruentes Teucros.] Modo fugientes quos Sucro insequebatur. *Idem.*

Ruentes Teucros.] Explico non de fugientibus cum turba interpretum, nam stare ita sententia non potest. Non sic est, imo *ruentes* explica, invadentes. Ruebant scilicet Trojani una cum Ænea adversum Rutulos effuso impetu, nemine illos tardante, donec ventum ad *Sucronem* est militem validum. Hic se illis opponens fecit, ut loco sisterent, sed accedens *Æneas*, adortusque, ense illius transfodit latus inserto per costas. Qui enim hostem persequuntur, etiam dici possunt *ruere*, cum sæpe id fiat incomposito & palabundo agmine. Sic Poëta clare inf. *ruenti Hilo.* id est, instanti. *Cerda.*

506. *Statuit.*] Indicat statariam pugnam. *Idem.*

Haud multa moratum.] Id est, non diu moratum, quod scilicet vim Æneæ diutius sustinere non potuit. *Servius.*

Haud multa moratus Excipit.] In Mediceo, & aliquot aliis veteribus, *morantem:* ut uno eum vulnere confectum ostendat. *Pierius.*

507. *Excipit in latus.*] Figurata elocutio. *Servius.*

Qua fata celerrima.] Indicat cor, quo transfosso, vide an celerrima sint fata? Calab. lib. 2. ita ait,

—— διήλασε δ' ὄμβριμον ἔγχος
Ἐς κραδίην, θνητοῖσιν ὅπη πέλε ὠκὺς
ὄλεθρος.
—— *inpegit hastam rigidam*
In cor, ubi velox mortalibus interitus est.

Et lib. 11.

—— κῆρες ὁμῶς φορέοντο βελέμνῳ
Καίριον ἐς κραδίην, ὅθι περ νόος ἐστ'
ἀνδρῶν,
Καὶ μένος, ὀτραλέη δὲ πόλι μόροιο εἰσὶ
κέλευθοι.
—— *Parcæ unà cum jaculo ferebantur*
Ad opportunum cordis locum, ubi mens
hominum sedet,
Et robur, maturaque ad mortem sunt
viæ.

Est hoc, quod Ovid. 8. Metamorph. *quaque est via proxima letho.* Huc pertinet scitum medicorum, qui ajunt in corde nunquam fieri posse ἀπόστημα, *apostema, abscessum*, præ celeritate, qua mors sequitur illo semel icto. *Cerda.*

Crudum ensem.] Modo *durum*, alias *crudelem*. Servius.

Crudo transadigit costas & crates pectoris ense.] In Mediceo, in Romano, & antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *crudum transadigit costas, & crates pectoris ensem*, scriptum observavi, quod etiam Servius agnoscit. Ex hoc vero superiorem lectionem communire possis, ubi de Turno legitur, *crudum per costas exigat ensem.* Nam *durum* in aliquot codicibus legi dicebamus. *Pierius.*

508. *Et crates pectoris.*] Donatus superfluam vult esse conjunctionem *&*, ut sit Epexegesis, adigit ensem per costas, id est, pectoris crates, ubi celerius fata complentur. Et hoc est quod ait supra, *Haud multa morantem.* Servius.

Crates pectoris.] Ad eum modum, quo Pind. Od. 6. Pyth. *cancellatum opus favorum*, μελισσᾶν τρητὸν πόνον. & Virg. lib. 4. Georg. *crates favorum.* Est vero in Poëta ἓν διὰ δυοῖν. *Cerda.*

509. *Amycum, fratremque Diorem.*] Hi duo duces sunt etiam supra memorati, ut, *Nunc Amyci casum gemit, nunc acris Orontis.* Item, *Et nunc tertia palma*

 Diores.

Congressus pedes: hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit; curruque abscisa duorum
Suspendit capita, & rorantia sanguine portat.
Ille Talon, Tanaïmque neci, fortemque Cethegum,
Tris uno congressu, & mæstum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiæ.
Hic fratres Lycia missos & Apollinis agris,

Et

Diores. Unde ad terrorem populi, eorum capita religantur in curru. *Serv.*

510. *Hunc cuspide longa, hunc mucrone ferit.*] Plane ex Hom. Iliad. 20.

Τὸν μὲ δουρὶ βαλών, τὸν δ' ἄορι τύψας·

Hunc quidem feriens hasta, hunc vero cominus gladio percutiens.

Cerda.

Hunc cuspide, hunc mucrone.] Aliud enim *Cuspis*, aliud *Mucro*. *Cuspis* enim, Græcis στύραξ, σαυρωτὴρ & κέραχος, ferrum illud est, quod in altero hastæ extremo ἐπιδορατίδα oppositam habet: quodque in terram defigebant, cum hastæ rectæ incumbebant. Ergo *Cuspidi* opponitur *Mucro*. Glossarium: *Mucro*, ἄκρον σιδήρου. *Mucrone*, ἀκροξιφιδίῳ. Videatur Casaubonus ad Æneam Tacticum. *Taubm.*

511. *Curru.*] Aut septimus est, aut dativus casus antiquus secundum regulam, ne sit major à nominativo plurali. *Servius.*

Duorum.] Pro *amborum*. Idem.

512. *Rorantia sanguine portat.*] Ita alibi, *rorantes sanguine cristas*. &, *spargit rapida ungula rores*. Ros enim de quocunque liquore; ut Pind. Od. 7. Olymp. phialam scripsit ἔνδον ἀμπέλου καχλάζοισαν δρόσῳ: *intus rore uvæ bullientem.* Stat. 2. Theb.

—— *tum crines, ardentiaque ora cruentis*
Roribus, & tetra morientum aspergine manant. Cerda.

514. *Mæstum Onyten.*] Severum, naturaliter tristem, ἀγέλαστον, aut imaginatus est exspirantem, mittit autem socium supra memoratis. Sane *Onyten* Donatus dicit aut gentile esse, aut patronymicum, ut nomen ejus proprium sit *Echionius*. Sed hoc non procedit, quia neque patronymicum in *tes* exit: neque *Onytes* à qua gente veniat usquam lectum est. Proprium ergo est: & sequens versus erit, *Nomen Echionium*: id est, Thebana gloria, per Periphrasin. Nam *Echionii* sunt Thebani à rege Echione. Unde quidam male legunt *Nomine Chionium*. Alii *nomen Echionium*, hoc est genus, quemadmodum de matre *genus* dixit, accipiunt, ut ostendatur eum Echionis esse & Peridiæ filium, vel ab Echione genus ducentem. *Servius.*

Mittit.] Pro, interficit, usitatum Nostro, sic,

Huic comitem Buten conjecta cuspide mittit.

&, *multos Danaum demittimus Orco*. Val. lib. 7. Arg. *demittere letho.* Hom. Il. 5. ἀΐδωνῆϊ προϊάψειν. & 6. ἀΐδι προϊάψειν. *Cerda.*

515. *Nomen Echionium.*] In antiquis plerisque codicibus legas *nomine Echionium*, quam lectionem improbat Servius. neque Donato assentitur, qui *Onitem* nomen vel patronymicum, vel gentile putat, & *Echionium* proprium. *Pierius.*

Matrisque genus Peridiæ.] Periphrasis est: hoc est, filium Peridiæ. *Servius.*

Lycia missos & Apollinis agris.] Vacat *et*, nam per Epexegesin Lycia arva, Apollinis dixit, ut, *Nunc Lyciæ sortes*. Appellat autem *Lyciam* à Lyce nympha, ex qua habuit Apollo filium nomine Lycadium; *missos* autem profectos, ut *Missus in imperium magnum.* Idem.

Lycia missos & Apollinis agris.] Nam Apollo

Et juvenem exosum nequicquam bella Menœten
Arcada: piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
Munera: conductaque pater tellure serebat.
Ac velut immissi diversis partibus ignes

Apollo in Lycia colebatur. Sententia constat per ἓν διὰ δυοῖν. Quasi dicat: Missi erant ab agris, qui sacri in Lycia Apollini. & agros Myrinos describit, ut puto. Myra enim (nomen est urbis) in Lycia fuere Apollinis oraculo celeberrima. Stephanus hanc civitatem in Lycia constituit. Mart. lib. 9. *Campis dives Apollo sic Myrinis.* Plin. quoque lib. 32. cap. 2. meminit fontis, qui sacer Apollini in Myris Lyciæ. *Cerda.*

517. *Exosum nequicquam, &c.*] Sic supra, *Injecere manum Parcæ.* Nam per transitum ostendit urgentibus fatis eum ad bella deductum, quæ nequicquam semper vitare cupiebat: Hunc autem Menœtem oriundo Arcada fuisse intelligimus, sed habitasse circa Argos. nam Lerna palus est Argivorum, in qua dicit solitum eum fuisse piscari. nam hoc significat, *Piscosæ cui circum flumina Lernæ Ars fuerat.* Et vetuste *flumina* pro fluore dixit, neque enim Lerna fluvius est, & sic *flumina Lernæ*, quomodo *Aventini montem:* Quæritur sane qui primus *exosum* pro *perosum* dixerit. *Servius.*

519. *Pauperque domus.*] *Hic* & *hæc pauper* dicimus. nam *paupera* usurpativum est. Sic Plautus, *Paupera est hæc mulier.* Sed hoc hodie non dicimus. Ea enim nomina quæ ablativo singulari in *e* exeunt, si fœminina ex se faciunt, similia faciunt: nec enim heteroclita iterum nomina, id est alterius declinationis esse possunt. ut puta, quæ *ab hoc hospite* facit, *hic* & *hæc hospes* dicamus necesse est. Lucanus, *Hospes in extremis audivit curia tectis.* Nam ab hoc leone, *hic* & *hæc leo:* ab hoc latrone, *hic* & *hæc latro:* ab hoc fullone, *hic* & *hæc fullo:* ab hoc nepote, *hic* & *hæc nepos.* Nam ut *neptis* dicamus in jure est propter discretionem successionis admissum. Sciendum autem *hospita*, *paupera*, *leæna*, *lea* usurpatum à poëtis esse. *Idem.*

520. *Potentum munera.*] *Munera* dicit obsequia: id est, officia, quæ pauperes divitibus loco munerum solvunt. Sane *munera* & quæ *munia* dicimus. *Idem.*

Nec nota potentum Munera.] Liber vetustissimus Colatianus pro, *munera* habet, *limina*, quomodo locutus est Horatius Epod. Od. 2.

Forumque vitat, & superba civium
Potentiorum limina.

quin autem hæc vera hujus loci scriptura sit, dubitandum plane non est. *Ursinus.*

Pater.] Ipse pater, an pater ejus. *Servius.*

Conducta tellure serebat.] Colonum significat eum, quem Græci γεωργὸν αὐτουργὸν vocant. Innuere etiam agrum videtur vectigalem & stipendiarium, qualem sub iisdem pene verbis vult innui Servius lib. 11. *Aurunci, Rutulique serunt, & vomere duros Exercent colles.* Germanus.

521. *Ac velut immissi, &c.*] Duplex comparatio ab igne, & fluvio, ut etiam in 2.

In segetem veluti cum flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens.

Notat Scal. lib. 5. c. 3. Virgilii cantum longe feliciorem Homerico, qui Il. 11. duces suos duobus messoribus comparavit, nam præter casum segetis nulla vis est in re ipsa. Ait Poëta *immissi ignes*, ut in Georg.

Diversa immisit sylvis incendia pastor. Cerda.

Arentem in silvam, & virgulta sonantia lauro;
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo
Æneas Turnusque ruunt per prœlia: nunc, nunc
Fluctuat ira intus: rumpuntur nescia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Murranum hic, atavos & avorum antiqua sonantem
Nomi-

522. *Arentem in silvam.*] Pro *aridam.* Servius.

Virgulta sonantia lauro.] Quæritur quid sit *virgulta sonantia lauro*, scilicet ipsa virgulta lauri; *sonantia* autem cum crepitu ardentia. *Idem.*

523. *Aut ubi decursu rapido, &c.*] Hom. Il. λ. χειμάῤῥους κατ' ὄρεσφιν ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ, πολλὰς δὲ δρῦς ἀζαλέας, πολλὰς δέ τε πεύκας εἰσφέρεται. & Lucret. lib. 1. *Quod largis imbribus auget Montibus ex altis magnus decursus aquai.* Germanus.

524. *Dant sonitum spumosi amnes.*] Bellum semper incendio & fluminibus comparat. Sic in secundo, *In segetem veluti cum flamma furentibus austris Incidit, aut rapidus montano flumine torrens.* Servius.

Suum populatus iter.] Postquam vastando sibi iter fecit: illa enim mavult H. Steph. quam, populatus quicquid sibi in itinere occurrit. *Taubm.*

525. *Non segnius ambo Æneas Turnusque ruunt.*] Bene comparationibus diversis singula reddidit ad similitudinem veram, quia ambos ignibus aut fluminibus comparaverat. Ergo *non segnius* ad ignem retulit, quia segnis quasi sine igne sit, *fluctuat* autem ad amnes eum retulisse nulla dubitatio est. *Servius.*

526. *Ruunt per prælia.*] In codicibus aliquot antiquis *ruunt in prælia* legitur, sed *per* in pluribus. *Pierius.*

527. *Fluctuat ira intus.*] Lucret. lib. 3. *irarum fluctus.* Simocatt. cap. 6. lib. 1. ἀνάζεσις αἵματος μείζων τῷ Χαγάνῳ θυμὸν ἐπεκύμαινε· *fervor sanguinis excitavit in Chagano magnos irarum fluctus.* Quæ verba declarant & Lucretium, & Virgilium, nam fluctus irarum a fluctuante & fervente sanguine. *Cerda.*

Rumpuntur.] Pro *fatigantur*, & *fluctuat* & *rumpuntur*, quia *Nescia vinci Pectora.* Horatius, *Pelidæ stomachum cedere nescii.* Servius.

Rumpuntur nescia vinci pectora.] Passeratius è Lucr. imitatum censet, l. 3.

— inprimis vis est violenta leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerunque gementes
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt. Taubm.

529. *Murranum hic, atavos & avorum antiqua sonantem Nomina.*] Hoc est, cujus majores omnes *Murrani* sunt dicti, & reges fuerunt: ut, *Per regesque actum genus omne Latinos.* Scimus enim solere plerunque fieri, ut primi regis nomen etiam reliqui possideant, ut apud Romanos *Augusti* vocantur, apud Albanos *Sylvii*, apud Persas *Arsacidæ*, apud Ægyptios *Ptolemæi*, apud Athenienses *Cecropidæ.* Unde superfluum quod ait Donatus debere nos accipere occisum Murranum, dum avos & atavos Turni commemorat, & effert laudibus maximis per illud, *Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem Murranum.* Servius.

Avorum antiqua sonantem Nomina.] Est hoc quod Propert. Eleg. 13. lib. 1. *illustres femina jactat avos.* & Eleg. 11. lib. 4. *genus hic Rheno jactabat ab ipso.*

Mart.

Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Præcipitem scopulo, atque ingentis turbine saxi
Excutit, effunditque solo. hunc lora & juga subter
Provolvere rotæ: crebro super ungula pulsu
Incita nec domini memorum proculcat equorum.
Ille ruenti Hyllo animisque inmane frementi
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.

Dex-

Mart. lib. 5. Epig. 17.

Dum proavos, atavosque refers, & nomina magna.

Quintil. Declam. 308. *jactatione sanguinis.* Ut Virg. *antiqua sonantem*, ita Valer. 3. Arg. *& Ophelten vana sonantem.* & Ammian. lib. 29. de quibusdam, qui se conspicuos dicebant prænominum claritudine: *jam Tarraciis, jam Perrasiis, aliisque sonantibus originum insignibus multis.* Cerda.

Sonantem.] Λαμπροστομοῦντα Æschylo. Jactantem imagines majorum suorum. Lucr. l. 3.

Et crepat antiquum genus, & pietate repletum.

De *Murrano*, quo nomine Latinorum Reges dicti, vide Æn. 6. ỷs. 763. *Taubmannus.*

530. *Per regesque actum genus omne Latinos.*] Horatius de Lamo, *Et nepotum per memores genus omne fastos.* Servius.

Actum.] Ductum. *Taubm.*

Ingentis turbine saxi.] In Romano, *ingenti.* sed magis placet, *ingentis saxi.* *Pierius.*

Ingentis turbine saxi.] Æn. 9. ỷs. 571.
——*ingentis fragmine montis.*
Taubmannus.

534. *Nec domini memorum proculcat equorum.*] Id est, equorum domini immemorum. *Servius.*

Nec memorum domini proculcat equorum.] Egregium πάθος, quia neque ipsi equi meminere, eum esse suum dominum. A quo affectu non abit Ovidianus, quo proclamat miser à canibus laceratus:

Actæon ego sum, dominum cognoscite vestrum.

Cerda.

535. *Ruenti Hilo.*] In antiquis codicibus *Hylo* per y scriptum est. *Pier.*

Ilo.] Ita scribendum, non *Hilo*, jam Turn. monuit. Scias in mensione non absumi vocalem per synalœpham, idque ex vi Græca, scribitur enim Ἴλῳ. Itaque metire, *lo animis.* nam *ω*, non absumitur. *Cerda.*

536. *Aurata ad tempora.*] Cum hoc dicatur propter galeam, lege quæ dedi ad exitum lib. 8. ubi de Augusto, *geminas cui tempora flammas Læta vomunt.* Idem.

537. *Olli per galeam, &c.*] Locus plane Hom. 13. Iliad.

Οὐδ' ἄρα χαλκείη κόρυς ἔσχεθεν, ἀλλὰ δι' αὐτῆς
Αἰχμὴ ἱεμένη ῥῆξ' ὀστέον, ἐγκέφαλος δὲ
Ἔνδον ἅπας πεπάλακτο· ——

*Neque ærea galea restitit, sed per ipsam
Cuspis percupida rupit os, cerebrum vero
Intus totum inquinatum est.* ——

Atque etiam Iliad. 12. ubi Polypœtes

Δουρὶ βάλεν Δάμασον κυνέης διὰ χαλκοπαρήου, &c.

Hasta percussit Damasum per galeam æreas malas habentem.

Cerda.

Fixo stetit hasta cerebro.] Quidam codices antiqui *fixa stetit asta*, legunt. In Mediceo *fixa* prius scriptum fuerat, inde alio atramento ducta circularis lineola in o literam. *Pierius.*

538. *Dex-*

Dextera nec tua te, Graiûm fortissime Creteu,
Eripuit Turno: nec dì texere Cupencum,
Ænea veniente, sui. dedit obvia ferro
Pectora: nec misero clipei mora profuit ærei.
Te quoque Laurentes viderunt, Æole, campi
Oppetere, & late terram consternere tergo.
Occidis, Argivæ quem non potuere phalanges
Ster-

538. *Dextera nec tua te, Grajum fortissime Creteu, Eripuit Turno: nec dii texere Cupencum.*] Ita Æneam comparat Turno, ut eum superiorem esse significet. Nam quem Turnus interemit, virtus sua liberare non potuit: ei vero, quem occidit Æneas, ne sua quidem numina prodesse potuerunt. Terentius, *Memini relinqui me deo irato meo.* Sic alibi, *nec dii morientis Elissæ.* Singuli enim deos proprios habemus genitos. Sane sciendum *Cupencum* Sabinorum lingua sacerdotem vocari: & apud Romanos Flaminum & Pontificum Sacerdotem: Sunt autem *Cupenci* Herculis sacerdotes. Ergo quod huic proprium nomen de sacerdote finxit, bene dixit, *Nec dii texere sui*, & quidam reprehendunt Poëtam hoc loco, quod in nominum inventione deficitur. Jam enim in IX. Cretea à Turno occisum induxit, ut, *Cretea musarum comitem:* Sed & apud Homerum, & Pylæmonem, & Adrastum bis ponit & alios complures. *Serv.*

Grajum fortissime Creteu.] Vetera quædam exemplaria *Rheteu* scribunt, plura *Creteu.* Pierius.

539. *Nec dii texere Cupentum.*] Antiqua omnia hæc exemplaria *Cupencum* legunt per *c* in finali syllaba. Est & *di* unico *i*, de quo sæpe dictum. *Idem.*

540. *Sui.*] Dii *nostri* dicuntur, qui nobis propitii favent: Turneb. lib. 9, 30. ita Persius Sat. 5.

Saturnumque gravem nostro Jove frangimus,

id est, nobis propitio. Terentius:

Memini relinqui me Deo irato meo.

Singuli enim proprios habere deos credebantur. *Taubm.*

Clipei mora profuit ærei.] Antiqua omnia exemplaria, quæ volvimus, *æris* legunt. quamvis *ærei* cultum magis videatur. *Pierius.*

541. *Ærei.*] Hæc synecphonesis crebra in Virgilio, in fine, initio, medio. Testimonia primi, hic *ærei.* in 5. *Unguibus aureis.* alibi, *pondera balthei.* Alterius in 6. *ferreique Eumenidum thalami.* Tertii, cum ait, *Terei, Protei,* &c. *Cerda.*

543. *Late terram consternere.*] Aliud ex alio ostenditur. Nam per hoc corporis exprimitur magnitudo. ut, *Stabant trecenti nitidi in præsepibus altis.* Serv.

544. *Phalanges.*] Etiamsi vox ista signet aciem Macedonum, Livio tamen sæpe dicitur de Romano exercitu, & Cedren. pag. 323. *βαθείας δὲ τῶν Ῥωμαίων φάλαγγος οὔσης· conserta Romanorum phalange.* Verum est tamen, ita fieri mentionem phalangis, ut fere semper cum respectu ad Macedoniam. De Nerone Suet. cap. 19. *Parabat & ad Caspias portas expeditionem, conscripta ex Italicis senum pedum tyronibus nova legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat.* & Alexander Severus apud Herodian. lib. 4. lectissimam juvenum manum *Μακεδονικὴν ἐκάλει φάλαγγα· vocabat Macedonicam phalangem.* Apertio & Lectori observationem. Cum sermo est in Scriptoribus de re Macedonica, absolute dicunt *phalanx.* Quoties de aliis est sermo, milites dicebantur aut *phalangitæ*, aut *phalangarii.* Quibus vocibus significatur acies, non vera Macedonum, sed cum forma ad illam. Testimonium primæ vocis est in Livio lib. 37. ubi de exercitu Antiochi:

Decem

Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles.
Hic tibi mortis erant metæ: domus alta sub Ida,
Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulcrum.
Totæ adeo conversæ acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidæ: Mnestheus, acerque Serestus,
Et Messapus equûm domitor, & fortis Asylas,
Tuscorumque phalanx, Euandrique Arcadis alæ,
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.

Nec

Decem & sex millia peditum more Macedonum armati fuere, qui phalangitæ appellabantur. Alterius in Lampridio, qui de Alexandro Severo æmulante Magnum Alexandrum: *Fecerat & phalangem triginta millium hominum, quos phalangarios vocari jusserat.* Virg. certe attributis rem hanc discernit. Nam hic, *Argivæ phalanges.* & inf *Thuscorumque phalanx.* Cerda.

545. *Eversor Achilles.*] Bene separavit: ut, *Relliquias Danaûm atque immitis Achilli.* Servius.

Nec Priami regnorum eversor Achilles.] Quia ab occiso Hectore, quem Achilles interfecit, tota imperii ruina. Est *eversor* καθαλύτης, πορθητής. Ovid. 12. Metam.

Jam timor ille Phrygum, decus, & tutela Pelasgi
Nominis Æacides, caput insuperabile bello.

Statius etiam, *Trojæ vastator Achilles.* Cerda.

546. *Mortis metæ.*] Id est, mors, quæ meta est & finis. nam *metas vitæ* dicimus, non *mortis*; mors enim infinita est. Sciendum tamen ita hoc de Homero esse translatum, qui ait τέλος θανάτοιο, hoc est, finis mortis. nam in ipsa morte finis est. *Servius.*

547. *Lyrnessi domus alta.*] Lyrnesos civitas est Phrygiæ. Unde fuit Briseis, & per transitum docet neminem posse statuta vitare, quando enim hic crederet ibi se natum tam longe esse periturum? *Idem.*

Solo Laurente sepulchrum.] Similis conquestio de diverso loco natalitii, & mortis est in vetere inscriptione,

Gallia quem genuit de gente Nervem populorum,
Itala terra tegit, Gallia quem genuit.

Apud Euripid. in Alcest. fit hæc precatio, quasi nihil majus ea esse possit,

— ἀδαίμονας (παῖδας)
Ἐν γῇ πατρῴᾳ τερπνὸν ἐκπλῆσαι βίον.

Cerda.

548. *Conversæ acies.*] In bellum coactæ, vel inter se conversæ. *Serv.*

551. *Euandrique Arcadis alæ.*] In antiquis omnibus exemplaribus *Arcades* scriptum observatur: quod minime displiceat, quia passim *Arcades* Virgilius nominat. *Pierius.*

552. *Pro se quisque viri.*] Pro qualitate virium suarum: sicut in quinto, *Pro se quisque viri, & depromunt tela pharetris.* Servius.

Pro se quisque.] Quia non tantum ductu, sed virtute militari rem gerebant, & καθ' ἑαυτὸν, ut Hom. loquitur. Sed & fortasse dicit, pugnasse eos *pro se*, id est, pro vita, ad eum modum, quo de Julio pugnante contra filios Pompeji in Hispania, ait Plut. πολλάκις μὲν ἀγωνίσατο περὶ νίκης, νῦν δὲ πρῶτον περὶ ψυχῆς· *Pugnavit sæpe pro victoria, nunc primum pro vita.* Porro imitationem jam alii aperuerunt. ea sumpta ab Attio in Meleag.

Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, domant, tenent
Pro se quisque, cum corona clarum conflat caput. Cerda.

Summa nituntur opum vi.] Hemistichium

Nec mora, nec requies: vasto certamine tendunt.
Hic mentem Æneæ genetrix pulcherrima misit,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen
Ocius, & subita turbaret clade Latinos.
Ille, ut vestigans diversa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit; aspicit urbem
Inmunem tanti belli atque inpune quietam.
Continuo pugnæ accendit majoris imago:

Mne-

chium est Ennianum. *Servius.*

Summa nituntur opum vi.] Ita in 9. *Summaque evertere vi.* Adducit Macrob. cap. 1. lib. 6. versus Ennii, qui lib. 4.

Romani scalis summa nituntur opum vi.

Et lib. 16.

Reges per Regnum statuasque sepulchraq; quærunt;
Ædificant nomen, summa nituntur opum vi.

Apud Tull. 2. Divinat. habetur hic versus,

Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim. Cerda.

Tendunt.] Pro *contendunt.* Serv.

554. *Mentem Æneæ genetrix pulcherrima misit.*] *Mentem,* Consilium: ut *Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.* *Misit* autem pro *immisit.* Et *Pulcherrima* perpetuum epitheton est, nec ad negotium pertinens. Sane bona usus est œconomia, ut diceret instinctu numinis Æneam profectum esse ad civitatis excidium. Nam incongruum fuerat occupatum bello per se tale cepisse consilium. *Servius.*

Genetrix pulcherrima.] Servii scholion hoc, *perpetuum epitheton est, nec ad negotium pertinens,* ineptum est. An aliquid Maro non ad rem pertinens? Dicitur aliquid fieri *pulchre,* cum sapienter fit & opportune. Terent. Eunuch. *Dixti pulchre, nunquam vidi melius consilium dari* Plaut. Aulul. *Neque ligna usquam vidi præberi pulchrius.* Sic & Græcè δέον, quod sumitur pro *opportunitate.* Nam Plutar. in vita Cicer. quod omnes dicerent ἐν καιρῷ, ille ἐν δέοντι. Ergo *pulcherrima* dicitur Venus, quæ pulcherrimum attulit consilium, id est, sapientissimum, & opportunissimum. & esse quidem potest hypallage *genitrix pulcherrima misit mentem,* pro pulcherrimam mentem. Sic *purpureos cristis juvenes,* pro purpureis cristis. & millena in uno Virgil. *Cerda.*

555. *Urbique adverteret agmen.*] Id contra urbem. *Servius.*

Urbique adverteret agmen.] Ovid. 1. Trist. Eleg. 2. *jussæ me advertite terræ.* Sic & 4. Georg. *terris festinem advertere proram.* Cerda.

558. *Acies circumtulit.*] Vel exercitum suum huc atque illuc circunduxit, vel acies oculorum: bona occasione pervenit ad id, ut Æneas civitatem posset aspicere. *Servius.*

559. *Immunem tanti belli.*] Sine officio dimicandi. Et vult inobsessam intelligi, quasi sine periculo sit oppugnationis. Nam *Immunis* est qui nihil præstat, quasi sine muniis, hoc est, qui non facit munia. *Idem.*

Immunem.] Doctissime, nam vox hæc è media militia. Erant *immunes,* qui aut ex lege, aut ex beneficio vacabant. Liv. lib. 7. *immunes operum militarium.* & quidem *militibus immunibus* opponuntur *munifices.* Veget. *Munifices appellantur qui munus facere coguntur.* Ammian. l. 25. *munifici gregario.* Cerda.

Impune quietam.] Quæ specialiter debuit pœnas luere propter fœdus abruptum. *Servius.*

560. *Pugnæ accendit majoris imago.*] Subaudis *eum.* Idem.

563. Nec

Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum
Ductores, tumulumque capit: quo cetera Teucrûm
Concurrit legio: nec scuta aut spicula densi
Deponunt. celso medius stans aggere fatur:
Ne qua meis esto dictis mora. Juppiter hac stat.
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie caussam belli, regna ipsa Latini,

Ni

563. *Nec scuta aut spicula densi Deponunt.*] Ex eo quod non est factum, quod fieri soleat indicavit: ut supra, *Desigunt telluri hastas, & scuta reclinant.* Idem.

Nec scuta aut spicula densi Deponunt.] Elucet in istis mos Romanorum, qui armati aderant audituri suos Principes concionantes. Apud Claudian. de Bell. Gild.

—— stat circumfusa juventus
Nixa hastis, pronasque ferox accommodat aures.

Ammian. lib. 2. *Progressus Princeps ambitiosius solito tribunal ascendit, signis aquilisque circumdatus, & vexillis, septusque totis armaturarum cohortium globis.* Sic & apud alterum Plinium loquentis Trajani tribunal inducitur *pilorum, signorumque horrore circumdatum.* Cerda.

564. *Celso medius stans aggere fatur.*] Hoc quoque è more ducum, qui ab tumulo, ab aggere, à cespite concionabantur conspicui. De re hac jam plene Lips. lib. 4. de Milit. Rom. dial. 1. Plutarch. in vita Pomp. de hac re loquens, ὃ (βῆμα) ποιοῦσιν αὐτοὶ τῆς γῆς ἐκτομὰς βαθείας λαμβάνοντες, καὶ καταλλήλων συντιθέντες, *quem suggestum faciunt grandibus cespitibus excisis, invicem accumulatis.* Ammian. lib. 19. *celsoque aggere in speciem tribunalis erecto.* & l. 21. loquens de Iuliano, *saxeo suggestu insistens.* Vopiscus etiam in vita Probi meminit *tribunalis cespititii.* & de illo Prud. Psychom.

Exstruitur media castrorum sede tribunal
Editiore loco, tumulus quem vertice acuto
Excitat in speculam, subjecta unde omnia late
Liber inoffenso circumspicit aëra visu.

Idem.

565. *Nequa.*] Pro *nulla.* Servius.

Esto.] Sit. *Idem.*

Juppiter hac stat.] Pro nobis religio est, quam læserunt Rutuli ruptis fœderibus. Novimus autem interfuisse fœderi & deos alios, & Jovis imaginem sceptri præsentia redditam. *Idem.*

Juppiter hac stat.] Pro nobis facit contra Rutulos fœdifragos. Vel, ut Scalig. lib. 4, 16. Hic est modus, hæc via imponendi fatis finem. Hemistichium Ennii, ut Macrob. l. 6, 1.

Non semper vestra evertit, nunc Juppiter hac stat.

Taubmannus.

566. *Neu quis ab inceptum subitum mihi segnior ito.*] Tertia persona est *Ito*, id est, eat: & hortatur eos ut in bellum ruant, quasi res fuerit ante disposita. Nam hoc dicit, Repentinum imperium nullam vobis afferat moram. Unde est illud paulo post, *Scalæ improviso, subitusque apparuit ignis.* Servius.

567. *Urbem hodie caussam belli, &c.*] Tres versus in Oblongo codice hoc habentur ordine,

Urbem hodie caussam belli: regna ipsa Latini
Eruam: & æqua solo fumantia culmina ponam:
Ni frænum accipere, & victi parere fatentur.

Sed enim magis placet conditionalis oratio, *Ni frænum accipere, & victi parere fatentur.* interposita & ante verbum *eruam.* Est & illud adnotandum quod

freni

Ni frenum accipere, & victi parere fatentur,
Eruam, & æqua solo fumantia culmina ponam.
Scilicet exspectem, libeat dum prœlia Turno
Nostra pati; rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, ô cives, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces propere, fœdusque reposcite flammis.
Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum; densaque ad muros mole feruntur.
Scalæ inproviso, subitusque apparuit ignis.

Dis-

freni inter ea nomina reponitur à Carisio, quæ singularitate carent: quanvis secus à Virgilio dicatur, ut hoc loco. *Pierius.*

Caussam belli.] Quia illic erat Lavinia. *Servius.*

568. *Frenum.*] *Frenum* singulari numero raro lectum est, & quidam hunc versum per figuram Græcam dictum tradunt. ὁμολογῶσιν μέλλειν λαβεῖν. *Idem.*

Ni frenum accipere.] Sic & Sophocl. in Electra, στόμια δέχεσθαι. Tib. *frenum mordere: Non domito frenos ore momordit equus*: quamvis alii, *frenum mordere*, pro detrectare, & contumaciter respuere accipiant. *German.*

569. *Eruam.*] Confidenter, quasi jam non bellum sit, sed expugnatio. *Servius.*

572. *Hoc caput, ô cives.*] Sic superius Drances à Turno, ut, *O Latio caput horum & causa malorum*, id est, principium; potuistis enim quieti esse, si Latini fœdus servassent, & ad Latinos transfert crimen Turni. *Idem.*

573. *Ferte faces propere.*] Veteres plerique codices *properi* legunt, uti superius, *Circumstant properi aurigæ.* sed magis incitare videtur adverbium. *Pier.*

Fœdusque reposcite flammis.] Gravitate sermonum declamationi pondus imposuit. Nam hoc dicit, Flammas fœderis urbis innovemus incendio. nam *Reposcite*, est revocate, innovate. *Servius.*

574. *Animis pariter certantibus.*] Id est, certatim. Et ambitu verborum ψυχομαχεῖν, καὶ ψυχομαχίαν significavit. Polyb. de Carthag. *Taubm.*

575. *Dant cuneum.*] Quotiens in similitudinem cunei milites disponuntur. *Servius.*

Dant cuneum.] Castrense, & militare vocabulum, pro eo quod est, se in cuneum componunt. *Cuneus* autem per translationem sumitur pro peditum globo, in cunei formam redacto & glomerato, quæ Græcis στῖφος & τάξις σφηνοειδὴς Aristidi, ita disposita, ut ab angustiore prima parte turbinatim in latum procedat & desinat: unde & constipatam quamvis turbam *cuneos* dicimus: ut supra eodem hoc libro: *densi cuneis se quisque coactis Agglomerant:* & Cyprianus; *stipatus clientum cuneis.* Sic & Græci, γόμφους, cuneos nonnunquam & condensatam turbam vocant. Apud Ælianum ἔμβολος est *acies* cuneata. Unde ἐμβολοειδὴς προβολὴ est impressio agminis in cuneum aut rostrum conformati, & pars machinæ, qua machina ingruit. *Germanus.*

Densa mole.] Densi cum impetu. *Servius.*

576. *Scalæ.*] Vide etiam de his Lips. in Rom. Mil. *Cerda.*

Improviso.] Deest *ex*, ut sit, ex improviso. *Servius.*

Apparuit ignis.] Pro *apparuerunt*, & est Zeugma, ut in primo, *Cymothoë simul, & Triton adnixus*, pro *adnixi*, non enim solus Triton adnitebatur. *Idem.*

577. *Dis-*

Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant:
Ferrum alii torquent, & obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Æneas, magnaque incusat voce Latinum;
Testaturque deos iterum se ad prœlia cogi:

Bis

577. *Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant.*] Subaudis *Improviso.* & hæc simul pronuntianda sunt, ut simul facta videantur: quo vehementer vis bellica possit agnosci. *Primosque trucidant* autem, id est, qui primi ad portas erant obvii, scilicet stationem agentes. *Idem.*

Primosque trucidant.] In Oblongo codice *fatigant*: quod non ita placet. Nam in præliis mos est, ut primi semper sint cædibus, & periculis magis expositi:& ad aliorum terrorem, clementissimi etiam imperatores, expugnationis initio, cæde aliqua sævire soliti sunt. *Pierius.*

578. *Et obumbrant æthera telis.*] Ita in 11. *cælumque obtexitur umbra.* Aristoph. Vesp.

Ὑπὸ δὲ τῶν τοξευμάτων, οὐκ ἦν ἰδεῖν τὸν οὐρανόν·

Videri cælum non potuit præ imbre sagittarum.

Et sermo quidem est Aristophani de pugna, qua Miltiades dux Atheniensium fudit Darium Regem Persarum in campis Marathonis. De Xerxe Aristid. in Panath. *ὥστε νύκτωρ μὲν ἐστράπτεν ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ· μεθημέραν δὲ νύκτα ἐποίει, ὁσαχοῦ τοξεῦσαι κελεύσειε· itaque & noctu diem inducebat auro atque argento, & die noctem cum suos jaculari juberet.* De eodem in 2. Platon. ubi loquitur de Themistocle, ὁ δὲ ἥλιος συνεκρύπτετο τοῖς τοξεύμασι· *Sol autem telis obtegebatur.* Arbiter de ipso Xerxe, *Solem texere sagittæ.* De eodem Sen. l. de constantia Sapientis c. 4. *Quid tu putas, cum stolidus ille Rex multitudine telorum diem obscurasset, ullam sagittam in Solem incidisse?* Stat. 8. Theb.

Exclusere diem telis, stant ferrea cælo
Nubila, nec jaculis arctatus sufficit aër.

Alicui placebit *atratus* ab nigricante die, & latente Sole jaculorum copia. Plin. loquens de populis Orientalibus cap. 36. lib. 16. *his armis Solem ipsum obumbrant.* Ammian. lib. 19. *sagittarum creberrima nube auras ipsas multitudine obumbrante.* & lib. 25. *Persæ sagittarum volantium crebritate conspectum Solis rapiebant.* Ennod. Paneg. *Si cælum lancearum imber obtegeret.* Silius libro nono,

—— cælumque & sydera pendens
Abstulit ingestis non densa sub æthera telis.

Et lib. 2.

Conditur extemplo telorum nubibus æther.

Et lib. 4.

Hinc pila, hinc Libycæ certant subtexere cornus
Densa nube polum. ——

Lucan. lib. 3. *emissaque tela Aëra texerunt.* Sed & ad res alias, non ad bellum tantum sententia ea emanavit. Nam de locustis Plin. lib. 11. cap. 19. *Solemque obumbrant.* & Valer. lib. 4. Argonaut. de Harpyis, *Cocytia nubes.* Cerda.

Obumbrant æthera telis.] Telorum nube. Vide Not. 11. Æn. ℣. 611. *Taubmannus.*

579. *Inter primos.*] Inter duces, inter principes. *Servius.*

581. *Testaturque deos.*] Id est, fœderis. *Idem.*

Testaturque deos.] Tale illud Consulis Varronis apud Liv. lib. 22. *Testaturque Deos, & homines hic, nullam penes se culpam esse, quod Annibal jam velut suam cepisset Italiam.* Cerda.

Iterum se.] Donatus legit, *se invitum ad pr.* quod præfert Fabricius. cum rem eandem dicere bis non debuerit; & caussa voluntatis coactæ additur; *Bis jam &c.* Duo autem fœdera Æneas cum

Bis jam Italos hostis, hæc altera fœdera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia civis:
Urbem alii reserare jubent, & pandere portas
Dardanidis; ipsumque trahunt in mœnia regem.
Arma ferunt alii, & pergunt defendere muros.
Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor

Vesti-

cum Latino pepigerat: unum per Ilioneum legatum. *Taubm.*

582. *Hæc altera fœdera rumpi.*] Bis rumpi fœdera, bis Italos hostes fieri, bis se in prælia sæva compelli. Nam varie eandem rem iterat. Bis autem facta sunt fœdera, semel per Ilioneum. Quando Latinus ait, *Ipse modo Æneas, nostri si tanta cupido est, Si jungi hospitio properat, sociusque vocari, Adveniat.* Et, *Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.* & iterum paulo ante singulare certamen *Servius.*

583. *Trepidos inter.*] Hoc est, inter trepidos. *Idem.*

Exoritur trepidos inter, &c,] Semper nocua est discordia, sed potissimum in bello. Polyb. de hac re loquens l. 1. τὴν ἀμφισβήτησις καὶ δυσχρηστία περὶ τοὺς ἡγεμόνας, ὃ πάντων ἐστὶ σφαλερώτατον· *Accidit, quod omnium periculosissimum est, ut dissiderent animis inter se duces.* Veget. lib. 3. c. 10. *Inter hostes discordiarum serere causas sapientis est ducis.* Cerda.

584. *Reserare jubent.*] Id est, volunt. ut Terentius, *Iubeo Chremetem salvere.* Servius.

585. *Trahunt in mœnia regem.*] Trahere volunt. Nam voluntas, animi est, non facti. Scilicet ut possit imminens videre discrimen. Donatus dicit *trahunt in mœnia*, pro dilacerant in mœnibus rumoribus suis. Ergo *regem* de Latino dixit, *mœnia* autem hic muros dixit. *Idem.*

587. *Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor.*] Pene omnia verba comparationis ad supradictum pertinent bellum. Nam ita apes inclusæ sunt, ut homines qui obsidentur. Ita civitatem, timentum latebras dicimus, sicut apum sunt alvearia. Item pastor ut rex, & revera pastor est, & ductor exercitus, ut Homerus ποιμένα λαῶν. *Pumicem* autem iste masculino genere posuit: & hunc sequimur. nam & Plautus ita dixit: licet Catullus dixerit fœminino. *Idem.*

Inclusas ut cum, &c.] Sumptum ab Apoll. 2. Arg.

Ὡς δ' ὁπότε μελισσάων σμῆνος μέγα μηλοβοτῆρες,
Ἠὲ μελισσοκόμοι πέτρῃ ἔνι καπνιόωσιν.
Αἱ δ' ἤτοι τείως μὲν ἀολλέες ᾧ ἐνὶ σίμβλῳ
Βομβηδὸν κλονέονται, ἐπιπρὸ δὲ λιγνυόεντι
Καπνῷ τυφόμεναι πέτρης ἑκὰς ἀΐσσουσιν.
Haud secus, quam apum examen magnum opiliones,
Aut apiarii in petra fumigarunt,
Quæ tum confertim in alveari
Cum strepitu turbantur, plus æquo vero crescente
Fumo infestatæ è petra raptim effunduntur.

Et *inclusas* ait Poëta, nam in alvearia sua se statim apes recipiunt in summo metu. Plutar. cum allusione ad rem hanc in vita Pomp. loquens de piratis, ὥσπερ εἰς σμῆνος ἐδύοντο πανταχόθεν καταφερόμενοι τὴν Κιλικίαν· *Tanquam in alvearium, in Ciliciam delati undique abdiderunt se.* Cerda.

Latebroso in pumice.] Intelligi hic cavum, & erosum saxum jam Turn. animadvertit ab Plin. scribente l. 36. c. 21. hunc in modum: *Non prætermittenda est & pumicum natura; appellantur quidem ita & erosa saxa in ædificiis,*

Vestigavit apes, fumoque inplevit amaro;
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras.
Volvitur ater odor tectis: tum murmure cæco
Intus saxa sonant: vacuas it fumus ad auras.

Acci-

ciis, *quæ Musea vocant, dependentia, ad imaginem specus arte reddendam.* Vides specus formam, talem quippe amant apes. Ita & Propert. Eleg. 3. l. 3.

Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebantque cavis tympana pumicibus.

Et Ovid. Eleg. 1. lib. 3. Amor. *speluncaque pumice pendens.* & lib. 3. Metamorph. in descriptione antri ait, *pumice vivo.* Inde laudo doctum Germani scholion, κοίλη καὶ σπηλαιώδη πέτρᾳ: *in cava petra & ad formam speluncæ.* Quod consentit cum Hom. qui 2. Iliad. loquens de habitaculo apum, πέτρης ἐκ γλαφυρῆς, *ex petra scalpta, cava.* Idem.

588. *Fumo amaro.*] Qui elicit lachrymas *Servius.*

Fumoque implevit.] Exigi è latibulis suis fumo apes, & hac una re expugnari, certum. Calab. lib. 3. ait, illas cruciari καπνοῦ ὑπαὶ ῥιπῆς: *violentia fumi.* & alveare expugnari καπνῷ Plutarch. ait lib. de Auditione. Apud Aristophan. in Vesp. cum Bdelycleon dixisset,

Παῖε, παῖ' ὦ Ξανθία τὰς σφῆκας ἀπὸ τῆς οἰκίας;
Xanthia feri, feri, pelle vespas è domo.

Respondit illico Xanthias,

Ἀλλὰ δρῶ τοῦτ', ἀλλὰ καὶ σὺ τῦφε πολλῷ τῷ καπνῷ:
Hoc ago ipsum; sed tu adure plurimum fumum excitans.

Confero & verba S. Cyrilli Alexand. Commentar. in Nahum num. 25. οἱ μελιττοκόμοι κατὰ καιροὺς, ὅτε τὰ κηρία τῶν σίμβλων ἐξορύττειν ἐθέλουσι, πῦρ ἐνάπτοντες, καπνῷ τὰς μὲν μελίσσας διώκουσιν, ἵνα μὴ μάχοιντο, καὶ καταπρώσωσι τοῖς κέντροις αὐτοὺς ἀθρέαι περιπτάμεναι: *Apiarii cum suo tempore favos ex alvearibus eximere volunt, ignem accendunt, & apes fumo persequuntur, nè densatim circumvolantes pugnent, & aculeis suis ipsos convulnerent.* De apiculis Ammian. lib. 18. *fumo pelluntur.* Ovid. 1. Rem. *suppositos fugiunt examina fumos.* Nazianzen. Orat. 20. ὡς καπνῷ σμῆνος κινηθέντος, ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ διεγείρεται καὶ ἀνίσταται. *velut fumo apum examen movente, certatim omnes excitantur, & exsurgunt.* Attingit & hoc Lycoph. loquens de Græcis, ὡς μέλισσαι συμπεφυρμέναι καπνῷ: *ut apes fumo conturbatæ.* Vide præterea quæ dedi lib. 4. Georgic. ad illud, *fumosque manu prætende sequaces.* Cerda.

589. *Trepidæ rerum.*] Nescientes quid agant, ignaræ auxilii, hoc est, trepidæ de suis rebus. Terentius, *Satagit rerum suarum.* Servius.

Trepidæ rerum.] Ἀπορῦσαι, ἀμηχανοῦσαι· ut supra, *fessæ rerum.* Germanus.

Cerea castra.] Opportune hic *castra* de his rebus quæ nunc aguntur, in lib. IV. Georg. *Aulasque & cerea regna.* Servius.

Cerea castra.] Ut in 4. Georg. *Cerea Regna.* Claud. etiam 2. Rap. *cerea castra.* Cerda.

591. *Ater odor.*] Nove. nam in odore quis est color? Sed hoc dicit, odore atræ rei, id est, fumi ater odor, pessimus: ut, *Fumoque implevit amaro.* Servius.

Nunc murmure cæco.] In antiquis *tum* legitur pro *nunc.* Pierius.

592. *Fumus.*] Tria nova simul. *fumus amarus,* oculis scilicet, *murmure*

cæco,

Accidit hæc feſſis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concuſſit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem proſpicit hoſtem,
Inceſſi muros, ignis ad tecta volare;
Nuſquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnæ juvenem in certamine credit
Exſtinctum; &, ſubito mentem turbata dolore,

Se

cæco, quia clauſæ apes. *ater odor*, quia in fumo odor. *Scaliger.*

593. *Accidit.*] Quid proprie ſit, elice ex Senec. epiſt. 110. *Adhibe diligentiam tuam, & intuere, quid ſint res noſtræ, non quid vocentur: & ſcies plura mala contingere nobis, quàm accidere.* Contingit enim, quod eſt ex voto: accidit, quod non è voto. & id probat ibi Seneca. Multa ſcilicet, quæ putantur eſſe mala, cedere ſæpe ex voto: ſecus, multa, quæ bona eſſe putantur, habere dirum exitum. *Cerda.*

Feſſis.] Pro *adflictis.* Servius.

Etiam fortuna.] Caſus. nam omnis caſus in poteſtate fortunæ eſt. *Idem.*

695. *Tectis venientem proſpicit hoſtem.*] Aut è tectis proſpicit: aut contra tecta venientem. *Idem.*

Venientem proſpicit hoſtem.] In Oblongo codice & in aliquot aliis *conſpicit* habetur: quod magis moveret, propter periculi vicinitatem. ſed enim *proſpicit* Servius admittit, & vetera pleraque exemplaria conſentiunt. *Pierius.*

596. *Inceſſi muros.*] Invadi. *Servius.*

Incendi muros.] Codices omnino aliqui veteres *incendi* legunt. Antiquitus enim contextis arboribus, lutoque, aut calce illitis, infartiſque mœnia conſtrui ſolebant: quorum plurimus in Galliis uſus fuit teſte Cæſare. Sed enim Oblongus, Mediceus, atque alii perveteres codices *inceſſi*, legendum oſtendunt: quod Servius admittit, dum exponit *invadi.* Romanus ambiguus eſt unius mutatione literæ, in eo enim *incenſu* legitur. ſed cum alias primam ex duabus *ſſ* in *n* vertere conſuerit, ut multa ſuperius declarant citata loca, *inceſſi* crediderim eſſe debuiſſe: Quum præſertim Aruſianus in elocutionum exemplis, loci hujus Virgiliani teſtimonio, oſtendat eleganter dici *inceſſitur illa res.* quare *inceſſi muros* longe lubentius legerim. *Pierius.*

Inceſſi.] Id eſt, invadi. ita Servius. quam lectionem etiam Fabric. è MSS. probat veram. ita 4. Georgicor. verſu 68.

Regibus inceſſit magno diſcordia motu.

Agnoſcit eam & Aruſianus, in Exemplis *Elocutionum Virgilianarum.* Alii leg. *incendi.* Gul. Canterus Nov. Lect. l.6. c. 28. leg. *inſcendi*: quia præceſſerit, *Scalæ improviſo, &c.* Taubm.

596. *Volare.*] Sic Lucret. lib. 1. *volucrum flammarum.* Eurip. in Ione, *καπνὸς πέταται, fumus volat.* & in Troadib. *καπνῷ πτέρυγι, fumo alato.* Vide quæ ſcripſi 2. Georg. ad illud, *fumoſque volucres.* Cerda.

598. *Infelix pugnæ juvenem, &c.*] Quia non putabat Turnum civitatem obpugnari paſſurum fuiſſe ſi viveret. *Servius.*

Pugnæ juvenem in certamine.] Romanus codex *à certamine* legit, ſed melius eſt *in.* Quædam vetera alia exemplaria *juvenem certamine* legunt, abſque *à*, & abſque *in.* Pierius.

Pugnæ in certamine.] Sic alibi jungit *prælia pugnæ.* ut Lucret. lib. 1. *certamina belli.* Hom. ſæpe *πόλεμον, μάχην.* *Cerda.*

599. *Mentem turbata.*] Figurate. Ut, *Oculos ſuffuſa.* Servius.

600. *Ca-*

Se caussam clamat crimenque caputque malorum:
Multaque per mæstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miseræ postquam accepere Latinæ,
Filia prima manu flavos Lavinia crinis,
Et roseas laniata genas; tum cetera circum

Turba

600. *Caputque.*] Sicut supra dictum est, *Caput* dicebatur qui auctor & princeps alicujus rei gestæ fuisset, ut 11. Æn. *O Latio caput horum.* *Serv.*

601. *Multaque p.m. demens effata furorem.*] Verba noluit ponere, unde videtur diras significare. *Idem.*

Per mæstum effata furorem.] In Oblongo codice *dolorem* est: quod non æque placet: neque quidem quod *efflata* vel *afflata* in nonnullis habetur. *Pierius.*

602. *Purpureos moritura manu, &c.*] Rem quæ Flaminicæ competit, transtulit ad reginam. Flaminica enim venenato operiri debet: nam cum amictus dicit, opertam dicit, quæ res ad pallium refertur. *Servius.*

603. *Et nodum informis lethi.*] Fabius Pictor dicit quod Amata inedia se interemit. Sane sciendum quod cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abjiceretur. Unde bene ait *informis lethi*, quasi mortis infamissimæ. Ergo cum nihil sit hac morte deformius, poëtam etiam pro reginæ dignitate dixisse accipiamus. Cassius autem Emina ait, *Tarquinium Superbum cum cloacas populum facere coëgisset, & ob hanc injuriam multi se suspendio necarent, jussisse corpora eorum cruci affigi: Tunc primum turpe habitum est mortem sibi consciscere.* & Varro ait, *Suspendiosis quibus justa fieri jus non sit, suspensis oscillis veluti per imitationem mortis parentari.* Docet ergo Virgilius secundum Varronem & Cassium, quia se laqueo induerat, letho periisse informi. *Idem.*

Nodum.] Ita Propert. de hoc mortis genere Eleg. 29. lib. 2. *in collo jam mihi nodus erat.* & Petron. Sat. *cervicesque nodo condebam.* Ambros. de Tobia c. 2. *informis laquei nodum stringitis.* Inde Sedulius dixit, *nodatis faucibus.* Cerda.

605. *Flavos Lavinia crines.*] Antiqua lectio *Floros* habuit, id est, florulentulos, pulchros: & est Ennianus sermo. Probus sic adnotavit, *Neotericum erat flavos, Ergo bene floros, nam sequitur,* Et roseas laniata genas. Accius in Bacchis: *nam flori crines video, ut & propexi jacent.* In iisdem, *Et lanugo floro nunc demum inrigat.* Pacuvius Antiopa, *Cervicum floros disperdite crines.* Servius.

Flavos Lavinia crines.] Miror cum Servius asserat *floros* antiquam esse lectionem, eam à posterioribus non admissam. Synizesis enim est adeo Poëtis insolita, ut hoc loco eam reformidare debeamus. *Pierius.*

606. *Et roseas laniata genas.*] Moris fuit apud veteres, ut ante rogos humanus sanguis effunderetur vel captivorum, vel gladiatorum: quorum si forte copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis illa imago constitueretur. Tamen sciendum cautum lege duodecim tabularum, ne mulieres carperent faciem, his verbis, *Mulier faciem ne carpito.* Servius.

Tum cætera.] Præcessit, *prima Lavinia*, sequitur *tum*, eleganti consecutione. Ita & Propert. lib. 1. post illud,

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,

subjicit,

Tum mihi constantis dejecit lumina fastus. Cerda.

Resonant plangoribus ædes.] In Oblongo

Turba furit: resonant latæ plangoribus ædes.
Hinc totam infelix volgatur fama per urbem:
Demittunt mentis: it scissa veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis urbisque ruina,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans:
[Multaque se incusat, qui non acceperit ante
Dardanium Ænean, generumque adsciverit ultro.]
Interea extremo bellator in æquore Turnus
Palantis sequitur paucos, jam segnior, atque

Jam

longo codice *clangoribus* legitur, quod non placet: id enim tubarum est. In Mediceo autem *clamoribus*: sed *plangoribus* omnino melius. *Pierius.*

Resonant plangoribus ædes.] Ego capio de percussione pectorum. Hanc enim doloris notam voluit dare ceteris feminis, ne æquarent dolorem Laviniæ, qui esse debuit maximus, & ideo in genas sæviit. Ovid in Epist.

Et plangit tenera pectora casta manu.

Vides ut plangorem dederit pectori. Sic & Homer. Iliad. 18. χερσὶ δὲ πᾶσαι στήθεα πεπλήγοντο· *manibus autem omnes percutiebant pectora.* Ut vero hic planctus describitur in Regiis ædibus, ita 2. Æneid. ad imitationem Regiæ Priami. & 4. post mortem Reginæ. Vide & locum Eurip. in Alcestide, de planctu Regiæ post hujus occasum. *Cerda.*

608. *Hinc.*] Id est, de domo regia. *Servius.*

Infelix fama.] Rerum infelicium nuntia, ut *infelix vates.* Idem.

609. *Demittunt mentes.*] Desperant, sicut à contra, sperantes aliquid, erigunt mentes. *Idem.*

Demittunt mentes.] Est hoc, quod Claudian. 2. Eutrop.

Tum vero cecidere animi, tantisque procellis
Deficiunt septi. ———

Cerda.

610. *Conjugis attonitus fatis urbisque ruina.*] Et privatis & publicis luctibus. *Servius.*

611. *Caniciem.*] Ex ætate pathos movit, non enim tam miserum est regem in miseriis esse, quam senem. *Idem.*

Immundo pulvere.] Bene *Immundo* addidit. Sic in Georgicis, *Et cinerem immundum jactare per agros.* quia etiam ille pulvis, quo utuntur puellæ, *cinis* vocatur. Unde etiam & *cinistones* dicti sunt. Horatius, *Custodes, lectica, cinistones, parasitæ.* Idem.

Canitiem immundo, &c.] Il. σ. κόνιν αἰθαλόεσσαν χεύατο κὰκ κεφαλῆς χαρίεν δ' ἤσχυνε πρόσωπον· & paulo post: φίλῃσι δὲ χερσὶ κομὴν ᾔσχυνε δαΐζων· & Catull. de Ægeo, *Canitiem terra, atque infuso pulvere fœdans*: & Calab. 3. χαίτας ἐκ κεφαλῆς προθελύμνας δηιόωντες χευάμενοι δ' ἤσχυναν ἄδην ψαμάθοισι κάρηνα. *Germanus.*

612. *Multaque se incusat.*] In Romano codice desiderantur hi duo versus,

Multaque se incusat, qui non acceperit ante
Dardanium Æneam, generumque asciverit urbi.

Nempe, quia in undecimo iidem habentur. Sed enim non incongruum videtur versus eosdem, eadem superveniente rerum turbatione, hoc etiam libro repetitos esse: quum præsertim eam secum reprehensionem apportent, quæ Græci illius dicterii testimonio gravissima videri poterat, δὶς ἐξαμαρτεῖν ταὐτὸν οὐκ ἀνδρὸς σοφοῦ. *Pierius.*

614. *Bellator.*] Epitheton peracti temporis. *Servius.*

616. Mi-

Jam minus atque minus successu lætus equorum.
Attulit hunc illi cæcis terroribus aura
Conmixtum clamorem, arrectasque inpulit auris
Confusæ sonus urbis & illætabile murmur.
Hei mihi! quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigæ, currumque & equos & lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur
Trojugenas, qua prima viam victoria pandit:
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Æneas Italis, & prœlia miscet:
Et nos sæva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior, pugnæ nec honore recedes.
Tur-

616. *Minus successu lætus equorum.*] Infirmitas animi ex equorum etiam tarditate veniebat: quia minus successus habebant equi jam fatigati. *Serv.*

617. *Attulit hunc illi cæcis terroribus aura.*] Naturale enim est, ut à qua parte fuerit ventus, inde maximus audiatur clamor. Et mire *cæcis terroribus*, quos nemo videret. *Idem.*

Commixtum clamorem.] Ex impugnatione & morte reginæ. *Idem.*

Arrectas aures.] Ad audiendum sollicitas. Terentius, *Arrige aures Pamphile.* Idem.

Arrectas aures.] Plaut. Rud. *arrexit aures.* Illustrabis satis verba hæc his, quæ dixi 1. Æneid. ad illud, *arrectis auribus.* De etymo *aurium* dixi alibi. Ducunt Grammatici ab *haurio.* unde signate 4. Æneid. *auribus hausi.* Sed sunt, qui ducant ab *audio*, quod mihi fit probabile. Audi verba Isidori de spiritualibus differentiis: *Aurium inditum est nomen à vocibus audiendis. per immutationem enim literæ aures, velut audes, sunt nominatæ. Per has enim voces, atque sonum quasi per cochleam descendere, qui erectus in circulum, orbemque moveatur.* C.

619. *Inlætabile murmur.*] Quæritur quis *inlætabile* dixerit. Ideo autem *murmur* quæ ferre solent quasi præsagium murmura sive bona, sive mala intelligi * *Servius.*

621. *Diversa clamor ab urbe.*] Hypallage diversus clamor, aut ex variis partibus civitatis. *Idem.*

622. *Amens.*] Egens consilii, nescius rei gerendæ. *Idem.*

624. *Currusque & equos.*] In antiq. cod. *currum*, singulari numero. *Pierius.*

625. *Occurrit dictis.*] Ejus orationis verbis obviam venit. *Servius.*

626. *Prima victoria.*] Id est, primum. *Idem.*

629. *Sunt alii, qui tecta manu, &c.*] Ideo, quia scit Turnum de urbe maxime esse sollicitum. *Idem.*

Possunt.] In antiquis plerisque codicibus *poßint.* Pierius.

629. *Mittamus funera.*] Alibi, *morti mittere*, & *demittere morti*; idque ab Hom. *Cerda.*

630. *Nec numero inferior, pugnæ nec honore.*] Id est, nec pauciores interimis, nec minor te quam Æneam, comita-

Turnus ad hæc:
O ſoror, & dudum agnovi, cum prima per artem
Fœdera turbaſti, teque hæc in bella dediſti:
Et nunc nequicquam fallis dea. ſed quis Olympo
Demiſſam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miſeri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quæ jam ſpondet Fortuna ſalutem?
Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem
Murranum, quo non ſuperat mihi carior alter,
Oppetere ingentem, atque ingenti volnere victum.
Occidit infelix, ne noſtrum dedecus Uſens

Aſpi-

mitabitur gloria. Nam occiſorum multitudo compenſat hoc, quo I tu fugientes interimis. Sane ſciendum Iuturnam in hac omni oratione occurrere quæſtionibus tacitis. *Servius.*

632. *Prima per artem fœdera turbaſti.*] *Prima*, aut inchoantia: aut tu prima. nam poſt datum augurium quo animi omnium perturbati ſunt, & poſt ejus orationem Tolumnius tela contorſit. *per artem* autem, per fraudem, ut initio 11. Æn. *Artificis ſcelus.* Idem.

634. *Nequicquam fallis.*] Hoc eſt pro *non fallis.* Idem.

635. *Labores.*] Hom. ſæpiſſime πόνους in re belli. & de equo militari libro tertio Georg. *ſitque laboranti ſimilis.* Cerda.

636. *An fratris miſeri letum.*] Humile eſt, ſi ex perſona Turni accipias. Ergo *miſeri* ad animum ſororis referendum eſt, quod ait, *Sed quis Olympo*, intulit, an ut videres? ſubaudiendum ergo *tua ſponte.* Servius.

637. *Nam quid ago?*] Argumentum à neceſſario. *Jam* non eſt temporis, aut erit abſurdum. *Idem.*

Spondet Fortuna.] Quaſi dicat: Nullus mihi Deus ſponſor eſt, nulla fortuna. eſt itaque hoc quod lib. 5.

— non ſi mihi Juppiter auctor
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cœlo.

& Demoſthen. 4. Philipp. εἰ μὴ γάρ ἐστί τις ἐγγυητὴς ἡμῖν θεῶν, *etiamſi Deus aliquis ſponſor nobis fuerit.* Cerda.

638. *Vidi me voce vocantem.*] Atqui hoc nuſquam legimus. ſed aut κατὰ τὸ σιωπώμενον, intelligimus; aut mortis eſt omen, audire ſe à mortuo vocari aut audire quod non dicitur: videre quod minime occurrit. Sic in quarto, *Hinc exaudiri gemitus & verba vocantis Viſa viri.* Servius.

639. *Superat.*] Vivit: ut, *Superatne, & veſcitur aura?* Idem.

640. *Ingentem atque ingenti.*] Reddit quo poteſt modo illud Hom. μέγας μεγαλωστί. Tale & illud l. 11.

Ingentemque animis, ingentem corpore, & armis.

Neque abit verſus Lucret. lib. 3.

Et graviter magni magno cecidere ibi caſu.

Cerda.

641. *Ne noſtrum dedecus Uſens Aſpiceret.*] Sic eſt hoc, ac ſi diceret, fortaſſe viveret, ne ideo voluiſſet occumbere, ne nos victos videret. & eſt quale in XI. *Ille mihi ante alios, fortunatuſve laborum, Egregiuſque animi, qui, ne quid tale videret, Procubuit moriens.* Infelix autem in hoc bello contra illud *Inſignem fama & felicibus armis*, & eſt argumentum ab honeſto. *Servius.*

Teucri potiuntur corpore & armis.] Id eſt, etiam ſepultura caruit. Nam ut in Homero legimus, de virorum fortium cada-

Aſpiceret. Teucri potiuntur corpore & armis.
Exſcindine domos (id rebus defuit unum)
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? & Turnum fugientem hæc terra videbit?
Uſque adeone mori miſerum eſt? vos ô mihi Manes
Eſte boni: quoniam ſuperis averſa voluntas.
Sancta ad vos anima atque iſtius inſcia culpæ

De-

cadaveribus erat inter hoſtes grande certamen. *Servius.*

Teucri potiuntur corpore & armis.] Accipit pro contumelia ſua Turnus, caruiſſe Ufentem ſepultura, & ſpolia ejus eſſe in poteſtate hoſtium. Hoc queritur Lucan. lib. I.

Cumque ſuperba foret Babylon ſpolianda trophæis
Auſoniis, umbraque erraret Craſſus inulta.

ubi *trophæa* reſpondent *armis* Virgilii, & *errans umbra* inſepulto Ufenti. errabat enim anima inſepulta ex doctrina Gentilium. *Cerda.*

644. *Dextra nec Drancis dicta refellam.*] Id eſt, virtute. nam pro rei officio ipſam rem poſuit, *dexteram* pro virtute, hoc eſt fortiter faciendo. *Servius.*

Dextra nec Drancis dicta refellam.] Quod ſup. *ferro crimen commune refellam.* Sed quæ hæc Drancis dicta? illa credo,

—— dum Troia tentat
Caſtra fugæ fidens, & cælum territat armis.

Iſta jam tum verbis diluit Turnus, & nunc dolet non poſſe *dextra.* Cerda.

645. *Turnum fugientem.*] Ἐμφατικῶς Turnum. *Servius.*

646. *Uſque adeone mori miſerum eſt?*] Tacitæ quæſtioni occurrit. Et quidam hoc verbum reprehendunt *uſque adeone*, melius dici *uſque adeo.* Lucilius ſeptimo, *Uſque adeo ſtudio atque odio illius efferor.* Quidam ſic accipiunt, *Uſque adeone mori miſerum eſt*, ut non quaſi confirmet, ſed quaſi interroget quare dea ſic de illo laborat ut vivat, cum ſatius ſit honeſte mori, quam turpiter vivere; Ergo *uſque adeone* ut tamen tanta turpitudo ferenda ſit. *Idem.*

Uſque adeone mori miſerum eſt?] Quaſi dicat, non eſt miſerum mori. Hæc quæſtio erudite à Cicerone diſputatur, in Quæſtionibus Tuſculanis. *Hortenſ.*

Uſque adeone mori miſerum eſt?] Plin. lib. 8. cap. 21. *Quapropter hoc primum quiſque in remediis animi ſui habeat ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius eſſe tempeſtiva morte.* Is, qui mortem detrectat, & vult vivere turpem ſenectutem, dicitur à Pind Od. 1. Olymp. ἀπάντων καλῶν ἄμμορος, *bonorum omnium expers.* Sic l. 4. Dido *mortem orat*, ad amputandas animi anxietates. *Cerda.*

Vos ô mihi Manes eſte boni.] Quaſi per fantaſiam relinquens ſuperos, ad Manes convertit orationem. *Servius.*

647. *Superis averſa voluntas.*] Quia ſupra diximus, donec vivimus, curæ ſumus diis ſuperis: poſt mortem ad inferos pertinemus. *Idem.*

Boni.] Propitii. Catull. *bona te Venus juverit.* Sic 5. Eclog. ad illud, *ſis bonus, ô felixque tuis.* Cerda.

648. *Sancta ad vos anima.*] Quæ differentia *ſancti* ſit ſuperius dictum eſt. hic *ſancta* incorrupta accipiendum eſt, neque enim ſacro aut religioſo ejus anima tenebatur. *Servius.*

Sancta anima.] Quo ſenſu *ſanctam* accipiat, ipſe explicat addens, *atque iſtius inſcia culpæ.* Itaque *ſanctus* in Virg. eſt, cui nulla eſt mali conſcientia. utique ὅσιος, ἅγιος, εὐαγὴς, καθαρὸς, ut ait Bud. vel ἀναίτιος, ἀμίαντος, ἄχραντος, ut reddit Germ. Tu lege

Deſcendam, magnorũ haud umquam indignus avorum.
Vix ea fatus erat; medios volat ecce per hoſtis
Vectus equo ſpumante Saces, adverſa ſagitta
Saucius ora, ruitque inplorans nomine Turnum:
Turne, in te ſuprema ſalus: miſerere tuorum.
Fulminat Æneas armis, ſummaſque minatur
Dejecturum arcis Italûm, excidioque daturum:
Jamque faces ad tecta volant. in te ora Latini,
In te oculos referunt: muſſat rex ipſe Latinus,

Quos

Macrob. lib. 3. Sat. c. 3. *Cerda.*

648. *Iſtius inciſa culpæ.*] Vel fugæ: quia fuga grande crimen eſt apud virum fortem, vel rupti fœderis & læſæ religionis: à qua re ſe dicit eſſe alienum, propter futura ſupplicia. *Serv.*

Indignus avorum.] Græca figura; nam nos, *indignus illa re*, dicimus: contra Græci ἀνάξιος ϛεφάνυ, id eſt, indignus coronæ. *Idem.*

651. *Vectus equo ſpumante Sages.*] Pro *cum veheretur*: ut, *Et qua vectus Abas.* Idem.

Equo ſpumante.] De equo Hom. 11. Iliad. ἄφρεον δὲ ϛήθεα: *ſpumabant pectoribus.* Noſter in 11. *ſpumantemque agitabat equum.* in 6. *Seu ſpumantis equi.* Adhibetur ſpuma ab Hom. Iliad. 15. in nota iracundiæ. & ab Eurip. nam de irato Hercule, ἀφρὸν κατέϛαζε: *diſtillabat ſpumam.* Cerda.

652. *Implorans nomine Turnum.*] Ex multis rebus indicat perturbationem, quod feſtinans venit, quod per hoſtes, quod vulneratus, quod Turnum nomine appellat. Nam contumelia eſt nomine ſuo ſuperiorem vocare: ſic in Georgicis, *Mater, Cyrene mater*: cum præmiſiſſet, *Et te crudelem nomine dicit.* Servius.

653. *Turne in te ſuprema ſalus.*] Omnia quæ ſupra Iuturna dixerat, oratio iſta diſſolvit. *Idem.*

654. *Fulminat Æneas.*] Exaggeratio eſt. ſic paulo poſt, *Horrendumque intonat armis.* Idem.

Fulminat Æneas armis.] Nonnus libro 21. τεύχεσιν ἀϛράπτων: *fulgurans armis.* Sed propius illud Plutarch. orat. 2. de Fort. Alex. ἀλλ' ὡς σκηπτὸς ἀπέκοψε τοὺς ἄλλους, καὶ διέφθειρε: *Sed alios in morem fulminis ſuccidit, ac perdidit.* Ibidem Alexandrum comparat πυρὶ κεραυνίῳ, *igni fulmineo.* Appian. 5. Civil. οἷα σκηπτοφόρως ἐμπίπτων: *irruens in modum fulminis.* Eurip. in Rheſ. hoſtes vocat *fulmina* cum ait,

Τί μέλλετε
Σκηπτῶ πέσοντος πολεμίων;
Quid cunctamini
Veniente hoſtium fulmine?

Neque hæc locutio ſolùm referenda ad arma, quibus milites videntur fulminare: ſed ad iram, qua rapiuntur, ad eum modum, quo de Medea dixit Eurip.

—— οὐδὲ παύσεται
Χόλου, σάφ' οἶδα, πρὶν κατασκῆψαί τινα:
—— *neque ceſſabit*
Ab ira, bene ſcio, priuſquam aliquem
feriat fulmine.

Cerda.

655. *Dejecturum arces.*] Quod dixerat, *Et æqua ſolo fumantia culmina ponam.* Servius.

656. *Jamque faces, &c.*] Ut ſit quare Turnus ſubvenire feſtinet. *Idem.*

Jamque faces ad tecta volant.] Sup. *ignes ad tecta volare.* Illud, quod ſequitur, *in te ora Latini, &c.* Eſt, quod Marius apud Salluſt. Jugurth. *Intelligo, Quirites, omnium ora in me converſa eſſe.* Cerda.

657.] *Muſſat.*] Modo dubitat. Et cuncta-

Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præterea Regina, tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus & acer Atinas
Sustentant aciem. circum hos utrimque phalanges
Stant densæ, strictisque seges mucronibus horret

Fer-

cunctatur Rex ipse, in quo summa rerum est: veteres *mussat* pro *timet*. Ennius *mussare* pro *tacere* posuit; Clodius Tuscus *mussare* est ex Græco; *comprimere oculos*, Græci μύσαι dicunt. *Servius.*

Mussat.] Sup. *stant mæsti, mussantque Patres.* Potestatem hujus verbi indicant verba hæc Livii lib. 33. *Omnibus Græciæ civitatibus hanc pacem approbantibus, soli Ætoli id decretum clam mussantes carpebant.* Claud. lib. 2. Rapt. *tacita formidine mussant.* Quod ab Lucret. qui l. 6. *mussat tacito medicina timore.* Sidon. epist. 3. lib. 1. *Mussitat quidem juvenum nostrorum calcata generositas.* Donat. in illud Terent. Adelph. *Mussitanda injuria adolescentium est*, ita ait: *Mussare, seu mussitare est, dissimulandi causâ tacere, dictum vel à mutuo, vel ab m, quæ litera est pressa, ac fere nullius vocis.* Ad hoc verbum videtur mihi spectasse Ennius in fragmento quodam, cum dixit: *Quod minimum est, neque, ut ajunt, mu facere audent*, id est, neque audent mussare. *Cerda.*

658. *Quos generos vocet.*] Pro *utros*, pluraliter autem *generos* de exercitibus, quorum duces sunt Æneas & Turnus. *Servius.*

Aut quæ sese ad fœdera flectat.] Aut nuptiarum fœdera, ut, *Nec conjugis unquam Prætendi tedas, aut hæc in fœdera veni*: Aut propter violatum fœdus, ut ideo dixerit quæ sese flectat ad fœdera, quasi nec hoc remedium supersit, cum illa jam bello corrupta sint. *Idem.*

Quæ sese ad fœdera flectat.] In Oblongo codice *mittat* legitur, pro demittat. verum non æque placet. *Pierius.*

659. *Præterea regina tui.*] Quia occurrebat, Amatam, si Latinus dubitat, reginam pro ejus partibus niti. *Serv.*

Tui fidissima.] Tui amantissima. *Idem.*

Dextra occidit ipsa sua.] Ut laquei ostenderet dedecus. *Idem.*

660. *Lucemque exterrita fugit.*] Augmentum mali. *Idem.*

661. *Soli pro portis.*] Contra illud, *Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.* *Pro portis* autem, ante portas. Sallustius, *Ex parte cohortum præcipere instructa & stationes locatæ pro castris.* Bene autem cum dicit *pro portis sustentant acies*, & spem adhuc subveniendi dedit, & dicendo *Soli*, addidit etiam necessitatem. *Idem.*

Acer Atinas.] In aliquot *Asilas.* sed & superius *acer Atinas*, habetur. *Pierius.*

Acer Atinas.] Hunc Atinatem nomine urbis Atinæ vocavit, unde Atinates populi: nominibus enim celebribus suum poëma distinxit. Turneb. lib. 22. cap. 3.

663. *Seges.*] Elegans metaphora ad signandam telorum multitudinem, cuspidum, mucronum. Sic 7. *horret strictis seges ensibus.* & 3. *ferrea telorum seges.* & 2. Georg. *densisque virûm seges horruit hastis.* Cedren. pag. 434. dixit σφεχτῶν χαλαμῶνα. *Cerda.*

Horret.] Ab Græcis Latini. Homerus 13. Iliad.

Ἔφριξεν δ' μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσι.

Pugna autem, quæ viros perdit, hastis horruit.

Ennius:

Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.
Obstupuit varia confusus imagine rerum
Turnus, & obtutu tacito stetit. æstuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et Furiis agitatus amor, & conscia virtus.
Ut primum discussæ umbræ, & lux reddita menti,
Ardentis oculorum orbis ad mœnia torsit
Tur-

Ennius:
Arma rigent, horrescunt tela.
Idem:
Sparsis hastis longis campus splendet, & horret.
Cerda.

664. *Deserto in gramine versas.*] Huc atque illuc agis. ut, *Æthiopum versemus oves*, Homerus ἔστρεφον, & bene *deserto gramine*, contra illud, *Et nos sæva manu mittamus funera Teucris.* Servius.

665. *Varia confusus imagine rerum.*] Multiplici nuntio, quod regina periit, quod urbs oppugnatur, quod omnes Latini in illum oculos referunt, quod dubitat Latinus quos generos vocet. *Idem.*

666. *Obtutu tacito.*] Vario stetit vultu. Et *obtutus* est proprie, quem Græci πρόσωπον, id est, vultum dicunt. *Idem.*

Æstuat ingens, &c.] Hoc hemistichium, & sequentes duo versus integri habentur lib. 10. in persona Mezentii. Vide, quæ ibi annotavi ad verbum *æstuat*: & deinde & illud, *mistoque insania luctu*, ubi de conjunctione duorum affectuum, iræ, & doloris. *Cerda.*

667. *Pudor.*] Propter illud, *Tu currum deserto in gramine versas*, vel *pudor*, quia in illum oculi referuntur. *Servius.*

Mixto luctu.] Propter Amatæ cognitam mortem. *Idem.*

Insania.] Quia in hostes fremebat, vel quia urbs oppugnabatur. *Idem*

668. *Amor.*] Quia mussat Latinus. *Idem.*

Conscia virtus.] Quia fugere putatur, qui *Currum deserto in gramine versat.* Idem.

669. *Ut primum discussæ umbræ.*] Postquam mentis caligo discessit, quod sequentia indicant: ut, *Et lux reddita menti est.* Idem.

Ut primum discussæ umbræ.] Est hoc, quod Claud. 2. Eutrop. *sensuque reducto.* Quod Ovid. 1. Trist. Eleg. 3.
Ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removit,
Et tandem sensus convaluere mei.
ubi vocat *nubem*, quod Virgil. *umbras.* Cicero *perturbationes animi* dixit. Ut Virgil. *discussæ umbræ*, ita Propert. Eleg. 16. lib. 2.
Cum mihi discussit talia visa metus.
Et Poëta quidem sibi hæret; nam in Georg. *cùm Sol palantes discutit umbras.* quod accepit à Lucret. lib. 4. ubi, *discutit umbras.* Cerda.

Et lux reddita menti est.] Catull. dixit, *liquidaque mente vidit.* Latini alii *serena mente*, quod idem. *Idem.*

670 *Ardentes ocul. orb. ad mœn. torsit.*] Sic & Cicero Catilin. 2. de Catilina urbe ejecto: *Retorquet oculos sæpe ad hanc urbem, quam ex suis faucibus esse ereptam luget.* Supra idem l. 4. *oculosque ad mœnia torsit Regia*: & Eurip. in Medea: ὀμμάτων δ᾽ ἄπο κόρας στρέψασα, &c. Ut autem hic, *oculorum orbes*, sic & de Oedipode à se ipso excæcato in Tyr. Sophocl. ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὑτοῦ κύκλων, αὐδῶν τοιαῦθ᾽. & idem in Philoct. sub persona Philoctetæ, πῶς ὦ τὰ πάντ᾽ ἰδόντες ἀμφ᾽ ἐμοὶ κύκλα τοῦτ᾽ ἐξανασχήσεσθε, &c. Germanus.

671. Tur-

Turbidus, eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cælum undabat vortex, turrimque tenebat.
Turrim, conpactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas, pontisque instraverat altos.
Jam jam fata, soror, superant; absiste morari:
Quo deus, & quo dura vocat Fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Æneæ: stat, quicquid acerbi est,
Morte

671. *Turbidus.*] Plenus perturbationis. *Servius.*

Eque rotis.] Hypallage elegans pro curru. Prop. Eleg. 2. lib. 1.

Avecta externis Hippodamia rotis.

Cerda.

672. *Ecce autem flammis.*] Alia persuasio ex aspectu. *Servius.*

Ecce.] Inducit hæc particula novum παράδοξον ad excitandam Turni conquestionem. Ea enim usos fuisse & Virgilium, & Marcum Tullium in re inopinata, & admiranda Pedianus notat. *Cerda.*

Tabulata.] Ita etiam de turri alia libro secundo Æneid. *juncturas tabulata dabant.* & Lucan. lib. 4.

—— *cunctas super ardua turris*
Eminet, & tremulis tabulata minantia pinnis.

Idem.

673. *Undabat vertex.*] Exundabat, & bene in translatione permansit, ut vertice undare diceret, vertex enim undarum dicitur, *Verticibus rapidis:* & *Vorat æquore vertex.* Servius.

Undabat.] Undæ instar incendium se effundebat. Georg. 1.

—— *undantem ruptis fornacibus Ætnam.*

Taubmannus.

674. *Turrim.*] De hac belli machina otiosum loqui in tanta luce. Scriptores *ambulatoriam* vocant. Poëta hujus βάδισιν satis notavit per *rotas.* Credo hujus usum nullum fuisse in antiquo ævo Heroum, sed Poëtam respexisse ad posteriora tempora. *Cerda.*

Quam eduxerat ipse.] Scilicet quod ei majorem creabat dolorem. Graviter enim dolemus si perire videamus illa quæ fecimus: *Eduxerat* autem, in altum fabricando sustulerat, ut alibi, *Cyclopum educta caminis.* *Servius.*

675. *Subdideratque rotas.*] Quo possit trahi ad ea loca, quibus hostis instabat. *Idem.*

Subdideratque rotas.] Supra 2. Æn. *pedibusque rotarum subjiciunt lapsus.* Germanus.

Pontisque extruxerat altos.] In antiquis aliquot codicibus *instraverat* legitur, quod magis proprium est. Mediceus tamen *instraverat* habet. *Pierius.*

676. *Jam jam fata, soror.*] Sallustianum, *Jam jam frater animo meo carissime.* Servius.

677. *Quo dura vocat Fortuna, sequamur.*] Adduxi consimiles sententias libro 5. ubi vide Notas ad illud,

Nate Deâ, quò fata trahunt, retrahuntque, sequamur:
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Cerda.

678. *Stat conferre manum Æneæ.*] Placet, ut, *Stat casus renovare omnes,* vel *stat,* certum est. *Servius.*

Stat, quicquid acerbi est, Morte pati.] Aut quicquid in morte acerbum est placet pati: hoc est inferna supplicia, vel quid potest acerbus hostis inferre, sicut de Hectore legimus. Aut certe positivus sit pro comparativo, placet pati, si quid etiam morte acerbius invenitur. *Servius.*

Stat, quicquid acerbum est, Morte pati.]

Morte pati: nec me indecorem, germana, videbis
Amplius. hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit, & è curru saltum dedit ocius arvis:
Perque hostis, per tela ruit: mœstamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum de vertice præceps
Cum ruit avolsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublabsa vetustas,
Fertur in abruptum magno mons inprobus actu,

Ex-

ti.] *Acerbum* quidem Servius agnoscere videtur: sed in his antiquis exemplaribus nunc *acerbi*, nunc *acerbi est*, legitur. *Pierius.*

680. *Furere ante furorem.*] Figura antiqua: ut, *servitutem servit, Dolet dolorem.* Est autem sensus, sine me bellicum furorem furere, scilicet priusquam ad eum veniam, ut pugnam mente concipiam, & instructus furore ad bella prorumpam. *Servius.*

683. *Rapido cursu media agmina rumpit.*] Hinc Prop. Eleg. 11. lib. 3.

Ac Decius misso prælia rupit equo.

Bona imitatio, *prælia*, pro, *agmina*. & *equo*, pro, *cursu*, & *misso*, pro, *rapido*, tantum retinuit *rupit*. Cerda.

684. *Ac veluti montis saxum de vertice præceps Cum ruit.*] Comparatio ipsa futurum ostendit eventum. Simul notandum quia sicut supra in prælio, ita nunc in comparatione præfertur Æneas. Nam Turnum parti comparat montis, montibus Æneam exæquat, & est comparatio de Homero sumpta:

Ἀντικρὺ μεμαὼς ὀλοίτροχος ὡς ἀπὸ πέτρης,
Ὅν τε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάρροος ὤσῃ
Ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἔχματα πέτρης
Ὕψι τ' ἀναθρώσκων πέτεται, κτυπέει δέ θ' ὑπ' αὐτοῦ
Ὕλη, ὁ δ' ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον ὄφρ' ἂν ἵκηται
Ἰσόπεδον τότε δ' οὔ τι κυλίνδεται ἐσσύμενός περ.

Servius.

Ac veluti, &c.] Comparatio è 13. Iliad. quam Scalig. lib. 5. c. 3. utramque accurate, ut solet, inter se committit. *Taubm.*

685. *Avulsum vento.*] Proprie. nam Turnus ad bellum invitus adtrahitur. *Servius.*

686. *Aut annis.*] Placuit Poëtæ, cui magnum judicium, hæc varietas. Alii post *seu* adhibent *sive*. ut Ovid. 3. Trist.

Seu temere expecto, sive hoc contingere fas est.

Et Horat. lib. 1. Od. 4.

Seu poscat agna, sive malit hœdo.

Rejecit Virgilius, & maluit *seu*, *aut*. *Cerda.*

Annis solvit sublapsa.] Pro multorum annorum sublapsum saxum, & quidam *lapsa*, quoniam non passiva specie, sed activa dictum volunt. *Serv.*

Annis solvit sublapsa vetustas.] Lucan. lib. 4.

Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis.

Propert. Eleg. 2. lib. 3.

Annorum aut ictu pondera victa ruent.

Ut Virgil. *solvit*, ita Plutarch. loco adducto, & in re simili διαλύθη. Illud, *sublapsa vetustas*, est hypallage, pro *vetustas solvit sublapsum saxum*. Cerda.

687. *Mons.*] Pars montis, & ἐμφατικῶς dictum est. Sicut supra, *Haud partem exiguam montis.* Servius.

Improbus.] Isidorus lib. 10. *Improbus dictus, quod instat etiam prohibenti.*

Certe

Exſultatque ſolo; ſilvas, armenta, viroſque
Involvens ſecum. disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros; ubi plurima fuſo
Sanguine terra madet, ſtriduntque haſtilibus auræ:
Significatque manu, & magno ſimul incipit ore:
Parcite jam, Rutuli; & vos tela inhibete, Latini:
Quæ-

Certe Statium notat Bernartius τὸ *Improbus* vel pro magno, vel aſtuto & callido, vel audaci, aut alias in bonam partem fere ſemper uſurpare: idque exemplis illuſtrat. *Taubm.*

Magno actu.] Magno impetu. *Serv.*

Actu.] In aliquot antiquis codicibus *actu* habetur, & agnoſcitur à Servio. ſed in Oblongo, in Mediceo, & in Porcio *ictu* legitur, quod non diſpliceat. *Pierius.*

Actu.] Id eſt, impulſu, impetu. In multis MSS. legi *ictu*, notat Pierius; nec ſibi diſplicere ait. Propert. l. 3. 1.

Aut illis flamma, aut imber ſubducet honores:
Annorum aut ictu pondera victa ruent.

688. *Exultatque ſolo.*] Mire ſæpe exilit dum volvitur. *Servius.*

Solo.] Dictum *ſolum*, quod *ſolo* teratur. Varro clare lib. 4. de Ling. Lat. *quæ ſolo teri poſſunt ſola terræ.* Eſt autem proprie *ſolum* infimum pedis, & calceamenti ſolea. Quod jam notavit Joſephus Scalig. Proprie itaque Plaut. *qui auro habet ſuppactum ſolum.* Lucret. lib. 1.

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo. ———

Ambroſ. Sermon. 74. *Ignota erat ante Chriſtum via vitæ, quæ nullius adhuc reſurgentis fuerat temerata veſtigio: at ubi dominus reſurrexit, nota facta, ſolo attrita eſt plurimorum.* Cerda.

690. *Ubi plurima fuſo Sanguine terra madet.*] Hypallage, ubi plurimo ſanguine terra maduerat: ſic ſupra, *Sanguine in alto*, vel certe ubi plurimum fuſo ſanguine madet terra. *Servius.*

691. *Sanguine terra madet.*] Od. λ. αἵματι δεύετο γαῖα· &, δάπεδον δὲ ἅπαν αἵματι θῦεν. *Germanus.*

Striduntque haſtilibus auræ.] Homerus, συρίζουσα λόγχη, id eſt, ſtridor lanceæ. *Servius.*

Stridentque haſtilibus auræ.] In antiquis aliquot codicibus *ſtridunt* legitur, ut in Georgicis, *Stridere apes utero.* utrumque enim dicimus. *Pierius.*

692. *Magno ore.*] Pro *voce magna.* Servius.

693. *Parcite jam Rutuli.*] Referri hoc poſſe ad illud Iliad. 3. Τρώων ἀνέστρεψε φάλαγγας. vel ad illud. 7. ἄλλως μὴ κλάθιζον Τρῶας, jam Urſin. notavit. Eſtque ferme illud, quod ſup. *ſedeant, ſpectentque Latini.* Sed mihi non dubium, quin totus hic locus factus fuerit ductu Eurip. in Phœniſſ. ubi Eteocles ore nuntii ait: *O duces Græci,* (perſtringo locum Latine, ne adducam plures verſus) *ô vos Thebani, neque Polynicis cauſâ, neque meas animas vendite. Ego periculum ſubibo ſolus, ego committam pugnam cum fratre; ſi ſim victor, regnabo ſolus; ſi victus, accipiet ipſe Regnum.* Cerda.

Tela inhibete.] Cohibete, ſuſpendite. & eſt tranſlatio à nautis. *Servius.*

Inhibete.] Præclare hic Serv. *Eſt tranſlatio à nautis.* Nam *inhibeo* proprie eſt verbum nauticum, cujus poteſtatem jam Bayf. explicuit in opere de Navigiis. Eſtque *inhibere navem*, quod Græci dicunt, πρύμναν κρούεσθαι, & ἀνακρούεσθαι, ſed illud primum frequentius. Eſt vero *navem inhibere*, illam retro agere, quaſi puppim convertere, utique renavigare: non, ceſſare à navigando, ut quidam falſo putant.
Hæc

Quæcumque est Fortuna, mea est: me verius unum
Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.
Discessere omnes medii, spatiumque dedere.
At pater Æneas, audito nomine Turni,
Deserit & muros, & summas deserit arcis;
Præcipitatque moras omnis: opera omnia rumpit:
Lætitia exsultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse coruscis

Cum

Hæc enim cessatio Græcis est ἐποχὴ, quæ ἐποχὴ longe distat ab hoc πρύμναν κρέκειν. *Cerda.*

694. *Me verius unum Pro vobis fœdus luere.*] *Verius*, justius: & sensus hic est, Justius est me unum pro omnibus rupti fœderis pœnas exsolvere. Alii veteri more dictum accipiunt, *verum* enim quod rectum & bonum esset appellabant. Terentius, *Id ne est verum modo*, id est pessimum genus: & item, *Quod si astu rem tractavit, dii vestram fidem! quantam & quam veram laudem capiat Parmeno.* Sallustius in primo, *Et paucis quibus peritia & verum ingenium est abnuentibus*, Idem per pennatam paucis pro pectus vera est æstimanda. * *Servius.*

Verius.] Sumi hic pro *justius* Germ. notat, firmatque ab Tullio, qui pro domo: *sed quid ad te, qui negas esse verum, quemquam Reip. extra ordinem præfici?* Ab Horat. qui,

Metiri se quemque suo modulo, ac pede verum est.

Vide hic Pontanum. Ita & doctissimus Raderus accipit illud Martial. Epig. 14. lib. 11.

Propter te perit. hoc Labulle verum est? Id est, hocne est justum? & laudat Livium lib. 32. qui *ceterum & sociorum audiri postulata verum esse.* Cerda.

695. *Decernere ferro.*] Decertare, dimicare: aliter *decernere*, statuere, ut *decernere Senatum* dicimus. *Servius.*

697. *At pater Æneas.*] De hâc Æneæ magnanimitate, qui urbem pæne expugnatam deserit, audito Turni nomine; vide Scaligerum lib. 3. cap. 11. *Taubm.*

698. *Deserit & muros, &c.*] Locus plane Calab. lib. 2. ubi de Achille,

Αὐτίκα κάλλιπε Τρῶας, ὅσους ὑπὸ χερσὶ δαΐξεν
Ἀμφ' ἄλλῃσι φάλαγξι, καὶ ἰχανόων πολέμοιο
Ἤλυθεν οἱ κατέναντί γε: —

Dicit videlicet omissam ab Achille inceptam pugnam & victoriam, ut contra unum pergeret Memnonem. *Cerda.*

699. *Præcipitatque moras omnes.*] Valer. de Jasone lib. 4. *socios præcipitat, rumpitque moras.* Idem.

700. *Horrendumque intonat armis.*] Sibi consentit, nam sup. de Ænea, *fulminat Æneas armis.* Et de Augusto repræsentato ab Ænea 4. Georg. *fulminat bello.* Est hæc laus pene ultra mortalem. Sic & Florus de Fabio Max. *Captis superioribus jugis in subjectos suo more detonuit: ea namque species fuit illius belli, quasi in terrigenas è cælo ac nubibus tela mitterentur.* Idem.

701. *Quantus Athon.*] Hæc est vera lectio. Nam si legeris *Athos*, *thos* brevis est: & versus non stat. *Athon* autem dici accusativus indicat. nam *hunc Athona* facit, sicut *Apollon Apollona.* Quod autem Herodotus *hunc Athon* & *hunc Apollon* dicit, Atticæ declinationis est. *Athon* autem mons est adjacens Thraciæ circa Lemnum insulam in promontorio Macedoniæ. *Servius.*

Quantus Athos.] In antiquis *Athon* legitur, scilicet ex Servii præcepto, quem nonnulli damnant, nescientes

apud

Cum fremit ilicibus quantus, gaudetque nivali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.
Jam vero & Rutuli certatim, & Troës, & omnes
Convertêre oculos Itali; quique alta tenebant
Mœnia, quique imos pulsabant ariete muros:
Armaque deposuere humeris. stupet ipse Latinus,
Ingentis, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coïsse viros, & cernere ferro.

Atque

apud Græcos etiam Ἄθων τὸ ὄρος συνὼ τῶ τυ λέγεσθαι, quamvis & Ἄθως & Ἄθως ἐκ τοῦ Ἄθος dicatur. *Pierius.*

Athos.] Serv. in hunc locum ita scribit: *Athon, vera est lectio, nam si legeris Athos, thos brevis est, & versus non constat.* Errat clare. Nam rectus hujus vocis est etiam Ἄθως per ω, ac proinde ratio Servii fragilis. Thucyd. lib. 4. Ἄθως ὄρος ὑψηλόν. De excelsitate hujus montis vide Plin. lib. 4. cap. 12. Hic est mons ille, qui perfossus à Xerxe. quod, præter alios, etiam commeminit Æschin. contra Ctesiph. ὁ τῶν (ait) Περσῶν βασιλεὺς ὁ τὸν Ἄθω διορύξας. Cerda.

Eryx.] Siciliæ mons supra Drepanum oppidum. *Servius.*

Coruscis ilicibus.] Ita in 1. *tum sylvis scena coruscis.* Cerda.

702. *Nivali vertice se attollens pater.*] Apenninus mons Italiæ est, de hoc Lucanus, *Nulloq; à vertice tellus Latius intumuit, propiorque accessit Olympo.* Serv.

703. *Pater Apenninus.*] Est *Pater* nomen religionis. Inde Neptunus, Apollo, Juppiter dicti Patres. Ergo, quia montes religiosi veteribus, ideo *Pater Apenninus.* Sic quia & fluvii religiosi, ideo, *Da nunc Tybri Pater.* Referri & attributum potest ad majestatem, dignitatem, honorem. *Cerda.*

704. *Troës & omnes.*] Græce declinavit, unde brevis est *es*: ut supra, *Troës agunt.* Servius.

706. *Pulsabant ariete muros.*] Ov. 3. Pont. Eleg. 1. *murus pulsatur ab hoste.* C.

707. *Armaque deposuere.*] Spectaturi vel defessi, vel jussi ne quis possit iterum fœdus turbare. *Servius.*

709. *Inter se coïsse viros, & cernere ferro.*] Vera & antiqua lectio hæc est. Nam Ennium secutus est, qui ait, *Olli cernebant magnis de rebus agentes.* Posteritas cœpit legere, *& decernere.* Secundum quam lectionem Synalœpha opus est, sed excluso *os*, ut sit *inter se coïsse vir' & decernere ferro:* Servius.

Inter se coïsse viros, & decernere ferro.] Servius quidem *cernere* contendit ex Ennio legendum. Et Seneca lib. VII. epistola prima, in eadem est opinione, dum dicit, *Ne te longe differam, quædam simplicia in usu non erant, sicuti cernere ferro inter se dicebant.* Idem Virgil. hoc probabit tibi, *Inter se coïsse viros & cernere ferro.* quod nunc *decernere* dicimus. Verum contra hos stat codicum pene omnium veterum auctoritas, in quibus legitur *& decernere.* In quodam tamen perveteri deest *&*, & ita legitur *Coïsse viros, decernere ferro.* Pierius.

Cernere ferro.] Ita lego. Extritio enim illa, quam aliqui adhibent, non est ævi Maroniani. Astruo itaque dici commode posse *cernere.* Nam Græci non solum διακρίνειν, id est, *decernere*, sed etiam κρίνειν, id est, *cernere.* Hom. 18. Iliad. ϛυγερῷ κρίνοντ' Ἄρηϊ. Heliodor. lib. 7. Hist. Æth. ἀγὼν κρίνεσθαι. Polyb. lib. 3. Τιβέριος φιλοτίμως εἶχε πρὸς τὸ τὴν ταχίστην κρῖναι τὰ ὅλα. & post pauca iterum, ἔσπευδε κρῖναι δι' αὑτοῦ τὰ ὅλα. *festinabat ut per se ipse summam rerum cerneret.* Ita

Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido, conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clipeis atque ære sonoro.
Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus
Congeminant. Fors & virtus miscentur in unum.
Ac velut, ingenti Sila summove Taburno
Cum duo conversis inimica in prœlia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri:

Stat

reddit Casaubon. & adhuc ἐντειλάμενοι σὺν καιρῷ κρίνεσθαι τὰ ὅλα ἀγωνιζόμενοι. Sequor etiam auctoritatem Senecæ, Servii, Mureti. Ait primus epist. 58. *Quædam simplicia in usu erant, sicut cernere ferro inter se dicebant. Virgilius hoc probabit tibi.* mox advocat versum, in quo sum. Alter in hunc locum: *cernere ferro, vera & antiqua lectio hæc est, nam Ennium secutus est, qui ait,*

Olim cernebant magnis de rebus agentes.

Tertius: *desipit si quis plus tribuit ulli libro, qui hodie reperiatur, quam aut Servii testimonio, aut Senecæ.* Juvat, Ennium alio etiam dixisse loco, *ferro cernamus utrique.* & Atticum, *qui armis secum vellet cernere.* Cerda.

710. *Vacuo patuerunt.*] Potest intelligi & *Patuerunt corporis magnitudine.* Servius.

Æquore campi.] *Æquor* dicitur, quia locus, ubi prælium committitur, æquus esse debet: ne hostis hostem loci opportunitate superet. Xenophon: ἐν τῷ ἰσοπέδῳ μάχεσθαι. ita 10. Æn.

—*socii cesserunt æquore jusso.*

Item:

—*medium procedit in æquor.*

Eundem locum alio modo *purum campum* dixit; silvis, arbustis, aut lacubus minime interseptum: infra ℣. 771. Vide Desid. Herald. *Taubm.*

711. *Procursu.*] Una pars orationis est. *Servius.*

Conjectis eminus hastis.] In Romano codice *conlectis* est: sed inemendate, melius enim *conjectis.* Pierius.

712. *Invadunt Martem.*] Incipiunt pugnare. Scal. l. 4. 16. *Taubm.*

713. *Dat gemitum tellus.*] Pulsu pedum. *Servius.*

714. *Fors & virtus miscentur in unum.*] *Fors*, id est casus in Turno, *virtus* in Ænea. Nam in bello casus etiam plurimum valet. Cicero in Miloniana, *Adde casus, adde incertos exitus, Martemque communem.* Idem.

715. *Ac velut ingenti Syla, summove Taburno.*] *Syla* mons est Lucaniæ: *Taburnus* mons Campaniæ. Sallustius de fugitivis, *In silva Syla fugerunt.* Unde pessime quidam *Sylva* legunt: quia proprium appellativo non potest exæquari. unde bene proprium pro proprio junxit. *Idem.*

Syla.] Pervetus codex *Silo* legit. Romanus *silva.* quam lectionem Servius improbat. Reliqua exemplaria recte *Syla*, qui Brutiorum mons, hodieque nomen retinet. *Pierius.*

Sila.] *Sila*, nemus Brutiorum, hodieque nomen retinens, auctore Pier. & Fabricio. Vide J. Ortelii Thesaurum Geographic. in *Sila.* *Taburnus* autem mons Campaniæ est. *Taubm.*

716. *Cum duo conversis, &c.*] Apollon. lib. 2. ἂψ δ' αὖτις συνόρουσαν ἐναντίοι ἠΰτε ταύρω φορβάδος ἀμφὶ βοὸς κεκοτηότε δηριάασθον. Lucret. lib. 6. *ut non tam concurrere nubes Frontibus adversis possint, &c.* Germanus.

717. *Pavidi cessere magistri.*] Proprie *magistri* sunt militum: *pastores*, pecorum. Sed reciprocæ sunt istæ translationes. Nam & ductor militum, *pastor*

Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur:
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, & sanguine largo
Colla armosque lavant: gemitu nemus omne remugit.
Haud aliter Tros Æneas & Daunius heros
Concurrunt clipeis. ingens fragor æthera conplet.
Juppiter ipse duas æquato examine lances

Su-

stor vocatur, ut diximus supra, & *magistros pecorum* dicimus. Cicero, *Quem magistrum pecoris esse dicebant*. Serv.

Magistri.] Ita dicti ferarum curatores & pastores. In Ecl. *oviumque magistros*. 2. Georg. *pecoris magistris*. De Aristæo curatore apum 4. Georg. *Arcadii magistri*. Manil. lib. 3.

Quadrupedum omne genus positis domitare magistris.

Sen. lib. 1. de Benef. cap. 3. *leonum ora à magistris impune tractantur*. Vocantur à Plutarch. in vita Æmilii *πώλων καὶ σκυλάκων ἐπιστάται*, id est, *præfecti*. Qua voce usus Terent. Eunuch. act. 3. scen. 1. cum ait: *elephantis quem Indicis præfecerat*. Cerda.

718. *Mussantque juvencæ.*] Dubitant: sicut, *Mussat rex ipse Latinus*. Servius.

Mussantque.] Dixi de hoc verbo alibi. Conjungit Poëta cum *metu*, ut Plaut. Aulul. *per metum mussari*. Sulp. lib. 1. Sac. Hist. *enimvero miseri trepidantes mussare*. Cerda.

Juvencæ.] Signate, non juvenci. Indicat enim pugnas taurorum excitari propter amorem juvencarum. Ita 3. Georg.

Pascitur in sylva magna formosa juvenca,
Illi alternantes multa vi vulnera miscent.

Vide ibi annotata. *Idem.*

119. *Quis nemori imperitet.*] Hoc est qui sunt in nemore, ut est, *Sed tota æstiva repente*. Servius.

Quis pecori imperitet.] Rom. codex cum altero perveteri *nemori* legunt, ut *imperat arvis*. In aliquot aliis *quis nemori imperet, & quem tota armenta sequantur*. In Mediceo *quis pecori imperet, & quem*. quæ lectio etiam est in Porcio codice. In Vitaliano quoque, & in Delphio, *et* ipsum habetur, altera tamen dictione corrupta. *Pierius.*

Quem tota armenta sequantur.] Est hoc, quod Stat. lib. 11. *trepidæque expectant prælia vaccæ*. & quod Ovid. 9. Metamorph. de eadem re loquens,

—— spectant armenta, paventque
Nescia quem maneat tanti victoria belli.

Cerda.

722. *Colla armosque lavant.*] In antiquis aliquot exemplaribus *lavunt*, à *lavo lavis*. Pierius.

723. *Haud aliter.*] Antiqui codices quotquot habui, *non aliter*, legunt. *Idem.*

Tros Æneas & Daunius heros.] Tacita commendatio à genere. Sic Valer. lib. 4. in pugna Amyci & Pollucis,

—— incensa mente feruntur
In medium sanguis Jovis, & Neptunia proles.

Cerda.

724. *Complet.*] In Oblongo *pulsat* habetur: in aliis, *complet*. Pierius.

725. *Juppiter ipse duas æquato examine lances.*] Aut poëtice dictum est, & ratione caret. nam Juppiter ignorare nihil poterat. aut certe illud quæritur, quis ibi de Turno & Ænea mortis adferat caussam. Nam dicunt philosophi mortem ad deum minime pertinere. Nam bona tantum præstat, nec id

Sustinet, & fata inponit diversa duorum;
Quem damnet labor, & quo vergat pondere letum.
Emicat hic, inpune putans, & corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem,
Et ferit. exclamant Troës trepidique Latini,

Ar-

ad eum quæ mala sunt pertinent. nam ideo & æquas lances sustinet, vel ideo à Jove hoc fit, ut Junoni aliisque deis necessitatis violentiam probet: an inquirit utrum tempus sit? Tamen sciendum locum hunc à Virgilio ita esse translatum, ut in Homero lectum est,

> Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
> Ἐν δ᾽ ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
> Τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ᾽ Ἕκτορος ἱπποδάμοιο.
> Ἕλκε δὲ μέσσα λαβών, ῥέπε δ᾽ Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ.
> Ὤιχετο δ᾽ εἰς ἀΐδαο, λίπεν δέ ἑ Φοῖβος Ἀπόλλων.

Juppiter ipse, &c.] Locus ex Iliad. 22. vs. 209. quem vexant Critici. Vide Macrob. lib. 5. 13. contra Scaliger lib. 5. c. 3. acerrime defendit: & vel illam particulam, *Quem damnet labor*, omnibus illis Homericis anteponendam esse adserit, quem videas. Turnebus l. 24. c. 3. dictum hoc putat ex eâ cogitatione & sententiâ, quâ prisci censebant res mortalium ab Jove velut librâ quâdam pensitari, unde & ὑψίζυγος à Poëtis dicitur, velut ex alto cælo omnia librans, &c. item Ζεὺς ζυγοστάτης & ἑτερόρροπος. Taubmannus.

Examine.] *Examen* proprie est filum, quo trutina regitur. *Servius.*

727. *Quem damnet labor.*] Id est, quem voto liberavit labor præliandi, parta scilicet victoria, quoniam unusquisque ob incolumitatem recuperatam votis exsolvitur, id est, liberatur explicitis sacrificiis: ut est, *Damnabis tu quoque votis.* Nonnulli sic tradunt, quem labor suus liberet, quem mors urguet, nam in Jure cum dicitur, *damnas esto*, hoc est, damnatus es ut des, hoc est, damno te ut des, neque alias libereris: quidam labor pro malo intelliguntur * *Servius.*

Quem damnet labor.] Id est, à quo labor frustra suscipiatur: *Scalig.* Aliis quem labor morti destinet: ut sequentia καθ᾽ ἑρμηνείαν addantur,

Et quò vergat pondere letum.

Alis: qui damnetur labore, & duro labori additus sit. Servius, Nonius, & Sergius *damnet*, exponunt, *liberet*, partâ scil. victoriâ: ut,

—— damnabis tu quoque votis.

Atque hanc sententiam Jos. Castalio Observ. Decad. 3. c. 9. unice defendit; ut & hanc lectionem è vulgatis edd. Nonii, & suo è membranâ MS.

Quem damnet labor, aut q. non, *&c.* Figura est, *inquit*, ubi *labor* pro *virtute* ponitur, quæ quasi numen aliquod præsentissimum, vota sibi facientem *votis damnet*, & ab incerti dubiique certaminis eventu sinistro eripiat, liberet, victoremque superato hoste reddat. V. N. Bucol. 5. Æ. 5. vs. 237. Jam vero, *aut*, legendum, ipsam etiam suadere ait sententiam. Nam duorum, Æneæ ac Turni, dissimiles eventus à Jove ad libræ examen expendi. *Taubm.*

Vergat.] Apte posuit *Vergat*: nam morientes inferos petunt. *Servius.*

Vergat.] Καταρρέπῃ. Tale quid Lucanus sub personâ Pompeji,

—— dignum est, quod quærere cures,
Vel tibi quò tanti præponderet alea fati.
Taubm.

730. *Trepidi Latini.*] Atqui læti esse debuerunt. Sed nimia Æneæ ostenditur virtus. Nam quod naturale est, ut sociis timori sit inferioris audacia.

Unde

Arrectæque amborum acies. at perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu:
Ni fuga subsidio subeat. fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextramque aspexit inermem.
Fama est, præcipitem, cum prima in prœlia junctos
Conscendebat equos; patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci:
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suf-

Unde nunc Latini sunt territi, ex eo quod superiorem ferire ausus est Turnus. *Servius.*

731. *Acies.*] Aut exercitus, aut oculi. *Idem.*

Perfidus ensis.] Prudent. Psychom. de gladio fracto, *decorisque pudendi Perfida signa.* Huic directe opponitur illud 9. *lorica fidelis.* & 6.

—— fidum capiti subduxerat ensem.

Sed illustro hunc locum ex Galeno lib. 1. de usu partium, explicante, quis sit perfidus gladius, quis fidelis. Ejus verba sunt: οὕτως οὖν καὶ μάχαιραν ἀρίστην εἶναι φαμὲν, οὐ τὴν ἐκ κεραύνου σιδήρου γεγενημένην, οἷος ὁ παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς ἐστὶ μάλιστα, καὶ τι τάχιστα γε τέμνουσαν· ἀλλὰ τὴν εἰς τοσοῦτον ἥκουσαν σκληρότητος, ὡς μήτε αὐτὴν θραύεσθαι ῥᾳδίως καὶ τέμνειν ἑτοίμως. Cerda.

732. *In medioque ardentem deserit ictu.*] Romanus codex cum aliquot aliis veteribus legitur, *Ardentem deserit ictum:* sed *ictu*, ut in Mediceo & in Porcio est, magis placet. *Pierius.*

734. *Ut capulum ignotum, dextramque aspexit inermem.*] Locus hic totus ad gloriam Æneæ pertinet. Namque id agit, ne videatur Turnus armorum vilitate superatus. Unde ei redditur gladius, quo etiam cum divinis armis ab Ænea possit extingui. *Aspexit* autem, quasi mirabundus quod fractus esset, cum putaret se gladium ferre Vulcanium. *Servius.*

735. *Cum prima in prælia junctos Conscendebat equos.*] In codicibus, non tamen iis antiquioribus, *cum primum* [illegible] legitur: sed magis placet *prima in prælia*, hoc est initio belli, pugnæve. *Pierius.*

Præcipitem, cum prima in prælia, &c.] Respicit locum illum hujus libri, ubi Turnus, cedente ex acie Ænea vulnerato,

—— subita spe fervidus ardet,
Poscit equos, atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas.

In hac itaque festinatione, quam hic *trepidationem* vocat, pro suo accepit gladium aurigæ. *Cerda.*

736. *Patrio mucrone.*] Quo tempore vulneratum vidit Æneam. Sed supra de Turno, *Simul aptat habendo Ensemque clypeumque, Ensem quem Dauno ignipotens deus ipse parenti Fecerat.* Modo ergo Metisci usus est ferro: & hæc ratio est, quod quamvis armatus suo gladio descendisset ad campum, tamen causa fœderis deposuisset arma, nam & de Ænea hoc dixit, *Dextram tendebat inermem*, qui utique ad fœdus non inermis advenerat, nam dictum est, *Hinc pater Æneas, Sidereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis.* Sane *patrio*, modo paterno significat. Nam Dauni fuerat gladius: ut hic dictum est, *Ensem quem Dauno, &c.* Alias *patrium* à patria est derivativum. *Mucrone* autem pro gladio, à parte totum. *Servius.*

737. *Dum trepidat.*] Dum turbatur, festinat, quod Græci ἐν ἀγωνίᾳ ἐστὶ, scilicet quando rupto fœdere subita spe furibundus ardet. *Idem.*

Suffecit. postquam arma dei ad Volcania ventum est,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit: fulva resplendent fragmina arena.
Ergo amens diversa fuga petit æquora Turnus:
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbis.
Undique enim densa Teucri inclusere corona:
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
Nec minus Æneas, quamquam tardata sagitta

In-

Ferrum.] Materiam pro opere solet * ut *Jungit equos curru genitor.* Idem.

739. *Suffecit.*] Valuit cædendis Trojanis fugientibus. De hoc instrumento non rudi, sed arte facto, *Scalig. l. 3. c. 7.* Taubm.

Arma dei ad Vulcania.] Hypallage pro *dei Vulcani arma.* Servius.

Postquam arma dei ad Vulcania ventum est, &c.] Insistit procul dubio loco Calab. lib. 1. 11.

—— πρώτη δ' ἔβαλεν περιμήκετον
ἔγχος.
Ἔνθ' ἄρ Πενθεσίλεια. τὸ δ' στίχος
Αἰακίδαο
Ἶξεν, ἀπεπλάγχθη δὲ τρυφὲν ὥστε,
Τοῖς ἤσαν Ἡφαίστοιο περίφρονος ἄμ-
βροτα δῶρα.

Cerda.

740. *Mortalis mucro.*] Mortali manu factus. *Servius.*

Mortalis mucro.] Ab artifice mortali fabricatus. Sic infra vs. 797. *mortale vulnus* exponunt quidam, à mortali illatum. *Taubm.*

Glacies ceu futilis.] Hoc loco fragilis. *Servius.*

Glacies ceu futilis.] Nimirum ferrum ipsum conglaciari, & concrescere docet Aristot. eo Meteor. lib. 4. loco, ubi πῆξιν, & τῆξιν metallorum aliorumque corporum pertractat. Unde & Lucret. *Tum glacies æris flamma devicta liquescit.* *Futilis* autem χυδαῖος. Festus à fundendo, alii à *futio* & *effutio* deducunt, hoc est liquorem commissum non contineo, sed effundo. Unde *futile* vasis genus, dictum Donato, latissimi oris, ex altera parte arctum, quod statim, positum effundebatur. Ideo Vestalibus ceremoniis accommodatum & usurpatum. *Germanus.*

741. *Fulva resplendent fragmina arena.*] In aliquot antiquis codicibus unitatis numero legitur *fulva resplendet fragmen harena.* sed magis amplum, & majoris admirationis est, *resplendent fragmina*, quod in plures dissiluisse partes ensem ostendit. Illud vero inemendate legitur in quibusdam codicibus, *glacies cui:* quum dubio procul *ceu* legendum sit. *Pierius.*

Fragmina.] Ab hoc loco Prudent. Psych.

Ictibus & vacuis hastilia fracta jacerent.
Et post pauca,
Ira ubi truncati mucronis fragmina vidit,
Et procul in partes ensem crepuisse minutas,
Jam capulum retinere manu sine pondere ferri. Cerda.

743. *Incertos implicat orbes.*] Quod in 5. *alternosque orbibus orbes impediunt.* Idem.

744. *Undique enim densa Teucri inclusere corona.*] Stratagema est. Nam postquam Turnum fugere videre Trojani, clauserunt loca per quæ evadere poterat, aut non dedita opera inclusere Trojani, sed quod ita consederant, *Servius.*

745. *Atque hinc vasta palus.*] Quæ nunc non apparet. *Idem.*

746. *Quanquam tardante sagitta.*] Rom.

Interdum genua impediunt, cursumque recusant,
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urguet.
Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ,
Venator cursu canis & latratibus instat:

Ille

Rom. codex, Mediceus, & pleraque alia exemplaria, *tardata* legunt, quippe *genua*. Pierius.

Tardante sagitta, &c.] In 2. *& vulnere tardus Ulyssi*. Eurip. in Ione, ποδὸς τὸ βραδύ. Cerda.

747. *Cursumque recusant.*] Retardant, scilicet genua quæ impediebant vulnus illatum sagitta. Sane perite facit ut gladio non utatur Æneas, sed hasta eminus dimicare contendat: quia impediente vulnere non sequi poterat, nec in ictum consurgere. Unde est, *Hic gladio fidens, hic acer & arduus hasta*. Servius.

748. *Pedem pede.*] Plaut. Asin. *pedem pede premit*. Est pulcherrimus hic vocum lusus. Ita 1. Æn. *pueri puer indue vultus*. ibidem, *sic Venus, at Veneris*. & in 5. *calcemque premit jam calce Diores*. Livius lib. 23. *Annibalem pater filio meo potui placare, filium Annibali non possum*. Frequens est in hoc lusu Quintil. in Declam. & Sen. Rhetor. Græci elegantes sunt in eodem. Eurip. in Androm.

——οὐκ ἀξιῶ

Οὔτ' ἂν σὲ Τροίας, οὔτε σοῦ Τροίαν ἔτι. Iterum: Ἀνδρὸς δ' ἁμαρτάνουσ', ἁμαρτάνῃ βίου. &, παῖς μόνου παιδὸς μόνος. Cerda.

749. *Inclusum flumine.*] Comparatio Apollonii. Alterutro inclusum, aut flumine, aut formidine, aut duobus inclusum: infra enim ait, *insidiis & ripa territus alta*, ut *insidias* pro formidine, *ripa* pro flumine posuerit. *Servius.*

Inclusum veluti, &c.] Fugit Dolon in 11. Iliad. fugientem insequuntur Diomedes & Ulysses: quos Hom. duobus comparat canibus feram sequentibus. Sed longe excellentius describitur hic Æneas Turno instans. Cujus exacta, venusta, grandis, efficax, numerosa, florida loquutio cujuscunque theatri exspectationem superat: Scalig. lib. 5. cap. 3. Similia habet Apollonius lib. 2. Argon. item Oppianus in 4. Piscationum: quæ observat idem Scaliger l. 5. c. 6. & 9. *Taubm.*

Si quando in flumine nactus.] Rom. codex & aliquot alii *si quando flumine* legunt, absque *in*, quod tamen appositum & sententiæ, & numero consulit. *Pierius.*

750. *Cervum aut puniceæ.*] Utrum figurate *cervum instat*: an potius cervum nanctus alioquin instat? *Serv.*

Septum formidine pennæ.] Lucanus: *Claudit odoratæ metuentis aëra pennæ.* Idem.

Pennæ.] In antiquis *pinnæ*, de quo satis alibi. *Pierius.*

Septum formidine pennæ.] Formido in venatione lineam significat, vario plumarum nexu discolorem, quâ terrentur apri, vulpes, lupi, ursi; sed potissimum cervi, &c. Nemesiano libr. Gyneget. *linea* dicitur. Oppianus l. 4. de Venat. δειμαλέην μήρινθον, id est, *lineam formidolosam* appellat, & δεῖμα πολύχροον, id est, *formidinem multicolorem*. Ovid.

Nec formidatis cervos includere pennis.
Georg. 3.

Puniceæve agitant timidos (cervos) *formidine pennæ:*

Turneb. l. 5. 5. Sed de his accuratius, l. 3. G. vs. 372. Vide & Cæl. Rhodig. l. 16. cap. 11. & lib. 9. c. 11. *Taubm.*

751. *Venator canis.*] Pro *venaticus*. Servius.

Latratibus instat.] Ennius,

Sicuti si quando vinclo venatica aheno
Apta solet cani, forte feram si ex nare
sagaci

Ille autem, insidiis & ripa territus alta,
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Hæret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
In-

Sensit, voce sua nictatque, ululatque ibi acute.

Alia est ratio venandi apud Lucan. lib. 4. sine latratibus,

Aut dum dispositis attollat retia varis
Venator, tenet ora levis clamosa Molossi.
Spartanos Cretasque ligat: nec creditur ulli
Sylva cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, & præda nescit latrare reperta.

Attigit Ennod. epist. 15. lib. 11. *presso ore vestigia rimatus est.* & Sen. in Thyeste de cane, *ac presso vias scrutatur ore.* & infra, *tacito rostro.* Itaque ratio venandi Virgilii & Ennii opposita venationi Lucani, Ennodii, Senecæ. *Cerda.*

715. *Insidiis.*] Pinnarum scilicet: instrumentum quoddam in hunc ad terrendas bestias factum. *Servius.*

Insidiis.] Retuli *insidias* ad Formidinem. Seneca lib. 2. de ira cap. 12. *Cum maxime ferarum greges linea pennis distincta conterreat, & ad insidias agat, ab ipso effectu dicta Formido.* Ut enim Latini hoc instrumentum vocant *Formidinem*, ita Græci passim δεῖμα *à timore.* & Oppian. 4. Hal. κενὸν φόβον. Et Sen. 2. de ira, *vanis enim vana terrori sunt.* & alter Sen. in Hippol. *vano claudat terrore feras.* Cerda.

753. *Fugitque vias.*] Figurate campum, cum mare navigat. *Servius.*

Vividus Umber.] Acerrimus Tuscus. Nam Umbria pars Tusciæ est. Sane Umbros Gallorum veterum propaginem esse Marcus Antoninus refert, hos eosdem quod tempore aquosæ cladis imbribus superfuerunt, *Umbros* cognominatos. *Idem.*

Umber.] Generosi canes indigitari solent ab regionibus, ubi nati, sic Spartani, Cretenses, & mille alii. Sic ego *Umber* ab Umbria Italiæ. Servius *Thuscum* accipit, quia Umbria pars Thusciæ. Seneca in Thyeste:

Sic cùm feras vestigat, & longo sagax
Loro tenetur Umber. ——

Cerda.

Vividus Umber.] Acerrimus Thuscus: à loco indicatur præstantia canis: ut alibi, *Marsus aper*; *Apulus lupus.* ita *Vivida bello dextera*, lib. 10. Servio exponitur fortis, quasi *vivata.* Vide Indic. Gifan. Ita Æneid. 1. *vivus amor*, est acris, vehemens, vividus. *Taubm.*

754. *Jam jamque tenens.*] Ita ut videatur intuentibus: & hi duo versus verbum ad verbum sunt translati de Apollonio: Sane summa brevitate rem elocutus est. *Servius.*

Jam jamque tenet.] In Romano codice *tenens* legere est, sed inemendate. *Pierius.*

Jam jamque tenet similisque tenenti.] A Virgilio nobiles duo Poetæ Ovidius, & Statius. Prior lib. 1. Metamorphoseos:

Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
Vidit, & hic prædam pedibus petit, ille salutem.
Alter inhæsuro similis, jamjamque tenere
Sperat, & extento stringit vestigia rostro.

Posterior lib. 5. Theb.

—— *qualis cum cerva cruentis*
Circumventa lupis, nullum cui pectore molli
Robur, & in voluceri tenuis fiducia cursu,
Præcipitat suspensa fugam: jamjamque teneri
Credit, & elusos audit concurrere morsus.

Apol-

Increpuit malis, morſuque eluſus inani eſt.
Tum vero exoritur clamor: ripæque lacuſque
Reſponſant circa, & cælum tonat omne tumultu.
Ille ſimul fugiens, Rutulos ſimul increpat omnis,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat enſem.

Apollon. lib. 2. Arg.

Ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἐνὶ κνημοῖσι κύνες δεδαημένοι ἄγρης
Ἠ᾽ αἶγας κεραὰς, ἠὲ πρόκας ἰχνεύοντες
Θείωσιν, τυτθὸν δὲ πιτανόμενοι μετόπισθεν
Ἄκρης ἐν γνύεσσι μάτην ἀράβησαν ὀδόντας·

Quemadmodum quando in ſaltibus canes ſagaces
Capras cornigeras, aut cervos indagantes
Inſiquuntur, paulum autem diſtantes à tergo
Extremis rictibus fruſtra colliſerunt dentes.

Illud, *jamjamque tenet*, ita diceret Plutarch. in Lucull. ἤδη γὰρ αὐτὸν καθεῖχεν ἐπικείμενος, & iterum, ἦν μὲν γὰρ ἐν ὀφθαλμοῖς διώξεως. Cerda.

755. *Tum vero exoritur clamor.*] Quidam quærunt an jam receſſum ſit his verſibus à comparatione, ſed non dubie videtur. *Servius.*

Tum vero exoritur clamor.] Arripuit Ovid. 1. Triſt. Eleg. 3.

Tum vero exoritur clamor, gemituſque meorum.

Cerda.

Ripæque lacuſque Reſponſant.] Ita in 8. *Diſſultant ripæ.* & in 5. *colles clamore reſultant.* Hom. Iliad. 21. ὄχθαι δ᾽ ἀμφὶ περὶ μεγάλ᾽ ἴαχον. *Ripæ, quæ circa erant, valde inclamarunt.* Lucill. dixit, *reſultant ædeſque, lacuſque.* Idem.

757. *Et cælum tonat omne tumultu.*] In Mediceo codice & aliquot aliis antiquis legere eſt, *& cælum intonat omne fragore.* In Porcio *tumultu* habetur, atque *intonat* verbum. *Pierius.*

Et cælum tonat omne tumultu.] In 8 *& maximus inſonat æther.* quem locum vide. Supra, *Ingens fragor æthera complet.* In 9. *cælum tonat omne fragore.* Plaut. Amph. *boat cælum fremitu virûm.* In his omnibus locutionibus aërem capias. Sic & Ennius, quem citat Varro lib. 6. Ling. Lat.

Clamor ad cælum volvendus per æthera vagit. Cerda.

758. *Increpat.*] Objurgat, incuſat. Ut, *Æſtatem increpitans ſeram.* Serv.

759. *Nomine quemque vocans.*] Claud. Stil. *& nomine quemque Compellas.* & 2. Ruff. *devotaque brachia laudat Nomine quemque vocans.* Valer. 4. Argonaut.

Hortatur, ſupplexque manus intendit Iaſon,
Nomine quemque premens. ——

Eſt hoc, quod Plutarch. de Minutio preſſo ingenti diſcrimine in bello ait in vita Fabii: καὶ πρὸς ἄλλον ἄλλοτε τῶν ἡγεμόνων διεπάπταινεν· *Jam ad hunc, jam ad illum ducem, in omnem partem reſpectat.* neque tamen illi quiſquam aderat. De Catilina Salluſt. *ſuorum unumquemque nominans laudare.* Cerda.

Efflagitat enſem.] Cum clamore depoſcit. *Servius.*

Efflagitat.] Veluti increpanter, & cum convitio. Inde Tacitus 6. Ann. cum hoc verbo ſignate conjungit voculam *licentius*, cum ait, *multaque in theatro licentius efflagitata, quam ſolitum.* Dicebam jam de hoc verbo 2. Æneid. ad illud Ulyſſis, *quæ ſint ea numina Divûm Flagitat.* De obſcœna ſignificatione verbi hujus jam Budæus. Imitatio ducta ab Hom. Iliad. 22. ubi Hector ſimili malo oppreſſus petebat haſtam ab Deiphobo, ἤτεέ μιν δόρυ μακρόν. aut ab Eurip. apud quem Hercules furens,

Æneas mortem contra præsensque minatur
Exitium, si quisquam adeat: terretque trementis.
Excisurum urbem minitans, & saucius instat.
Quinque orbis explent cursu, totidemque retexunt
Huc illuc. neque enim levia aut ludicra petuntur
Præmia: sed Turni de vita & sanguine certant.
Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris

Hic

Τίς μοι δίδωσι τόξα; τίς ὅπλον χερός;
Quis mihi dat arcum? quis arma manus? Cerda.

760. *Æneas mortem contra.*] Scalig. l. 5. c. 3. totum hunc locum contendit cum Homericis. *Taubm.*

761. *Terretque trementes.*] Quis enim non timeret instantem, cum eum integer fugeret? Et bene terret eos apud quos terror ejus habetur. & alibi, *Ne me terrete timentem.* Servius.

763. *Totidemque retexunt.*] Est hoc quod in lib. 5.

Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus
Adversis spatiis. ——

Cerda.

764. *Ludicra præmia.*] Vilia, digna ludo. Hæc apud antiquos *ludibria* dicebantur, non ut nunc in mala significatione. Dabatur autem victori pro præmio aut pellis, aut minus * esca hordeum, unde *hordiariæ quadrigæ* dicuntur. *Servius.*

Neque enim levia, &c.] Hom. adducto loco,

—— ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον, οὐδὲ βοείην
Ἀρνύσθην, ἅτε ποσσὶν ἀέθλια γίνεται ἀνδρῶν,
Ἀλλὰ περὶ ψυχῆς θέον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο·

—— *non enim victimam neque tergum bovis*
Captabant, qualia pedibus præmia sunt virorum,
Sed pro anima currebant Hectoris domitoris equorum.

Lib. etiam Odyss. 22. περί τε ψυχέων ἐμάχοντο· *pugnabant pro animabus.* Diotimus in pugna Herculis & Antæi lib. 1. Epig.

Κεῖται δ' ἐν σφιν ἀγὼν οὐ χαλκέου ἀντὶ λέβητος,
Ἀλλ' ὅστις ζωὰν οἴσεται, ἢ θάνατον.

Propositum ipsis certamen est, non æreo pro lebete,
Sed uter vitam feret, vel mortem.

Et Damagetus loquens de pugna Herculis, & leonis lib. 4. Epig.

Ἔρχονται δ' εἰς ἀγῶνα, κελαινὸν ὄμμα βαλόντες
Λοξὸν, ὑπὲρ ζωᾶς καὶ βιοτᾶς σφετέρας·

Veniunt ad certamen, aspiciunt sese adversim oculis
Obliquis, geritur quippe de cujusque vita.

Ceterum ab hoc Poëtarum animo non multum abit illud Quintiliani Declamatione trecentesima vigesima sexta: *Non enim profecto Dii immortales pœnam petebant, nec in supplicium filii hoc responsum dederant civitati. Magna arcessebatur anima.* Neque illud Sophoclis in Elect.

Λόγων γὰρ οὐ νῦν ἐστὶν ἀγὼν, ἀλλὰ σῆς ψυχῆς πέρι·

Non enim certamen de verbis est, sed de anima tua.

Eurip. quoque in Phœniss. ἀγῶνα τὴν περὶ ψυχῆς· *certamen de anima.* Lib. 1. Machab. c. 12. leges, *quia pro anima res est illis.* Hoc genus sententiarum ad parœmiam refert Erasmus Chil. 3. Cent. 9. c. 29. *Cerda.*

766. *Sacer oleaster.*] Fere omnia Latina arborum nomina, generis fœminini sunt, exceptis paucis, ut *hic oleaster*, & *hoc siler.* Ipse, *Ut molle siler len-*

Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestis.

Sed

lentæque genistæ. Item *hoc buxum*: licet & *hæc buxus* dicatur. Nam superfluam quidam volunt facere discretionem, ut *hæc buxus* de arbore dicamus: *buxum* vero de ligno aliquid compositum. Legimus enim de tibiis, *Buxusque vocat Berecynthia matris Idææ.* Item cum de arboribus diceret, *Et torno rasile buxum.* Servius.

Oleaster.] Docet Turneb. lib. 8. cap. 16. testimonio Theophrasti, allusisse Virgilium ad Græcorum ritum, qui in oleastris votiva dona suspendere solebant, ut vivacissimis arboribus, nec clavorum aculeis vulneribusque lædi solitis: unde & Poëtæ, *Palladia sylva vivacis olivæ.* Germanus.

767. *Venerabile lignum.*] Antiquam arborem voluit exprimere. Seu truncus fuerit jam, & aridus ob vetustatem, & ideo *lignum* viriliter dictum accipiunt, ornavit tamen *venerabile* dicendo. *Servius.*

768. *Ubi figere dona solebant.*] Proprie: ut ait, *Sacra ad fastigia fixi.* Et quæritur cur terreno deo nautæ dona suspenderent; quia constat omnes in periculis suis deos patrios invocare, & ideo illis vota solvere, quorum familiarius numen opitulari sibi credant. *Idem.*

Servati ex undis ubi figere dona solebant.] Attingit morem, quo servati ex undis & tempestate persolvebant vota Diis, quibus se in mari devinxissent. Ad quem allusit Propert. Eleg. 3. lib. 4.

Omnibus in portis pendent mea noxia vota.

& Horat. lib. 1. Carm.

—— me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Et in epist. ad Pison. reprehendens ineptum pictorem ait,

& fortasse cupressum
Scis simulare. quid hoc? si fractis enatat exspes
Navibus, ære dato qui pingitur. ——

Itaque aliud genus attingit, morem tabellarum & donorum affixorum ab his, qui servati ex undis. Attigit Cic. lib. 4. ad Attic. *Hæc enim me una ex naufragio tabula delectat.* & lib. 3. de Nat. *Tu, qui Deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint?* Itaque, consentientibus aliorum testimoniis, credibile est ab Poëta per *dona fixa* intelligi tabellas pictas, ut duo dicat pleniore Musa, & tabellas, & vestimenta. Ad quam rem etiam pertinent verba veteris interpretis Horatii ad Stat. 1. lib. 2. Serm. ubi postquam explicuit, quid sit *votiva tabula*, adjicit: *ita solent naufragii suum naufragium in tabella depictum circumferre, & in templis alicui Deo consecratum suspendere.* Cerda.

Ubi, &c.] In arboribus figi similia dona, certum est, nam illæ sacræ erant Gentilibus. Quo spectant versus isti Valer. lib. 5. Arg.

—— ac vellera Martis in umbra,
Ipse sui Phryxus monimentum insigne pericli
Liquerat ardenti quercum complexa metallo.

Et Ovid. lib. 8. Metamorph.

Stabat in his ingens annoso robore quercus,
Una nemus, vittæ mediam memoresque tabellæ,
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.

Pausan. etiam Corinth. ait, vinctos solitos suspendere compedes ad arbores lucorum, cum fiunt liberi. Verba ejus: λυθέντες δὲ οἱ δεσμῶται τὰς πέδας πρὸς τὰ ἐν τῷ ἄλσει δένδρα ἀνατιθέασιν. Id.

769. *Votas suspendere vestes.*] Oblen-

Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Æneæ stabat: huc inpetus illam
Detulerat fixam, & lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides; teloque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. tum vero amens formidine Turnus,

Fau-

longus codex, Mediceus, & plerique alii codices antiqui, *votas* legunt. ait enim, *servati ex undis*, quod tempestatem præcessisse significat. Hunc vero morem tangit etiam Horatius, *Suspendisse potenti vestimenta maris deo.* Pierius.

770. *Nullo discrimine.*] Sine aliquo religionis intuitu. Et deest *habito*, ut sit, nullo discrimine habito. Intelligendum autem eatenus stirpem excisum quatenus supra terram fuit; ergo *stirpem* pro *arborem* accipiendum, quia & sobolem *stirpem* appellant. *Servius.*

771. *Sustulerant.*] Nefas esse Gentiles putabant, si quidpiam sacrum auferretur, everteretur que. idque mordet Turnus. Lege Ovid. fab. 11. lib. 8. Metamorph. ab illis versibus,

Ille etiam Cereale nemus violasse securi
Dicitur, & lucos ferro temerasse vetustos.

Vitruv. lib. 2. *Rhodii religione impediti, quod nefas est trophæa dedicata removere, circa locum eum ædificium struxerunt.* Cerda.

Puro campo.] Æquabili nec impedito. Horat.

Puræ sunt plateæ, nihil ut meditantibus obsit.

Supra vs. 710. Alii *purum re.* hic intelligunt, ut JCti *locum purum* dicunt, qui sacer non sit, aut religiosus, nempe ut sublato oleastro campus videretur factus profanus. *Taubm.*

772. *Hic hasta Æneæ stabat.*] Allusum fortasse ad etymon hastæ: ut supra, *stant terra defixæ hastæ.* Nam Varr. l. 4. Ling. Lat. *Hasta, quod stans solet ferri.* Cerda.

773. *Fixam, & lenta in radice tenebat.*] Plenum est, quam radix fixam tenebat. Et bene *tenebat*; quasi propter piaculum remotæ arboris hoc videtur passus Æneas, & ideo dixit *tenebat*, quod adeo verisimile est, ut Faunus Turnum audiat, & hastam moretur. *Servius.*

Lenta in radice tenebat.] Mediceus codex, & vetera quædam exemplaria *lenta radice* legunt, absque *in*, quod alii viderint. *Pierius.*

774. *Voluitque manu convellere ferrum.*] Adumbrat toto hoc loco illum Hom. Iliad. 21.

—— ὁ δ' ἄρα μελίην Ἀχιλῆος
Οὐ δύνατ' ἐκ κρημνοῖο ἐρύσσαι χειρὶ παχείῃ.
Τρὶς μέν μιν πελέμιξεν, ἐρύσσασθαι μενεαίνων,
Τρὶς δὲ μεθῆκε βίης· τὸ δὲ τέτρατον ἤθελε θυμῷ
Ἄξαι ἐπιγνάμψας δόρυ μείλινον Αἰακίδαο·

—— hic autem hastam Achillis
Non poterat è præcipitio evellere manu valida.
Ter quidem ipsam concussit extrahere cupiens,
Ter autem defecit vi: quarto autem parabat animo
Frangere incurvans (se) hastam fraxineam Æacidæ. Cerda.

775. *Teloque sequi.*] Sup. *jaculo secutus.* est hoc, quod Ovid. 8. Metamorph. *contingere telo.* Homerus sæpe κιχάνειν, & τυχεῖν. *Idem.*

Prendere cursu.] Quidam humiliter *prendere cursu* dictum accipiunt. *Serv.*

776. *Amens formidine.*] Ita supra,

Ergo

Faune, precor, miserere, inquit: tuque optima ferrum
Terra tene: colui vestros si semper honores;
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.
Dixit, opemque dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,

Viri-

Ergo amens diversa fuga petit æquora Turnus.

Timor quippe nimius à mente dimovet. *Cerda.*

777. *Ferrum terra tene.*] *Ferrum* pro telo, *terra* autem elementum pro dea posuit. *Servius.*

778. *Colui vestros si semper honores.*] Ratio hæc precandi usitata Poëtis. Chryses Sacerdos 1. Iliad. εἴ ποτέ σοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα. Vide reliqua. *Si quando tibi gratum templum coronavi.* Oppian. Hal. lib. 2. ad exitum,

Ζεῦ τε, καὶ οὐρανίδαι ζωῆς χορὸς, εἴ τις ἀμοιβὴ

Eusebius:

Teque Juppiter, & vos cælites, cœtus Jovis, si qua retributio
Pietatis. ——

Ovid. 8. Metamorph.

Phœbe, ait, Amphycides, si te coluique, coloque,
Da mihi quod petitur. ——

Bis alibi hoc genus precationis Virg. attigit, 1. & 9. Æneid. *Cerda.*

779. *Bello fecere profanos.*] *Profanum* proprie dicitur, quod ex religiosa re in hominum usum convertitur, ut hic plenissime ostenditur, dicens enim Turnus, *colui vestros si semper honores. Quos contra Æneadæ bello fecere profanos,* & sibi religiosam fuisse arborem, & à Trojanis in usum communem fuisse consumptam: nam ex sua persona supra poëta ait, *Forte sacer Fauni foliis oleaster amaris Hic steterat nautis olim,* & subjunxit, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine, &c.* at postea dicendo *bello fecere profanos*, docuit *profanum* esse quod à religione in usum hominum transit, sacro profanum contrarium, ut festo profestum, fasto nefastum. Ergo non omne, quod sacrum non sit, profanum; sed quod sacrum fuerit & desierit. *Servius.*

Bello fecere profanos.] Ἐβεβήλωσαν. Et ut hoc uno verbo Græci dicunt, βεβηλοῦν, ita Latini *Desecrare:* ad quod accedit *Exaugurare.* Et ducit Passeratius hunc locum è medio jure Civili. Capta enim ab hostibus loca, sacra vel religiosa esse desinunt. Vide & Macrob. lib. & c. 3. *Taubm.*

780. *Non cassa in vota.*] Non ad inania vota poscit auxilium. *Servius.*

781. *Luctans lentoque in stirpe moratus.*] *Luctatus* & *moratus* erat integrum, quod vitavit propter ὁμοιοτέλευτον. *In stirpe* autem hic radicem dixit. *Servius.*

Lentoque in stirpe moratus.] *Qui superius stirpem invisam fœminino genere dixerat, nunc masculino dicit*, ait Nonius: quo genere etiam Ennius & Pacuvius in hoc nomine usi sunt. Nam Ennius *à stirpe supremo:* & *ad stirpem exquirendum* Pacuvius dixit. Donatus tamen, uti superius dictum, Virgilium ait passim in hoc nomine fœminino genere usum. Agnoscit vero Sosipater *stirpem invisam* fœminino genere pro sobole: pro materia *stirpem recisum*, adjecto Virgiliano carmine, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum Sustulerant.* quamvis Pacuvius, *Qui stirpem occidit meum,* dixerit de sobole. Pomp. Festus in iis, quæ ex Verrio Flacco defloravit, antiquæ fuisse consuetudinis ait, *recto fronte* dicere: ut Cato in dissertatione consulatus, ut cum ait Ennius *à stirpe supremo*, & *Iliadia nepos*, & *lupus fœta.* Etiam in commentariis sacrorum Pontificalium frequenter est, *hic ovis*, & *hæc agnus*, ac *porcus:* quæ non ut vitia, sed ut antiquam consuetudinem testantia, debemus habere. *Pierius.*

782. *Mor-*

Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Æneas. dum nititur acer & instat,
Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci
Procurrit, fratrique ensem dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci nymphæ indignata licere,
Accessit, telumque alta ab radice revellit.
Olli sublimes armis, animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer & arduus hasta,
Adsistunt contra certamina Martis anheli.
Junonem interea rex omnipotentis Olympi
Adloquitur, fulva pugnas de nube tuentem:
Quæ jam finis erit, conjunx? quid denique restat?
Indigetem Ænean scis ipsa, & scire fateris,

De-

782. *Morsus.*] Tenacitatem radicis mordicus tenentis hastam. *Taubm.*

784. *Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci.*] Κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus Juturnam in numen reversam, postquam Turnus currus reliquit. *Serv.*

785. *Fratrique ensem dea Daunia reddit.*] Homeri locus 1. Iliad. ubi Pallas Ἀχιλῆϊ δίδου, *dedit Achilli*, χάλκεον ἔγχος, *aream hastam*, quæ ἐν γαίῃ ἐπάγη, *in terra hæserat*, & quam Dea ipsa ἤρπασε, *evulsit*. Cerda.

Dea Daunia.] Juturna, Dauni F. *Taubm.*

786. *Audaci Nymphæ.*] Ut diximus, ubicunque inducit nitentem aliquem sine effectu, *audacem* dicit. Præcipue autem hoc de Rutulis servavit dicens, *Nec curant cæco contendere Marte Amplius audaces Rutuli, &c.* Servius.

Licere.] Pro *quod liceret*. Idem.

788. *Armis animisque refecti.*] Sicut armis, ita & animis. namque armorum inopia, animi utriusque torpebant. *Idem.*

789. *Hic acer & arduus hasta.*] Potest & *hic hasta fidens* subaudiri. *Idem.*

790. *Adsistunt.*] Ita de Camilla, *paribusque assistit in armis.* Qui versus firmat lectionem loci hujus, ubi male aliqui *insistunt*. Cerda.

Certamina Martis anheli.] Alii *certamine* legunt: ut sit sensus, Adsistunt contra se in Martis anheli certamine. *Servius.*

792. *Fulva de nube.*] De aëre, de elemento suo. *Idem.*

Pugnas de nube tuentem.] In Mediceo *videntem* est, in aliis *tuentem*. Puto vero alteram illam lectionem ex Paraphrasi huc irrupisse. *Pierius.*

793. *Quæ jam finis erit, conjux?*] Quid denique? Verba ista quasi jam tædiantis sunt ad longam Junonis iracundiam. unde & paulo post, *Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris.* Servius.

794. *Indigetem Ænean scis ipsa, & scire fateris.*] Subaudis *fore*. Et *indigetes* duplici ratione dicuntur, vel secundum Lucretium, quod nullius rei egeant. *Ipse suis pollens opibus nihil indiga curæ.* Vel quod nos deorum indigeamus, unde quidam omnes deos *indigetes* appellari volunt. Alii patrios deos *indigetes* dici debere tradunt. Alii ab invocatione *Indigetes* dictos volunt, quod *indigito* est precor & invoco. Vel certe *indigetes* sunt dii ex hominibus facti: & *dii indigetes* quasi in diis agentes. Sane de Ænea fabula talis est; Cum Turno occiso & accepta Lavinia, condita

795 Deberi cælo, fatiſque ad ſidera tolli.
Quid ſtruis? aut qua ſpe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin' decuit violari vulnere divum?

Aut

dita civitate in Numicum fluvium, ut alii volunt, ſacrificans, ut alii Mezentium, ut alii Meſſapum fugiens cecidiſſet, nec ejus eſſet cadaver inventum, Aſcanius filius ejus victo Mezentio cum cæteris Trojanis credens & jactitans inter numina receptum, ſive patrem volens conſecrare templum ei conſtituit, quod *dei indigetis* appellare juſſit. *Servius.*

Indigetem Ænean.] Sunt indigetes, quos Græci vocant ἀνθρωποδαίμονας, id eſt, *factos Deos aſſumptoſque ex hominibus.* Dicuntur etiam Græcis θεοὶ ἐγχώριοι, id eſt, *indigenæ*, quæ vox propius accedit Latinis *indigetibus*, id eſt, inde genitis: Sed quare hi Dii dicuntur aut *indigetes*, aut *indigenæ*, aut *inde geniti*? Rem duco à priſco ævo, & fabula Deucalionis, ſcribente ita Pind. Od. 9. Olymp.

Ἀρχᾶθεν Ἰαπετιονίδος
φύλλας κῦροι, κοράν τε φερ-
τάτων Κρονιδᾶν, ἐγ-
χώριοι βασιλῆες αἰεί.

Indigenæ Reges extiterunt jam inde ab initio, & ſtirpe Deucalionis, atque ex eo tempore dicti ſunt viri & fœminæ Jovis filii. Sententiam reddidi. Itaque, quia Reges, qui dicti ſunt filii Jovis, dicti ſunt indigenæ, quia geniti à jactis lapidibus; factum, ut deinde, qui ex hominibus aſſumpti in Deos ſunt, dicantur indigenæ, ut qui non ſuo jure nati ſint Dii, ſed alterius beneficio, veluti Dii inde geniti ex terra. Ideo etiam Græcis dicuntur αὐτόχθονες, atque *Opici*, quia terra Græcis eſt ὦπις, vere ἐγγενεῖς. Quod genus Numinum expreſſum à Dinarcho contra Demoſthenem, vocante ἥρωας ἐγχωρίους. Sed de uno imprimis Ænea clamant Romani ſcriptores. Dionyſ. enim l. 1. ait, raptum ab amne Numico, Deumque factum, illique dicatum ſacellum, & cum inſcriptione, qua appellatus eſt Deus indiges. Livius etiam de Ænea: *Situs eſt, quemcunque eum dici jus faſque eſt, ſuper Numicum fluvium, Jovem indigetem appellant.* Itaque appellatus eſt Æneas, non ſolum *Heros indiges*, ſed *Iuppiter indiges*. Tibull. Eleg. 6. lib. 2.

Illic ſanctus eris, cum te veneranda Numici
Unda Deum cælo fecerit Indigetem.

Ovid. 14. Metam. de eodem Ænea,

—— *quem turba Quirini*
Nuncupat Indigetem, temploque ariſque recepit.

Uſitatum veteribus Gentilibus, ut quem ſumme vellent honeſtare, Deum indigetem facerent. Ita Thetis in Androm. Eurip. promittit Peleo, fore ut evadat in ἀθάνατον. & Rheſus apud eundem Eurip. fit ἀνθρωποδαίμων. *Cerda.*

795. *Mortalin', decuit violari vulnere divum?*] *Mortali vulnere* dixit, non *lethali*, ſed aut quo mortales laborant, aut à mortali inlato. Aut *mortali vulnere*, id eſt, mortem facienti: ergo non quaſi Juturna mortalis ſit. *Divum* autem ſubaudimus *futurum*, Servius.

Mortalin' decuit, &c.] Verſus plane Eurip. Oreſt.

Βεβλήσεταί τις θεῶν βροτησίᾳ χερί·
An aliquis Deorum ſauciabitur manu mortali?

Et in Medea dixit,

Θεῶν δ' αἷμα πίτνειν πέδῳ ὑπ' ἀνέρων·
Nefas eſt Deorum ſanguinem cadere ab hominibus.

Sententia Virgiliana contraria eſt illi, quæ lib. 9.

Mortaline manu factæ immortale carinæ
Ius habeant? —— Cerda.

Mortalin' decuit violari vulnere divum?] Æneam futurum divum vulnerari, ut mortalem? Servius *mortale vulnus* exponit, ab homine mortali illatum: Pamelius, ad Cyprianum, mortem

Aut ensem (quid enim sine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, & vim crescere victis?
Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris:
Nec te tantus edat tacitam dolor: & mihi curæ
Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. terris agitare vel undis
Trojanos potuisti: infandum accendere bellum,
Deformare domum, & luctu miscere hymenæos.
Ulterius tentare veto. Sic Juppiter orsus,
Sic dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Juppiter; & Turnum & terras invita reliqui.

Nec

tem afferens; quomodo *mortale peccatum* dicamus. Alii leg.

Mortalem d. v. v. divûm?

quod esset, decuitne Æneam mortalem violari dearum vulnere, hoc est, tuo, & Juturnæ? Supra, ℣ſ. 319. *Taubm.*

798. *Quid enim sine te Iuturna valeret?*] Parenthesis: poterat enim excusare Iuno se, nihil fecisse commemorans. Unde eum auctorem fuisse Iuppiter dicit, propter illud, *Auctor ego audendi.* Servius.

800. *Desine jam tandem.*] Singula pronuntianda sunt. Dicendo autem *tandem*, odium perseverantis ostendit. *Idem.*

801. *Nec te tantus edat tacitam dolor.*] Scilicet desideriis urgere Trojanos. Sane *edo, edis, edit*, integrum verbum est; ut *lego, legis, legit.* Nam *edo, es, esse* anomalum constat. *Idem.*

Te tantus edat tacitam dolor.] Sicut Æneid. 4.

—— *est mollis flamma medullas:*

Scalig. lib. 4, 16. Cicero, de Bellerophonte:

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitat.

Plautus Trucul. act. 2, 7.

Quis illic est, qui ipsus se comest?

Homer. Iliad. ζ. ὃν θυμὸν κατέδων. Aristoph. in Vespis, μηδ' οὕτω σαυτὸν ἔσθιε, μηδ' ἀγανάκτει. *Taubm.*

802. *Curæ recursent.*] Ita lib. 1. *cura recursat.* Stat. 1. Theb. *recursans cura.* & l. 8. flexu alio; *redeunt curæ.* Cerda.

803. *Ventum ad supremum est.*] Per infinitum modum verbi dictum. *Servius.*

804. *Trojanos potuisti.*] Id est, jam non potes: ideo præterito usus est tempore: & bene *potuisti*, quia ipse dixerat, *Atque ipsos potuit submergere ponto:* & iterum, *Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit.* Idem.

805. *Deformare domum.*] Deformem reddere per luctum. *Idem.*

Luctu miscere hymenæos.] Propter illud 7.

Sanguine Trojano & Rutulo dotabere virgo;
Et Bellona manet te pronuba. ——

Iterum:

Talia connubia, & tales celebrent Hymenæos
Egregium Veneris genus, & Rex ipse Latinus.

Eurip. in Hippol. dixit, φονίοις ὑμεναίοις, *cruentis Hymenæis.* Cerda.

807. *Submisso vultu.*] Habitum futuræ orationis ostendit. *Servius.*

808. *Quia nota mihi tua magna voluntas Iuppiter.*] Hoc ideo Juno, quia Juppiter necessitatem objecerat fati, dicens, *Ventum ad supremum est.* Sed Juno sciens fatum esse quicquid dixerit

Nec tu me aëria solam nunc sede videres
Digna indigna pati; sed flammis cincta sub ipsam
Starem aciem, traheremque inimica in prœlia Teucros.
Juturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi, & pro vita majora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum:
Adjuro Stygii caput inplacabile fontis:
Una superstitio superis quæ reddita divis.

Et

rit Juppiter, dicit se cedere ejus voluntati. Nam id agit ut conciliet sibi ejus favorem ad petitionem futuram. *Idem.*

Quia nota mihi tua magna voluntas Iuppiter.] Quamvis *magna* in veteribus aliquot legatur, non tamen displicet quod habetur in Oblongo codice, in Porcio, & aliquot aliis *tua magne voluntas Iupiter.* ut quatuor dictiones eodem concurrant casu. *Pierius.*

810. *Aëria sede.*] Nubem dixit, quia supra dixerat, *Fulva pugnas de nube tuentem.* Nam & hoc accusaverat Juppiter. Ergo argumento verisimili utitur, quasi dicat, non faceres solum ut spectatrix essem, sed ipsa rem gererem. *Servius.*

811. *Digna indigna pati.*] Id est, omnia: & proverbialiter dictum est. *Idem.*

Digna indigna pati.] Id est, omnia: figura proverbii, V. N. Plaut. Asinar. act. 1. sc. 3. *Taubm.*

Flammis cincta.] Qualis Juno eadem describitur 2. Æneid. ad Scæas portas, *ferro accincta.* Cerda.

812. *Succurrere fratri.*] Bene *fratri*, ne, si diceret, careret adfectu. *Servius.*

814. *Pro vita.*] Pro re nobis data, id est, à superis: Et bene figuravit *Audere probavi.* Idem.

815. *Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum.*] Hoc loco quasi Juturnam sagittam jecisse significat. Sed ut supra diximus, possumus accipere, quia alter in ejus gratiam in Æneam tela contorsit: ipsi adscribendum ergo, *Contenderet arcum.* Alii *ostenderet*, id est, adjuverit tendentem in Æneam telum: non enim certus auctor vulneris fuerat. *Idem.*

816. *Adjuro Stygii caput inplacabile fontis.*] Pro *Iuro.* nam Prosthesis est. Quidam tamen volunt *Iuro* tunc dici debere, cum confirmamus aliquid, aut promittimus. ut, *Juro me facturum:* *Adjuro* vero, cum negamus: *Adjuro me non posse, Adjuro me non fecisse.* Terentius, *Adjurat se non posse apud vos, Pamphilo absente, perdurare.* Potest tamen & *Ad* valde significare: ut sit *adjuro*, valde juro. *Implacabile* autem, perjurantibus implacabile, & bene respondit ad illud quod Juppiter juraverat in decimo, ne qui deorum Trojanis, vel Rutulis ferret auxilium. *Idem.*

Adjuro Stygii, &c.] De hoc juramento, *Per Stygem*, vide Not. Æn. 6. ad ✝ſ. 324. —— *Stygiamque paludem,*
Dii cujus jurare timent, & fallere numen.
Rationem autem divini hujus sacramenti reddit Aristot. 1. Metaphys. & Apollodorus lib. Biblioth. 1. *Taubm.*

Adjuro Stygii caput.] Videtur memoria lapsus Lactant. lib. 1. cap. 11. dum duos hosce versus, *Adjuro Stygii*, & sequentem Jovi tribuit, qui à Junone pronuntiantur: sed tamen ejus quod sequitur de superstitione parum interest, à quo deo, dummodo à deo per Stygiam paludem jusjurandum concipiatur: quod ille sapienter ibi reprehendit. *Pontanus.*

817. *Una superstitio.*] Id est, sola vel summa, ut, *unam Posthabita coluisse Samen*

Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum:
Cum jam connubiis pacem felicibus (esto)
Conponent, cum jam leges & fœdera jungent;
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari;
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestis.

Sit

mo. *Superstitio* autem religio, metus: eo quod superesset capiti. *Servius.*

Superstitio.] Non vulgariter capias; tantum enim dicit, hanc unam religionem Superis fuisse superstitem, cum semel assumpti in Deos sunt, ut se obligent juramento, cum reliquas mortalium leges exuerint: unam enim fidei legem nunquam deposuerunt. *Cerda.*

Reddita.] Hoc est, data. nam Prosthesis est. *Servius.*

Reddita.] Non simpliciter, quæ data est, accipiunt Passeratius & Pimpont. sed ita; quod infera loca, hac una ducta de Styge religione, pro infinitis desuper superstitionibus (nam *superstitio* à superstantibus locis dicta) in subjectas sedes ingruentibus, retaliare inferne deos & cælum, (cui ancillari alioqui dicitur) unica hac, incusso & rejecto *δεισιδαιμονίας* metu videatur. *Taubm.*

818. *Exosa.*] *Exosus* & *perosus* de eo tantum qui odit dicitur. *Servius.*

819. *Nulla fati quod lege tenetur.*] Bene *fati*. nam victoriæ lex est, ut victi cedant in habitum nomenque victorum. *Idem.*

820. *Pro majestate tuorum.*] Respexit ad Saturnum, qui in Italia quandoque regnaverat. Inde ait *Tuorum*. Nam & Latinus inde originem ducit: ut, *Fauno Picus pater, isque parentem Te Saturne refert, tu sanguinis ultimus auctor.* Idem.

822. *(Esto) Component.*] Consentit: sed invita. *Idem.*

823. *Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos.*] Petit, quod non contra fatum, sed certe contra morem. Sall. Jugurth. *Africa pars inferior pleraque ab Numidis possessa est: victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere.* Itaque nomen sequitur victores. Hunc morem vult Juno aboleri. *Cerda.*

Indigenas.] Αὐτόχθονας. Livius tamen lib. 1. docet Latium ad Æneæ usque adventum non Latinos, sed Aborigines incoluisse, qui Trojanis postea commixti, uno nomine *Latini* fuerint appellati. *Taubm.*

825. *Vocem.*] Loquelam, ἰδίωμα. *Idem.*

Vertere vestes.] Elegantissime pro *mutare*. Tertull. de Cultu feminar. *capillum croco vertere.* Propert. Eleg. 18. lib. 2.

Quæ mentita suas vertit inepta comas.

Sed quare mutari vestes non vult Juno? quia hæc mutatio semper luctuosa. Sic tritum illud, & aliquando usurpatum ab Tullio, *mutare vestem in luctu & temporibus Reip.* Sic & *solum vertere*, pro ire in exsilium. Græci μεταβάλλειν ἐσθῆτα. Plut. in vita Camilli: ὁ δὲ δῆμος, γενόμενος τούτου, μετέβαλε τὴν ἐσθῆτα, πρᾶγμα γινόμενον ἐπὶ συμφοραῖς μεγάλαις καὶ δημοσίαις· *Plebs deinde vestem mutavit; quod, nisi in gravibus & publicis calamitatibus, fieri non solet.* Eurip. in Helen. ad rem eandem usurpat duo alia verba, videlicet ἀντάλλάττειν & ἀμείβειν. Ait enim,

Πέπλων τε λευκῶν μέλανας ἀνταλλάξομαι·

Mutabo cum nigris vestes candidas.

Et, — πέπλους μέλανας ἐξήψω χροὸς

λευκῶν

Sit Latium: sint Albani per sæcula reges:
Sit Romana potens Itala virtute propago:
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerumque repertor:
Et germana Jovis, Saturnique altera proles,
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verum age, & inceptum frustra submitte furorem.
Do, quod vis; & me victusque volensque remitto.
Sermo-

Λευκῶν ἀμείψασα·
— induisti corpus nigris vestibus
Cum albis commutans. —
Cerda.

826. *Secula.*] Si etymon sequaris adimenda est diphthongus. Nam *secula* dicta à *sequendo*, ut *tegula* à *tegendo*, *regula* à *regendo*. Idem.

827. *Sit Romana potens Itala virtute propago.*] Hoc videtur dicere, Si fataliter imminet, ut à Trojanis origo Romana descendat, Trojani Italorum nomen accipiant: ut Romani de Italis non de Trojanis videantur esse progeniti. *Servius.*

828. *Olli.*] Audi verba Varronis lib. 6. Ling Lat. *Olli valet dictum illi, ab olla, & ollus. Quod alterum comitiis, cum recitatur à præcone dicitur, olla centuria, non illa: alterum apparet in funeribus indictivis, cum dicitur, ollus letho datus est, quod Græcus dicit λήθῃ, id est, oblivioni.* Cerda.

830. *Et germana Jovis, Saturnique altera proles.*] Locus de obscuris, de quo quidam hoc sentiunt, Petis pene illicita: sed concedenda sunt, quoniam soror Jovis es, id est, Saturni filia. Quod si voluerimus admittere, erit sequens versus incongruus: ut, *Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?* Unde melius est, ut ita intelligamus, Soror Jovis es, id est Saturni filia. Unde non mirum est tantam te iracundiam retinere sub pectore. Nam scimus unumquenque pro generis qualitate in iram moveri. nobiles enim etsi ad præsens videntur ignoscere; tamen in posterum iram reservant: quod nunc Junoni videtur objicere. Nam cum se concedere diceret, petit tamen quod graviter posset obesse Trojanis. Sic Homerus inducit Calchanta dicentem de Agamemnone, Regum iræ ita se habent, ut etiam si ad præsens indulgere videantur, stimulos iracundiæ ad futurum reservent.

Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηι,
Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσσῃ.

Servius.

Proles.] Duci hanc vocem à *porro*, & *olescendo*, ut etiam *proletarios*, aliqui scribunt. in his Joann. Passerat. in Propert. Ad sententiam, de Principibus retinentissimis irarum, adducit Serv. Dan. locum Hom. 1. Iliad. Et tu poteris Tacitum 5. Ann. ubi ait, præpotentes retinere iram *in longum*. Cerda.

831. *Irarum volvis sub pectore fluctus.*] Illustrat Jacob. Pontanus ab Lucret. qui,

Constitues magnos irarum volvere fluctus.

& Livio lib. 35. *Ingentes jam diu iras eum in pectore volvere.* Idem.

832. *Submitte.*] Pro, *demitte.* Sed illud maluit. *Scalig.*

833. *Do, quod vis.*] Bene præsenti usus est tempore. Nam promissio numinis pro facto est. *Servius.*

Remitto.] Locutio fortasse sumpta ab

Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt.
Utque est, nomen erit: commixti corpore tanto
Subsident Teucri. morem ritusque sacrorum
Adjiciam, faciamque omnis uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire deos pietate videbis:
Nec gens ulla tuos æque celebrabit honores.
Adnuit his Juno, & mentem lætata retorsit.
Interea excedit cælo, nubemque reliquit.

His

ab arcu, qui *remitti* dicitur cum oppositione ad contentionem. *Cerda.*

835. *Commisti corpore tantum Subsident Teucri.*] Romanus codex non corpore, sed *sanguine* legit. est & ubi *sanguine tanto* scriptum sit: sed omnino *tantum* legendum. In Mediceo autem & in Porcio *commixto corpore* legitur. *Pierius.*

Commixti corpore.] Ab Græcis, qui omnem in genere συνουσίαν, & eam præsertim, qua vir cum conjuge συνίζεται, vocant μίξιν, *mixtionem.* Quin magna est in Virg. proprietas, nam proprie vir mulieri μίγνυσθαι, dicitur, non mulier viro. Homerus enim 6. Il. de Bellerophonte:

Ὅς μ' ἤθελεν φιλότητι μιγήμεναι οὐκ ἐθελούσῃ.

Scio hæc interdum confundi: nam Virg. lib. 7. *Mista Deo mulier.* Cerda.

836. *Subsident.*] Remanebunt, latebunt, Latinorum scilicet multitudine: ut, *Galeaque ima subsedit Acestes.* Servius.

Subsident.] Notavi alibi hoc verbo significari domicilium, quod adquiritur, ex Suetonio, & aliis. Et hæc est mens Virg. ut Trojani in Italia domicilium habeant. Notanda hic proprietas Virg. qui post illud *commisti corpore,* adjicit, *subsident*, quod etiam verbum ad συνουσίαν pertinet. *Cerda.*

Morem ritusque sacrorum Adjiciam.] Verum est: nam sacra Matris deûm, Romani Phrygio more coluerunt .... & patritæ leges appellatum est dixit * quæ morem sacrorum ritusque continebant, quod licet in VII. dixerit, plenius tamen declarat ... i. q. t. Nihil est enim sermo patrius Ausoniusque nisi avitus, quippe cum Ausonii antiqui Italiæ populi fuisse referantur. Nam patri..... quod ait *morem ritusque sacrorum adjiciam*, ipso titulo legis Papyriæ usus est, quam sciebat de ritu sacrorum publicatam, & quod junxit, faciamque omnis in ob ... eri sic enim dictæ sunt leges avitæ & patritæ, & utramque legem sacrorum complexus est. nam ritus est comprobata in administrandis sacrificiis .... q. civitas ex alieno ascivit sibi, cum receptum est, mos appellatur. Alii ita definiunt, ritum esse quo sacrificium uti fiat .... tis. Aut institutus religiosus ceremoniis consecratus, isque privatus aut publicus est. publicus ut curiarum, compitorum .... *Servius.*

837. *Uno ore.*] Uno nomine. *Taubm.*

840. *Nec gens ulla tuos, &c.*] Refert Germ. Ἡραῖα hæc, id est, *Junonia*, ad templum hujus Deæ, quod in Aventino, quæ sacra celebrata magna Populi Rom. propensione. Profertque locum Val. Max. è lib. 1. cap. 8. ex. 3. *Cerda.*

841. *Mentem lætata retorsit.*] Iste quidem hoc dicit, sed constat bello Punico secundo exoratam Junonem: tertio vero bello à Scipione sacris quibusdam etiam Romam esse translatam. *Servius.*

843. *His*

His actis aliud genitor secum ipse volutat:
Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ;
Quas & Tartaream Nox intempesta Megæram
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hæ Jovis ad solium sævique in limine regis
Appa-

843. *His actis.*] Remoto à Turno auxilio. *Idem.*

844. *Dimittere ab armis.*] Per transitum, historiæ usus est verbis. nam qui ab exercitu relaxantur, *ab armis* dicuntur *dimitti.* Sallustius de Appio, ubi eum Cotta in concione ab exercitu cogit abscedere, dicit se ejus opera non usurum, eumque ab armis dimittit. *Idem.*

845. *Pestes, cognomine Diræ.*] Proprie *pestes* vocantur; *diræ* vero, cognomine. Et dictæ *diræ*, quod non nisi ante iratum Jovem videntur: ut, *Sævique in limine regis Apparent.* Idem.

Tartaream Megæram.] Bene *Tartaream* addidit, ut ostendat esse & terrenam & aëream Megæram. Nam ut etiam in tertio diximus, volunt periti quandam potestatem triplicem esse, & in terris & apud superos, sicut est furiarum apud inferos. Ideo autem dicit has ex Nocte progenitas, ut ostendat & latenter oriri & intolerabilem esse iram deorum. *Idem.*

Nox intempesta.] Perpetuum noctis epitheton. Alio modo dicimus *intempestam*, partem noctis significantes. *Idem.*

Nox.] Ita lib. 7. Alecto dicitur *virgo sata Nocte.* quem locum vide & inf. *Talis de sata Nocte tulit.* Ab Soph. in Colon. dicuntur Diræ filiæ γῆς καὶ σκότου· *Terræ, & Tenebrarum.* Hac de re in promptu est Hesiodus. Euripides in Herc. νυκτὸς ἔκγονον λύσσαν. & Iphig. in Taur. νύχια χθονὸς ἐπικτυπεῖτο φάσματα. Inde ab eodem in Orest. Furiæ dicuntur νυκτὶ προσφερεῖς. nam videlicet proles similis est parenti. *Cerda.*

847. *Uno eodemque tulit partu.*] Dispositio hæc poëtæ, quæ dicit has & similes esse furiis, & cum his esse procreatas, hoc agit, ut ostendat illam prudentium opinione esse tam apud superos, quam in terris, sicut apud inferos furias. *Servius.*

Uno eodemque tulit partu.] Ita dictum ab Apollon. ὠδῖνι μιῇ & ab Calab. quoque μιῇ ὠδῖνι *uno partu.* & lib. 4. Epig. γαστρὶ μιῇ: *uno ventre:* notavit Germ. Sed & contractionem illam syllabicam imitatus est Prop. Eleg. 7. lib. 4.

Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos. lateri vestis adusta fuit.

Cerda.

848. *Spiris.*] Notat Lilius lib. de Navigiis cap. 15. unum tantum Virgilium usum hac voce in sermone serpentum, neminem alium Nam hic *serpentum spiris.* & 2. Æneid. in historia Laocoontis, *spirisque ligant ingentibus.* & in Georg.

Squammeus in spiram tractu se colligit anguis,

Sed non meminit vir doctus Ovidii, qui de serpente, *immensum spiris facientibus orbem.* & de cœlesti angue Ruf. Avienus:

—— agmina cœlo
Lubrica convolvit, sed spiras pendula torquet.

Et de eodem Aratus, σπείρῃ δ' ὑπὸ σῶμα. Ælian. etiam, ὁ δὲ δράκων ταῖς σπείραις τοὺς νεκροὺς συμπλακείς· *draco spiris mortuos convolvens.* Idem.

849. *Jovis ad solium.*] De vero Jove, & cœlesti capio, non de Plutone. Id

Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris,
Si quando letum horrificum morbosque deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat urbis.
Harum unam celerem demisit ab æthere summo
Juppiter, inque omen Juturnæ occurrere jussit.

Illa

Id enim magis consentaneum Virgiliano ductui. Nam tametsi Diræ proprie sint ministræ inferni, sed apparere ante Jovem nulla vetat ratio. Sic è contrario Mercurio, qui proprie est nuntius cœlestium, Pluto utitur apud Claud. 1. Rapt. Sic Parcæ & Jovis, & Plutonis sunt. Quid, quod potuit Virg. hærere incunabulis Furiarum? Harum una apud Eurip. in Herc.

Ἐξ εὐγενοῦς μὲν πατρὸς, ἔκ τε μητέρος
Πέφυκα, Νυκτὸς Οὐρανοῦ τ' ἀφ' αἵματος·
Ex nobili quidem patre, & matre
Nata sum, & Noctis ac Cœli sanguine.

Scio aliter ab aliis scribi, sed fabulosa incerta sunt. Inde apud eundem Furia ipsa statim, *ἥλιον μαρτυρόμεσθα, testamur Solem.* quod juramentum vicinum natali. *Cerda.*

Sævi regis.] Epitheton est, accommodatum enim cum sævit, neque enim est Juppiter semper sævus. *Servius.*

850. *Apparent.*] Videntur, præsto sunt ad obsequium. Unde etiam *apparitores* constat esse nominatos. *Idem.*

Apparent.] Respicit apparitores Romanos, qui ministri publici. Ac proinde *apparent* erit, *ministrant.* Tertull. Apolog. cap. 13. *Quo differt ab epulo Jovis silicernium? à simpulo obba? ab aruspice pollinctor? nam & aruspex mortuis apparet*, id est, ministrat. Lege ibi Pamelium. *Cerda.*

851. *Letum horrificum.*] Volunt Iovem non esse mortis auctorem, sed posse mortis genere, vel prodesse, vel obesse mortalibus. *Servius.*

Si quando letum horrificum, &c.] Tria numerat, *lethum, morbos, bella*, cum respectu ad tres Furias. Quamvis enim Juppiter interdum utatur his tribus ministris ad omnia mala indiscriminatim, sed peculiariter apud Virgilium Tisiphone morbos immittit, Alecto bella, Megæra lethum. De prima, quæ morbos gignit, extat luculentum illud 3. Georg. in sermone pestis,

Sævit, & in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone morbos agit ante, metumque,
Inque dies avidum surgens caput altius effert.

Ergo propter hanc pestem illud, *morbosque Deûm Rex molitur.* Alecto bella commovet. nam in 7. Juno Virgiliana, initio belli Latini:

Luctificam Alecto Dirarum ab sede sororum,
Infernisque ciet tenebris, cui tristia bella,
Iræque insidiæque, & crimina noxia cordi.

Inde ab Statio in 7. hæc Furia dicitur *belli mater.* Ergo propter hanc pestem, *meritas aut bello territat urbes.* Restat itaque, ut illud, *si quando lethum horrificum*; dicatur propter Megæram, quam educit ad mortem Turni, non ad bellum? nam hoc jam præcessit: non ad morbum, nam nullus in Turno: ergo ad lethum, quod jam instat misero Turno? Hujus quoque rei luculentus est testis Claud. qui Megæram educit, ut Ruffinum ad mortem adducat. *Cerda.*

852. *Territat urbes.*] Ταράξει τὰς πόλεις dixit Aristoph. in Irene. & de Furiis Eurip. in Orest. ἐκφοβοῦσιν, à terrore. *Idem.*

853. *Celerem.*] Ab Eurip. in Orest. Furiæ dicuntur δρομάδες πτεροφόροι, *celeres alatæ.* Idem.

Demittit ab æthere.] In antiquis omnibus exemplaribus, præterito tempore legitur *demisit*, in aliquot *dimisit.* Pierius.

854. *Inque omen Juturnæ occurrere jussit.*]

Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non secus, ac nervo per nubem inpulsa sagitta;
Armatam sævi Parthus quam felle veneni,
Parthus sive Cydon telum inmedicabile torsit;
Stridens & celeris incognita transilit umbras.

Talis

jussit.] Ut Juturnæ omen fraternæ mortis efficeret. *Servius.*

Inque omen Juturnæ occurrere.] Præclare. Est enim omen, quod veluti in occursu accidit, & nihil cogitanti homini. Synesius enim lib. de insomn. ita definit omnia, φωναί τε, καὶ συνκύρσεις ἐπ' ἄλλῳ γινόμεναι· *voces, & fortuiti occursus facti.* Inde vox *arripio* de omine, ut quod subitum. *Cerda.*

856. *Non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta.*] Sic illa descendit, ut solet sagitta descendere. Hinc Statius traxit ut diceret de disco jacto, *Similisque cadenti Crescit in adversos.* *Impulsa* autem proprie, sicut supra, *Incertum qua pulsa manu.* Servius.

Non secus.] Interponitur parabola, qua narratio interrumpatur, ut legentis tædium excludar. *Donatus.*

857. *Armatam.*] Sibi consentit, nam alibi, *ferrumque armare veneno.* &, *calamos armare veneno.* Cerda.

Parthus.] Signate; nam gens hæc sagittifera. De Parthis Herodian. l. 4. καὶ τὴν διὰ τόξων ἔξοχον ἐμπειρίαν. Dat videlicet illis peritiam, & hanc certissimam in arcubus. Sen. Epist. 36. *Si in Parthia natus esset, arcum infans statim tenderet.* Sed hoc quis ignorat? *Idem.*

Felle veneni.] Amaritudine veneni, succo noxio: aut certe periphrasticῶς dixit venenum. *Servius.*

Felle veneni.] Locutio Poëtica, pro, *felle venenato.* Est vero hoc, quod Oppian. 2. Hal.

—— φερεπτερύγων ἐπ' οϊστῶν
Πέρσαες φαρμακτῆρες ὀλέθρια μητίσαντο.

—— *datis super jaculis*
Persæ venenarii exitialia excogitarunt.

De arte hac, qua ferrum & sagittæ veneno tingebantur, alibi sum locutus. Advocat Pontanus versus Lucani, qui de Parthis,

Spicula nec solo spargunt fidentia ferro,
Stridula; sed multo saturantur tela veneno. Cerda.

858. *Cydon.*] Quis nescit Cydones esse in Creta, quæ tellus sagittariorum ferax? Credo hunc locum respectasse Senecam Tragicum in Herc. Oet. Nam sicut Virg. ait demissam Furiam instar sagittæ Cydoniæ: ita ille de Licha rotato per aërem ab Hercule,

—— *talis in cœlum exilit*
Arundo, Getica jussa demitti manu,
Aut quam Cydon excussit.

Neque abiit longe poësis Claud. qui 2. Eutrop. de Furia, & ejus adventantis celeritate,

Nec Dea præmissa stridorem segnius hasta
Consequitur. ——

Furiam dixi, nam ibi Bellona Furia est. *Idem.*

Telum immedicabile.] *Immedicabile* est, cujus vulneri mederi non possit. *Servius.*

859. *Celereis.*] Hypallage est pro *celeriter*, & ita celeriter, ut transiliat priusquam exeat. *Idem.*

Transilit umbras.] Hyperbole est. Namque umbras semper tela comitantur. hinc ait, *Transilit umbras sagitta.* Male enim quidam *auras* legunt. *Idem.*

Celeris incognita transilit umbras.] Hypallage; nam sagitta ipsa celerrima. Ut vero hic *incognita*, ita in 4. de venatore, *liquitque volatile ferrum Nescius.* Sed quas *umbras* transilit? Ad nubem? quia sup. *per nubem impulsa sagitta.* An est ingens hyperbole? umbra comes est sagittæ. hæc ita celeriter pervadit, ut neque umbram efficiat. Similis ea hyperbole. currentis Camillæ ad exitum

Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Tr.i;
Alitis in parvæ subitam conlecta figuram,
Quæ quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit inportuna per umbras,
Hanc

tum lib. 7. quæ ibat per segetem *intactam.* & ferret plantas per æquor, quas *nec tingeret.* Ait *transilit*, ut de hasta Martis Claud. 4. Eutrop.

— *illa per auras*
Tot freta, tot montes, uno contenta volutu
Transilit, &c. — Cerda.

860. *Talis se.*] Taliter collecta: ex nimia scilicet furiæ magnitudine. *Servius.*

861. *Alitis.*] Noctuam, vel bubonem intelligit. *Donatus.*

Alitis in parvæ subito collecta figuram.] In Romano codice & plerisque aliis *subitam conlecta figuram.* In Mediceo *subito conversa* habetur. sed *collecta* magis placet eruditis. *Pierius.*

Alitis.] Servius noctuam capit. potest. Adduco pro argumento dici à Virg. eam canere *in bustis aut culminibus desertis.* Quæ nota cum non cadat in bubonem, (nam hic edit dira omina in ædibus civium, ut plurimum, & in urbibus) fit proinde, ut cadat in noctuam, quæ plerumque canit in desertis locis. Neque contra hoc est, noctuam esse felicem Græcis, & unis inprimis Atheniensibus. Nam felicitas illa in volatu tantum, non in cantu. Vide Eras. Adag. *Noctua volat.* &, *Atheniensium inconsulta temeritas*, atque etiam Zenobium Adag. γλαὺξ ἵπταται. Diogenianus quoque in eodem diverbio ait, ἐπὶ τῶν αἰσίως χωρούντων οἰωνῶν. Itaque volans felix est noctua, non canens. Et Suidas ait, ἡ πτῆσις τῆς γλαυκὸς εἰς νίκης σύμβολον ἐλογίζετο· *noctuæ volatus dicebatur victoriæ symbolum.* Et Plut. in vita Themist. clare ait, noctuam esse felicem διαπετομένην, *volantem.* Nemo certe loquitur de felicitate noctuæ in cantu. Imo Architremius Poëta, — *prænuntia fati*
Noctua præcedit properanti morte propinquos.

Ubi *nuntians noctua* est canens, non volans. Dixi hæc consulens Servio, & veritati. Favet etiam, quod sequitur, *Nocte sedens*, quæ particula noctuam signat, quæ dicta à *nocte.* Quid, quod Poëta (ratio hæc Servii est) ait *alitis parvæ*, & bubo magna est avis? Sed si quis velit, possit bubonem capere, nam tametsi hic in urbibus, ut plurimum, interdum tamen in desertis, scribente Plin. lib. 10. cap. 12. *Bubo funebris, & maxime abominatus, publicis præcipue auspiciis, deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam, & inaccessa, noctis monstrum.* Cæterum, cum Poëta Furiam in avem verterit, credo sumpsisse hoc ex Eurip. qui in Taur. inducens Orestem quiritantem de aggressione Furiarum, unam earum ait habere formam avis, πτεροῖς ἐρέσσει, *alis remigat.* Cerda.

Collecta.] Ut in Georg. *in spiram tractu se colligit anguis.* & Propert. Eleg. 9. lib. 3. *in tenues humilem te colligis umbras.* Idem.

863. *Quæ quondam in bustis.*] Ad hanc rem aspiravit Claud. 2. Eutrop. ubi de Bellona, de qua ibi, ut de una Furiarum, ait:

— *sic fata, repente*
In diram se vertit avem, rostroque recurvo
Turpis, & infernas tenebris obscurior alas
Auspicium, veteri sedit ferale sepulcro.
Idem.

Culminibus desertis.] Noctuam dicit, non bubonem: nam ait, *Alitis in parvæ.* bubo autem major est. *Servius.*

864. *Serum canit.*] Triste, diuturnum: ut, *Seraque terrifici cecinerunt mina*

omina vates. Sallust. *Serum bellum in angustiis futurum.* Idem.

Serum canit importuna per umbras.] In antiquis aliquot *umbram* singulari numero. Est ubi *sævum canit:* sed *serum* omnino melius. *Pierius.*

Serum canit.] An *serum* hoc loco est *triste*, & *luctuosum*, ut vult Serv. & alii interpretes? Non abnuo, nam lib. 5.

Seraque terrifici cecinerunt omina vates.

Id est, dira omina ex mente interpretum. Quem tamen locum ego aliter accipio. Ut vero ibi non consentiunt interpretes, ita neque hic. & *serum* capio de tempore, quo canit noctua, nam sero canit. Ducem habeo Apuleium lib. 2. Florid. cujus hæc sunt: *Non enim mihi Philosophia id genus orationis largita est, ut natura quibusdam avibus brevem & temporarium cantum commodavit, hirundinibus matutinum, cicadis meridianum, noctuis serum, ululis vespertinum, bubonibus nocturnum, gallis antelucanum.* Roges: si tempus accipit, quod hoc tempus: Existimo à Poëta signari extremam partem diei, & jam fere appetentem noctem, cum lux se extenuat ad imminentes tenebras. Itaque, qui in Virgilio capiunt *serum noctis*, à vero abeunt. Nam serum proprie est extrema pars diei, id videlicet tempus quod vicinum nocti. Nam Virg. 1. Georg.

Illic sera rubens accendit lumina vesper.

Et cum Sallust. in Catil. & Liv. lib. 10. dixere *diei serum*, nihil aliud signant, quam tempus nocti proximum. Sed efficio rem hanc eodem Apuleii loco; in quo proculdubio diem dividit in tres partes, & noctem in totidem. Diei partes sunt *matutina*, *meridiana*, *sera:* noctis, *vespertina*, *nocturna*, *antelucana.* Ergo pars *matutina* opponitur *vespertinæ*, id est, incipiens dies incipienti nocti. Vesper enim non est extrema pars diei, ut plerique volunt, ne dicam omnes: sed prima pars noctis, cum jam sunt tenebræ. Nam hoc tempus dictum ab stella vespertina; hæc autem non apparet, nisi in tenebris. Inde Stat. 10. Theb. cum omni proprietate, *sed vesper opacus Lunares inducit equos.* Luna autem amoto jam Sole apparet, & cum tenebræ incipiunt. Inde & Cicero 2. Nat. eadem usus oppositione, qua Apuleius, dixit: *tum vespertinis temporibus delitescendo, tum matutinis rursum se aperiendo.* Pergo. Pars *meridiana* opponitur *nocturnæ*, id est, mediæ nocti, ut explico. Demum pars *antelucana* parti *seræ*, id est, pars ante diem parti ante noctem. *Cerda.*

Serum.] Aratus,

Νύκτερον ἀείδοντα καὶ ὀψὲ βοῶντε κολοιοί.

Serum diei, eleganter dicitur. Sallust. 8. Catil. *Et jam diei serum erat.* Livius l. 10. Dec. 1. *Pugna extrahebatur in quum maxime diei serum* Sueton. *In serum usque patebat.* Taubm.

Canit importuna per umbras.] Hæc verba videntur evertere superiorem explicationem. Nam importunus hic cantus, & per umbras, quid est aliud, quam cantus in longam noctem productus? Expedio facile. Certe Maro, & Apuleius tempus signant, in quo occipit cantus: nihil autem vetat diutius deinde protrahi obtentis jam tenebris. Et quidem sæpe audivi noctuam incipientem diei sero, & deinde perseverantem ad multam noctem. Sed esse potest alia explicatio, ut *importuna* hoc loco sit luctuosa, & tristis. Illustrat hanc Notam idem Apul. Præcedentem clausulam hæc consequitur: *Canunt carmine galli expergifico, bubones gemulo, ululæ querulo, noctuæ intorto, cicadæ obstrepero, hirundines perarguto.* In quo *intortum* explico *importunum*, *luctuosum*, *triste.* vere cantum, qui nos torquet, & vexat; qui nos διαλείπει veluti ἐν βασανισμῷ. Qua notione Plin. in Epist. *Remitte adolescentiæ ipsius, remitte lacrymis, remitte indulgentiæ, ne torseris illum, ne torseris etiam.* Cerda.

Importuna.] Inquieta: *vel*, quæ alios quiescere non sinit. Vide me ad Plauti Mercat. act. 1, 1. & hic 1. G. ℣ſ. 470. Alii, inauspicata, exponunt. *Taubmannus.*

Hanc versa in faciem, Turni se pestis ob ora
Fertque refertque sonans, clipeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor:
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit.
At, procul ut Diræ stridorem agnovit & alas,
Infelix crinis scindit Juturna solutos,
Unguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis:
Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam duræ superat mihi? qua tibi lucem

865. *Turni se pestis ad ora.*] Vetera omnino aliquot exemplaria *ad ora* legunt. sed longe magis placet quod in Rom. codice legitur *ob ora*, quod infestiorem significat incursatione molesta. *Pierius.*

866. *Clypeumq; everberat alis.*] Signa sunt ista plangentium. *Servius.*

Clipeumque everberat alis.] In Mediceo codice *reverberat* habetur: sed *everberat*, ut in Porcio & aliquot aliis, omnino melius esse videtur. *Pierius.*

Clipeumque everberat alis.] Quid si repræsentatus successus M. Valerii? Solet enim Poëta historias Romanas suo poëmati inserere. Verba Livii l. 7. hæc sunt: *Conferenti jam manum Romano corvus repente in galea consedit in hostem versus.* & post pauca: *tenuit non solum ales captam semel sedem, sed quotiescunque certamen initum est, levans se alis, os oculosque hostis rostro & unguibus appetiit: donec territum prodigii talis visu, oculisque simul ac mente turbatum Valerius obtruncat.* Plutar. in libello, cur cessaverint Pythiæ oracula, affert hoc prodigium, τὴν ἀσπίδα τῆς Παλλάδος κόρακες ἀνέκοψαν· *Palladii scutum corvi rostris tutuderunt*, aut, *conciderunt.* Ut vero Virg. *verberat alis*: ita Propert. Eleg. 10. lib. 3.

Quem gravibus pennis verberat ille puer.

Inf Noster, *alarum verbera.* Orestes apud Eurip. in Tragœdia ejus nominis de Furiis loquens, πλησίον θρώσκουσί μοι· *mihi propius insiliunt.* Cerda.

868. *Arrectæ horrore comæ.*] Hom. Il. ω'. ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν. Et Æschylo φόβος dicitur ὀρθόθριξ. *Taubm.*

869. *Stridorem.*] Vocis scilicet sonum. nam utrunque tangit augurium, & oscinum & præpetum: quod graviter posset obesse Trojanis. Sic Homerus inducit Calchanta. *Servius.*

Diræ.] Immiti: quæ posset fratrem cernere tot laboribus subditum. *Idem.*

870. *Crines scindit solutos.*] Aut solvit & scindit, aut solutos non propter fratris exitium, sed q . . . . * *Idem.*

872. *Quid nunc.*] Decenter inducit loqui cœpisse. *Idem.*

Juvare.] Alludit ad etymon. Nam *Juturna à juvando.* Varro lib. 4. Ling. Lat. *Nympha Juturna, quæ juvaret. Itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent.* Serv. sup. in hoc lib. *Juturna fons est in Italia saluberrimus juxta Numicum fluvium, cui nomen à juvando est inditum. Cum enim naturaliter omnis aqua noxia sit extraneorum corporibus, hic omnibus saluberrimus fons est.* Propert. Eleg. 22. lib. 3. loquens de hoc fonte:

Potaque Pollucis lympha salubris equo.

Cerda.

873. *Miseræ superat.*] Duræ, immiti, superest. *Servius.*

Aut quid jam miseræ superat mihi.] In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis codicibus antiquis legere est, *aut quid jam duræ superat mihi.* quod aliorum judicio relinquimus. *Pierius.*

Lucem morer.] Est hoc, quod *proferret fata.* Cerda.

Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies. ne me terrete timentem
Obscœnæ volucres: alarum verbera nosco,
Letalemque sonum. nec fallunt jussa superba
Magnanimi Jovis. hæc pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit æternam? cur mortis ademta est
Con-

874. *Monstro.*] Augurio ex Jovis voluntate venienti. *Servius.*

875. *Jam jam linquo acies.*] Ad Homeri ductum Iliad. 22. ubi Phœbus deserit Hectorem occidendum mox ab Achille: λίπεν δέ ἑ Φοῖβος Ἀπόλλων. vel Euripidis in Alcestide, ubi idem Phœbus propter instantem cædem Alcestidis,

Λείπω μελάθρων τῶνδε φιλτάτην στέγην.
Relinquam ædium hæc charissima tecta.

& adhibet rationem,

— μὴ μίασμά μ' ἐν δόμοις κίχῃ·
— *ne me piaculum in domibus comprehendat.*

Est hoc vicinum mori alteri, de quo 2. Æneid. quo Dii deserunt loca vastanda ab hostibus, excedunt que templis, quæ ventura in hostilem potestatem. Sic apud Plut. in Themist. ἀπολέλοιπε τὴν πόλιν ἡ θεὸς ὑφηγουμένη· *urbem Dea reliquit subterfugiens.* Sermo est de Minerva. Et apud Eurip. in Troad. Neptunus,

Λείπω τὸ κλεινὸν Ἴλιον, βωμούς τ' ἐμούς·
Relinquo inclytum Ilium, & meas aras.

Et addit rationem,

Ἐρημία γὰρ πόλιν ὅταν λάβῃ κακή,
Νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν, οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει·
Cum enim infelix solitudo civitatem occuparit,
Laborant Deorum sacra, neque solent coli. Cerda.

876. *Obscœnæ volucres.*] Invidiose dixit. Nam una est. *Servius.*

Obscœnæ.] Infaustæ, infelices, & mali ominis. Sic ab Sueton. in Galb. cap. 4. *obscœnum ostentum.* Ab Arnob. *mali ominis obscœnitate.* Ab Liv. Lib. 31. *Animalium obscœni fœtus.* Attius in Astyan. *obscœno omine.* Tertull. de Pallio, *Gracchi obscœna omina.* Huic voci *scævitatem* opponit Varro 7. Ling. Lat. *Quare, quod dixi scævum bonum omen est, obscœnum vero turpe.* Attius in Oenom. *faustitatem* cum ait:

— *ominibus faustis augustam adhibeant*
Faventiam, ore obscœna dicta segregent.

Cerda.

Alarum verbera.] Alis dat *verbera*, ut in 11. *simul æthera verberat alis.* & Plin. lib. 10. loquens de aquila: *multum pulverem volutatu collectum insidens cornu excutit in oculos, pennis ora verberans.* Idem.

878. *Pro virginitate.*] Pro erepto virginitatis honore. *Donatus.*

Hæc pro virginitate reponit?] Græci τὰ διαπαρθένια, munera quæ pro delibata virginitate dabantur, vocabant. Sunt autem versus in sensum hujus expostulationis apud Æschylum in Prom. non prætermittendi, de Io Inachi filia à Jove longis erroribus agitata, & male habita: ἆρ' ὑμῖν δοκεῖ, ὁ τῶν θεῶν τύραννος ἐς τὰ πάνθ' ὁμῶς βίαιος εἶναι; τῇδε γὰρ θνητῇ θεὸς χρῄζων μιγῆναι τάσδ' ἐπέρριψεν πλάνας, πικροῦ δ' ἔκυρσας, ὦ κόρη, τῶν σῶν γάμων μνηστῆρος. *Germanus.*

879. *Quo vitam dedit æternam?*] Quia occurrebat, Sed præstitit immortalitatem, dicit hanc *æternam* esse caussam doloris. *Servius.*

Quo vitam dedit æternam, cur mortis adempta est?] In codicibus aliquot antiquis *cur vitam:* sed id ex paraphrasi desumptum, quum eodem significato longe elegantius sit *quo* dicere. Est & numerus alius in Mediceo codice, *quo vitam*

Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certe, & misero fratri comes ire per umbras.
Inmortalis ego? aut quicquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit? ô quæ satis alta dehiscat
Terra mihi, manisque deam demittat ad imos?
Tantum effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens, & se fluvio dea condidit alto.

vitam æternam dedit, & cur mortis adempta est. Pierius.

Quo.] In quem usum? Ita vero & Prometheus apud Æschyl. immortalitatem suam exsecratus, mortalitatem optat. *Taubm.*

881. *Misero fratri comes ire per umbras.*] Non dissidet illud Horat. Od. 17. lib. 2. *— ibimus, ibimus,*

Utcunque præcedes, supremum
Carpere iter comites parati.

Et Od. 9. lib. 3.

Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

Propert. Eleg. 18. lib. 1.

Vivam, si vivet: si cadat illa, cadam.

Cerda.

Ire per umbras.] Mediceus codex *ire sub umbras* legit. *Pierius.*

882. *Immortalis ego.*] Per indignationem dictum est: *Immortalis ego*, quam maxime scilicet e . . . . * *Serv.*

Immortalis ego, haud quicquam mihi dulce meorum Te sine frater erit.] Oblongus codex, Porcius, & pervetus alter, legunt, *jam mortalis ego haut quicquam.* Romanus, & alii quidam utrumque membrum per interrogationem legunt *immortalis ego? Aut quicquam mihi dulce meorum Te sine frater erit?* Mox cum secum tacite destinasset nihil futurum dulce, subjungit, *O quæ satis ima dehiscat Terra mihi.* Nam *Fratri comes ire sub umbras:* pendet a superiore membro, *possem.* Pierius.

Aut quicquam mihi dulce meorum, &c.] Est hoc, quod Horat. ad Mæcenatem Od. 1. Epod.

— quibus, te, vita sit, superstite,
Jucunda: si contra, gravis.

Et post pauca,

— otium
Non dulce, ni tecum simul.

Quod Propert. Eleg. 2. lib. 1.

Haud sine te vitæ cura sit ulla meæ.

Cerda.

884. *Satis ima.*] In codice Mediceo, & Porcio, *satis alta* legitur. *Pierius.*

O quæ satis ima dehiscat Terra mihi?] Eurip. Supplicib.

Κατά με πέδον γᾶς ἕλοι·
Abripiat me tellus.

Est hæc usitata oratio ad indicandam animi turbationem, qua ut liberet Themistoclem Aristides ita ait in 2. Platon. ὑπὲρ τ̃ τεσσαρ. ἐν τούτοις μὲν τοῖς καιροῖς, καὶ τοιαύτῃ πραγμάτων ἀωρίᾳ, καὶ συγχύσει τῶν πάντων, ἀνὴρ ἐκεῖνος ἑστηκὼς οὐκ ἠπόρησεν, οὐδ' ἐξεπλάγη, οὐδ' ηὔξατο αὐτῷ χανεῖν τὴν γῆν· *In his temporibus ac tali rerum inopportunitate, atque omnium confusione vir ille constitutus, non animi incertus fuit, non obstupuit, non terram optavit sibi dehiscere.* Inde in summa animi turbatione Turnus lib. 10.

— quid agam? aut quæ jam satis ima dehiscat
Terra mihi? —

Quem locum adi. & utrobique ait *satis ima*, indicans Tartarum, qui inferior ipso inferno. Quasi dicat: Nolo ut leviter dehiscat tellus usque ad infernum, sed profundius usque ad Tartarum. Notetur adagiale quiddam apud Eurip. in Ione, χάσμα (τὸν) κρύπτει χθονός; *occultantne illum hiatus terræ?* pro, ubinam est gentium? *Cerda.*

885. *Glauco amictu.*] Quasi propter undarum similitudinem. *Servius.*

Æneas instat contra, telumque coruscat
Ingens arboreum, & sævo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne retractas?
Non cursu, sævis certandum est comminus armis.
Verte omnis tete in facies; & contrahe, quicquid
Sive animis, sive arte vales: opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
Ille caput quassans, Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox. dî me terrent, & Juppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens;
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat
Limes

887. *Æneas instat.*] Redit ad narrationem quam interruperat interpositis dictis Junonis, Jovis, & Juturnæ. *Donatus.*

Telumque coruscat.] Ita inf. *telum coruscat.* loquitur videlicet ut de fulmine, nam dicturus statim, *nec fulmine tanti, &c.* Cerda.

888. *Ingens arboreum.*] Quidam pro ligneo accipiunt, ut ho. ... * Non sunt duo Epitheta, sed Æneas ingens, telum coruscat arboreum. *Servius.*

Ingens arboreum.] Non hastam, sed gestatorem laudat. *Donatus.*

889. *Quæ nunc d.*] Versus decem accentuum, quos totidem dictiones singulæ singulos secum afferunt: quod rarissimum est. Talis & 2. Æn. ℣. 701. & l. 3. ℣. 155. & hic 917. *Taubm.*

890. *Sævis certandum comminus armis.*] Sed hoc ideo dicit, quia vulnere tardus magis comminus pugnare desiderat. *Servius.*

891. *Tete.*] Teipsum, & proverbialiter dictum. *Idem.*

Contrahe.] Collige, est autem hostilis iracundia. *Idem.*

Contrahe.] Collige. Græcis etiam στρέφειν τέχνας, pro comminisci & struere fallacias. Alludit autem ad Prothei metamorphoses. *Taubm.*

892. *Animis.*] Id est, viribus. Aut enim animo, aut corpore, aut precibus & voce possumus quicquid possumus; & hoc ideo, quia septus erat undique, & non habebat effugium. *Servius.*

894. *Caput quassans.*] Concutiens: ut, *Tunc quassans caput.* Idem.

895. *Et Juppiter hostis.*] Ordo est, ferox hostis: *Saxum circumspicit.* Homeri totus hic locus est:

Ἀλλ' ἀναχασσάμενος λίθον εἵλετο χειρὶ παχείῃ
Κείμενον ἐν πεδίῳ, μέλανα, τρηχύν τε μέγαν τε.
Ἕκτωρ δ' ἁρπάξας λᾶαν φέρεν, ὅς ῥά που λάων.

Et alibi: ἑστήκει πρόσθεν. *Servius.*

897. *Saxum antiquum, &c.*] Anaphora ejusdem dictionis, non solum spectat ad ejus descriptionem ab usu: verum etiam ad amplificandas vires Turni, quas etiam in præsenti discrimine ita acuit. *Hortensius.*

Saxum antiquum, &c.] Ex Iliad. 21. sumpta sunt. Sed Noster (*inquit Scalig. lib. 5. c. 3.*) Homeri dictionem hoc quidem loco ditat. Et plus ad rem facit, *antiquum* quam Hom. *nigrum*: declarat enim magnitudinem: quia à nullo emotum est: & vero similius est, non esse asperum; si pro termino positum fuerat. Hæc melius noster. Illa ampliora,

Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex service subirent,

Qua

pliora, *Campus*, *Ager*, *Arvum*. *Campus*, planiciem dicit: *Ager*, tractum terræ: *Arvum*, agri partem. Etiam ἔτυμον intendit summa illa eruditione: *Lis* enim a limitibus. *Limes* à divisione, qui solveret dominium, & possessionem, mutata Græca vocali in Latinam tenuiorem. de quo opulentius in *libris Originum*. Etiam illud notare possumus, *Saxum antiquum* apte designare verba illa Hom. ἄνδρες πρότεροι. Hæc ille. *Taubm.*

Campo qui forte jacebat limes agro positus.] Secundum artem priori respondet. Sic Sallustius, *Est locus in carcere quod Tullianum appellatur.* Servius.

Campo qui forte jacebat Limes agri positus.] In antiquis exemplaribus nonnullis *quod* legitur. & priori respondere, secundum artem esse dicit Servius. Bona tamen eruditorum pars *qui* legit, habita limitis ratione. Est & illud observandnm in Porcio, quod legere est *limes agro positus*, elocutione non ineleganti. *Pierius.*

898. *Limes agro positus.*] Ad hanc Musam Stat. lib. 5.

—— *rapit ingenti conamine saxum,*
Quo discretus ager, vacuasque impellit in auras
Arduus Hippomedon, ——

Et lib. 6. de re alia loquens, *Metarum instar erat.* Accepere Latini ab Hom. qui post adductus versus ex Il. 21. ita subjicit,

Τὸν ῥ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης·
Quem viri primi posuerant, ut esset terminus agri,

Calaber lib. 2. ita ab Hom.

— ὁ δ' ἄρ' εἵλετο χείρεσι πέτρην,
Τήν ῥα βροτοὶ θέσαν οὖρον ἐϋσταχέος πεδίοιο·
— *ille vero manibus saxum corripuit,*
Quod viri posuerant terminum campi spiciferi. Cerda.

Litem ut discerneret arvis.] Est hoc, quod Tibull.

— *non fixus in agris*
Qui regeret certis finibus arva lapis.

Et proprie quidem *litem* usurpat in hac re, nam *lis* dicta est primum de *limitibus*, deinde ad alia traducta. Inde in jure *limitanei fundi.* & *limitare* est partiri, ac dividere, quod proprium est termini. Sæpe hæc vocula *lis* scribebatur cum antecedente, *s*, hunc in modum *slis*, quasi *stitis*, aut *sistilitis*, à sistenda lite. Inde signate Noster *litem discerneret*, quasi litem sisteret. Siculus Flaccus usus est verbo *dirimo*, cum ait: *Tale ergo sacrificium domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant.* Græci dicunt διακρίνειν in re agrorum. Ad eum modum quo Hom. dixit 14. Iliad. κεκριμένον οὖρον· *ventum discernentem*, id est, ventum judicem. Stat. lib. 5. de lapide terminali, *quo discretus ager.* Idem

899. *Vix illud lecti bis sex.*] Hom. sæpissime hoc inculcat. ut cum ait 5. Il.

— ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν.
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος·
— *quod non duo ferrent viri,*
Quales nunc sunt homines, & ille facile solus vibravit.

Paria de Ajace Il. 12. & de Hectore, sed incremento alio, tale fuisse videlicet saxum, ut non duo viri fortissimi attollerent ἐπ' ἄμαξαν ἀπ' οὔδεος· *in plaustrum à terra.* Relinquo Homerum. Apoll. lib. 3.

Οὐκ ἄν μιν ἄνδρες αἰζηοὶ πίσυρες γαίης ἄπο τυτθὸν ἄειραν·
Neque ipsum viri quatuor ætate floridi paululum à terra tollerent.

Libo aliquid ex Latinis. Stat. 2. Theb.

Saxum ingens, quod vix plena cervice gementes
Vertere humo, murisque valent inferre juvenci,
Rupibus evellit: dein toto sanguine nixus

Sussi-

Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem:
Altior insurgens, & cursu concitus heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu, saxumque immane moventem.
Genua labant: gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,

Nec

Sustinet, immanem quærens librare ruinam.

Fortasse Statius respexit Euripidem, qui Phœniss. grandem lapidem vocat ἁμαξοπληθῆ, quod plaustrum impleret. Vel eundem in Cyc. ubi Polyphemus dicitur sustulisse

Τρεισῶν ἁμαξῶν ὡς
Ἀγώγιμον βάρ☉-.

Pondus vix tribus curribus vehendum. Porro de hominibus prodigiosarum virium lege Plinium cap. 20. lib. 7. & Martial. Epig. 12. lib. 5. *Idem.*

900. *Qualia nunc hominum, &c.*] Volunt attingi hoc loco à Poëta opinionem illorum, qui dicunt fuisse olim Gigantes. Id ipsum Hom. cum sæpe illud, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. Certe August. lib. 15. Civit. c. 9. his Virgilii versibus astruit fidem de priscorum hominum statura. Tu vide Mag. lib. 1. Miscell. c. 4. qui de hac re nuperrime, & plenissime. Sed esto hoc non ad Gigantes pertineat, certe multum ad vigorem, qui in ævo Heroum vegetior. Ad hanc rem pertinet præclarum Græcum Epigramma Agathiæ lib. 1. Anthol. ubi lapis Ajacis vocat mortales, qui tunc essent γλυῆς αἴσχεα λοιγαλίης, *dedecora infirmi generis.* & reddit rationem, quia cum facile ab Ajace fuisset vibratus, à posteris ne moveri quidem posset. Quis nescit illud Juven. Sat. 15. ubi locutus de his ipsis lapidibus, quos Heroës jactaverant Turnus, Ajax, Diomedes, absolvit?

Terra malos homines nunc educat atque pusillos.

In quam sententiam illustres sunt Lucretii versus isti,

Jamque adeò fracta est ætas, effœtaque tellus,
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu. Idem.

901. *Manu raptum trepida.*] Aut festina: aut re vera *trepida*, quia sequitur, *Sed neque currentem, nec se cognoscit euntem.* Servius.

Torquebat.] Bene imperfecto usus est tempore, quia non est perfectum quod voluit: ut, *Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.* Idem.

Torquebat.] Notat Serv. positum imperfectum, quia lapis Ænean non attingit. Sic in 6. Dædalus *conatus erat* casum Icari effingere, quia nunquam effinxit. & supra in hoc libro, *Augurium citharamque dabat*, quia vere non dedit. & in 2. Androgeos *visu tremefactus abibat*, quia vere non abiit. & millena in hoc Vate. Videntur Græci leporem hunc non curasse, nam millies Homerus imperfecto utitur in re perfecta, tametsi in Eurip. viderim ἐκαινόμην ξίφει, *occidebar gladio.* Loquitur videlicet Iphigenia in Taur. quæ vere occisa non fuit. & Hecuba apud eundem κἀγὼ γὰρ ἦν ποτέ *& ego olim eram.* Quare *eram*? quia ea felicitas non fuit perpetua. ideo subjicit, ἀλλὰ νῦν οὐκ εἰμ' ἔτι *& jam deinceps non sum.* Cerda.

903. *Sed neque currentem se, &c.*] Non satis sciebat ubi esset, quid ageret, totus horrebat præ formidine: videns non videbat, audiens non audiebat, apud se non erat. *Pontanus.*

906. *Viri.*] Mire vero addidit quasi propter rationem ejus, qui languide jecerat

Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.
Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur:
Sic Turno, quacumque viam virtute petivit,
Successum dea dira negat. tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos aspectat & urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit.

Nec

cerat, & ipse lapis sine effectu fuerit, ut si dixisset, talis est vir, qualem descripsi. *Servius.*

Vacuum per inane.] Aër à Latinis plerunque *inane* dicitur. ad ejus igitur discrimen addit *vacuum*: ut spacium acciperemus omni vacans corpore. aut certe sic loqui abundante quadam oratione solebant, etiam in aëre: quia nostris oculis vacuus & inanis occurrit. *Turnebus.*

Vacuum per inane.] Utramque vocem etiam conjungit Lucret. lib. 1.

Scilicet hoc quod erit vacuum, quod inane vocamus.

Aër videlicet nostris oculis inanis esse, & vacuus apparet. Ut hic *vacuum inane*, ita sup. duplici quoque adjectivo *longum per inane*. Cerda.

907. *Nec spatium evasit.*] Hic distinguendum est, ut sit, *totum nec pertulit ictum*: id est, evacuatus est impetus ipsius spatio longiore. *Servius.*

Nec pertulit ictum.] Ita in 10. etiam de hasta, *vires haud Pertulit.* Cerda.

908. *Ac velut in somnis.*] Homeri comparatio. *Servius.*

Ac velut in somnis.] Ponit parabolam quam quisque in se expertus intelligere potest, quid Turno evenerit. *Donatus.*

Ac velut in somnis, &c.] Videtur eam exprimere delineationem morbi, quem Dioscor. *πνιγμὸν ἐφιαλτῶν* vocat: cum externa vis quiescentes videtur invadere, pondere urgere, gravare, & pene suffocare: quod phantasmatis genus πνιγαλίων, πνιγάμων, & ἐφιάλτης dicitur: unde & succubi, & incubi multis emersisse videntur. Hom. Il. χ. ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν, οὔτ' ἄρ ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ' ὁ διώκειν, ὣς ὁ τὸν οὐ δύνατο μάρψαι ποσὶν, οὐδ' ὃς ἀλύξαι. Vid. & Cælius lib. 27. c. 15. & Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. *Germanus.*

910. *In mediis conatibus.*] De conatibus dormientium. Propert. Eleg. 26. lib. 2.

Jamque ego conabar summo me mittere saxo. Cerda.

911. *Corpora.*] Antiptosis pro *corpori*. vel ellipsis præposit. *in*. Taubm.

912. *Nec vox nec verba sequuntur.*] Quod in 6. *Clamor frustratur biantes.* Cerda.

Nec vox, nec verba sequuntur.] In ant. cod. *nec vox aut verba*, legitur. *Pier.*

915. *Urbem.*] Vel in qua erat Lavinia, vel unde expectaret auxilium, quod pudor petere vetabat. *Donatus.*

916. *Cunctaturque metu.*] Ammian. lib. 17. *Gressus vinxerat timor.* Idem lib. 14. præclare ad rem Virg. *Solent, manum injectantibus fatis, hebetari sensus hominum, & obtundi.* Hoc Turno accidit, cui jam fata injiciebant manum. Timorem dici δεῖμα, & δέος quod liget membra, certum est. Ad rem quoque sunt verba Josephi lib. 7. Bell. c. 16. δέος δὲ καὶ τοῖς τυράννοις ἐμπέπτωκε σφοδρό-

Nec quo se eripiat, nec qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt aurigamve sororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus frotunam oculis; & corpore toto
Eminus intorquet. murali concita numquam

Tor-

σφοδρότερον τῆς ἀνάγκης. πρὶν γὰρ ὑπερβῆναι τοὺς πολεμίους ἐνάρκων τε καὶ μετέωροι πρὸς φυγὴν ἦσαν. *Timor Tyrannos invadit fortior ipsa necessitate, nam priusquam transgrederentur hostes, torpore tenebantur, & suspensi erant ad fugiendum.* & post pauca: πλαζόμενος τὰς ὄψεις τῷ δέει, ἐπὶ στόμα πεσόντες, ἀνῴμωζον τὴν ἑαυτῶν φρενοβλάβειαν καὶ καθάπερ ὑποκεκομμένοι τὰ νεῦρα τῆς φυγῆς ἠπόρουν· *Metu oculos fallente in ora prostrati pro sua dementia querebantur: ac veluti succisi nervos, qua fugerent, hæsitabant.* Cerda.

Tremiscit.] Uti superius observatum est, antiquiora omnia exemplaria verbi hujus pene ultimam per *e*, *tremescit* proferunt. *Pierius.*

917. *Nec quo se eripiat.*] Totum enim Trojani clauserant. *Servius.*

Nec quo se eripiat.] Fugiendi occasio deerat, audiendi fiducia negabatur, nullum sperat auxilium sorore jam remota. *Donatus.*

918. *Aurigamque sororem.*] Hæc pars ducta est ab 22. Iliad. ubi Hector tunc intellexit se moriturum, ubi prope se jam non vidit Deiphobum. Dicit *aurigam* adjective, ut Tertull. de Spect. c. 9. *aurigis coloribus.* quem in locum vide Franc. Junium. *Cerda.*

919. *Telum fatale.*] Ut in quo telo fata Turni. Itaque de Ænea, ut de Deo loquitur; nam in ejus dextra, aut vita, aut mors Turni. Simili fere encomio hastam Achillis afficit Pind. Od. 9. Olymp. vocans δαμασίμβροτον, ut quæ mortales domaret. *Idem.*

920. *Sortitus fortunam oculis.*] Hunc locum ad feriendum oculis elegit Æneas, quem fortuna destinaverat vulneri. *Servius.*

Sortitus fortunam oculis.] Alii ipsum collimasse intelligunt. Alii *fortunam* exponunt, Forte oblatam feriendi opportunitatem. *Taubm.*

Corpore toto.] Est hoc quod Stat. 2. Theb. *dein toto sanguine nixus.* Videtur vero mihi Poëta dixisse *toto corpore* ad discrimen lapidis, quem Turnus jecerat, qui *non totum evasit spatium*, quia videlicet non jactus *toto corpore*, sed tantum una *manu*, & hac *trepida*. Itaque huic loco conveniunt verba Sen. lib. 2. de Benef. c. 6. *sicut in telis eadem ferri vis est, sed infinitum interest, utrum excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant.* Cerda.

921. *Eminus.*] Idem est, quod *è manu*, nam eminus telum mittitur, cum è manu dimittitur. Ennius in Lytr. Hectoris,

Quem mea cominus machæra atque hasta
hostivit è manu.

ubi *cominus*, & *è manu* opponuntur. Pulchre hoc genus mortis expressit Oppian. lib. 2. Cyn. vocans φόνον πτερόεντα, *alatam cædem*. Idem.

Murali concita nunquam, &c.] Aliquid ad hanc Musam Stat. Theb. 5.

—— *vacuasque impellit in auras*
Arduus Hippomedon. quo turbine bellica quondam
Librati saliunt portarum in claustra molares. Idem.

Murali concita, &c.] Comparatio tergemina. Hæc autem Donatus de *arietis tormento* intelligit: de quo Lipsius Poliorcet. l. 3. Dial. 1. ad illud Claud.

Tum tua murali libretur machina pulsu:
Saxa rotet præceps aries, &c.

Posses & de *ballista*, quæ itidem saxijacula machina est: aut etiam de *catapulta:* nam in his confusio est. De quibus Lipsius ibid. Dial. 2. accuratissime. *Taubmannus.*

Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni;
Alitis in parvæ subitam conlecta figuram,
Quæ quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit inportuna per umbras,

Hanc

tum lib. 7. quæ ibat per segetem *intactam.* & ferret plantas per æquor, quas *nec tingeret.* Ait *transilit*, ut de hasta Martis Claud. 4. Eutrop.

— illa per auras
Tot freta, tot montes, uno contenta volutu
Transilit, &c. — Cerda.

860. *Talis se.*] Taliter collecta: ex nimia scilicet furiæ magnitudine. *Servius.*

861. *Alitis.*] Noctuam, vel bubonem intelligit. *Donatus.*

Alitis in parvæ subito collecta figuram.] In Romano codice & plerisque aliis *subitam conlecta figuram.* In Mediceo *subito conversa* habetur. sed *collecta* magis placet eruditis. *Pierius.*

Alitis.] Servius noctuam capit. potest. Adduco pro argumento dici à Virg. eam canere *in bustis aut culminibus desertis.* Quæ nota cum non cadat in bubonem, (nam hic edit dira omina in ædibus civium, ut plurimum, & in urbibus) fit proinde, ut cadat in noctuam, quæ plerumque canit in desertis locis. Neque contra hoc est, noctuam esse felicem Græcis, & unis inprimis Atheniensibus. Nam felicitas illa in volatu tantum, non in cantu. Vide Eras. Adag. *Noctua volat.* &, *Atheniensium inconsulta temeritas*, atque etiam Zenobium Adag. γλαῦξ ἵπταται. Diogenianus quoque in eodem diverbio ait, ἐπὶ τοῖς αἰσίοις χρωμένων οἰωνοῖς. Itaque volans felix est noctua, non canens. Et Suidas ait, ἡ πτῆσις τῆς γλαυκὸς εἰς νίκης σύμβολον ἐλογίζετο· *noctuæ volatus dicebatur victoriæ symbolum.* Et Plut. in vita Themist. clare ait, noctuam esse felicem διαπετομένην, *volantem.* Nemo certe loquitur de felicitate noctuæ in cantu. Imo Architremius Poëta, *— prænuntia fati*
Noctua præcedit properanti morte propinquos.

Ubi *nuntians noctua* est canens, non volans. Dixi hæc consulens Servio, & veritati. Favet etiam, quod sequitur, *Nocte sedens*, quæ particula noctuam signat, quæ dicta à *nocte.* Quid, quod Poëta (ratio hæc Servii est) ait *alitis parvæ*, & bubo magna est avis? Sed si quis velit, possit bubonem capere, nam tametsi hic in urbibus, ut plurimum, interdum tamen in desertis, scribente Plin. lib. 10. cap. 12. *Bubo funebris, & maxime abominatus, publicis præcipue auspiciis, deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam, & inaccessa, noctis monstrum.* Cæterum, cum Poëta Furiam in avem verterit, credo sumpsisse hoc ex Eurip. qui in Taur. inducens Orestem quiritantem de aggressione Furiarum, unam earum ait habere formam avis, πτεροῖς ἐρέσσει, *alis remigat.* Cerda.

Collecta.] Ut in Georg. *in spiram tractu se colligit anguis.* & Propert. Eleg. 9. lib. 3. *in tenues humilem te colligis umbras.* Idem.

863. *Quæ quondam in bustis.*] Ad hanc rem aspiravit Claud. 2. Eutrop. ubi de Bellona, de qua ibi, ut de una Furiarum, ait:

— sic fata, repente
In diram se vertit avem, rostroque recurvo
Turpis, & infernas tenebris obscurior alas
Auspicium, veteri sedit ferale sepulcro.

Idem.

Culminibus desertis.] Noctuam dicit, non bubonem: nam ait, *Alitis in parvæ.* bubo autem major est. *Servius.*

864. *Serum canit.*] Triste, diuturnum: ut, *Seraque terrifici cecinerunt*

mina

omina vates. Sallust. *Serum bellum in angustiis futurum.* Idem.

Serum canit importuna per umbras.] In antiquis aliquot *umbram* singulari numero. Est ubi *sævum canit:* sed *serum* omnino melius. *Pierius.*

Serum canit.] An *serum* hoc loco est *triste*, & *luctuosum*, ut vult Serv. & alii interpretes? Non abnuo, nam lib. 5.

Seraque terrifici cecinerunt omina vates.

Id est, dira omina ex mente interpretum. Quem tamen locum ego aliter accipio. Ut vero ibi non consentiunt interpretes, ita neque hic. & *serum* capio de tempore, quo canit noctua, nam sero canit. Ducem habeo Apuleium lib. 2. Florid. cujus hæc sunt: *Non enim mihi Philosophia id genus orationis largita est, ut natura quibusdam avibus brevem & temporarium cantum commodavit, hirundinibus matutinum, cicadis meridianum, noctuis serum, ululis vespertinum, bubonibus nocturnum, gallis antelucanum.* Roges: si tempus accipit, quod hoc tempus: Existimo à Poëta signari extremam partem diei, & jam fere appetentem noctem, cum lux se extenuat ad imminentes tenebras. Itaque, qui in Virgilio capiunt *serum noctis*, à vero abeunt. Nam serum proprie est extrema pars diei, id videlicet tempus quod vicinum nocti. Nam Virg. 1. Georg.

Illic sera rubens accendit lumina vesper.

Et cum Sallust. in Catil. & Liv. lib. 10. dixere *diei serum*, nihil aliud signant, quam tempus nocti proximum. Sed efficio rem hanc eodem Apuleii loco; in quo proculdubio diem dividit in tres partes, & noctem in totidem. Diei partes sunt *matutina*, *meridiana*, *sera:* noctis, *vespertina*, *nocturna*, *antelucana.* Ergo pars *matutina* opponitur *vespertinæ*, id est, incipiens dies incipienti nocti. Vesper enim non est extrema pars diei, ut plerique volunt, ne dicam omnes: sed prima pars noctis, cum jam sunt tenebræ. Nam hoc tempus dictum ab stella vespertina; hæc autem non apparet, nisi in tenebris. Inde Stat. 10. Theb. cum omni proprietate, *sed vesper opacus Lunares inducit equos.* Luna autem amoto jam Sole apparet, & cum tenebræ incipiunt. Inde & Cicero 2. Nat. eadem usus oppositione, qua Apuleius, dixit: *tum vespertinis temporibus delitescendo, tum matutinis rursum se aperiendo.* Pergo. Pars *meridiana* opponitur *nocturnæ*, id est, mediæ nocti, ut explico. Demum pars *antelucana* parti *seræ*, id est, pars ante diem parti ante noctem. *Cerda.*

Serum.] Aratus,

Νύκτερον ἀείδουσα ἢ ὀψὲ βοῶντε κολοιοί.

Serum diei, eleganter dicitur. Sallust. 8. Catil. *Et jam diei serum erat.* Livius l. 10. Dec. 1. *Pugna extrahebatur in quum maxime diei serum.* Sueton. *In serum usque patebat.* Taubm.

Canit importuna per umbras.] Hæc verba videntur evertere superiorem explicationem. Nam importunus hic cantus, & per umbras, quid est aliud, quam cantus in longam noctem productus? Expedio facile. Certe Maro, & Apulejus tempus signant, in quo occipit cantus: nihil autem vetat diutius deinde protrahi obtentis jam tenebris. Et quidem sæpe audivi noctuam incipientem diei sero, & deinde perseverantem ad multam noctem. Sed esse potest alia explicatio, ut *importuna* hoc loco sit luctuosa, & tristis. Illustrat hanc Notam idem Apul. Præcedentem clausulam hæc consequitur: *Canunt carmine galli expergifico, bubones gemulo, ululæ querulo, noctuæ intorto, cicadæ obstrepero, hirundines perarguto.* In quo *intortum* explico *importunum*, *luctuosum*, *triste.* vere cantum, qui nos torquet, & vexat; qui nos διαπρίει veluti ἐν βασανιστηρίῳ. Qua notione Plin. in Epist. *Remitte adolescentiæ ipsius, remitte lacrymis, remitte indulgentiæ, ne torseris illum, ne torseris etiam.* Cerda.

Importuna.] Inquieta: *vel*, quæ alios quiescere non sinit. Vide me ad Plauti Mercat. act. 1, 1. & hic 1. G. ꝟs. 470. Alii, inauspicata, exponunt. *Taubmannus.*

Hanc versa in faciem, Turni se pestis ob ora
Fertque refertque sonans, clipeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor:
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit.
At, procul ut Diræ stridorem agnovit & alas,
Infelix crinis scindit Juturna solutos,
Unguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis:
Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam duræ superat mihi? qua tibi lucem

Arte

865. *Turni se pestis ad ora.*] Vetera omnino aliquot exemplaria *ad ora* legunt. sed longe magis placet quod in Rom. codice legitur *ob ora*, quod infestiorem significat incursatione molesta. *Pierius.*

866. *Clypeumq; everberat alis.*] Signa sunt ista plangentium. *Servius.*

Clipeumque everberat alis.] In Mediceo codice *reverberat* habetur: sed *everberat*, ut in Porcio & aliquot aliis, omnino melius esse videtur. *Pierius.*

Clipeumque everberat alis.] Quid si repræsentatus successus M. Valerii? Solet enim Poëta historias Romanas suo poëmati inserere. Verba Livii l. 7. hæc sunt: *Conserenti jam manum Romano corvus repente in galea consedit in hostem versus.* & post pauca: *tenuit non solum ales captam semel sedem, sed quotiescunque certamen initum est, levans se alis, os oculosque hostis rostro & unguibus appetiit: donec territum prodigii talis visu, oculisque simul ac mente turbatum Valerius obtruncat.* Plutar. in libello, cur cessaverint Pythiæ oracula, affert hoc prodigium, τὴν ἀσπίδα τοῦ Παλλαδίου κόρακες κατέκοπτον· *Palladii scutum corvi rostris tutuderunt*, aut, *conciderunt.* Ut vero Virg. *verberat alis*: ita Propert. Eleg. 10. lib. 3.

Quem gravibus pennis verberat ille puer.

Inf Noster, *alarum verbera.* Orestes apud Eurip. in Tragœdia ejus nominis de Furiis loquens, πλησίον θρώσκουσί μου· *mihi propius insiliunt.* Cerda.

868. *Arrectæ horrore comæ.*] Hom. Il. ω'. ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν. Et Æschylo φόβος dicitur ὀρθόθριξ. *Taubm.*

869. *Stridorem.*] Vocis scilicet sonum. nam utrunque tangit augurium, & oscinum & præpetum: quod graviter posset obesse Trojanis. Sic Homerus inducit Calchanta. *Servius.*

Diræ.] Immiti: quæ posset fratrem cernere tot laboribus subditum. *Idem.*

870. *Crines scindit solutos.*] Aut solvit & scindit, aut solutos non propter fratris exitium, sed q .... * *Idem.*

872. *Quid nunc.*] Decenter inducit loqui cœpisse. *Idem.*

Juvare.] Alludit ad etymon. Nam *Juturna à juvando.* Varro lib. 4. Ling. Lat. *Nympha Juturna, quæ juvaret. Itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent.* Serv. sup. in hoc lib. *Juturna fons est in Italia saluberrimus juxta Numicum fluvium, cui nomen à juvando est inditum. Cum enim naturaliter omnis aqua noxia sit extraneorum corporibus, hic omnibus saluberrimus fons est.* Propert. Eleg. 22. lib. 3. loquens de hoc fonte:

Potaque Pollucis lympha salubris equo.

Cerda.

873. *Miseræ superat.*] Duræ, immiti, superest. *Servius.*

Aut quid jam miseræ superat mihi.] In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis codicibus antiquis legere est, *aut quid jam duræ superat mihi.* quod aliorum judicio relinquimus. *Pierius.*

Lucem morer.] Est hoc, quod *proferret fata.* Cerda.

874. Mon-

Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies. ne me terrete timentem
Obscœnæ volucres: alarum verbera nosco,
Letalemque sonum. nec fallunt jussa superba
Magnanimi Jovis. hæc pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit æternam? cur mortis ademta est
Con-

874. *Monstro.*] Augurio ex Jovis voluntate venienti. *Servius.*

875. *Jam jam linquo acies.*] Ad Homeri ductum Iliad. 22. ubi Phœbus deserit Hectorem occidendum mox ab Achille: λίπεν δέ ἑ Φοῖβος Ἀπόλλων. vel Euripidis in Alcestide, ubi idem Phœbus propter instantem cædem Alcestidis,

Λείπω μελάθρων τῶνδε φιλτάτην στέγην.

Relinquam ædium hæc charissima tecta.

& adhibet rationem,

—— μὴ μίασμά μ' ἐν δόμοις κίχῃ·

—— ne me piaculum in domibus comprehendat.

Est hoc vicinum mori alteri, de quo 2. Æneid. quo Dii deserunt loca vastanda ab hostibus, exceduntque templis, quæ ventura in hostilem potestatem. Sic apud Plut. in Themist. ἀπολέλοιπε τὴν πόλιν ἡ θεὸς ὑφηγουμένη· *urbem Dea reliquit subterfugiens.* Sermo est de Minerva. Et apud Eurip. in Troad. Neptunus,

Λείπω τὸ κλεινὸν Ἴλιον, βωμούς τ' ἐμούς·

Relinquo inclytum Ilium, & meas aras.

Et addit rationem,

Ἐρημία γὰρ πόλιν ὅταν λάβῃ κακὴ,
Νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν, οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει·

Cum enim infelix solitudo civitatem occuparit,
Laborant Deorum sacra, neque solent coli. Cerda.

876. *Obscœnæ volucres.*] Invidiose dixit. Nam una est. *Servius.*

Obscœnæ.] Infaustæ, infelices, & mali ominis. Sic ab Sueton. in Galb. cap. 4. *obscœnum ostentum.* Ab Arnob. *mali ominis obscœnitate.* Ab Liv. Lib. 31. *Animalium obscœni fœtus.* Attius in Astyan. *obscœno omine.* Tertull. de Pallio, *Gracchi obscœna omina.* Huic voci *scævitatem* opponit Varro 7. Ling. Lat. *Quare, quod dixi scævum bonum omen est, obscœnum vero turpe.* Attius in Oenom. *faustitatem* cum ait:

—— omini! ne faustis angustam adhibeant
Faventiam, ore obscœna dicta segregent.

Cerda.

Alarum verbera.] Alis dat *verbera*, ut in 11. *simul æthera verberat alis.* & Plin. lib. 10. loquens de aquila: *multum pulverem volutatu collectum insidens cornu excutit in oculos, pennis ora verberans.* Idem.

878. *Pro virginitate.*] Pro erepto virginitatis honore. *Donatus.*

Hæc pro virginitate reponit?] Græci τὰ διαπαρθένια, munera quæ pro delibata virginitate dabantur, vocabant. Sunt autem versus in sensum hujus expostulationis apud Æschylum in Prom. non prætermittendi, de Io Inachi filia à Jove longis erroribus agitata, & male habita: ἆρ' ὑμῖν δοκεῖ, ὁ τῶν θεῶν τύραννος ἐς τὰ πάνθ' ὁμῶς βίαιος εἶναι; τῇδε γὰρ θνητῇ θεὸς χρῄζων μιγῆναι τάσδ' ἐπέρριψε πλάνας, πικροῦ δ' ἔκυρσας, ὦ κόρη, τῶν σῶν γάμων μνηστῆρος. *Germanus.*

879. *Quo vitam dedit æternam?*] Quia occurrebat, Sed præstitit immortalitatem, dicit hanc *æternam* esse caussam doloris. *Servius.*

Quo vitam dedit æternam, cur mortis adempta est?] In codicibus aliquot antiquis *cur vitam*: sed id ex paraphrasi desumptum, quum eodem significato longe elegantius sit *quo* dicere. Est & numerus alius in Mediceo codice, *quo vitam*

Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certe, & misero fratri comes ire per umbras.
Inmortalis ego? aut quicquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit? ô quæ satis alta dehiscat
Terra mihi, manisque deam demittat ad imos?
Tantum effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens, & se fluvio dea condidit alto.

Æneas

vitam æternam dedit, & cur mortis adempta est. Pierius.

Quo.] In quem usum? Ita vero & Prometheus apud Æschyl. immortalitatem suam exsecratus, mortalitatem optat. *Taubm.*

881. *Misero fratri comes ire per umbras.*] Non dissidet illud Horat. Od. 17. lib. 2. —*ibimus, ibimus,*

Utcunque præcedes, supremum
Carpere iter comites parati.

Et Od. 9. lib. 3.

Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

Propert. Eleg. 18. lib. 1.

Vivam, si vivet: si cadat illa, cadam.

Cerda.

Ire per umbras.] Mediceus codex *ire sub umbras* legit. *Pierius.*

882. *Immortalis ego.*] Per indignationem dictum est: *Immortalis ego*, quam maxime scilicet e . . . . * *Serv.*

Immortalis ego, haud quicquam mihi dulce meorum Te sine frater erit.] Oblongus codex, Porcius, & pervetus alter, legunt, *jam mortalis ego haut quicquam.* Romanus, & alii quidam utrumque membrum per interrogationem legunt *immortalis ego? Aut quicquam mihi dulce meorum Te sine frater erit?* Mox cum secum tacite destinasset nihil futurum dulce, subjungit, *O quæ satis ima dehiscat Terra mihi.* Nam *Fratri comes ire sub umbras:* pendet a superiore membro, *possem.* Pierius.

Aut quicquam mihi dulce meorum, &c.] Est hoc, quod Horat. ad Mæcenatem Od. 1. Epod.

—*quibus, te, vita sit, superstite,*
Jucunda: si contra, gravis.

Et post pauca,

—*otium*
Non dulce, ni tecum simul.

Quod Propert. Eleg. 2. lib. 1.

Haud sine te vitæ cura sit ulla meæ.

Cerda.

884. *Satis ima.*] In codice Mediceo, & Porcio, *satis alta* legitur. *Pierius.*

O quæ satis ima dehiscat Terra mihi?] Eurip. Supplicib.

Κατά με πέδον γᾶς ἕλοι·
Abripiat me tellus.

Est hæc usitata oratio ad indicandam animi turbationem, qua ut liberet Themistoclem Aristides ita ait in 2. Platon. ὑπὲρ τῶν τεσσάρ. ἐν τούτοις μὲν τοῖς καιροῖς, καὶ τοιαύτῃ πραγμάτων ἀπορίᾳ, καὶ συγχύσει τῶν πάντων, ἀνὴρ ἐκεῖνος ἑστηκὼς οὐκ ἠπόρησεν, οὐδ' ἐξεπλάγη, οὐδ' ηὔξατο αὐτῷ χανεῖν τὴν γῆν· *In his temporibus ac tali rerum inopportunitate, atque omnium confusione vir ille constitutus, non animi incertus fuit, non obstupuit, non terram optavit sibi dehiscere.* Inde in summa animi turbatione Turnus lib. 10.

— *quid agam? aut quæ jam satis ima dehiscat*
Terra mihi? ——

Quem locum adi. & utrobique ait *satis ima*, indicans Tartarum, qui inferior ipso inferno. Quasi dicat: Nolo ut leviter dehiscat tellus usque ad infernum, sed profundius usque ad Tartarum. Notetur adagiale quiddam apud Eurip. in Ione, χάσμα (τὸν) κρύπτει χθονὸς; *occultantne illum hiatus terræ?* pro, ubinam est gentium? *Cerda.*

885. *Glauco amictu.*] Quasi propter undarum similitudinem. *Servius.*

788. Æneas

Æneas instat contra, telumque coruscat
Ingens arboreum, & sævo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne retractas?
Non cursu, sævis certandum est comminus armis.
Verte omnis tete in facies; & contrahe, quicquid
Sive animis, sive arte vales: opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
Ille caput quassans, Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox. dì me terrent, & Juppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens;
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat
Limes

887. *Æneas instat.*] Redit ad narrationem quam interruperat interpositis dictis Junonis, Jovis, & Juturnæ. *Donatus.*

Telumque coruscat.] Ita inf. *telum coruscat.* loquitur videlicet ut de fulmine, nam dicturus statim, *nec fulmine tanti, &c.* Cerda.

888. *Ingens arboreum.*] Quidam pro ligneo accipiunt, ut ho. ... * Non sunt duo Epitheta, sed Æneas ingens, telum coruscat arboreum. *Servius.*

Ingens arboreum.] Non hastam, sed gestatorem laudat. *Donatus.*

889. *Quæ nunc d.*] Versus decem accentuum, quos totidem dictiones singulæ singulos secum afferunt: quod rarissimum est. Talis & 2. Æn. ℣ 701. & l. 3. ℣. 155. & hic 917. *Taubm.*

890. *Sævis certandum comminus armis.*] Sed hoc ideo dicit, quia vulnere tardus magis comminus pugnare desiderat. *Servius.*

891. *Tete.*] Teipsum, & proverbialiter dictum. *Idem.*

Contrahe.] Collige, est autem hostilis iracundia. *Idem.*

Contrahe.] Collige. Græcis etiam στρέφειν τέχνας, pro comminisci & struere fallacias. Alludit autem ad Prothei metamorphoses. *Taubm.*

892. *Animis.*] Id est, viribus. Aut enim animo, aut corpore, aut precibus & voce possumus quicquid possumus; & hoc ideo, quia septus erat undique, & non habebat effugium. *Servius.*

894. *Caput quassans.*] Concutiens: ut, *Tunc quassans caput.* Idem.

895. *Et Juppiter hostis.*] Ordo est, ferox hostis: *Saxum circumspicit.* Homeri totus hic locus est:

Α᾽λλ᾽ ἀναχασσάμενος λίθον εἵλετο χειρὶ παχείῃ
Κείμενον ἐν πεδίῳ, μέλανα, τρηχύντε μέγαντε.
Ε᾽κτωρ δ᾽ ἁρπάξας λᾶαν φέρεν, ὅς ῥάπυ λάων.

Et alibi: ἑστήκει πρόσθεν.
Servius.

897. *Saxum antiquum, &c.*] Anaphora ejusdem dictionis, non solum spectat ad ejus descriptionem ab usu: verum etiam ad amplificandas vires Turni, quas etiam in præsenti discrimine ita acuit. *Hortensius.*

Saxum antiquum, &c.] Ex Iliad. 21. sumpta sunt. Sed Noster (*inquit Scalig. lib. 5. c. 3.*) Homeri dictionem hoc quidem loco ditat. Et plus ad rem facit, *antiquum* quam Hom. *nigrum*: declarat enim magnitudinem: quia à nullo emotum est: & vero similius est, non esse asperum; si pro termino positum fuerat. Hæc melius noster. Illa ampliora.

Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex service subirent,

Qua

pliora, *Campus*, *Ager*, *Arvum*. *Campus*, planiciem dicit: *Ager*, tractum terræ: *Arvum*, agri partem. Etiam ἔτυμον intendit summa illa eruditione: *Lis* enim a limitibus. *Limes* à divisione, qui solveret dominium, & possessionem, mutata Græca vocali in Latinam tenuiorem. de quo opulentius in *libris Originum*. Etiam illud notare possumus, *Saxum antiquum* apte designare verba illa Hom. ἄνδρες πρότεροι. Hæc ille. *Taubm.*

Campo qui forte jacebat limes agro positus.] Secundum artem priori respondet. Sic Sallustius, *Est locus in carcere quod Tullianum appellatur.* Servius.

Campo qui forte jacebat Limes agri positus.] In antiquis exemplaribus nonnullis *quod* legitur. & priori respondere, secundum artem esse dicit Servius. Bona tamen eruditorum pars *qui* legit, habita limitis ratione. Est & illud observandum in Porcio, quod legere est *limes agro positus*, elocutione non ineleganti. *Pierius.*

898. *Limes agro positus.*] Ad hanc Musam Stat. lib. 5.

—— rapit ingenti conamine saxum,
Quo discretus ager, vacuasque impellit in auras
Arduus Hippomedon, ——

Et lib. 6. de re alia loquens, *Metarum instar erat.* Accepere Latini ab Hom. qui post adductus versus ex Il. 21. ita subjicit,

Τόν ῥ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης·
Quem viri primi posuerant, ut esset terminus agri,

Calaber lib. 2. ita ab Hom.

—— ὁ δ' ἄρ' εἵλετο χείρεσι πέτρην,
Τήν ῥα βροτοὶ θέσαν οὖρον ἐϋσταχέος πεδίοιο·
—— ille vero manibus saxum corripuit,
Quod viri posuerant terminum campi spiciferi. Cerda.

Litem ut discerneret arvis.] Est hoc, quod Tibull.

—— non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arva lapis.

Et proprie quidem *litem* usurpat in hac re, nam *lis* dicta est primum de *limitibus*, deinde ad alia traducta. Inde in jure *limitanei fundi*. & *limitare* est partiri, ac dividere, quod proprium est termini. Sæpe hæc vocula *lis* scribebatur cum antecedente, *s*, hunc in modum *slis*, quasi *slitis*, aut *sistilitis*, à sistenda lite. Inde signate Noster *litem discerneret*, quasi litem sisteret. Siculus Flaccus usus est verbo *dirimo*, cum ait: *Tale ergo sacrificium domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant.* Græci dicunt διακρίνειν in re agrorum. Ad eum modum quo Hom. dixit 14. Iliad. κεκριμένον οὖρον· *ventum discernentem*, id est, ventum judicem. Stat. lib. 5. de lapide terminali, *quo discretus ager.* Idem

899. *Vix illud lecti bis sex.*] Hom. sæpissime hoc inculcat. ut cum ait 5. Il.

—— ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν.
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'. ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος·
—— quod non duo ferrent viri,
Quales nunc sunt homines, & ille facile solus vibravit.

Paria de Ajace Il. 12. & de Hectore, sed incremento alio, tale fuisse videlicet saxum, ut non duo viri fortissimi attollerent ἐπ' ἄμαξαν ἀπ' οὔδεος· *in plaustrum à terra.* Relinquo Homerum. Apoll. lib. 3.

Οὔ κέ μιν ἄνδρες αἰζηοὶ πίσυρες γαίης ἀπὸ τυτθὸν ἄειραν·
Neque ipsum viri quatuor ætate floridi paululum à terra tollerent.

Libo aliquid ex Latinis. Stat. 2. Theb.

Saxum ingens, quod vix plena cervice gementes
Vertere humo, murisque valent inferre juvenci,
Rupibus evellit: dein toto sanguine nixus

Susti-

Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem:
Altior insurgens, & cursu concitus heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu, saxumque inmane moventem.
Genua labant: gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,

Nec

Sustinet, immanem quærens librare ruinam.

Fortasse Statius respexit Euripidem, qui Phœniss. grandem lapidem vocat ἁμαξοπληθῆ, quod plaustrum impleret. Vel eundem in Cyc. ubi Polyphemus dicitur sustulisse

Τεσσάρων ἁμαξῶν ὡς
Ἀγώγιμον βάρος.

Pondus vix tribus curribus vehendum. Porro de hominibus prodigiosorum virium lege Plinium cap. 20. lib. 7. & Martial. Epig. 12. lib. 5. *Idem.*

900. *Qualia nunc hominum, &c.*] Volunt attingi hoc loco à Poëta opinionem illorum, qui dicunt fuisse olim Gigantes. Id ipsum Hom. cum sæpe illud, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. Certe August. lib. 15. Civit. c. 9. his Virgilii versibus astruit fidem de priscorum hominum statura. Tu vide Mag. lib. 1. Miscell. c. 4. qui de hac re nuperrime, & plenissime. Sed esto hoc non ad Gigantes pertineat, certe multum ad vigorem, qui in ævo Heroum vegetior. Ad hanc rem pertinet præclarum Græcum Epigramma Agathiæ lib. 1. Anthol. ubi lapis Ajacis vocat mortales, qui tunc essent γλυῆς αἴσχεα λοβγαλίης, *dedecora infirmi generis.* & reddit rationem, quia cum facile ab Ajace fuisset vibratus, à posteris ne moveri quidem posset. Quis nescit illud Juven. Sat. 15. ubi locutus de his ipsis lapidibus, quos Heroës jactaverant Turnus, Ajax, Diomedes, absolvit?

Terra malos homines nunc educat atque pusillos.

In quam sententiam illustres sunt Lucretii versus isti,

Jamque adeò fracta est ætas, effœtaque tellus,
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu. Idem.

901. *Manu raptum trepida.*] Aut festina: aut re vera *trepida*, quia sequitur, *Sed neque currentem, nec se cognoscit euntem.* Servius.

Torquebat.] Bene imperfecto usus est tempore, quia non est perfectum quod voluit: ut, *Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.* Idem.

Torquebat.] Notat Serv. positum imperfectum, quia lapis Ænean non attingit. Sic in 6. Dædalus *conatus erat* casum Icari effingere, quia nunquam effinxit. & supra in hoc libro, *Augurium citharamque dabat*, quia vere non dedit. & in 2. Androgeos *visu tremefactus abibat*, quia vere non abiit. & millena in hoc Vate. Videntur Græci leporem hunc non curasse, nam millies Homerus imperfecto utitur in re perfecta, tametsi in Eurip. viderim ἐκατεινόμην ξίφει, *occidebar gladio.* Loquitur videlicet Iphigenia in Taur. quæ vere occisa non fuit. & Hecuba apud eundem κἀγὼ γὰρ ἦν ποτε *& ego olim eram.* Quare *eram*? quia ea felicitas non fuit perpetua. ideo subjicit, ἀλλὰ νῦν οὐκ εἰμ' ἔτι *& jam deinceps non sum.* Cerda.

903. *Sed neque currentem se, &c.*] Non satis sciebat ubi esset, quid ageret, totus horrebat præ formidine: videns non videbat, audiens non audiebat, apud se non erat. *Pontanus.*

906. *Viri.*] Mire vero addidit quasi propter rationem ejus, qui languide jecerat

Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.
Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur:
Sic Turno, quacumque viam virtute petivit,
Successum dea dira negat. tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos aspectat & urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit.

Nec

cerat, & ipse lapis sine effectu fuerit, ut si dixisset, talis est vir, qualem descripsi. *Servius.*

Vacuum per inane.] *Aër* à Latinis plerunque *inane* dicitur. ad ejus igitur discrimen addit *vacuum*: ut spacium acciperemus omni vacans corpore. aut certe sic loqui abundante quadam oratione solebant, etiam in aëre: quia nostris oculis vacuus & inanis occurrit. *Turnebus.*

Vacuum per inane.] Utramque vocem etiam conjungit Lucret. lib. 1.

Scilicet hoc quid erit vacuum, quod inane vocamus.

Aër videlicet nostris oculis inanis esse, & vacuus apparet. Ut hic *vacuum inane*, ita sup. duplici quoque adjectivo *longum per inane.* Cerda.

907. *Nec spatium evasit.*] Hic distinguendum est, ut sit, *totum nec pertulit ictum*: id est, evacuatus est impetus ipsius spatio longiore. *Servius.*

Nec pertulit ictum.] Ita in 10. etiam de hasta, *vires haud Pertulit.* Cerda.

908. *Ac velut in somnis.*] Homeri comparatio. *Servius.*

Ac velut in somnis.] Ponit parabolam quam quisque in se expertus intelligere potest, quid Turno evenerit. *Donatus.*

Ac velut in somnis, &c.] Videtur eam exprimere delineationem morbi, quem Dioscor. πνιγμὸν ἐκστατικὸν vocat: cum externa vis quiescentes videtur invadere, pondere urgere, gravare, & pene suffocare: quod phantasmatis genus πνιγαλίων, πνιγάλιων, & ἐφιάλτης dicitur: unde & succubi, & incubi multis emersisse videntur. Hom. Il. χ. ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν, οὔτ' ἄρ' ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ' ὁ διώκειν, ὣς ὁ τὸν οὐ δύνατο μάρψαι ποσὶν, οὐδ' ὃς ἀλύξαι. Vid. & Cælius lib. 27. c. 15. & Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. *Germanus.*

910. *In mediis conatibus.*] De conatibus dormientium Propert. Eleg. 26. lib. 2.

Jamque ego conabar summo me mittere saxo. Cerda.

911. *Corpora.*] Antiptosis pro *corpori.* vel ellipsis præposit. *in.* Taubm.

912. *Nec vox nec verba sequuntur.*] Quod in 6. *Clamor frustratur hiantes.* Cerda.

Nec vox, nec verba sequuntur.] In ant. cod. *nec vox aut verba*, legitur. *Pier.*

915. *Urbem.*] Vel in qua erat Lavinia, vel unde expectaret auxilium, quod pudor petere vetabat. *Donatus.*

916. *Cunctaturque metu.*] Ammian. lib. 17. *Gressus vinxerat timor.* Idem lib. 14. præclare ad rem Virg. *Solent, manum injectantibus fatis, hebetari sensus hominum, & obtundi.* Hoc Turno accidit, cui jam fata injiciebant manum. Timorem dici δεῖμα, & δέος quod liget membra, certum est. Ad rem quoque sunt verba Josephi lib. 7. Bell. c. 16. δέος γὰρ καὶ τοῖς τυχοῦσιν ἐμπίπτει σφοδρό-

Nec quo se eripiat, nec qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt aurigamve sororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus frotunam oculis; & corpore toto
Eminus intorquet. murali concita numquam
Tor-

σφοδρότερον τῆς ἀνάγκης. πρὶν γὰρ ὑπερβῆναι τοὺς πολεμίους ἐνάρκων τε καὶ μετέωροι πρὸς φυγὴν ἦσαν. Timor Tyrannos invadit fortior ipsa necessitate, nam priusquam transgrederentur hostes, torpore tenebantur, & suspensi erant ad fugiendum. & post pauca: *πλάζοντος τὰς ὄψεις τοῦ δέους, ἐπὶ στόμα πεσόντες, ἀνῴμωζον τὴν ἑαυτῶν φρενοβλάβειαν καὶ καθάπερ ὑποκεκομμένοι τὰ νεῦρα τῆς φυγῆς ἠπόρουν· Metu oculos fallente in ora prostrati pro sua dementia querebantur: ac veluti succisi nervos, qua fugerent, hæsitabant.* Cerda.

Tremiscit.] Uti superius observatum est, antiquiora omnia exemplaria verbi hujus pene ultimam per *e*, *tremescit* proferunt. *Pierius.*

917. *Nec quo se eripiat.*] Totum enim Trojani clauserant. *Servius.*

Nec quo se eripiat.] Fugiendi occasio deerat, audiendi fiducia negabatur, nullum sperat auxilium sorore jam remota. *Donatus.*

918. *Aurigamque sororem.*] Hæc pars ducta est ab 22. Iliad. ubi Hector tunc intellexit se moriturum, ubi prope se jam non vidit Deiphobum. Dicit *aurigam* adjective, ut Tertull. de Spect. c. 9. *aurigis coloribus.* quem in locum vide Franc. Junium. *Cerda.*

919. *Telum fatale.*] Ut in quo telo fata Turni. Itaque de Ænea, ut de Deo loquitur; nam in ejus dextra, aut vita, aut mors Turni. Simili fere encomio hastam Achillis afficit Pind. Od. 9. Olymp. vocans *δαμασίμβροτον*, ut quæ mortales domaret. *Idem.*

920. *Sortitus fortunam oculis.*] Hunc locum ad feriendum oculis elegit Æneas, quem fortuna destinaverat vulneri. *Servius.*

Sortitus fortunam oculis.] Alii ipsum collimasse intelligunt. Alii *fortunam* exponunt, Forte oblatam feriendi opportunitatem. *Taubm.*

Corpore toto.] Est hoc quod Stat. 2. Theb. *dein toto sanguine nixus.* Videtur vero mihi Poëta dixisse *toto corpore* ad discrimen lapidis, quem Turnus jecerat, qui *non totum evasit spatium*, quia videlicet non jactus *toto corpore*, sed tantum una *manu*, & hac *trepida*. Itaque huic loco conveniunt verba Sen. lib. 2. de Benef. c. 6. *sicut in telis eadem ferri vis est, sed infinitum interest, utrum excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant.* Cerda.

921. *Eminus.*] Idem est, quod *è manu*, nam eminus telum mittitur, cum è manu dimittitur. Ennius in Lytr. Hectoris,

Quem mea cominus machæra atque hasta
hostivit è manu.

ubi *cominus*, & *è manu* opponuntur. Pulchre hoc genus mortis expressit Oppian. lib. 2. Cyn. vocans *φόνον πτερόεντα*, *alatam cædem.* Idem.

Murali concita nunquam, &c.] Aliquid ad hanc Musam Stat. Theb. 5.

—— vacuasque impellit in auras
Arduus Hippomedon. quo turbine bellica quondam
Librati saliunt portarum in claustra molares. Idem.

Murali concita, &c.] Comparatio tergemina. Hæc autem Donatus de *arietis tormento* intelligit: de quo Lipsius Poliorcet. l. 3. Dial. 1. ad illud Claud.

Tum tua murali libretur machina pulsu:
Saxa rotet præceps aries, &c.

Posses & de *ballista*, quæ itidem saxijacula machina est: aut etiam de *catapulta:* nam in his confusio est. De quibus Lipsius ibid. Dial. 2. accuratissime. *Taubmannus.*

Tormento ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti
Diſſultant crepitus. volat atri turbinis inſtar
Exitium dirum haſta ferens, oraſque recludit
Loricæ, & clipei extremos ſeptemplicis orbis:
Per medium ſtridens tranſit femur. incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Conſurgunt gemitu Rutuli, totuſque remugit
Mons circum, & vocem late nemora alta remittunt,
Ille humilis ſupplexque oculos dextramque precantem
Pro-

922. *Fulmine.*] Pro tonitru: ſine quo fulmen nunquam mittitur. *Serv.*

923. *Diſſultant crepitus.*] Ita apud Stat. lib. 5. ad contortum telum vi Hippomedontis,

Dat ſonitum tellus, nemorumque per avia denſi
Diſſultant nexus. ——

Explica verbum *diſſultant* ad eum modum, quo Sen. epiſt. 45. dixit, *grandinis more diſſultant*, aut, ut idem lib. 1. de Clem. c. 4. *Imperii contextus in partes multas diſſiliet.* Cerda.

Volat.] Liv. lib. 26. *Ingens enim jam vis omnis generis telorum è muris volabat.* Sed hoc illuſtravi locis aliis. *Idem.*

Atri turbinis inſtar.] Multis utitur comparationibus ad exprimendum nimium impetum: & *inſtar* (ut ſupra diximus) per ſe plenum eſt, nec recipit præpoſitionem, licet Serenus *ad inſtar* dixerit, quod in idoneis auctoribus non invenitur. *Servius.*

924. *Exitium dirum.*] In Mediceo codice *Exitium durum* habetur. *Pier.*

925. *Loricæ & clipei extremos ſept. orbes Per med.*] In Mediceo codice lectio ita variat, *loricæ clipeique extr. ſep. orbes, Et medium ſtridens tranſit femur.* Idem.

926. *Ictus.*] Percuſſus. nunc participium eſt, ac ſi diceret, *Cecidit eliſus.* Servius.

Duplicato poplite.] In 10. *duplicatque virum.* Cerda.

929. *Vocem.*] Ita de inanimis, quod jam alibi. Eurip. in Ione, κιθάρας ἐνοπὰν vocem citharæ. Idem.

930. *Humilis.*] Corpore, id eſt, ſupplex, dejecto faſtu. Victoria Æneæ, quam ponit in fine operis, perficit atque abſolvit cumulum laudum Æneæ: quas à principio ad finem omni artificio continuavit. *Donatus.*

Supplexque oculos.] In codicibus antiquis quibuſdam *ſupplex oculos*, abſque particula *que*, legitur. ſed longe venuſtius eſt, *Ille humilis, ſupplexque*, ut alterum hujuſmodi ſequitur, *Oculos, dextramque.* Pierius.

Oculos.] Hærebam, an ita conjungendum, *ſupplexque oculos dextramque, &c.* ita ut Turnus dicatur fuiſſe ſupplex oculis, quos dejectos haberet præ pudore. Sed melius multo eſt, ut dicat, *oculos dextramque precantem protendens.* Ita ut dicatur, non dextram, ſed oculos etiam protendere: quia ipſe 2. Æneid. *tendens ardentia lumina.* & Horat. epiſt. lib. *oculo contendere.* & Catull. *aciem protenderet.* & Græci ὀφθαλμῶν βολάς. *Cerda.*

Dextramque precantem.] Hypallage: nam quod eſt vocis dat manui, ut hoc ipſo indicet, membris omnibus precabundum Turnum, itaque precatur non ſolum ore, ſed manibus, oculis, toto corpore. Nihil enim tunc potuit majus dare. Præclare Apul. 3. Florid. *Neque enim aut levi mercede emit qui precatur; aut parvum pretium accipit, qui rogatur.* Idem.

935. *Equi-*

Protendens, Equidem merui, nec deprecor; inquit:
Utere sorte tua. miseri te si qua parentis
Tangere cura potest; oro, (fuit & tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectæ.
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,

Redde

931. *Equidem merui.*] Secundum artem rhetoricam. nam quotiens personæ in invidia sunt, aliæ his opponuntur. unde ita ait, Ego quidem occidi mereor, sed tu debes ignoscere parentis intuitu. *Servius.*

Equidem merui.] Eleganter Claud. 2. Eut. *Dum pereunt, meminere mali.* Cerda.

Nec deprecor.] Non refuto, non recuso. *Servius.*

932. *Utere sorte tua.*] Interfice hostem tuum. *Idem.*

Utere sorte tua.] Indicavit mihi Morlan. Ovidium, qui in Epist.

Jus tibi & arbitrium nostræ fortuna salutis
Tradidit: inque tua est, vitaque, morsque manu.

Horat. *Gaude sorte tua.* A Virg. Sil. 15. *utere Marte tuo.* Cerda.

Miseri te si qua parentis, &c.] Locus Hom. Iliad. ult. ubi Priamus ad Achillem,

Μνῆσαι πατρὸς σοῖο θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
Τηλίκου ὥσπερ ἐγὼν ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ.

Recordare patris tui ô Diis par Achilles,
Ejusdem ætatis, ut ego in gravi senectutis limine. Idem.

933. *Tangere cura potest.*] Lege illud lib. 9. *nec solos tangit Atridas iste dolor.* Idem.

Fuit & tibi talis Anchises genitor.] Hic distinguendum, ut duo dicat: & habuisti patrem, & pater es. *Servius.*

Fuit & t. t. Anchises, genitor.] Ita distinguit Servius: ut duo dicat: Et habuisti patrem; & pater es. Oratores ὁμοιοπάθειαν vocant, quoties de similitudine passionis pathos nascitur: quod Poëta hic expressit. De quo Macrob. in Symposiacis lib. 4. c. 6. & Cælius lib. 24. cap. 2. *Taubm.*

935. *Et me redde meis.*] Ordo est, *Redde meis.* sed ne ex aperto rem viro forti pudendam peteret, interpositione usus est dicens, *Seu corpus spoliatum lumine mavis.* Servius.

Spoliatum lumine.] Supra de Palamede: *nunc cassum lumine lugent.* *Lumen* autem, & *lucem*, pro vita poëtæ, & non semel Maro, usurpant. Τὸ φῶς, & βλέπειν Græcis in eum usum familiaria: ut Hom. οὔτις ἐμεῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο· ubi ζῆν & δέρκεσθαι in eandem ille partem præivit poëtis Latinis ad imitandum, Lucretio quidem, cujus est: *vivoque, & mortua vita videnti:* & item Terentio, cujus est: *vivus, vidensque pereo.* Germanus.

Corpus spoliatum lumine, &c.] Humanum ingenium, quod animæ nostræ vis est, quum se sciat immortale, optat illud, quoque, ut & corpus ipsum, comes, & domicilium suum, quoad fieri possit, eadem felicitate perfruatur. Iccirco & veri, sanique Poëtæ suas personas pingunt, cujusmodi expositæ sunt à Natura, non quales ferrei quidam, & oblatratores Naturæ fingunt. Hinc & Mezentius Æn. 10. ꝟs. 904. mortem non deprecatur, sed unam apprecatur sepulturam. Neque adeo Turnum tanto robore, tali genere, tot rebus gestis clarum exemit Poëta ex ejusdem matris affectibus, id est, Naturæ. Tametsi enim fuit vir fortissimus, tamen ipso in aditu mortis homo visus est. Verum enim vero nequaquam se prosternit ad Æneæ genua, quemadmodum *Magus* in libro 10. sed negavit se deprecari, quin etiam non pro se, quippe *magnanimus*; sed pro *patre*, ut sit pius. At sane sapiens fortitudo; quæ

 victor

Redde meis. vicisti, & victum tendere palmas
Ausonii videre. tua est Lavinia conjunx:
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextramque repressit.
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat; infelix humero cum apparuit alto
Bal-

victor jam non in morte, sed in facto ponit. ideo dicit, *Vicisti:* &, *tua est Lavinia*; neque solum *tua*, sed *conjux*. Quid aliud vis? hæc enim est belli caussa: hic pugnæ nostræ finis; non autem mea mors. Addit etiam, quod dicebamus,

—— seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis.

Hoc enim meritus erat esse, quod ipse erga Pallantem fuisset. Patri enim corpus remiserat etiam cum armis. Dignus profecto Turnus, qui aut vinceret, aut divinis tantum armis neque aliis vinceretur. *Scaliger.*

936. *Vicisti & victum tendere palmas Ausonii videre.*] Ad gloriam Æneæ pertinet, quod se Turnus cunctis præsentibus victum fatetur. *Servius.*

Vicisti, & victum, &c.] Illustrat hoc Columna ab Ennio, qui ait,

Qui vicit, non est victor, nisi victu' fatetur,

Ab Nazian. qui initie suorum operum ἥττημαι, καὶ τὴν ἧτταν ὁμολογῶ· *Victus sum, & me victum agnosco.* Adjungo, fuisse Ovidium imitatorem Virgilii l. 5. Metamorph.

Confessasque manus, obliquaque brachia tendens,
Vincis, ait, Perseu. ——

Fuit in Romano Populo proverbialis forma in cantu victoriæ hæc, *vicimus.* ex qua Lucill. quem advocat Donat. in Eun. Terent.

Vicimus ô socii, & magnam pugnavimus pugnam.

Ovid. Eleg. 10. lib. 3. Amor.

Vicimus, & dominum pedibus calcamus amorem.

Et 10. Metamorph. *gaude mea dixit alumna, Vicimus.* Cerda.

Tendere palmas.] Elegantissimus locus: non enim tantum manus attollit ad precandum, ut supplex: sed in signum, quo & se victum fatetur, & alterum victorem. Attigit morem istum Hieronym. in Dialogo Luciferani & Orthodoxi: *En tollo manum, cedo, vicisti.* Sanctus etiam Eligius Episc. Noviomens. in Homil. 8. ait, qui poeniterent solitos porrigere manus in sublime, & hoc esse indicium pœnitentiæ. Callim. Hymn. in Del. πήχεις ἀμφοτέρους ὀρέγουσα, *tendens brachia utraque.* Græci passim in hac re αἴρειν τὰς χεῖρας. De digito uno sublato in signum τοῦ ἥττης, vide quæ Lipsius lib. 2. Satur. c. 21. & quæ jam ex Persio, & Athen. Erasm. Ch. 3. Cent. 4. c. 14. ubi etiam advocat locum Hieronymi præfatum. *Idem.*

937. *Tua est Lavinia conjux.*] Quæ fuerat caussa certaminis. *Servius.*

938. *Ulterius ne tende odiis.*] Noli velle crudelitatem tuam ultra fata protendere, sed redde corpus sepulchro. *Idem.*

Acer in armis.] Non tantum ad præsens refertur, sed quia semper in armis acer esse consuevit. *Idem.*

940. *Cunctantem flectere sermo Cœperat.*] Omnis intentio ad Æneæ pertinet gloriam. Nam & ex eo quod hosti cogitat parcere, pius ostenditur: & ex eo quod eum interemit, pietatis gestat insigne. Nam Euandri intuitu Pallantis ulciscitur mortem. *Idem.*

Cunctantem flectere sermo Cœperat.] Antiqui aliquot codices *Cunctantem flectere mentem* legunt, quod aliis examinandum linquimus. *Pierius.*

941. *Infelix balteus.*] Nulli domino fœlix,

Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.
Ille, oculis poſtquam ſævi monumenta doloris
Exuviaſque hauſit, furiis accenſus & ira
Terribilis: Tunc hinc ſpoliis indute meorum
Eri-

foelix. & ſic eſt dictum, *Infœlix balteus:* ſicut, *Lacedæmonioſque hymenæos.* Et ſciendum balteum habuiſſe Turnum ad inſultationem & jactantiam, non ad utilitatem. unde eſt, *Atque humeris inimicum inſigne gerebat.* Servius.

Infelix humero quum apparuit alto Balteus.] Apud Soſipatrem Cariſium ambigua lectio eſt, quod, *ingens*, interpoſitum, *ingens balteus*, quod ei correſpondet, quod in x. dictum, *Rapiens immania pondera baltei.* Diſputat vero Cariſius, *balteus* maſculino genere ſemper dici, ut *clipeus. Infœlix humero cum apparuit ingens balteus*, Virgilius dicit. Plinius tamen vult maſculino genere vinculum ſignificare, neutro autem genere lora ad alligandum apta. Sed Varro *baltea* dixit, & Tuſcum vocabulum ait eſſe. uſque adeo paſſim variant auctorum ſententiæ. *Pierius.*

Alto.] Præfero hanc lectionem, & hanc habet Serv. Pet. Dan. legunt aliqui *ingens.* Scio conjungi poſſe bina adjectiva: ſed id ſi impediri poſſit, melius eſt. *Cerda.*

943. *Notis fulſerunt cingula bullis.*] Annon pleonaſmus ridiculus? Nam ſi balteus eſt militare cingulum, quid oportuit utramque vocem dari? ſed explicet Virg. Varr. Ait hic, *Balteum, quod cingulum è corio habebat bullatum, balteum dictum.* Itaque balteus proprie erat, cui annexa cinctio. Explico hoc. Duplex fuit officium baltei. Primum, ut ab eo gladium penderet. Alterum ut cingeret. Iſidor. clare lib. 19. cap. 35. *unde & balteus dicitur, non tantum quod cingitur, ſed etiam à quo arma dependent.* Ideo utramque vocem conjungit Maro nullius doctrinæ expers. Inde & Treb. Pollio in Salonino ſcribit: *Cum cingula ſua plerique militantium, qui ad convivium venerant, ponerent hora convivii, Saloninus puer auratos conſtellatoſque balteos rapuiſſe perhibetur.* Cerda.

Bullis.] *Bulla.* & Græcis βῦλλα, inſigne quondam triumphantium, poſt in uſum etiam puerorum nobilium uſurpatum: à cujus ſpecie, auctore Plutarcho in Probl. *bulla* πομφόλυξ dicta, tumor quidam in aqua bulliente excreſcens, & ſtatim evaneſcens. Dicitur & Ciceroni pro capite clavi umbellato, quo baſilicarum fores configi ſolent: unde Plaut. in Aſin. accepit *bullam* pro capite clavorum: *Juſſiſti in ſplendorem dari bullas has foribus noſtris.* Sic Cicero tradit, Verrem *bullas* aureas ex valvis templi magnificentiſſimi abſtuliſſe. Pro ornamentis autem, quibus cingula decorantur, uſurpavit & Calpur. in Bucol: *Alternat vitreas lateralis cingula bullas.* Et Apulejus pro ornamentis, quibus inſtrata equorum inſigniuntur, cum ait: *bullis multis aureis inoculatum, veluti ſtellis relucentem.* Germanus.

945. *Monumenta doloris.*] Proprie, nam & *monumentum* ab eo dictum eſt quod mentem moneat. *Servius.*

946. *Hauſit.*] Vidit: ut, *Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus.* Idem.

Furiis accenſus & ira.] Ἓν διὰ δυοῖν, id eſt, furioſa ira. Neque enim omnis ira furit. Ut *accendo* de ira, ita Liv. lib. 38. *Accendit ira animos eorum.* & lib. 24. *qua voce eum accenſum reſtitiſſe.* Cerda.

947. *Tunc hinc ſpoliis indute meorum.*]

Non

Eripiare mihi? Pallas te hoc volnere, Pallas
Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.
Hoc dicens, ferrum adverſo ſub pectore condit
Fervidus. aſt illi ſolvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

Non abſimile illud Il. χ. in perſona Achillis: ἀπάρτι ἔφης Πατρόκλῃ ἐξεναρίζων Σῶς ἔσσεσθαι, &c. *Germanus.*

948. *Pallas te immolat.*] Ad ſuæ mortis & abrupti fœderis ultionem, te tanquam hoſtiam immolat Pallas. *Servius.*

Pallas te hoc vulnere, Pallas immolat.] Claud. 1. Stil.

Pallantis jugulum Turno morienti piavit Æneas. ——

Non abſimile facinus Virginii apud Liv. lib. 3. ubi poſt interfectam filiam reſpectans Appium. *Te, inquit, Appi, tuumque caput ſanguine hoc conſecro.* Neque vero dubium, quin Virg. reſpexerit morem, quo hoſtes mactabantur pro defunctis in bello, quod Plut. in vita Themiſt. dixit κατάρξασθαι, & καθιερῶσαι. nam fiunt tanquam victimæ, & hoſtiæ. *Cerda.*

950. *Adverſo ſub pectore.*] In pectus hoſtis, ita uti adverſum fuit, totum gladium preſſit. *Taubm.*

951. *Solvuntur.*] In antiquis nonnullis codicibus *ſolvontur.* ita *ruont, acuont*, ea pronuntiatione, quam à veteribus acceptam Etruſci adhuc incolumem ſervavere. *Pierius.*

Frigore.] Morte: ut, *Corpuſque lavant frigentis, & ungunt.* Servius.

Illi ſolvuntur frigore membra.] Supra lib. Æn. 1. *Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra:* Græcis ſiquidem ὕπνος καὶ θάνατος λυσιμελεῖς dicuntur. Obſervavit & Paſſeratius, Virgilium hic expreſſiſſe vim verbi Græci ψυχορραγεῖν. Eurip. de Alceſtide: ἡ νῦν κατ' οἴκους ἐν χεροῖν βαστάζεται ψυχορραγοῦσα. & rurſus idem de eadem Alc. ἤδη προνωπής ἐστι καὶ ψυχορραγεῖ. *Germanus.*

952. *Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.*] *Indignata*, vel quia poſt preces veniam non meruerat: vel quia Laviniam fore ſciebat Æneæ: vel quia, ut ſupra de Camilla diximus, diſcedebat à juvene. Nam volunt phyſici animam diſcedere à corpore invitam, cum quo adhuc habitare naturæ legibus poterat. Sic Homerus,

Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδόσδε βεβήκει
Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀδροτῆτα καὶ ἥβην. *Servius.*

Vitaque cum gemitu, &c.] Animæ abitum deſcribit. ita 9. Æn. ỷſ. 349.

Purpuream vomit ille animam.

Et Æn. 4. ỷſ. ult.

—— *omnis & una*
Dilapſus calor, atque in ventos vita receſſit.

De quarum rerum tractatione videatur magnus Scaliger lib. 3. c. 1. Poëtices. Idem vero carmen de *Camilla* moriente uſurpavit, lib. 11. ỷſ. 831. Similiter Hom. de Hectore moriente, Iliad. 22. ỷſ. 245. Videatur & Macrob. l. 1. c. 9. in Somn. Scip. *Taubm.*

FINIS.

